K. 34

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. F. FRANCISCI
HENNO
ORD. FF. MINOR. RECOLLECT.
THEOLOGIA
DOGMATICA,
MORALIS ET SCHOLASTICA
IN DUOS TOMOS DIVISA.

Digitized by Google

[illegible] by Go[illegible]

R. P. F. FRANCISCI

HENNO

Ordinis FF. Minorum Recollectorum Provinciæ D. Andreæ Lectoris Jubilati

THEOLOGIA DOGMATICA, MORALIS ET SCHOLASTICA

IN DUOS TOMOS DIVISA.

Opus Principiis Thomiſticis, & Scotiſticis, quantùm licuit, accommodatum, complectenſque Caſus omnes obvios ex firmis Scripturæ, Conciliorum, Canonum, & SS. Patrum Sententiis reſolutos.

TOMUS PRIMUS

Complectens Tractatus de DEO Trino, & Uno, de Vitiis, & Virtutibus de Actibus Humanis, & in Decalogi Præcepta.



VENETIIS, MDCCXIX.
Apud Antonium Bortoli.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Hariſſime Lector: Cùm aliquid luci publicæ Exponens quærere debeat publicam utilitatem, Theologiam noſtram Principiis Thomiſticis & Scotiſticis (quæ omnium ferè Theologorum agnoſcuntur Principia) quantùm licuit, accommodare ſtuduimus. Nec difficile fuit nobis in Moralibus; cùm, ut alibi annotavimus, in materia morali omnia, aut ferè omnia Doctoris Subtilis Principia, ſint Doctoris Angelici Principiis ità conformia, ut vix unus, etiam D. Thomæ Interpres aut Diſcipulus, fuerit in rebus ad mores ſpectantibus, eidem Doctori conformior. Non ità facilis eſt in Speculativis eorundem Doctorum concordia, ſi ſaltem illorum ſequacibus fidem adhibeamus: quod addo; quia ſi DD. noſtrorum ſcripta in ſe, cum maturitate, & ſine præventione conſiderentur, reperientur in pauciſſimis contraria, ut legentem convincet hoc manuale Opuſculum: unde licèt Doctor Subtilis multa admodùm & varia ſcripſerit, ſolùm tamen bis aut ter apud ipſum hæc verba reperies: Contrà D. Thomam, *& quidem in materiis exercitium Scholaſticum unicè concernentibus. Ubi etiam, & alibi, ſine injuria, ſine contemptu, ſine cenſura relictis aliorum opinionibus, ſententiam ſuam ſobriè, humiliter & modeſtè exponit per ly* Videtur: *quod & nos imitari conabimur, ſi quandoque ab opinionibus Thomiſticis (quod rariſſimè eveniet) nos recedere cogant Scholæ ſubtilis Sentimenta. Nam id mihi ſacrum erit, ut nunquam Scholaſtica concertatio ſolvat ſtrictum fraterna charitatis vinculum, quo Dominicani cum Franciſcanis perpetuo fœdere ſociantur Patriarcharum ſuorum exemplo.*

CENSURA ORDINARII.

CUm *Theologia Dogmatica, Moralis & Scholaſtica Adm. Rev P. Franciſci Henno Ord. S. Franciſci Min. Recoll. Provinciæ D. Andreæ Lectoris Jubilati* Fidei ac bonis moribus non repugnet, plurimorum etiam deſiderium renovatam ejuſdem impreſſionem ſollicitet, Eandem Typis utiliter mandari poſſe cenſeo. Coloniæ 23. Novembris. 1717.

Jo: GEORG. MOLITORIS SS. Theol. Doctor, Perilluſtris S. Gereonis Canon. Univerſitatis Colonienſis Rector, Librorum Cenſor Ordinarius.

FACULTAS VIC. PROVINCIALIS.

CUm præcedentes quos de Theologia tum Morali, tum Scholaſtica edidiſti Tractatus, magno cum applauſu ac fructu recepti fuerint; ut publico deſiderio fiat ſatis, facultatem tibi concedimus, cum merito ſalutaris obedientiæ, Tractatum Theologiæ Dogmaticæ ac Scholaſticæ de DEO Uno & Trino à te inſuper præparatum, à S. Theologiæ Lectoribus ex commiſſione noſtra examinatum & approbatum ſervatis aliis de jure ſervandis, typis mandandi Turcondu 14. Maji Anno 1713. ſub propria manu & officii ſigillo.

F. JOSEPHUS DOYEN Vic. Provincialis.

APPROBATIO ORDINARII.

INfraſcriptus legi Tractatum de Deo Uno & Trino à P. HENNO Lector Jubilato actuali Guardiano compoſitum, nihilque in eo reperi quod Fidei aut bonis moribus repugnet. Datum Duaci die 23. Maji 1713.

J. DE MARCQ. S. Facultatis Theologicæ Doctor Regius Ordinariuſque Profeſſor &c.

ALIA APPROBATIO.

LEgi Tractatum Theologiæ Dogmaticæ & Scholaſticæ de DEO Uno & Trino à R. P. FRANCISCO HENNO Sacræ Theologiæ Lectore Jubilato, actuali Guardiano; nihilque in eo reperi, quod Fidei aut bonis moribus adverſetur; imò ob nitidam ejus perſpicuitatem, ſolidamque eruditionem Theologis omnibus gratum ac utilem fore exiſtimo. Datum Duaci 23. Maji 1713.

J. DU BOIS Sacræ Theologiæ Licentiatus ac Regius Ordinariuſque Profeſſor, necnon Seminarii Tornacenſis Præſes.

ALIA APPROBATIO

INfraſcriptus ex commiſſione R. Adm. P. JOSEPHI DOYEN Vicarii Provincialis legi hunc Tractatum de Deo Uno & Trino Authore R. P. FRANCISCO HENNO S. Theologiæ Lectore Jubilato, quod Opus non ſolùm ab omni errore, qui ſit circa Fidem & mores, alienum, ſed omnibus veræ eruditionis cultoribus perjucundum ac luce digniſſimum cenſui. Dabam Inſulis 13. Maji 1713.

F. MAURITIUS COOLEN S. Theologiæ Lector Jubilatus & Provinciæ Diffinitor.

APPROBATIO THEOLOGORUM ORDINIS.

LEgimus ex commiſſione R. Adm P. Provincialis librum, cui Titulus eſt: *Theologia Dogmatica & Scholaſtica de Deo Uno & Trino* à R.P. FRANCISCO HENNO Lectore Jubilato compoſitum, eoque libentiori animo perlegimus, quòd Myſterium illud omni intelligentiæ creatæ naturaliter ignotum, ſola fide cognitum ità ſubtiliter, ſolidè ac dilucidè etiam in quæſtionibus inter Scholaſticos controverſis, legenti exponat, ut non ſolùm Theologi perfectè formati, ſed etiam ipſi tyrones (in quorum gratiam præcipuè Author laboravit) clariorem, quàm ex quocumque alio notitiam haurire poſſint, ac proinde publica luce digniſſimum cenſemus. Datum Tornaci 14. Maji 1713.

F. CHERUBINUS MASUREL S. Theologiæ Lector.
F. CÆSARIUS WARTELLE S. Theologiæ Lector.
F. PROSPER MUISSART S. Theologiæ Lector.

NOI REFFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, & approbatione del P. F. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro Intitolato *Rev. P. Franceſci Henno Ordinis Fratrum Minorum Recollectorum Theologia Dogmatica, Moralis, & Scholaſtica in duos Tomos diviſa* non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza ad Antonio Bortoli Stampatore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Data 23. Marzo 1719.

(Alviſe Piſani K.r Proc. Ref.
(
(Michel Moroſini Ref.

Agoſtino Gadaldini Secr.

IN-

INDEX
DISPUTATIONUM, QUÆSTIONUM, ET ARTICULORUM

In hoc Tomo Primo contentorum.

DISPUTATIO PROŒMIALIS.

De Natura, Principiis & Objecto Theologiæ.

Quæſt. I. Quid & quotuplex Theologia. Pag. 1
II. An Theologia ſit ſcientia. 2
III. Qualis ſit ſcientia Theologia, & an ſapientia. ibid.
IV. Quodnam ſit objectum Theologiæ. 3
V. Quænam ſint principia Theologiæ, & loci, unde deſumuntur. 4
VI. An habitus Theologiæ diſtinguatur ab habitu fidei, & an ſit naturalis. ibid.
VII. An Theologia ſit neceſſaria, an utilis. 5

TRACTATUS I.

De Deo Uno.

DISPUTATIO I.

De Dei exiſtentia & eſſentia.

Qu. I. An Deus ſit. 6
II. Quibus rationibus demonſtrari poſſit Deum eſſe. 7
III. An hæc propoſitio *Deus eſt*, ſit per ſe nota. 8
IV. An dari poſſit ignorantia invincibilis exiſtentiæ divinæ. 10
V. Unde petendum ſit quòd Deus, nequidem brevi ſpatio, poſſit invincibiliter ignorari. ibid.
VI. An Dei exiſtentiam evidenter ex creaturis cognitam teneamur fide divina credere. 11
VII. Quid ſit Deus. 12
VIII. Quænam ſint prædicata Dei eſſentialia. 13
IX. An Deus ſit eſſentialiter ſingularis, & an oſtendi poſſit ratione Deorum immultiplicabilitas. ibid.

DISPUTATIO II.

De Attributis Dei poſitivis.

Qo. I. Quid & quotuplex Attributum. 14
II. Quomodo diſtinguantur attributa divina tum inter ſe, tum ab eſſentia. ibid.
III. Qualiter prædicata eſſentialia, & modi intrinſeci diſtinguantur ab eſſentia divina. 18

DISPUTATIO III.

De modis intrinſecis ſeu attributis negativis.

Qu. I. An Deus ſit infinitè perfectus, & quomodo contineat perfectiones. 18
II. An Deus, & ſolus ſit ſimplex, & quid ejus ſimplicitas. 19
III. An Deus ſit immutabilis & qualiter. 20
IV. Quid ſit Dei æternitas, & an ſolus ſit æternus. 21
V. De immenſitate & ubiquitate Dei. 22
Art. I. An Deus ſit immenſus & ubique, & an hoc rectè colligatur ex ejus operatione. ibid.
II. An Deus ſit in locis, in ſpatiis imaginariis, & an ipſi ſoli conveniat immenſitas. 23
Qu. VI. An Deus & ſolus ſit incomprehenſibilis, & quid ſit ejus incomprehenſibilitas. 24
VII. An Deus ſit ineffabilis. ibid.

DISPUTATIO IV.

De Viſione Dei.

Qu. I. An Deus videri poſſit oculo corporeo. 25
II. An Deus videri poſſit ab intellectu creato. 26
III. An Deus poſſit ab homine viatore intuitivè videri, & an aliquando fuerit viſus. 28
IV. An decedentibus in gratia & plenè purgatis ſtatim concedatur Dei viſio intuitiva. 29
V. An Deus videatur à Beatis per ſpeciem impreſſam, & an illa ſit poſſibilis. 30
VI. Quid ſit lumen gloriæ concurrens ad viſionem beatificam, & an elevetur intellectus per illud ad videndum Deum. 31
VII. In quo conſiſtat lumen gloriæ. 32
VIII. An lumen gloriæ & intellectus concurrant effectivè ad viſionem beatificam. 33
IX. Unde derivetur inæqualitas viſionis beatificæ. 34
X. An Beati videant omnia in Deo formaliter contenta. 35
XI. An per omnipotentiam divinam videri poſſit eſſentia divina non viſis attributis, aut perſonalitatibus, & unum attributum ſine alio. 36
Qu. XII. An & quomodo beati videant creaturas in verbo. 37
XIII. Seu variæ quæſtiunculæ de viſione beatifica. 38

DISPUTATIO V.

De Intellectu & Scientia Dei.

Qu. I. Ao Deus habeat intellectum, qualem, & qualiter ab eſsentia & intellectione diſtinctum. 38
II. Quodnam ſit objectum intellectus divini. 39
III. An Deus certò ſciat futura contingentia. 40
IV. Quæ ſit ratio formalis intellectui divino cognoſcendi certò & infallibiliter futura contingentia. 41
V. An ſit in Deo ſcientia certa contingentium conditionatè futurorum. 42
VI. An ſint in Deo decreta conditionata. 43
VII. An detur ſcientia media. 44
Art. 1. Quotuplex ſcientia in Deo. ibid.
2. Quædam reſolutioni præſupponenda. ibid.
3. Reſolutio quæſtionis. ibid.
4. Solutio Objectionum. 46
Qu. VIII. An præſcientia divina noceat humanæ libertati. 47
IX. An & quarom rerum dentur ideæ in Deo, & quid ſint. 48
X. Seu variæ quæſtiunculæ de ſcientia Dei. ibid.

DISPUTATIO VI.

De divina voluntate & volitione.

Qu. I. An detur voluntas io Deo & appetitus innatus. 49
II. Quotoplex voluntas in Deo. ibid.
III. Quodnam ſit objectum divinæ voluntatis. 50
IV. Ao negationes & privationes, figmenta rationis, mala culpæ & pœnæ ſint objecta divinæ voluntatis. 51
V. Quomodo Deus amet ſeipſum, & creaturas ſive actuales, ſive futuras, ſive merè poſſibiles. 52
VI. An Deos habeat libertatem & qualem. ibid.
VII. Per quid conſtituatur formaliter liber actus divinos. 53
VIII. An divinæ voluntati inſint paſſiones. 54
IX. Quænam ſint divinæ voluntatis virtutes. 55
X. An detur in Deo juſtitia. ibid.

DISPUTATIO VII.

De potentia Dei ad extra.

Qu. I. An ſit in Deo potentia operandi ad extra, & quid ſit. 57
II. Ao Deus ſit omnipotens, & in quo conſiſtat ejus omnipotentia. ibid.
III. An Deus poſſit facere plura & meliora, quàm fecerit. 58

DISPUTATIO VIII.

De Divina Providentia.

Qu. I. An Deus habeat providentiam, & qualium, & qualem. 58
II. Quid ſit divina providentia & quotuplex. 59
Qu. III. Cujus potentiæ actus ſit providentia. 60
IV. An peccata & peccatores ſubjiciantur divinæ providentiæ. ibid.
V. An Deus prædefiniat actiones bonas creaturæ liberæ. 61
VI. An Deus prædefiniat actiones naturales & peccata. 62
VII. An poſſit conciliari libertas humana cum prædefinitionibus, & aliis decretis divinis. 63
VIII. Quomodo decretum Dei dicatur concomitans actionem creaturæ. 64

DISPUTATIO IX.

De Prædeſtinatione.

Qu. I. Quid ſit prædeſtinatio, & an ſit neceſſaria ad ſalutem. 65
II. Quid ſit effectus prædeſtinationis, & quot ſint. 66
III. An peccatum & illius permiſſio poſſint eſſe effectus prædeſtinationis. 67
IV. An electi efficaciter prædeſtinentur ad gloriam ante præviſa merita. ibid.
V. Quænam ſint ſigna prædeſtinationis, & an facta fuerit ante præviſum Adami lapſum. 70
VI. Quid ſit liber vitæ, & an poſſit deleri in eo ſcriptus. 71
VII. Seu quæſtiunculæ quædam de prædeſtinatione. 72

DISPUTATIO X.

De Reprobatione.

Qu. I. Quid reprobatio & quotuplex. 72
II. Quæ ſit cauſa reprobationis. 73
III. Quodnam peccatum ſit cauſa reprobationis. 75
IV. Qui ſint effectus reprobationis. ibid.

TRACTATUS II.

De Deo Trino.

DISPUTATIO I.

De Divinis Perſonis & proceſſionibus.

Qu. I. An ſint in divinis plures perſonæ, quot, & ao realiter diſtinctæ. 76
II. An detur proceſſio in divinis, quotuplex & qualis. 77
III. In quo formaliter conſiſtant proceſſiones divinæ. 78
IV. Quodnam ſit principium divinarum proceſſionum. 79
V. In quo differat proceſſio Filii à proceſſioue Spiritus Sancti. 81
VI. Cur proceſſio Spiritus Sancti non ſit generatio. ibid.
VII. Quis ſit terminus divinarum proceſſionum. 82
VIII. Quibus objectis fœcundatur intellectus Patris, antequam generet Filium, & quibus utriuſque voluntas, antequam ſpirent Spiritum Sanctum. ibid.
IX. An de facto Spiritus Sanctus ſit à Patre & Filio, & an neceſſariò exigat ſic eſſe. 84
X. Per quid præcisè diſtinguatur Filius à Spiritu Sancto. 85

DISPUTATIO II.

De Relationibus & Notionibus divinis.

Qu. I. An dentur de facto relationes reales in divinis. 86
II An dentur aliæ relationes in divinis, & an etiam circuminſeſſio. 87
III. An relationes divinæ importent aliquam perfectionem. 88
IV. Qualiter diſtinguantur inter ſe relationes divinæ. 89
V. Quid & quotuplex notio in divinis. ibid.

DISPUTATIO III.

De tribus Perſonis divinis in communi.

Qu. I. An Trinitas Perſonarum poſſit ratione probari, ſaltem ſoppoſita ejuſdem revelatione. 90
II. An tres Perſonæ ſint verus Deus. 91
Art. 1. An Pater ſit Deus. ibid.
2. An Filius ſit verè & propriè Deus. 91
3. An Spiritus Sanctus ſit verè Deus. 93

Qu. III.

Qu. III. Per quid conſtituantur & diſtinguantur Perſonæ divinæ. ibid.
IV. Quot ſint ſubſiſtentiæ in divinis. 94

DISPUTATIO IV.

De Perſonis Divinis in particulari.

Qu. I. Quid conveniat & attribuatur Patri particulariter. 95
II. Quænam ſint propria & appropriata Filio. ibid.
III. Quænam conveniant Spiritui Sancto. 96

DISPUTATIO V.

De Miſſione Perſonarum & modo loquendi in hac materia.

Qu. I. Quid miſſio in divina, & an aliquæ Perſonæ divinæ fuerint miſſæ. 97
II. Quomodo ſit loquendum in hac materia. 98

THEOLOGIA MORALIS ET SCHOLASTICA.

De Actibus Humanis eorumque Regulis.

TRACTATUS I.

De Actibus Humanis eorumque Bonitate & Malitia.

DISPUTATIO I.

De Natura & Diviſione Actus humani.

QUæſt. I. Quid & quotuplex actus humanus. Pag 99
II. Quot ſint actus eliciti voluntatis. 100
III. An electio diſtinguatur ab intentione, & an ex duobus mediis poſſit eligi minus bonum. ibid.
IV. An electio ſit libera, quando; poſita intentione finis efficaci occurrit unicum medium. 101

DISPUTATIO II.

De Voluntario, & Involuntario.

Qu. I. Quid voluntarium & quotuplex. 102
II. Quid requiratur ad voluntarium indirectum ſeu ut omiſſio pura ſit voluntaria. 103
III An ut effectus, qui ex omiſſione ſequitur, ſit voluntarius, requiratur obligatio illum impediendi. 104
IV. Quid involuntarium & quotuplex. 105
V. An violentia cauſet involuntarium. ibid.
VI. An metus cauſet involuntarium. 107
VII. An concupiſcentia cauſet involuntarium. 108
VIII. An ignorantia cauſet involuntarium. 109
Art. 1. Quid ignorantia & quotuplex. ibid.
2. Reſolvitur quæſtio. 110
3. An detur ignorantia invincibilis juris divini poſitivi excuſans à peccato. ibid.
4. An detur ignorantia invincibilis juris naturæ. 111
5. An hæc ignorantia excuſet à peccato. 113

DISPUTATIO III.

De Bonitate, & Malitia Actuum humanorum.

Qu. I. In quo conſiſtat moralitas actus humani. 115
II. Quid ſit bonitas & malitia moralis. 116
III. Quot ſint ſpecies moralitatis, & an tales ſpecies ſint differentiæ eſſentiales actuum humanorum. 117
IV. An idem actus poſſit eſſe ſimul bonus & malus moraliter. ibid.
V. An ſaltem poſſit eſſe ſucceſſivè. 119
VI. An detur actus indifferens in individuo. ibid.
Qu. VII. An actus externus priùs habeat bonitatem aut malitiam quàm actus internus. 121
VIII. An actus exterior ſuperaddat bonitatem aut malitiam actui interiori. 122
IX. Quomodo ſe habeat objectum reſpectu actus moralis. 124
Art. 1. An actus deſumat bonitatem ab objecto. ibid.
2. An eſſentialis & ſpecifica bonitas, aut malitia actus humani deſumatur ex objecto. ibid.
3. Qualiter actus humanus debeat ferri in bonitatem aut malitiam objecti, ut ſit bonus, vel malus. 125
Qu. X. An & quomodo actus humani ſint boni aut mali ex circunſtantiis. ibid.
Art. 1. Quid & quotuplex circunſtantia actus humani. 126
2. Reſolvitur quæſtio. ibid.
3. Quædam notatu digna de circunſtantia ſpeciem mutante, aggravante & minuente. 127
4. Qualiter ſingulæ ſeptem circunſtantiæ priùs aſſignatæ conferant actui bonitatem aut malitiam. ibid.
Qu. XI. Quid dicendum de fine extrinſeco reſpectu actus. 128
Art. 1. An actus deſumat bonitatem aut malitiam à fine extrinſeco. ibid.
2. An per finem honeſtum tollatur aut minuatur malitia actus ex objecto mali. 129
Qu. XII. An & qualiter debeat voluntas in ſuis actibus conformis eſſe voluntati divinæ. 130

TRACTATUS II.

De Conſcientia.

DISPUTATIO I.

De Conſcientia ſecundùm ſe, & quibuſdam ejus membris.

QU. I. Quid & quotuplex conſcientia. 131
II. An obligemur ſequi conſcientiam. 132
III. Quale ſit peccatum, & cujus ſpeciei agere contra ſcientiam erroneam, & an ſit pejus agere contra, quàm ſecundùm illam. 133
IV. Qualiter debeat pœnitens laborans conſcientia erronea agere cum Confeſſario, & qualiter Confeſſarius cum illo. 134
V. Variæ quæſtiunculæ de conſcientia erronea. 135

DISPUTATIO II.

De Conſcientia dubia & ſcrupuloſa.

Qu. I. Quotuplex ſit dubium. 135
II. An operans cum conſcientia practicè dubia peccet, & qualiter. 136
Qu. III. An liceat operari cum conſcientia ſpeculativè dubia. 136
IV. Quoniam ſint tituli ſufficientes ad deponendam con-

conſcientiam ſpeculativè dubiam. 137
V. An poſſeſſio extra materiam juſtitiæ ſit titulus ſufficiens ut deponatur conſcientia dubia, & formetur certa, & an detur alius titulus. ibid.
VI. Quid agendum dubitanti an matrimonium ſit validum, bellum juſtum, & præceptum Superioris licitum. 139
VII. An liceat agere contra conſcientiam ſcrupuloſam, quæ remedia, & qualiter cum ſcrupuloſis agendum. 140

DISPUTATIO III.

De Conſcientia probabili, & Opinionum Probabilitate.

Qu. I. Quid ſit opinio probabilis, probabilior, tutior, communis, & moraliter certa. 142
II. An liceat agere cum conſcientia probabili aut probabiliori. ibid.
III. An ſit licitum ſequi ſententiam minùs probabilem, relicta probabiliori. 143
Art. 1. Stabilitur ſententia negativa ex S. Scriptura. ibid.
2. Confirmatur hæc doctrina ex PP. 144
3. Solidatur hæc veritas authoritate Doctorum Angelici, Seraphici, Subtilis & Irrefragabilis. 145
4. Eadem doctrina roboratur authoritate Cardinalium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. ibid.
5. Perſuadetur rationibus convincentibus. 146
6. Amplius ſtabilitur doctrina noſtra deſtruendo ultimum refugium adverſariorum. ibid.
7. Solvuntur objectiones. 147
8. Solutio aliarum objectionum. 148
Qu. IV. An ſit licitum amplecti quamlibet duarum opinionum circa eandem rem æquè probabilium. 149
V. Quam ſententiam probabilem liceat amplecti, & quænam regulæ prudentis actionis. 150
VI. Quid debeat vir doctus in opinionum concurſu reſpondere conſulenti, & quid Confeſſarius pœnitenti, ejus opinioni reluctanti. 151
Quæſt. ult. Qualiter debeat ſe gerere in opinionum concurſu Sacramenti miniſter, ſcientiæ Profeſſor, Medicus, Judex, Advocatus. 152

TRACTATUS III.

De Legibus.

QUÆSTIO PROŒMIALIS.

Quid ſit Lex, quotuplex, & in quo conſiſtat. 153

DISPUTATIO I.

De Lege Naturali.

Quæſt. I. An detur lex naturæ, quid ſit. 154
II. In quo conſiſtat lex naturalis, & in quo differat à jure gentium. 155
III. Quæ ſit materia legis naturæ, & qualiter ad illam ponendam obligemur. 156
IV. Quoſnam obliget lex naturalis. 157
V. An poſſit cadere diſpenſatio in legem naturæ. ibid.
Art. 1. An Papa, aut Deus diſpenſare poſſit. ibid.
2. An ſaltem diſpenſare poſſit Deus in præceptis Decalogi ſecundæ tabulæ. 158

DISPUTATIO II.

De Lege Divina.

Qu. I. Quiſnam legem veterem condidit, miniſtravit, promulgavit. 160
II. An lex Moſaica fuerit imperfecta. 161
III. An lex Moſaica defierit, & quando. 162
IV. An detur lex nova, & quid contineat. ibid.
V. An in legem Euangelicam poſſit cadere diſpenſatio & Epikeja. 163
VI. An in lege Euangelica aliquando licita fuerint legalia. ibid.

DISPUTATIO III.

De Lege humana.

Qu. I. Quid contineat jus Canonicum, quid jus civile, & quomodo ſoleant citari. 164
II. An ſit conceſſum hominibus ferre leges. 165
Art. 1. An ſit in politia ſpirituali poteſtas legiſlativa, & apud quos reſideat. ibid.
2. An ſit in politia civili poteſtas legiſlativa & quibus competat. 166
Qu. III. Quæ ſit in materia legis humanæ. 167
IV. Qualiter ſit ponenda materia præcepta. 168
V. An, qualiter, & ubi debeat promulgari lex humana, & quando promulgata obliget. 169
VI. An populus debeat legem acceptare ad hoc ut obliget. 171
VII. Quinam obligentur legibus humanis. 172
Art. 1. An legiſlator teneatur ſuis legibus. 172
2. An infideles & uſu rationis privati ſubjiciantur legibus humanis, & quandonam pueri. 173
3. An Clerici ſubjiciantur legibus Principum. ibid.
4. An incolæ alicujus loci teneantur legibus proprii territorii, dum alibi verſantur. 174
5. An extra territorium verſantes teneantur legibus loci ubi exiſtunt. ibid.
Qu. VIII. An legiſlator humanus obligare poſſit in conſcientia, an ſub peccato gravi, & quandonam cenſeatur taliter obligare. 176
IX. An poſſit legiſlator rem levem ſub gravi obligatione, aut gravem ſub levi præcipere. 177
X. An leges humanæ obligent cum periculo vitæ aut alterius damni notabilis. 178
XI. An pluribus actibus eodem tempore exercitis, & unico actu diverſis obligationibus ſatisfiat. ibid.
XII. An teneatur quis impedientia legis executionem tollere, & an qui non poteſt totam legem, debeat partem implere. 179
XIII. Quid legis interpretatio & quis poſſit legem interpretari. ibid.
XIV. An ſit aliquando licitum uti Epikeja. 180
XV. An lex poſſit mutari. ibid.
Art. 1. An lex deſinat deſinente cauſa finalis. 181
2. An & quando poſſit legiſlator legem abrogare, aut ei derogare. ibid.
3. An conſuetudo poſſit legem introducere aut abrogare. 182
4. Quid dicendum de legum humanarum diſpenſatione. 183
5. Variæ quæſtiunculæ valdè utiles de diſpenſatione. 184
Qu. XVI. Quid dicendum de lege pœnali. 185
Art. 1. Quid & quotuplex lex pœnalis, & an obliget in conſcientia. ibid.
2. An leges pœnales obligent ad pœnam ante ſententiam judicis. 186
3. An ignorans incurrat pœnam legi annexam. ibid.
Quæſt. ult. Quid & quotuplex lex irritans, & an omnis lex prohibens actum illum irritet, & contra. 187

TRACTATUS IV.

De Principiis Actuum humanorum.

DISPUTATIO I.

De libero hominis Arbitrio.

Quæſt. I. An hic & nunc detur in homine liberum arbitrium. 187
II. Quid ſit liberum arbitrium. 188
III. An ad libertatem requiratur indifferentia, in ſenſu compoſito prærequiſitorum. 189

IV. An libertas, quam eſſentialem vocant, ſit vera libertas. 190
V. An ſit in homine libertas contradictionis, & contrarietatis circa bonum, & malum. 191
VI. An Deus poſſit neceſſitare voluntatem ſtante indifferentia judicij. 192
VII. An voluntas operando ſit libera, & quid ſuperaddat libertas voluntati. ibid.
Qu. VIII. An concupiſcentia neceſſitet arbitrium. 193

DISPUTATIO II.

De Chriſti Gratia.

QUÆSTIO PROŒMIALIS

De Gratiæ hoſtibus & defenſoribus.

Art 1. Quinam gratiæ bellum indixerint. 194
2. Quinam fuerint præcipui gratiæ defenſores. 196
Qu. I. De natura gratiæ ejuſque multiplici diviſione 197
Art. 1. Quid gratia & quotuplex. ibid.
2. Quid gratia præveniens, concomitans & ſubſequens. 198.
3. In quo conſiſtat ratio gratiæ adjuvantis, & an ſit quid idem cum præveniente. ibid.
Qu. II. De ſufficientia gratiæ ſeu de gratia ſufficiente. 199
Art. 1. An detur in natura lapſa gratia ſufficiens. ibid.
2. An cuilibet homini detur gratia ſufficiens. 200
3. An reſolutio articuli præcedentis ità univerſaliter intelligatur, ut nullus omninò ab ea excipiatur. 201
4. An Juſtis omnibus detur gratia ſufficiens ad vitanda omnia peccata mortalia, & an detur ipſis donum perſeverantiæ. 204
5. An etiam detur Juſtis auxilium ſufficiens ad vitanda omnia venialia. ibid.
Qu. III. De gratuitate gratiæ. 205
Art. 1. An poſſit homo ſolis naturæ viribus infallibiliter conſequi gratiam. ibid.
2. An facienti quod in ſe eſt Deus non deneget gratiam. 206.
3. An & quomodo conferat Deus gratiam non ponenti obicem per peccata. 207
Qu. IV. De diverſitate gratiæ ſecundùm diverſos naturæ ſtatus. 208
Art. 1. Quotuplex naturæ ſtatus, & an ſtatus naturæ puræ ſit poſſibilis. ibid.
2. An homo in ſtatu naturæ innocentis indiguerit gratia. 209.
3. Qualis fuerit gratia hominis innocentis. 210
4. Quænam ſit differentia inter gratiam hominis ſani, & gratiam hominis infirmi. ibid.
Qu. V. De neceſſitate gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ. 201
Art. 1. An homini lapſo ſit neceſſaria gratia, ut cognoſcat veritates tum naturales, tum ſupernaturales. ibid.
2. An homo lapſus poſſit ſine gratia exercere opus moraliter bonum. 212
3. An valeat homo lapſus ſine concurſu gratiæ adimplere totam legem naturæ. 213
4. Quæ gratia requiratur & ſufficiat ad diuturnam totius legis naturæ obſervantiam. 214
Art. 5. An requiratur gratia ad vincendas tentationes. 215
6. An poſſit homo lapſus diligere Deum ſuper omnia ut authorem & finem naturæ ſine gratia. 216
7. An homo juſtificatus poſſit ſine gratia operari ſupernaturaliter & perſeverare. 217

TRACTATUS V.

De duobus Gratiæ effectibus.

DISPUTATIO I.

De Juſtificatione.

Quæſt. I. Quid juſtificatio, & per quid fiat. 218
II. An deleantur verè peccata in juſtificatione impii. ibid.
III. An forma ſanctificans ſit ex natura ſua expulſiva peccati. 219
IV. An potentia Dei abſoluta poſſit eſſe ſimul peccatum & gratia in eodem ſubjecto. 220
V. An poſſit remitti peccatum mortale abſque infuſione gratiæ ſanctificantis. ibid.
VI. An poſſit Deus de potentia abſoluta remittere peccatum per gratiæ infuſionem abſque ulla peccatoris retractatione ſeu pœnitentia. 221
VII. An forma ſanctificans ſit actus vel habitus, & an diſtinguatur à charitate habituali. 222
VIII. Quæ ſint cauſæ juſtificationis. 223
IX. Quantum ſit opus Dei juſtificatio. 224
X. An poſſit quis eſſe certus de ſua juſtificatione. ibid.
XI. Quænam conditiones requirantur ad juſtificationem. 225
Art. 1. Quis & qualis actus intellectus requiratur ad juſtificationem. ibid.
2. Quinam actus voluntatis prærequirantur ad juſtificationem. ibid.
3. An actus pœnitentiæ, dilectionis, fidei, & ſpei debeant eſſe formales. 226

DISPUTATIO II.

De ſecundo Effectu Gratiæ ſeu Merito.

Qu. I. Quid ſit meritum, quotuplex & an homo poſſit mereri apud Deum. 227
II. Quænam conditiones requirantur ad meritum condignum. 228
Art. 1. Quæ conditiones requirantur ad meritum condignum ex parte operantis. ibid.
2. Quæ conditiones requirantur ad meritum condignum ex parte operis. ibid.
3. Quæ conditiones requirantur ad meritum condignum ex parte præmiantis. 230
Qu. III. Quænam cadant ſub meritum de condigno. 231
IV. Quænam cadant ſub meritum de congruo. 231
V. Variæ quæſtiunculæ hanc materiam concernentes. 232

Digitized by Google

Index Diſputationum,

THEOLOGIA MORALIS ET SCHOLASTICA.

De Vitiis & Virtutibus.

TRACTATUS I.

De Vitiis & Peccatis.

DISPUTATIO I.

QUæſt. I. Quid ſit peccatum. Pag. 233
II. An peccatum conſiſtat in poſitivo. 234
III. Quænam requirantur ad peccatum actuale. 235
Art. 1. Quæ libertas requiratur ad peccandum. ibid.
2. Quis requiratur conſenſus ad peccatum, & an ſufficiat conditionatus. 237
3. Quæ advertentia ſufficiat ad peccandum. ibid.
Qu. IV. Quæ ſit cauſa peccati. 238
V. Quinam ſint effectus peccati. 239
Art. 1. In quo conſiſtat peccati macula, ſeu peccatum habituale. ibid.
2. Quid ſit reatus pœnæ, & qualis ſit pœna peccatis debita. 240
3. An peccatum poſſit eſſe pœna peccati, & an aliqui puniantur pro peccatis alienis. 241
Qu. VI. Quodnam ſit ſubjectum peccati. ibid.
VII. Quomodo dividatur peccatum. 242
VIII. Quid ſpecialiter dicendum de peccato omiſſionis. 243.
Art. 1. An actus conjunctus cum omiſſione peccaminoſa ſit etiam peccaminoſus. ibid.
2. Quandonam incipiat, & conſummetur peccatum omiſſionis. ibid.
3. An voluntariè lapſo in infirmitatem imputari debeant omnes omiſſiones inde ſequentes. 244
Qu. IX. An omnia peccata ſint ejuſdem gravitatis. 245
X. Unde petatur diſtinctio ſpecifica peccaturum. ibid.
XI. Unde colligatur diſtinctio uumerica peccatorum. 246.
XII. An non petatur etiam aliundè multiplicatio peccatorum uumerica. 248.

DISPUTATIO II.

De Peccato mortali & veniali.

Qu. I. An dentur peccata mortalia & venialia, & undè habeatur quòd unum ſit mortale, aliud veniale. 248
II. Unde petenda ſit diſtinctio originaria peccatorum mortalium à venialibus. 249
III. In quibus peccatis detur materiæ parvitas, & an multæ materiæ leves efficiant quandoque gravem. 250.
IV. An peccatum veniale poſſit fieri mortale. 251
V. An puer capax peccandi venialiter, ſit & peccandi mortaliter, & an peccatum originale poſſit eſſe cum ſolo veniali. 252
VI. Quæ ſit pœna peccati venialis in hac & in altera vita. 253

DISPUTATIO III.

De Peccato Originali.

Qu. I. An quilibet ſecundùm legem commune ab Adamo propagatus contrahat peccatum originale. 254.
II. In quo conſiſtat formaliter peccatum originale. 255.
III. Quomodo & in quos traducatur peccatum Originale. 256
IV. Quæ ſint pœnæ peccati originalis in hac vita. 257
V. Quæ ſint pœnæ in altera vita decedentium cum ſolo Originali. 258
VI. Quis ſit futurus ſtatus & occupatio puerorum cum Originali. 259

DISPUTATIO IV.

De Peccatis capitalibus.

Qu. I. Quid ſuperbia, quale peccatum, quinam ejus actus, quæ filiæ, quæ remedia. 260
II. Quid avaritia, quale peccatum, quæ ejus filiæ, & quæ ejus remedia. 262
Appendix de Prodigalitate. 263
Qu. III. Quid invidia, quale peccatum, quæ ejus filiæ, & ejus remedia. 263
IV. Quid dicendum de regula. 265
Art. 1. Quid crapula, quale peccatum, & quot modis exerceatur. ibid.
2. Quid ebrietas & quale peccatum. 266
3. An liceat ſe inebriare, ſanitatis recuperandæ, aut mortis vitandæ cauſa. ibid.
4. Quid dicendum de cauponibus promentibus potum iis, quos inde prævident inebriandos. 267
5. Variæ quæſtiunculæ de ebrietate. ibid.
6. Quot ſint filiæ gulæ, & quæ ejus remedia. 268

APPENDIX

De Jejunio.

Qu. I. Quotuplex jejunium, & quid, præſertim Eccleſiaſticum. 269
II. Seu potiùs quæſtiunculæ concernentes cibos vetitos. 270.
III. An liceat bibere extra refectionem in die jejunii, & quid dicendum de uſu Caffæi, Thæi, Salviati, & Choculati. 271
IV. Quid dicendum de refectione in die jejunii. ibid.
V. Quænam ſint diſcutienda circa horam ſumendæ refectionis. 272
VI. An liceat collatiuncula veſpertina, qualis & quanta. 273.
VII. Quos obliget jejunium, quandu incipiat & deſinat obligare. ibid.
VIII. Quæ cauſæ excuſent à jejunio. 274
Art. 1. Quæ infirmitas excuſet à jejunio. ibid.
2. An labor excuſet à jejuniu. 275
3. An iter, quale, quantum eximat à jejunio. ibid.
4. An paupertas & pietas poſſint eſſe cauſæ ſufficientes ut non ſervetur jejunium. 276
Qu. IX. Quis poſſit diſpenſare in lege jejunii. ibid.
X. Seu variæ quæſtiunculæ utiles & curioſæ de jejunio. 277

Finis Appendicis.

Qu. V. Quid ſit ira, quale peccatum, quæ ejus filiæ, & quæ ejus remedia. 278
VI. Quid accedia & quotuplex, quale peccatum, quæ ejus filiæ, quæ comparationes, & quæ remedia. 279.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS II.

De Virtutibus.

QUæſt. procem. Quid virtus Theologica, an ſit neceſſaria, & qualiter ſe habeat reſpectu potentiarum. 280

DISPUTATIO I.

De Fide.

Qu. I. Quid Fides & quotuplex. 281
Qu. II. Quodnam ſit ſubjectum Fidei. 282
Art. 1. An Fides fuerit in Angelis, primis parentibus &c. ibid.
2. Ao Fides remaneat io hæretico & peccatore. 283
3. Variæ quæſtiunculæ de ſubjecto Fidei. ibid.
Qu. III. Quodnam ſit objectum Fidei. ibid.
Art. 1. Quodnam ſit objectum materiale fidei. 284
2. Quodnam ſit objectum Fidei formale. ibid.
3. An revelatio ingrediatur rationem objecti formalis. 285
4. An revelatio debeat eſſe obſcura, immediata, publica. ibid.
5. A quo fieri debeat divinæ revelationis propoſitio, ut obliget ad credendom. 287
Qu. IV. Quale ſit objectum Fidei. ibid.
Art. 1. An fidei articuli ſint evidenter credibiles, & unde. ibid.
2. Corollaria præcedentis doctrinæ. 289
3. An fidei articuli ſint neceſſariò obſcuri. ibid.
4. An fidei articuli ſint neceſſariò veri. 290
5. An articuli fidei poſſint extendi. 291
6. Per quos debeant proponi articuli fidei, ut teneamur credere eſſe revelator. 292
7. Quid dicendum de Symbolis. ibid.

DISPUTATIO II.

De veræ Fidei Regulis.

Qu. I. An Scriptura ſacra ſit infallibilis regula fidei, & an unica. 294
Art. 1. Quid Scriptura ſacra, qui Libri Canonici, qui Apocryphi, qui perierint. ibid.
2. Quot fuerint Scripturæ ſacræ editiones. 295
3. Quænam ex editionibus præfatis ſit præferenda. 297
4. An authentica Scriptura reperiatur apud Lutheranos & Calviniſtas. ibid.
5. Qoid dicendum de electione Sacræ ſcripturæ lingua vernacula. 298
6. Quotuplex Scripturæ ſenſus? accedunt variæ Quęſtiunculæ. 299
7. Ao Scripturæ ſenſus ſit obſcurus, & quare. 301
8. Reſolvitur tandem quæſtio quòd Scriptura ſacra ſit fidei regula infallibilis, licèt non ſit ſola. ibid.
Qo. II. An dentur Traditiones, quæ ſint Fidei Regulæ infallibiles. 302
III. An Eccleſia ſit fidei Regula infallibilis. 303
Art. 1. Quid ſit Chriſti Eccleſia & quinam ſit de illius corpore. 304
2. Quot ſint notæ veræ Eccleſiæ, & quæ dicenda ſit vera Eccleſia. ibid.
3. An poſſit vera Eccleſia deficere. 306
4. An poſſit Eccleſia io materia fidei errare. 307
Qu. IV. An ſummus Pontifex ſit fidei Regula infallibilis. ibid.
Art. 1. An ſoli Petro dederit Chriſtus Eccleſiæ primatum. ibid.
2. An Epiſcopus Romanus ſit verus Petri ſucceſſor, & quo jure ſummus Pontificatus ſit aonexus Romano Epiſcopatui. 308
Art. 3. Ao ſit de fide Clementem XI. jam ſedentem eſſe Eccleſiæ Univerſalis Paſtorem. 309
4. Reſolvitur quæſtio quòd Papa ſit fidei Regula infallibilis. 310
5. An Papa aut Eccleſia ſit infallibilis in quæſtionibus facti. 312
6. Ao Pontifex ſit infallibilis in decretis morum, & Canonizatione. 315
Qu. V. An Concilium ſit fidei Regula infallibilis. ibid.

DISPUTATIO III.

De Actu Fidei interno, & Obligatione credendi.

Qu. I. An actus fidei ſit ſupernaturalis? an diſcurſivus? an ſuper omnes certus. 318
II. Ao ad aſſenſum fidei requiratur voluntatis motio, & qualis ſit. 319
III. An actus fidei internus ſit ad ſalutem neceſſarius. 320.
IV. Quænam ſint eredenda neceſſitate medii. 321
V. Quænam ſint credenda neceſſitate præcepti. 323
VI. Qualiter ſe gerere debeat Confeſſarius cum ignorantibus fidei myſteria. 324
VII. Quandonam obliget præceptum credendi. ibid.

DISPUTATIO IV.

De Actu Fidei externo, & peccatis Fidei oppoſitis.

Qn. I. Quandonam obliget externa Fidei profeſſio. 325
II. Quid infidelitas, quotuplex, an ſit peccatum &c. 326.
III. Quid dicendum de Hæreſi. 327
IV. Seu variæ quæſtiunculæ de Hæreſi; ubi etiam de lectione librorum prohibitorum. 328

DISPUTATIO V.

De Spe.

Qu. I. Qoid Spes, an diſtincta à Fide & Charitate, & quæ ejus filiæ. 329
II. Quodnam ſit objectum materiale Spei. 330
III. Quodnam ſit objectum formale ſeu motivum Spei. ibid.
IV. Ao liceat operari intuitu ſolius beatitudinis. 331
V. Quodnam ſit ſubjectum Spei. 332
VI. An Deus poſſit revelare damnationem ſuam reprobo, & an hic poſſet ſperare. 333
VII. Quotuplex timor, quis laodabilis. ibid.
VIII. Seu variæ quæſtiunculæ de timore. 334
IX. Quid deſperatio, quis ſit actus, quale peccatum, unde oriatur, & quæ ejus remedia. 335
X. Quid præſumptio, quale peccatum, & quæ ejus remedia. ibid.

DISPUTATIO VI.

De Charitate.

Qu. I. Qoid ſit Charitas, & quotuplex. 336
II. Quodnam ſit objectum materiale & formale Charitatis. ibid.
III. An Charitas ſit vera amicitia inter Deum & homines. 338
IV. An ſit eadem Charitas viæ & patriæ. ibid.
V. An Charitar poſſit augeri, quomodo augeatur, per quos actus, & quando. 339
VI. An poſſit minui aut tolli Charitas habitualis. 340
VII. An, quomodo, & quando obliget præceptum dilectionis Dei. 341
VIII. An teneamur omnes actiones deliberatas in Deum referre. 342
IX. An ſit præceptum diligendi ſeipſum & proximum, etiam inimicum. 344
X. Quis ordo ſervandus circa Charitatis objecta. 345
XI Quis ordo ſervandus inter proximos. 346
XII. Quotuplici Charitatis actu externo ſit proximo ſubveniendum. ibid.
Art. 1. Quid & quotuplex eleemoſyna, an ſit danda, quando, quibus, à quibus, & quanta. ibid.

2. Quid

Digitized by Google

2. Quid correptio fraterna, an, quando, quibus circunſtantiis, quo ordine, quibus, & à quibus facienda ſit. 348
3. Qnid & quotuplex ſcandalum, an ſit ſpeciale peccatum, & an ſint omittenda opera præcepti, aut conſilii, ut vitetur ſcandalum. 349

TRACTATUS MORALIS
IN DECALOGI PRÆCEPTA.

DISPUTATIO I.

De Primo Decalogi Præcepto.

QUæſt. I. Quid Religio virtus, quodnam ejus objectum, & quos habeat actus. 351
II. Quid Oratio, quotuplex, an ſit efficax, neceſſaria, quandonam & pro quibus facienda. 352
III. De Horis Canonicis. 353
Art. 1. Quinam obligentur Horis Canonicis. ibid.
2. Ad quid ultra Officium privatum teneantur Beneficiarii. 354
3. An recitans poſſit, & quandoque teneatur ſocium aſſumere. 356
4. Qua forma recitandæ ſint Horæ Canonicæ. ibid.
5. Qualis debeat eſſe ordo divini Officii. 357
6. Quo ſitu, loco, tempore, & qua voce ſit perſolvendum Officium Divinum. 358
7. Quo ſtudio Horæ Canonicæ ſint recitandæ. 359
8. Qua devotione recitari debeat Officium Divinum. 360.
9. Qualis requiratur attentio in Horis, quæ utilior &c. 361.
10. Quæ cauſæ excuſent à recitatione Officii. 362
Qu. IV. De peccatis Religioni per exceſſum oppoſitis. 363.
Art. 1. Quid Superſtitio & quotuplex. ibid.
2. Quid ſit Idololatria, & quale peccatum. ibid.
3. Quid Magia, quale peccatum, unde poſſit cognoſci opus magicum, & de quibus magi ſint in Confeſſione &c. ibid.
4. Quid maleficium, quotuplex &c. 364
5. Quid Divinatio, & quid dicendum de ſingulis ejus ſpeciebus. ibid.
6. Quid vana Obſervantia, & quænam ejus ſpecies. 366.
Qu. V. De peccatis Religioni per defectum oppoſitis. ibid.
Art. 1. Quid Dei tentatio, quotuplex, quale peccatum &c. ibid.
2. Quid Sacrilegium, quale peccatum, & quotupliciter contingat. 367
3. De Simonia. 368
§. I. Quid Simonia, & quale peccatum. ibid.
II. Quotuplex Simonia. 369
III. An tradens temporale ex motivo obtinendi ſpirituale, Simoniam committat &c. 370
IV. An nunquam liceat pro re ſpirituali aliquid accipere aut exigere. 371
V. An ſaltem non liceat aliquid accipere aut exigere pro temporali annexo ſpirituali. 372
VI. Variæ quæſt. ad §. 4. & 5. aliqualiter pertinentes. 373.
VII. Qualiter fieri debeat Beneficiorum permutatio reſignatio, & penſionis creatio. 374
VIII. An ſimoniacè accepta ſint reſtituenda & quibus. 375.
IX. Quænam ſint pœnæ Simoniacorum &c. ibid.

DISPUTATIO II.

De ſecundo Decalogi Præcepto.

Qu. I. Quid blaſphemia, quotuplex &c. 377
II. De Juramento. 378
Art. 1. Quid ſit Juramentum, & an ſit licitum. ibid.
2. Quæ conditiones requirantur ad licitè jurandum. ibid.
3. Quotuplex Juramentum, an omnia ſint ejuſdem ſpeciei. 379
4. Quænam ſit obligatio Juramenti. 380
5. Quid dicendum de Juramento ſine animo jurandi, ſe obligandi, aut adimplendi. 381
6. An obliget juramentum metu, aut dolo extortum. ibid.
7. An juramentum firmet contractus jure poſitivo nullos, aut reſcindibiles. 382
8. Quid dicendum de juramento non ampliùs ludendi 383.
9. An ſit licitum jurare cum reſtrictione mentali. ibid.
§. I. Reſolutiones quantùm ad Reſtrictiones ſtrictè mentales. 384
II. Reſolutio quantùm ad Reſtrictiones latè mentales. 385.
III. Quæ conditiones requirantur, ut quis poſſit licitè, jurando, uti Reſtrictionibus latè mentalibus. 386
IV. Quædam quæſtiunculæ ad materiam præſentem pertinentes. 387
Art. 10. An liceat exigere juramentum à Juraturo per falſos Deos, aut pejeraturo. ibid.
11. Quibus modis tollatur obligatio juramenti. 388
§. I. Quomodo ceſſet obligare juramentum ſoli homini factum. ibid.
II. Qualiter ceſſet obligatio juramenti ſimul in honorem Dei, & hominis utilitatem præſtiti. 389
Art. 12. Quantum ſit peccatum perjurium, quæ ejus pœnæ, & quid perjuris imponere debeat Confeſſarius. ibid.
13. Quid adjuratio, quotuplex, & quos liceat adjurare. ibid.
Qu. III. Voto. 390
Art. 1. Quid ſit votum. 392
2. Quotuplex Votum, & in quo ejus ſolemnitas conſiſtat. ibid.
3. Quinam poſſint vovere, an expediat, & an opus ex Voto prævaleat operi libero. 393
4. An votum obliget, & qualiter. 394
5. Quandonam votum obliget. 395
6. An voti obligatio poſſit ad alios tranſire. ibid.
7. An & qualiter obliget Votum conditionale, pœnale & dubium. 396
Art. 8. Qualiter votum ſit interpretandum. 397
9. Quot modis ceſſet obligatio Voti. 398
§. I. Quid ſit voti irritatio, qui poſſint irritare, & an requiratur cauſa ad irritandum. ibid.
II. Quid ſit voti Diſpenſatio, & an requiratur cauſa ad diſpenſandum. 399
III. Quædam quæſtiunculæ circa materiam diſpenſationis. 400
IV. Quid Voti Commutatio, à quibus, qualiter, & an ex cauſa ſit facienda. 401
V. Quædam petitiones hanc materiam concernentes. 402.

DISPUTATIO III.

De tertio Decalogi Præcepto.

Qu. I. Quid præcipiatur die Dominico. 402
II. Qualis requiratur præſentia ad debitam Miſſæ auditionem. 404
III. Quæ cauſæ excuſent ab auditione Miſſæ. 405
IV. Quid prohibeatur die Dominica. 406

Art. 1.

Art. 1. Quid dicendum de peccato die Dominico patrato. ibid.
2. Quænam opera interdicantur diebus Dominicis & Feſtis. 407
3. Quæ cauſæ permittere poſſint operationem ſervilem in die Dominico aut Feſto. 408

DISPUTATIO IV.

De quarto Decalogi Præcepto.

Qu. I. Qualiter honorandi ſint Parentes. 409
II. Quid filii debeant Parentibus in eligendo ſtatu. 410
III. An Parentibus graviter aut extremè indigentibus, poſſit filius Religionem ingredi & an profeſſus teneatur egredi. 411
IV. Quænam ſit obligatio Parentum ad filios. 412
V. Quid debeant parentes filiis illegitimis. 413
VI. Quid ſuis debeant Patres ſpirituales & è contra. 414.
VII. Quid debeant alii quaſi Parentes ſuis reſpectivè & è contra. 415
VIII. Quid ſibi invicem debeant Parentes collaterales, quid conjuges. 416

DISPUTATIO V.

De quinto Decalogi Præcepto.

Qu. I. An liceat occidere malefactores, quos, & qua forma. 418
II. An liceat authoritate publica occidere innocentem. 419.
III. An liceat ſeipſum occidere. 420
Art. 1. An ſit aliquando licita directa ſui ipſius occiſio, aut mutilatio. 420
2. An liceat aliquid facere, aut omittere ex quo probabiliter timetur mors propria indirectè ſecutura. 421
3. Varia diſcutienda de ſui ipſius occiſione. 422
Qu. IV. De injuſto alterius Homicidio. 423
Art. 1. Quantum ſit peccatum Homicidium, quot modis committatur, & qualiter à Confeſſario examinandi ſint Homicidæ. ibid.
2. Quænam peccata reducantur ad Homicidium. ibid.
3. An liceat occidere invaſorem vitæ &c. 424
4. Corollaria Reſolutionis præcedentis. 425
5. An liceat occidere invaſorem bonorum temporalium. 426.
Art. 6. An liceat Virgini occidere ſtupratorem &c. ibid.
7. An liceat occidere Aggreſſorem pro defenſione honoris aut famæ. 427
Art. 8. Quid mihi liceat in hac materia pro conſervatione vitæ, bonorum, & pudicitiæ proximi. 428
Qu. V. Quid duellum, quotuplex, an aliquando licitum, & quæ pœnæ Duellantium. ibid.
VI. De bello. 429
Art. 1. Quid bellum, & an ſit licitum. ibid.
2. Quæ conditiones requirantur ad Belli juſtitiam. 430.
3. Quæ ſint peccata Bello inſervientium. 431
4. In quo varia dubia de Bello. ibid.
Qu. VII. An liceat quandoque procurare aborſum, quale ſit peccatum, quæ pœnæ procurantium, & à quibus poſſint abſolvi. 432

DISPUTATIO VI.

De Sexto Decalogi Præcepto.

Qu. I. Quid dicendum de Fornicatione & concubinatu. 434.
II. Quid adulterium, quale peccatum, an liceat conſentiente comparte. Accedunt variæ quæſtiunculæ. 435
III. Quid inceſtus, quale peccatum, qualiter differant gradus conſanguinitatis &c. Et qualiter in Confeſſione aperiendi. 436
IV. Quid Sacrilegium, quale peccatum, & an duplex committat Sacerdos & Religioſus ſimul. 437
V. Quid Stuprum, & an differat à ſimplici Fornicatione. 438
VI. Quid raptus, & quæ pœnæ raptorum. ibid.
VII. De peccatis contra naturam. 439
Art. 1. Quid Pollutio, quale peccatum, & an nunquam liceat. ibid.
2. An ſemper ſit illicitum ponere actionem, ex qua probabilius creditur Pollutio ſecutura. 440
3. An liceat Pollutionem involuntariam deſiderare, aut de illa habita gaudere propter ſanitatem. ibid.
4. Quid Sodomia, quale peccatum &c. 441
5. Quid Beſtialitas, & quid Concubitus cum dæmone. ibid.
Qu. VIII. Quid dicendum de Concubitu conjugali libidinoſo, ſeu de peccatis conjugum. 442
IX. Quid dicendum de Impudicitia. ibid.
Art. 1. Quandonam Oſcula ſint licita, quando venialia, quando mortalia. 443
2. Quale ſit peccatum tangere ſeipſum, alterum, beſtias &c. ibid.
3. Quid dicendum de aſpectu corporum, & picturarum laſcivarum. 444
4. Quale ſit peccatum turpia loqui, canere, legere, audire, componere. 445
5. Quid dicendum de Choreis & Comœdiis. ibid.
6. Qualiter peccent mulieres Fucis, crinibus appoſititiis, veſtitu immoderato utentes, aut pectora nudantes. 446
Qu. X. An detur Parvitas materiæ in re venerea. 447
XI. Qualiter ſe gerere debeat homo circa motus in parte inferiori naturaliter exortos. 448
XII. Qualiter examinandi ſint pœnitentes in materia luxuriæ. ibid.

DISPUTATIO VII.

De Septimo Decalogi Præcepto.

Qu. I. Quid ſit Furtum, & quale peccatum. 449
II. Quanta materia requiratur ad Furtum mortale. 450.
III. Quid dicendum de Furtis minutis. 451
IV. An liceat aliena ſurripere in neceſſitate, & an poſteà ſint reſtituenda. 452
V. An quando plures minuta furando inferunt grave damnum domino, peccent ſinguli mortaliter, & ſint obnoxii reſtitutioni. 453
VI. An liceat occulta compenſatio, ut quis rem ſuam, aut ſibi debitam recuperet. ibid.
VII. Quid dicendum de Furtis domeſticorum, parentum, filiorum, conjugum, & Religioſorum. 454

DISPUTATIO VIII.

De Octavo Decalogi Præcepto.

Qu. I. Quid Mendacium, quotuplex, an aliquando licitum, & quale ſit peccatum. 455
II. Quid ſit Judicium temerarium, quid requiratur ut ſit mortale, & an dubia ſint in favorem proximi interpretanda. 456
III. De Detractione, Contumelia, Irriſione, Suſurratione, Adulatione &c. 458
Art. 1. Quid Detractio, quotuplex, quot modis fiat, & quale ſit peccatum. ibid.
2. An modus propalandi peccatum, v. g. quia jocando, quia non aſſertivè, quia uni tantùm, quia de perſona innominata, mortua &c. excuſet à mortali. 459
3. An infamis uno loco, uno tempore, uno crimine poſſit alio loco, alio tempore, alio crimine infamari. ibid.
4. An liceat interdum ſe ipſum infamare. 460
5. Qualiter peccet audiens Detractorem, & quandonam excuſetur à correctione facienda. 461
6. Quid Contumelia & quotuplex, quale peccatum, & an Contumeliæ ſpecie differant. ibid.
7. Quid dicendum de Suſurratione, Irriſione, Adulatione & Maledictione. 463
8. Quale ſit peccatum alterius ſecretum revelare, aut exquirere, & quæ cauſæ excuſent? 464

DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIO IX.

De nono Decalogi Præcepto.

Qu. I. Quid Delectatio moroſa, quale peccatum, an ſit exprimenda conditio perſonæ circa quam verſatur, & an Delectationes moroſæ inter ſe differant. 465

II. An non liceant aliquibus certæ Delectationes in materia luxuriæ. 466

DISPUTATIO X.

De ultimo Decalogi Præcepto.

Qu. unica. Quid prohibeatur hoc Præcepto. 467

FINIS.

Digitized by Google

LIBER PRIMUS SENTENTIARUM.

DOctor Angelicus & Doctor Subtilis ſplendidiſſima Scholarum lumina & capita, à quibus tamquam Magiſtris & Ducibus tutiſſimis totum hoc opus Theologicum dirigi contendimus, quantum patietur opinionum concordia, diverſimodè Theologiam ſuam diviſerunt. Secundus ſiquidem Magiſtrum Sententiarum imitatus, totam Theologiam ſuam quatuor libris complexus eſt, in quorum 1. agit de Deo uno & trino. In 2. de creatione, ſeu emanatione rerum ad extrà, de Angelis, de primo homine, de gratia, de humano arbitrio, de Actibus Humanis, & tandem de peccatis. In 3. de Chriſto incarnato, ejuſque Matre, de Virtutibus Theologicis & Moralibus, de donis Spiritus Sancti, denique de legibus præceptis. In 4. de Sacramentis in genere & ſpecie, & hominis noviſſimis. Primus autem Summam ſuam Theologicam tribus partibus comprehendit. Prima tractat de Deo uno, Trino, Creatore, Conſervatore & Gubernatore. Secunda (quam in duas partes diviſit, quarum prior dicitur prima Secundæ, & poſterior ſecunda ſecundæ) agit de Deo ut fine ultimo creaturæ rationalis, de Actibus humanis, de Virtutibus & vitiis in genere, de Lege, & Gratia, & tandem de Virtutibus Theologicis & moralibus. Tertia tractat de Incarnatione, de Sacramentis, & quatuor Noviſſimis.

Hic ordo, quem tenuerunt inſignes illi Scholarum Principes, bonus eſt & utilis; attamen cùm velimus utriuſque doctrinam, quantùm in nobis erit, amplecti: etiam de utriuſque ordine intendimus participare: & ideò Theologiam noſtram in tomulos octo pro majori legentium & portantium commoditate dividentes, agemus in 1. de Deo uno, trino, & Creatore. In 2. de Actibus Humanis, eorumque principiis & regulis. In 3. de Vitiis & Virtutibus. In 4. de Præceptis Decalogi. In 5. de Jure & Juſtitia, Reſtitutione, & Statu Religioſo. In 6. de Verbi Divini Incarnatione, ejuſque ſanctiſſima Matre. In 7. & 8. de Sacramentis in genere & ſpecie. Anteà tamen, Doctorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, Diſputationem prooemialem de Theologiæ natura, principiis, & objecto præmittemus.

DISPUTATIO PROOEMIALIS

De natura, principiis, & objecto Theologiæ.

LIcèt Theologia ex vi ſuæ vocis generatim ſignificet ſermonem, ſeu ratiocinationem de Deo: quo ſenſu dici poſſunt Theologi omnes illi, qui de Deo loquuntur, ſivè Metaphyſici, ſivè Poetæ, ſivè Rhetores, & quicumque alii Scriptores, etiam profani; hìc tamen ſumitur pro Doctrina ſeu cognitione Dei aliquo modo ſacra.

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex Theologia?

CONCLUSIO I.

THeologia, ut hìc ſumitur, eſt divinarum rerum ex iis, quæ revelata ſunt, ſacra doctrina.

Dicitur 1. *Divinarum rerum*; quia tota divina eſt, & quidquid in ea tractatur, divinitatem ſpirat, & ad Deum ſpectat, vel ſicut proprietates ad naturam, vel ſicut effectus ad cauſam, vel tamquam media ad finem.

Dicitur 2. *Ex iis, quæ revelata ſunt*; quia Theologia hæc non deducitur ex principiis naturaliter cognitis, ut Theologia naturalis, ſeu Metaphyſica, neque illabitur animis ſicut Theologia infuſa; ſed ſtudio & labore deducitur quælibet ejus concluſio vel ex duabus præmiſſis de fide, ut hic: *Deus eſt omnipotens: Chriſtus eſt Deus: ergo Chriſtus eſt omnipotens*; vel ſaltem ex una, ut hic: *Omnis homo eſt rationalis: Chriſtus eſt homo: ergo Chriſtus eſt rationalis*, ubi tantùm una præmiſſa, nempè Minor, eſt de fide, ſeu revelata.

Dicitur 3. *Sacra doctrina*; quia & originaliter & objectivè divina eſt.

CONCLUSIO II.

DIviditur 1. Theologia ratione modi, quo tractatur, in Poſitivam, Scholaſticam, & Myſticam. Poſitiva eſt, quæ fusè & Rhetorico quodam dicendi genere Scripturam Sacram, ac Fidei Myſteria exponit, ut ſecerunt Tertullianus, Baſilius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Hieronymus, & alii Patres. Scholaſtica (ſic dicta, quia in ſcholis uſitata, & à DD. Scholaſticis inducta, quorum primus Author fuit inter Græcos S. Damaſcenus, & inter Latinos Petrus Lombardus Pariſienſium Antiſtes, & Sententiarum Magiſter antonomaſticè appellatus) eſt illa, quæ artificioſa methodo, & ſyllogiſticè de rebus divinis diſſerit.

Subdividitur Theologica Scholaſtica in ſpeculativam, & moralem. 1. Conſiſtit in rerum divinarum contemplatione; 2. Verò, de rebus ad mores pertinentibus in ordine ad ſalutem Concluſiones proponit, eaſque argumentis facilioribus declarat & confirmat: unde patet Theologiam moralem, ut his locis tractari conſuevit, ac præſertim in Provincia noſtra, eſſe propriiſſimè ſcholaſticam; cùm Theologia dicatur *Scholaſtica* non à materiis ſpeculativis, ut falsò opinantur aliqui, ſed à modo & methodo, quibus materia tractatur, ſivè interim hæc ſit moralis, ſivè ſpeculativa.

His additur communiter Theologia myſtica, ſeu affectiva; eſtque illa, quæ non tam rationis diſcurſu, quàm ſimplici mentis intuitu, affectuosè res divinas contemplatur & ſapit; & ideò non ſolùm intellectum illuminat; ſed præſertim voluntatem inflammat. Mirificè in hac Theologia excelluit Doctor Noſter Seraphicus D. Bonaventura: ejus enim ſcripta Seraphicis quibuſdam aculeis cor legentis pungunt, & inſenſibiliter divini amoris igniculum in eo accendunt.

CONCLUSIO III.

DIviditur 2. Theologia ratione ſubjecti, in quo recipitur, in Theologiam Dei, Beatorum, & Viatorum. Prima eſt quæ immediatè innititur lumini ſupernaturali increato, nempè intellectui divino. Secunda quæ lumini ſupernaturali

creato clarè & evidenter manifeſtativo, nempe viſioni beatificæ. Tertia quæ lumini ſupernaturali creato, ſed obſcuro, nempè fidei. Prima dicitur comprehenſiva. Secunda intuitiva. Tertia diſcurſiva. De hac deinceps agemus, egimuſque tota Concluſione præcedenti.

CONCLUSIO IV.

Dividitur 3. Theologia ratione objecti, circà quod verſatur, in neceſſariam, contingentem & dogmaticam. *Neceſſaria* dicitur, quæ reſpicit Deum ad intrà, ſeu unum in eſſentia, trinum in perſonis, infinitum in ſuis attributis. *Contingens*, quæ reſpicit Deum ad extrà, ſeu cum reſpectu ad creaturas, quas liberè vel creat & moderatur in ordine naturæ, vel vocat & juſtificat in ordine gratiæ, vel beatificat & coronat in ordine gloriæ, ut loquitur Noſter Fraſſennius. *Dogmatica*, eſt quæ tradit Fidei veritates.

QUÆSTIO II.

An Theologia ſit ſcientia?

Quatuor conditiones ad ſcientiam ſtrictam requirit D. Subtilis q. 3. Prologi n. 26. nempè ut ſit certa, evidens, de objecto neceſſario, & per demonſtrationem acquiſita.

CONCLUSIO I.

Theologia non eſt in rigore ſcientia, prout eam definivit Philoſophus Poſt. cap. 2. idque defectu evidentiæ. Ità Scotus q. 3. Prologi n. 3. & Scotiſtæ communiter, qui in hoc non recedunt à D. Angelico, cùm q. 14 de Verit. art. 9. expreſsè dicat: *Quæcumque ſciuntur propriè accepta ſcientia, cognoſcuntur per reſolutionem ad prima principia, quæ præſtò ſunt intellectui*; id eſt evidenter cognita, ut fatentur ipſimet Thomiſtæ.

Prob. 1. Scientia, de qua loquitur Philoſophus ſup. gignitur per veram demonſtrationem: ſed non ità gignitur cognitio Theologica, cùm præmiſſæ, ex quibus deducitur, non ſint evidentes (quod tamen ad demonſtrationem requirit Ariſtoteles variis locis) ſed obſcuræ, utpote propoſitiones Fidei, ſaltem una: ergo.

Prob. 2. Illa cognitio non eſt ſtrictè ſcientia, quæ potiùs facit credere, quàm ſcire: ſed talis eſt Theologia noſtra: ergo. Prob. Min. quia magis nititur authoritate revelantis, ob quam dicimur credere, quàm legitima illatione concluſionis, ob quam dicimur ſcire.

Dices 1. Theologia dicitur paſſim ſcientia à PP. imò & à Scriptura, *Bonitatem*, inquit David Pſal. 118. *& diſciplinam, & ſcientiam doce me*, loquitur autem de ſcientia Dei, adeoque Theologia.

Reſp. Scientiam ibi ſumi in latiori ſignificatione, de qua Concluſ. 2.

Dices 2. Theologia noſtra ſubalternatur Theologiæ Dei, & Beatorum: ſed hæc eſt vera ſcientia, utpote evidentiſſima, aliiſque ſcientiæ conditionibus ornata: ergo & illa.

Reſp. Diſt. Ma. Subalternatur ſecundùm ſe Theologiæ Dei, & Beatorum: Tranſeat. Dico *Tranſeat*; quia ad veram ſubalternationem requirunt communiter Philoſophi, ut ſit aliud objectum adæquatum ſcientiæ ſubalternatæ, & aliud ſcientiæ ſubalternantis; ſic objectum Muſicæ, quæ ſubalternatur Arithmeticæ, eſt numerus ſonoroſus, Arithmeticæ verò, numerus tantùm: hic autem utriuſque Theologiæ idem eſt prorùs objectum. Subalternatur in nobis: N. quia non haurimus principia Theologiæ noſtræ ex Theologia Dei, & Beatorum; & certè quomodo hauriremus, cùm Theologiam illam evidentem non habeamus? Accedit quòd non ſit reperibilis ſcientia ſubalternata in ſubjecto, in quo non eſt ſcientia ſubalternans, reperitur autem in nobis Theologia Viatorum, in quibus non eſt Theologia Beatorum.

Dices 3. Theologia noſtra innititur evidenti conſequentiæ concluſionis ex præmiſſis: ergo nihil ipſi deeſt ad ſcientiam ſtrictam.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia ad concluſionem evidentem requiritur & evidentia concluſionis, & evidentia præmiſſarum; aliàs concluſio falſa poſſe eſſe evidens; cùm poſſit evidenter deduci ex principiis falſis.

CONCLUSIO II.

Si ſcientia paulò latiùs ſumatur, ſcilicèt pro notitia deducta ex præmiſſis certis, abſtrahendo an ſint evidentes formaliter, necnè, Theologia dici poteſt ſcientia. Ità D. Noſter loco citato & certè Philoſophus ipſe 6. Ethic cap. 3. ad ſcientiam, quam ibi definit, non requirit evidentiam formalem principiorum.

Ratio Concluſionis eſt, quia, excepta evidentia formali, habet omnes conditiones veræ ſcientiæ, ut examinanti patebit, confirmabitque Objectionum ſolutio. Imò licèt non habeat evidentiam formalem, habet tamen virtualem; quandoquidem majorem ingerat certitudinem de rei veritate, quàm ſi inferretur ex præmiſſis formaliter evidentibus: undè ſcientias omnes naturales ſuperat certitudine, non tantùm quando infertur ex duabus præmiſſis revelatis, ſed etiam quando infertur ex una revelata, & altera naturaliter evidenti; quia licèt concluſio ſequatur debiliorem partem ſui Antecedentis, adeoque ſit tantùm certa certitudine naturali, certior eſt tamen, quàm ſi utraque præmiſſa foret naturalis, licèt evidentiſſima, cùm tunc etiam certitudinem trahat ab ipſo certitudinis fonte.

Dices 1. Theologia probat ſua principia, nempe Fidei Articulos: Atqui ſcientia non probat illa, ſed ſupponit: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Probat per ſe: N. per accidens ob contumaciam Hæreticorum Fidei Articulos credere nolentium: C.

Dices 2. Scientia ſtricta datur à priori: ſed de Deo non poteſt fieri demonſtratio à priori, ſed tantùm à poſteriori per creaturas: ergo.

Reſp. Diſt. Min. De Deo, id eſt, de Dei exiſtentia, non poteſt fieri demonſtratio à priori: C. De Deo, id eſt, de ejus proprietatibus: N. ſuppoſita enim Dei exiſtentiæ cognitione, de eo demonſtrari poteſt à priori, quòd ſit bonus, juſtus &c.

Dices 3. Theologia agit de contingentibus, v. g. de peccatis & virtutibus, quæ ſunt actiones contingentes: ſed de contingentibus non datur ſcientia: ergo.

Reſpon. Quòd licèt peccata, virtutes &c ſint contingentia quoad exiſtentiam, non tamen quoad objectum, ſicque poſſunt eſſe objectum ſcientiæ, ut fuſius in Philoſophia.

Inſt. Agit de merè contingentibus, ut, de Chriſti Incarnatione, morte, reſurrectione, aſcenſione &c. Item de impiorum juſtificatione, juſtorum glorificatione &c quæ ità ſunt aut fuerunt, ut potuerint non eſſe, utpotè à ſola Dei voluntate dependentia.

Reſp. Diſt. Aſſumpt. Agit de merè contingentibus ſecundùm ſe conſideratis præcisè: N. pro ut ſubſunt divinæ revelationi: C. ut ſic autem ſunt infallibilia & neceſſaria.

Dices 4. Saltem non datur ſcientia de ſingularibus; & conſequenter Theologia reſpectu Chriſti, Adami, & B. Virginis, non eſt ſcientia.

Reſp. Diſt. Ant. Non datur ſcientia de ſingularibus, quia ſingularibus: N. aliàs non eſſet dabilis ſcientia de Deo utpotè ſingulariſſimo. De ſingularibus quia contingentibus, ſeu quia dari poſſet de illis ſcientia quandoque vera, quandoque falſa, quod repugnat habitui ſcientifico eſſentialiter vero: C. ſed Theologia non attingit præfata objecta ſub ratione contingentium, ſed ſub ratione infallibiliter exiſtentium, & conſequenter non poteſt habitus ſcientificus circà illa variari. Si autem circà ſingularia certas concluſiones habeat, quæ non innituntur divinæ revelationi, adeoque ſunt merè contingentes, non deſinit propterea eſſe ſcientia; cùm propter paucas concluſiones hinc indè non ſcientificas, non debeat privari nomine & dignitate ſcientiæ, ut patet ex aliis ſcientiis.

Dices 5. De hac Propoſitione: *Chriſtus habet humanam voluntatem*, poteſt eſſe fides, cùm ſit definita ab Eccleſia; & ſcientia, cùm poſſint deduci ex hoc principio. *Chriſtus eſt homo*: ſed circà idem objectum non poſſunt eſſe ſimul in eodem intellectu, fides & ſcientia: ergo.

Reſp. Diſt. Min. Non poſſunt eſſe fides & ſcientia clara: C. fides & ſcientia obſcura, qualis eſt Theologia: N.

QUÆSTIO III.

Qualis ſit ſcientia Theologia, & an Sapientia?

CONCLUSIO I.

Theologia noſtra eſt ſimpliciter practica. Eſt Scoti q. 4 Prologi n. 4.

Prob. Illa ſcientia eſt practica, cujus omnes concluſiones mediatè vel immediatè, formaliter vel virtualiter ordinantur ad praxim: ſed talis eſt Theologia: ergo. Prob. Min. Quia concluſiones Theologicæ, quæ maximè videntur ſpeculativæ, ad Deum tamen vel amandum, vel credendum, vel ſperandum, vel colendum diriguntur & provocant: undè Auguſtinus lib. 1. de Doctr. Chriſt. aſſerit quod habitus Theologiæ ordinetur ad directionem actuum, qui ſunt credere, ſperare, diligere, & virtuosè vivere, quæ praxim ſonant.

Dices 1. Omnes ſcientiæ ordinari poſſunt, ſaltem virtualiter, ad Deum vel colendum, vel diligendum: ergo vel ratio præfata nulla eſt, vel omnes ſcientiæ dici poterunt practicæ.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia Deus eſt objectum Theologiæ, & non aliarum ſcientiarum; & conſequenter licèt aliæ ſcientiæ ordinari

Digitized by Google

ordinari poſſint ad Deum diligendum &c. non poſſunt tamen dici practicæ ſicut Theologia; quia ſcientia dicitur practica, non ex eo quòd praxim dirigat, aut dirigere poſſit circà aliquod objectum ſivè proprium, ſivè alienum, ſed ex eo quòd dirigat praxim circà objectum proprium.

Inferes: Ergo ſaltem Metaphyſica erit practica, cùm ordinari poſſit ad amandum Deum, qui eſt illius objectum proprium.

Reſp. Neg. Illationem; quia licèt aliquæ concluſiones metaphyſicæ ordinari poſſint ad Deum amandum &c. quia tamen Deus reſpectu Metaphyſicæ tantùm eſt objectum partiale, licèt præcipuum & Attributionis, ordinatur ipſemet tanquam ſpecies entis ad ens ut ens, quod eſt objectum totale & adæquatum Metaphyſicæ; & ideò cùm ens ut ens ſit ſpeculativæ conſiderationis, alia omnia, quæ ad ipſum ordinantur, dicuntur ſpeculativa.

Dices 2. Licèt juxta Scotum, Theologia neceſſariorum v.g. quòd bonum ſit amandum, malum fugiendum &c. ſit practica, Theologia tamen contingentium, ideſt, eorum quæ non ex natura rei, ſed ex libera Dei voluntate neceſſaria ſunt ad praxim dirigendam, v.g. quòd Baptiſmus ſit remedium peccati originalis, eſt ſpeculativa: ergo malè dicitur ſimpliciter practica.

Reſp. Diſt. Ant. Pro 2. parte: Theologia contingentium eſt ſpeculativa per ſe, & abſolutè: C. per accidens, & ſuppoſita Dei voluntate: N. tam enim neceſſaria eſt ad regulandam praxim hæc veritas: *Baptiſmus eſt ſuſcipiendus*, ſuppoſito Dei præcepto, quàm hæc: *Mendacium eſt fugiendum*.

Dices 3. Deus non eſt objectum operabile: ergo Theologia quæ circa Deum verſatur, non eſt practica.

Reſp. Diſt. Ant. Non eſt objectum operabile phyſicè: C. moraliter, quatenus per actiones noſtras meritorias, conſequibilis eſt in ratione finis ultimi: N. Præterea non requiritur ad ſcientiam practicam quòd verſetur circa objectum operabile, ſed ſufficit quòd dirigat praxim circa objectum proprium, quod facit Theologia circa Deum.

Dices 4. D. Thomas p. 1. q. 1. art. 4. docet Theologiam eſſe partim ſpeculativam, partim practicam; imò magis ſpeculativam quàm practicam: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Docet eſſe magis ſpeculativam immediatè, ſeu quatenùs verſatur præcisè circà objecta ſua partialia: C. quia, ut ait ibidem, *Principalius agit de rebus divinis, quàm de actibus humanis*. Docet eſſe magis ſpeculativam mediatè & ultimatè: N. quia omnia in Theologia tractata, dirigunt hominem ad aſſecutionem Beatitudinis, ut fatetur ipſemet, & colligitur ex Joan. 20. *Hæc ſcripta ſunt ut credatis quia Jeſus eſt Chriſtus filius Dei, & ut credentes*, fide ſcilicet, quæ per dilectionem operatur, *vitam habeatis in nomine ejus*.

CONCLUSIO II.

Theologia noſtra, ſepoſita evidentia, eſt vera ſapientia.

Prob. Quia ſecluſa illa conditione habet omnia ad ſapientiam requiſita. Primò eſt omnium ſcientia, cùm ſit de Deo rerum omnium principio, & fine. Secundò verſatur circà difficilia & à ſenſu remota: quid enim (ut alia taceam) difficilius, & à ſenſu remotius quàm Myſterium Trinitatis & Incarnationis? Tertiò eſt certior aliis ſcientiis, ut anteà dictum eſt. Quartò aptior eſt ad docendum quàm aliæ ſcientiæ? cùm perfectio doctrinæ præſertim conſiſtat in illius certitudine. Quintò ſui gratia, ſciendique cauſa eſt appetibilis, quia licèt ad praxim ordinetur, & ex illa parte non ſui, ſed praxis gratia ſit appetenda, ſi comparativè tamen ad alias ſcientias ſpectetur, maximè propter ſe appetitur; quandoquidem non ordinetur ad illas ut eis inſerviat, ſed aliæ ad ipſam referantur, ut eiſubſint & famulentur: unde aliis præcipit, & ab aliis præcepta non accipit (quæ eſt Sexta ſapientiæ conditio) nam etſi Theologia quædam ſumat principia à ſcientiis naturalibus; tamen nec omnia indè ſumit, nec ulla tanquam Theologiæ propria: undè concludendum eſt Theologiam noſtram, dempta evidentia formali, quæ ſufficienter per virtualem ſupra explicatam compenſatur, eſſe ſapientiam.

Nec refert quòd Philoſophus docuerit ſapientiam eſſe ſpeculativam; quia hoc docuit ex falſa perſuaſione quòd ultimus finis, in quem tendit ſapientia, neceſſariò à nobis rectè amaretur, adeoque ſuperflua eſſet ſcientia practica, à qua amor ille regularetur, cujus tamen oppoſitum docet experientia.

QUÆSTIO IV.

Quodnam ſit objectum Theologiæ.

Quod hîc vocamus objectum, ſubjectum appellat Div. Thom. quæſt. 1. art. 7. non quidem ſubjectum inhæſionis, ſed conſiderationis in quantum nempè Theologicæ conſiderationi ſubjicitur, ſe objicitur. Ante Reſolutionem.

Adverte 1. Duplex eſſe ſcientiæ objectum, *Materiale*, unum, quod ità conſideratur ab una ſcientia, ut etiam conſideretur ab alia; ſic quia Deus ità attingitur à Theologia, ut etiam attingatur à Metaphyſica, dicitur objectum materiale utriuſque, ſicut corpus dicitur objectum materiale Phyſicæ, & medicinæ, eo quòd attingatur ab utraque. *Formale* aliud, eſtque ratio ſub qua conſideratur objectum materiale: ſic quia Theologia conſiderat Deum ſub ratione Deitatis, & Metaphyſica ſub ratione entitatis, hujus objectum formale eſt entitas, & illius Deitas: ſicut Medicinæ eſt ſanabilitas, & Phyſicæ naturalitas; quia ſub illis rationibus conſiderant corpus.

Adverte 2. Objectum formale eſſe etiam duplex, nempè formale *quod*, ſeu terminativum, eſtque illud quod terminat omnes cognitiones, quæ in ſcientia de tali objecto habentur; & formale *propter quod*, ſeu motivum, & eſt illud quod movet intellectum ad conſiderationem objecti.

CONCLUSIO I.

Objectum materiale adæquatum Theologiæ eſt omnis veritas aliquo modo ad Deum pertinens, & deducibilis ex revelatis; reductivè autem & ultimatè eſt ipſe Deus.

Prob. 1. Pars; quia illud eſt objectum adæquatum alicujus ſcientiæ, circa quod tota occupatur, & non circa aliud; ſed taliter ſe habet Theologia reſpectu objecti præfati: ergo. Prob. Min. Primò tota occupatur circà illud, ut indicat etymologia ipſius nominis, quæ eſt Sermo de Deo, adeoque de ſolis veritatibus Deum aliqualiter concernentibus. Secundò non occupatur circà aliud; quia omnia ibidem tractata Deum reſpiciunt, vel ſecundùm ſe, ut Myſterium divinæ unitatis & Trinitatis; vel tanquam cauſam, ut Angelorum, hominum, & aliorum creatio; vel tanquam Benefactorem, ut gratia actualis & habitualis, impiorum juſtificatio, Sacramentorum inſtitutio, Chriſti Incarnatio, Paſſio &c. Vel tanquam præmiantem, ut virtutes; vel tanquam vindicem, ut peccata; vel tanquam Regulam ſupremam, ut conſcientia & leges, & ſic de aliis.

Addidi tamen, *Et deducibilis ex revelatis*. idque duplici ex cauſa, 1. ut excludantur veritates deductæ, quæ ut ſic, ſunt potiùs effectus Theologiæ, quàm ejus objectum, cùm fiant & efferantur à Theologo 2. Ut excludantur veritates in Metaphyſica agitatæ, quarum principia ſunt merè naturalia, non revelata.

Prob. 2. Pars: Illud eſt objectum adæquatum alicujus ſcientiæ reductivè, ad quod omnia in illa ſcientia agitata reducuntur aut tanquam proprietates, aut tanquam effectus, aut tanquam media, aut tanquam regulata: ſed talis eſt Deus reſpectu veritatum Theologicarum, ſeu materiarum in ea contentarum, ut ſatis liquet ex probatione alterius partis: ergo. Et hoc modo nobis conciliantur D. Thomas & Scotus, dum ſolum Deum ſtatuunt hujus ſcientiæ objectum: qui ſanè intelligendi veniunt reductivè, ut patebit ipſos legenti. Quod hîc vocamus objectum adæquatum reductivè, alii appellant objectum attributionis, ſeu primarium.

Dices, Scientia ſupponit objecti ſui exiſtentiam: ſed Theologia non ſupponit, ſed probat Dei exiſtentiam: ergo.

Reſp. Diſt. Min. Probat exiſtentiam Dei ut Authoris ſupernaturalis, qualiter à Theologia conſideratur: N. illa enim nulla ratione probatur, ſed fide creditur. Probat exiſtentiam Dei ut Authoris naturalis: Subdiſt. Probat à priori, & ex principiis propriis, ſcilicèt Articulis Fidei: N. à poſteriori, & rationibus à Metaphyſica deſumptis: C. & ſic nihil contra nos.

CONCLUSIO II.

Objectum formale *quod* ſeu terminativum Theologiæ primarium, eſt Deus ſub ratione Deitatis; non eſt tamen adæquatum, niſi reductivè.

Prob. 1. Pars; quia inter omnes rationes formales, quas attingit Theologia, nulla afferri poteſt nobilior quàm Deitas; illa ſiquidem eſt fons & radix omnium, quæ ſunt tum in Deo, tum extra Deum: & certè ſi Deus ſit unus, trinus, æternus, immenſus &c. An non ratione Deitatis? ſi Creator, Sanctificator, Glorificator, an non etiam ratione Deitatis? Deitas ergo, utpotè objectum nobiliſſimum, ſcientiæ nobiliſſimæ aſſignanda eſt.

Dices: Theologia utpotè finita, non poteſt adæquare Deum ſub ratione Deitatis, utpotè infinitum: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Non poteſt adæquare adæquatione omnimoda: C. aliàs creatura incomprehenſibile comprehenderet. Adæquatione proportionis, id eſt, illum in tantùm cognoſcere, in quantùm cognoſcibilis eſt principiis revelatis: N. & hoc ad ſcientiam ſufficit, ſicut ſufficit ut objectum confusè, abſtractivè, & per alienas ſpecies cognoſcatur, ut patet in illis ſcientiis, quæ verſantur circà ſubſtantias non tantùm ſpirituales, ſed etiam materiales; cùm nulla ſubſtantia pro hoc ſtatu cognoſcatur diſtinctè per ſpeciem propriam.

Digitized by Google

Prob. 2. Pars; quia Theologia etiam attingit Deum ſub ratione Authoris Sacramentorum, gratiæ, & gloriæ ſub ratione Redemptoris, Proviſoris, Juſtificatoris &c. ſed quia illa omnia ad deitatem referuntur tanquam principium aut finem, Deitas poteſt dici objectum formale *quod* adæquatum reductivè, quod inſinuat D. Thomas ſup. ubi ait: *Omnia autem pertractantur in Sacra Doctrina ſub ratione Dei, vel quia ſunt ipſe Deus, vel quia habent ordinem ad Deum ut ad principium & finem.*

Dices: Sublato objecto formali, tollitur ſcientia: ſed quamvis Deus non fuiſſet incarnatus, nec fuiſſet Author Sacramentorum, Redemptor &c. fuiſſet adhuc Theologia: ergo illa non ſunt objecta partialia.

Reſp. Diſt. Min. fuiſſet adhuc Theologia adæquatè eadem ac nunc: N. Inadæquatè: C. Undè ſublatis formalibus partialibus, etiam partialiter fuiſſet ſublata.

CONCLUSIO III.

Objectum formale *propter quod*, ſeu motivum Theologiæ remotum, eſt veracitas divina in revelando; proximum eſt connexio medii cum extremis in Antecedente.

Prob. 1. Pars: Debet diſtingui Theologia à Fide & Metaphyſica, quaſi inter utramque medians: ſed diſtinguitur à Fide per hoc quod divina veracitas ſit objectum proximum Fidei, & Theologiæ non niſi remotum; à Metaphyſica autem, quòd hujus motivum debeat eſſe ſolo lumine naturali cognitum, quale non eſt divina veracitas: ergo.

Dices: Quando concluſio Theologica deducitur ex una Præmiſſa revelata, & altera evidenti, motivum non eſt tantùm veracitas divina, ſed etiam veritas evidens alterius Præmiſſa: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Veritas evidens alterius Præmiſſæ eſt etiam motivum principale & proprium: N. Minus principale & extraneum, pertinens ad aliam ſcientiam, aut tanquam concluſio, aut tanquam principium: C. & ideò non dicitur ordinariè motivum Theologiæ. Prætereà in Syllogiſmo Theologico ità neceſſariò utraque Præmiſſa, vel ſaltem una debet eſſe revelata, ut ſi hoc deſit, Concluſio non ſit Theologica: non ſic Præmiſſa evidens, ſine qua ſtare poteſt Theologica Concluſio.

Prob. 2. Pars; Quia ſicut in aliis ſcientiis, ſic & in præſenti motivum proximum aſſentiendi concluſioni eſt connexio medii cum extremis, contenta in Præmiſſis.

QUÆSTIO V.

Quænam ſint principia Theologiæ, & loci unde deſumuntur?

Cum Theologia noſtra ſit argumentativa, tum quia vera ſcientia, tum quia *utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia*, ut loquitur Apoſtolus 2. ad Timoth. 3. tum quia ſæpe Chriſtus, ejuſque Diſcipuli ad convictionem Judæorum argumentati ſunt ex Scriptura, neceſſe eſt, ut principia ſeu præmiſſas habeat, ex quibus deducatur Concluſio Theologica.

CONCLUSIO I.

Principia Theologiæ propria ſunt propoſitiones vel ſaltem propoſitio divinitus revelata, & divinitus credita. Dico: *Divinitus credita*, quia non ſufficit, quidquid dicat Vaſquez, quòd propoſitiones revelatæ credantur fide humana, etiamſi propter authoritatem maximi momenti: ſicut enim ex Præmiſſis certis & videntibus, ſed tantùm aſſenſu formidoloſo admiſſis, non infertur Concluſio ſcientifica, ità nec ex Præmiſſis revelatis fide humana creditis infertur Concluſio Theologica, quæ debet eſſe certior qualibet ſcientia purè naturali.

Prob. Concl. Debet habere alia principia Theologia ſupernaturalis, quàm Theologia naturalis, ſeu Metaphyſica: ſed hæc habet principia naturaliter inventa: ergo debet illa habere principia ſupernaturaliter revelata. Deindè ex principiis revelatis eruitur Concluſio ſcientifica; non alia aſſignabilis quàm Theologica: ergo.

Dixi in concluſione: *Propoſitiones, vel ſaltem propoſitio*; quia propoſitio evidens evidentia neceſſaria poteſt eſſe una ex præmiſſis Syllogiſmi Theologica. Ità Scotus 3. diſt. 24. q. unic. ubi docet per diſcurſum ex una revelata, & altera philoſophica acquiri habitum Theologiæ. Ratio eſt, quòd Concluſio indè deducta nec ſit ſtrictè ſcientia, cum ſit inevidens ratione Præmiſſæ revelatæ, quam, utpotè debiliorem in hoc genere, ſequitur: nec aſſenſus fidei; cùm fides immediatè nitatur divinæ revelationi: ergò Theologia.

CONCLUSIO II.

Propoſitiones ex revelatis deductæ poſſunt etiam eſſe principia Theologiæ in alio Syllogiſmo. Ità Major, Smiſing, Herinx, & alii.

Prob. Nam ſicut juxtà Philoſophum 1. Topicor. 1. non tantùm illa, quæ ſunt primò vera, ſed etiam illa quæ ex primò veris principium ſumpſerunt, ſunt principia ſcientiarum; ità non ſolùm primò revelata, ſed etiam ex revelatis deducta poſſunt eſſe principia Theologiæ: undè hæc Propoſitio: *Chriſtus eſt rationalis* deducta ex his præmiſſis *Omnis homo eſt rationalis: Chriſtus eſt homo*, poteſt aſſumi tanquam principium in hoc diſcurſu Theologico: Quod eſt rationale eſt riſibile: ſed Chriſtus eſt rationalis: ergo.

CONCLUSIO III.

Licèt varii varios referant locos, ex quibus argumentationes Theologicæ deſumuntur, ad duos tamen propriè Theologicos reduci poſſunt, nimirum verbum Dei ſcriptum, & non ſcriptum.

Prob. Illi ſoli ſunt propriè loci Theologici, ex quibus irrefragabiliter conſtat de divina revelatione alicujus Propoſitionis: ſed verbum Dei ſcriptum, & non ſcriptum ſunt illi & ſoli loci, cùm in illis & ſolis contineatur revelatio divina: ergo.

Porrò per *verbum Dei ſcriptum* intelligimus Scripturam, de qua fusè egimus in tract de Fide: Per *non ſcriptum*, omnem fidei veritatem non ſpeciatim in Scriptura Sacra traditam, ſed extrà illam voce vel Chriſti, vel Apoſtolorum, vel Concilii Generalis vel ſummi Pontificis, vel fidelium aut omnium patrum aliquid tanquam de fide credentium, manifeſtatam. Illa omnia tamen debent eſſe explorata; aliàs ſi ſenſus ſcripturæ Sacræ, Definitionis, Traditionis &c. non ſit exploratus, ſi mens fidelium aut omnium Patrum non ſit conveniens aut perſpecta, non deducetur argumentum irrefragabile, ſed tantùm probabile, ſi tantùm de illis probabiliter conſtet, ut benè notat N. Herinx.

Dixi in concluſione: *Propriè Theologicos*; nam ſi loci Theologici latiùs ſumantur, prout univerſim comprehendunt omnis generis argumentationes, quibus Theologi nonnunquam ad ſuas Concluſiones utcumque probandas utuntur, ſive propriè ſint Theologicæ, ſive alienæ, & ab aliis ſcientiis vel habitibus quaſi mutuò acceptæ, aſſignari poſſunt alii ſequentes: Ratio naturalis, Hiſtoria humana, Authoritas aliquorum Patrum, Theologorum, Philoſophorum, legum canonicarum & civilium &c. de quibus ſatis fusè, ſed non ità utiliter tractant aliqui, quos poteris conſulere.

Dices contrà Concluſionem: D. Thomas q. 1. art. 8. unicum aſſignat locum propriè Theologicum, nempè Scripturam Sacram, quod & facit Scotus q. 3. Prologi.

Reſp. Sub Scriptura ſacra etiam comprehendere Traditiones, & Eccleſiæ, ac Summi Pontificis authoritatem, utpotè quas generatim ipſa etiam Scriptura commendat.

QUÆSTIO VI.

An habitus Theologiæ diſtinguatur ab habitu Fidei, & an ſit naturalis?

CONCLUSIO I.

Diſtinguitur realiter habitus Theologiæ ab habitu Fidei. Ità Scotus 3. diſt. 24. q. un. nu. 20. cui præluxerat D. Thomas in prologo Sententiarum q. un. art. 3. quæſtiunc. 3. ubi ait *In hac doctrina non acquiritur habitus fidei, qui eſt quaſi habitus principiorum, ſed acquiritur habitus eorum, quæ ex eis deducuntur.*

Prob. 1. Ex Auguſtino lib. 14. de Trinit. cap 1. ubi ait: *Qua ſcientia.* idest Theologia *non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipſa fide plurimum.*

Prob. 2. Ratione. Actus Theologiæ diſtinguitur ab actu Fidei: ergo & habitus Theologiæ ab habitu Fidei; cùm habitus ſpecificentur ab actibus Prob. Ant. Quia aſſenſus Fidei habet pro motivo immediato veracitatem Dei revelantis; aſſenſus autem Theologiæ connexionem medii cum extremis in Antecedente: undè non eſt tanta certitudo aſſenſus Theologici, quanta aſſenſus Fidei; & conſequenter diſtinguuntur.

Prob. 3. Habitus Fidei eſt ſupernaturalis & infuſus; habitus Theologiæ naturalis & ſtudio acquiſitus: habitus Fidei verſatur circa principia Theologiæ; habitus Theologicus circà Concluſionem ex illis deductam, ut patet ex Doctore Angelico ſup

Advertendum hic ad conciliandos aliquos Authores nobis in ſpeciem contrarios inter quos immeritò annumeratur Scotus 3.

d. 35.

Digitized by Google

d. 35. q. un. poſſe habitum tendere in Concluſiones Theologicas vel quatenùs ex Præmiſſis per diſcurſum deductas, vel præcisè quatenùs in præmiſſis revelatis contentas, quibus ideò non ex vi diſcurſus, ſed ex vi revelationis immediatè præbetur aſſenſus: jam autem habitus 1. modo ſumptus differt ab habitu Fidei; non differt tamen 2. modo ſumptus: & de hoc loquuntur illi qui dicunt eſſe unum & eundem habitum, qui verſatur circà primos Fidei Articulos, & circà alios ex illis explicatos.

CONCLUSIO II.

HAbitus Theologię eſt entitativè naturalis. Ità DD. communius.

Prob. 1. Ille habitus eſt naturalis, qui ab agente naturali naturaliter agente acquiritur: ſed talis eſt Theologiæ habitus, cùm eodem modo acquiratur, quo ſcientiæ purè naturales, ſcilicèt per explicationem & præcepta Magiſtri docentis, & per laborem Diſcipuli audientis & ſtudentis.

Prob. 2. Talis eſt habitus, quale eſt ejus ſpecificativum & diſtinctivum, cùm ſit ejus ratio conſtitutiva: ſed ejus ſpecificativum & diſtinctivum eſt quid naturale, nempè diſcurſus, per quem diſtinguitur à Theologia Dei & Fide, ergo.

Prob. 3. Nonnunquam DD. etiam Catholici ex eiſdem Fidei principiis Concluſiones oppoſitas deducunt, adeoque unus vel alter falſas: ſed habitus, ſupernaturalis & infuſus non inclinat ad falſum: ergo habitus Theologicus ad illas inclinans eſt naturalis.

Dices 1. Actus Theologiæ eſt entitativè ſupernaturalis, ergo & habitus. Prob Ant. Actus qui producitur à duabus cauſis efficientibus, naturali una tanquam potentia, ſupernaturali altera tanquam habitu, eſt entitativè ſupernaturalis, ut patet in actu Fidei, Spei, aut Charitatis, ſed actus Theologiæ efficitur à potentia naturali intellectus, & à Fide velut habitu principiorum Theologiæ: ergo.

Reſp. Neg. Ant. Ad Probationem Neg. Min. Pro a. Parte: & certè tantùm abeſt actus Theologiæ qua talis procedat Phyſicè ab habitu principiorum, nempe Fide, ut nequidem ab ipſiſmet principiis taliter procedat, cùm ut dictum eſt in Logica, præmiſſæ non concurrant Phyſicè ad Concluſionem, ſed ſolus intellectus.

Dices 2. Habitus Theologicus neceſſariò dependet ab habitu Fidei, ut eliciente aſſenſum Præmiſſarum. ſed ſi foret naturalis, non neceſſariò ab illo dependeret; quandoquidem natura ſibi ipſi ſufficiat in ſuo genere & ordine: ergo &c.

Reſp. Diſt. Ma. Dependet ab habitu &c. tanquam conditione ſine qua non: C. tanquam aliquo ipſum cum potentia naturali efficiente: N.

Dices 3. Theologia certior eſt ſcientiis naturalibus: ergo habet certitudinem ſupernaturalem, & conſequenter eſt ipſa ſupernaturalis.

Reſp. Diſtin. Primum Conſeq. Habet certitudinem ſupernaturalem formaliter: N. radicaliter, in quantum per diſcurſum ex articulis Fidei infertur: C. & hoc ſufficit ut ſuperet certitudine ſcientias naturales, quæ neque immediatè, neque mediatè motivo ſupernaturali nituntur.

Dices 4. Principia Theologiæ ſunt ſupernaturalia: ergo & ipſa ſupernaturalis; quandoquidem ſcientiæ ſpecificentur à principiis.

Reſp. Diſt. Ant. Sunt ſupernaturalia entitativè: C. quia ſunt propoſitiones revelatæ. Secundùm applicationem: N. quia applicantur per diſcurſum, qui eſt naturalis: jam autem Theologia non ſpecificatur à propoſitionibus revelatis quatenùs revelatis, ſed quatenus per diſcurſum applicatis; quia illæ ſunt principia Theologiæ remota, hæ proxima.

Dices 5. Theologia habet objectum ſupernaturale, nempè Deum: ergo eſt ſupernaturalis, quia actus ſpecificantur ab objectis, & ab actibus habitus.

Reſp. Neg. Conſeq Quia licèt ſpecificentur actus ab objectis, hoc ſenſu quod ubi ſunt objecta ſpecie diſtincta, ſimiliter actus ſint ſpecie diſtincti, non tamen hoc ſenſu, quòd actus ſint tales qualia ſunt objecta, aliàs Theologia non tantùm eſſet ſupernaturalis, ſed etiam immenſa, infinita &c. Cùm Deus ſit talis: & intellectio eſſet materialis quando haberet objectum materiale. Pro aliis Objectionibus ſolvendis

Adverte 1. Quòd veracitas Dei revelantis concurrat tanquam motivum ſupernaturale ad Concluſionem Theologicam objectivè & moraliter, non tamen phyſicè.

Adverte 2. Quòd Concluſio Theologica materialiter ſpectata, ideſt, quatenùs eſt propoſitio in Præmiſſis revelatis contenta, poſſit eſſe ſupernaturalis, cùm poſſit eſſe de fide: undè hæ Concluſiones materialiter ſpectatæ: *Chriſtus eſt ſubſtantia*, *eſt animal* &c. Sunt ſupernaturales, quia continentur in hoc Principio revelato: *Chriſtus eſt homo*; in rigore tamen non ſunt propriè Concluſiones; quia non conſiderantur quatenùs præcisè ex Præmiſſis per diſcurſum inferuntur. Ex dictis

Reſolve 1. Concluſionem Theologicam qua talem, ſeu quatenùs eſt illata per diſcurſum, non eſſe de fide, adeoque illam negantem non eſſe Hæreticum: quod etiam verum eſt, licèt materia circà quam verſatur, ſit de fide, ſivè ſit talis, cui per fidem poſſemus aſſentiri; nam aliud eſt rem, cui aſſentimur, eſſe de fide, & aliud aſſenſum eſſe aſſenſum fidei: undè ad fidei aſſenſum requiritur & quod res, cui aſſentimur ſit de fide, & quòd ei aſſentiamur propter veracitatem Dei revelantis immediatè, & non propter legitimam conſequentiam Concluſionis ex Præmiſſis, ut fit in Concluſione Theologica.

Reſol. 2. Poſſe remanere habitum Theologiæ in homine in hæreſim lapſo, quandoquidem habitus Theologiæ ab habitu fidei realiter diſtinguatur, nec tantam habeat connexionem cum illo, ut ab eo non poſſit, ſeparari; cùm unus ſit naturalis, alter ſupernaturalis, unus infuſus, alter acquiſitus: unde licèt perdat quis totum habitum fidei, diſcredendo pertinaciter unico Fidei articulo, cùm ſit una & ſimplex qualitas, non tamen totum Theologiæ habitum, qui non eſt qualitas ſimplex, ſed collectio plurium habituum partialium. Perdit igitur errans pertinaciter circa Fidei articulum præcisè illum habitum Theologicum partialem, qui correſpondet Concluſioni illatæ ex iſto articulo, & non plus; quandoquidem ex errore circa unum principium, non ſequatur error circa omnes Concluſiones.

Dices: Talis non poteſt elicere vel unicam Concluſionem Theologicam, cùm non poſſit fide ſupernaturali credere Præmiſſas, à quibus ſic creditis dependet, ergo &c.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia licèt non poſſit elicere actum, retinet tamen habitum, pro illo tantùm tempore otioſum, ſicut eſt in ebrio aut dormiente.

Inſtabis: Habitus Theologiæ dependet à Fide, tanquam ab habitu principiorum: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Dependet à Fide in fieri: C. in conſervari: Subdiſt. Quoad uſum & exercitium: C. quoad ſubſtantiam & entitatem: N. & ſic patet non ſemper deſtrui ſcientiam, quando deſtruitur habitus principiorum; ſed tantùm quando ex errore principiorum ſequitur error circà Concluſiones ſcientiæ deſtructivus.

Reſol. 3. Theologiam noſtram non fuiſſe in Chriſto; quia licèt conſervari poſſit Theologia ſine fide, non tamen ſine illa acquiri; in Chriſto autem nunquam fuit Fides.

Reſol. 4 Remanſurum probabiliter Theologiæ habitum in beatis, non quidem formaliter in ratione principii actus ſimiles, à quibus productus eſt, producentis, ſed materialiter in ratione ſcientiæ habitualis; cùm ut ſic non videatur habere cum viſione beatifica incompoſſibilitatem, quam habet fides, à qua realiter diſtinguitur.

QUÆSTIO VII.

An Theologia ſit neceſſaria, an utilis?

DIviſimus Theologiam ſuperiùs in Poſitivam & Scholaſticam: & de hac utraque procedit quæſtio.

CONCLUSIO I.

THeologia poſitiva, ſecundùm communem divinæ providentiæ modum, neceſſaria eſt moraliter communitati; non tamen ſingulis hominibus in particulari.

Prob. 1. Pars 1. ex Script. ad Epheſ. 4. ubi dicitur Eccleſiæ neceſſarios eſſe Paſtores & Doctores uſque ad conſummationem ſæculi: ſed neceſſaria eſt Theologia poſitiva, qua Doctores Eccleſiaſtici inſtruantur, quandoquidem nullus ſola & ſimplici fide efficiatur in Eccleſia Doctor, ut ex eodem loco Apoſtoli patet, ubi aſſerit non omnes fideles in Eccleſia eſſe Doctores.

Prob. 2. Ex Auguſt. lib. 14. de Trinit. Cap. 1. ubi loquens de Theologia dicit eſſe ſapientiam, qua fides gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.

Prob. 3. Ratione; quia cùm Fides in ſe planè obſcura ſit & difficilis; cùmque omnibus, qui in Eccleſia ſunt, fidelibus multa paſſim contra Fidem dubia, difficultateſque occurrant, ſivè ex Dæmonis ſuggeſtu, ſivè ex orationis infirmitate, ſivè ex Hæreticorum aut infidelium objectionibus, idcircò moraliter loquendo neceſſe eſt eſſe in Eccleſia viros doctos per quos Fides defendatur, & explicetur.

Accedit Sacræ Scripturæ variis in locis obſcuritas & profunditas: *Mare eſt Scriptura divina*, inquit Ambroſ. Epiſt. 44. *habens in ſe ſenſus profundos, altitudinem propheticorum Ænigmatum*; & conſequenter neceſſaria eſt doctrina, per quam ſenſus illi è tenebris ad lucem eruātur ſine erroris periculo. Et certè undè

Digitized by Google

errores tot ſchiſmata, tot Hæreſes? Niſi ex defectu ſcientiæ Scripturarum explanativæ? *Neque enim natæ ſunt Hæreſes*, inquit Auguſt. Tract. 18. in Joannem, *& quædam dogmata perverſitatis illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, niſi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè; & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè & audacter aſſeritur?* Obtrudunt quidem Hæretici moderni facilem Scripturæ intelligentiam; ſed cùm eos refutaverimus in tract. de Fide, hic unicum ad eorum confuſionem proferimus Chryſoſtomum Conc. III. de Lazaro, ubi ait: *Sume librum in manus, lege Hiſtoriam omnem, & quæ nota ſunt memoria tenens, ea quæ obſcura ſunt, parumque manifeſta, frequenter percurre; quod ſi non poteris aſſiduitate lectionis invenire quod dicitur, accede ad ſapientiorem, vade ad Doctorem:* adeoque ſupponit inter aliquos faciles Scripturæ textus reperiri difficiles, quorum intelligentia à Doctoribus dependeat.

Prob. 2. Pars; quia actus & habitus Fidei unicuique ſufficiunt ad ſalutem: ſufficit enim illis, ut ſimpliciter profiteantur ſolùm ea, quæ omnibus neceſſariò credenda ſunt, ſimulque generalibus rationibus & motivis id defendant, dicendo Eccleſiam ſic tenere, & Sanctos in ea fide mortuos eſſe: ad quod non eſt neceſſe eſſe inſtructum Theologia.

Dixi in 1. Parte Concluſ. *Moraliter*; quia phyſicè loquendo, per abſolutam Dei potentiam fides aliter ſervari poſſet, quàm per Theologiam.

CONCLUSIO II.

THeologia ſcholaſtica ut ſcholaſtica non eſt in Eccleſia ad hominum ſalutem neceſſaria ſimpliciter, eſt tamen utiliſſima.

Prob. 1. Pars, quia aliàs fatendum eſſet mille & ampliùs annis; quibus nullus ferè erat Theologiæ illius ſcholaſticæ uſus, Eccleſiam neceſſaria rerum doctrina fuiſſe deſtitutam: quod eſt planè abſurdum, & Divinæ providentiæ adverſum. Deindè Fides olim maximè floruit & viguit tempore SS. Patrum, qui ſua doctrina infideles multos ad Chriſti Eccleſiam perduxerunt, & ex Hæreticis quamplurimos reduxerunt, Orthodoxos verò, nè deficerent, confirmarunt.

Prob. 2. Pars 1. ex PP. Clemente Alex. lib. Stromatum pag 262. *Erat quidem ante Domini adventum Philoſophia Græcis neceſſaria ad juſtitiam, nunc autem eſt utilis ad Dei cultum & pietatem iis, qui fidem colligunt per demonſtrationem.* Baſilio in Cap. 2. Iſaiæ. *Dialectica inſtar muri eſt dogmatibus, quòd ea non ſinit facilè decipi, & quorumlibet incurſioni patere.* Auguſt. lib 2. de Doctr. Chriſt. Cap. 31. *Diſputationis diſciplina ad omnia genera quæſtionum, quæ in litteris ſanctis ſunt penetranda & diſſolvenda, plurimùm valet; tantùm ibi cavenda eſt libido rixandi & puerilis quædam oſtentatio decipiendi adverſarium.*

2. Ex Bulla Sixti V. in qua Seraphicum Doctorem eximiis Eccleſiæ Doctoribus annumerat: *Hujus tam ſalutaris ſcientiæ cognitio*, inquit, *& exercitatio .... ſemper certè maximum Eccleſiæ adjumentum afferre potuit, ſivè ad Scripturas ipſas verè & ſanè intelligendas, & interpretandas; ſivè ad Patres ſecuriùs & utiliùs perlegendos & explicandos; ſivè ad varios errores & Hæreſes detegendas & refellendas*, & quibuſdam interjectis: *Quantò igitur magis illi* (Hæretici) *hanc munitiſſimam ſcholaſticæ Theologiæ arcem oppugnare & evertere conantur, tantò magis nos decet hic invictum Fidei propugnaculum defendere, & hæreditatem Patrum noſtrorum conſervare & tueri.*

3. Ratione; quia aliàs non tanto conſenſu ad tam faſtidioſum & moleſtum ſcribendi laborem ſe contuliſſent ſcholaſtici, niſi rem Eccleſiæ utiliſſimam ſe præſtare exiſtimaſſent. Erit, erit ſemper, quidquid reclament tenebriones, erit Theologia Scholaſtica Eccleſiæ lumen, Fidei columen, trutina veritatis, errorum clava, nodorum gladius, fulmen Hæreſum, Myſteriorum fax, & Catholicæ Doctrinæ lapis lydius, ut loquitur Author quidam modernus.

Dices 1. Theologia dicitur Scholaſtica à Philoſophia ipſi annexa: ſed Philoſophia eſt deceptiva, juxtà illud Apoſt. ad Coloſſ. 2. *Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam:* ergo.

Reſp. Diſt. Min. Philoſophia vera & ſimplex eſt deceptiva: N. ſophiſtica & ſuperſtitioſa: C. de hac autem agit D. Paulus; cùm nemo poſſit decipi, ideſt, à Chriſti fide averti per Philoſophiam veram.

Dices 2. Ità Patres contrà modum philoſophandi declamarunt, ut dixerit Tertullianus lib. de Anima, Cap. 3. Philoſophos eſſe *Hæreticorum Patriarchas*; & ideò concludit S. Hilarius lib. 12. de Trinit. *Oportuerat homines religioſam divinarum rerum ſcientiam præferentes, ubi Evangelicæ atque Apoſtolicæ prædicationis veritas præcellebat, callidæ Philoſophiæ tortuoſas quæſtiones abjicere.*

Reſp. Patres, ſicut Apoſtolum, reprehendere Philoſophos, non ſimplices & rectos, ut ſatis patet ex eorum teſtimoniis præallegatis, ſed ſophiſtas & captioſos, qui argumentis apparentibus & ſpecioſis conantur Hæreſis ſuæ falſitatem palliare & fidei veritatem denigrare.

Dices 3. Pernicioſa eſt in Eccleſia quælibet novitas: ergo & hæc Philoſophica Theologiæ traditio à quingentis circiter annis introducta.

Reſp. Diſt. Ant. Pernicioſa eſt dogmatum novitas: C. Novitas methodi, ſaltem ubi eſt clarior, facilior, & ad perſuadendum efficacior. N. Imò negari poſſet methodum illam eſſe abſolutè novam, cùm eam uſurparint SS. Patres in factis & ſcriptis, licèt non ità apertè & fusè, ſicut Petrus Lombardus, ac SS. Thomas, & Bonaventura.

Dices 4. Occupatur Theologia Scholaſtica circà quæſtiones futiles & purè philoſophicas.

Reſp. Si aliqui nimiùm ſint in Philoſophicis diffuſi, non eſſe vitium Theologiæ, ſed Theologi ultrà ſobrietatem ſapere volentis. Interim ſi quædam Philoſophica inſerimus, ad id nos coegerunt ipſimet Hæretici; cùm Ariani, teſte S. Epiphanio, trecentis argumentis ſophiſticis niſi fuerint Filii Divinitatem oppugnare. Imò etiam nunc Calviniſtæ, ut Chriſti corporis realitatem in Euchariſtia deſtruant, opponunt ejuſdem corporis bilocandi impoſſibilitatem, quod eſt merè Philoſophicum. Quid mirum igitur ſi iiſdem armis, quibus veritatem impugnant, nitamur eorum falſitates deſtruere? Ex dictis.

Reſol. I. Quàm immeritò dixerit Wicleffus Univerſitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magiſteria eſſe vana gentilitate introducta, & tantùm Eccleſiæ prodeſſe, ſicut Diabolus: & Lutherus, eſſe inſcitiam veritatis, inanem falaciam, & academias, in quibus illa docetur, Anti-Chriſti eſſe lupanaria. Denique Calvinus, Theologos, maximè Pariſienſes, eſſe ſophiſtas, aſinos cornutos, & beſtias bipedes.

Reſol. II. Etiam quoſdam DD. Catholicos, ubi omne ratiocinium Dialecticum à ſuis ſcriptis ablegant, viamque Eccleſiæ communem deſerunt, in errores etiam craſſiores eſſe prolapſos.

Dixi in Concluſione: *Scholaſtica ut ſcholaſtica*; quia ut comprehendit *poſitivam*, ſaltem quoad materiam, clarum eſt, etiam eſſe neceſſariam.

TRACTATUS PRIMUS
DE DEO UNO.

COnſideratis Sacræ Theologiæ præludiis, profundiſſima Divinitatis Myſteria inveſtigare pro modulo noſtro aggredimur in hoc Tractatu, quem in varias Diſputationes, Quæſtiones, & Articulos dividemus.

DISPUTATIO PRIMA.

De Dei exiſtentia & eſſentia.

QUamvis Dei nomen variè in Scripturis uſurpetur, ità ut aliquandò Regibus, aliquandò Magiſtratibus, aliquandò Judicibus, imò aliquandò Idolis tribuatur: ex primaria tamen & propria impoſitione, ſubſtantiam ſignificat intelligentem, ab omnibus creatis diſtinctam, ac ſuperiorem omnibus, à qua cætera dependent in fieri, eſſe, & conſervari, & ipſa à nullo, & in nullo dependet. Hujus igitur entis ſupremi exiſtentiam hic inquirimus, & eſſentiam.

QUÆSTIO I.

An Deus ſit?

DEum eſſe negant Athei, ſi Athei dentur ſpeculativi. Dico *Speculativi*; quia dari practicos, ideſt, homines, qui non ſolùm ità vivunt, ac ſi nullus eſſet Deus, nulluſque creaturæ rationalis poſt mortem exitus; ſed etiam quorum non tam intellectus, quàm vita impia ad Dei exiſtentiam negandam impellit, infœlix teſtatur experientia: & certè tales erant illi, de quibus Propheta Regius Pſ. 13. & 52. ait: *Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus;* quandoquidem ſubdatur: *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis*, ut oſtendatur non tam intellectus deceptione, quàm corruptæ voluntatis impulſu ad impiam illam aſſertionem determinari: undè D. Hilarius in Pſ. 52 *Fit*

fre-

frequenter ut nos, cùm verè neceſſitas ad confeſſionem Dei cogat, oblectatio tamen vitiorum Deum non eſſe perſuadeat, & quod contrà fidem credimus, id tamen de conſilio cordis impii eloquamur.

Tota ergò difficultas eſt de Atheis ſpeculativis, ſeu de iis qui verè credant & arbitrentur nullum exiſtere Deum, quos reperibiles eſſe affirmant aliqui, negant alii; ſed dixerim ego utroſque conciliaturus, non dari Atheos, id eſt homines, qui negent omne Numen, ſivè verum, ſivè falſum; quia nulla unquam reperta eſt Natio adeò barbara & inculta, ut cultum, honorem, Aram, aut preces alicui Numini vero aut ficto non adhiberet: undè Tullius lib. 1. de nat. Deorum. *Quæ gens unquam fuit, vel eſt, aut quod genus hominum, quod non habeat ſine doctrina, anticipationem quamdam Deorum?* Dari tamen Atheos, id eſt homines, qui verum Numen culpabiliter ignorantes, falſum ſibi fingunt, puta ſolem, lunam, ſerpentem, metallum, aut quid aliud, ut patet Sap. 13. *Neque operibus attendentes, agnoverunt qui eſſet artifex, ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aerem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem & lunam rectores orbis terrarum Deos putaverunt.* Quia tamen ſimilia non ſunt niſi ſpectra Divinitatis, ſano ſenſu dici poſſunt illa loco Dei habentes, eſſe verè Atheos, id eſt, ſine Deo. Ut autem quæ de Atheis referuntur ab Authoribus, ſivè ſacris, ſivè profanis, intelligantur.

Advertendum 1. Etiam veros Chriſtianos vocatos fuiſſe olim à Gentilibus *Atheos*, eo quòd Deorum pluralitatem negarent: unde S. Juſtinus Apolog. 2. *Vocamur autem Athei*, inquit, *& ſanè confitemur talium qui habentur Deorum, nos eſſe expertes, & hac ratione Atheos; ſed non veriſſimi illius Dei &c.*

Advertendum 2. Pro Atheis habitos eſſe Æthiopes, & quoſdam alios, ut refert Strabo lib. 17. Quia Simulacrorum uſum & cultum non admittebant ſicut aliæ Gentes.

Advertendum 3. Varios ex Antiquis Atheiſmi accuſatos, vel fuiſſe practicos, vel non fuiſſe Atheos hoc ſenſu quòd omnem Divinitatem negarent: & idem dicendum exiſtimo de famoſis quibuſdam Atheis, qui ultimis temporibus impietatis ſuæ venenum propinarunt mundo, ut de Andræa Aretino in Italia, de Lucilio Vanino in Gallia, de Spinoſa in Hollandia &c. Quomodo enim fieri poſſet ut qui alios docere vellent, eò ſtupiditatis & dementiæ veniſſent, ut Deum negarent? Quare Lactantius lib 7. cap. 9. dicit: *Qui nullum omninò Deum eſſe dixerunt, non modo Philoſophos, ſed ne homines quidem fuiſſe dixerim.*

CONCLUSIO I.

DEum eſſe non poteſt demonſtrari à priori. Ità Scotus diſt. 2 q. 2. n. 10. & alii communiter.

Prob. 1. Id non poteſt à priori demonſtrari, quod non habet prius: ſed exiſtentia Dei non habet prius, cùm ſit de conceptu Dei eſſentiali, adeoque primario: ergo. Undè quandò Scotus ſic argumentatur q. cit. *Deus eſt actus purus: ergo habet exiſtentiam*, non procedit à priori ad poſterius, ſed ab includente ad inclusum.

Prob. 2. Quod demonſtratur à priori, demonſtratur per cauſam phyſicam, aut metaphyſicam: ſed nullam agnoſcit exiſtentia divina: ergo. Prob. Min. Non quidem phyſicam; cùm enim omnia producat, ut dicemus infrà, non poteſt à quoquam produci: Non etiam metaphyſicam, cum non ſit Divinitatis proprietas, ſed de illius eſſentia, ut diximus. Hinc

Reſolve. Cum unum Attributum ex alio Attributo inferimus in divinis, non eſſe propriè demonſtrationem, ſed ſyllogizationem; quia Attributum illatum vel non habet prius ſecundùm modum noſtrum concipiendi, vel ſi habeat, non poteſt à nobis ultimatè reſolvi in conceptum Dei quidditativum, quem pro hoc ſtatu habere non poſſumus: quod tamen requirit vera demonſtratio.

CONCLUSIO II.

DEum eſſe demonſtrari poteſt à poſteriori. Eſt communis & certa.

Prob. 1. Ex Script. Sap. 13. *A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ, cognoſcibiliter poterit creator horum videri.* & Rom. 1. *Invisibilia ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.*

2. Ex Auguſtino Tract. 2. in Joan. *Deus inveniri poteſt per creaturas evidenter, dicente Apoſtolo: Inviſibilia* &c. Idem habent alii PP. poſteà citandi.

3. Ratione, quia cauſa habens effectus notiores ſe quoad nos, poteſt per illos demonſtrari exiſtere, ſicut ex fumo demonſtramus ignis exiſtentiam, ex reſpiratione animalis ipſius vitam: ſed tales videmus effectus, quos non niſi in Deum vivum poſſumus refundere, ut dicemus Quæſt. ſeq. ergo.

Dices 1. Quidquid demonſtratur, demonſtratur per prius: ſed Deo, utpotè entium primo, non datur prius: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Demonſtratur per prius cognitum: C. neceſſariò per prius exiſtens: N.

Dices 2. Creaturæ ſunt improportionatæ, ut nobis Deum manifeſtent: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Ut Deum manifeſtent quoad eſſentiam: C. quoad exiſtentiam: N.

Dices 3. Creaturæ ſunt contingentes: ergo non poteſt per illas demonſtrari Dei exiſtentia.

Reſp. Diſt. Ant. Sunt contingentes quoad exiſtentiam, id eſt, ſic exiſtunt, ut poſſint non exiſtere: C. Sunt contingentes quoad dependentiam: N. ſuppoſito enim quod ſint, neceſſariò dependent in fieri, eſſe, & conſervari à Deo.

Dices 4. Hæc Propoſitio: *Deus eſt*, eſt objectum Fidei, ergo non poteſt eſſe objectum demonſtrationis; alias poſſet eſſe in eodem circà idem fides & ſcientia ſimul, quod abſolutè negat Scotus.

Reſp. Diſt. Ant. Eſt objectum Fidei, ſi Deus conſideretur ut Author ſupernaturalis, quo ſenſu dixit Apoſtolus: *Accedentem ad Deum credere oportet quia eſt:* C. ſi ut Author naturæ, Subdiſt. Eſt objectum Fidei ſtrictæ reſpectu illius, qui de Dei exiſtentia habet demonſtrationem: N. quia ille non credit propriè, ſed ſcit. Dico: *Non credit propriè*; quia ſicut dici poteſt habere actum Fidei non ità propriæ, ità & eodem ſenſu credere, de quo Quæſt. 6. Reſpectu illius qui non habet demonſtrationem: C. Hæc fusè explicata vide in Tract. de Vit. & Virt.

QUÆSTIO II.

Quibus rationibus demonſtrari poſſit Deum eſſe?

VArii varias adferunt ad probandam Dei exiſtentiam demonſtrationes; ſed fatendum eſt plurimas ad expugnandum Atheiſmum eſſe inefficaces, cùm non probent, ſed ſupponant probandum: Aliæ enim oſtendunt dari ens neceſſarium, aliæ perfectiſſimum, aliæ independens & à ſe, & inde concludunt dari Deum; ſed numquid Epicurus Epiſt. ad Herodotum docet mundum, non quidem ratione Formæ, ſed Materiæ, ſeu atomorum, eſſe ens neceſſarium, perfectiſſimum independens, & tamen negat dari Deum? *Neceſſarium* quidem; quia ſicut à nullo factum eſt, inquit, ſed fortuito atomorum concurſu compoſitum, ità à nullo deſtrui poteſt. *Perfectiſſimum* verò, quia cùm nihil ſit aliud præter ipſum, debet omnes omninò continere perfectiones. Denique *independens* & à ſe; quia ſicut ratione naturæ non agnoſcit initium durationis; ità nec principium productionis, undè ſi hanc demonſtrationem facias Atheo Epicureis principiis imbuto: *Vel avus tuus eſt à ſe vel ab alio: ſi à ſe, eſt Deus, utpotè incauſatus, ſummè neceſſarius, & independens: ſi ab alio: vel ille alius eſt à ſe, & eſt Deus ob rationes allatas, vel ab alio priori: & de illo ſimiliter inquirendum eſt, donec tandem deveniatur ad aliquod improductum, quod eſt Deus*, demonſtrationem tuam, quam credebas palmarem eludet uno verbo, dicendo Epitheta illa Neceſſarium, independens, incauſatum, improductum &c. convenire mundo, quem conſtat non eſſe Deum. Si urgeas implicare, ut aliquid ſit à ſeipſo, quia aliàs eſſet antequam eſſet. Reſpondebunt id fore verum in temporaneis, ſeu in iis quæ aliquando inciperent, non autem in æternis, ſeu in iis quæ ſemper fuerunt, ſicut atomi. Imò idem nos ſupponimus de ente quod dicimus Deum. Relictis igitur demonſtrationibus, quæ nullius ſunt aut exigui momenti contrà Atheos epicoreis fatuitatibus præventos, unicam veram & efficacem Phyſicam ſubminiſtramus Atheis omnibus confundendis aptiſſimam, cui unam aut alteram moralem ſubjiciemus.

CONCLUSIO I.

NOn poſſunt omnia quæ in hoc mundo eluceſcunt mirabilia ſecundùm fabricam, ordinem, ſitum, formam, motum, diſpoſitionem, pulchritudinem, uniformitatem, varietatem &c. in aliud refundi, quàm in ſubſtantiam intelligentem illis omnibus ſuperiorem, omniumque operatricem, & directricem: ſed ſubſtantia illa eſt ipſummet, quod dicimus Deum: ergo. Minor certa eſt etiam in principiis Atheorum, qui ideo negant eſſe Deum, quia negant dari talem ſubſtantiam.

Prob. Ma. 1. *de homine*. Quis ſanæ mentis videns picturam aut ſtatuam, ad vivum Cæſaris perſonam repræſentantem, illam adſcribat fortuito atomorum concurſui, & non artifici mente & dexteritate prædito? Si ità ſentiendum de re immobili, mortua, omniſque actionis incapaci, quid *de Homine* ratiocinante, canente, ambulante, pingente, totque mirabilia

efformante? *De Homine*, cujus intuitus ingerit admirationem, pulchritudo amorem, ſapientia venerationem, dexteritas ſtuporem? *de Homine*, cujus quot ſunt membra, tot ſunt prodigia, ſua diſpoſitione, relatione, munere, agilitate, communicatione &c. *De Homine in quo ſunt* (verba ſunt Galeni de format. fœt.) *oſſa* 224. quæ ſingula habent officia ſuprà 40. muſculi pluſquam ſexcenti, qui ſinguli habent officia decem; nervi, arteriæ, & venę planè innumerabiles, in minutiſſima tandem capillamenta deſinentes: ſingulorum membrorum tam exquiſita proportio ad ſuos fines; ut circà ſolum oculum fieri poſſint pluſquam 200. reflectiones circà ſitum, menſuram, figuram, tunicas, muſculos, nervos, palpebras, cilia, ſupercilia, & ſimilia.

2. *De Artificio humano*: Quòd enim noverit homo ille pingere, iſte ſculpere, hic perfectè ſyllogizare, alius organo ludere, alter imprimere &c. non poteſt refundi in atomos, ſed in curam Magiſtri docentis ſic, & non ſic, illo modo, & non aliò eſſe operandum; ut patet experientia quotidiana: ergo ultrà atomorum congeriem agnoſcenda eſt alia cauſa, quæ non poteſt eſſe alia, quàm Divinus artifex, qui hominibus dedit animam inſtructionis capacem. Dicere autem Magiſtrum docendo infundere atomos inſtructivas, eſt verè nugari; cum duobus eodem modo loquendo & oſtendendo, uni artem aut ſcientiam inſpiret, alteri non.

3. *De quatuor anni temporibus Vere, Æſtate, Autumno, & Hyeme*. Quomodo enim fieri poteſt, ſi omnia fiant ex fortuito atomorum concurſu, ut ſemper & conſtanter habeamus certos flores in Vere; calores & ſegetes in Æſtate, fructus & uvas in Autumno, glacies & frigora in Hyeme, aut circiter? Cur non aliquando uvas in Vere, aut ceraſa ordinaria in Autumno? Certè quæ fiunt fortuitò, nec ſunt regulata, nec conſtantia, ſed modò uno tempore eveniunt, modò alio: ergo ad cauſam ſuperiorem, & directricem neceſſariò recurrendum eſt.

4. *De Mari, fluviis, plantis, & arboribus*. Cur Mare ſemper eſt mare, & fluvius ſemper fluvius? terra autem à mari aut fluvio remota, nunquam mare aut fluvius? Cùm craſſiores atomi volitantes tam poſſint in mare & fluvios cadere; adeoque ipſos ſolidare, quàm terram aut montes, & è contrà ſubtiliores atomi & liquidæ tam labi in terram, quàm in fluvios aut mare. Cur certæ plantæ & arbores ſemper habent flores aut folia ejuſdem coloris; cùm diverſi generis atomi diverſo tempore concurrentes debeant ipſa diverſificare, ſeu modò unius, modò alterius coloris efficere, prout tales vel tales atomi hoc, vel illo anno concurrunt?

5. *De Cœlis & ſideribus*. Undè eorum motus tam varius, & tam difformiter conſtans, tam velox & tam multiplex tam accommodatus ſublunaribus? Undè Sol gyrat ſingulis diebus de Oriente in Occidentem? Undè hodiè ejuſdem magnitudinis, formæ; caloris, influentiæ. &c. ac à mille annis, cum à variis atomis recedentibus; aut accedentibus debeat ferè continuò quoad formam, motum, & affectus immutari? Hujus ergo tam ſtabilis, & regulatæ diſpoſitionis aliud principium agnoſcas neceſſe eſt, quod non poteſt non eſſe infinitè ſapens, & providum.

6 *De Elementis*: An putas corpora illa homini conſervandò adeò neceſſaria fortuitò ità eſſe diſpoſita? Si fortuitò, cur tota terra non eſt ſub aqua, tota aqua ſub aere, totus aer ſub igne, cum quo graviores ſunt atomi, eo inferiorem exigant locum, adeoque atomi terreæ infimum, igneæ ſupremum, aqueæ & aereę medium? Dicendum ergo non à fortuita atomorum aggregatione, ſed à ſapientiſſimo orbis Moderatore factam eſſe diſpoſitionem illam ut homo ſibi præſentem haberet aerem, quo reſpiraret, terram in qua ambularet, & undè alimenta ſibi provideret, aquam, qua ſe refrigeraret, & ignem, quo nativum calorem foveret.

Ex his omnibus concludendum, quòd ſicut quilibet videns horologium pulcherrimè fabricatum, operis elegantiam, figuram, partium diſpoſitionem, rotarum communicationem, motus regularitatem; ſtatim colligit eſſe opus non fortuitum, ſed ab artifice expertiſſimo compoſitum, ità judicare debet quilibet, niſi ſit mente captus, mundi hujus ſtructuram in ſuis partibus etiam minimis adeò mirabilem & prodigioſam, opus eſſe non aggregationis fortuitæ, ſed Artificis divini; ità ut meritò dixerit Pſalmiſta, Pſalm. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum*. Quam veritatem agnoſcens magnus Auguſtinus: *Mundus iſte*, inquit lib. 11. de Civit. cap 4. *ordinatiſſima ſua mutabilitate, & mobilitate & viſibilium omnium pulcherrima ſpecie. quodammodo tacitus & factum ſe eſſe, & non niſi à Deo ineffabiliter pulchro fieri ſe potuiſſe, proclamat*. Igitur *quis adeò rationis expers*, loquitur Seneca lib. 1. Quæſt natur. *ut hoc, quo neque formoſius quidquam, nec diſpoſitius, nec in propoſito conſtantius, exiſtimet fortuitum & caſu volubile, & non à ſuprema ratione ordinatum!*

Dices 1. Eo ipſo quo ex mundi ſtructura demonſtramus Dei exiſtentiam, ſupponimus mundum fuiſſe creatum: ſed hoc negant Athei Atomiſtæ volentes nihil eſſe creatum, nihil productum, ſed omnia ex atomorum æternorum congreſſu coaluiſſe: ergo eodem vitio laborat hæc demonſtratio, ac aliæ initio Quæſtionis rejectæ.

Reſp neg. Ma. Quia dato; quòd atomi eſſent æterni, adhuc ſtaret noſtra probatio; cùm ſolùm probet mirabilem orbis diſpoſitionem non poſſe attribui fortuitæ atomorum reſolutioni & aggregationi, ſed divino Artifici, vel materiam ſeu atomos ſimul & ſtructuram producenti, quod verum eſt, vel ex atomis æternis (quod falſum eſt) opificium mundi prodigioſum efformanti. Undè in id ſolùm incumbit noſtra demonſtratio, ut probet miraculoſam partium mundi diſpoſitionem non eſſe opificium fortuitum, ſed ab opifice ſapientiſſimo directum, ſivè interim uſus fuerit atomis anteà exiſtentibus, ſivè non.

Dices 2. Suppoſitionem noſtram de fortuita atomorum congerie eſſe falſam; cùm ſuppoſita certa illarum gravitate aut levitate, non potuerit aliter diſponi, ut patet in elementis, quorum levia feruntur ſurſum, gravia deorſum: ergo non eſt cur propterea ad aliam cauſam recurramus.

Reſp. Sicut ex innumeris corpuſculis ſeu atomis gravibus aut levibus nunquam videmus ſine alicujus ratione utentis artificio ſimile quid fabricari, ſic credendum eſt non fuiſſe mundum ita mirabiliter conſtructum ſine interventione alicujus ſumma ſapientia præditi, non obſtante atomorum naturali gravitate aut levitate.

CONCLUSIO II.

IDeò negant Athei Athomiſtæ dari Deum, quia, ut ajunt non poſſunt concipere ens illud à ſe, independens, æternum, increatum, ſed ipſammet aſeitatem, independentiam, æternitatem, increationem affingunt atomis, ſubſtantiis viliſſimis: ergo incidunt in Scyllam volentes vitare Charibdim.

CONCLUSIO III.

NUllus eſt Atheorum, qui non credat fuiſſe aliquando Cęſarem, Pompeium, Ciceronem &c. quia id referunt tot & tanti nominis Authores, ut ſtolidum eſſet de eorum exiſtentia dubitare: ſed longè plures, majoriſque nominis Authores referunt facta plurima, quæ non poſſunt in atomorum congreſſum refundi: ergo aſſignari debet alia cauſa, in quam refundantur. Prob. Min. Quia referunt redditam eſſe ſubitò mortuis vitam, cœcis viſum, claudis greſſum, mutis loquelam, ſurdis auditum: quænam autem proportio inter atomos volitantes & illos effectus ſubitaneos, præſertim cùm hæc fierent ad invocationem divini Nominis, non aliter; à cognoſcentibus verum Deum; non ab aliis; circà habentes Fidem Dei, non circà alios?

CONCLUSIO IV.

SI nullus eſſet Deus, nullum eſſet virtuti præmium, vix ulla impietati pœna: & certè numquid videmus probos in hac vita contemni, opprimi, affligi, irrideri, morbis, injuriis, miſeriis &c. gravari? Improbos è contrà laudari, exaltari, celebrari, honoribus, opibus &c. abundare? Undè credimus Deum, qui poſt hanc vitam juſtis decernat præmia, & injuſtis ſupplicia. Alias demonſtrationes morales, aut probabiles vide apud Authores.

QUÆSTIO III.

An hæc propoſitio Deus eſt, *ſit per ſe nota?*

ADverte 1. Quæſtionem non procedere de Propoſitione illa vocali, aut mentali, ſed de re per ipſam ſignificata, quæ eſt unio realis exiſtentiæ cum Divinitate, quæ unio per propoſitionem mentalem repræſentatur, & per vocalem ſignificatur.

Adverte 2. Per ſe notam Propoſitionem, juxtà Scotum, eſſe illam, cujus veritas ex ſola terminorum apprehenſione evidenter cognoſcibilis eſt ſine alio medio à priori. Undè ad propoſitionem per ſe notam tria requiruntur 1. quòd Prædicatum immediatè & per ſe conveniat ſubjecto; & ideò hæc Propoſitio: *Homo eſt riſibilis*, non dicitur per ſe nota, quia riſibilitas non competit immediatè homini, ſed mediante rationalitate, 2. Excludere debet medium, per quod demonſtretur

tur à priori (non tamen à poſteriori) Prædicatum convenire ſubjecto. 3. Debet eſſe connexio eſſentialis prædicati cum ſubjecto; nam ſi connexio ſit tantùm accidentalis, & ideò ſeparari poſſit prædicatum à ſubjecto, non erit per ſe nota intellectui: quod hic requiritur, licèt fortè ſit per ſe nota ſenſibus, ut hæc Propoſitio: *Corvus eſt niger*.

Adverte 3. Juxtà D. Thomam, Propoſitionem per ſe notam, aliam eſſe per ſe notam ſecundùm ſe tantùm, eſtque illa cujus Prædicatum convenit eſſentialiter ſubjecto, ſed quid ſit ſubjectum aut prædicatum eſt nobis ignotum: & aliam per ſe notam ſecundùm ſe & quoad nos, eſtque illa cujus prædicatum convenit eſſentialiter ſubjecto, & quid ſit ſubjectum & prædicatum nobis innoteſcit. Hanc tamen diviſionem & Scotus & Scotiſtæ rejiciunt, quia eſſe per ſe notum non eſt eſſe actu cognitum, ſed cognoſcibile tamquam evidens ex terminis; adeoque ſive aliqua propoſitio à nobis cognoſcatur; ſive non, ſi tamen ex propriis terminis ſit evidens, dici debet per ſe nota, quia ratio per ſe noti non petitur à noſtra cognitione (aliàs ſi nullus eſſet intellectus, hæc Propoſitio: *Totum eſt majus ſua parte*, non eſſet per ſe nota) ſed ex natura terminorum per ſe evidentium: *Et ex hoc patet*, inquit Scotus 1. diſt. 2. q. 2. *quòd non eſt diſtinguere inter propoſitionem eſſe per ſe notam, & per ſe noſcibilem, quia idem eſt*. Nihilominùs cùm hæc Quæſtio videatur de nomine, retenta priori diviſione, ſit

CONCLUSIO I.

HÆc Propoſitio: *Deus eſt*, eſt per ſe nota ſecundùm ſe. Eſt communis in utraque Schola.

Prob. Illa Propoſitio eſt per ſe nota ſecundùm ſe; cujus prædicatum eſt de eſſentia ſubjecti; ſeu cujus extrema, (ut cum Scoto loquar) nata ſunt facere evidentiam: ſed talis eſt dicta Propoſitio: ergo. Prob. Min. Quia licèt exiſtentia non ſit de eſſentia entis creati, cùm poſſit ſine illa adæquatè capi; eſt tamen de eſſentia entis increati, ut patet tum ex Script. Exod. 3. ubi Deus ſeipſum exprimit per *eſſe* ſeu exiſtere: *Ego ſum, qui ſum: hæc dices filiis Iſrael: Qui eſt, miſit me ad vos*. Et ideò Athanaſ. Epiſt. ad Orthod. de Synod. *Cùm audis: Ego ſum qui ſum, non aliud quidpiam, ſed incomprehenſibilem ejus qui EST eſſentiam intelligo*. Tum ex Auguſtino lib. 7. de Trinit. c. 1. circà finem, ubi ait: *Quod enim eſt ſapientiæ ſapere, & potentiæ poſſe, … hoc eſt eſſentiæ ipſum eſſe*: ſed ſapientiæ eſſentiale eſt ſapere, & potentiæ poſſe; ergo eſſentiæ divinæ, de qua ibi loquitur, eſſe, ſeu exiſtere. Tum etiam ratione; quia cætera prædicata Deo conveniunt ratione ipſius eſſe, ſeu exiſtere neceſſarii: quærenti enim cur Deus ſit æternus, ſempiternus, immutabilis? Aptè reſpondetur, quia neceſſariò exiſtit. Similiter quærenti cur ſit bonus, juſtus, ſapiens &c. Benè reſpondetur, quia infinitus: cur autem infinitus? Quia eſt à ſe, adeoque cum omni eſſendi plenitudine: cur autem à ſe? Quia neceſſariò exiſtit. Hinc D. Bernard lib. 5. de Conſid. cap. 6. *Si bonum ſi magnum, … vel quidquid tale de eo dixeris: in hoc verbo inſtauratur quod EST*. Conſequenter exiſtentia reſpectu Dei eſt *Prædicatum immediatiſſimum*, ut loquitur Scotus; & immediatiſſimum, de primario ejus conceptu, adeoque eſſentiale.

Confirm. hæc Minor; Si exiſtentia non eſſet Prædicatum Dei eſſentiale, flueret ab eſſentia divina, & ſic eſſentia divina exiſteret, antequam haberet exiſtentiam; cùm id, à quo aliquid fluit, debeat præexiſtere. Nec dicas eſſentiam ut exiſtentiæ præſuppoſitam exiſtere fundamentaliter; quia non apparet quomodo non exiſtens formaliter, poſſit principiare exiſtentiam formalem.

Obji. 1. Eodem modo dicunt SS. Patres Deum eſſe ſuam juſtitiam, bonitatem &c. ſicut dicunt eſſe ſuum eſſe: ſed juſtitia & bonitas non ſunt Prædicata Dei eſſentialia formaliter: ergo nec exiſtentia.

Reſp. Sanctos PP. nihil aliud velle, quàm quòd Deus ſit realiter ſua bonitas, ſua juſtitia, ſicut eſt realiter ſuum eſſe; quia bonitas & juſtitia divina non diſtinguuntur realiter ab ipſo Deo; utrum autem ſint de conceptu Dei primario, ſicut eſt ESSE; Nihil circà hoc determinant.

Objic. 2. Si exiſtentia foret Prædicatum eſſentiale Dei, etiam foret creaturæ: non eſt hujus: ergo nec illius. Prob. Maj. Quia quando aliqua conveniunt in ratione communi, ſi ratio illa ſit de eſſentia unius, eſt etiam alterius, ut patet in animali, quod eſt de eſſentia hominis & bruti, quia eſt commune illis: ſed Deus & creatura conveniunt in ratione communi exiſtentiæ, ſicut conveniunt in ratione communi entis: ergo.

Reſp. Neg. maj. Ad Prob Dico, illud eſſe verum, quando ratio communis eſt univoca perfecta univocatione, non autem quando univocatione tantùm analoga, ſicut eſt hic: tunc enim ratio communis poteſt uni analogato quidditativè convenire; alteri verò tantùm qualitativè.

Obji. 3. Eadem eſt eſſentia divina concepta ſine exiſtentia, ac concepta cum illa: ergo exiſtentia non eſt Prædicatum Dei eſſentiale, ſed modus intrinſecus, qui adveniens eſſentiæ non variat rationem formalem ejus.

Reſp. N. Suppoſitum, nempe quòd poſſit concipi eſſentia divina ſine exiſtentia? & ſimul nego advenire exiſtentiam eſſentiæ divinæ, ſed in ea intimè includitur tanquam ejus conſtitutivum. Aliud eſt de exiſtentia creata, quæ cùm adveniat eſſentiæ ut ſic, reſpectu illius non eſt Prædicatum eſſentiale, ſed modus intrinſecus ab eſſentia actuali realiter indiſtinctus; unde exiſtentia convenit Deo eſſentialiter formaliter, creaturæ autem actuali eſſentialiter realiter.

Obji. 4. Si exiſtentia eſſet Prædicatum eſſentiale eſſentiæ divinæ, eſſet etiam ſingulorum Attributorum, ſicque tot eſſent in Deo exiſtentiæ, quot Attributa. Prob Aſſump. Nam ideò exiſtentia eſt Prædicatum eſſentiale eſſentiæ divinæ, quia eſſentia divina eſt ens neceſſe eſſe: ſed talia ſunt etiam Attributa: ergo.

Reſp. Verum eſſe Aſſumptum; nam cùm exiſtentia nihil ſit aliud, quàm actualitas entis aut formalitatis, oportet, ut multiplicatis Attributorum entitatibus actualibus, multiplicentur & exiſtentiæ, quæ formaliter inter ſe diſtinguuntur ſicut Attributa: ſicut oportet, ut multiplicatis tribus proprietatibus perſonalibus realiter diſtinctis, multiplicentur proportionatè exiſtentiæ realiter diſtinctæ.

CONCLUSIO II.

DIcta propoſitio non eſt per ſe nota quoad nos. Ità D. Thom. q. 2. art. 1. & Scotus diſt. 2. q. 2. n. 4. & 5.

Prob. 1. Illa Propoſitio eſt per ſe nota quoad nos, quæ ex ſola terminorum apprehenſione nobis innoteſcit: ſed propoſitio illa non eſt talis, quandoquidem Deum exiſtere, non ex ſolis terminis, ſed ex creaturis ab ipſomet productis cognoſcamus, juxtà illud Apoſt. ad Rom. 1. *Invisibilia enim Dei, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*: Undè non modò Agreſtibus & Atheis, ſed etiam Doctis aliqua obſcuritas in dicta propoſitione apparet.

Prob. 2. Illa Propoſitio non eſt per ſe nota quoad nos, quam poteſt aliquis negare: ſed *dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus*: ergo. Præterea cùm *Deus lucem* inhabitet *inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt*, ut loquitur Apoſt. 1. ad Tim. ult. non poteſt immediatè movere intellectum noſtrum ad ſui cognitionem, ſed tantùm per ſpecies & ſimilitudines rerum ſenſibilium: ergo dicta propoſitio non eſt ex propriis terminis nota quoad nos.

Dices 1. Ingenitum nobis rationis lumen Deum eſſe oſtendit: ergo. Prob. Ant. Ex Chryſoſtomo, & aliis PP. qui dicunt cognitionem Dei eſſe nobis à natura inſitam.

Reſp. Diſt. Ant. Nobis Deum eſſe oſtendit ex ſola terminorum apprehenſione: N. per diſcurſum ex creaturis nobis obvium & facilem. C. nihil aliud volunt dicti PP.

Dices 2. Cum D. Anſelmo: Deus eſt id, quo majus excogitari non poteſt: ſed per ſe notum eſt, illum, quo majus excogitari non poteſt, exiſtere, cùm exiſtere ſit aliqua perfectio: ergo.

Reſp. Diſt. Min. Per ſe notum eſt, ideſt, facilè poteſt probari: C. nam cùm exiſtere majus ſit quàm non exiſtere, facilè oſtenditur id, quo majus excogitari non poteſt, exiſtere. Per ſe notum eſt, ideſt, ex ipſis terminis eſt evidens: N. aliàs fruſtrà ipſemet Anſelmus librum integrum compoſuiſſet, ut id probaret; quandoquidem propoſitio per ſe nota non indigeat probatione.

Dices 3. *Deus eſt colendus*, eſt propoſitio per ſe nota quoad nos: ergo à fortiori hæc: *Deus eſt*.

Reſp. Diſt. Ant. Eſt per ſe nota, ſuppoſito quòd Deus ſit: C. nulla facta ſuppoſitione ejus exiſtentiæ: N.

Dices 4. *Deus eſt, vel non eſt*, eſt propoſitio per ſe nota quoad nos: ergo & *Deus eſt*.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quod propoſitio poſterior ſupponat Dei realitatem, quam ipſi termini non evidenter oſtendunt: non ſic prior.

Dices 5. Deus eſt cauſa, cur omnia cognoſcamus: ergo debet eſſe nobis primò & per ſe cognitus: *propter quod enim unumquodque eſt tale, & illud magis*.

Reſp. Diſt. Ant. Eſt cauſa effectiva, in quantum dedit nobis intellectum, per quem omnia cognoſcere poſſimus: C. eſt cauſa objectiva: N. Illud autem Axioma non habet

locum,

Digitized by Google

ricum, ſaltem univerſaliter in cauſis efficientibus : non enim ſequitur, Pater eſt cauſa, cur filius videat : ergo magis ille videt? nam poteſt eſſe cæcus. Ex dictis.

Reſol. 1. Propoſitionem per ſe notam quoad nos non indigere medio ſive à priori, ſive à poſteriori, per quod probetur; quia termini facere debent evidentiam;, ut ait Scotus : & in hoc differt à Propoſitione per ſe nota ſecundùm ſe ; quæ licèt excludat medium demonſtrativum à priori, non tamen à poſteriori.

Reſol. 2. Quòd licèt Scotus ejiciat quoad nomen, diviſionem Propoſitionis per ſe notæ, in per ſe notam ſecundùm ſe, & per ſe notam ſecundùm nos ; illam tamen admittat quoad rem ; nam cùm pluribi dicat Deum à Viatoribus non niſi imperfectè concipi, implicitè docet hanc Propoſitionem *Deus eſt*, quam dicit per ſe notam, non eſſe per ſe notam quoad nos; aliàs poſſemus illum perfectè concipere.

Reſol. 3. Dictam Propoſitionem eſſe per ſe notam Deo & Beatis, imò foret viatori, ſi Deus ſe illi cognoſcendum præberet, quia eorum reſpectu faciunt termini evidentiam.

QUÆSTIO IV.

An dari poſſit ignorantia invincibilis exiſtentiæ divinæ?

ADverte diſtingui duplicem ignorantiam exiſtentiæ divinæ, negativam unam, quæ eſt mera inadvertentia, & incogitantia de Deo. Poſitivam alteram, quæ eſt judicium erroneum, quo quis judicat Deum non eſſe.

CONCLUSIO I.

NOn poteſt dari ignorantia invincibilis Dei poſitiva. Eſt communis & certa.

Prob. Quia non apparet, quomodo poſſit homo ratione utens id facere, quin ſtatim oriatur dubium aut ſuſpicio de contrario, quandoquidem ſit [ut ait Hieronym. Epiſtol. 3. ad Nepotianum] *Totius mundi una vox, Deus eſt* ; ergo ſi abſque ulteriori veritatis indagatione judicet non eſſe Deum, error ejus eſt vincibilis. Imò nec credo dari poſſe dubium invincibile circà Dei exiſtentiam ; nam cùm ratio dictet cultum eſſe Deo reddendum, ſuppoſito quòd ſit, dictat etiam de exiſtentia Dei dubitanti eſſe inquirendum, ut habita illius notitia, adoretur & colatur : Inquirenti autem ut debet, ſine dubio Deum eſſe apparebit.

CONCLUSIO II.

NEquidem dari poteſt ignorantia invincibilis Dei negativa. Eſt communis contrà paucos volentes dabilem eſſe in certis adultis ad breve tempus.

Prob. 1. ex Script. Job. 36. *Omnes homines vident eum*. Pſ. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*; & ideò Rom. 1. Ignorantes Dei exiſtentiam dicuntur indiſcriminatim *inexcuſabiles* ; adeoque ſupponitur ignorantiam Dei, in quibuſcumque reperitur, eſſe vincibilem.

Prob 2. Ex PP. Tertulliano Apolog. 17. *Summa eſt delicti nolentium recognoſcere, quem ignorare non poſſunt*. Clemente Alex. Admonit. ad gentes : *Omnibus ſimpliciter hominibus.... inſtillatus eſt quidam divinus influxus, qua de cauſa vel inviti quidem fatentur unum eſſe Deum*. Auguſt. Pſ. 74. *Deus ubique ſecretus eſt, ubique publicus, quem multis licet, ut eſt, cognoſcere, & quem nemo permittitur ignorare*. Hieronymo Epiſt 3. ad Nepotian *Perſa, Gotus, Ægyptius, Turcæ ipſum agnoſcunt*. Greg. 17. Moral. cap. 3. *Omnis homo eo ipſo quod rationalis eſt conditus, debet ex ratione colligere eum, qui ſe condidit, Deum eſſe*. Damaſc. lib. 1. de Fide cap. 1. *Notitia Dei omnibus à natura inſita eſt; neque id aliquis ratione utens ignorare poteſt*.

Probari ſolet 3. hac ratione ; Non poteſt dari ignorantia invincibilis eorum, quæ ſunt de jure naturæ 1. aut 2. modo, ut ſuo loco diximus : ergo nec eorum Authoris. Prob. Conſ. Quia ſicut ratio naturalis dictat illa eſſe præcepta aut prohibita, ita dictat ab aliquo ſuperiore eſſe præcepta aut prohibita : & ſic confuſam ſaltem Dei exiſtentis ingerit notitiam.

Alia probatio impoſſibilitatis ignorantiæ invincibilis circà Dei exiſtentiam, eſt hæc, quòd aliàs Deum ignorans invincibiliter, non poſſet peccare mortaliter, cùm non poſſet Deum, utpotè incognitum injuria afficere : Qui enim dat alapam Regi, inquiunt, neſciens invincibiliter eſſe Regem, non eſt formaliter reus læſæ Majeſtatis humanæ : ergo violans legem Dei, neſciens invincibiliter dari Deum, non eſt formaliter reus læſæ Majeſtatis divinæ.

Alii alias proferunt probationes, inter quas eſt hæc : Quod ſi poſſet quis ignorare invincibiliter Deum verum, poſſet inculpabiliter adorare Deum falſum : ſed hæc ratio nulla eſt, ut quis enim inculpabiliter adoret Deum falſum, credere debet ſine ulla ſuſpicione de contrario, creaturam aliquam eſſe Deum : ex eo autem quòd quis hebes, & parum diſcurſivus, qui de Deo nihil unquam audivit, Dei exiſtentiam ad breve tempus ignoret negativè, non ſequitur, quòd poſſit creaturam aliquam tamquam Deum inculpabiliter credere ; cùm ad primum ſufficiat mera incogitantia ; ad ſecundum autem requiritur judicium, quòd creatura, in qua videntur imperfectiones, ſit ens ſine imperfectione : quod fieri non poteſt ſine dubio aut ſuſpicione de contrario. Sed cùm non tantùm hæc ultima probatio, ſed etiam aliæ aliquibus videantur non plenè ſatisfacere : ideò ſit

QUÆSTIO V.

Unde petendum ſit, quòd Deus, nequidem brevi ſpatio, poſſit invincibiliter ignorari?

FErè omnes ablegant ab univerſis omninò hominibus ignorantiam Dei invincibilem, etiam ad breve ſpatium, quia citata PP. teſtimonia nullam faciunt perſonarum, aut temporis exceptionem ; ſed undè veniat, quòd nequidem pauco tempore ab exorto rationis lumine ignorari poſſit, ſaltem ab aliquibus, non ſatis oſtendunt.

CONCLUSIO I.

NOn poteſt hoc refundi in ſolum conſpectum creaturarum viſibilium, quæ neceſſariam habent cum Deo connexionem dependentiæ.

Ratio eſt ; quia licèt ſit hæc una vox totius mundi : *Deus eſt* ; non loquitur tamen omnibus primo rationis inſtanti ; cùm non loquatur imprimendo ipſam Dei exiſtentis ideam ; ſed præcisè inſinuando per miſerabilem ſui ſtructuram, ſe eſſe ab Opifice ſapientiſſimo ; & conſequenter non poteſt deveniri indè ad Dei cognitionem, niſi per diſcurſum, cujus non ſunt capaces omnes homines in ipſo rationis exordio, præſertim ſi ſint bardi, aut hebetes. Undè ſi pueros 7. 8. imò & 9. annorum interroges, undè ſciant eſſe Deum? Vix reperies 20. ex mille, qui dicant ſe id collegiſſe ex creaturis, ſed ferè omnes reſpondebunt ſe id didiciſſe à parentibus, à Magiſtro &c.

Dices : Auguſt. Tract. 2. in Joann. ſic habet : *Deus poteſt inveniri per creaturas evidenter*. Et Hieron. in hæc verba Apoſt. *Invifibilia Dei* &c. ſic ait : *Tam evidenter intellecta ſunt, ut conſpecta dicantur* : ergo ſi Dei exiſtentia ſit ità evidens in creaturis, non eſt opus diſcurſu, ſed ſimplici inſpectione, cujus capaces ſunt omnes ratione utentes.

Reſp. Non dici evidentem hoc ſenſu, quod ſtatim, viſis creaturis, cognoſcatur Dei exiſtentia, ſed quòd ex illis diſcurſu facili, & maximè obvio eruatur, cujus tamen diſcurſus, licèt facillimi, negamus capaces eſſe omnes primo inſtanti rationis.

CONCLUSIO II.

NEc poteſt id refundi in innatam nobis à natura divinæ exiſtentiæ ideam. Porrò triplicem diſtinguunt aliqui ideam, *innatam* ſcilicet, quam in nobis imprimit natura abſque intellectus noſtri operatione. *Adventitiam*, quæ ab extrinſeco in mente excitatur, ut idea hominis ex viſione ejuſdem : & *Fictitiam*, quam ex ſe effingit ipſa mens, ut : idea Hirco-cervi.

Prob. Concluſio. Vel idea illa eſt actus, vel habitus : ſi actus, non eſt innata ſeu inſita à natura, ſed procedens à potentia proportionata, ſeu intellectu. Si habitus, ſeu ut ajunt, lumen quoddam ingenitum, omninò ſuperfluit ; cùm intellectus noſter ſufficiat ad percipiendas quaſcumque veritates, vel abſque diſcurſu, ſi ſint per ſe notæ, qualia ſunt prima principia ; vel per diſcurſum, ſi ex primis principiis deducantur. Et certè quis SS. Patrum, quis Theologorum, imò quis Philoſophorum finxit in nobis aliquando duplex lumen, naturale & ingenitum? Dixerunt quidem aliqui PP. notitiam Dei eſſe nobis inſitam, alii eſſe naturalem, alii eſſe ingenitam, alii eſſe animæ dotem; ſed de ea locuti ſunt ſicut de lege naturali, quam conſtat non eſſe phyſicè inſitam aut ſcriptam in cordibus hominum, ſed tantùm moraliter, in quantùm, ubi rationis uſum adepti ſunt, facilè deprehendunt, quid illa prohibeat, quid præcipiat, & ità eſt de Dei notitia.

Confirmat. Si neceſſarium eſſet lumen illud ingenitum, ma-

Digitized by Google

maximè quia ſtatim ratione utentibus ineſt aliqua Dei cognitio: ſed ſtatim ratione utentibus ineſt notitia primorum principiorum, primarumque veritatum, ad quas tamen non requiritur lumen aliquod ab intellectu diſtinctum: ergo; ſimiliter

Dices 1. Pſalm. 4. legitur: *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*: ergo notitia Dei non eſt adventitia, ſed innata.

Reſp. Hunc textum variè à variis explicari: alii enim per *lumen* intelligunt Dei Providentiam, ut Chryſ. alii imaginem Dei in nomine relucentem, ut Auguſt. alii legem naturæ, ut DD. quamplurimi; ſed nullum ſcio id intelligentem de notitia Dei nobis ingenita.

Dices 2. Dei cultum cuilibet homini indidit natura: ergo à fortiori Dei exiſtentiæ notitiam.

Reſp. Diſt. Ant. Indidit hoc ſenſu quòd phyſicè impreſſerit: N. hoc ſenſu quòd dederit ipſi intellectum, quo facilè intelligeret Deum eſſe colendum: C. & hoc ſenſu indidit etiam exiſtentiæ divinæ notitiam.

CONCLUSIO III.

QUòd nullus ratione utens poſſit Deum, etiam ad breve tempus invincibiliter ignorare, oritur ex eo quòd Deus cuilibet homini in ipſo rationis diluculo ſeipſum revelet, vel per inſpirationem, vel per Magiſtros, aut parentes, vel per creaturas, prout uniuſcujuſque capacitas, conditio, & aliæ circumſtantiæ poſtulaverint.

Ratio eſt; quia pertinet ad ſuavem Dei providentiam, ut in omni creatura, à qua eſt neceſſariò colendus ut parens, amandus ut ſummum bonum, orandus ut Benefactor, credendus ut ſalutis Author, & poſſidendus ut finis ultimus, ſtatim ubi naſcitur rationis uſus, naſcatur & ſui principii & finis notitia, hoc inſinuant PP. omnes q. 4. citati, cùm aſſerunt indiſcriminatim non poſſe Deum ignorari: ſed hoc non fit per ideam innatam, non per ſolum conſpectum creaturarum, ſaltem reſpectu omnium, ut diximus: ergo per unum vel aliud ex mediis aſſignatis; cùm alia via non occurrat.

Dices 1. Si Deus omnibus revelaretur ab initio rationis, non poſſet negari: ſed *dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus*: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Non poſſet negari à ſapiente: C. ab inſipiente rationis lumen extinguente, nè videat ſignatum ſuper ſe lumen vultus Domini: N. Hic enim, reclamante conſcientia, negat in corde, quod videt in corde, inquam in corde, non ore, quia, ut ait Auguſtinus in Pſal. 13. *Hoc nemo audet dicere, etiamſi auſus fuerit cogitare*: quod ſignum eſt evidens cognitæ Dei exiſtentiæ.

Dices 2. Aliquæ Nationes, antequam à Miſſionariis edocerentur, nullum Deum colebant, aut agnoſcebant: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Nullum Deum agnoſcebant diſtinctè ſicuti nos: Tranſeat. Nullum agnoſcebant confuſè, ſaltem ſub ratione alicujus entis ac regentis ſupremi, ratione cujus tenebantur ulterius inquirere: N. ſicque vincibilis erat eorum ignorantia. Volumus ergo Deum omnibus revelari ſub conceptu æquè perfecto; ſed omnibus ſub idea tali, qua ſufficienter moveatur unuſquiſque ulteriorem ſibi de Deo cognitionem comparare.

Dices 3. Deum cognitum tenemur amare: ergo ſi primo inſtanti rationis cognoſcatur, primo inſtanti phyſico eſt amandus: quod eſt contrà Reſolutionem datam in Tractat. de Charitate.

Reſp. Diſt. Ant. Deum cognitum tenemur amare, ubi proponitur amandus: C. ubi tantùm proponitur exiſtens: N. poteſt autem fieri, quòd priùs nobis proponatur Dei exiſtentia, quàm obligatio ipſum diligendi, Vide dicta ibidem.

QUÆSTIO VI.

An Dei exiſtentiam evidenter ex creaturis cognitam, teneamur fide divina credere?

DIximus ſuperiùs teneri quemlibet credere fide divina exiſtentiam Dei, ut gratiæ & gloriæ Authoris, imò etiam ut Authoris naturæ, ubi ejus exiſtentia non apparet evidens; ſed jam inquirimus de ipſius exiſtentia ut Authoris naturæ evidenter cognita. Ad quod Author quidam modernus reſpondet ſimpliciter affirmativè, & ideò aſſerit D. Thomam cùm ſuis in hoc fuiſſe deceptum, in quantum docent non poſſe idem objectum eſſe ſimul ab eodem ſcitum & creditum, ſcitum propter demonſtrationem, creditum propter revelationem; quia Fidei objectum debet eſſe obſcurum, ſcientiæ autem clarum, & evidens: idem verò non poteſt eidem apparere ſimul clarum & obſcurum, evidens & inevidens. Et idem dicere potuiſſet de Scoto & Scotiſtis; cùm in hoc ſit conforme utriuſque Scholæ ſentimentum. Nos tamen nè tantis DD. in Auguſtino fundatis contradicamus; & aliundè Sanctos PP. fidem Dei exiſtentis indiſcriminatim ab omnis Doctis, & indoctis requirentes nobis conciliemus, via media incedemus. Quod autem hic reſolvimus de Dei exiſtentia, reſolutum erit de aliis Articulis à quibuſdam Viatoribus evidenter cognitis, ut erat Chriſti mors, ſepultura &c. reſpectu illorum, qui aderant.

CONCLUSIO I.

TEnetur quilibet credere exiſtentiam Dei ſimpliciter propter divinam revelationem, etiamſi exiſtentia illa ſit ipſi evidens.

Prob. 1. Quia loca, undè deſumimus obligationem ità credendi Deum eſſe, non diſtinguunt inter Doctum & indoctum, inter Philoſophum & ruſticum, inter illum, cui evidens eſt divina exiſtentia, & illum cui eſt inevidens: ſed ubi Scriptura, PP. & Symbola non diſtinguunt, nec nos diſtinguere debemus: ergo.

Prob. Ma. Quia dum in Scriptura Exod. 20. proponitur hoc credendum. *Ego ſum Dominus Deus tuus*. Et Joan. 17. dicitur: *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te Deum*, nulla fit credentium diſtinctio: ſicut nec fit in Symbolis, ubi legitur: *Credo in Deum*, *Credo in unum Deum*; & ne diceres, non fieri ibi mentionem Dei ut Authoris naturę, ſubjungitur in Apoſtolico: *Creatorem Cæli, & terræ*, & in Nicæno: *Factorem Cæli & terræ*. Similiter hanc eſſe omnibus credendæ exiſtentiæ divinæ obligationem, unanimiter aſſerunt PP. ex quibus loquatur unicus Chryſoſtomus Homil. 2. in Symbol. *Dicite, quod à nobis auditis, Credo in Deum....ergo ponite in fundamento cordis hanc credulitatem*.

Prob. 2. Debent omnes credere fide divina divinam revelationem, ob quam credenda ſunt Fidei myſteria: ſed non poſſunt hanc credere fide divina, niſi fide divina credant Dei exiſtentiam; cùm non poſſit eſſe alicui certius Deum aliquid revelaſſe, quàm Deum exiſtere: ergo.

Prob. 3. Ideò eximeretur doctus ab actu Fidei circa divinam exiſtentiam, quia non poſſet credere ob divinam revelationem, quod novit per demonſtrationem: ſed hoc eſt falſum: ergo. Prob. Min. Quia nulla eſt aſſignabilis implicantia aut inconvenientia, quòd quis aſſentiatur rei evidenti, ob divinam revelationem. Non ſolemus quidem aſſentiri propoſitioni aliundè evidenti ob dictum hominis, quia nempè certiora ſunt quæ ſcimus ex viſu, quàm ex hominum relatu: ſed hic contrarium evenit, cùm ſciamus ſenſus noſtros eſſe fallibiles, infallibile autem teſtimonium divinum, undè quod dicunt nonnulli, rem evidentem non poſſe eſſe objectum Fidei, non ideo dicunt, quia putant impoſſibile eſſe aſſentiri rei evidenti ob teſtimonium Dei loquentis; ſed quia ſupponunt objectum Fidei debere eſſe obſcurum & inevidens, de quo Concluſione ſequenti.

Dices 1. Certus de veritate aliqua non poteſt idem aſſentiri propter aliud motivum: ſed habens demonſtrationem de divina exiſtentia eſt certus de illa: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Non poteſt eidem aſſentiri propter aliud motivum minùs certum: Tranſeat; quia lumen minus non cenſetur movere in præſentia majoris. Dixi *Tranſeat*; quia plurimi agnoſcentes Dei exiſtentiam per demonſtrationem, etiam eidem adhærent ob unanimem omnium populorum conſenſum. Non poteſt eidem aſſentiri propter aliud motivum certius: N. cùm enim certitudo ex ſcientia non ſit ſuprema, poteſt illi certitudini certitudo ſuperaddi.

Dices 2. Nota per demonſtrationem non credimus, ſed ſcimus: atqui nota per divinam revelationem non ſcimus, ſed credimus: ergo non poſſumus eidem veritati aſſentiri per utrumque illud medium.

Reſp. Nota utroque illo medio eſſe ſimul ſcita & credita; quia non repugnat ſcientiæ credulitas, ſaltem ubi hæc auget ſcientiæ certitudinem.

Dices 3. Cognitio exiſtentiæ divinæ præambula eſt ad Fidem: ergo non eſt Articulus Fidei, Prob. Ant. Quia non poſſumus credere aliquid eſſe à Deo revelatum, niſi priùs cognoſcamus Deum eſſe, à quo ſit revelatum.

Reſp. Diſt. Conſeq. Non eſt Articulus Fidei, quatenùs præcisè prærequiratur ad fidem: C. quatenùs aliunde conſtat, exiſtentiam divinam eſſe à Deo revelatam N. Unde ut eliciamus primum actum Fidei, debemus ſcire ſcientia naturali eſſe Deum; aliàs non poſſemus ſcire à Deo revelationem, propter quam credimus objecta Fidei; ubi autem poſtea legimus vel audimus Deum revelaſſe ſuam exiſtentiam, illa etiam fit nobis objectum Fidei: ad quod non ſatis advertunt aliqui.

CON-

CONCLUSIO III.

ACtus, quo quis, ob revelationem divinam, credit Dei exiſtentiam ſibi aliunde evidentem, non eſt, in omni rigore actus Fidei.

Ratio eſt; quia ad actum Fidei duo requiruntur, nempè revelatio divina, de qua conveniunt omnes, & objectum obſcurum, de quo non convenit Author præmemoratus: ſed exiſtentia divina evidenter cognita non eſt objectum obſcurum: ergo. Prob. Ma. Quoad 2. Partem. in qua ſola reperitur difficultas: primo ex Scriptura Hebræor. 11. ubi Fides dicitur *Argumentum non apparentium*; & alibi legitur nos debere captivare intellectum in obſequium Fidei. ſecundo ex Auguſt. Tract. 40 in Joann. ubi ait. *Quid eſt Fides, niſi credere quod non vides?* Et Tract. 79. poſtquam dixit: *Hæc eſt enim laus Fidei, ſi quod creditur, non videtur*, ſubdit paulò poſt: *& neſcio utrùm credere dicendus eſt quiſque, quod videt*. Quare autem neſcit? Niſi quia deeſt objecto obſcuritas, quam credit neceſſariam ad actum ſtrictæ Fidei. Auguſtino conformes ſunt alii PP. ità ut ne unus quidem citetur pro oppoſita, tertio. Quia actus Fidei, ſecundùm omnes PP. & Theologos, dicitur actus valdè meritorius: in aſſenſu autem rei evidentis cùm nulla ſit difficultas, aut ſaltem valdè modica, nullum eſt meritum, aut ſaltem modicum: undè D. Greg. Hom. 26. in Evang. *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*.

Dices 1. Ubi Fides dicitur *Argumentum non apparentium*, etiam dicitur *Sperandarum ſubſtantia rerum*: ſed non verſatur tantùm circà res ſperandas, cùm verſetur circa internum, quod eſt objectum timoris, non ſpei: ergo nec verſatur tantùm circà non apparentia.

Reſp. Retorquendo Argumentum: tantùm verſatur circa unum aut aliud ſperandum (nam propriè tantùm ſperamus gratiam in hac vita, & gloriam in altera, & quidem gratiam propter gloriam: undè non ſperamus Chriſti Incarnationem, Paſſionem, & alia præterita) ergo tantùm verſatur circa unum aut aliud non apparens: quod apertè falſum eſt. Hinc patet non poſſe inſtitui inter illa paritatem, cùm ibi tantùm agat de objecto Spei primario, non autem de ſolo objecto primario Fidei.

Dices 2. Poſtquam dixit Apoſt. Hebr. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*, ſubdit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt*: ergo ſupponit aſſenſum circa Dei exiſtentiam, quam docet poſſe eſſe ex creaturis evidentem Rom. 1. eſſe objectum veræ Fidei.

Reſp. Ex D. Thoma 2. 2. q. 1. art. 7. Apoſtolum ibi loqui de Deo ut Authore ſupernaturali, ſicut agit ibidem de illo ut Remuneratore in eodem ordine, ſub quo reſpectu certum eſt, eſſe objectum obſcurum.

Dices 3. Quando Apoſtolus & Patres dicunt Fidem eſſe de obſcuris, tantùm volunt ſic eſſe ordinariè: quod non obeſt quominùs ſit aliquando, & extraordinariè de evidentibus.

Reſp. Neg. Aſſump. Nam cùm D. Paulus loquatur de fide, ipſam definiendo, aut quaſi definiendo, clarum eſt loqui de neceſſariis ad fidem, adeoque de ſemper requiſitis. Auguſt. autem dicens ſup. *Neſcio utrùm credere dicendus eſt quiſque, quod videt*, ſatis oſtendit ſe credere cum Apoſtolo ſemper neceſſariam eſſe ad Fidem obſcuritatem objecti.

Dices 4. Actus, quo quis aſſentitur rei evidenti propter Dei revelationem, non eſt ſcientia: ergo eſt Fides, cùm debeat eſſe unum vel aliud.

Reſp. Neceſſe ſcientiam, nec propriè Fidem; magis tamen participare de fide ob motivum credendi; & ideò deficientibus vocibus, dici poteſt Fides, nempe largè ſumpta. Ex dictis

Reſol. Nos conciliare Scripturam & PP. cum Scholæ Magiſtris, dicendo nempe cùm illis credendum eſſe ob divinam revelationem Dei exiſtentiam licèt evidentem, cùm non diſtinguant: cum his autem, aſſerendo actum illum non eſſe Fidei ſtrictæ, de qua loquuntur, cùm dicunt eſſe neceſſariò de obſcuris, ſicuti locuti ſumus in Tract. de Fide.

QUÆSTIO VII.

Quid ſit Deus?

CONCLUSIO I.

NOn poſſumus propriè definire, quid ſit Deus. Eſt communis inter Doctores.

Prob. 1. Definitio eſt oratio explicans naturam rei: ſed non poſſumus pro hoc ſtatu explicare Dei naturam: ergo. Prob. Mi. Ex Nazianzeno Orat. 40. *Certè hoc Deus eſt*, inquit, *quod cùm dicitur, non poteſt dici; cùm æſtimatur, non poteſt æſtimari, cùm definitur, definitione creſcit, quem omnia neſciunt, & metuendo ſciunt*. Item ex Damaſceno lib. 1. de Fide cap. 4. *Quòd Deus ſit, liquidò conſtat, quid autem ratione eſſentiæ, naturæque ſit, nullomodo cognoſci poteſt*. Unde Pſalm. 17. dicitur: *Poſuit tenebras latibulum ſuum*.

Prob. 2. Omnis Definitio propriè dicta conſtare debet genere & differentia: ſed, ut dicitur in Logica, in Deo neque eſt genus, neque differentia: non quidem differentia; quia illa ratione ſui debet excludere genus: quidquid autem pro differentia Dei allegaveris, gradum genericum includet, non ratione tertii, ut ſit in creatis; ſed ratione ſui, utpotè includens realiter omnem omnino perfectionem. Non etiam genus, cùm ſit potentiale & perfectibile, in Deo autem omnia ſint actu infinitè perfecta: ergo. Scio aliquos ſuſtinere imperfectionem generis non ſe tenere ex parte rei conceptæ, ſed ex parte concipientis; ſed etiam ſcio, relicta Logicis hac difficultate, concipientem in Deo aliquid per modum perfectibilis, non concipere aliquid Dei; cùm nihil tale in Deo reperiatur.

Dices: Scotus 1. diſt. 3. q. 2. n. 5. aſſerit poſſe à nobis viatoribus haberi conceptum Dei quidditativum & eſſentialem: ergo poteſt definiri.

Reſp. Diſt. Ant. Conceptum Dei quidditativum evidentem, qui explicet Dei naturam diſtinctè, id eſt per genus & differentiam: N. Conceptum confuſum, id eſt, qui eſſentiam aliquo modo oſtendat per proprietatem C. nec plus vult Scotus, ut legenti patebit.

CONCLUSIO II.

POteſt à nobis aliquo modo definiri Deus, vel oſtendendo, quid ſit, vel declarando quid non ſit: ſivè, quod idem eſt, vel aliquid de ipſo affirmando, vel negando. Ità Scotus ſup. n. 2. Cui non adverſatur D. Thomas docens non poſſe Deum à viatoribus affirmativè cognoſci & definiri, ſed tantùm negativè, removendo ſcilicet ab eo creaturarum imperfectiones; quia loquitur de definitione propria.

Prob. 1. Pars; quia poteſt dici de Deo quòd ſit ens ſummè bonum, juſtiſſimum, potentiſſimum, ſapientiſſimum: ſed tunc aliquid de ipſo verè affirmamus, ipſumque aliquo modo definimus, ſcilicet per Attributa: ergo.

Prob. 2. Pars; quia poſſumus dicere, quòd non ſit ens ab alio, quòd ſit ſine fine, ſine principio, ſine termino, quòd non poſſit comprehendi &c. ſivè, quod idem eſt, quòd ſit à ſe, quòd ſit ens æternum, infinitum, immenſum &c. Et per hunc modum poſſumus habere conceptum de Deo diſtinctiorem, & faciliorem, quàm per priorem: veriùs enim & faciliùs concipitur à nobis quid non ſit, quam quid ſit, ut frequenter docet Dionyſius Areopagita.

CONCLUSIO III.

INter omnes definitiones, quas de Deo facere poſſunt viatores, videtur hæc omnium perfectiſſima, ſcilicèt ens omnimodè infinitum, à quo ſunt, conſervantur, & reguntur omnia. Ita Scotus n. 17.

Prob. Quia definitio illa comprehendit omnem omnino perfectionem, quæ de Deo dici poteſt aut excogitari: qui enim dicit Deum eſſe ens omnimodè infinitum, dicit ipſum eſſe infinitè ſapientem, juſtum, bonum, miſericordem, dicit eſſe immenſum, æternum, incomprehenſibilem &c. Imò illa omnimoda infinitas eſt ratio formalis, cur omnia Prædicata, quæ Deo attribuuntur, ipſi conveniant. Si quis enim petat, cur Deus ſit immenſus, incomprehenſibilis &c. Rectè dicetur, quia eſt omnimodè infinitus: Hanc definitionem nobis inſinuavit S. Damaſcenus l. 1 de Fid. c. 12. ubi ait: Quod natura divina ſit *immenſum eſſentiæ pelagus, univerſum, quod eſt, ſuo complexu continens*. Unde continet Deus omnes omnino creaturarum perfectiones; ſimpliciter quidem ſimplices, ſeu quæ nullam involvunt imperfectionem, formaliter, id eſt, ſecundùm eandem rationem: mixtas verò imperfectione, ſeu perfectiones ſecundùm quid, eminenter, id eſt, perfectione altioris ordinis.

Addidi: *A quo ſunt, conſervantur & reguntur omnia*; quia licèt effectus Dei non conſtituat Deum, tamen neceſſe fuit particulas illas addere, ne Epicurei definitionem noſtram tribuerent mundo, in quo prætendunt omnes omnino perfectiones reperiri.

Dices 1. Infinitas non eſt de primario conceptu Dei: ergo poteſt dari definitio perfectior. Prob Ant. Quia illa non conſtituit formaliter naturam divinam, ſed illam afficit, ut conſtitutam.

Reſpond. Diſt. Ant. Non eſt de primario conceptu Dei imperfectè, & inadæquatè concepti: C. perfectè, & adæquatè concepti: N. eſt enim modus intrinſecus ſine quo (ut benè notat Scotus) non poteſt quidditas adæquatè concipi: unde non afficit naturam divinam adæquatè conſtitutam (quod con-

Digitized by Google

convenit Attributo) ſed includitur inadæquato ejus conceptu.

Dices 2. Per illam definitionem non manifeſtatur, quòd Deus ſit ſubſtantia, vivens, intellectualis, ſpiritualis: ergo &c.

Reſp. Diſt. Ant. Non manifeſtatur formaliter, & expreſsè: C. virtualiter & implicitè: N. nam dicendo quòd ſit omnimode infinitus, dicitur quòd habeat omnem perfectionem poſſibilem.

QUÆSTIO VIII.

Quænam ſint prædicata Dei eſſentialia?

SUppono 1. Prædicata Dei eſſentialia, ſeu quidditativa, eſſe illa, quæ involvit eſſentia Dei præcisè ſecundùm ſe, prout eſſentia Dei diſtinguitur à Prædicatis attributalibus, notionalibus, & reſpectivis.

Suppono 2. Quòd unum eſſentiale Dei Prædicatum ſit exiſtere, ut diximus q. 3. imò & præcipuum, ut dicemus poſteà.

CONCLUSIO I.

ENs eſt Prædicatum Dei eſſentiale.

Prob. Ens non minùs, imò magis, ut dicam, ineſt Deo formaliter & intrinſecè, quàm creaturis: ſed reſpectu creaturarum eſt prædicatum eſſentiale: ergò à fortiori reſpectu Dei. Minor eſt certa. Prob. Ma. Quia omnia prædicata, quæ ſecundùm ſuam rationem formalem ſunt communia Deo & creaturis, longè perfectiori modo reperiuntur in Deo quàm in creaturis: ergo ſi illis ineſt intrinſecè, à fortiori Deo: unde Damaſcenus lib. 1. de Fid. c. 12. *Ex omnibus Dei nominibus, nullum æquè proprium videtur, ac nomen entis.*

Non ſumitur tamen ens, quod Deo attribuimus, nominaliter; quia ſic ſumptum abſtrahit ab exiſtentia actuali: Deus autem ſic eſt, ut non poſſit non eſſe; ſed ſumitur participaliter, ut idem ſit ens, quod actualiter exiſtens.

CONCLUSIO II.

DEus eſt etiam eſſentialiter ſubſtantia, ſpiritualis, intellectualis, & vivens.

Primam Partem (quæ eſt de fide Cap. *Firmiter* de ſumma *Trinit.*) ſic probant aliqui: Deus eſt cauſa omnium ſubſtantiarum: ergo & ipſe eſt ſubſtantia; quandoquidem cauſa principalis ſit vel æqualis perfectionis cum effectu ſi ſit univoca: vel majoris, ſi ſit univoca; ſed ſalva eorum pace, dixerim, me probaturum eodem argumento Deum eſſe eſſentialiter animal, lapidem &c. ut conſideranti patebit.

Prob. Igitur aliter: Eſſe ſubſtantiam eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, ſeu perfectio ſine imperfectione, ut ſatis patet: ſed omnis talis perfectio competit Deo formaliter, ut diximus, & dicemus poſteà: ergo: undè Auguſt. lib. 5. de Trinit. *Eſt Deus ſine dubitatione ſubſtantia.* Quando autem aliqui PP. dicunt Deum non eſſe ſubſtantiam, ſed ſuprà ſubſtantiam dici poteſt, quòd non loquantur de ſubſtantia prout dicitur à ſubſiſtendo per ſe (de qua hic agimus) ſed de ſubſtantia prout derivata à ſubſiſtendo, nempè accidentibus, quibus cùm non ſubſtet Deus, clarum eſt quòd ſit ſuprà ſubſtantiam ſic ſumptam. Vel certè ſi loquantur de ſubſtantia 2o. modo ſumpta, dicendum eſt Deum eſſe ſuprà ſubſtantiam creatam, utpotè omni ſubſtantia creata infinitè eminentiorem.

Prob. 2. Pars, tùm ex Script. Joan. 4. *Spiritus eſt Deus*, tùm ex Cap. *Firmiter* ſup. ubi hæc veritas definitur; tùm etiam ratione; quia Deus eſt inviſibilis, adeoque ſpiritus, & non corpus, quod poteſt videri. Imò ſi eſſet corpus, componeretur vel ex materia & forma, vel ex partibus entitativis realiter diſtinctis: talem autem compoſitionem Deo repugnare, oſtendemus infrà. Accedit quòd ſpiritualitas ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, adeoque enti perfectiſſimo non deneganda.

Nec refert 1. Quòd dicamur facti ad imaginem Dei: hoc enim verum eſt ſecundùm animam, non ſecundùm corpus.

Nec refert 2. Quòd Deus in Scriptura dicatur habere oculos, manus, aures &c. quia ut docet Auguſtinus variis locis, per oculos ſignificatur ſcientia, per manus potentia, per aures omnium intelligentia; & his Metaphoris utitur Scriptura, ut illa à nobis corporeis meliùs percipiantur.

Prob. 3. Pars; quia eſſe intellectualis (nempè radicaliter, à quo pullulat intellectus & intellectio, prout hic ſumitur intellectualis) eſt perfectio ſine imperfectione, ſicut eſſe volitivus, adeoque primo omnium enti tribuenda.

Prob. 4. Pars ex Script. Numer. 14. *Vivo ego, ait Dominus.* Iſa. 37. *Audi omnia verba Senacherib, quæ miſit ad blaſphemandum Deum viventem.* Et Hebræor. 10. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis*, ubi ly *vivens* ponitur tamquam aliquid Deo ſpecialiter proprium præterea Pſ. 32. dicitur: *Qui intelligit omnia opera eorum*: ſi intelligit: ergo vivit vita intellectuali. Dico *intellectuali*, non vegetativa aut ſenſitiva, cùm ſit ſpiritus.

Notandum tamen diſcrimen inter noſtram & Dei vitam, quò vita noſtra actualis ſit actus 2. exercitus à vita ſubſtantiali, à qua realiter diſtinguitur: item quòd fiat per veram cauſalitatem, quòd ſit accidens &c. Vita autem Dei 2. ſit realiter vita prima, ſit abſque ulla vera cauſalitate, ſit ſubſtantia, cùm ſit Deus ipſe &c.

QUÆSTIO IX.

An Deus ſit eſſentialiter ſingularis, & an oſtendi poſſit ratione Deo immultiplicabilitas?

CONCLUSIO I.

DEus eſt eſſentialiter ſingularis. Ità D. Thom. q. 3. art 3. & Scotus 1. d. 4 q. 2. n. 3. ubi ait. *Deitas eſt de ſe hæc*, Eſtque communis inter DD.

Prob. 1. Ex Script. quæ Deo unitatem, adeoque ſingularitatem, tamquam ſpeciale quid attribuit variis locis, ut Deuter. 6. *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt.* Et Jo. 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum.*

Prob. 2. ratione: Si ſingularitas non eſſet de conceptu formali Deitatis, non repugnaret ipſam multiplicari: repugnat autem multiplicari, ut probabitur infrà; ergo. Prob. Ma. Quia tunc Deitas haberet ſe ad inſtar potentię metaphyſicę ad hæcceitatem, eſſetque de ſe indifferens ad varias hæcceitates; adeoque multiplicabilis per illas in plura individua, ut patet in natura humana, aliiſque creatis, quæ, quia non ſunt ſingulares ex ſua quidditate, ſed per formalitatem naturæ ut ſic ſuperadditam, nempè hæcceitatem, ſunt in plura ſingularia multiplicabiles.

Porrò ſingularitas non tantùm eſt de conceptu formali Deitatis, & omnium Prædicatorum eſſentialium, v. g. ſubſtantię, intellectualitatis, vitæ &c. ſed etiam omnium Attributorum, & relationum divinarum: nam ſicut repugnat multiplicari Deitatem, ità & divinam bonitatem, filiationem, & cæteras proprietates; undè ſingularitas non eſt aliquod prædicatum eſſentiale diſtinctum ab illis, ſed eſt ipſamet Prædicata eſſentialia, ipſamet Attributa, ipſæmet Relationes divinæ, quatenùs important repugnantiam ad multiplicari, immutiplicabilitas verò eſt quædam negatio conſequens.

Dices: Qui concipit ens à ſe præcisè concipit Deum ut diſtinctum ab omni alio: ſed non concipit illum ut ſingularem: ergo ſingularitas non eſt Prædicatum Dei eſſentiale.

Reſp. Diſt. Ma. Concipit Deum, ut diſtinctum ab omni alio exiſtente: C. ab omni alio conceptibili. N. nam ſuppoſito quòd ſingularitas non eſſet de eſſentia Dei, nulla eſſet implicantia concipere aliam eſſentiam ſimile. Imo non poteſt concipi plurium Deorum implicantia, niſi concipiatur eſſentia Dei, ut immultiplicabilis.

CONCLUSIO II.

OStendi poteſt variis rationibus Deum eſſe immultiplicabilem, ſeu eſſe eſſentialiter unicum. Eſt contra Polytheos, quorum aliqui duos fingebant Deos, alii tres, alii tot, quot ſunt dies in anno, alii (de quibus Auguſtinus lib 4. de Civit. Dei cap. 8.) duodecim pro ſola ariſta ad menſem uſque perducenda: imò, ut refert Euſeb. lib. 5. Præpat. Evang. Cap. 15. *Trigenta Deorum millia in terra eſſe cenſuit Heſiodus*: quos Idololatras ut ridiculos oſtendat Tertullianus Apologetici cap. 10. ſic ait: *Nec ego per ſingulos decurram tot ac tantos Deos, novos, veteres, barbaros, græcos, Romanos, peregrinos, captivos, adoptivos, proprios, communes, maſculos, fæminas, ruſticos, urbanos, nauticos, militares &c.*

Prob. 1. Si eſſent duo Dii, vel unus includeret omnes omnino perfectiones alterius, vel non: ſi primum, non diſtingueretur ab alio, & ſic non eſſent duo: ſi ſecundum, non eſſet Deus, cum per Deum intelligamus ens infinitum in omni genere perfectionis, ſeu cui nulla deeſt perfectio imaginabilis.

2. Quia ſi eſſent duo Dii, poſſet unus velle conſervare unam creaturam, & alter nolle, cùm eſſent liberi: ſed non poteſt utriuſque voluntas impleri: ergo alteruter non eſſet omnipotens, adeoque nec Deus, cùm careret illa perfectione.

3. Inter illos Deos vel unus ſciret ſecreta alterius, vel non: ſi ſecundum: ergo in illo eſt ignorantia: ſi primum: ergo in altero eſt impotentia, nempè celandi ſua ſecreta; jam autem & ignorantia & impotentia repugnant Deo, & conſequenter alteruter non eſſet Deus.

4. Implicant plura ſumma bona: ergo & plures Dii. Prob.

Ant.

Digitized by Google

Ant. Vel enim unicum poteſt ſatiare appetitum rationalem, & ſuperfluit aliud; vel non poteſt, & non eſt ſummum.

5. Non poſſunt eſſe duo fine ultimi: ergo nec duo Dii. Prob. Ant. Vel enim finis ultimus A referretur ad finem ultimum B, vel non: ſi non, finis B. non eſſet ultimus, cùm ad ipſum non referrentur omnia: ſic, non eſſet ultimus finis A. cùm ipſemet referretur ad alium.

Dices 1. Non implicant tres Perſonæ divinæ: ergo nec plures Dii.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt quòd, cùm tribus Perſonis eadem numero inſit natura, etiam eædem prorsùs inſint perfectiones, nempè eadem voluntas, eadem ſapientia, eadem bonitas &c. ex quibus non ſunt nata ſequi ulla inconvenientia, quæ ſequi poſſent ex diverſis voluntatibus &c. in Diis pluribus repertis.

Dices 2. Homines vocantur quandoque in Scriptura Dii, aut filii Dei.

Reſp. Dici Deos, aut Dei filios, non natura, ſed vel ſimilitudine ſecundùm animam, vel adoptione, vel poteſtate, in quantùm operantur quandoque prodigia.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Attributis Dei poſitivis.

Licèt Attributum latè ſumptum importet quodlibet prædicatum alteri tributo (alteri enim ut ſubjecto tribui, eſt de ipſo prædicari: & hoc ſenſu omnia, quæ de Deo prędicantur, attributa dici poſſunt) nihilominùs hic per Attributum intelligimus perfectiones abſolutas, quæ adinſtar proprietatum ex divina eſſentia emanant, ſive interim ſint poſitivæ, ſive negativæ; & ideò quamvis in hac Diſputatione de ſolis Attributis poſitivis eſſet agendum; nihilominùs pauca de negativis in Quæſtione 1. dicemus.

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex Attributum?

CONCLUSIO I.

Attributum in genere, prout abſtrahit à poſitivo & negativo, eſt perfectio Dei abſoluta per modum qualitatis afficiens divinam eſſentiam, ex qua pullulat.

CONCLUSIO II.

Dividitur Attributum in poſitivum & negativum. Poſitivum, juxta Smiſing, eſt Dei perfectio ſimpliciter, quaſi in eſſe ſecundo ac per modum qualitatis afficiens eſſentiam divinam in ratione adæquata eſſentiæ ſubſtantialis conſtitutam: & hoc Attributum dicitur à Scotiſtis Attributum ſimpliciter.

Dictum eſt 1. *Perfectio ſimpliciter*, ut excludantur proprietates relativæ, ut Paternitas, Filiatio &c. quas non eſſe perfectiones ſimpliciter, inferiùs oſtendemus. Item ut excludantur prædicata metaphoricè Deo attributa, ut Leo, Agnus &c. quæ ſecundùm ſe ſunt perfectiones mixtæ imperfectione.

Dictum eſt 2. *Quaſi in eſſe* ſecundo nè comprehendantur prædicata eſſentialia, ut ſubſtantia, vivens &c. Quæ in eſſe primo Deo competunt. Similiter ut excludantur reſpectus Dei actuales ad creaturas, ut Creatoris actualis, Domini actualis &c quæ nequidem in eſſe ſecundo conveniunt Deo, ſeu per modum proprietatis; cum non neceſſariò, ſed contingenter ei competant, utpotè qui ante creaturas conditas non erat Creator aut Dominus in actu ſecundo.

Denique additur: *Divinam eſſentiam adæquatè conſtitutam afficiens*, per quod differt ab Attributo negativo, quod in eſſentia adæquatè concepta includitur.

Porrò. Attributa Dei poſitiva ſunt intellectio, volitio, ſapientia, providentia, bonitas, juſtitia &c.

Attributum negativum, ſeu, ut volunt Scotiſtæ, modus intrinſecus, eſt id quod non variat rationem formalem eſſentiæ divinæ, ut patet ex definitione modi intrinſeci in genere, qui dicitur eſſe id quod non variat rationem formalem ejus, cujus eſt modus.

Dicitur: *Quod non variat rationem formalem &c.* Quia eſſentia divina non eſt poſitivè formaliter alia concepta cum modo, ac concepta ſine illo, ſed eſt tantùm perfectiùs & adæquatiùs concepta: undè non eſt formalitas poſitiva ſicut Attributum poſitivum, ſed quædam perfectior explicatio eſſentiæ divinæ per conceptum perfectum, & adæquatum. Ex quo patet eſſentiam divinam eſſe quidem conceptibilem ſine modo, ſed imperfectè; cum illo autem, perfectè, & adæquatè.

Porrò modi intrinſeci (quæ Attributa negativa dicuntur, vel quia fortè eſſentiæ divinæ ſolam negationem addunt, vel quia per negationem ſaltem virtualem exprimuntur) ſunt ſequentes, eſſe incauſatum, ſeu à ſe, vel eſſe independens, neceſſitas eſſendi, infinitas, actus purus ſeu ſimplicitas, æternitas, immenſitas, immutabilitas, ineffabilitas, incomprehenſibilitas, inviſibilitas. Eſt autem hoc diſcrimen inter Attributa poſitiva & negativa, quòd hæc nullo modo creaturis conveniant, ut clarum eſt; illa verò aliquo modo conveniant in ratione communi.

QUÆSTIO II.

Quomodo diſtinguantur Attributa divina, tùm inter ſe, tum ab eſſentia?

Licèt hic tantùm de diſtinctione Attributorum tùm inter ſe tùm ab eſſentia foret agendum, quia tamen videtur difficultas eadem idemque fundamentum de diſtinctione Perſonalitatum ab eſſentia; ideò hic difficultatem unam expediemus cum altera. Sed ante

Suppono 1. Sufficienter dictum eſſe in Philoſophia, quid ſit diſtinctio formalis, quid formalitas, in quo differat formalitas à re, quòd formalitates non ſint res, ſed realitates; non quid, ſed quidditates: quòd non ſint multa, plura, diſtincta &c. Sed multæ, plures, diſtinctæ &c. quia dicta vocabula in neutro expreſſa ſonant diſtinctionem, & pluralitatem non tantùm naturarum, aut formalitatum, ſed etiam rerum & ſuppoſitorum.

Suppono 2. Definitam eſſe ibidem diſtinctionem rationis ratiocinatæ, & ratiocinantis: item diſtinctionem realem, quam diximus eſſe illam, qua quædam ſic inter ſe diſtinguuntur, ut unum ſit vel ſeparatum, vel ſeparabile ab altero, vel principium aut cauſa alterius, vel certè procedens alia actione quàm aliud. His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

Eſſentia divina non diſtinguitur realiter ab Attributis aut perſonalitatibus, ſicut nec Attributa inter ſe. Eſt contra Gualterum, qui, ut referunt Niphus, & Jacobus de Vitriaco, docuit eſſentiam divinam realiter ab Attributis diſtingui. Item contrà Gilbertum Porretanum, qui voluit Deitatem & Attributa diſtingui realiter à tribus perſonalitatibus, non tamen eſſentiam ab Attributis, ut ei falsò imponunt aliqui.

Prob 1. Ex Concil. Lateran. Cap. *Firmiter*, ubi decernitur, ſubſtantiam divinam eſſe omnino ſimplicem: atqui ſi Attributa realiter ab eſſentia diſtinguerentur, non eſſet omnino ſimplex. ergo. Item in eodem Concilio definitur non eſſe in Deo quaternitatem: *In Deo trinitas eſt*, inquit, *non quaternitas, quia quælibet trium Perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſive natura divina*: ſed ſi realiter diſtingueretur eſſentia divina à tribus Perſonis, eſſet quaternitas, ut patet: ergo. Præterea in divinis omnia ſunt unum, ubi *non obviat relationis oppoſitio*, ut definitum eſt in CG. Toletano XI. & Florent. ſed inter eſſentiam & Attributa, ſicut inter eſſentiam & perſonalitates, non eſt relationis oppoſitio: ergo inter illa non eſt diſtinctio realis: undè error uterque & Fidei, & divinæ ſimplicitati repugnat.

Prob. 2. Infinitum in omni genere perfectionis identificat ſibi omne ſecum compoſſibile: ſed eſſentia divina eſt talis: ergo identificat ſibi & Attributa & perſonalitates.

Prob. 3. Ex definitione diſtinctionis realis; quia nec Attributa nec perſonalitates ſunt ſeparata aut ſeparabilia ab eſſentia divina, nec illa ſunt cauſa aut principium hujus, nec hæc cauſa aut principium illorum, ſicut nec ab invicem procedunt per aliquam actionem: ergo nulla intercedit inter illa diſtinctio realis.

Nec refert 1. Quòd Attributa & perſonalitates contineantur in eſſentia divina; quia eſt continentia impropria, quæ non impedit realem eorum identificationem, ut patet in animali, quod continetur in homine, cui realiter identificatur.

Nec refert 2. Quòd Attributa perficiant, & eſſentia perficiatur; quia non non perficiunt Attributa per modum formæ

in-

Digitized by Google

informantis, aut partis componentis ; ſed per modum formalitatis & perfectionis intrinſecæ, ſicut riſibile reſpectu eſsentiæ hominis.

Nec refert 3. Quòd eſsentia divina ſit communicabilis tribus perſonis, non ſic Paternitas verb. gr. quia contradictoria illa ſalvantur per diſtinctionem formalem, ut infrà patebit. Alia objici poſsunt, quæ faciliùs in Tractatu de Deo trino ſolventur.

CONCLUSIO II.

INter relata Concluſione præcedenti non ſufficit ſola nominum varietas. Eſt contrà Nominales, qui nequidem rationis diſtinctionem inter illa volunt admittere, ſed contendunt totam diverſitatem ex ſola nominum diverſitate haberi : quæ nominum diverſitas deſumitur, ut ajunt, ex eo quòd una & ſimplex eſsentia divina variè connotet creaturam ; adeoque ut reſpicit miſeriam ſublevandam, dicitur *miſericordia*; ut homines gratificandos, *bonitas*; ut mala punienda, *juſtitia*; ut creaturas creabiles, *potentia creandi* &c.

Prob. Concluſio tum ex Conciliis & PP. qui de eſsentia, & Attributis loquuntur ut de multis, non ſolo nomine, ſed ſignificato diſtinctis : undè D. Baſilius lib. 1. contra Eunomium. *Quonam igitur pacto non deridendus erit, ſi creandi virtutem ſubſtantiam eſſe dicat, ſi providentiam rurſus ſubſtantiam, eodem modo præſcientiam, & omnem itidem operationem ſubſtantiam putet? Quæ cuncta ſi ad unum tendunt ſignificatum, neceſſe eſt, ut inter ſe idem valeant; ſicut ſit in iis, qui multis nominibus appellantur, ſicut cùm Simonem & Petrum, & Cepham eumdem dicimus.* & tandem concludit : *Quomodo igitur non fuerit manifeſtæ inſaniæ, ſi dicas proprium unicuique nominis ſignificatum non ſubeſſe?* Tùm etiam quia de illis verificantur contradictoria Concluſione ſequenti proferenda, quæ per ſolam vocum diverſitatem non poſſunt ſufficienter explicari.

Nec refert 1. Quòd PP. & Concilia videantur quandoque omnem omnino diſtinctionem inter illa excludere : ipſi enim de diſtinctione reali loquuntur.

Nec refert 2. Quòd eſsentia divina non ſit realiter aliud ab Attributis ; quia hoc non impedit, quominùs poſſit unum ſine ſine alio concipi, quidquid reclament Nominales ; & conſequenter non impedit, quominùs detur inter illa ſaltem diſtinctio rationis.

CONCLUSIO III.

EſSentia diſtinguitur formaliter, ſeu diſtinctione formali, à Perſonalitatibus, & Attributis. Similiter & Attributa inter ſe. Eſt Doctoris Subtilis 1. d. 2. q. 7. n. 41. & diſt. 8. qu. 4. n. 17. Itẽ diſt. 2. q. 4. ubi oſtendit diſtinctionem formalem non eſſe rationis his verbis : *Hoc modo intelligo, quòd intellectus faciens iſtam propoſitionem :* Sapientia non eſt bonitas, *non cauſat actu ſuo veritatem iſtius propoſitionis ; ſed in objecto invenit Extrema, ex quorum compoſitione ſit actus verus.*

Prob. 1. Ex Conc. Flor. Serm. ult. ubi ſic legitur : *Omnia, quę Patris ſunt, Pater unigenito Filio ſuo dedit gignendo, præter eſſe Patrem.* ergo independenter ab intellectu eſt diſtinctio inter eſſe Patrem, & ea, quæ Pater dedit Filio ; aliàs dediſſet & eſſe Patrem : ſed illa diſtinctio non eſt realis, ut fides docet : ergo formalis.

Probatur 2. Ex PP. præſertim illis, qui IV. & V. ſæculo impugnarunt Anomæos contendentes hoc Sophiſmate Filium Dei non eſſe Deum : Ingenitum & natura divina non diſtinguuntur : ſed Filius Dei non eſt ingenitus ; ergo non eſt in ipſo natura divina. Contrà quos ſic loquitur Gregorius Nicæn. libro decimo ſecundo, contra Eunomium : *Putat autem*, Eunomius, *neque juſtitiæ rationem diverſam eſſe ab his, quæ dicta ſunt exiſtere, neque ſapientiæ rationem & potentiæ, & bonitatis, & uniuſcujuſque nominum, quæ Deo decorè congruunt . . . . & ſi hæc ſtatuit Eunomius, quid fruſtra Scripturæ multis nominibus divinam naturam vocant Deum judicem juſtum, fortem, longanimem, verum, miſericordem?* Gregorius Nazianzenus Orat. 33. *An etiam immortalitas, & innocentia, & immutabilitas eſſentia DEI ſunt? At ſi ità eſt, multæ DEI eſſentiæ erunt, non una.* Auguſtinus libro 7. de Trinitate capite 4. *Aliud Deum eſſe, aliud Patrem eſſe.* & capite 6. dixerat : *Alia notio eſt, qua intelligitur genitor, alia, qua ingenitus.* Damaſcen. lib. 1. de Fide Cap. 4. *Si bonum, ſi juſtum, ſi quid tale dixeris, non naturam Dei dices, ſed quæ ſunt circà naturam.* Quid clarius? Quid expreſſius? & cap. 12. *Bonum, juſtum, ſanctum, naturam conſequuntur.*

Prob. 3. Si eſſentia non diſtingueretur à perſonalitatibus independenter à mentis opera, Pater, & Spiritus S. fuiſsent incarnati ſicut Filius : hoc nemo dixerit : ergo Prob. Ma. Quia in illo ſuppoſito eſsentia divina, utpotè omninò indiſtincta à parte rei à perſonalitate Verbi, terminaret immediatè unionem hypoſtaticam, ſicut de facto terminat illam perſonalitas Verbi : ſed quod immediatè convenit naturæ divinæ, convenit tribus Perſonis : ergo.

Prob. 4. Talis eſt diſtinctio, qualis eſt contradictio : ſed ante omnem mentis operam de allatis in Concluſione affirmatur quædam contradictio, ſeu potiùs verificantur quædam contradictoria : ergo. Major certa eſt. Prob. Min. 1. de eſſentia & Attributis. Deus eſt formaliter Deus Deitate, non juſtitia aut bonitate. Eſsentia divina eſt principium univerſale proceſſionis ad intra ; intellectus autem, quo procedit Filius, & voluntas, qua, Spiritus S. non eſt principium univerſale, ſed particulare.

2. De Attributis inter ſe. Intellectus intelligit, & non vult, voluntas vult, & non intelligit : Intellectus eſt principium generationis divinæ, non ſpirationis ; voluntas principium ſpirationis non generationis.

3. De eſsentia & Perſonalitatibus. Eſsentia divina eſt quid abſolutum, non reſpectivum ; Paternitas quid reſpectivum, non abſolutum : eſsentia divina non generat, ut Fides docet, Pater generat : eſsentia divina eſt communicata Filio, identificata Filio : Paternitas nec communicata, nec identificata : eſsentia divina nec conſtituit Patrem ut Patrem, nec diſtinguit ipſum à Filio : Paternitas & conſtituit Patrem & diſtinguit ipſum à Filio.

4. De Attributis & Perſonalitatibus. Illa enim ſunt communia tribus, hæ verò non. Quæ omnia de illis verificantur verè, propriè, à parte rei, adeoque independenter ab omni actu intellectus.

Dices cum P. Gonet : prædicta non eſse verè & propriè contradictoria ; quia non enuntiantur de eodem ſecundùm eamdem rationem ſpectato, ſed ſecundùm diverſam ; ità ut ſenſus harum propoſitionum v. gr. Eſsentia divina eſt communicabilis, Paternitas non eſt communicabilis, ſit talis : Eadem Dei ſimplex entitas prout æquivalet abſoluto, eſt communicabilis, & prout æquivalet relationi, eſt incommunicabilis ; ſicut prout æquivalet virtuti creatæ intelligendi generat Filium, & prout æquivalet facultati volendi, ſpirat Spiritum Sanctum. ſed

Contra eſt : Vel illa æquivalentia multis, relinquit à parte rei independenter ab intellectu omnimodam identitatem inter illa, de quibus verificantur contradictoria præfata ; vel non relinquit : ſi non ; ergo inter illa datur aliqua diſtinctio à parte rei, & habemus intentum. Si relinquit : ergo ſequitur 1. Quòd à parte rei Paternitas non minùs ſit communicabilis quàm eſsentia, cùm ſint omnino idem : & tamen ecce Fides docet, quòd in Patre eſsentia ſit communicabilis, & Paternitas incommunicabilis. 2. Quòd à parte rei non minùs eſsentia generet quàm Pater : & ecce definitur contrà Joachimum Abbatem in Cap. *Damnamus*. De Summa Trinitat. hanc propoſitionem : *Eſſentia generat*, eſse falſam & Hæreticam. 3. Quòd Filius non minùs procedat à parte rei per voluntatem, quàm per intellectum, cùm tamen ſit de Fide Filium procedere per intellectum, & non per voluntatem. 4. Quòd à parte rei Pater & Filius nullo modo diſtinguantur ; quandoquidem Pater nihil ſit aliud quàm eſsentia divina, & Filius nihil ſit aliud quàm eſsentia divina prorſus eadem : & tamen aſserere Patrẽ eſse Filium, hęreticum eſt & blaſphemum. Dicere autem propoſitiones Fidei circà præfata, eſse juxta modum noſtrum concipiendi, & non de illis prout ſunt à parte rei, videtur mihi ſanè periculoſum, ſi, ſaltem circa aliqua, non ſit hæreticum.

Replicabis cum Platellio Patrem identificari quidem toti eſſentiæ divinæ, id eſt omnibus prædicatis abſolutis, non tamen totaliter ; quia non identificatur filiationi & ſpirationi, quibus eſsentia identificatur : & ſic quamvis identificetur Pater toti eſſentiæ, id eſt omnibus prædicatis abſolutis, diſtinguitur tamen à Filio & Spiritu Sancto.

Reſp. Vel filiatio & ſpiratio ſunt omnino idem à parte rei cum tota eſsentia, id eſt cum omnibus prædicatis abſolutis, vel non : ſi non : ergo filiatio diſtinguitur à parte rei ab eſsentia divina, adeoque & Paternitas, cùm ſit eadem ratio de Paternitate, ac de filiatione. Si ſic : ergo Pater, qui identificatur omnibus prædicatis abſolutis, identificatur & filiationi ac ſpirationi, & conſequenter non diſtinguitur à Filio, & Spiritu Sancto.

Contendunt aliqui, ad verificanda contradictoria præfata ſufficere diſtinctionem virtualem ; ſicut ſufficit ad verificanda ſequentia ; Sol quatenus calefactivus calefacit, &

non

Digitized by Google

non illuminat: quatenus illuminativus illuminat, & non calefacit. Sed

Contra eſt. Vel illa diſtinctio ponit à parte rei aliquam varietatem inter eſſentiam & Attributa &c. vel nullam: ſi nullam, reſponderi debet eodem modo, quo reſponſum eſt ſuperiùs ad P. Gonet. Si aliquam, convenimus, ſive virtualem, ſive fundamentalem, ſive formalem, ſive alio nomine diſtinctionem illam appellaveris. Fatendum tamen diſtinctionem virtualem prout ab Adverſariis definitam, non eſſe veram diſtinctionem, ſed tantùm diſtinguibilitatem, ſeu fundamentum diſtinctionis intellectualis.

Ad exemplum Dico, quòd ut aliquid probaret, non deberet addi ly *quatenus*, ſed ſimpliciter dici: Sol calefactivus calefacit, & non illuminat: ſol illuminativus illuminat, & non calefacit, ſicut dicimus ſimpliciter: Pater generat, eſſentia non generat: voluntas vult, & non intelligit: intellectus intelligit, & non vult: ſed tunc propoſitiones eſſent falſæ.

Reſpondent denique alii, quòd ſi probatio noſtra de contradictoriis aliquid probaret, probaret eſſe diſtinctionem realem, adeoq; nimium probaret, & conſequenter nihil. Prob. Aſſumpt. Quia illo fundamento utebatur Gilbertus ad ponendam diſtinctionem realem inter eſſentiam & relationes.

Reſp. Quidquid fecerit Gilbertus, probationem noſtram non ponere diſtinctionem realem inter allata in Concluſione, ut evidenter patet ex Probatione 3. Concl. 1.

Prob. 5. Concl. de Attributis cum eſſentia comparatis: De eſſentia divina & eſſentia divina non poſſunt formari duo conceptus diverſi: ſed de eſſentia divina & bonitate poſſunt formari duo conceptus diverſi: ergo à parte rei bonitas diſtinguitur ab eſſentia: quare enim potiùs poſſent formari duo conceptus diverſi de eſſentia & bonitate, quàm de eſſentia & eſſentia, niſi quia in ſe eſt idem eſſentia, & eſſentia, non bonitas & eſſentia? Idem eſt de juſtitia & ſapientia inter ſe, de eſſentia, & perſonalitatibus.

Prob. Denique quia per diſtinctionem formalem plauſibiliter explicantur Myſteria Trinitatis & Incarnationis; per virtualem aut vix, aut ne vix poſſunt explicari; imò ad Hæreticorum objectiones obmuteſcimus: Quid enim replicares Anomœo ſic argumentanti: *Deus & ingenitus non diſtinguuntur: Filius non eſt ingenitus: ergo non eſt Deus?* An dices intercedere diſtinctionem virtualem? Reſpondebit diſtinctionem illam eſſe in tua mente, non in re, ſicque omninò impertinentem eſſe. Quid diceres aſſerentibus Patrem & Filium in divinis non diſtingui, Patrem fuiſſe incarnatum ſicut Filium, quia eſſentia & relationes ſunt omninò idem à parte rei? Non poſſes ad tuam diſtinctionem recurrere; cùm illa, utpote omninò extrinſeca, non poſſit indiſtincta verè diſtinguere.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBji. 1. Damnatus eſt Gilbertus à Concilio Rhemenſi, eo quòd aſſereret eſſentiam divinam diſtingui ex natura rei à perſonalitatibus.

Reſp. Diſt. Aſſumpt. Eo quòd aſſereret diſtingui ex natura rei formaliter: N. ex natura rei ſtrictè realiter. C. idque conſtat non tantùm ex Alenſi, D. Bonaventura, & aliis antiquioribus Theologis, ſed etiam ex D. Thoma q. 28. art. 2. Imò D. Bernardus lib. 5. de Conſider. Cap. 7. oſtendit Gilbertum admiſiſſe inter eſſentiam & perſonalitates diſtinctionem numericam, quæ ſanè realis eſt: undè turpiter erravit Vaſquez cum quibuſdam Thomiſtis recentioribus, quando Scotum Gilbertanæ condemnationis ſocium facere non erubuit.

Obji. 2. Florentinum Seſſ. 18. 19. & 25. aſſerit eſſentiam divinam non re, ſed tantùm ratione à perſonalitatibus diſtingui.

Reſp. Concilium per ly *tantùm ratione* non excludere diſtinctionem formalem, de qua tunc nulla prorſus erat controverſia, ſed realem: intendebant enim PP. Fidem explicare & oſtendere contra Trinitatis hoſtes inter eſſentiam & hypoſtaſes non eſſe diſtinctionem realem, ſicut eſt inter perſonalitates. Non fuit ergo mens Concilii diſtinctionem noſtram deſtruere, cùm ſit contrà morem Conciliorum id decidere, de quo non agitur, ſed potiùs fuit mens Concilii aſtruere; cùm Seſſ. ult. dicatur: *Omnia quæ Patris ſunt, ipſe Pater unigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe patrem*: quæ propoſitio non eſt vera, niſi pluſquam ratione diſtinguatur eſſentia à Paternitate. Præterea Seſſ. 19. dicitur: *Ipſa tamen ſubſtantia cum Perſonis communicat, proprietates verò nequaquam ſunt communicabiles: quod quidem ex relationis vi creditur evenire*: ergo non per modum noſtrum concipiendi, ſed à parte rei per relationem divinarum Perſonarum conſtitutivam habent proprietates, quòd ſint incommunicabiles; & conſequenter diſtinctæ ab eſſentia, quæ eſt communicabilis.

Obji. 3. Sanctos PP. quorum aliqui dicunt unum Attributum in divinis eſſe aliud, ut Auguſt. lib. 6. de Trinit. Cap 6. *Eadem magnitudo ejus eſt*, inquit, *quæ ſapientia .... & eadem bonitas, quæ ſapientia & magnitudo, & eadem veritas, quæ illa omnia.* Alii Attributa eſſe ipſammet Dei ſubſtantiam, ut Fulgentius Reſp. 2. ad Quæſt. Ferrandi, ubi ait: *Sic eſt utique Deus, ut ipſe ſit divinitas ſua, ſic eſt magnus, ut ipſe ſit magnitudo ſua: ſic eſt ſapiens, ut ipſe ſit ſapientia ſua; ſic eſt fortis, ut ipſe ſit virtus ſua; ſic etiam bonus, ut ipſe ſit bonitas ſua.*

Reſp. Debere intelligi de identitate reali & excluſione omnis diſtinctionis etiam realis, non autem diſtinctionis formalis, de qua non erat ipſis negotium: undè ſi benè inſpiciatur mens Patrum, evidenter apparebit nihil aliud velle, quàm quòd ſapientia in Deo, juſtitia, bonitas, & alia Attributa, non ſint accidentia ſicut in nobis, & ut id probent, oſtendunt eſſe ipſammet Dei ſubſtantiam, nempè realiter; quod ſufficit ad eorum intentum, cui nullatenùs obeſt diſtinctio formalis. Imò diſtinctionem realem rejiciendo, formalem ſatis inſinuant, cùm dicant Attributa eſſe *multa*, en diſtinctio formalis, & tamen *unum*, en excluſio diſtinctionis realis: unde D. Bernardus lib. 5. de Conſid. cap. 7. *Multa dicuntur eſſe in Deo, & quidem ſanè Catholicéque, ſed multa unum*. Ex quibus patet Catholicam eſſe formalem Attributorum multiplicitatem, ſicut hæretica eſt realis eorum multiplicitas, quæ ſic multiplicando Dei perfectiones, multiplicat & Deum; & ideò ſubdit Doctor Mellifluus: *Dicimus magnum, bonum, juſtum, & innumera talia; ſed niſi omnia unum* (unitate reali) *in Deo, & cum Deo conſideres, habebis multiplicem Deum.*

Inſt. 1. D. Bern. Serm. 8. in Cant. dicit veriorem & ſaniorem eſſe prædicationem in abſtracto, quàm in concreto, v.g. hanc *Deitas eſt ſapientia*, quàm illam: *Deus eſt ſapiens*: ſed hoc non diceret, ſi crederet ſapientiam v. g. non eſſe formaliter Deitatem: ergo.

Reſp. S. Doctorem ſic fuiſſe locutum, non quaſi voluiſſet excludere diſtinctionem formalem à divinis, ſed ut oſtenderet per prædicationem in abſtracto magis removeri periculum erroris, quàm per prædicationem in concreto; nam cùm in concreto aliquando prædicetur forma à ſubjecto diſtincta, ut patet in hac propoſitione: *Homo eſt juſtus*, poſſent credere aliqui, audita hac propoſitione: *Deus eſt juſtus*, quòd Deus diſtinguatur à juſtitia, ſicut homo; in abſtracto autem ſemper eſt identitas prædicati cum ſubjecto, & ideò dicit hanc eſſe *illa* veriorem & ſaniorem.

Inſt. 2. Auguſt. lib. 7. de Trinit. Cap. 2. ſic ait: *Non eo Pater, quo Deus, nec eo Verbum, quo ſapientia, eo tamen magnus, quo ſapiens*: ergo diſtinctionem, quam ponit inter Paternitatem & Deitatem, Filiationem & ſapientiam, negat inter magnitudinem & ſapientiam: ſed illa eſt diſtinctio formalis, cùm non poſſit eſſe realis: ergo ſaltem Attributa non diſtinguuntur inter ſe formaliter.

Reſp. Cum Scoto nolle Auguſtinum quòd ſit alia identitas aut diſtinctio inter Paternitatem & Deitatem, quàm ſit inter ſapientiam & magnitudinem; ſed quòd major ſit identitas inter hæc, quàm inter illa; nam ſapientia eſt ſibi ratio identitatis cum magnitudine, & viciſſim magnitudo cum ſapientia. Jam autem licèt Deitas ſit ſibi ratio identitatis cum Paternitate; non tamen Paternitas eſt ſibi ratio identitatis cum Deitate. Cujus ratio eſt quòd relationes ſecundùm ſe & formaliter non dicant ullam perfectionem, adeoque nec infinitam, ſicut dicunt Attributa, ratione cujus, & non tantùm ratione eſſentiæ, ſicut relationes, identificantur tum cum eſſentia, tum inter ſe.

Obji. 4. Illa diſtinctio repugnat divinæ ſimplicitati, cùm inferat in Deo compoſitionem, ſicut diſtinctio generis à differentia: ergo eſt rejicienda.

Reſp. Neg. Ant. Et ejus Probationem, 1. quia requiritur ad compoſitionem diſtinctorum unio, ut fatentur Adverſarii; jam autem nec Attributa Attributis uniuntur, nec eſſentia Attributis aut perſonalitatibus; cùm illa ſint inter ſe identificata.

2. Ad compoſitionem requiritur, ut unum habeat ſe per modum actus, & aliud per modum potentiæ: ſed in Deo nihil habet ſe per modum potentiæ, ſeu, ut potentiale; quia cùm eſſentia & quodlibet Attributum ratione omnimodæ ſuæ infinitatis identificet ſibi omnem omninò perfectionem poſſibilem eo modo quo poſſibile eſt eſſe in aliquo, non poteſt eſſe in potentia ad aliam perfectionem; adeoque & eſſentia & Attributa ſunt actus, & actus puriſſimi & completiſſimi excludentes omnem omninò perfectibilitatem; cùm nihil poſſit perfici, niſi imperfectum: in Deo autem nihil reperitur imperfectum, nihil incompletum, nihil potentiale.

3. Ubi

3. Ubi eſt pluralitas, non eſt neceſſe ut ibi ſit compoſitio: cùm pluralitas & compoſitio diſtinguantur: pluralitas ſiquidem opponitur unitati, & compoſitio ſimplicitati: undè perſonæ divinæ faciant pluralitatem, non tamen compoſitionem; quia coaleſcunt in eandem rem, non per unionem, ſed per identitatem, ſicut Attributa cum eſſentia, undè D. Bern lib. 5. de Conſid ſupra. *Unum quippè eſt*, inquit, *ſed non unitum, non partibus conſtat, ut corpus*. Et Auguſt. lib. 6 de Trinit cap. 6. Deum appellat multiplicitatem ſimplicem, & ſimplicitatem multiplicem: ergo ex Auguſtino multiplicitas non opponitur ſimplicitati, ſed unitati.

4. Diſtinctio realis Perſonarum non officit divinæ ſimplicitati: ergo nec diſtinctio formalis eſſentiæ ab Attributis, & Attributorum inter ſe Prob. Ant. Ubi non nocet majus, non nocet minus: ſed diſtinctiu perſonarum inter ſe, quæ eſt major diſtinctione formali, utpotè realis, non nocet divinæ ſimplicitati: ergo nec diſtinctio eſſentiæ ab Attributis, & Attributorum inter ſe, quæ eſt minor, utpotè formalis.

Quantùm ad id, quod dicebatur in Objectione de genere & differentia, aliud eſt: cùm enim genus utpotè finitum non includat perfectionem ſuæ differentiæ, rectè dicitur in potentia ad illam, & cum illa facere compoſitionem.

Dices: Ideò ſapientia v. g. non eſt in potentia ad juſtitiam, quia realiter identificatur juſtitiæ: ſed etiam genus realiter identificatur differentiæ: ergo ſi genus ſit in potentia ad differentiam, erit & ſapientia ad juſtitiam.

Reſp. Diſt. Ma. Ideò præciſè, quia realiter identificatur juſtitiæ: N. quia realiter identificatur juſtitiæ ratione ſui, ſeu ratione omnimodæ ſuæ infinitatis: C. genus autem identificatur quidem differentiæ, ſed ratione totius non ſui.

Obji 5. *Deus eſt ſummè unus, &, ſi dici poſſit, uniſſimus*, inquit Bernardus: ſed diſtinctio formalis deſtruit ſummam illam unitatem, ponens in Deo pluralitatem, ſine qua magis foret unus: ergo.

Reſp. Neg Min. Quia diſtinctio formalis relinquit in Deo tantam unitatem, quanta poſſibilis eſt; unitas autem quæ etiam diſtinctionem formalem excludat, eſt impoſſibilis, ſicut eſt impoſſibilis unitas ſine Perſonarum Trinitate.

Obji. 6. *In divinis omnia ſunt unum, uni non obviat relationis oppoſitio*: ergo.

Reſp Diſt. Ant. Omnia ſunt unum unitate reali: C. unitate formali: N.

Obji. 7. Nullus Patrum agnovit relationem in divinis, præter perſonales: ergo.

Reſp. Hoc eſſe verum de relatione reali, non formali, ut patet ex dictis.

Obji. 8. Sapientia ut diſtincta formaliter ab eſſentia, non eſt quid illa ſuperius, cùm Deitas ſit omnimodè ſuprema: nec inferius, aliàs eſſet creatura: nec æquale, quia daretur aliquid tantæ perfectionis ac Deus, quòd non eſſet Deus.

Reſp. Nomina illa ſuperioritatis, inferioritatis, & æqualitatis tantùm competere diſtinctis realiter; ſapientia autem divina, licèt ab eſſentia formaliter diſtincta, eſſentiæ tamen realiter identificatur: undè ſicut viſibilitas formaliter ſumpta non eſt quid ſuperius, inferius, aut æquale cum eſſentia hominis, ſed quid poſterius ſecundùm modum noſtrum concipiendi, eo quòd fluat ab eſſentia, ità & ſapientia formaliter.

Inferes: ergo Deitas, antequam intelligatur pullulare ſapientia, non eſt formaliter ſapiens.

Reſp In illo priori abſtrahere à ſapientia, & præciſè intelligi ut eſſentiam: nam quamvis inter contradictoria abſolutè ſumpta non detur medium; ſi tamen ponantur cum illis particulis *in quantum*, *formaliter*, *ſecundùm ſe &c.* datur medium, nec ſervant legem contradictorum: ſic natura ſecundùm ſe, nec eſt univerſalis, nec non univerſalis: ens ſecundùm ſe nec eſt ſubſtantia, nec accidens: ſic etiam licèt Deus ſit ſemper formaliter ſapiens, eſſentia tamen Dei ſecundùm ſe præciſè eſt quidem ſapiens fundamentaliter & realiter, non tamen formaliter; quia in ſuo conceptu quidditativo non includit ſapientiam. Nec benè infertur: ergo non eſt formaliter inſipiens, quia nec in ſuo conceptu includit inſipientiam.

Obji. 9. Si Attributa non ſint de conceptu formali eſſentiæ divinæ, reſpectu illius erunt quid accidentale: quod tamen falſum eſt, cùm omnia in Deo ſint eſſentia Dei.

Reſp. Diſt. Aſſumpt. Erunt quid accidentale ſumptum pro eo, quod non eſt definitio, aut pars definitionis, aut prædicatum in illo modo dicendi per ſe illius rei, cui convenit. C. ſumptum pro eo quod extrinſecùs advenit jam intrinſecè conſtitutæ & completæ: N. Itaque Attributa ſunt quidem extrà conceptum formalem ipſius eſſentiæ, quatenùs præciſè eſſentia eſt; non verò extra entitatem ipſius realem; ſiquidem ipſi intrinſecè competunt, & realiter identificantur.

Obji. 10. Si eſſentia diſtinguatur ab Attributis, aut unum Attributum ab alio, nec eſſentia, nec Attributa erunt infinitè perfecta; quia non includent perfectionem ejus, à quo formaliter diſtinguuntur.

Reſp. Neg. Aſſumpt. Quia licèt perfectionem alterius non includant formaliter, includunt tamen realiter ob realem identificationem. Fatendum tamen eſſentiam conſideratam, ut formaliter diſtinctam ab Attributis non includere formaliter illorum perfectionem, cùm ut ſic illam formaliter excludat. Idem eſt de Attributis inter ſe. Licèt autem ut ſic, non includant formaliter alterius perfectionem, non poſſunt tamen dici finitè perfecta; quia etiam ut ſic & eſſentia, & quodlibet Attributum eſt infinitum in ſuo genere, nempè eſſentia in ratione eſſentiali, juſtitia in ratione juſtitiali &c.

Obji. 11. Major eſt diſtinctio formalis quàm realis: ſed hæc non admittitur inter Attributa: ergo nec illa. Prob. Maj. Quia diſtinctio formalis eſt per magis intrinſeca.

Reſp. Neg. Ma. Ad Prob. dico accidens eſſe reſpectu diſtinctionis quòd ſit per intrinſeca aut extrinſeca: undè ſicut non ſequitur: *Album eſt dulce: ergo magis album eſt magis dulce*, quia accidentalis eſt albedini dulcedo; ità nec ſequitur propter eandem rationem: diſtinctio per intrinſeca eſt diſtinctio: ergo diſtinctio per magis intrinſeca eſt major diſtinctio.

Obji. 12. Non poſſunt eſſe in Deo plures formalitates, niſi ſit illarum ſubjectum: ſed Deus non poteſt dici ſubjectum ſuorum Attributorum. ergo.

Reſp. Diſt. Ma Niſi ſit ſubjectum proprium & tranſitivè, quod ſonat diſtinctionem realem ſubjecti à ſubjecto: N. niſi ſit ſubjectum improprium & intranſitive, ſumptum ſcil. pro eo præciſè in quo aliquid dicitur eſſe: C. ſed hoc ſenſu dici poteſt Deus ſubjectum ſuorum Attributorum, cùm in illo ſit ſapientia, bonitas &c.

Obji. 13. Damnatum eſt anno 1426. à Facultate Pariſienſi, ut reſtatur Gerſonius in Epiſt. ad quemdam Fratrem Minorem, *quod aliquid ſit Deus realiter, quod non ſit formaliter Deus*.

Reſp. Ultrà quod non conſtet de condemnatione illa, cùm ne illius umbra alicubi reperiatur, nullatenùs adverſari nobis; quia aliter loquendum eſt de Deo, aliter de eſſentia divina: licèt enim eſſentia divina non dicat formaliter ſua Attributa; Deus tamen illa formaliter importat; cùm in conceptu Dei adæquato involvantur omnes Dei perfectiones, & eſſentiales & attributales: undè ſicut homo non diſtinguitur formaliter à ſua viſibilitate, licèt ita diſtinguatur ejus eſſentia; ità nec formaliter diſtinguitur Deus à ſuis Attributis, licèt ità diſtinguatur Dei eſſentia.

Obji. 14. Sapientia Dei eſt formaliter ſapientia divina: ſed ſapientia divina non diſtinguitur à Deitate, cùm illam formaliter includat quaſi formam, à qua dicitur divina: ergo.

Reſp. Dici formaliter ſapientiam divinam, non quia in ſuo conceptu formali includit Deitatem, ſed quia eſt formaliter perfectio Dei, à quo dicitur divina.

Obji. 15. Cum Ariaga: Bonitas & ſapientia in divinis vel ſunt duæ formalitates ante mentis operam, vel una: ſi una: nulla intercedit diſtinctio à parte rei: ſi duæ: ergo duæ realitates: ergo duæ entitates: & conſequenter realiter diſtinguuntur; quia ubi diſtinctio entitativa, ibi & diſtinctio realis.

Reſp. Eſſe duas formalitates & realitates, non tamen duas entitates, quia ut ſint duæ realitates ſufficit, quòd ſint à parte rei duæ perfectiones, licèt ejuſdem rei, cui identificantur: ut autem ſint duæ entitates, non debent eidem identificari; cùm identificatio impediat entitatum multiplicationem.

Obji. Tandem authoritatem D. Thomæ variis locis, ubi aſſerit in terminis eſſentiam & Attributa tantùm differre ratione; & idem docet de eſſentia & perſonalitatibus.

Reſp. Diſt. Aſſumpt. Aſſerit tantùm differre ratione ratiocinantis, ſeu ſola mentis opera: N. tantùm ratione, prout ratio eſt quid objectivum & ante mentis operam, licèt non ſit res diſtincta à re, cujus eſt: C. Mentem ſuam aperuit D. Angelicus 1. diſt. q 1 art. 2. ubi ait: *Sapientia, & bonitas, & omnia hujuſmodi ſunt omninò unum re in Deo, ſed differunt ratione, & hæc RATIO*, nota, non eſt tantùm *ex parte ipſius ratiocinantis, ſed ex proprietate ipſius rei*. Et ibidem: *Pluralitas iſtarum rationum non tantùm eſt ex parte intellectus noſtri, ſed etiam ex parte ipſius Dei*: ergo cenſet ex parte Dei, adeòque à parte rei, eſſe pluralitatem rationum, quas vocamus nos formalitates.

QUÆSTIO III.

Qualiter prædicata eſſentialia, & modi intrinſeci diſtinguantur ab eſſentia divina?

CONCLUSIO I.

PRædicata eſſentialia non diſtinguuuntur formaliter ab eſſentia divina, ſed tantùm ratione. Eſt Scoti Quodlib. 1. ubi dicit eſſentiam divinam eſſe ſimpliciter unam unitate formali: quod dici non poſſet, ſi ſingula prædicata quidditativa diſtinguerentur formaliter.

Prob. Concluſio; Illa non diſtinguuntur formaliter, de quibus non poſſunt formari duo conceptus diverſi: ſed de eſſentia divina, & ejus prædicatis quidditativis non poſſunt formari duo conceptus diverſi: ergo. Prob. Min. Quia non poteſt adæquatè concipi eſſentia, quin concipiantur prædicata eſſentialia, nec poteſt concipi vel unicum prædicatum eſſentiale, quin eſſentia concipiatur, ſaltem inadæquatè: undè concipiendo eſſentiam divinam, concipio ens, ſubſtantiam, ſpiritum &c. Et è contra concipiendo ens ut ſubſtantiam, non in genere, ſed in Deo, concipio eſſentiam divinam, ſaltem inadæquatè. Dico *inadæquatè*, & non *partialiter*; quia nihil eſt de eſſentia Dei tanquam partialis eſſentia, aut pars eſſentiæ; ſed quidquid eſt de eſſentia Dei, eſt una eademque tota eſſentia, quamvis inadæquatè concepta, vel magis minuſvè expreſſa, ut loquitur Scotus loco cit.

CONCLUSIO II.

MOdi intrinſeci non diſtinguuntur formaliter ab eſſentia divina adæquatè & perfectè concepta; ſecus imperfectè.

Ratio eſt; quia modi intrinſeci includuntur illius conceptu adequato, & perfecto, non tamen imperfecto, & inadæquato, ut dictum eſt ſuperiùs; ex quo patet, quòd modus intrinſecus aliquo modo ſpectet ad quidditatem eſſentiæ, quatenùs ſcilicet includitur in illius conceptu adæquato & perfecto, & aliqualiter non pertineat, quatenùs eſſentiam confusè & inadæquatè conceptam non ingreditur.

Advertendum tamen non diſtingui formaliter poſitivè, ſed tantùm negativè; quia diſtinctio formalis poſitiva eſt vel inter eſſentiam & formalitatem, vel inter duas formalitates; modi autem intrinſeci non important formalitatem ultrà eſſentiam; cùm non poſſint ſine illa perfectè concipi, quod requiritur ad formalitatem.

DISPUTATIO TERTIA.

De modis intrinſecis, ſeu Attributis negativis.

DIximus ſuperiùs modos Dei intrinſecos eſſe infinitatem, ſimplicitatem, immutabilitatem, æternitatem, immenſitatem, incomprehenſibilitatem, &c. de quibus hic ſingulatim agendum.

QUÆSTIO I.

An Deus ſit infinitè perfectus, & quomodo contineat perfectiones?

SUppono 1. infinitum ſimpliciter eſſe id quod habet omnem omnino perfectionem eo modo, quo poteſt haberi.

Suppono 2. Perfectum dici illud, cui nihil deeſt eorum, quæ ſecundùm naturam debent ineſſe.

Suppono 3. Ex dictis, perfectiones alias eſſe ſimpliciter tales, quibus ſcilicet nulla ineſt imperfectio, nec excluduot aliam æqualem perfectionem; alias verò ſecundùm quid, quarum perfectio adumbrata eſt imperfectione.

Aliam *perfectionis ſimpliciter* definitionem ſubminiſtrat D. Anſelmus Menol. 14 nempè quæ melior eſt ipſa, quàm non ipſa enti cuilibet, ut ens eſt præcisè, *ſecundùm quid* verò, quæ non eſt melior ipſa, quàm non ipſa.

Dicitur 1. in Definitione perfectionis ſimpliciter: *quàm non ipſa*, ubi ly *non*, non ſumitur tantùm contradictoriè, ſeu pro mera negatione, aliàs omnis perfectio eſſet perfectio ſimpliciter, cùm quælibet ſit melior ſui negatione; ſed etiam contrariè, ita ut ſit melior, quàm quælibet perfectio ſibi repugnans in eodem.

Dicitur 2. *Enti, ut ens eſt præcisè*; quia ſi ſit tantùm melior ipſa, quàm non ipſa enti, ut eſt tale ens, non eſt perfectio ſimpliciter, ſic licet reſpectu auri ut ſic, melius ſit eſſe aurum, quàm intelligere, quod ejus naturæ repugnat; quia tamen reſpectu entis ut ſic, melius eſt intelligere, quàm eſſe aurum, eſſe aurum eſt tantùm perfectio ſecundùm quid. E contrà quia enti ut ſic melius eſt eſſe ſpiritum, quàm corpus & quodlibet aliud ſpiritui incompoſſibile, eſſe ſpiritum eſt perfectio ſimpliciter.

Porrò perfectiones ſimpliciter ſunt *eſſe exiſtens, ſubſtantia, vivens, ſpiritualis, intellectualis* &c. eſſe verò corpus, accidens, compoſitum &c. ſunt perfectiones ſecundùm quid; quia melius eſt enti ut ſic eſſe ſpiritum, quàm corpus; ſubſtantiam, quàm accidens; ſimplex, quàm compoſitum &c. Item omnis perfectio creata, ut creata, eſt perfectio ſecundùm quid, quia ut ſic eſt dependens, limitata, contingenter exiſtens: quod involvit imperfectionem.

CONCLUSIO I.

DEus eſt ex omni parte infinitus. Eſt de fide contra Vorſtium Calviniſtam, qui, ut refert Becanus p. 1. tr. 3. c. 3. docuit Deum nec in eſſe, nec in operari eſſe infinitum. Eſt etiam contrà Socinianos, qui licèt Deum infinitum aſſerant ſecundùm diverſas perfectiones v. g. ſecundùm potentiam, durationem, ſapientiam &c. negant tamen eſſe infinitum in eſſentia.

Prob. 1. Ex Script. Baruch. 3. *Magnus eſt & non habet finem.* Et Pſal. 144. *Magnitudinis ejus non eſt finis.*

Prob. 2. Ex PP. Dionyſio de divinis Nominibus cap. 9. *Ejus magnitudo omnem numerum tranſcendens, omnem tranſiliens infinitatem.* Damaſceno lib. 1. de fide cap. 12. *Totum in ſe ipſo comprehendens, habet ipſum eſſe, veluti quoddam pelagus ſubſtantiæ infinitum & interminum.*

Prob. 3. Ratione: Illud eſt infinitum, quo nec dari poteſt quid majus, nec excogitari; ſed Deo nequit dari majus aut excogitari, cùm per Deum intelligamus ens ſupremum, perfectiſſimum, eminentiſſimum: ergo. Prob. Ma. Quia quolibet finito & limitato dari poteſt majus, & excogitari; cùm in hoc nulla appareat repugnantia: ergo id, quo nequit dari majus, aut excogitari, debet eſſe infinitum.

Prob. 4. Quia ens à ſe non habet, à quo & undè limitetur, & conſequenter cùm ſit ſimpliciter illimitatus, debet eſſe in omni genere perfectionis infinitus. Alii alias proferunt probationes.

Dices 1. Aggregatum eſt Deo & creatura eſt quid majus, quàm Deus ſolus: ergo Deo excogitari poteſt aliquid majus, & conſequenter non eſt infinitus.

Reſp. Neg. Ant. Quia nihil aliud addit creatura ſuprà divinam eſſentiam, quàm dependentiam, limitationem & imperfectionem: ex additione autem limitationis, dependentiæ & imperfectionis non poteſt augeri divina perfectio, ut ſatis patet: unde Auguſt. *Si fueris*, inquit, *ſine Deo, minor eris: ſi fueris cum Deo, major Deus non erit: non ex te ille major, ſed tu ſine illo minor.* Præterea ſi idem Petrus poneretur Duaci & Inſulis, ex Petro Duaceno & Inſulenſi non fieret quid majus & perfectius; quia Petrus Duacenus continet omnes perfectiones Petri Inſulenſis: ſed Deus continet omnes perfectiones creaturarum, & quidem modo eminentiori: ergo ex Deo & creatura non poteſt fieri aliquid majus.

Replicabis: Perfectiones Dei & creaturæ diſtinguuntur, non ſic Petri Duacenſis & Inſulani: ergo licèt ex Petro Duaceno & Inſulano non poſſit fieri majus, benè tamen ex Deo & creatura.

Reſp. Diſtinctionem hic non facere ad rem: quod ut clariùs pateat. Supponamus Petrum callere totam Theologiam perfectiſſimè, & Paulum imperfectè, an ſcientia Pauli faciet aliquid majus cum ſcientia Petri, quàm ſit ſola Petri ſcientia? Nihil minùs, ut clarum eſt, & tamen diſtinguitur ſcientia Petri à ſcientia Pauli.

Dices 2. Quidquid eſt in Deo, eſt perfectio, ſaltem identicè: ſed infinitas non eſt perfectio, cùm ſit negatio: ergo.

Reſp. Quòd licèt infinitas videatur quædam negatio quoad vocem & modum ſignificandi; in re tamen cùm ſit negatio finis, & finis ſit negatio ulterioris perfectionis, eſt negatio negationis, adeòque quid poſitivum formaliter.

CONCLUSIO II.

DEus continet omnes perfectiones: puras quidem formaliter & eminenter, impuras verò ſeu mixtas imperfectione tantùm eminenter.

Prob. 1. Pars tum ex Script. Exo. 33. *Oſtendam omne bonum tibi*, id eſt, meipſum, qui omnia bona contineo, ut varii interpretantur. Et Rom. 11. *In ipſo ſunt omnia.* Tum ex PP. Dionyſio de divin. Nom. c. 5. *In una exiſtentia omnia præhabet.* Auguſtino in Pſ. 49. *Ipſe omnia.* Bernardo lib. 1. de Conſcien. c. 6. *Suum ipſius eſt, & omnium eſſe*; tum ex ejus infinitate omnimoda; tum etiam quia omnes perfectiones ſunt creatæ, aut increatæ: ſi increatæ, illas continet, ut ſolum ens increatum; ſi creatæ, ut cauſa efficiens, quæ continere debet totam perfectionem ſui effectus vel ſecundùm eandem rationem, ſi ſit univoca, vel modo eminentiori, ſi ſit æquivoca.

Prob.

Prob. 2. Pars, quia perfectiones puræ, ſeu ſimpliciter ſimplices, de Deo formaliter prædicantur: dicitur enim formaliter bonus, ſapiens, juſtus &c. Sed modus prædicandi ſequitur modum eſſendi: ergo. Prætereà cùm perfectiones illæ nullam prorſus involvant imperfectionem, non eſt ratio, cur Deo in omni genere infinito denegarentur.

Prob. 3. Pars, nempe quòd perfectiones ſecundùm quid ſint tantùm in Deo eminenter; quia ſi eſſent in Deo formaliter prædicarentur, ut patet ex dictis, ſed perfectiones ſecundùm quid non dicuntur formaliter de Deo: Deus enim non eſt formaliter homo, ſol, planta &c. ergo. Continet tamen eminenter, id eſt, modo perfectiori, & ſecluſis imperfectionibus, quæ reperiuntur in creaturis.

QUÆSTIO II.

An Deus, & ſolus ſit ſimplex, & quid ejus ſimplicitas?

SImplicitatem Dei negarunt omnes illi, qui Deum finxerunt corporeum, cùm enim corpus conſtet partibus & quidem realiter diſtinctis, neceſſe eſt corporeum eſſe compoſitum, ſivè interim ejus partes ſint homogeneæ, ſive heterogeneæ. Inter autem illos qui corpus Deo dederunt, non ſolùm fuerunt Idololatræ, quorum aliqui Deum faciebant igneum, alii aereum, alii ſolarem, alii lapideum, alii animalem &c. ſed etiam quidam alii, qui Deum agnoverunt tanquam omnis creaturæ conditorem & gubernatorem. Ex quibus erant *Saducæi*, qui negabant omnem ſpiritum: unde Act. 23. *Saducæi enim dicunt, non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque ſpiritum*. Item *Manichæi* tribuentes Deo, teſte Auguſt. lib. contrà Epiſt. Fundamenti cap. 23. corpus quadrum ſuperiori parte apertum, & hians inferiori. His ſucceſſerunt ſub fine IV. ſæculi Antropomorphitæ, Monachi quidam ſimplices Ægyptiaci, de quibus Socrates lib. 6. c. 7. *de monachis verò imperitioribus non pauci, Deum eſſe corporeum voluerunt*. Et Sozomenus lib. 8. cap. 11. *Hujus autem opinionis erant plerique ex Monachis regionis illius, qui præ imperitia, verba Sacræ Scripturæ* (in quibus nempe Deo, manus, aures, oculi &c. tribuuntur) *ſimpliciter & incautè accipiebant*.

Sed numquid ejuſdem opinionis fuere Melito Sardicenſis Epiſcopus, Audius Syrus, & Tertullianus? De primo id aſſerit Origenes apud Theodoretum q. 20. in Exod. ubi legitur: *Melito, qui ſcripta reliquit de eo argumento, Deum eſſe corporeum;* ſed omninò credibile eſt, id aſſeruiſſe de Deo incarnato, cùm D. Hieronymus, qui Epiſt. 61. ad Epimachium Antropomorphitas ſtultitiæ & hæreſeos arguit, plurimùm commendet Melitorem lib. de ſcrip. Eccleſ. cap. 34. quod & facit Euſebius. De Audio, vel ut alii volunt, Audæo ſic loquitur Theodoretus lib. 4. Hæretic Fabul. cap. 10. *Audæus autem quidam de Syria trans Euphratem ortus Deum humana forma eſſe docuit, & corporis illi membra tribuit*. Idem ſcribit Auguſtinus de Audianis lib. de Hæreſibus, Hæreſi 50. quos Vadianos appellat; ſed uterque id hauſit ex S. Epiphanio, qui quidem Hæreſi 70. aſſerit Audæum & Audianos duriùs hæc verba: *Faciamus hominem ad imaginem* &c. fuiſſe interpretatos, Dei imaginem non in anima, ſed in corpore collocantes, non tamen finxiſſe Deum corporeum. Imò addit Præceptorem & diſcipulos de Trinitatis myſterio præclarè ſentire: quòd ſanè non quadraret cum opinione de Dei corporeitate.

Quantùm ad Tertullianum non ità favorabiliter de eo ſenſit Auguſtinus Epiſt. 157. ad Optatum, ubi habet: *neque hoc Tertullianum ſomniaſſe mirandum eſt, quietiam ipſum Creatorem Deum non niſi corpus opinatur.* Fundabatur ſanè in hoc Tertulliani paſſu lib. contrà Praxeam cap. 7. ubi ait: *Quis negabit Deum corpus eſſe Deus ſpiritus enim corpus ſui generis in ſua effigie. Sed & inviſibilia illa, quæcumque ſunt, habent apud Deum & ſuum corpus, & ſuam formam;* ſed certè per *corpus* non intelligebat hic Tertullianus compoſitum ex materia & forma, ſeu ex partibus materialibus, ſed naturam, aut ſubſtantiam, ſeu quid reale, & oppoſitum nihilo, ut colligimus ex ipſomet lib. de carne Chriſti, cap. 11. ubi ait: *Omne, quod eſt, corpus eſt ſui generis: nihil eſt incorporale, niſi quod non eſt.* Imò ipſemet D. Auguſtinus ipſum taliter explicat lib. de Hæreſ. cap. 86. ubi poſtquam aſſeruit Tertullianum dediſſe Deo corpus, ſubdit: *Neque tamen hinc creditur Hæreticus factus; poſſet enim quoquo modo putari ipſam naturam, ſubſtantiamque divinam corpus vocare*. Et inferiùs: *Potuit proptereà putari corpus Deum dicere, quia non eſt nihil, non eſt inanitas* &c.

CONCLUSIO I.

DEus eſt ità ſimplex, ut excludat omnem veram compoſitionem. Eſt de fide cap. *Firmiter* de ſumma Trinit. ubi tres Perſonæ dicuntur una eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex omnino. Sed ante probationem

Adverte 1. Differre inter ſe unitatem, ſimplicitatem, & identitatem: unitas ſiquidem opponitur multitudini, ſimplicitas compoſitioni, & identitas diſtinctioni: undè quaſi mediat inter unitatem & identitatem ſimplicitas, nam ſtrictior eſt unitate, quæ partes componentes admittit: & latior identitate, quæ diſtinctionem omnem rejicit in eo genere, in quo eſt identitas.

Adverte 2. Quòd licèt res ſimplex habeat poſſe concipi conceptu unico, nihil tamen obſtat, quin poſſit reſolvi in plures conceptus inadæquatos. His notatis.

Prob. Concluſio 1. ex PP. Cyrillo Alex. lib. Theſauri c. 13. *Nulla ex parte*, inquit, *continget illi, ut ſit compoſitum*. Juſtino Martyre q. 129. *Qui neminem habet, qui ſe fecit & compoſuit, neque factus eſt, neque compoſitus* Bernardo lib. 5. de Conſider. cap. 7. *Non eſt compoſitus Deus, merum ſimplex eſt: undè finge tibi omnes unitates, imaginare omnes ſimplicitates, adhuc longè ſimplicior eſt divina ſimplicitas, longè indiviſibilior divina unitas:* inquit Noſter Cornelius Muſſio.

Prob. 2. Ratione. Compoſitum dependet à ſuis componentibus, eſtque illis poſterius: ſed Deus à nullo dependet, nihilque eſt ipſo prius: ergo.

Prob. 3. Ad compoſitionem requiritur, ut unum habeat ſe per modum actus & aliud per modum potentiæ; ſed nihil habet ſe in Deo per modum potentiæ, ut patet ex dictis de diſtinctione formali: ergo.

Prob. 4. Inductione; Non componitur ex partibus corporeis, cum ſit ſpiritus. non ex materia & forma, cùm ſit immaterialis: non ex ſubjecto & accidente, cùm accidens involat imperfectionem Deo repugnantem: non ex genere & differentia ſtrictè dictis ut diximus in Logica: imò nec ex partibus quibuſcumque; nam partes illæ nullam habent cauſam ſui adunativam; cùm Deus ſit prima omnium cauſa: nec denique ex ente & modo intrinſeco; quia non variat rationem ejus, cujus eſt modus ut facit omnis differentia: ergo.

Obji. 1. Baſilium lib. 2. contrà Eunomium, ubi ait: *Deitas communis eſt; proprietates autem Paternitas & Filiatio: ex utriuſque verò complexione, communis dico ac proprii, comprehenſio* &c.

Reſp. Per *complexionem* non intelligere compoſitionem realem, ſed rationis, ſeu vult; quòd nos concipiendo eſſentiam cum filiatione, veritatis in nobis comprehenſio naſcatur, ſeu concipiamus Filium in divinis tanquam verum Deum, quod negabant Anomæi.

Obji. 2. Duo Concilia, Alexandrinum unum, Cyprinum alterum, cenſuerunt ſub fine IV. ſæculi Deum eſſe corporeum, ergo compoſitum Prob. Ant. Quia condemnarunt ſcripta Origenis, eò quòd Dei incorporeitatem ſuſtineret.

Reſp. Condemnata quidem fuiſſe ab illis Origenis ſcripta, non tamen ob rationem allegatam; quia nec Socrates nec Sozomenus, nec Alii Authores Catholici, qui de præfatis Conciliis fuerunt locuti, illam rationem condemnationis adferunt. Prætereà quomodo primarii Eccleſiæ Præſules condemnaſſent divinæ incorporeitatis aſſertores; cùm tantùm ſimplices & ruſticani (& non Epiſcopi) opinioni de divina corporeitate adhærerent, ut teſtantur Authores præfati.

Obji. 3. Chriſtus eſt compoſitus, & tamen eſt Deus, ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Chriſtus, ut ſubſiſtens in duabus naturis, eſt compoſitus? C. ut ſubſiſtens in natura divina præcisè: N.

Objic. 4. Deus eſt unus in tribus Perſonis: ergo eſt compoſitus ex multis.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia perſonalitates divinæ conſtituunt quidem cum eſſentia Perſonas, non tamen componunt, cùm inter realiter identificata nulla intercedere poſſit compoſitio, quæ eſt poſitio unius cum alio.

Dixi in Concluſione: *Ita ut excludat omnem veram compoſitionem*, id eſt realem; quia an etiam excludat compoſitionem rationis tantùm? Diſputatur, ſed hoc videtur dependere à modo explicandi ſi enim ad compoſitionem rationis requiratur, ut unum concipiatur ut perfectibile, & aliud ut perficiens, ſatis patet nequidem poſſe dari in Deo compoſitionem rationis, niſi merè fingendo: quod ſi ſufficiat concipere unum per modum communis, & aliud per modum diſtinguentis rem à quolibet alio, abſtrahendo à perfectibilitate, non apparet cur non poſſit eſſe compoſitio rationis in Deo. Interim noveris, ſi aliqua imperfectio reperiatur in illa compoſitione, non in Deum, ſed in noſtros conceptus eſſe refundendam.

CONCLUSIO II.

DEi ſimplicitas eſt perfectio quædam ſimpliciter ſimplex, ſecundùm quam vindicat ſibi Deus omnem actualitatem & perfectionem ſine ulla prorsùs compoſitione. Ità ferè N. Herinx.

Dicitur 1. *Perfectio*, ut oſtendatur non eſſe meram negationem ſuprà eſſentiam divinam, ut volunt aliqui, ſed quid formaliter poſitivum: negatio enim non eſt perfectio, ſed præcisè imperfectionis remotio: & certè ſi divina ſimplicitas ſecum importet formalem repugnantiam compoſitionis, & diviſionis, connotare debet in Deo perfectionem formalem poſitivam, quæ hujus repugnantiæ ſit principium. Præterea vix aut ne vix diſtinguitur ab infinitate, quam diximus eſſe quid poſitivum.

Dicitur 2. *Sine ulla prorſus compoſitione*, ſcillcèt tum paſſiva, quæ fit ex aliis, quam Scotus compoſitionem ſimpliciter vocat; tum etiam activa, quæ eſt cum aliis: & hanc, componibilitatem appellat Doctor noſter: undè nec Deus eſt quid compoſitum, ſicut homo v. g. qui fit ex aliis: nec componens ſicut anima, quæ cum corpore facit hominem, ſed eſt quid ſimpliciſſimum in unica ſimplici Deitate, ſupereminenter continens quidquid perfectionis in creaturis, earumque potentiis, habitibus, operationibus &c. diſperſum eſt. *O ineffabilem ergo ſimplicitatem*, inquit Dionyſius, *qua Deus tam parvus eſt, ut nihil ſit, tam magnus, ut omnia ſit, tam ſimplex, ut nihil poſſit illi adimi, ita, plenus & abundans, ut nihil poſſit illi adjici.*

CONCLUSIO III.

SImplicitas jam explicata ſoli Deo propria eſt, & ita propria, ut nulli creaturæ communicari poſſit. Eſt communis inter DD.

Prob. 1. Ex PP. & præſertim Bernardo, qui ſerm. 80. in Cant. ait: *Sola ſumma & increata natura hanc ſibi vindicat meram, ſingularemque ſuæ eſſentiæ ſimplicitatem.*

Prob. 2. Ratione; quia nullum eſt ens creatum, quod non habeat ſaltem ſua accidentia, ſeu modos quaſi accidentales exiſtentiæ, extenſionis, intenſionis, ubi, hæcceitatis, durationis &c. variabiles & ſeparabiles ab eſſentia rei, adeòque nullum eſt ens creatum, quod non componatur, ſaltem ex accidente.

QUÆSTIO III.

An Deus ſit immutabilis & qualiter?

QUoniam Scotus diſt. 8. q. 5. aſſerit ſimplicitatem ex infinitate, & ex ſimplicitate immutabilitatem probari, convenienti ordine poſt Quæſtiones de infinitate & ſimplicitate, de immutabilitate agemus.

Adverte quòd mutatio ſit quidam tranſitus qui fieri poteſt primò à non eſſe ad eſſe & è contrà, ſecundò à loco in locum, tertiò, de tempore in tempus, quartò à privatione formæ ſive ſubſtantialis, ſive accidentalis, ad ipſam formam, & è contrà, quintò, quando voluntas aut intellectus tranſit à non actu ad actum, aut è contrà, vel ab uno actu in alium contrarium, ſextò, quando actus voluntatis, aut ſecundùm ſe immutatus terminatur ad aliud nunc, quàm antè, ſeptimò, denique cùm unum convertitur in aliud. Hoc notato.

CONCLUSIO I.

DEus eſt immutabilis primò modò.

Prob. 1. Ex Script. Pſ. 101. *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.*

2. Ex Auguſtino lib. 1. Confeſſ. cap. 4. *Immutabilis mutans omnia, nunquam novus, nunquam vetus.*

3. Ratione, quia ſi Deus tranſiret à non eſſe ad eſſe, haberet aliquam cauſam, per quam poneretur in eſſe, cùm non poſſet ſeipſum ponere, utpotè non exiſtens, ſed implicat eſſe cauſam Deo priorem, cùm ſit prima omnium cauſa: ergo &c. Præterea ſi poſſet tranſire ab eſſe ad non eſſe, non haberet omnem perfectionem poſſibilem, adeòque non eſſet Deus: perfectius eſt enim enti ſic exiſtere, ut non poſſit exiſtere, quàm poſſe non exiſtere.

CONCLUSIO II.

DEus immutabilis eſt 2. 3. & 4. modo. Patet ex D. Bonav. 1. diſt. 8. art. 2. q. 1. Ubi ſic ait. *Non enim Deus mutatur loco; quia ubique eſt: non tempore, quia æternitas ſimul eſt: non forma, quia unus actus eſt: undè mutationem ſecundùm formam tollit ſimplicitas, ſecundùm tempus tollit æternitas, ſecundùm locum tollit immenſitas, & ideò in Deo eſt ſumma ſtabilitas.*

Prob. 1. Pars; Quia Deus, utpotè immenſus, omnia loca replet & penetrat, juxta illud Jer. 23. *Cælum & terram ego impleo.*

Prob. 2. Pars; Quia ſicut Deus per immenſitatem omnia ſpatia penetrat & excedit, ità per æternitatem omnibus præſens eſt temporibus, & quamlibet durationem excogitabilem amplectitur.

Prob. 3. Pars; Tum ex Script. Malach. 3. *Ego Dominus, & non mutor*, & Jac. 1. verſ. 17. *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Tum ex PP. Hilario in Pſ. 2. *Profectu non eget, cui nihil deeſt.* Auguſtino Tract. 4. in Epiſt. 1. Joan. *Nec proficit, quia perfectus eſt, nec deficit, quia æternus eſt.* Et Gregorio lib. 12. Moral. cap. 17. *Quia in Deo mutabilitas non venit, nulla ejus lumen umbra viciſſitudinis intercidit.* Tum etiam ratione; quia de ratione entis omnimodè infiniti eſt omnem omnino perfectionem poſſibilem continere, adeòque nec poſſe meliorari, nec deteriorari: ſed ſi poſſet Deus formam novam recipere, poſſet meliorari; ſi præhabitam perdere, deteriorari, ergo.

Dices 1. Scriptura nonnunquam zelum, iram, vindictam, oblivionem, recordationem &c. Deo attribuit: ergo mutatur quoad formam.

Reſp. Diſt. Ant. Scriptura tribuit Deo præfata quoad effectum externum in nobis productum: C. quoad effectum, quaſi verò aliquid novi in ſe experiretur: N. quando ergo Deus peccatoribus pœnam infligit aut minatur, dicitur *iraſci*: quando miſerias ſublevat, *miſereri*: quando aliquos permittit affligi & opprimi, illorum *oblivиſci*: quando aliquos conſolatur, illorum *recordari*: cùm delet aut deſtruit, quod fecerat, *pœnitere*; quia homines ſimilia præſtantes ſolent iraſci, pœnitere, oblivіſci &c. proportionatè ad effectus. Voluntas igitur divina ſemper tranquilla, ſemper eadem, ſemper immutata omnes illos effectus producit, qui tamen in hominibus nonniſi ex variis mutationibus oriuntur: undè Auguſtinus cap. 29. Meditat. ſic Deum alloquitur: *Amas, nec æſtuas; zelas, & ſecurus es: pœnitet te, & non doles; iraſceris, & tranquillus es? opera mutas, ſed non conſilium.*

Dices 2. Deus dicitur tantùm in tempore Creator, Dominus, Juſtificator: ergo mutatur.

Reſp. Diſt. Ant. Dicitur tantùm in tempore Creator &c. fundamentaliter & principiativè: N. Cùm enim talis dicatur à potentia creãdi, & hanc potentiam ſemper habuerit, clarum eſt non in tempore tantùm, ſed etiam ab æterno fuiſſe Creatorem fundamentaliter & principiativè. Dicitur in tempore Creator formaliter & denominativè: C. ſed nego Conſeq. quia Deus non dicitur de novo taliter Creator per mutationem ſui, ſed creaturæ noviter à Deo dependentis: undè, ut ait Scotus, quando Deus de non Creatore fit Creator: tota novitas & mutatio eſt ex parte termini & effectus, & non ex parte Dei, qui ideò non mutatur niſi extrinſecè, ſicut dicitur mutari ſtatua immota, quando de ſiniſtra fit dextra, aut de non viſa, viſa. Plura vide in Philoſophia, ubi quæritur, an mundus fuerit ab æterno?

CONCLUSIO III.

EST Deus immutabilis quoad intellectum & voluntatem 5. modo. Patet ex jam dictis; ſi enim poſſet novam intellectionem aut volitionem habere, vel præhabitam perdere, poſſet novam formam recipere, aut habitam perdere.

CONCLUSIO IV.

EST Deus immutabilis 6. modo, ſeu Dei volitio & intellectio (quæ ſunt una & ſimplex entitativè circà omnia objecta creata & creabilia) ſunt immutabiles terminativè, ideſt, non terminantur nunc ad aliquid, ad quod non fuerint terminatæ ab æterno.

Prob. 1. Ex Script. Pſ. 32. *Conſilium Domini in æternum manet, cogitationes cordis ejus in generatione & generationem* ideſt, manent ſemper eædem & invariabiles: undè Auguſt. lib. 1. Confeſſ. c. 4. & in meditat. ſupra. *Opera mutas, nec mutas conſilium.* Et lib. 11. de Civit. Dei cap. 21. *Neque enim ejus intentio de cogitatione in cogitationem tranſit, in cujus incorporeo intuitu ſimul adſtant cuncta, quæ novit.*

Prob. 2. Quia ſi Dei volitio aut intellectio poſſent nunc ad aliquid terminari, ad quod ab æterno non terminabantur, aut è contrà, poſſet Deus eſſe vel ignorans, vel inconſtans: *ignorans* quidem; quia poſſet nunc cognoſcere ſimpliciter aut perfectiùs, quod anteà nullo modo, aut non niſi imperfectè cognoſcebat, aut è contrà: utrumque autem involvit ignorantiam Deo omnino repugnantem; nam, ut ait, Hugo Victorinus lib. 6. Eruditionis Theologicæ cap. 2. *Neque enim neſcire poteſt omnia, qui creat, qui gubernat, qui penetrat, qui portat omnia; & qui omnibus præſens eſt Deitate, abſens eſſe non poteſt viſione:* vel certè ſi non ignorans, poſſet eſſe *inconſtans*; quia oſſet aliter

ſe

ſe habere in volendo, aut nolendo ſine ulla nova ratione; quandoquidem non appareat ipſi nunc alia ratio aliter volendi aut nolendi, quàm apparuerit ab æterno; cùm omnes omninò volendi aut nolendi rationes ab æterno intimè penetraverit, unde *concedendum eſt*, inquit Auguſt. lib. 12. Confeſſ. cap. 15. *Non eum modo velle hoc, modo velle illud, ſed ſemel & ſimul & ſemper velle omnia, quæ vult: non iterum, & iterum neque nunc iſta, nunc illa, nec velle poſteà, quod nolebat; aut nolle quod prius volebat, quia talis voluntas mutabilis eſt, & omne mutabile æternum non eſt; Deus autem noſter æternus eſt.*

Dices 1. Intellectus divinus terminatur ad deſtructionem Jeruſalem v.g. modò ut futuram, modò ut præſentem, modò ut præteritam. Item ejus voluntas amat Petrum, cùm eſt juſtus, odio habet, cùm eſt peccator: ergo mutatur quoad intellectum & voluntatem.

Reſp. Neg. Conſeq. Deus enim non eſt ſicut homo, qui non tantùm per diverſas terminationes ejuſdem actus, ſed etiam per actus diverſos videt rem modò futuram, modò præſentem, modò præteritam; ſed per unum immutabilem & ſimpliciſſimum actum cognoſcit & terminatur ab æterno & in æternum ad rem ut futuram uno tempore, ut præſentem alio, ut præteritam altero. Similiter ab æterno & in æternum per unum & eundem actum amat Petrum pro tempore, quo eſt juſtus, odio habet pro tempore, quo eſt peccator; ita ut ſemper habuerit, ſemper habeat, ſemper habiturus ſit actum, quo Petrum pro uno tempore amat, & odit pro altero. Sicut ſemper habuit, habet, & habebit actum, quo deſtructionem Jeruſalem videt ut futuram, ut præſentem, ut præteritam pro diverſis temporibus. undè tota mutatio tenet ſe ex parte temporis & objecti: ſicut enim ſtatuæ immotæ homines tranſeuntes modò ſunt dextri, modò ſiniſtri, ità Deo invariato & immutato res modò ſunt præſentes, modò præteritæ, modò futuræ; homines modò grati, modò ingrati; ex quo ſequitur quòd Deus etiam nunc amet damnatos & odio habeat Beatos, ſcilicet pro tempore quo illi erant juſti, hi autem injuſti; non tamen pro tempore præſenti; quia non ſufficit ad hoc, quòd Deus hic & nunc habeat actum, qui ſit amor & odium, ſed requiritur ultrà, quòd illi, qui dicuntur à Deo hic & nunc diligi, ſint actualiter juſti, quales non ſunt damnati; illi verò, qui dicuntur odio haberi, ſint actualiter peccatores, quales non ſunt Beati.

Inſt. Si homo haberet hìc & nunc actum qui eſſet amor, aut odium, diceretur amare vel odiſſe pro tempore præſenti independenter ab alio: ergo ſimiliter Deus.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd actus, qui in homine dicitur amor, duret tantùm, quamdiu objectum eſt ipſi gratum; in Deo autem, etiam duret, quando eſt ipſi ingratum; & ſic præter illum aliud requiritur, ut dicatur amare. Idem dic cum proportione de odio.

Dices 2. Sapientia divina eſt mobilis, juxta illud Sap. 7. *Omnibus mobilibus mobilior ſapientia.*

Reſp. Diſt. Aſſumpt. Cum Doctore Seraph. Eſt mobilis activè & effectivè: C. paſſivè: N. Dicitur ergo mobilis, quia confert creaturis omnibus motum & virtutem, quaſi movens & motrix, non autem quia motum in ſe recipit, quaſi mota & agitata.

Dices 3. Deus Jonæ 3. prædixit ſubverſurum ſe Ninivem: quod non fecit: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Prædixit abſolutè: N. conditionatè, ideſt, niſi pœnitentiam agerent Ninivitæ: C. ex quo patet ſolutio ad illud Ambroſii in Lucam: *Novit Deus mutare ſententiam, ſi tu noveris emendare delictum.* Idem dic ad ſimilia tum in Scriptura, tum in Patribus reperta.

Dices 4. *Pœnitet me feciſſe eos*, inquit Deus Gen. 6. & 1. Reg. 15. *Pœnitet me, quòd conſtituerim Saul Regem:* ſed pœnitere ſonat retractationem, adeoque mutationem: ergo.

Reſp. Diſt. Min. Pœnitere propriè: C. metaphoricè, ut hìc ſumitur: N. Deum ergo non pœnitet propriè, quaſi verò quod voluit poſteà non vellet: quod enim vult, ſemper vult: ſed impropriè & comparativè ad homines, qui cùm non continuant ea quæ cœperant, & credebantur continuaturi, dicuntur pœnitere: undè Auguſt. lib. 83. Quæſt. q. 52. *Accommodatiſſime tamen ad humilem humanam intelligentiam ea quæ incipiunt eſſe, neque perſeverant, quantùm perſeveratura ſperata ſunt, quaſi per pœnitentiam Dei dicuntur ablata.* Quia ergo ſperabatur regnum Saulis diutiùs propagandum, dicitur Deum pœnitere, quando illud aufert, licèt ipſe non ſtatuiſſet niſi tanto tempore regnum Sauli relinquere, & conſequenter nulla ſit in eo retractatio: cùm circà Saulem eodem modo ſe habuerit in tempore, quo ſe habuerat ab æterno: voluit enim ab æterno creare Saulem Regem pro illo tempore, & deponere pro altero: quod & factum eſt in tempore.

Henno Tomus I.

Dices 5. Deus ſacrificia inſtituit in veteri Teſtamento, quæ abrogavit in novo: ergo.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia nulla ibi intervenit mutatio ex parte inſtituentis; quandoquidem non inſtituerit ſacrificia vetera ut perpetuò duratura, ſed tantum uſque ad legem Euangelicam, pro qua decreverat ab æterno ſacrificium incruentum.

CONCLUSIO V.

Deus eſt immutabilis converſivè, ſic ut non poſſit in aliud, nec aliud in ipſum converti.

Ratio eſt; quia cùm Deus ſit ens neceſſarium, non poteſt ad inceptionem alterius deſinere: nec, cùm ſit ens incauſatum, ad deſitionem alterius incipere. undè S. Thomas 3. p. q. 2. art. 1. loquens de divina eſſentia, ait; *Nec ipſa poteſt converti in aliud, cùm ſit incorruptibilis, nec aliud in ipſam, cùm ipſa ſit ingenerabilis.*

Pro coronide hujus quæſtionis, Adverte immutabilitatem ſoli Deo competere; nam cùm omnis creatura ſit finita, ſemper poteſt ei aliquid addi vel ab ea auferri: undè Seneca: *Fluunt hæc, & aſſidua diminutione & adjectione ſunt .... quidquid vides, currit cum tempore: nihil enim ex iis, quæ videmus, manet: Ego ipſe dum loquor mutari iſta, mutatus ſum.*

QUÆSTIO IV.

Quid ſit Dei æternitas, & an ſolus ſit æternus?

Suppono tanquam de Fide tum ex Script. variis locis, tum ex PP. tùm ex Symbolo Athanaſii, tum ex cap. *Firmiter* de Summa Trinit. Deum eſſe æternum: hocque declarat omnimoda ejus illimitatio in omni genere perfectionis, adeoque & durationis. Hoc ſuppoſito

CONCLUSIO I.

Divina æternitas eſt duratio interminabilis, indiviſibilis, & independens: quæ definitio coincidit cum hac Boetii à Scholaſticis communiter recepta: *Interminabilis vitæ tota ſimul perfecta poſſeſſio.* Ubi per ly *vitæ*, intelligitur quæcumque eſſendi perfectio.

Dicitur 1. *Duratio:* quod eſt contra Aureolum requirentem ad durationem extenſionem prioris & poſterioris, quæ divinæ æternitati, utpotè indiviſibili repugnat. Aureolo autem contradicunt DD. communiter; quia duratio ex natura ſua non importat formaliter dictam extenſionem ſeu ſucceſſionem formalem, ſed præcisè permanentiam rei in eſſe, abſtrahendo, an perſeveret cum ſucceſſione, necne. Cenſetur autem res durare cum ſucceſſione, quando identidem minuitur & augetur, ità ut alia ſit in uno inſtanti, & alia in altero, ſaltem quoad aliquid; ſine ſucceſſione autem, cùm omni inſtanti omninò eadem eſt, ſine ullo prorſus decremento aut incremento: ex quibus patet ſucceſſionem non eſſe perfectionem reſpectu durationis, ſed potiùs imperfectionem, cùm in re ità durante ſemper ſit aliqua amiſſio eſſendi.

Dicitur 2. *Interminabilis*, ſcilicet tam à parte ante, quàm à parte poſt, tam actu, quàm aptitudine; ità ut nec habeat, nec habere poſſit principium aut finem; undè per illam particulam excluditur non tantùm æternitas ſecundùm quid, ideſt, illa, quæ non haberet principium, ſed finem; aut haberet principium, ſed non finem, ſed etiam illa, quæ nec principium, nec finem haberet; exigeret tamen habere: qualem haberet creatura creata ab æterno in æternum duratura.

Dicitur 3. *Indiviſibilis*; quia non per partes, aut per ſucceſſionem acquiritur ſicut tempus, ſed tota ſimul & ſemel exiſtit, adeoque conſiſtit in unico nunc indiviſibili, quod nunquam eſt heſternum, nunquam craſtinum, nunquam futurum, nunquam præteritum, ſed perpetuum hodie, perpetuum præſens, perpetuum nunc: undè Aug. in Pſ. 101. *Non eſt ibi, niſi* EST, *non eſt ibi* FUIT & ERIT. Et certè cur Pſ. 2. dicitur: *Ego hodie genui te*, & non *olim genui te*, niſi quia Pater gignit filium in æternitate, quæ ſemper tota præſens eſt? Et ideò ſolum verbum præſentis temporis Deo propriiſſimè convenit: quòd ſi in paſſu allegato dicatur *genui* & non *gigno*, hoc fit, ut oſtendatur quòd, licèt generatio Filii ſit ſemper præſens; nihilominùs ſit ſemper in facto eſſe, ſeu perfecta.

Nec refert quòd Apocal. 1. dicatur de Deo: *Qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt*; quia 1. Scriptura loquitur ad captum noſtrum, ut per præteritum & futurum intelligamus, ſaltem imperfectè, Dei æternitatem ſemper fuiſſe, & ſemper fore, licèt in Deo nec præteritum nec futurum reperiatur. 2. Dicitur Deus fuiſſe & fore, non intrinſecè, ſed extrinſecè, ſcilicet per denominationem deſumptam à variis temporum differ-

Digitized by Google

ſentiis, quibus omnibus indiviſibilis ipſe ſucceſſivè coexiſtit, non quidem ſucceſſione ſui, ſed ſucceſſione temporis.

Nec dicas cum Vortio, Si tota æternitas coexiſteret omnibus temporis partibus, quòd omnes partes temporis ſimul exiſterent: quia non coexiſtit omnibus partibus ſimul ſumptis & exiſtentibus; ſed ſingulis diviſim ſumptis, & ſibi mutuò ſuccedentibus, v. g. hodiè tota æternitas coexiſtit diei hodiernæ, cras tota craſtinæ, ſicut ſtatua immota in littore tota coexiſtit ſingulis navibus ſucceſſivè tranſeuntibus.

Dicitur 4. *Independens*; quia ſicut hic independens eſt res durans, ità & ejus duratio rei duranti identificata, per quod excluditur iterùm duratio creaturæ ab æterno in æternum exiſtentis, ſi daretur, cum eſſet dependens. Ex dictis.

Reſol. 1. Æternitatem non eſſe hodiè majorem formaliter & intrinſecè, quàm fuerit à mille annis; poſſe tamen dici majorem extrinſecè, quia coexiſtit majori, ſeu longiori tempori.

Reſol. 2. Quòd licèt in æternitate non ſit ſucceſſio formalis, ſit tamen virtualis, in quantùm durationi ſucceſſivè coexiſtit: ſicut anima, licèt formaliter indiviſibilis, informat corpus extenſum & diviſibile.

Reſol. 3. Omnia creata eſſe præſentia toti æternitati, non tamen totaliter, ſeu non ſemper, ſed ſingula pro parte ſuæ durationis, ſicut omnia præſentia ſunt divinæ immenſitati, ſed non ubique: ſic etiam omnia membra hominis ſunt præſentia toti animæ, ſed non in omni loco, in quo eſt anima.

Reſol. 4. Falſum eſſe quod profert Author quidam modernus, nempè *illud eſſe æternum, quod una exiſtit cum tota Dei æternitate*; cùm inſuper requiratur, quòd ſemper ità cum illa exiſtat.

CONCLUSIO II.

Solus Deus eſt æternus æternitate jam definita.

Prob. 1. Ex Script. ad Tim. 6. *Qui ſolus habet immortalitatem*, ex qua adæquatè ſequitur æternitas.

Prob. 2. Ratione; quia quælibet creatura ab æterno creata & in æternum duratura à Deo dependeret in eſſe & conſervari, adeoque non eſſet propriè æterna, defectu durationis independentis; poſſet tamen dici æterna extrinſecè, ſcil. per realem coexiſtentiam cum æternitate.

QUÆSTIO V.

De Immenſitate & ubiquitate Dei.

Quoniam varia circà Dei immenſitatem & ubiquitatem reſolvenda ſunt, ideò hanc Quæſtionem in duos Articulos dividemus. Sed ante

Suppono, quòd immenſitas generatim ſignificet Dei infinitatem ſive quoad eſſe divinum ſecundùm ſe, quomodo ſimpliciter & abſolutè dicitur infinitas; ſive quoad eſſe divinum in ordine ad intellectum noſtrum, quomodo dicitur incomprehenſibilitas, ſive in ordine ad durationem, & dicitur æternitas; ſive in ordine ad locum, & dicitur incircumſcriptibilitas: nam immenſum ex prima vocis inſtitutione, idem eſt ac non habens menſuram; & ideò nonnunquam ab aliquibus PP. cum infinito confunditur. Hic tamen præcisè ſumitur pro infinitate eſſe divini in ordine ad locum, quam incircumſcriptibilitatem vocavimus.

ARTICULUS I.

An Deus ſit immenſus & ubique, & an hoc rectè colligatur ex ejus operatione?

Adverte in hoc differre immenſitatem & ubiquitatem, quòd immenſitas ſit divina virtus & capacitas, qua Deus ex natura ſua vim habet ſeſe intimè ſiſtendi præſentem omnibus rebus & locis, etiam infinitis, ſi darentur. Ubiquitas verò ſit actualis præſentia in omni re & loco: unde immenſitas (quæ eſt fundamentum ubiquitatis) convenit Deo ab æterno; ubiquitas verò in tempore, ſcilicèt à rerum creatione.

CONCLUSIO I.

Deus eſt verè immenſus & ubiquè præſens; non tantùm per potentiam & cognitionem; ſed etiam per ſubſtantiam & entitatem ſuam.

Prob. 1. Pars; quia omnia in hoc mundo producit, conſervat & gubernat, nec quidquam ſine ipſo coagente agere poſſumus; ſiquidem *omnia operatur in omnibus*, 1. Corinth. 12. verſ. 6.

Prob. 2. Pars, quia nihil eſt prorsùs, quod non apertè, clarè & diſtinctè intueatur & cognoſcat: nam, ut ait Apoſtolus Hebr. 4. *Omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus*: verum hi duo modi ubiquitatis non pertinent ad immenſitatem, ſed primus ad providentiam & omnipotentiam, ſecundus ad ſcientiam.

Prob. 3. Pars, quæ eſt communis inter Theologos contrà quoſdam Judæos & Chriſtianos, quorum illi claudebant Deum Templo Jeroſolymitano, hi autem Cœlo; ex quibus fuit Auguſtinus Eugubinus, aliàs egregius Theologus. Idem tenere videntur Sociniani, ut patet ex Crellio lib. de Deo cap. 27. ubi ex variis Scripturæ textibus probare contendit, Deum per ſubſtantiam Cœlum ſolummodo habitare. Prob. inquam ex Script. Joſue 2. *Deus in cœlo ſurſum, & in terra deorſum*. Jerem. 23. *Cœlum & terram ego impleo*. Pſal. 138. *Si aſcendero in Cœlum tu illic es: ſi deſcendero in infernum ades*. Et alibi.

2. Ex PP. Cypriano Tract. 4. de vanit. Idolorum: *Deus eſt totus ubique diffuſus*. Hilario lib. 1. de Trinit. *Nullus ſine Deo locus eſt*. Ambroſio lib. 1. cap. 7. de Spiritu S. *Domini eſt omnia complere*. Auguſtino lib. 7. de Civit. Dei cap. 30. *Deus ubique totus .... implens Cœlum & terram præſente potentia, non abſente natura*.

3. Ratione: Deus eſt infinitus in omni genere perfectionis, v. g. bonitatis, ſapientiæ, durationis &c. ergo & præſentialitatis; cùm poſſe & neceſſariò eſſe ubique, dicat perfectionem; & conſequenter Deo non denegandam: nam *ſi ei immenſitatem negaveris*, inquit Cornelius Muſſio, *auferes divinitatem*.

Præterea ſi Deus non eſſet ubique ſecundùm ſubſtantiam, motui eſſet obnoxius; imò toties deberet moveri Divinitas, quoties moveretur Chriſtus ſub ſpeciebus Euchariſticis.

Nec refert 1. Quòd Pſal. 113. dicatur: *Cœlum cœli Domino: terram autem dedit filiis hominum*, & 122. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis*; quia illa & ſimilia non probant, Deum tantùm eſſe in cœlo modo quodam ſpeciali, ſcilicet per majeſtatem & gloriæ ſuæ manifeſtationem; ſicut eſt in inferno per juſtitiam vindicativam, in juſtis per gratiam, in Eccleſia per ſpecialem aſſiſtentiam, in humanitate Chriſti per unionem hypoſtaticam.

Nec refert 2. Quòd Deus dicatur in Scrip. *Ambulare, aſcendere, deſcendere, appropinquare, recedere*; quia hoc dicitur ad captum noſtrum, & per ſimilitudinem ad homines, qui dicuntur ambulare, aſcendere &c. quando producunt tales effectus, quales producit Deus immotus in ſe permanens, aut etiam quia res Deum repræſentans localiter movetur; unde Deus deſcendit de cœlis in Incarnatione non cœlum deſerendo, ſed naturam humanam in terris aſſumendo: ſicut dicitur deſcendiſſe Gen. 11. in quantùm operaturus erat in terra linguarum confuſionem. Quando autem poſt Paſſionem dicitur deſcendiſſe ad inferos, aſcendiſſe ad Cœlos, hoc dicitur gratia humanitatis aſſumptæ. Similiter accedit ad nos gratiam conferendo, recedit auferendo. Denique dicitur ambulaſſe in Paradiſo Gen. 3. quia Adamo & Evæ viſus eſt in ſpecie corporali ambulantis.

Nec refert 3. Quòd Clemens Alexand. lib. 5. Stromatum dicat: *Illi quidem dicunt, Deum univerſam pervadere eſſentiam; nos autem eum ſolum dicimus effectorem*; quia loquitur de Stoicis, qui volebant Deum eſſe in rebus tanquam animam in corpore; & conſequenter quòd ſicut anima eſt pars hominis, ità Deus eſſet pars univerſi: unde negat Deum omnia pervadere tanquam partem, non negat tamen pervadere omnia per ſuam entitatem.

Nec refert 4. Quòd Deus eſſet in rebus ſordidiſſimis; quia cùm ſit ſpiritus, non inde inficitur, ſicut nec inficitur anima unita corpori ſordido & leproſo: unde ſicut lux ſolis, lutoſa & ſordida penetrat ſine ſui macula, ità Deus.

Nec refert 5. Quòd non poſſit eſſe ubique, niſi ſit extenſus; quia licèt non ſit extenſus modo corporibus proprio, ſicut ſit in locis majoribus ſecundùm partes majores, in minoribus ſecundùm minores; eſt tamen extenſus modus ſpiritibus ſpeciali, id eſt, quaſi per præſentiæ multiplicationem, ità ut ſit totus in parvo loco, totus in magno, totus & unicus in omnibus locis: ſicut anima noſtra tota eſt in digito, tota in brachio, tota & unica in toto corpore. Ex eo autem quòd Deus ſi totus in minimo loco, non ſequitur eſſe minimum, quia ſic eſt in minimo, ut ſit alibi in magno, & ultrà magnum.

CONCLUSIO II.

Inefficaciter probatur ratione naturali Deum eſſe ubique, eo quòd operetur ubique. Ità Scotus 1. d. 37. q. unic. quem

præter

præter ejus Diſcipulos, ſequuntur Nominales, Valentia, Vaſquez, Præpoſitus, & multi alii contrà Thomiſtas ſatis communiter.

Prob Quia ſi per impoſſibile eſſet tantùm præſens in Cœlo per eſſentiam, poſſet in aliis Univerſi partibus operari: ergo ex ejus operatione ubique, non ſequitur conſequentia formali illum eſſe ſubſtantialiter & eſſentialiter ubique. Prob. Ant. Velle & facere ſunt idem in Deo, nam *omnia, quæcumque voluit, fecit*, Pſ. 113. ſed ſi Deus per impoſſibile tantùm eſſet in Cœlo per eſſentiam, poſſet velle, ut aliquid fieret in terra, cùm nulla hujus aſſignari poſſit repugnantia: ergo & facere.

Objic. 1. Illud Act. 17. *Non longè eſt* Deus, *ab unoquoque noſtrum: in ipſo enim vivimus, movemur & ſumus*, ubi colligitur præſentia Dei in nobis, ex eo quòd moveat nos, adeoque operetur in nobis.

Reſp. Mirum eſſe aliquos ità efficacem credidiſſe hunc textum pro ſua opinione, ut ideò dixerint Scoti ſententiam parum eſſe in Fide tutam; cùm D. Paulus verbis illis nihil minùs probare intendat, quàm Dei præſentiam ſubſtantialem ex ejus operatione. Vult igitur, cùm in Deo vivamus & moveamur, ipſum non ità diſtare à noſtra cognitione, quin poſſimus illum cognoſcere & conſequenter immeritò ab Athenienſibus dedicatam eſſe Aram IGNOTO Deo, ut patet ex contextu.

Objic. 2. Poſtquam Pſ. 138. probata eſt Dei ubiquitas his verbis: *Si aſcendero in Cœlum, tu illic es &c.* ſtatim redditur ratio: *Etenim illuc manus tua deducet me*; per manum autem Dei intelligitur nonnunquam operatio.

Reſp. Mera eſſe verba & voces, cum Pſalmus ille, ut conſtabit legenti, ſolum oſtendat Deum eſſe ubique per ſcientiam & providentiam.

Objic. 3. Quoſdam PP. ex quibus ſufficiat unicus Hugo Victorin. lib. 7. Erudit. Theol. cap. 19. ubi ait: *Cùm divinæ virtutis effectus nuſquam deeſſe cernimus, cur eandem Dei virtutem omnibus ineſſe rebus dubitamus? Si autem Deus virtus ubique eſt; cùm alia non ſit Dei virtus quàm Deus, conſtat quod nuſquam Deus deeſt.*

Reſp. Hugonem & alios, ſi qui ſint, inferentes Deum eſſe ubique, quia ubique operatur, non hoc inferre per conſequentiam formalem, quaſi verò ex operatione alicubi neceſſariò ſequeretur præſentia ſubſtantialis ibidem, ſed quaſi per conſequentiam materialem, quaſi dicerent: Non eſt potior ratio cur Deus operetur ubique, quàm quod ſit ubique: ſed operatur ubique: ergo eſt ubique, licèt nulla eſſet implicantia, ſi per impoſſibile non eſſet ubique, quòd operaretur ubique.

Objic. 4. Ubi Dei operatio, ibi & Dei virtus: ſed ubi Dei virtus, ibi & Deus, utpotè virtuti ſuæ identificatus: ergo ex Dei operatione alicubi legitimè infertur præſentia ejus ſubſtantialis ibidem.

Reſp. Diſt. Ma. Ubi Dei operatio, ibi & Dei virtus, quia non operatur, niſi ubi eſt: C. quia non poſſet operari, niſi ubi eſſet, ſi per impoſſibile non eſſet ubique. N. undè quamdiù non aſſignaverint Adverſarii implicantiam divinæ operationis indiſtans petitam ex ipſa operatione, tamdiù firma ſtabit noſtra Concluſio.

Dices: Attingeret effectum, cùm illum produceret; & non attingeret, cùm ab illo diſtaret.

Reſp Manifeſtè peti principium, & ſupponi quòd eſſet probandum, nempè improducibilem eſſe effectum, etiam divinitùs, à cauſa non attingente, ſeu diſtante.

Dixi in Concluſ. *Inefficaciter probatur ratione naturali*: & ideò licèt aliqua Scripturæ aut PP. authoritas, ex divinæ operationis ubiquitate, divinæ eſſentiæ ubiquitatem colligeret, adhuc vera eſſet Scoti ſententia, nempè non poſſe id efficaciter probari ratione naturali.

ARTICULUS II.

An Deus ſit in locis, in ſpatiis imaginariis, & an ipſi ſoli conveniat immenſitas?

CONCLUSIO I.

Deus non eſt in locis, quatenùs loca ſunt, licèt ſit in illis, quatenùs ſunt res.

Ratio eſt; quia ſic eſſe in locis eſt locatum contineri, ambiri, & terminari loco extrinſeco; Deus autem, cùm omnia loca & penetret & excedat, non poteſt in illis claudi & contineri: unde quando dicimus Deum eſſe in omnibus locis, non ſumimus loca formaliter, ſed materialiter pro rebus.

CONCLUSIO II.

Deus non eſt verè in ſpatiis imaginariis. Ità DD. Angelicus, Seraphicus, Subtilis, aliique ſatis communiter contrà Molinam, à quo vix diſtat l'Hernimier volens non eſſe quidem in ſpatiis imaginariis, ſeu fictitiis, eſſe tamen in ſpatiis ultra mundanis; ſed cum ſpatia illa ultramundana, ut à mundo & Deo diſtincta, ſint mera figmenta, ſi ſit in illis, ſequitur eſſe in ſpatiis imaginariis.

Prob. 1. Ratione deſumpta ex D. Bonaventura: *Stultum eſt*, inquit, *dicere Deum eſſe in eo, quod nihil eſt*: ſed ſpatia imaginaria nihil ſunt, cùm ſint merè phantaſtica, nec habeant eſſe, niſi in imaginatione fingentium: & certè, ſi quod haberent, eſſent creaturæ, adeoque de mundo, qui omnia creata complectitur: ergo. Undè non eſt magis Deus in ſpatiis illis, quàm ſit in chymera, & aliis rationis noſtræ figmentis.

Prob. 2. Deus ante mundi creationem non erat in ſpatiis imaginariis: ergo nec jam; cùm nulla alia ratio ſit pro nunc, quàm pro tunc. Prob. Ant. Ex SS. PP. & præſertim Auguſtino in Pſ 122. ubi oſtendit Deum tantùm eſſe in ſemetipſo, non quidem poſitivè, ſed negativè, id eſt, in nullo alio à ſe diſtincto. Ipſum audiamus: *Antequam faceret Deus cœlum & terram, ubi habitabat? Et antequam faceret Deus Sanctos, ubi habitabat? In ſe habitabat Deus, apud ſe habitabat, & apud ſe eſt Deus*: undè ſunt hi duo Verſus:

Dic ubi tunc eſſet, cùm præter eum nihil eſſet?
Tunc ubi nunc, in ſe: quoniam ſibi ſufficit ipſe.

Objic. 1. Deus eſt extra mundum: ergo in ſpatiis imaginariis. Prob. Ant. Tùm ex Scrip. 3. Reg. 8. *Si cœlum & cœli cœlorum te capere non poſſunt*. Ex Job. 22. *An non cogitas, quòd Deus celſior cœlo ſit?* Tùm ex Patribus, qui dicunt Deum eſſe ſupra cœlum, ſupra aſtra, ſupra omnia, ex quibus ſufficiat referre Nazianzenum dicentem Apolog. 1. *Deus in univerſo eſt, & ſupra univerſum*. Tùm etiam Ratione; quia cùm ſit illimitatus in extenſione, clarum eſt omnem Univerſi ambitum tranſcendere.

Reſp. 1. Diſt. Ant. Eſt extrà mundum in ſeipſo infinitè diffuſo: C. in aliquo à ſe diſtincto: N. & ideò nego Conſeq.

Reſp. 2. Diſt. aliter Ant. Eſt extrà mundum per præſentiam formalem & actualem: N. per præſentiam potentialem & fundamentalem, ratione cujus aptus eſt, & poteſt eſſe præſens quibuslibet creaturis, imò & mundis in infinitum, ſi extrà hunc mundum producerentur: C. ſed hanc potentiam ſeu capacitatem habet, non ratione ſuæ immenſitatis.

Inſt. Non implicat præſentia actualis extrà mundum: ergo non eſt Deo deneganda.

Reſp. neg Ant Quia eſſe præſens actualiter, eſt eſse præſens alicui: implicat autem aliquid eſse præſens alicui: ubi nihil eſt. Undè ſi quis eſset in medio loci omni corpore vacui, nullam haberet præſentiam terminatam ad vacuum, licèt haberet terminatam ad parietes locum illum ambientes.

Objic. 2. Extra mundum eſt aliquid, cùm ſit capacitas ad recipiendum, quidquid poteſt Deus ibi producere: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Eſt aliquid fictitium: C. reale: N. & certè ſi illa capacitas eſset aliquid reale, vel eſset quid poſitivum, vel negativum: non poſitivum; quia eſset extra mundum, ut ſupponitur, & non eſset; quia per mundum intelligimus congeriem omnium creaturarum: non etiam negativum; quia negativum reverà nihil eſt, nec verè exiſtit exiſtentia Phyſica. Ex dictis

Reſolve Deum eſse quidem extra mundum verè, actu, & poſitivè, ſed in ſemetipſo, & ſic malè infertur, ſi non eſset in ſpatiis imaginariis, quòd circumſcriberetur, ſeu limitaretur mundo.

CONCLUSIO III.

Immenſitas ſoli Deo competit. Ratio eſt; quia licèt aliqua creatura per omnipotentiam divinam foret præſens per replicationem præſentiæ infinitis locis, ſi darentur, illa tamen idcircò non cenſeretur eſse immenſa; quia non exigeret hanc ubiquitatem ex natura ſua, & per ingenitam virtutem, qualiter illam ex immenſa & illimitata ſua natura exigit Deus.

QUÆSTIO VI.

An Deus, & ſolus ſit incomprehenſibilis, & quid ſit ejus incomprehenſibilitas?

NOn ſumitur hìc comprehenſio pro rei aſſecutione, quo ſenſu dicuntur Beati comprehenſores; & comprehenſor dicitur, qui dignitatem, ad quam aſpirabat, obtinuit; ſed pro cognitione rei omninò adæquata, quæ ſic poteſt definiri: Cognitio, qua totum in objecto cognoſcibile ità perfectè cognoſcitur, ac exigit objecti cognoſcibilitas.

Dicitur 1. *Qua totum* &c. ſub quibus verbis continetur comprehenſio extenſiva, ad quam requiritur, ut cognoſcatur in objecto omne, quod ipſi ineſt & formaliter, & eminenter, & virtualiter, imò & ſecundùm omnes terminos, quos reſpicit aut terminat, adeoque ſecundùm omnem terminationem activam & paſſivam, actualem & poſſibilem.

Dicitur 2. *Ità perfectè cognoſcitur, ac exigit &c* ſub quibus intelligitur comprehenſio intenſiva, ad quam requiritur ut omne, quod eſt in objecto cognoſcibile, cognoſcatur totaliter, ideſt, commenſuratè ad intelligibilitatem objecti, ità ut cognoſcatur ſecundùm omnes ſuæ perfectionis gradus.

CONCLUSIO I.

DEus eſt omninò incomprehenſibilis à qualibet creatura. Eſt contrà Eunomium, qui iactabat ſe tantam Dei notitiam habere, quantam de ſeipſo habet Deus; contrà Auguſtinum de Roma, qui idem tribuebat animæ Chriſti; & contrà quoſdam Theologos, qui aſſerunt, quòd licèt Deus de facto non comprehendatur à creatura; de potentia tamen abſoluta comprehendi poſſit, vel aliquod ejus Attributum.

Prob. 1. Ex Script. Jerem. 32. *Magnus conſilio & incomprehenſibilis cogitatu*. Et Rom. 11. *Quàm incomprehenſibilia ſunt &c.*

Prob. 2. Ex Concilio Lateran. Cap. *Firmiter* de ſumma Trinit. ubi dicitur: *Firmiter credimus, quòd Deus eſt immutabilis, & incomprehenſibilis*, ubi Concilium definit non tantùm de incomprehenſibilitate naturali (quod fide certum eſt) ſed etiam de abſoluta ſeu omnimoda, ut cenſent DD.

Prob. 3. Ex PP. Auguſtino de verbis Domini ſerm. 38. *Attingere aliquantum te mente Deum, magna beatitudo eſt; comprehendere autem omninò impoſſibile eſt*. Et Beda, qui in illud 1. Joan. 3. *Videbimus eum ſicuti eſt*, ſic loquitur: *Promittitur nobis videre Deum: nam comprehendere concedi non poteſt.*

Prob. 4. Ratione; quia ut Deus comprehendatur, non tantùm debet cognoſci totus, ſed etiam totaliter, ità ut intellectualitas creaturæ ſit tantę perfectionis, quantę intelligibilitas Dei, loquuntur DD. Angelicus & Subtilis: ſed hæc eſt perfectionis infinitæ, illa ſemper finitæ: ergo. Imò quamvis daretur per impoſſibile creatura infinitè intellectiva, equidem non exhauriret Dei intelligibilitatem; cùm propter ſuam dependentiam, minoris ſemper eſſet perfectionis.

Obji. 1. Beati comprehendunt Deum: ergò. Prob. Ant. Quia vident eum, ſicuti eſt, ut patet ex 1. Joan. 3.

Reſp. Neg. Ant. ad Probat. Diſt. Aſſumpt. Vident eum, ſicuti eſt, ideſt, vident totum Deum: Tranſeat, ideſt, vident ipſum totaliter: Subdiſt. ideſt, toto ſuo conatu, & quantum poſſunt: C. vident ipſum totaliter, ideſt ſic, ut tota Dei infinita cognoſcibilitas adæquetur & exhauriatur per cognitionem Beati: N. nam, ut loquitur N. Herinx, in fonte adhuc manet inexhauſta & ſine fine profunda. Solus ergo Deus totum & totaliter ſeipſum comprehendit; quia ipſe ſolus, utpotè infinitè intellectivus, capax eſt infinitam ſuam intelligibilitatem exhaurire. *Exhaurire* dico, non quidem poſitivè; cùm infinitum ſit taliter exhauribile, ſed negativè, quatenus repræſentabilitas objecti ità adæquatur per repræſentationem intelligentis, ut repræſentabile non excedat repræſentans.

Dixi ad primum membrum diſtinctionis *Tranſeat*; quia licèt Beati cognoſcant omnes perfectiones formaliter in Deo exiſtentes, non tamen omne, quod in Deo eſt eminenter aut virtualiter. Nec cognoſcunt omnia, quæ Deus ſimul intelligit, aut ſimul producere poteſt; adeoque non cognoſcunt perfectiſſimè ſapientiam & omnipotentiam Dei ſecundùm omnes terminationes & terminabilitates: undè Chryſ. Hom 14. in Joan. *Id quod eſt Deus, non modò Prophetæ, ſed nec Angeli viderunt, neque Archangeli.*

Obji. 2. Beati cognoſcunt Deum infinitè: ergo Prob. Ant. Quia eſſentia Dei ſecundùm ſe infinita concurrit per modum ſpeciei ad viſionem beatificam.

Reſp. Neg. Ant ad Prob Dico quòd licèt ſic concurreret eſſentia divina, de quo poſteà, limitatè tamen participatur à creatura ob luminis gloriæ limitationem.

Obji. 3. Juxtà Auguſt. Epiſt. 112. *Totum objectum comprehenditur, quando ità videtur, ut nihil ejus lateat videntem:* ergo fruſtrà requiritur ad comprehenſionem, ut perfectio intellectualitatis adæquet perfectionem intelligibilitatis objecti, modò totum objectum videatur.

Reſp. Diſt. Ant. Totum comprehenditur extenſivè, quando ità videtur &c. C. intenſivè: N.

Inſt. Nihil facit ad rationem comprehenſionis perfectio continentis, cùm balſamum, quod eſt pretioſiſſimum, comprehendatur in vaſe terreo, quod eſt viliſſimum.

Reſp. Diſt. Ant. Nihil facit ad rationem comprehenſionis corporeæ: C. quia ibi tantùm attenditur quantitas continentis & contenti, ſicut nihil quantitatis rei contentæ ſit extrà quantitatem rei continentis, ſive interim continens ſit æquè perfectum in ſua ſubſtantia ac contentum, ſive non. Nihil facit ad rationem comprehenſionis ſpiritualis: N. quia cùm cognitio ſit capax intenſionis, juxta majorem cognoſcentis perfectionem, res non dicitur per cognitionem comprehendi; niſi & tota, & perfectiſſimè cognoſcatur.

Inferes: Ergo Beati non vident, Deum, ſicuti eſt, cum non videant perfectiſſimè.

Reſpondet Author quidam modernus, eos videre Deum ſicuti eſt, quia vident, eum non per ſpeculum & in ænigmate, ſed præſentem clarè & intuitivè, licèt non cognoſcant illum ſecundùm omnes perfectionis gradus, & ideò non perfectiſſimè; ſed huic Reſponſioni obſtat, quòd videre Deum, aut aliquod ejus Attributum ſecundùm aliquos perfectionis gradus, & non ſecundùm omnes, non ſit videre Deum ſicuti eſt, cùm ſit videre aliquid ut finitum, v. g. ſapientiam ut finitam, bonitatem ut finitam &c. & ideò

Reſp. Neg. Illationem, licèt enim non videant perfectiſſimè, quantum eſt ex modo cognoſcendi, cùm *videant finitè, quod de ſe eſt viſibile infinitè*, ut ait S. Thomas ad Annibaldum diſt. 49. art. 1. ad 2. vident tamen perfectiſſimè, quantum eſt ex parte objecti, cùm videant totum, & ideò ſicuti eſt, ſaltem ſecundùm perfectiones formaliter exiſtentes.

Obji 4. Poſſet Deus concedere Beato lumen gloriæ infinitum: ergo tunc ſaltem Deum comprehenderet.

Reſp. Neg. Suppoſitum; quia implicat dari creatum infinitum actu, ut patet tum ex dictis in Philoſophia; tum ex D. Thoma 1. p. q. 12. art. 7. ubi ait: *Cùm igitur lumen gloriæ creatum in quocumque intellectu creato receptum, non poſſit eſſe infinitum, impoſſibile eſt, quòd aliquis intellectus Deum infinitè cognoſcat: undè impoſſibile eſt, quòd Deum comprehendat.*

CONCLUSIO II.

SOlus Deus eſt incomprehenſibilis intenſivè; non tamen ſolus extenſivè.

Prob. 1. Pars, quia cùm ſolus Deus habeat infinitatem naturæ & eſſentiæ, etiam ſolus habet intelligibilitatem infinitam, adeoque ſolus eſt ab intellectu creato inexhauribilis, ſeu incomprehenſibilis; præſertim cùm omnis intelligibilitas creata poſſit ab intellectu finito proportionato & expedito exhauriri.

Prob. 2. Pars, quia cùm quælibet creatura dicat ordinem ad Deum; ad comprehenſionem autem extenſivam requiratur cognitio non tantùm intrinſecorum, ſed etiam omnium terminorum, ad quos ſe extendere poteſt virtus objecti cogniti tam paſſiva quàm activa, clarum eſt, nullam creaturam, etiam minimam, poſſe ab alia extenſivè comprehendi: undè licèt Angelus ſuperior poſſit ſemetipſum comprehendere intenſivè, & à fortiori Angelum inferiorem, aut hominem; nequidem muſcam extenſivè comprehendere poteſt. Fatendum tamen, notionem illam comprehenſionis extenſivæ eſſe valdè ſtrictam, & fortè ſtrictiorem, quàm exigat ejus ſignificatum, cùm videatur res comprehendi, ubi omnia omninò ejus intrinſeca comprehenduntur.

QUÆSTIO VII.

An Deus ſit ineffabilis?

QUæſtio non procedit de Ineffabilitate mentis, ſed oris, ſeu de illa, quæ exteriùs fieri non poteſt per verba, quæ innominabilitas dici poteſt.

CONCLUSIO I.

DEus non eſt ita ineffabilis, quin poſſit aliquo nomine, ſaltem imperfectè exprimi.

Prob. 1. Ex Script quæ varia Deo tribuit nomina, imò, ut refert Hieronymus Epiſt. 136. ad Marcellum, decem ex Scriptura dedu-

Digitized by Google

deducebant Hebræi. Primum eſt *EL*, ideſt Fortis, & inde dictum eſt *Emmanuel*, nobiſcum Deus, gallicè *Noel*, noſter Deus: *Michael*, Quis ut Deus? *Gabriel*, Fortitudo Dei: *Raphael*, Medicina Dei. Secundum, *Elohe*, quod Deum videntem, providentem, & gubernatorem denotat. Tertium *Elotum*, quod præcedentis plurale eſt, ſignificatque tres Perſonas in una eſſentia divina. Quartum *Sabaoth*, quod ſemper adiunctum habet aliud Dei nomen, ut *Adonai Sabaoth*, ideſt Dominus exercituum, ſcilicet Angelorum, Martyrum, & aliorum Beatorum, ac Eccleſiæ Militantis. Quintum *Elion*, ideſt, excelſus. Sextum *Ego ſum, qui ſum*. Septimum *Adonai*, quod Dominum, vel, ut vult Hieronymus, nutritium familiæ ſignificat. Octavum *Ia*, ex quo & *Allelu*, ideſt, laudare, dictum eſt Alleluja, laudare Deum. Nonum *Sadai*, ideſt, munificus, liberalis, & omnipotens. Decimum *Jehova*, quod dicitur nomen tetragrammaton, ideſt, quatuor litterarum: & certè ab omnibus ferè gentibus quatuor litteris ſcribitur: nam à Latinis dicitur *Deus*, à Græcis *Teos*, ab Ægyptiis *Theu*, à Perſis *Sye*, à Magis *Orſi*, ab Aſſitiis, *Adad*, ab Armenis *Vort*, à Turcis *Agid*, ab Arabibus *Alla*, à Gallis *Dieu*, à Germanis, Anglis, & Flandris *Goth*, ab Hiſpanis *Dios*, ab Italis *Idio*, & ipſummet *Jehova*, quod ſex literis exprimitur, 4. litteris exprimunt Hebræi.

Portò nomen *Jehova* tanquam Dei primarium & eſſentiale, ac aliorum nominum radix & fundamentum in tanta veneratione erat apud Hebræos, ut à ſolo ſummo Pontifice (qui illud honoris cauſa laminæ Aureæ inſculptum gerebat in thiara ſua) pronunciaretur, & quidem dum populo in Sanctuario ſolemniter benedicebat: dum enim extra Sanctuarium occurrebat pronuntiandum, ejus loco *Adonai* pronunciabatur.

Prob. 2. Concluſio ab experientia noſtra, qua conſtat, nos Deum quandoque effari & nominare: & certe cùm aliqualem Dei notitiam habeamus, quidni aliqualiter ipſum exprimere voce poſſemus? Unde Auguſt. Tract. 13. in Joan. *Quæris congruum*, nempe Dei nomen, *non invenis: quæris quoquo modo dicere omnia invenis*. Imò cùm ineffabilem dicimus, ipſum aliqualiter exprimimus; quia & cùm hoc dicitur, aliquid dicitur, inquit idem Doctor lib. de Doct. Chriſt. cap. 6. Quòd ſi aliqui PP. dicant Deum eſſe abſolutè ineffabilem, tantùm volunt, quòd non poſſint Deo nomina tribui, quæ illius eſſentiam nobis diſtinctè manifeſtent; quia illam nec penetramus, nec percipimus, & ideò ſit

CONCLUSIO II.

DEus quoad conceptum quidditativum eſt ineffabilis reſpectu viatorum, non tamen reſpectu angelorum, aut Beatorum.

Prob. 1. Pars; Quia quodcumque nomen aut homo, aut Angelus, aut Deus ipſe coram viatoribus pronuntiaverit, nunquam ipſis eſſentiam divinam diſtinctè declarabit, nam cùm voces non dent cognitionem rei, ſed tantùm præhabitam excitent, hinc fit, quod reſpectu viatorum, quibus non ineſt diſtincta eſſentiæ divinæ cognitio, ſit ineffabilis. Et fortè hoc ſenſu cap. *Firmiter* de ſum. Trinit. definitur Deum eſſe ineffabilem.

Prob. 2. Pars; Quia cùm Angeli & Beati intelligant, quid ſit Deus quidditativè & eſſentialiter, ſi unus Angelus aut Beatus proferat Dei nomen coram altero Beato, hic ſtatim eſſentiam divinam concipiet, & conſequenter reſpectu illius non eſt ineffabilis quidditativè, licet ſit comprehenſivè, cùm à nulla creatura comprehendi poſſit.

CONCLUSIO III.

LIcèt viator Deum quidditativè non cognoſcat, poteſt tamen nomen deſignare, per quod ipſum Angelis aut Beatis quidditativè, imò & ipſi Deo comprehenſivè ſignificet. Ità quoad primam Partem Scotus 1. diſt. 22. n. 2. cum pluribus tum domeſticis, tum extraneis contrà varios Thomiſtas.

Prob. 1. Pars; Quia licèt impoſitio nominis dependeat ab inſtituente; ut tamen vox inſtituta rem perfectiùs aut imperfectiùs ſignificet audienti, quàm inſtituenti aut loquenti, non dependet ab inſtituente, ſed à majori aut minori audientis cognitione circà rem, cui nomen impoſitum eſt: ergo cùm Angelus majorem habeat eſſentiæ divinæ cognitionem, quàm viator, poſſet hic nomen Deo imponere, quod cum perfectè Angelo ſignificaret, ſibi imperfectè. Anteced. mihi videtur clarum: quis enim poteſt dubitare, quòd ſi Rex Galliæ nomen imponeret Urbi noviter extructæ, quam nunquam vidiſſet, v. g. *Ludovicopolis*, quòd inquam hæc vox, velit, nolit Rex, perfectiùs ſignificaret rem habitatoribus, quàm ipſi Regi?

Confir. 1. Si venator comprehenderet feram hactenùs in patria non viſam, ipſique nomen ad aliarum diſtinctionem imponere, certò certiùs perfectiùs ſignificaret nomen illud Angelo quàm venatori; cùm hic minorem, ille maiorem habeat illius naturæ & proprietatum notitiam. Idem dic in noſtro caſu.

Confir. 2. Quia, ut loquitur Vaſquez, non eſt opus, ut nomen imponens, tantum de re ſignificata noverit, quantum in ſignificatione ponit, cùm id nulla lege poſitiva aut naturali ſit requiſitum.

Dices 1. Vis ſignificationis in vocibus oritur ex parte exprimentis conceptum: ergo non poteſt ſignificare perfectiùs audienti, quàm loquenti, aut inſtituenti.

Reſp. Diſt. Ant. Vis ſignificationis, ideſt, quòd vox potiùs hoc quàm illud ſignificet, oritur &c. C. ideſt, quòd vox perfectius aut imperfectius ſignificet: N. hoc enim oritur ex parte audientis, rem anteà perfectius aut imperfectius cognoſcentis; Unde quia Angelus meliùs novit naturam Dei, quàm homo, audita hac voce, *Deus*, perfectius Dei naturam ſibi repræſentat, quàm homo.

Dices 2. Imprudenter quis imponeret nomen rei, quam non novit: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Quam non novit ſaltem confuſè: C. quam non novit diſtinctè; N. aliàs imprudentes eſſent Reges, imponentes nomen urbibus, quas nonniſi ſub confuſo conceptu urbis noverunt: quod tamen nemo ſomniavit.

Dices 3. Juxta Ariſtotelem 1 de Interpret. *Voces ſunt earum, quæ ſunt in anima, paſſionum notæ*: ergo ubi conceptus loquentis aut inſtituentis eſt imperfectus, imperfectè ſignificat.

Reſp. Diſt. Ant. Sunt notæ paſſionum ſeu conceptuum ſecundariò & arguitivè: C. primario: N quia primario ſignificant rem, perfectè ſcilicet aut imperfectè ſecundùm audientis diſpoſitionem; & re percepta, colligimus loquentis conceptum: neſcientes tamen, an ſit perfectus aut imperfectus, niſi certè ſit integra propoſitio.

Malè etiam ex Concluſione inferres cum Gonet Pſittacum verè loqui, quia ad veram loquelam requiritur & expreſſio rei, quod facit quidem Pſittacus, & expreſſio conceptus, quod non facit.

Prob. 2. Pars; quia talis eſt nominis ſignificatio audienti, qualis eſt conceptus, quem habet audiens de re per nomen ſignificata: ſed Deus habet cognitionem ſui comprehenſivam: ergo.

Dices 1. Deus per nomen ſibi ab homine impoſitum non excitaretur ad novam ſui comprehenſionem, cùm ſemper ſe comprehendat: ergo.

Reſp. Ut vox ſignificet, non requiri quòd novam rei cognitionem imprimat audienti, ſed ſufficere quòd ſit excitativa repræſentationis rei, ubi aliundè non repræſentatur.

Dices 2. Nomen ſic inſtitutum non repræſentaret diſtinctè omnes omninò Dei terminationes & habitudines.

Reſp. Ad verificationem Concluſionis ſufficere, quòd id præſtaret implicitè.

DISPUTATIO QUARTA.

De Viſione Dei.

DEi viſio, ut loquitur Auguſtinus Tract. 34. in Joan. *deſiderari poteſt, concupiſci poteſt, ſuſpirari poteſt in illud: dignè cogitari & verbis exprimi non poteſt*, nihilominùs ne à tramite, quem nobis triverunt DD. Angelicus & Subtilis, recedamus, de illa pauca dicere tentabimus.

QUÆSTIO I.

An Deus videri poſſit oculo corporeo?

AFfirmarunt olim Anthropomorphitæ, qui, cùm Deum facerent corporeum, etiam conſequenter corporeis oculis videri poſſe ſuſtinebant. Imò quidam Catholici Deum credentes ſpiritum, voluerunt oculo carneo poſſe videri de potentia Dei abſoluta. Contra quos

CONCLUSIO UNICA.

NUllatenùs videri poteſt Deus oculo corporeo, etiam de potentia Dei abſoluta. Ità communiter Scholaſtici.

Prob. 1. Ex Scriptura, quæ variis locis Deum proclamat inviſibilem, ut 1. ad Timoth. 1. *Regi ſæculorum immortali & inviſibili*, & alibi: ſi autem inviſibilis, maximè oculo corporeo.

Prob. 2. Ex Trident. Seſſ. 25. de Invocat. &c. *Doceatur populus, non propterea Divinitatem figurari, quaſi corporeis oculis conſpici, vel coloribus aut figuris exprimi poſſit.*

Prob.

Digitized by Google

Prob. 3. Ex PP. Origine lib. 7. contra Celſum: *Falsò igitur nobis imponit dicens: nos ſperare corporis oculis Deum eſſe viſuros.* Cyrillo Jeroſol. Catecheſi 9. *Carnis quidem oculis contemplari Deum impoſſibile eſt; quod enim corporis eſt expers, in carnis oculos cadere nequit.* Ambroſio lib. 1. in Lucam cap. 1. *Nec corporalibus oculis Deus quæritur, nec circumſcribitur viſu:* imò D. Athanaſius Orat. contra Idololatras, aſſerit grandem eſſe vecordiam, ſi quis fingat Deum eſſe viſibilem oculo corporeo.

Prob. 4. Ratione; quia nulla potentia ferri poteſt extra latitudinem ſui objecti adæquati: atqui objectum adæquatum oculi corporei, ſeu viſus, eſt coloratum, ut conveniunt omnes Philoſophi; adeoque corporeum, qualem non eſſe Deum probavimus ſup. ergo. Prob. Ma. Quia ſi extrà verſaretur, jam eſſet adæquatum, ut ſupponitur, & non eſſet, cùm eſſet ab alio adæquabile. Præterea major eſt proportio inter viſum & ſaporem, propter utriuſque corporeitatem, quàm inter viſum & ſpiritum: ſed non poteſt elevari viſus ad videndum ſaporem: ergo nec ad videndum Deum.

Obji. 1. Illud Job. Cap. 19. *In carne mea videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt.* Et cap. 42. *Nunc autem oculus meus videt te.*

Reſp. Patriarcham viſurum quidem Deum in carne poſt reſurrectionem, non tamen per carnem: quod ſi per carnem, ut inſinuare videntur hæc verba: *Et oculi mei conſpecturi ſunt*, loquitur de Chriſto. Ità expreſsè Auguſt. lib. 22. de Civit. Dei Cap. 29. *Illud etiam*, inquit, *quod ait ſuprà memoratus Job...* & in carne mea videbo Deum, *reſurrectionem quidem carnis prophetavit, non tamen dixit per carnem meam: quod tamen ſi dixiſſet, poſſet Deus Chriſtus intelligi, qui per carnem in carne videbitur.*

Ad aliud Cap. 42. Dico non loqui de Deo ſecundùm eſſentiam, ſed ſecundùm providentiam, quam anteà auditam, magis ac magis quotidiè experiebatur intellectu & viſu.

Obji. 2. Hæc verba Jacob Gen. 32. *Vidi Deum facie ad faciem.*

Reſp. Ità loqui, quia vidit Angelum, Deum repræſentantem ſub ſpecie corporali, ut refert Ozeas Cap. 12. quod & vidit Moyſes Exod. 33. ubi dicitur converſatus cum Deo facie ad faciem. Similiter Deum vidit Iſaias ſub ſpecie corporali cujuſdam Regis, cùm ait Cap. 6. *Vidit Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum.*

Obji. 3. Auguſtinum varia variis locis pro viſione Dei corporea referentem.

Reſp. Diſt. Aſſumpt. Pro viſione corporea, qualis nunc eſt: N. Quia expreſsè contrarium docet Serm. 5. de diverſ. ubi ait: *Hæc verò viſio non carnalibus æſtimanda eſt oculis fieri poſſe, ſed puræ mentis intuitu.* Et in Pſ. 41. *Non quòd videri Deus, niſi animo, poteſt.* Quod adhuc clariùs expreſſit Epiſt. 6. *Hoc autem* nempè Divinitatem, *oculus videre corporis neque nunc poteſt, neque tunc poterit.* Pro viſione per glorificationem quaſi ſpiritualizata Subdiſt. Varia refert aſſertivè: N. Dubitativè. C. poſtquam enim pluribi materiam hanc examinavit, dubiamque mentem reliquit, reſolutionem quoad oculum glorificatum remittit lib. 2. Retract. Cap. 41. ad lib. 22. de Civit. Cap. 29. ubi tamen adhuc manet dubius, cùm ubique loquatur aut irreſolutivè, aut conditionatè, ut patet ex nu. 2. 3. 5. 6. ſicut & ex ejus Epiſt. 147. Cap. 20 & 148. à n. 3.

Inſt. 1. Auguſtinus dubitando oſtendit rei poſſibilitatem.

Reſp. Non tantùm dubitaſſe de re, nempè an Beati eſſent Deum viſuri oculis corporeis, ſed etiam de rei poſſibilitate, ut legentem convincet textus.

Inſt. 2. N. 5. Irridet Philoſophos docentes corporalia nonniſi corpore, & ſpiritualia nonniſi ſpiritu percipi poſſe.

Reſp. Diſt. Aſſumpt. Irridet propter utrumque membrum: N. nam de 2. nihil pronuntiat. Propter primum membrum, quaſi verò non poſſet ſpiritus corporalia, percipere: C. hocque ſatis inſinuat ſuis in contrarium probationibus.

Obji. 4. Magis diſtat Angelus à Deo, quàm oculus ab Angelo: ergo ſi poſſit Angelus videre Deum, poterit oculus videre Angelum; ſi autem Angelum, qui ſpiritus eſt, quidni Deum.

Reſp. Diſt. Aſſumpt. Magis diſtat entitativè: C. objectivè: N. nam Deus & Angelus in ratione objecti continentur intrà ſphæram intellectus; non tamen Angelus aut Deus intrà ſphæram oculi corporei.

Obji. 5. Habens viſionem Dei, videt Deum: ſed poteſt Deus ponere ſui viſionem in oculo meo: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Habens & producens viſionem Dei, videt Deum: C. habens, ſed non producens: N. nam videre, ſicut & intelligere eſt actio vitalis, & non tantùm paſſio, aut receptio.

QUÆSTIO II.

An Deus videri poſſit ab intellectu creato?

DEi naturam videri poſſe ab intellectu creato negarunt ex Græcis recentioribus *Palamitæ*, ſic dicti à Gregorio Palamas, volentes à Beatis tantùm videri quamdam lucem ſimilem ei, quam in monte Thabor viderunt Apoſtoli: quam lucem dicebant increatam, à Deo profluentem. In quem errorem nec ipſi, nec Armeni, nec Abaillardus, nec Arnaldus fuiſſent prolapſi, ſi credidiſſent Gregorio Magno lib. 18. Moral. Cap. 28. ubi ſimiles reprehenſurus, ait: *Neque enim illi ſimplici & incommutabili eſſentiæ aliud eſt claritas, aliud natura, ſed ipſa ei natura ſua claritas, ipſa claritas natura eſt.* Ante Reſolutionem Quæſtionis

Adverte 1. Quod licèt viſio ex prima nominis impoſitione ſoli oculo corporeo, ſeu potentiæ videndi conveniat; ex uſu tamen communiter recepto, etiam intellectui tribuatur.

Adverte 2. Viſionem intellectivam eſſe viſionem claram, diſtinctam & intuitivam objecti in ſe & realiter præſentis. Ex quo patet, quòd omnis viſio intellectiva ſit quidem cognitio, non tamen è contrà; cùm omnis notitia, adeoque & abſtractiva, qua cognoſcitur objectum veluti abſens, aut certè velut ab exiſtentia præſentiali abſtrahens, ſit cognitio, non tamen viſio.

Adverte 3. Objectum intellectus poſſe attingi vel ſolis naturæ viribus, & eſt connaturale, vel cum elevatione & confortatione potentiæ, & eſt extenſivum & præternaturale. His notatis.

CONCLUSIO I.

DEus non poteſt videri ſolis naturæ viribus ab intellectu creato. Eſt de fide contrà Beguardos & Beguinas quorum error damnatus eſt in Concilio Viennenſi à Clemente V.

Prob. 1. Ex Script. 1. ad Timot. 1. *Regi ſæculorum immortali & inviſibili.* Et Cap. 6. *Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt:* qui paſſus de inviſibilitate naturali intelligendi ſunt.

Prob. 2. Non poteſt intellectus creatus Deum videre, niſi Deus moveat ipſum ad ſui viſionem: ſed non poteſt creatura ſolis naturæ viribus efficere, ut Deus ipſum moveat ad ſui viſionem: ergo. Ant. clarum eſt, cùm nulla potentia attingat objectum, niſi ab objecto moveatur mediatè aut immediatè. Prob. Min. Quia cùm Deus nihil operetur ad extrà naturaliter aut neceſſariò, non movet ad ſui viſionem, niſi quando vult: undè eſt ſpeculum voluntarium, quod videtur, quando vult, & à quibus vult; & in hoc differt ab aliis objectis, quæ intellectui præſentia, velint, nolint, ab eodem percipiuntur; ipſe autem intimè præſens eſſentialiter non videtur, niſi ſe reddat objectivè præſentem: quod manifeſtum eſt reſpectu dæmonum & damnatorum, quorum intellectui intimè præſens, ab ipſis tamen non videtur.

Prob. 3. Quia debet eſſe quædam proportio inter objectum & potentiam: ſed intellectus eſt potentia naturalis, Deus autem objectum ſupernaturale, cùm ſit ens ſuprà naturam: ergo.

Dices 1. Deus eſt maximè intelligibilis, cùm ſit maximè ens, adeoque maximè verus: ſed intelligibile eſt objectum intellectus, & quælibet potentia fertur naturaliter in ſuum objectum: ergo.

Reſp. Diſt. Min. Intelligibile naturale eſt objectum intellectus creati: C. intelligibile præternaturale: Subdiſt. Eſt objectum, ubi intellectus ſuæ naturalitati relinquitur: N. ubi per lumen gloriæ quaſi ſupernaturalizatur: C.

Dices 2. Beatitudo, juxtà Scotum q. 1. Prologi n. 20. eſt homini naturalis: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Eſt homini naturalis hoc ſenſu quòd illam poſſit aſſequi naturæ viribus: N. hoc ſenſu quod ſit juxtà inclinationem ipſius naturalem, qui ſemper ſuam perfectionem appetit: C. ex dictis.

Reſol. 1. Objectum beatificum non eſſe ſolam eſſentiam divinam, ſed eſſentiam cum voluntate, cum tale objectum debeat eſſe & terminativum & motivum viſionis beatificæ: jam autem ut advertit Scotus Quodlib. 14. art. 2. Eſſentia divina, quatenùs eſt eſſentia præcisè, eſt quidem viſionis terminus, non tamen motivum, cùm ſit ipſa voluntas.

Reſol. 2. Quòd Deus, ut præſens per eſſentiam, non ſit præſens objectivè; quia Deus non movet ad extrà immediatè per ſuam eſſentiam & exiſtentiam, ſed per determinationem ſuæ voluntatis.

Reſol. 3. Concluſionem non intelligi ſolùm de homine viatore, cùm is, utpotè à phantaſmatibus dependens, nullam ſubſtantiam ſpiritualem poſſit cognoſcere vel videre, ſed etiam de anima ſeparata, & Angelo.

CON-

CONCLUSIO II.

NEc poteſt Deus videri naturaliter à quocumque intellectu creabili. Eſt communis inter DD. contra Durandum, Molinam, & quoſdam alios.

Prob. Quia quæcunque creatura creabilis, etiamſi omnes Angelos, Archangelos, & Seraphim longè ſuperet, tamen non eſt talis naturæ, ut Deus teneatur ipſam movere ad ſui viſionem, quando ipſa vellet: nam cum Deus per omnipotentiam ſuam non poſſit rerum eſſentias mutare, manentibus, ſicut ante, ipſis rebus, per omnipotentiam ſuam non poſſet non exhibere ſe videndum ipſi creaturæ, quando ipſa vellet, quod non videtur veriſimile.

Dices 1. Intellectus lumine gloriæ informatus videt Deum: ſed poteſt Deus creare intellectum æquè perfectum, ac lumine gloriæ informatum: ergo.

Reſp. Neg. Min. Quia quilibet intellectus creabilis etiam perfectiſſimus, erit ordinis naturalis. Prætereà eſto quòd poſſet Deus talem intellectum producere, hic tamen non poſſet Deum naturaliter videre; quia non teneretur Deus ſeſe ipſi objectivè præſentem ſiſtere; quandoquidem ſpectet ad infinitam Dei perfectionem, in ratione intelligibilis, exceſſus talis ultrà facultatem creaturæ, ut non poſſit ulli deberi naturaliter volitio in Deo concurrendi inſtar objecti per ſe aut per ſpeciem.

Dices 2. Non repugnat creari à Deo ſubſtantiam ſupernaturalem: ſed illa connaturaliter videret Deum; quia ab illa dimanaret lumen gloriæ tanquam proprietas: ergo.

Reſp. Neg. Ma. Vel enim ſubſtantia illa eſſet ſupernaturalis, quia exigeret qualitatem ſupernaturalem v. g. lumen gloriæ. vel quia non haberet in ſe principia ſubſtantiæ naturalis; vel denique quia eſſet perfectior omnibus ſubſtantiis creatis: ſed nullum ex iſtis omnibus dici poteſt: ergo. Non primum, quia qualitas illa, quæ ſupernaturalis ſupponitur, eſſet tunc naturalis, cùm illam ex natura ſua exigeret. Non ſecundum, quia haberet in ſe naturam & principium motus, & quietis, cùm poſſet intelligere & amare, & ab utroque ceſſare. Non tertium, quia Angelus nunc perfectior eſt omnibus ſubſtantiis creatis, nec tamen eſt ſubſtantia ſupernaturalis.

CONCLUSIO III.

DEus ſupernaturaliter videri poteſt ab intellectu creato, ut definitum eſt in C. Viennenſi Clem. *Ad noſtrum* de Hæret. & in Florent. in Litteris unionis, ubi dicitur animas plenè purgatas *intueri clarè Deum trinum & unum, ſicuti eſt*.

Prob. 1. Ex Script. Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. 1. Joan. 3. *Videbimus eum, ſicuti eſt* & 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum & in Ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Et alibi.

Prob. Ex PP. Dionyſio de cœleſti Hierar. cap. 4. Gregorio 18. Moral. cap. 29. Nazianzeno Orat. 2. & Auguſtino Epiſt. 112. quem juvat audire: *ſi quæris, utrùm Deus poſſit videri? Reſpondeo, poteſt*. Et inferius: *Si quæris, utrùm etiam, ſicuti eſt, poſſit aliquando videri? Reſpondeo, filiis hoc eſſe promiſſum*.

Prob. Etiam Ratione 1. Viſio Dei intuitiva vel eſt eſſentialiter ipſa Beatitudo creaturæ rationalis, ut volunt Tomiſtæ; vel ad eam neceſſariò requiritur, ut volunt Scotiſtæ, ſed creatura rationalis poteſt beatitudinem ſuam aſſequi; cùm & ſuam aſſequi poſſint creaturæ inferiores: ergo. Nec refert quòd detur etiam hominis beatitudo naturalis conſiſtens in perfecta Dei cognitione ex creaturis, & in amore illam ſubſequente; quia cum illa cognitio ſit obſcura, & per ſpecies alienas, non poteſt intellectum quietare; adeoque ad Beatitudinem ulteriorem tendit, nempè ſupernaturalem conſiſtentem in Dei viſione immediata & intuitiva, undè ſicut non quietatur oculus, niſi clarè videat objectum pulcherrimum; ità nec quietatur intellectus, niſi attingat intuitivè objectum intelligibile præſtantiſſimum.

2. Datur in homine deſiderium naturale videndi Deum: ergo illum videre poteſt, nam, ait Auguſt. lib. 4. contrà Julianum cap. 4. *neque omnes homines naturali inſtinctu immortales & beati eſſe vellemus, niſi eſſe poſſemus*.

Nec dicas dari etiam deſiderium, ſaltem inefficax rei impoſſibilis; quia deſiderium tale non tam ex natura, quàm ex paſſione prædominante oritur. Quod autem dicunt aliqui, deſiderium illud præſupponere fidem poſſibilitatis viſionis beatificæ, eſt omninò infundatum; cùm ad illud ſufficiat noſſe Dei exiſtentiam ex creaturis.

3. Ratione Scoti: Quando potentia aliqua habet virtutem inchoatam ad attingendum aliquod objectum perfectè, poteſt à Deo compleri, ut illud attingat perfectè; cùm in hoc nulla appareat repugnantia: ſed intellectus creatus habet virtutem inchoatam ad Deum clarè videndum, cùm illum cognoſcat imperfectè & abſtractivè: ergo.

Obji. 1. 1. Pet. 1. dicitur: *In quem deſiderant Angeli proſpicere*: ergo illum non vident, cum deſiderium ſit de re nondum obtenta & poſſeſſa.

Reſp. Quòd licèt Angeli Deum non viderent; non ſequeretur propterea quòd non poſſet videri; ſed Neg. Conſeq. Quia *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris*, ut habetur Matth. 18. Dicuntur autem deſiderare, quia videndo nunquam ſatiantur, ut explicat D. Gregorius lib. 18. Moral. cap. 29.

Obji. 2. Deus dicitur in ſcripturis *Inviſibilis, à nullo viſus* &c.

Reſp. Diſt. Aſſumpt. Dicitur inviſibilis aut comprehenſivè aut oculo corporeo, aut ſolis intellectus viribus: C. ab intellectu lumine gloriæ confortato: N. undè Gloſſa in hæc verba *lucem habitat inacceſſibilem* 1. ad Timoth. 6. *inacceſſibilis eſt viribus noſtris, acceſſibilis muneribus ſuis*.

Obji. 3. D. Chryſoſtomum variis locis, ac præſertim Hom. 14. in Joan. ubi ait: *Id quod eſt Deus non modo Prophetæ non viderunt, ſed neque Angeli, neque Archangeli*. Et intrà: *Si omnis natura creata eſt, quanam ratione increatum videri poterit?* Item Hom. 3. de incompreh. Dei natura: *Quamquam non ipſam meram videbant lucem*, (nempè Seraphim velantes faciem, de quibus Iſa. 6.) *nec ipſam ſinceram ſubſtantiam, ſed quæ videbant, condeſcenſus erant & indulgentia*.

Reſp. Illum nihil aliud velle, niſi Deum inviſibilem eſſe comprehenſivè, etiam ipſis Angelis: quod evidenter patet ex ejus ſcopo: nam 1. loco intendit explicare hæc verba: *Nemo novit Patrem niſi filius*; & conſequenter cùm agat de viſione, qua Filius videt Patrem, agit de viſione comprehenſiva. 2. Autem loco agit contrà Eunomium & Anomæos, qui eo dementiæ venerant, ut comprehenſivam Dei cognitionem ſibi arrogarent, ut conſtat ex Theodoreto, Socrate, & Hieronymo, qui circà Eunomii tempora floruerunt.

Dices cum Vaſquez: Non eſt credibile, Anomæos ſibi arrogaſſe viſionem Dei comprehenſivam, aliàs fuiſſent inſani; ſed tantùm quidditativam; & conſequenter cùm hanc neget Chryſoſtomus Angelis, quam ſibi arrogabant Anomæi, negat Angelis viſionem Dei quidditativam, ſeu ſecundùm eſſentiam.

Reſp. Ex Epiphanio Hæreſi 76. Anomæos in hoc ſuo errore non tantùm fuiſſe *inſanos* ſed etiam *furioſos*, imò & *deliros*, ut refert ipſemet Chryſoſtomus Hom. 5. de incomprehenſibili Dei natura. *Id genus hominum*, inquit, *non ſecùs, quàm deliros & inſanos deſpicere, aſpernarique debemus*. Præterea ſi S. Doctor tantùm arguebat Anomæos de viſione quidditativa, & non de comprehenſiva cur ſexcenties in quinque Homiliis contrà ipſos compoſitis uſus eſt verbis *comprehenſionis* & *incomprehenſibilitatis*? Cur Homilias illas intitulavit *De incomprehenſibili Dei natura*? Cur dixit Hom. 4. *Satis jam eſſet, Fratres chariſſimi, ſi poſteaquam nuper oſtendimus Deum incomprehenſibilem eſſe hominibus, atque etiam Cherubim & Seraphim, moleſtia hominum hæreticorum levati, nihil ulterius moneremus*.

Inſt. 1. Hom. 3. aſſerit Chryſoſtomus, quòd Seraphim *nec ipſam ſinceram Dei ſubſtantiam* viderent.

Reſp. Per *ſinceram* intelligere integram, ſicut illud naturæ, etiam quoad terminationes & terminabilitates lateret videntè.

Inſt. 2. Hom. 14. in Joan. docet nihil noſſe Angelos de Dei ſubſtantia: *Si eos percontaberis*, inquit, *nihil ab his de Dei ſubſtantia audies*.

Reſp. Nihil aliud ibi intendere, quàm quòd Angeli nihil poſſent de ſubſtantia Dei (utpotè quem non comprehendunt) pro dignitate, ſeu ut par eſt, enarrare; & certè ſi intelligeretur ſimpliciter, ſequeretur Angelos, in ſcientia Dei, inferiores eſſe hominibus, qui plurima de Dei ſubſtantia eloquuntur.

Inſt. 3. Hom. 3. cit. dicit Angelos tantùm videre condeſcenſum. Ut autem oſtenderet, quid vellet per *condeſcenſum*, addidit: *Cùm Deus, non ut eſt ſe oſtendit; ſed quoad videre is poteſt, qui aſpectum hujuſmodi meruit, eatenus firmitate videntis ſuam repræſentationem metitur ac temperat, condeſcendere illum tantiſper dicimus, & hujuſmodi rem condeſcenſum nominamus & indulgentiam*.

Reſp. Per condeſcenſum ibi tantùm excludere, reſpectu Angelorum, viſionem Dei comprehenſivam, non quidditativam, ut ſeipſum explicat Hom. 4. ubi ait: *Cùm itaque dicat*, Euangeliſta, *Deum, quamvis condeſcendentem minimè ferre illas Virtutes*, ideſt Angelos, *nihil aliud docet, niſi ejus cognitionem expreſſam, amplam, & integram non potuiſſe recipere* & ne dubitares per illa Epitheta *expreſſam* &c. intelligere *comprehenſivam*, ſubdit: *Hinc etiam Euangeliſta certior, neque humanæ naturæ intereſſe rem tantam ſcire, neque ipſis Virtutibus ſuperis Deum eſſe comprehenſibilem* &c. Quid clarius?

Inſt. 4. Aſſerit poſteà condeſcenſum illum etiam viſum eſſe à Prophetis, quos conſtat non vidiſſe Deum intuitivè. ergo nec ità vident Angeli.

Reſp. Aſſerere quidem viſum eſſe à Prophetis, ſed obſcurius,

quia

Digitized by Google

quia hi abſtractivè per lumen propheticum; Angeli verò intuitivè per lumen gloriæ.

Obji. 4. Objectum infinitum non poteſt attingi, niſi ab actione infinita, cujus incapax eſt intellectus creatus Prob Aſſump. Quia debet eſſe proportio inter objectum & actionem ad objectum terminatam.

Reſp Diſt. aſſump. Non poteſt attingi infinitè, niſi ab actione infinita. C. finitè. N. aliàs non poſſemus Deum attingere per fidem. Non debet autem eſſe proportio entitativa inter objectum & actionem; al as tendens hæc in Deum, deberet eſſe omnipotens, æterna &c. ſed tantùm in ratione terminantis & terminati.

Objic. 5. Non poſſumus infinitum producere: ergo nec videre.

Reſp. neg. Conſeq. Quia, ut ait D. Seraphicus diſt. 14. art. 3. qu. 3. ad 6. *Multo excellentioris virtutis eſt, aliquid poſſe facere, quàm poſſe noſſe* cauſa enim productiva debet continere totam perfectionem ſui effectus, adeoque ut producere poſſit infinitum, debet & ipſa eſſe infinita; non debet tamen potentia intellectiva continere perfectionem ſui objecti; cùm Angelus inferior videat ſuperiorem, & nos jam intelligamus Deum, ſaltem imperfectè.

Objic. 6. Non minùs excedit Deus intellectum creatum, quàm Angelus oculum corporeum: ſed non poteſt elevari oculus corporeus ad videndum Angelum: ergo nec intellectus creatus ad videndum Deum.

Reſp. Diſt. Ma. Non minùs excedit quoad entitatem & perfectionem C. quoad proportionem objecti & potentiæ: N. Angelus ſiquidem, utpotè incorporeus, non continetur ſub objecto adæquato oculi; Deus autem, utpotè intelligibilis, continetur ſub objecto adæquato intellectus.

Objic. 7 Non ſequitur. *Homo eſt comprehenſivus, & Deus comprehenſibilis: ergo poteſt homo Deum comprehendere.* ergo nec ſequitur: *Homo eſt intellectivus, & Deus intelligibilis: ergo poteſt homo Deum intelligere.*

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd Deus ſit quidem comprehenſibilis à ſeipſo, non tamen à creatura; & ideò nulla eſt ſequela; intelligibilis autem & à ſeipſo, & ab intellectu creaso; cùm etiam nos viatores aliqualiter ipſum intelligamus.

QUÆSTIO III.

An Deus poſſit ab homine viatore intuitivè videri, & an aliquando fuerit viſus?

CONCLUSIO I.

POteſt Deus ab homine viatore intuitivè videri per extraordinariam ipſius potentiam.

Prob. 1. Quia fatentur omnes DD. Catholici tale privilegium conceſſum eſſe Chriſto, qui ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit ſimul viator & beatus: quod autem Deus Chriſto conceſſit, quidni & alteri poſſet concedere?

Prob 2. Quia licèt intellectus hominis dependeat pro hoc ſtatu à ſenſibus, qui, utpotè materiales; non niſi circà materialia feruntur; non videtur tamen ab illis ità dependere, quin poſſit per divinam omnipotentiam non dependere; cùm dependentia illa non ſit intellectui naturalis, & ab intrinſeco, ſed præternaturalis, & ab extrinſeco illi competens, ſcilicet ex voluntate Dei: unde intellectus ejuſdem eſt virtutis intrinſecæ in corpore, ac extrà, in corpore mortali, ac glorioſo, & ideò Scriptura & Patres dicentes Deum non poſſe videri ab homine viatore, loquuntur de lege ordinaria.

CONCLUSIO II.

NUnquam puro homini viatori conceſſum eſt intuitivè Deum videre. Hæc eſt communior inter PP. & Scholaſticos. Nec contrarius eſt abſolutè Scotus, quia licèt variis in locis hoc ſupponat, non tamen ullibi probat, aut ex profeſſo tractat.

Prob. 1. Ex Script. Exod. 33. *Non videbit me homo, & vivet.* 1. Jo 4. *Deum nemo vidit unquam* Et Jo. 6. *Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is, qui eſt à Deo.* Et 1. ad Timoth. 6. *Quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt.*

Prob. 2. Ex PP. magno numero expreſſis & citatis à Smiſing Tract 2. diſp. 6 nu 301. ex quibus lubet unicum exponere Ireneum lib. 4. cap. 17. ubi ait: *Neque Moyſes videt Deum, nec Elias, nec Ezechiel, qui multa de cæleſtibus viderunt.* Contrarius tamen videtur Auguſtinus lib. 12. de Gen. ad litt. cap. 27. & 28. Epiſt. 112. cap. 12. ubi affirmat Moyſen, & D. Paulum in hac vita Deum vidiſſe: quod non parvum foret pro Adverſariis fundamentum, niſi Tract. 3. in Joann. expendens illa: *Deum nemo vidit unquam,* expreſsè dixiſſet: *Quid vidit Moyſes? Moyſes vidit nubem, vidit Angelum, vidit ignem: omnis illa creatura typum Domini ſui gerebat, præſentiam non exhibebat.* Et paulò inferiùs inducit Deum ſic reſpondentem Moyſi. Dei viſionem poſtulanti. *Non potes videre faciem meam.* Item Epiſt. 112. cap. 7. *Ipſe ergo,* Deus, *erat in ea ſpecie, qua apparere voluerat, non autem ipſe apparebat in natura propria, quam Moyſes videre cupiebat, ea quippè promittitur Sanctis in alia vita,* undè niſi dicas, Auguſtinum in diverſis locis diverſa circa materiam præſentem docuiſſe, dicere debes, loqui de viſione Dei per Angelum repræſentati, & non ſeipſo objectivè præſentis; quamvis difficile ſit Auguſtinum cum Auguſtino ſic conciliare; cùm expreſsè dicat Epiſt. jam cit. cap 13. Moyſen *vidiſſe Deum, ſicuti eſt ea contemplatione, quæ cunctis filiis promittitur:* promittitur autem contemplatio Dei in ſe præſentis.

Scio authorem modernum, ut concordiam ponat inter textus & textus Auguſtini, aſſerere concedi ab Auguſtino Moyſi viſionem intellectivam in prioribus locis, & negari corpoream in poſterioribus; ſed quomodo hæc ſtare poſſunt, cùm dicat Auguſtinus Epiſt. jam cit. Deum non apparuiſſe *in natura propria, quam Moyſes videre cupiebat*; Moyſes autem non concupierit videre Deum oculis corporeis, ſed intellectualibus, ut aſſeverit idem Auguſt. in eadem Epiſt. cap. 13. ubi docet optaſſe videre Deum, & vidiſſe contemplatione cunctis filiis promiſſa, adeoque intellectuali. Præterea non eſt credibile concupiviſſe Moyſen rem impoſſibilem, qualis eſt viſio Dei corporea, ut dictum eſt.

Prob. 3. Quia nullus illorum, qui dicuntur Deum vidiſſe, de facto illum intuitivè vidit, ut patebit ad ſingulos deſcendendo.

1. Moyſes non vidit intuitivè Deum; nam Exod. 33. dixit Deus: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & vivet,* & paulò inferiùs *Videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.*

Nec refert 1. quòd Deus dicat ibidem Moyſi: *Oſtendam tibi omne bonum,* id eſt, meipſum; quia promiſſio illa non erat implenda in hac vita, ſed in futura.

Nec refert 2. quòd loquebatur Deus ad Moyſen *facie ad faciem,* ut eodem cap dicitur; quia licet illæ particulæ, *Facie ad faciem,* denotent cognitionem intuitivam 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem;* non tamen hic, alioqui ſibi contradiceret Dominus, ut patet ex paſſibus allegatis: undè verba præfata indicant hic familiaritatem Domini cum Moyſe, cui ſæpè loquebatur, *ſicut ſolet homo ad amicum ſuum.* Præterea licèt Moyſes vidiſſet intuitivè illum, quocum loquebatur, ille non erat Deus, ſed Angelus vices illius gerens: & certè ſi Angelus fuit, quando miſſus eſt ad liberandum de captivitate filios Iſrael, ut aſſerit S. Stephanus Act. 7. *Apparuit illis in diſerto montis Sina Angelus in igne* &c quidni & hic?

Nec refert 3. Quòd Moyſes aliter Deum videret, aliter alloqueretur, quàm cæteri Prophetæ, ut patet ex nu. 12. quia non ſequitur indè, quòd Deum intuitivè viderit, ſed quòd nobiliori modo quàm cæteri Prophetæ: his enim loquebatur Dominus per ſomnia & imagines in phantaſia impreſſas, & per figuras ſenſibiles; illi autem palam in effigie humana, vel quaſi angelica, ſicut amicus cum amico loquitur.

2. Neque D. Paulus in raptu ſuo intuitivam Dei viſionem habuit; cùm poſt raptum illum ſcripſerit ipſemet 1. ad Timot. 6. & Joannes Evangelii ſui Cap. 6. nullum hominum Deum vidiſſe, nulla facta exceptione: undè quamvis ad tertium cœlum, id eſt empyreum, fuerit raptus, ibique arcana verba audierit; non ideò tamen eſſentiam divinam intuitivè vidit:

Nec juvat, quòd dicunt aliqui ipſum, ſicut & Moyſen, pro iſto tempore non fuiſſe propriè viatores, de quibus Concluſio, ſed quaſi è vivis ſublatos, non quidem per veram animæ à corpore ſeparationem, ſed per alienationem à ſenſibus, qua *poteſt humana mens,* ut ait Auguſtinus Epiſt. 112. cap. 13. *Divinitùs rapi ex hac vita ad angelicam vitam, antequàm per iſtam communem mortem ſolvatur*: non juvat, inquam, quia alienatio illa, cùm non auferat vitam mortalem, nec aufert viatoris conditionem: quam propriè retinuit Chriſtus etiam cum viſione beatifica: ſicque cùm nullus viator Deum viderit, nec viderunt illi.

3. Nec Deum vidit Seraphicus P. Franciſcus, ſed Seraphim crucifixi effigiem ferentem, & ipſum in divini amoris extaſim agitantem, aut fortè Chriſtum; nec plus intendit D. Bonaventura.

Denique nec Auguſtinus, nec Benedictus ipſum viderunt intuitivè; ſed primus, cùm ad Oſtia Tiberina cum matre conſtitiſſet, expertus eſt quamdam dulcedinem non eamdem cum viſione beatifica, ſed quaſi ſimilem: nec aliud colligitur ex ipſo-

Digitized by Google

ipſomet lib 9. Confeſſ. c. 10. ubi illud refert. Secundus verò ideò dicitur à D Greg. lib. 2. Dialog. c. 34 Creatorem vidiſſe; quia vidit quoddam lumen ſibi totum mundum repræſentantem: quod lumen comparat cum Deo, in quo omnes creaturæ relucent.

Objic. 1. Contrà Concluſionem Authoritatem DD. Angelici, & Subtilis.

Reſp. Id quidem Scotum, ut dixi, ſupponere, quod & facit D Thomas q. 12. art. 11. ad 2. ſed nihil probando, neque rem ex profeſſo agitando, imò ipſam ad alium locum remittendo. Hoc autem ſupponunt ob loca Auguſtini citata; ſed cùm, ut verius loquar, hic in diverſis locis diverſa ſenſerit illi etiam nobis diverſim idē ſentiendi reliquerunt facultatem.

Objic. 2. D Baſilium, qui Hom. 1. in Hexameron ſic habet de Moyſe: *Vidit Deum, ut erat homini videre poſſibile, imò ut nemini potius licuit alii.*

Reſp. Sicut ante, quòd Deum viderit nobiliori modo, quàm alii, non tamen in eſſentia: & ideò quando D Ambroſius lib. 1. Hexameron c. 2. aſſerit quòd Moyſes fuerit *clara atque perſpicua præſentiæ divinæ dignatione donatus*, tantùm vult, quòd habuerit claram viſionem perſonæ Deum repræſentantis, qui fuit Angelus, ut diximus.

QUÆSTIO IV.

An decedentibus in gratia & plenè purgatis, ſtatim concedatur Dei viſio intuitiva?

NEgarunt olim Millenarii, qui docebant juſtos poſt Reſurrectionem generalem, mille annis cum Chriſto regnaturos in terris, antequam Dei viſione fruerentur in cœlis. Ex Millenariis autem volebant aliqui cum Papia Epiſcopo Hieroſolimit. mille annos illos in voluptatibus corporis moderatis & licitis eſſe explendos, alii verò cum Cerintho in impuris cibi, potus, & carnis voluptatibus. Papiæ adhæſerunt aliqui PP. imò & Auguſtinus: quod tamen poſteà retractavit, ut patet ex libro 20. de Civitate Dei cap. 7. ubi ait? *Quæ opinio*, nempè Millenariorum, *eſſet utcumque tolerabilis, ſi aliquæ deliciæ Spirituales in illo Sabbatho affuturæ Sanctis per Domini præſentiam crederentur, nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando.*

Alius ſucceſſit error Joannis XXII. Summi Pontificis, qui voluit juſtorum decedentium animas etiam plenè purgatas, non viſuras Deum facialiter ante judicium generale, ut refert Raymundus ex Bibliotheca Vaticana ad annum 1331. num. 44. ubi ait quòd dictus Papa in tribus Sermonibus, quos habuit publicè, primum quidem in Feſto omnium SS. Secundum in Dominica III. Adventus eodem anno 1331. & tertium in Vigilia Epiphaniæ anno ſequenti, *dogmatizatus eſt, quòd Sancti in Cœlo non vident uſque ad diem generalis judicii, & futuram corporum reſurrectionem, faciem Dei, ſive divinam eſſentiam, ſed tantummodò vident & videbunt uſque ad futurum univerſale judicium humanitatem Chriſti.* Quod & referunt varii Authores graviſſimi, monentes tamen, Pontificem nihil circà hoc definiſſe, ſed veluti Authorē particularem ſententiam noſtræ oppoſitam retuliſſe, aut potiùs recitaſſe: unde ipſemet Joannes in Epiſt. ad Regem Galliæ, quam refert Raynaldus ad annum 1333. numero 46. ſic habet: *utinam Fili . . . . vellet audire, quæ in noſtris ſermonibus diximus, Regia Celſitudo, & unum Verbum de capite noſtro nos non protuliſſe reperies.* Quod & confirmat teſtimonium Facultatis Pariſienſis relatum in Hiſtoria univerſitat. Pariſ. Tom. 4. pag. 236. his verbis: *Advertentes quòd multorum fide dignorum relatione audivimus, quod quidquid in hac materia ſua Sanctitas dixit, non aſſerendo, ſeu opinando protulit, ſed ſolummodò recitando. . . . Datum Pariſiis &c. 2. Jan. ann. 1333.*

Non deſunt tamen Authores: qui volunt dictum Papam huic errori fortiter adhæſiſſe, imò, ſi Ochamo fidem facimus, obſtinaciter, etiam peſſimè contraſentientes excipiendo, ſed hi fortaſſe referunt, quid ſentiret apud ſe, illi verò quid expoſuiſſet publicè. Quidquid ſit, certum eſt ex eodem Raynaldo ad annum 1334. nu. 28. ante mortem in publico Cardinalium conſiſtorio, & coram Notariis publicis opinionem illam revocaſſe, & proteſtatum eſſe, ſe nihil in hac materia voluiſſe determinare, decidere, vel credere, quod eſſet quovis modo Sacræ Scripturæ, aut Fidei Catholicæ contrarium. Joanni autem ſuccedens Benedictus XII. ſententiam noſtram definit, & oppoſitam hæreticam appellavit anno 1336. in Decretali. Quæ incipit *Benedictus Deus.*

CONCLUSIO UNICA.

ANimæ juſtorum, quibus nihil purgandum eſt, ſtatim poſt deceſſum fruuntur Dei viſione intuitiva, ſeu faciali, ut loquebatur Joannes XXII. Eſt de fide, ut patet tùm ex Decretali cit. tùm ex Conc. Flor. in Decreto unionis, ubi definitum eſt *animas purgatas in Cœlum mox recipi, & intueri clare ipſum Deum trinum & unum, ſicuti eſt.* Tum etiam ex Trid. ſeſſ. 25. de Sanctorum invocatione.

Prob. 1. Ex Script. Luc. 23. ubi Chriſtus dicit bono Latroni: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Quid autem aliud intelligitur per Paradiſum ſimpliciter, niſi viſio Dei clara & intuitiva, qua fruiturus erat ipſo die, non tamen in Cœlo empyreo, cùm ad illud non niſi 40. diebus à Reſurrectione aſcenderit. Item ex 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc*, id eſt in hac vita, *per ſpeculum in ænigmate, tunc autem*, id eſt, in altera vita, ut ſemper intellexit traditio, *facie ad faciem*, ubi oſtendit Apoſtolus viſioni ænigmaticæ per fidem ſtatim ſuccedere viſionem intuitivam per lumen gloriæ. Similiter Hebr. 12. dicuntur mortui in gratia & plenè purgati acceſſiſſe ad Civitatem Dei, & multorum Angelorum frequentiam; quis autem dubitavit unquam Angelos eſſe in Eccleſia triumphante, ibique Deum intuitivè conſpicere? Denique D. Joannes in ſua Apocalypſi cap. 7. aſſerit ſe vidiſſe turbam magnam omnium gentium & populorum ſtantium ante Thronum Dei.

Prob. 2. Ex PP. Clemente Alexandr lib. 5. Strom. *Qui ſunt autē mundo corde, Deum videbunt, poſtquam extremam perfectionem attigerint*; non perficiuntur autem poſt mortem, & conſequenter ſtatim à morte Deum vident. Cypriano libell. ad Fortunat. cap. 12. in fine, ubi aſſerit Martyres *claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus, & aperire eoſdem ſtatim, ut Deus videatur & Chriſtus.* Origene lib 6. contra Celſum p. 289. *Quamobrem nos poſt exactos labores, & certamina ſperamus in ſummum Cœlum evaſuros, & fontes aquæ ſalientis in vitam æternam hauriendo* &c. Chryſoſtomo Hom. 10. in 2. ad Corinth. *Juſti ſive hic, ſive in futuro ſæculo fuerint, cum Rege ſunt, illic tamen magis & propius, non per fidem, ſed facie ad faciem.* Ambroſio alloquente D. Petrum lib. 10. in Luc. *Jam choro inſertus es Angelorum.* Auguſtino in Pſal. 119. *Ibi omnes Sancti & Juſti, qui fruuntur Verbo Dei ſive lectione, ſive litteris: quod enim per paginas ſcriptum eſt nobis, per faciem Dei illi cernunt.*

Prob. 3 Ratione; Pronior eſt Deus ad præmiandum, quàm ad puniendum, cùm miſericordia ſuperexaltet judicium: ſed ſtatim puniuntur morientes in peccato, juxta illud Job. 21. *ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt*: ergo ſtatim præmiantur morientes in gratia.

Prob 4. *Chriſtus aſcendens in altum*, Epheſ 4. *Captivam duxit captivitatem*, id eſt, liberavit à captivitate juſtos veteris Teſtamenti: ſed præcipua, imò tota eorum captivitas conſiſtebat in privatione viſionis beatificæ, cùm, ſi Deum vidiſſent in Lymbo, non fuiſſent captivi, ſed verè beati: ergo.

Objic. 1. Denarius Evangelicus tantùm ſolvitur ſub veſperam, Matth 20. ſed per Denarium intelligitur beatitudo, & per veſperam finis mundi: ergo.

Reſp. Per veſperam ibi intelligi finem vitæ cujuslibet in vineâ Domini laborantis, qui, ſive ante, ſive poſt laboraverit, eamdem mercem eſſentialem recipiet, nempe Dei fruitionem, licèt ſit recepturus majorem accidentalem; ut dicemus poſtea, ſi plus laboraverit.

Objic. 2. Illud 2. Machab. 12. *Niſi enim eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur & vanum orare pro mortuis*: ſed ſi juſti præmiarentur ante Judicium generale, non eſſet vanum pro ipſis orare, etiamſi nulla eſſet ſpes reſurrectionis: ergo.

Reſp. Diſt Min. Etiamſi nulla eſſet ſpes reſurrectionis corporalis: Tranſeat. Reſurrectionis ſpiritualis, id eſt, vel de peccato ad gratiam ante mortem, vel de flammis piacularibus poſt mortem: N. Veriſimilius eſt, de hac reſurrectione ibi mentionem fieri; cùm ex illo paſſu probetur Purgatorii exiſtentia.

Objic. 3. Vidit S. Io: Apocal. c. 6. *Subtus Altare animas interfectorum propter Verbum Dei*, id eſt, Martyrum: ergo ſignum eſt necdum videre Deum.

Reſp. Neg Conſeq. Quia licèt ſint ſub Altari, ſunt tamen ante Thronum Dei, ut dicitur c. 7. & conſequenter nihil impedit, quominùs videant Deum.

Objic. 4. Non deceditur de ſorte mortuorum ante Judicium: ſed non datur judicium particulare: ergo ante generale nec ſunt Beati, nec ſunt damnati. Prob. Min. Quia Eccleſia ſic orando in Miſſis de Requiem. *Domine Jeſu Chriſte, Rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni*, oſtendit animas illas nec dū eſſe judicatas: aliàs vel eſſent in Paradiſo, & non eſſet pro illis orandum; vel in inferno, ubi cùm nulla ſit redemptio, etiam ſuperflua eſſet oratio: vel in Purgatorio; & non peteret Eccleſia, ut liberarentur *de pœnis inferni*, cùm jam eſſent ſecuræ de beatitudine aliquando obtinenda.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Certiſſimè Eccleſiam agnoſcere judicium particulare; cùm nec Martyres, nec alios canonizet ſolemniter, niſi credat ipſos jam aſſe Cœlo adjudicatos. Sic autem orat; quia cùm ſciat Deo nihil eſſa præteritum, nihil futurum, ſed omnia præſentia, reſpicit Fideles illos, quaſi actualiter obeuntes, licèt jam obierint: ſicut dicit tampore Adventus: *Veni Domine, & noli tardare*, licèt jam venerit.

Objic. 5. Authoritatem multorum Patrum nobis in hoc adverſantium.

Reſp. PP. illos intelligendos eſse de beatitudine omnimodè completa, ſeu volunt juſtos non fore beatos ſecundùm corpus, & animam ante reſurrectionem generalem: quod veriſſimum eſt; nolunt tamen animam interea privandam eſſe Dei viſione intuitiva, cùm plurimi ex illis contrarium inſinuent terminis expreſſis. Non diffitemur tamen D. Juſtinum, Irenæum, Tertullianum, & fortè paucos alios Papiæ adhæſiſſe; cùm eorum paſſus non videantur pati explicationem; ſed illis opponimus non tantùm ſex Patres Probatione 2. citatos, ſed etiam Clementem Rom. S. Ignatium, S. Polycarpum, Dionyſium Alexand. S. Athanaſium, S. Baſilium, utrumque Gregorium, Nicænum ſcilicèt & Nazianzenum cum pluribus aliis Scriptoribus Eccleſiaſticis; ita ut prædictorum authoritas quaſi evaneſcat ad horum præſentiam.

Accedit, quòd opinio Millenariorum (verba ſunt Authoris cujuſdam moderni) nonniſi in quibuſdam Orientalibus agnita erat, cùm noſtram ex adverſo ſententiam tenuerint Eccleſiæ præcipuæ, Romana, ut conſtat ex Clem. Rom. Antiochena ex Ignatio; Smirnenſis ex Polycarpo; Alexandrina ex Dionyſio, Carthaginenſis ex Cypriano.

Non debet autem ità mirum videri, quòd tribus primis ſæculis adhæſerint aliqui ſententiæ oppoſitæ: cùm enim ſcirent Papiam fuiſſe Joannis Apoſtoli auditorem, & aliundè eſſe viſum bonum, ac bonæ famæ Præſulem, crediderunt veroſimilius eum opinionem ſuam hauſiſse ab Apoſtolis, cùm tamen ille non ab ipſis, ſed ex paſſu Apocalypſis malè intellecto, eam hauſiſset. Refertur autem paſſus ille cap. 20. his verbis: *Beatus & Sanctus, qui habet partem in reſurrectione prima: in his ſecunda mors non habet poteſtatem: ſed erunt Sacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis*; ſed ſi benè textum perpendiſſet; vidiſſet regnum illud cum Chriſto non eſſe terreſtre, ſed cœleſte, non in Jeruſalem reſtaurata, ut ajebat, ſed in Jeruſalem ſuperna, ipſum non conſiſtere in voluptatibus hujus ſæculi, etiam licitis, ſed in clara viſione Dei, ad cujus dexteram ſedet Chriſtus. undè in eadem Apocalypſi dicuntur Martyres, adeoque & alii Beati, *eſſe ante Thronum Dei, in Templo Dei, in conſpectu Agni*. Ponuntur autem ibi *mille anni* pro toto ſpatio inter Chriſti Adventum, & Judicium generale intercedente, ut docet Auguſtinus loco infrà incitando, poſt quod tamen non deſinent regnare anteà; ſicut non deſinent poſt illud privari vita æterna reprobi, licèt ibi de illis legatur: *Cæteri autem mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni*. Verum quidem eſt interceſſiſse plures annos inter Chriſti Adventum & Judicium generale, *ſed mille annos appellavit eo loquendi modo*, inquit Auguſtinus lib. 20 de Civit. Dei cap. 7. *Quo pars ſignificatur à toto; aut certè mille annos pro annis omnibus hujus ſæculi poſuit, ut perfecto numero notetur ipſa temporis plenitudo*.

QUÆSTIO V.

An Deus videatur à Beatis per ſpeciem impreſſam, & an illa ſit poſſibilis?

CUm omnis cognitio procedat à potentia & objecto; à potentia quidem per ſe & immediatè concurrente, ab objecto verò vel per ſe, vel per ſpeciem impreſſam ſui vicariam; ideò quæritur, an Beati videant Deum per illam ſpeciem, ſeu an ad viſionem beatificam concurrat cum potentia ſpecies impreſſa Dei, an vero Deus ipſe? Sed ante

Suppono 1. Ex dictis in Phyſica, quòd ſpecies impreſſa in intelligibilis ſit qualitas quædam virtualiter objectum repræſentans, & effectivè concurrens ad cognitionem cum intellectu, quem per ſui in eo receptionem determinat & complet. Dicitur *Objectum virtualiter repræſentans*, quatenùs vice objecti nata eſt cum intellectu exprimere ſeu efficere ſimilitudinem formalem objecti: undè diſtinguitur à ſpecie expreſſa, quæ eſt actualis & formalis objecti perceptio & repræſentatio, & ideò viſio beatifica eſt ſpecies expreſſa, per quam Beati Deum vident, illique ſimiles efficiuntur; nam, ut dictum eſt in Phyſica, intelligens fit ſimilis rei intellectæ: hinc eſt illud 1 Joann. 3. *Similes erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt*. Et Auguſt. libro 14. de Trinitat. Cap. 27. *In hac imagine tunc perfecta erit Dei ſimilitudo, quando perfecta erit Dei viſio.*

Suppono 2. Deum non poſſe videri per ſimilitudinem objectivam, quia nulla eſt ſimilitudo objectiva, quæ priùs cognita ducat in cognitionem Dei, ſicuti eſt, tùm nulla ipſum, ſicuti eſt, contineat, ſaltem ſecundùm perfectiones, quas de eo repræſentat. His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

BEati non vident Deum per ſpeciem impreſſam. Eſt communis inter Scholaſticos, contra Ægidium à Præſentatione, refertque Gonet F. Romanum Inquiſitorem Neapolitanum hoc D. Angelico poſt mortem ſuam revelaſſe.

Prob. 1. Tantùm requiritur ſpecies impreſſa ad viſionem intellectivam, quando objectum vel non exiſtit, vel non eſt præſens, vel eſt materiale, adeoque per ſe non intelligibile, vel improportionatum potentiæ: ſed Deus neceſſariò exiſtit, intimè præſens eſt Beatis, cùm ſe illis præbeat videndum facie ad faciem, eſt immaterialis, ut Fides docet, eſtque proportionatus intellectui creato per lumen gloriæ quaſi ſupernaturalizato, & divinizato: ergo per ſe, & non per ſpeciem impreſſam concurrit ad viſionem beatificam: undè eſſentia divina duplici titulo concurrit effectivè ad viſionem beatificam: 1. Per influxum generalem ut cauſa 1. & univerſalis concurrens ad omnes actiones creaturarum: Per influxum particularem, quatenùs eſt objectum viſionis.

Prob. 2. Deus idem omnino per ſeipſum facit in ordine ad viſionem beatificam, quod faceret per ſpeciem impreſſam ſui vicariam: ergo illa eſt ſuperflua. Prob. Ant. Species impreſſa potentiam complet, determinat, unit, intelligibiliter objecto, ipſamque eidem intentionaliter aſſimilat; ſed Deus complet & determinat intellectum Beatorum per aſſiſtentiam ſui extrinſecam cum determinata voluntate, qua vult ab ipſis videri, ipſumque ſibi unit & aſſimilat ſufficienter per eamdem aſſiſtentiam: ergo &c.

Dices 1. Deus nec informat intellectum Beatorum, nec ipſi inhæret: ergo non videtur ſine ſpecie impreſſa.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia licèt ſpecies impreſſa non determinet intellectum ad intellectionem, niſi informet & inhæreat, non ſic Deus, qui per ſolam voluntatem ſuam determinat intellectum videntis.

Dices 2. Magis connaturaliter fit viſio per ſpeciem, quàm ſine illa: ergo admittenda eſt pro viſione beatifica. Prob. Ant. Quia per ſpeciem intellectus completur intrinſecè; cùm ſpecies illum informet; per objectum verò, tantùm extrinſecè.

Reſp. Neg. Ant. Ad Prob. Dico, quòd licèt ſit connaturalius potentiæ compleri per aliquid intrinſecum, quando illud tenet ſe ex parte potentiæ, non tamen quando tenet ſe ex parte objecti: tunc enim eſt ipſi indifferens, an illud per quod completur, ſit intrinſecum, vel extrinſecum; quandoquidem non requiratur, ut ſit intrinſecè completa ex parte objecti.

Dices 3. Deus connaturaliùs operatur per cauſas ſecundas, quàm per ſeipſum immediatè, ubi id fieri poteſt: ſed fieri poteſt, quòd concurrat per ſpeciem ad viſionem beatificam, ut dicetur Concluſione ſeq. Ergo.

Raſp. Ant. Non eſse verum, quando actio ex ſe poſtulat fieri à Deo immediatè, ut poſtulat viſio beatifica, quæ, utpotè præſtantiſſima, etiam modo præſtantiſſimo fieri exigit.

Dices 4. *Ambulamus per fidem, non per ſpeciem*. 2. Corinth. 5. Ergo Apoſtolus ſupponit ambulare Beatos in Patria per ſpeciem.

Reſp. Per *ſpeciem* ibi non intelligi intentionalem objecti imaginem, de qua hìc, ſed realem ejus præſentiam.

CONCLUSIO II.

LIcèt de facto non detur ſpecies impreſſa divinæ eſſentiæ, non eſt tamen impoſſibilis. Colligitur ex Scoto 4. d. 49. qu. 11. Hancque expreſsè tenent Molina, Vaſquez, Becanus, Herinx, Fraſſen, & multi alii contra Thomiſtas.

Prob. 1. Quia nulla poteſt aſſignari hujus ſpeciei repugnantia, ut patebit ex ſolutione Objectionum.

Prob. 2. Si repugnaret ſpecies impreſſa Dei, vel quia foret Dei ſimilitudo, vel quia intellectum determinaret, vel quia effectivè concurreret cum illo ad viſionem, vel quia Deum intelligibilem redderet; quid enim aliud eſſet? Sed nullum horum repugnat: ergo. Non primum; quia non repugnat ſpecies expreſſa, ut fatentur Adverſarii; illa autem non tantùm eſt virtualis, ſed formalis Dei ſimilitudo: Non ſecundùm, quæ enim repugnantia, quòd detur qualitas determinativa potentiæ de ſe indeterminatæ: Non tertium; cùm enim ad viſionem beatificam concurrat effectivè lumen gloriæ, quidni produci poſ-

Digitized by Google

poſſet ſpecies impreſſa ſimiliter concurrens ? Non denique quartum, quod videtur refugium Thomiſtarum, quia ſpecies illa non redderet Deum intelligibilem eſſentialiter, cùm ex ſe & independenter à quolibet ſit talis, imò ſua ipſemet intelligibilitas: nam ſicut albedo non poteſt eſſe alba per qualitatem à ſe diſtinctam, nec unio uniri per aliam unionem,ità nec ex ſe & eſſentialiter intelligibile reddi poteſt taliter intelligibile per aliud à ſe diſtinctum: undè ſpecies impreſſa redderet Deum intelligibilem tantùm accidentaliter & extrinſecè; adeoque non tribueret effectum formalem præhabitum, nempè intelligibilitatem eſſentialem, ſed nuvam intelligibilitatem, ſcilicèt accidentalem & extrinſecam.

Prob. 3. Non repugnat ſpecies expreſſa, imò de facto datur, ſcilicet viſio beatifica, qua Beati ſimiles Deo efficiuntur, ut patet ex Auguſt. libro 14. de Trinit. Cap. 17. *Similes ei erimus : hinc apparet tunc in ipſa imagine Dei fieri ejus plenam ſimilitudinem, quando ejus plenam perceperit viſionem*: Ergo etiam dabilis eſt ſpecies impreſſa, cùm hæc non magis repugnet quam illa.

Dices diſcrimen eſſe inter unam & alteram ſpeciem, 1. Quòd ſpecies impreſſa (ſi daretur) Deum comprehenſivè repræſentaret; quia ſpecies ab objecto procedens, illud repræſentat, quantùm repræſentabile eſt: hoc autem implicat: expreſſa verò, cùm ſit à potentia limitata & à lumine gloriæ finito, non debet Deum comprehenſivè repræſentare. 2. Quòd ſpecies impreſſa ſit perfectio objecti; expreſſa verò ſubjecti. 3. Quòd Deus utpotè per ſe viſibilis, habeat in ſe rationem ſpeciei impreſſæ; expreſſa autem, utpotè perceptio, dari poſſit extra Deum.

Reſp. Ad primum quòd ſicut Deus videtur, quando vult, à quibus vult, & quomodo vult; ita etiam pro ſuo libitu poteſt emittere ſpeciem impreſſam vel perfectam, vel perfectiorem, vel perfectiſſimam: & in hoc differt ab aliis objectis, quæ ſpecies ſuas naturaliter & neceſſariò emittunt.

Ad ſecundum dico quòd ſpecies impreſſa non dicatur perfectio objecti, quaſi verò objectum perficeret, ſed quia objectum potentiæ improportionatum, reddit proportionatum.

Ad tertium dico illud probare non dari ſpeciem impreſſam, non tamen eſſe impoſſibilem.

Objic. 1. Contra Concluſionem: Species impreſſa denotat inſufficientiam objecti ad movendum potentiam: ſed repugnat quòd Deus non ſit ad hoc ſufficiens: ergo.

Reſp. diſt. Ma. Denotat ordinariè: C. neceſſario N. quia denotare poteſt, quòd objectum non agat per ſe, quamvis poſſit. undè illo caſu ſpecies illa impreſſa nō eſſet virtus vicaria objecti ea indigentis, ſed potentis & nolentis pro ſuo libitu per ſe immediatè concurrere, ut oſtenderet omnipotentiam ſuam. Et certè ſi Deus per ſe immediatè illuminativus poſſit illuminare mediante lumine à ſe producto, quidni per ſe immediatè intelligibilis poſſet ſe intelligibilem reddere per ſpeciem ? cùm nihil ſit aliud quàm ſpeciem ipſam determinare intellectum ad viſionem.

Obji. 2. Finitum non poteſt repræſentare infinitum: ſed ſpecies impreſſa eſſet finita, & Deus eſt infinitus: ergo.

Reſp. N. Ma. Quia repræſentans non debet continere totam perfectionem repræſentati ſecundùm entitatem: aliàs nulla imago aut picta, aut ſculpta, licèt perfectiſſima, poſſet hominem vivum repræſentare; cùm nulla contineat perfectionem hominis viventis. Sufficit ergo, quòd contineat illius perfectionem formaliter repræſentativè, quod præſtare poteſt finitum reſpectu infiniti, ſicut non vivens reſpectu viventis. Imò ſi ſtaret Objectio, oon poſſet ſpecies expreſſa, propter eandem rationem, Deum repræſentare, & tamen Deum perfectiùs repræſentat quàm impreſſa; cùm hæc ſit tantùm ſimilitudo virtualis, illa formalis.

Objic. 3. Deus non poteſt videri naturaliter; ſed ſi daretur talis ſpecies: poſſet videri naturaliter, quandoquidem talis ſpecies, ut potè finita & creata, poſſet cognoſci ab intellectu Angelico: ergo.

Reſp. N. Min. Quia ſpecies illa foret ſupernaturalis; ens autem ſupernaturale in ſubſtantia non poteſt naturaliter cognoſci, nequidem ab Angelo, ut fatentur Adverſarii. Præterea ſpecies impreſſa non eſt medium, quod priùs viſum ducit in cognitionem objecti, ſed medium quo videtur objectum ab intellectu illa informato.

Obij. 4. Species impreſſa debet æquè aut magis eſſe immaterialis, quàm objectum, quod repræſentat: ſed nihil poteſt eſſe æquè aut magis immateriale quam Deus: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Species impreſſa intelligibilis, objecti materialis: C. objecti omnino ſpiritualis: N. Et certè ſpecies expreſſa, ſeu viſio beatifica Deum repræſentans non eſt æquè aut magis immaterialis, quàm ſit Deus: cum ſpecies impreſſa deberet eſſe ejuſdem aut majoris immaterialitatis, quàm ſit ipſe Deus?

Objic. 5. Munus intrinſecum ſpeciei impreſſæ, eſt objectum de ſe potentiæ improportionatum, proportionatum reddere: ſed ſi daretur qualitas, per quam Deus videretur, id non præſtaret; cùm Deus ſit de ſe objectum proportionatum intellectui, ſaltem lumine gloriæ confortato: ergo non eſt ſpecies.

Reſp. Neg. Ma. Et dico, munus ſpeciei impreſſæ intrinſecum eſſe ſupplere vices objecti non agenti, abſtrahendo à proportione objecti & improportione, à ſufficientia, & inſufficientia.

Obji 6. Non poteſt Deus producere qualitatem, qua reddatur ſapiens, etiam accidentaliter: ergo nec qualitatem, qua reddatur accidentaliter intelligibilis.

Reſp. neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd denominatio ſapientis & ſimilium, debeat eſſe à forma intrinſeca: nemo enim dicitur ſapiens ex eo quòd ſapientia ſit in alio; cùm autem Deus non poſſit formam novam in ſe recipere, ità nec qualitatem producere, qua denominetur ſapiens accidentaliter. Aliud eſt de intelligibilitate; quia ut denominetur intelligibilis accidentaliter, non debet aliquid in ſe recipere, ſed ſatis eſt quòd producat ſpeciem, per quam determinet intellectum creatum ad viſionem beatificam.

Objic. 7. Per ſpeciem corpoream non poteſt cognoſci res incorporea: ergo nec per ſpeciem creatam res increata.

Reſp. Neg. Conſ. Diſparitas eſt, quòd ſpecies corporea ſit ex omni parte inferioris ordinis reſpectu rei incorporeæ; non ſic præfata ſpecies creata reſpectu Dei, cùm equidem ſit etiam ſpiritualis, imò & ſupernaturalis.

QUÆSTIO VI.

Quid ſit lumen gloriæ concurrens ad viſionem beatificam, & an elevetur intellectus per illud ad videndum Deum?

CONCLUSIO I.

Lumen gloriæ ſtrictè ſumptum; eſt qualitas ſupernaturalis permanenter inhærens intellectui Beati, illum elevans, corroborans, & complens antecedenter ad actum, ipſumque efficiens potentem proximè, ut formare poſſit actualem Dei viſionem.

Dicitur 1. *Qualitas ſupernaturalis*; quia eſt ſupra naturam intellectus creati, qui, cùm non poſſit viribus ſuis ſplendidiſſimum Divinitatis ſolem intueri, ut diximus, ad id auxilio ſupernaturali indiget.

Dicitur 2. *Permanenter inhærens intellectui*, eo modo ſcilicet, quo charitas habitualis inhæret voluntati, ipſamque perficit ad eliciendum amorem beatificum.

Dicitur 3. *Illum elevans* &c. ad oſtendendum, quòd lumen gloriæ teneat ſe ex parte potentiæ; adeoque diſtinguatur à ſpecie impreſſa, quæ tenet ſe ex parte objecti, cujus eſt vicaria.

Dicitur 4. *Antecedenter ad actum*; quia cùm actus primus præſupponatur ad actum ſecundum, antequam actus producatur, præſupponi debet virtus illius productiva: adeoque potentia capax illius productionis.

Dicitur denique: *Ipſum efficiens potentem proximè* &c. Ità ut nihil aliud prorſus requiratur ex parte intellectus ad videndum Deum.

CONCLUSIO II.

De facto elevatur intellectus Beatorum ad videndum Deum per lumen gloriæ: eſt de fide in Conc. Viennenſi Clement. *Ad noſtrum*, ubi condemnatur error Beguardorum aſſerentium animam non indigere lumine gloriæ, ipſam elevante ad videndum Deum.

Prob. 1. Ex Script. Pſ. 35. *Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*. Et licèt hujus textus ſenſus primarius ſit: *In Filio videbimus Patrem*, illum tamen de lumine gloriæ interpretatur Auguſtinus cum multis aliis PP. Item Apocal. 22. *Videbunt faciem ejus ... & non egebunt lumine ſolis; quoniam Dominus Deus illuminabit illos*.

Prob. 2. Ratione: Potentia non habens ex ſe virtutem ſaltem proximam & immediatam ad eliciendum aliquem actum, debet elevari & corroborari: ſed intellectus creatus non habet ex ſe, & ex ſua natura virtutem proximam & immediatam ad videndum Deum, ut diximus: ergo debet elevari & corroborari per aliquid, quod lumen gloriæ vocant Theologi: unde ſicut non poteſt cognoſci Deus author naturæ, ſine lumine rationis, ut author gratiæ in hac vita ſine lumine

Fi-

Digitized by Google

Fidei; ità nec intuitivè percipi poteſt ut author gloriæ, ſine gloriæ lumine.

Obji. 1. Eſſentia divina concurrens per modum ſpeciei intelligibilis ſufficienter determinat intellectum: ergo ſuperfluit lumen gloriæ.

Reſp. Diſt. Ant. Sufficienter determinat, quantum neceſſe eſt ex parte objecti: C. quantùm neceſſe eſt ex parte potentiæ: N. illa enim, utpotè de ſe improportionata, debet per auxilium ſuperveniens proportionari: undè ſicut oculus debilis non poteſt videre ſolem, niſi confortetur, licèt ſol in ratione objecti ipſum ſufficienter determinet, ità & in noſtro caſu.

Obji. 2. Lumen gloriæ, utpote finitum, non poteſt tollerè improportionem, utpotè infinitam, quæ eſt inter intellectum creatum, & Deum.

Reſp. Diſt. Aſſumpt. Non poteſt tollere improportionem inter intellectum & Deum, ut comprehenſivè cognoſcendum: C. quia cùm non poſſit ità cognoſci, quin cognoſcatur modo infinito, etiam improportio inter illos eſſet infinita. Inter intellectum & Deum, ut modo finito cognoſcendum: N. quia tunc non reperitur improportio infinita, ſed ſolùm ordo diverſus naturalitatis & ſupernaturalitatis per lumen gloriæ proportionandus.

Obji. 3. Scotus 3 diſt 14. q. 2. n. 4. aſſerit, quòd *in quocumque inſtanti priori naturaliter ipſa viſione, nulla eſt cauſa naturaliter prior viſione; uſque enim ad illud inſtans naturæ, quo intellectus videt, non habet unde poſſit in iſtam viſionem*: ergo ſupponit non elevari per lumen gloriæ.

Reſp. Scotum ibi tantùm negare lumen gloriæ, ut diſpoſitionem neceſſariam ad recipiendam viſionem, non autem ut quid concurrens ad illius productionem? nam ibi expreſsè facit mentionem diſpoſitionis ad receptionem, ad quam, nullam aſſerit præhaberi cauſam in intellectu, etiam materialem. Quod autem ſic debeat intelligi; patet ex eo, quòd 4 diſt 49. q. 11. n. 8. dicat: *Intellectus creatus ex ſolis naturæ viribus ſuſceptivus eſt viſionis beatificæ, nec ad illam ſuſceptionem indiget aliqua forma prævia ſupernaturali, licèt indigeat ad illius viſionis productionem.* Quid clarius?

Inſt. Idem 3. diſt. 31. ait non eſſe neceſſarium ponere aliquem habitum in Patria in anima, qui ſit principium videndi & tendendi in objectum.

Reſp. Diſt. Aſſumpt. Ait non eſſe neceſſarium ſecundùm præſentem rerum ſtatum: N. abſolutè loquendo: C. quia poſſet elevari intellectus ad videndum Deum per aliquod auxilium actuale, & tranſiens ordinis ſupernaturalis abſque impreſſione alicujus qualitatis permanentis: & certè ſi Deus ſupplere poſſit habitum charitatis ad actum dilectionis, ut concedunt omnes, quidni & habitum luminis gloriæ actum viſionis? Cùm ſit eadem ratio propter utriuſque actus vitalitatem & ſupernaturalitatem. Etiam de neceſſitate abſoluta loquitur, dum 4. diſt. 49. q. 11. ait: *Lumen gloriæ ad viſionem non videtur mihi neceſſe poni*; quandoquidem ibi littera G. & R. dicat lumen eſſe neceſſarium, nempè neceſſitate ordinaria; vel potiùs dic, ibi loqui in ſuppoſitione (quam tamen nullibi abſolutè admittit) qua diceretur viſionem beatificam à ſolo Deo produci, intellectu merè paſſivè ſe habente: quam ſuppoſitionem abſolutè ibi rejicit reſpectu actu charitatis, ad quem cùm voluntas certò concurrat activè, ut colligitur ex Scriptura, etiam ad illum requirit habitum in voluntate.

Advertendum hic, pro vindicando à calumniatoribus Scoto, ità D. Subtilem conſtanter tenuiſſe impoſſibilitatem viſionis beatificæ per ſolas naturæ vires (quod probat ex Scriptura & ratione 4 diſt. 49. q. 11.) ut dicat initio Quæſt. Hæreſim aſſerentium Deum à nobis naturaliter videri poſſe, eſſe pejorem Hæreſi Pelagii, qui voluit hominem ſine gratia poſſe juſtificari. Et hoc dictum ſit ad confuſionem quorumdam, qui Scotum, vel non legentes, vel non intelligentes, ipſum in hac materia Beguardis aſſociare non erubuerunt, ac ideò in Concilio Vien. damnatum eſſe dixerunt: quorum impoſturam agnoſcit Amicus D. 9. n. 197.

Obji. 3. Lumen gloriæ non eſt vitale: ergo non poteſt elevare potentiam ad actum vitalem.

Reſp. Diſt. Ant. Non eſt vitale ut quod, quaſi habens in ſe vitam: C. non eſt vitale ut quo, ſeu ſufficiens ad corroborandam potentiam vitalem, ut vitaliter operetur: N. & certè ſi ſpecies & habitus non vitales juvent potentias vitales in operationibus vitalibus eliciendis, quidni id poſſet lumen gloriæ reſpectu intellectus.

QUÆSTIO VII.

In quo conſiſtat lumen gloriæ?

CONCLUSIO I.

LIcèt ſit de fide, quòd intellectus Beatorum elevetur ad videndum Deum per lumen gloriæ; non eſt tamen de fide quòd lumen gloriæ ſit qualitas illa à nobis quæſt. præc. definita.

Ratio eſt; quia licèt Concilium Vienn. definierit animas indigere lumine gloriæ ad videndum Deum (quod ſufficiebat ad corrigendum errorem Beguardorum, aſſerentium poſſibilem eſſe intuitivam Dei viſionem ex puris naturalibus) non tamen definivit quid eſſet lumen gloriæ, an aliquid creatum vel increatum, an intrinſecum vel extrinſecum, an actuale vel habituale: unde hoc reliquit hominum diſputationi, quorum aliqui dixerunt, lumen gloriæ eſſe Deum ipſum, alii ſpeciem intelligibilem, alii viſionem beatificam, alii concurſum Dei actualem, alii ipſummet habitum charitatis, alii qualitatem per modum potentiæ completæ, alii denique eſſe habitum ſeu qualitatem à nobis definitam.

Dices: Noverant aſſiſtentes Concilio Vienn. lumen gloriæ ſumi à Theologis pro habitu: ergo definientes requiri lumen gloriæ, definiebant conſequenter requiri habitum præfatum.

Reſp. Diſt. Ant. Noverant ſumi communius: C. ab omnibus: N. undè nolentes dirimere ſiccam Scholaſticorum litem de eo, in quo conſiſteret elevatio intellectus in ordine ad viſionem beatificam, uſurparunt vocem *lumen gloriæ* tanquam communiorem, ad ſtabiliendam contra Hæreticos neceſſitatem alicujus auxilii ſupernaturalis ad præfatam viſionem.

CONCLUSIO II.

PRobabilius eſt, lumen gloriæ ad viſionem beatificam requiſitum, eſſe qualitatem à nobis definitam. Hæc eſt inter Scholaſticos communior, & menti DD. Angelici & Subtilis conformior. Primus ſiquidem quæſt. 12. art. 5. ad 2. aſſerit requiri lumen gloriæ *ad hoc quòd intellectus fiat potens ad intelligendum per modum, quo potentia fit potentior ad operandum per habitum*. Secundus verò 1. diſt 17. quæſt 3. nu. 36. ſic loquitur: *Nullus communiter negat in gloria habitum luminis gloriæ in intellectu*. Hocque profert abſolutè & ſimpliciter, nec ſe ab illa ſententia eximendo, nec vel minimam inclinationem ibidem pro ſententia oppoſita oſtendendo.

Prob 1. Concluſio; quia ſententia noſtra magis aſſequitur mentem Concilii Vienn. cùm ſit credibile, PP. Concilii ſumpſiſſe lumen gloriæ, prout communiter ſumebatur à DD. iſtius temporis: ſed iſtius temporis DD. ſumebant communiter lumen gloriæ pro habitu intellectus, ut patet ex verbis paulò ante citatis à Scoto, qui floruit & ſcripſit circa tempora Concilii Viennenſis; quandoquidem hoc celebratum ſit anno 1311. ille autem mortuus ſit omninò juvenis anno 1308. ergo.

Prob. 2. Requiritur charitas habitualis in Patria, ut corroboret & compleat voluntatem ad Deum amandum: ergo etiam requiritur lumen habituale, ut elevet & corroboret intellectum ad videndum Deum: unde Scotus loco cit. *Iſte*, ſcil. habitus luminis gloriæ, *ex parte intellectus poteſt poni correſpondere charitati ex parte voluntatis*.

Prob 3. Refutando breviter aliorum ſententias. 1. Lumen gloriæ non poteſt eſſe Deus; aliàs non debuiſſent damnari Beguardi ex eo quòd lumen gloriæ non admitterent; quandoquidem non negarent Deum in viſione beatifica intervenire; unde qui aſſererent lumen gloriæ eſſe Deum in ratione objecti tantùm, excludendo quodlibet aliud ſupernaturale, non eſſent ſatis de fide ſecuri.

2. Non eſt viſio beatifica; quia definit Concilium requiri lumen ad videndum, & conſequenter diſtinguit lumen à viſione.

3. Non eſt ſpecies impreſſa; quia ultrà quod non detur, licèt ſit dabilis, non poteſt complere intellectum ex parte potentiæ, ſed tantùm ex parte objecti: ſicut enim ſpecies viſibiles non poſſunt oculum inſufficientem ad videndum, ſufficientem reddere, ità nec ſpecies intelligibiles intellectum de ſe improportionatum proportionare & complere. Præthereà in naturalibus ultrà ſpeciem requiritur potentia completa, quidni & in ſupernaturalibus? Et conſequenter cùm intellectus de ſe non ſit completus ad viſionem præfatam, debet compleri per aliquid à ſpecie diſtinctum.

4. Non habitus charitatis; quia ille non datur in intellectu,

ſed

ſed in voluntate; non ad videndum, ſed ad diligendum.

5. Non eſt qualitas per modum potentiæ completæ; quia ideò Sotus, Capreolus, & quidam alii hoc aſſerebant; quia viſionem Dei à ſolo lumine gloriæ effici ſuſtinebant: quod poſteà rejiciemus.

6. Non eſt concurſus Dei actualis; quia cùm concurſus ille ſit in effectum, & non in cauſam, relinquit potentiam omninò eandem, adeoque impotentem ad eliciendam Dei viſionem ſicut ante. Prætereà quando ponitur actualis Dei concurſus, intellectus actualiter concurrit; quandoquidem utriuſque concurſus ſit ſimultaneus: ergo ſupponitur potens ad concurrendum, cùm ſit prius poſſe agere, quàm agere; adeoque non per concurſum actualem, ſed per aliquid prius completur. Accedit quòd actus ſecundus præſupponat actum primum proportionatum, atque ideò actio ſupernaturalis, qualis eſt viſio beatifica, præſupponere debet potentiam æquivalenter ſupernaturalizatam.

Dices: Impotens ad trahendum navim ſolus; fit potens per concurſum alterius: ergo ſimiliter.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt quòd ad trahendum navim ſufficiat virtus attractiva, navi trahendæ proportionata, ſive ſit intrinſeca, ſive extrinſeca; ad videndum autem Deum requiratur virtus completa intrinſeca; quia intellectus debet mutari, &, ut ità dicam, quaſi ſupernaturalizari; illud autem complementum intrinſecum non recipit per concurſum ſimultaneum, ut oſtendimus.

QUÆSTIO VIII.

An lumen gloriæ & intellectus concurrant effectivè ad viſionem beatificam?

CONCLUSIO I.

LUmen gloriæ concurrit effectivè cum intellectu ad formandam viſionem beatificam; non tamen requiritur tanquam diſpoſitio, ut intellectus recipiat viſionem illam, aut eſſentiam divinam loco ſpeciei intelligibilis.

Prob. 1. Pars; quia non eſt denegandum lumini gloriæ, quod conceditur habitibus ſupernaturalibus Fidei, Spei, & *Charitatis*, cùm inter omnes habitus ſupernaturales ſit præſtantiſſimus: ſed habitus Fidei, Spei, & Charitatis concurrunt effectivè ad ſuos actus, ut ſuo loco dicitur: ergo & lumen gloriæ ad Dei viſionem.

Prob. 2. Pars: Si viſio beatifica illam diſpoſitionem requireret, vel eſſet: quia eſt forma ſupernaturalis; vel quia talis eſt *naturæ*, ut hoc exigat: neutrum ſtatui poteſt: ergo. Non primum, quia ſi forma ſupernaturalis non poſſet recipi in ſubjecto naturali niſi præviè diſpoſito per formam ſupernaturalem, hæc forma diſponens cùm ſit etiam ſupernaturalis, aliam præexigeret, & ſic deinceps in infinitum. Prætereà in infantibus habitus infuſi & ſupernaturales recipiuntur ſine ulla diſpoſitione prævia ſupernaturali. Non etiam ſecundum, quia nullum oſtendi poteſt fundamentum illius exigentiæ.

Dices: Actus immanens, qualis eſt viſio beatifica, debet recipi in potentia proxima, à qua procedit, ſic viſio recipitur in viſu, auditio in auditu: atqui potentia proxima, à qua procedit viſio beatifica, non eſt intellectus ſolus, ſed intellectus lumine gloriæ informatus: ergo non poteſt recipi viſio beatifica in intellectu, niſi informetur lumine gloriæ.

Reſp. Diſt. Ma. Debet recipi in potentia proxima, id eſt in potentia, à qua proximè & immediatè procedit: C. id eſt in potentia prout proximè completa: N. vel enim reciperetur in potentia & complemento ſimul: vel in ſola potentia: ſi primum, viſio beatifica reciperetur in lumine gloriæ, ſaltem partialiter, quod nemo ſomniavit; imò ſi hoc eſſet, idem actus eſſet in duobus ſubjectis realiter diſtinctis, qualia ſunt intellectus & lumen gloriæ. Si ſecundum, quid facit lumen gloriæ ad viſionis immanentiam? Imò potiùs facit contrà immanentiam, cùm viſio ab illo procedat, & in illo non recipiatur.

Prob. 3. Pars; quia forma non requirit diſpoſitionem in ſubjecto, niſi illi inhæreat: ſed eſſentia divina immediatè concurrens objectivè ad viſionem beatificam, non inhæret intellectui creato: ergo.

CONCLUSIO II.

ETiam intellectus concurrit effectivè ad viſionem beatificam. Eſt communis inter DD. contrà Nominales, qui docent viſionem illam à ſolo Deo produci, intellectu Beati merè paſſivè, & ſubjectivè ſe habente, & contrà quoſdam alios, de quibus ſuprà, qui volunt viſionem præfatam à ſolo lumine gloriæ procedere.

Prob. 1. Actio vitalis debet naturaliter a potentia vitali procedere: ſed viſio beatifica eſt actio vitalis: ergo debet procedere à potentia vitali, ſcil. intellectiva, cum à nulla alia poſſit eſſe. Major conſtat ex Ariſt. 2. de Anima, & communi omnium Philoſophorum ſententia. Prob. Min. Quia Deum videre, eſt illum cognoſcere: quod eſt vivere vita perfectiſſima: undè Beati videntes Deum dicuntur vivere vita æterna Jo. 17.

Prob. 2. Actus charitatis & alii actus ſupernaturales producuntur à potentia vitali hominis, ut conſtat ex Trid. Seſſ. 6. cap. 5. & can. 4. cur non etiam viſio beatifica? Cùm hæc & illi ex ſua ratione ſint actus vitales, & intrinſecè ſupernaturales.

Prob. 3 Si intellectus merè paſſivè ſe haberet, Deo viſionem ſe ſolo producente, fruſtrà Concilium Viennenſe requireret lumen gloriæ ad elevandum intellectum; cùm ſit inutile elevare potentiam ad nihil operandum, & aliundè non requiratur elevatio ad viſionem recipiendam, ut diximus.

Adverte quòd licèt in viſione beatifica vitalitas dicatur correſpondere intellectui, & ſupernaturalitas lumini gloriæ; de facto tamen tam intellectus, quàm lumen gloriæ concurrunt ad illius vitalitatem & ſupernaturalitatem; cùm vitalitas & ſupernaturalitas ſint quid idem realiter cum ipſa viſione: undè ad producendum aliquid, quod eſt adæquatè & formaliter vitale, ſufficit quòd unum principium ſit vitale, ſivè aliud comprincipium ſit vitale, ſive non, ut patet in actibus productis à potentia, habitu, & ſpecie, ex quibus ſola potentia vitalis eſt. Item ad producendum ſupernaturale adæquatè & formaliter, ſufficit in principium unicum ſupernaturale, ſivè comprincipium ſit ſupernaturale, ſivè non, ut patet in actibus ſupernaturalibus, de quibus Trident. ſup. Ex quo habes, quòd lumen gloriæ inanime poſſit cum intellectu, qui eſt potentia vitalis, producere viſionem beatificam, quæ eſt adæquatè & formaliter vitalis. Et quòd intellectus, qui eſt potentia naturalis poſſit cum lumine gloriæ, quod eſt ſupernaturale, producere eandem viſionem adæquatè & formaliter ſupernaturalem.

CONCLUSIO III.

NOn concurrit intellectus ad viſionem beatificam ut cauſa inſtrumentalis, ſed ut principalis. Eſt communis inter Scotiſtas & Thomiſtaa contrà Vaſquez & quoſdam alios.

Prob. 1. Cauſa inſtrumentalis non ſe movet ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco movetur, ut patet in calamo, penicillo &c. ſed intellectus movet ſe ab intrinſeco ad viſionem beatificam, cùm reſpectu illius ſit potentia vitaliter agens, ut diximus: ergo.

Prob. 2. Cauſa inſtrumentalis non denominatur ſimpliciter & abſolutè agens. Sic malleus non dicitur facere domum, ſed benè opifex per illum: atqui intellectus ſimpliciter & abſolutè dicitur videre Deum: ergo.

Dices 1. Intellectus agit, ut motus & elevatus à Deo per lumen gloriæ: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Agit &c. per virtutem omninò extrinſecam, ut calamus: N. per virtutem ſibi intrinſecam, & innatam: C.

Dices 2. Cauſa debet continere totam perfectionem ſui effectus: ſed viſio beatifica eſt perfectior intellectu, cùm hic ſit naturalis, illa ſupernaturalis: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Cauſa debet continere &c. ſi ſit totalis: C. ſi ſit tantùm partialis: N. quia tunc ſufficit quòd illam contineat cum altero comprincipio, quod cùm ſit adæquatè & intrinſecè ſupernaturale, non eſt mirum quòd poſſit intellectus cum illo viſionem ſupernaturalem producere. Prætereà falſum eſt, viſionem beatificam, ſaltem ſecundùm entitatem, eſſe perfectiorem intellectu; cùm hic, utpotè animæ realiter identificatus, ſit ſubſtantia, illa autem accidens.

Dices 3. SS PP. Negant liberum arbitrium eſſe agens principale, in negotio ſalutis: ergo idem eſt de intellectu reſpectu viſionis Beatificæ.

Reſp. Diſt. Ant. Negant, eſſe agens principale, id eſt primarium: C. quia gratiæ, ſine qua non poteſt liberum arbitrium agere negotium ſalutis, tribuitur primatus. Negant, eſſe principale hoc ſenſu, quaſi non ageret ex propria & intrinſeca virtute: N. Sic etiam hic poſſet dici, intellectum reſpectu viſionis Beatificæ non eſſe cauſam principalem primo modo, licèt ſit ſecundo.

QUÆSTIO IX.

Undè derivetur inæqualitas viſionis beatificæ?

SUppono 1. omnes viſiones beatificas hominum Beatorum eſſe ejuſdem ſpeciei, ſeu non differre in eſſentia, cùm idem habeant objectum, nempè Deum, eademque ſpecie principia, nempè intellectum & lumen gloriæ: undè viſio beatifica animæ Chriſti, licèt ſit perfectior viſione cujuslibet hominis & Angeli, imo & omnium hominum & Angelorum viſionibus ſimul ſumptis, non differt tamen ſpecie à viſione beatifica boni Latronis.

Dixi: *Viſiones beatificas hominum*; quia cùm intellectus Angelicus ſpecie differat ab humano, volunt aliqui conſequenter viſionem beatificam in hominibus & Angelis ſpecie differre, quibus non aſſentior, quia licèt intellectus illi differant materialiter & entitativè, non tamen formaliter, ut ſunt principia viſionis præcisè: & certè niſi ità eſſet, nunquam poſſet viſio beatifica Chriſti ad viſionem beatificam etiam minimi Angeli pertingere; cùm ſpecies inferior etiam perfectiſſima nunquam attingat perfectionem ſpeciei ſuperioris, etiam minimæ perfectionis.

Suppono 2. tanquam certum de Fide, non omnes Beatos æqualiter Deum viſuros, quantum ad perfectionem intenſivam, vel extenſivam. Patet tum ex Script. Joan. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*. Item 1. Corinth. 3. *Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem*. Tum ex definitione Florentini in litteris unionis. Tum ex PP. ex quibus prodeat unicus Ambroſius lib. de bono mortis cap. 11. *Erit igitur ordo diverſus claritatis & gloriæ, ſicut erit ordo meritorum*. Undè quando Matth. 20. dicitur inæqualiter in vinea laborantibus æqualem redditam eſſe mercedem, nempè denarium diurnum; per denarium illum figuratur quidem beatitudo quoad ſubſtantiam viſionis, quia inæqualiter pro vita æterna laborantibus æqualiquoad ſubſtantiam Dei viſione frui dabitur; non tamen figuratur beatitudo ſecundùm omnem perfectionem, & ideò hic quærimus undè proveniat major vel minor perfectio viſionis beatificæ.

CONCLUSIO I.

INæqualitas viſionis beatificæ provenit moraliter ex inæqualitate meritorum.

Prob. Tum ex Scriptura cit. tum ex Florent. in litteris unionis, ubi dicitur: *Juxta diverſitatem meritorum unus alio perfectius videt eſſentiam divinam*. Tum etiam ratione; quia juſtitia poſtulat, ut inæqualiter meriti, inæqualiter præmientur: ſed gloria datur tanquam corona juſtitiæ: ergo. Et certè ſi inæqualiter demeriti, inæqualiter puniantur, juxtà illud Apocal. 18. *Quantum glorificavit ſe, & in delicijs fuit, tantùm date illi tormentum & luctum*; quidni inæqualiter meriti, inæqualiter præmiarentur?

CONCLUSIO II.

INæqualitas viſionis beatificæ provenit phyſicè, non ex ſola luminis gloriæ inæqualitate, ut volunt Thomiſtæ plurimi, non tamen D. Thomas; ſed etiam ex inæqualitate intellectus, ut volunt Scotiſtæ poſt ſuum Ducem, cum plurimis aliis: undè habens intellectum magis activum & perſpicacem, poteſt Deum perfectiùs videre, quàm alter, cujus intellectus non eſt ità perfectus, licèt in utroque ſint æqualia merita & æquale lumen gloriæ.

Prob. 1. Ibi perfectior eſt viſio beatifica, ubi perfectius lumen gloriæ concurrit, ut fatentur Adverſarii: ergo ſimiliter perfectior eſt viſio beatifica, ubi perfectior concurrit intellectus. Prob. Conſeq. Ideò perfectior eſt viſio beatifica in Antecedente, quia procedit à cauſa perfectiori: ſed hoc etiam repetitur in conſequente: ergo.

Prob. 2. Quo magis creſcit in cauſa totalis in perfectione, eo perfectiorem producit effectum, ut certum eſt: ſed cauſa totalis viſionis beatificæ ſunt intellectus & lumen gloriæ ſimul: ergo ubi perfectior eſt intellectus, cum tunc ſit etiam perfectior cauſa totalis, utpotè creſcens ex utriuſque cauſæ partialis incremento, perfectior debet eſſe effectus ſeu viſio. Prob. Mi. Quia ſi tantùm concurreret lumen gloriæ, viſio non eſſet vitalis; ſi ſolus intellectus, non eſſet ſupernaturalis. Dicere autem quòd utrumque concurrat quidem ad ſubſtantiam viſionis, ſed lumen gloriæ ſolùm ad majorem viſionis perfectionem, eſt dicere actum illum ſecundùm ſuam perfectionem non eſſe vitalem. quod eſt ridiculum.

Prob 3. Potentia habens perfectiorem activitatem producit effectum perfectiorem, ut patet in potentia viſiva, & in aliis: ſed intellectus perfectior perfectiorem habet activitatem, ut habet ſenſus communis: ergo producit effectum perfectiorem, adeòque perfectiùs videt Deum, cum elevetur per lumen gloriæ ſecundùm totam ſuam activitatem, ut dicemus infrà.

Dixi 1. In Concluſione: *Non tamen D. Thomas*; quia magis videtur favere ſententiæ noſtræ, quàm oppoſitæ, cum dicat p. 3. q. 10. art. 4 ad 2. *Gradus in viſione ſecundùm perfectionem, magis attenditur ſecundùm ordinem gratiæ, quàm ſecundùm ordinem naturæ*: atqui comparativus ſupponit poſitivum: ergo ſi magis attenditur ſecundùm ordinem gratiæ, quàm naturæ, etiam attenditur ſecundùm ordinem naturæ. Nec proficis quidquam, dicendo ly *magis* non ſumi comparativè, ſed excluſive reſpectu ordinis naturæ; quia inde ſequitur gradum viſionis ſecundùm perfectionem non eſſe vitalem, cùm vitalitas petatur ab ordine naturæ. Scio quidem, D. Thomam 2. aut 3. locis habere hæc verba, aut æquivalentia, in quibus totaliter fundantur Thomiſtæ Adverſarii. *Diverſitas videndi erit per diverſam facultatem intellectus, non quidem naturalem ſed glorioſam*; ſed etiam ſcio per illa verba nihil aliud poſſe intelligi, niſi quod intellectus ſecundùm ſe nihil poſſit circà viſionem illam, ſed tantùm ut glorificatus, ſeu ut elevatus per lumen gloriæ, quod ultro concedimus: undè Cajet. egregius Thomiſta ſic D. Thomam intellexit.

Dixi 2. *Poſt ſuum Ducem*: quia licèt Scotus 3. diſt. 13. q. 4. n. 18. & ſeq tantùm loquatur de amore beatifico, quem vult eſſe perfectiorem, ubi perfectior eſt voluntatis activitas; tamen ob paritatem rationis idem eſt dicendum de viſione reſpectu intellectus glorificati; & ideò 4 diſt. 50. q. 9. n. 7 docet, inæqualitatem beatitudinis ſecundùm intentionem etiam provenire ex inæquali activitate potentiæ.

Obji. 1. Florentinum definit, Beatum unum perfectiùs altero viſurum pro diverſitate meritorum: ſed hoc poſſet eſſe falſum in noſtra ſententia: ergo. Prob. Min. Quia poſſet unus habens majora merita non videre Deum perfectiùs quàm alter, qui haberet minora, ſi nempè hic intellectum haberet perfectiorem. Res ponitur in exemplo: Joannes habet merita, propter quæ recipit tres gradus luminis gloriæ: Petrus verò merita, propter quæ recipit quatuor: ſi Joannes habeat intellectum uno gradu perfectiorem, poterit Petrum adæquare in viſione beatifica, imò & ipſum ſuperare, ſi habeat intellectum longè perfectiorem.

Reſp. Diſt. Ma. Definit &c. ſi cætera ſint paria: C. ſi ſint imparia. N. undè vult quidem Florentinum, quòd ubi ſunt duo intellectus æqualis omninò perfectionis (quales eſſe omnes intellectus humanos ſupponit vulgaris Philoſophorum ſententia & fortè etiam ipſummet Concilium) unus altero perfectiùs Deum videat, ſi majora habeat merita, quia gloria datur proportionatè ad merita; non tamen id definit ſimpliciter in ſuppoſito quòd intellectus ſint inæqualis perfectionis, quales ſunt intellectus humanus & angelicus, & fortè etiam duo intellectus humani; quia hoc nihil faciebat ad ejus intentum, quod erat oſtendere majoribus meritis majorem reddi gloriam, minorem minoribus: quod & ſtat in noſtra ſententia.

Inſt. 1. Intendit Concilium, æquale præmium reddi æqualiter meritis, inæquale inæqualiter meritis: ſed hoc non fieret ſecundùm nos: ergo. Prob. Min. Quia habens perfectiorem intellectum, licèt non plus meruiſſet, haberet viſionem perfectiorem: ſed tota viſio eſt præmium: ergo redderetur præmium inæquale meritis.

Reſp. Neg. Min. Ad Prob. Diſt. Min. Tota viſio eſt præmium, quatenùs eſt à Deo præmiante, & ut reſpicit merita, quorum eſt corona & præmium: C. quatenus reſpicit præcisè intellectum, à quo procedit: N. ut ſic enim habet rationem effectus, qui perfectior eſſe poteſt, ubi concurrit cauſa perfectior.

Inſt. 2. Inde ſequitur, Beatum ſe ab alio diſcernere in ſupernaturalibus per naturalia, ſcilicèt per intellectum perfectiorem: ſed hoc videtur ſapere Hæreſim Pelagianam: ergo.

Reſp. Neg. Sequel. Exceſſus enim ille viſionis non tribuitur naturæ ſibi relictæ, ſed naturæ elevatæ, ità quod nihil ſit in illo exceſſu, quod non procedat tam à lumine gloriæ, quàm ab intellectu, ſicut in viſione naturali procedente à cauſa perfectiori cum æquali ſpecie: unde ſi aliquis gradus gloriæ correſpondet potentiæ, correſpondet ipſi ut elevatæ.

Obji. 2. In tantùm concurrit intellectus ad viſionem Beatificam, in quantum elevatur per lumen gloriæ; cùm per ſolas naturæ vires non poſſit ad illam concurrere: ſed non magis elevatur intellectus nobilior, quàm alter, cùm in utroque ſupponatur æquale lumen gloriæ: ergo &c.

Reſp. Diſt. Min. Non magis elevatur intellectus nobilior,

ideſt,

id eſt, non recipit plures gradus luminis gloriæ ipſum elevantis: C. id eſt, non elevatur ſecundùm majorem illam activitatem, ſecundùm quam alium intellectum ſuperat: N. elevatur enim ſecundùm ſe totum, cùm, utpotè indiviſibilis, non poſſit elevari ſecundùm aliquid, niſi elevetur ſecundùm ſe totum.

Obji. 3. Lumen gloriæ quaſi abſorbet majorem intellectus activitatem.

Reſp. Neg. Aſſumpt. Quia cùm gratia naturam non destruet, ſed perficiat, non eſt credibile gloriam, quę eſt gratia conſummata, impedire intellectum, quominùs agat ſecundùm totam ſuam virtutem.

Obji. 4. Deus illo caſu præbet potentiæ nobiliori concurſum minorem: Ergo.

Reſp. Cùm immeritò & ſine fundamento diceretur Deus violentare naturam, immeritò etiam dicitur nolle concurſum ſuum potentiæ activitati proportionare: undè concurſus Dei non tantùm commenſuratur lumini gloriæ & meritis, ſed etiam alteri concauſæ; cùm ſit cauſæ primæ accommodare concurſum ſuum perfectioni utriuſque cauſæ partialis. Ex quo fit, ut licèt viſio hominis & viſio Angeli ſint æquales in ratione præmii (ſupponendo utrumque ejuſdem eſſe meriti) ſint tamen inæquales ratione potentiæ & meritorum ſimul.

Obji. 5. Ex ſententia noſtra ſequitur, quòd poſſet Angelus perfectiùs videre Deum, quàm Chriſtus; quandoquidem habeat intellectum perfectiorem intellectu Chriſti humano.

Reſp. Neg. Sequel. Quia licèt Angelus habeat intellectum perfectiorem, nunquam tamen habebit æquale lumen cum Chriſto, cùm Chriſtus, cui conceſſa eſt in via gratia maxima, etiam lumen maximum habeat in Patria, quod nunquam concedetur Angelo.

Obji. 6. Intellectus Beatorum (Objectio eſt P. Amici) tantùm concurrunt ad viſionem Beatificam in ratione intellectivi ut ſic, in qua ratione, cùm non differant intellectus perfectior & minùs perfectus, nihil ad rem facit intellectuum diverſitas.

Reſp. Neg. Aſſumpt. Sicut enim non datur à parte rei viſio in communi ſeu generica, ſed omnis eſt ſpecifica & individualis; ità nec datur intellectus agens ſecundùm rationem genericam, & non ſecundùm ſpecificam & individualem; cùm actiones tam ſint ſingularium quàm circa ſingularia. Prætereà agit intellectus ſecundùm ſuam virtutem; illa autem, cùm realiter exiſtat, non tantùm includit gradum genericum & ſpecificum, ſed etiam individualem.

Obji. 7. Ad videndum Deum ſimpliciter, requiritur lumen gloriæ: Ergo ad perfectiùs videndum requiritur lumen perfectius; quia ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis.

Reſp. Diſt. Conſeq. Reſpectu ejuſdam intellectus: C. reſpectu diverſorum: Subdiſt. æqualis perfectionis: C. inæqualis: N. Ad Axioma dico, locum habere in cauſis totalibus, non partialibus, ubi major perfectio unius poteſt ſupplere minorem perfectionem alterius.

Obji. 8. Actus fidei in via totus eſt à gratia: ergo actus viſionis in patria totus eſt à lumine gloriæ, adeoque etiam ſecundùm ſuam perfectionem.

Reſp. Nec actum fidei, nec actum viſionis eſſe à ſola gratia, ſed à gratia & potentia ſimul; & conſequenter ubi hæc cum eadem gratia aut gloria perfectiorem adhibet concurſum aut activitatem, etiam perfectiorem producit effectum.

Obji. 9. Non magis confert ad fabricandam ſtatuam malleus aureus quàm ferreus, licèt aureus ſit perfectior ferreo: Ergo non magis confert ad Dei viſionem intellectus perfectior, quàm minùs perfectus.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd malleus aureus non concurrat ad fabricationem ſtatuæ ſecundùm ſubſtantiam auri, ſed ſecundùm aptitudinem quam habet ad opus, quæ aptitudo æque perfectè, aut etiam perfectiùs reperitur in malleo communi. Concurrit autem intellectus ad Dei viſionem ſecundùm ſuam activitatem; quæ, ubi major eſt, majorem, ſeu perfectiorem producere poteſt viſionem.

Obji. 10. Intellectus non concurrit ad viſionem beatificam ſecundùm virtutem ſuam naturalem, ſed obedientialem: ergo nihil hic confert major perfectio.

Reſp. Neg. Ant. Cùm enim intellectus habeat potentiam naturalem inchoatam ad videndum Deum, & illa compleatur per lumen gloriæ, fruſtra recurritur ad potentiam obedientialem.

Obji. 11. Non ſemper cauſa perfectior producit effectum perfectiorem: Ergo non ſequitur ex eo quòd darentur intellectus Beatorum perfectiores, perfectiùs Deum viſuros.

Reſp. Ant. Eſſe falſum, ubi potentia eſt neceſſaria, ſicut intellectus & objectum eſt æqualiter applicatum, cæteraq; paria.

Obji. 12. Cum Bannes & aliis: Intellectus & lumen gloriæ, utpotè diverſi ordinis, non integrant unam cauſam totalem viſionis: Ergo non poterit hujus perfectio ab utroque deſumi.

Reſp. Neg. Ant. Licèt enim unum ex illis diceretur agere ut quod, aliud ut quo, unum ut inſtrumentum, aliud ut cauſa principalis, equidem cùm conſtet utrumque propriè & effectivè concurrere ad eandem viſionem, concludendum eſt componere cauſam totalem in genere cauſæ efficientis; & conſequenter ruere conſequentiam Argumenti.

Obji. 13. Detur Petro maximè intellectivo lumen gloriæ ut tria, vel producet viſionem intenſam ut tria, vel ut quatuor: ſi ut tria, nihil confert major intellectus activitas; ſi ut quatuor, non poterit lumen gloriæ ad quartum gradum concurrere, utpotè ſuperiorem ejus virtute, ſicque gradus ille erit naturalis.

Reſp. Producturum viſionem ut quatuor, ipſumque lumen ad quartum gradum concurſurum: quia licèt qualitas non poſſit producere effectum ſe perfectiorem, dum ſola operatur; id tamen poteſt, cùm agit in conſortio concauſæ perfectioris, cum qua per modum unius operatur. Et ratio eſt; quia tunc cauſa totalis participans totam perfectionem cauſarum partialium, ex quibus integratur, adæquat perfectionem ſui effectus.

Obji. Denique: Scotus 4 diſt. 50. q. 6. n. 7. & 8. videtur inſinuare voluntatem inferiorem ejuſdem meriti cum voluntate ſuperiori, habituram beatitudinem æqualem, ſaltem æqualitate qualitatis.

Reſp. Tantùm abeſt, ut Scotus ibi nobis adverſetur, ut è contrà noſtram ſatis clarè confirmet ſententiam, ait enim n. 7. *Sive ſit voluntas æqualis, charitas verò inæqualis: ſive charitas æqualis, & voluntas inæqualis, poteſt tamen in æqualem actum, probo: in effectu poteſt eſſe perfectio aliqua non ſolùm à prima cauſa, ſed etiam à ſecunda.* Ubi vult poſſe voluntatem nobiliorem cum minori charitate, & nobiliorem charitatem cum minùs nobili voluntate, producere fruitionem æqualem, quia quidquid deeſt ex parte charitatis in primo caſu, ſupplet major voluntatis perfectio, & quidquid deeſt ex parte voluntatis in ſecundo, ſupplet charitas abundantior. Nec aliud vult poſteà, ſi benè intelligatur.

QUÆSTIO X.

An Beati videant omnia in Deo formaliter contenta?

CONCLUSIO I.

BEati vident, quidquid in Deo formaliter & neceſſariò continetur, adeoque eſſentiam divinam, omnia Attributa tum poſitiva, tum negativa, relationes Perſonarum & conſequenter totam SS. Trinitatem. Hæc aſſertio eſt de fide, ſaltem quoad viſionem Perſonarum & divinæ eſſentiæ. Patet ex Florentino dicente, Deum unum & trinum videri à Beatis; imò reſolutionem noſtram quoad omnia eſſe de fide docet Suarez cum quibuſdam aliis, quia nomine Dei unius & trini intelliguntur ordinariè omnia in Deo formaliter contenta. Imò nec mihi apparet veriſimile, aliud voluiſſe Florent. nominando eſſentiam ſine Attributis: ſed quidquid ſit

Prob. Concluſio: *Videbimus eum, ſicuti eſt*, 1. Joan. 3. ſed ſi Beati viderent eſſentiam non viſis Attributis, aut perſonalitatibus, non viderent Deum, ſicut eſt: ergo. Et ideò quando D. Seraphicus Art. 1. q. 2. dicit, Beatos aliquid latere de profunditate Dei, tantùm vult Deum non cognoſci à Beatis omni modo, quo poſtulat cognoſci, idque ex parte modi cognoſcendi, non ex parte rei cognitæ.

Dixi in Concluſione: *Quidquid eſt in Deo neceſſariò*, quia de decretis liberis divinæ voluntatis dicetur infrà.

CONCLUSIO II.

BEati non vident Attributa, v. g. omnipotentiam, ſcientiam ſub omni reſpectu rationis, quem dicunt ad creaturas tum exiſtentes, tum poſſibiles.

Ratio eſt; quia cognoſcendo illos reſpectus, deberent cognoſci & eorum termini, & conſequenter omnia exiſtentia & poſſibilia, quæ, cùm ſint infinita, non poſſunt cognoſci ab intellectu finito, etiam lumine gloriæ confortato, cùm & illud ſit finitæ virtutis & activitatis. Prætereà ſi illa omnia viderent, Deum ſaltem extenſivè comprehenderent: unde illa cognitio non requiritur, ut Beati dicantur videre diſtinctè Attributa: nam ſicut ille diſtinctè cognoſcit materiam primam, qui clarè videt illam, licèt non cognoſcat diſtinctè omnes formas, quas poteſt recipere; ità etiam diſtinctè cognoſcit quis omnipotentiam divinam, quando illam clarè videt, quamvis non cognoſcat omnia per ipſa producibilia.

QUÆSTIO XI.

An per omnipotentiam divinam videri poſſit eſſentia divina, non viſis Attributis, aut perſonalitatibus, & unum Attributum ſine alio &c.

CONCLUSIO UNICA.

PEr omnipotentiam divinam videri poteſt eſſentia divina non viſis Attributis & perſonis, unum Attributum ſine alio, & una Perſona ſine alia. Ità colligitur ex Scoto 1. diſt. 1. q. 2. n. 5. quem ſequuntur Scotiſtæ omnes cum Paludano, Antonino, Salas, Granado, Alarcon, l'Herminier, & plurimis aliis contra plures Thomiſtas.

Prob. 1 Quia talis viſio nullam involvit implicantiam: non quidem quia beatifica; cùm eſſentia divina ſine Perſonis ſit adhuc objectum beatificans, utpotè ſummum bonum, & finis ultimus, quod non habet à relationibus, ſed ex eo quòd ſit ens increatum infinitè perfectum, & actus purus, quod totum provenit ab eſſentia abſoluta. Non etiam quia intuitiva; quia poteſt intuitivè videri color aliquis, & tamen non videri omnia prædicata generica qualitatis, puta, inhærentiæ & dependentiæ à Deo & ſubjecto, quæ tamen ipſi colori identificantur. Non etiam quia inadæquata; quia Beati de facto clarè & diſtinctè vident Deum, licet non cognoſcant omnes ejus reſpectus ad creaturas. Non denique quia quidditativa; quia ut ſit viſio clara & vera eſſentiæ, non debent cognoſci ejus proprietates ſivè abſolutæ, ſivè relativæ, cùm non ſint de conceptu ejus formali.

Prob. 2. Poteſt eſſentia divina perfectè intelligi, non intellecto Patre aut Filio, cùm habeat à parte rei ſuam intelligibilitatem formaliter à paternitate diſtinctam: ſed videri & perfectè intelligi confunduntur: ergo.

Prob. 3. Unio hypoſtatica terminatur ad perſonalitatem Verbi immediatè, non tamen immediatè ad eſſentiam divinam quia, ut definitum eſt in Concilio Toletano II. unio hypoſtatica non eſt facta in aliquo communi Trinitati, ſed in eo, quod eſt proprium Verbi, aliàs tota Trinitas diceretur incarnata: ſed major præciſio fieri ſolet per intellectum quàm per unionem, cùm intellectus ex vi ſua poſſit & ſoleat præſcindere, quæ præciſa non ſunt: ergo ſi unio poſſit immediatè terminari ad perſonalitatem, & non ad eſſentiam, poterit à fortiori videri eſſentia divina non viſa perſonalitate.

Dices: Ex eo quòd unio hypoſtatica terminata ad perſonalitatem Verbi, non terminetur ad eſſentiam divinam immediatè, malè infertur poſſe videri eſſentiam non viſa perſonalitate, cùm primum fiat non propter illarum diſtinctionem, ſed propter implicantiam quod humanitas ab utraque ſuppoſitetur adæquatè.

Reſp. (diſſimulata præfata implicantia, quæ alibi examinatur) negando terminationem unionis ad perſonalitatem Verbi, & non ad eſſentiam, oriri ex illa implicantia, & non ex earum diſtinctione; quia ſublata perſonalitatis & eſſentiæ diſtinctione, tollitur & implicantia; cùm tunc humanitas non ampliùs ſuppoſitetur à pluribus, ſed ab uno & eodem, cùm ſupponatur eſſe quid omninò idem à parte rei Verbi perſonalitas, & eſſentia divina.

Prob. 4. Concluſio: Natura divina communicatur Filio, non Paternitas: ſed minùs eſt videri unum ſine alio, quàm unum communicari ſine altero, quandoquidem communicatio objecti in viſione ſit tantùm intentionalis, altera realis: ergo.

Obji. 1. *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum*, Joan. 14. Ego non poteſt videri Filius ſine Patre.

Reſp. (Gratis dato quòd ibi agatur de viſione beatifica, & non de viſione per fidem, quod longè probabilius eſt) Neg. Conſeq. licet enim videns Filium videat & Patrem propter unitatem naturæ utriuſque, non ſequitur propterea quòd per omnipotentiam divinam non poſſit videri Filius ſine Patre, præſertim cùm inter illos ſit diſtinctio realis: unde quando Auguſtinus lib. 1. de Trinit. cap. 8. ait. *Sive ergo audiamus, oſtende nobis Filium, ſive audiamus, oſtende nobis Patrem, tantùm valet, quia neuter ſine altero poteſt oſtendi*, loquitur de potentia ordinaria, ſicut & quando aſſerit in Pſ. 85. *Patris & Filii non poteſt ſeparari viſio, ubi non ſeparatur ſubſtantia & natura.*

Inſt. 1. Ratio, quæ in prædictis teſtimoniis adducitur, eſt identitas omniũ divinorum in una & eadem eſſentia: ſed de potentia Dei abſoluta non poteſt mutari illa identitas: ergo nec de eadem potẽtia videri unum ſine alio, adeoq; nec Pater ſine Filio.

Reſp. Diſt. Ma. Eſt identitas divinorum præciſè: N. identitas divinorum ſimul intellectui beato exhibitorum: C. Undè ſi inferret Auguſtinus (idem eſt de D. Thoma ab Adverſariis in oppoſitum citato) inſeparabilem viſionis unius Perſonæ ab alia propter ipſarum naturæ identitatem, inferre etiam deberet, communicata Filio à Patre eſſentia divina, communicari & Paternitatem, cùm hæc ſit eſſentiæ divinæ identificata. Ratio igitur viſionis inſeparabilis eſt decretum divinum, quo ſtatuit Deus tres perſonas in natura divina identificatas ſimul exhibere videndas, quibus ſic exhibitis, non poteſt intellectus, utpotè potentia naturalis & neceſſaria illas non videre. Attamen cùm Deus in ſui manifeſtatione ſit liberrimus, poteſt, abſolutè loquendo, ſecundùm unam rationem ſe oſtendere, & non ſecundùm aliam formaliter diſtinctam: quo caſu ſeparabitur viſio. Præterea dici poteſt viſo Filio, non poſſe non videri Patrem, ut Deus eſt; quia Patris & Filii, ut Deus ſunt, eadem eſt prorſus eſſentia, licèt ut Perſonæ ſunt, diverſa habeant conſtitutiva, ſicque poſſit videri una ſine alia, ubi ſeparatim exhiberentur.

Inſt. 2. Non poteſt, etiam per omnipotentiam divinam videri filius, quin videatur Pater ut Pater cùm ut ſic ſit ejus correlativus, correlativa autem ſint ſimul cognitione.

Reſp. Neg. Aſſumpt. Et dico correlativa eſſe quidem ſimul cognitione, non tamen eadem cognitione, quaſi verò cognoſcens unum intuitivè, deberet & aliud intuitivè cognoſcere: quod tamen requiritur ad utriuſque viſionem. Sufficit ergo, ut, cognito uno correlativorum, cognoſcatur aliud vel intuitivè: vel abſtractivè, vel explicitè, vel implicitè: & certè numquid poſſum cognoſcere perfectè patrem Tornaci habitantem, licèt non cognoſcam perfectè filium habitantem Inſulis?

Inſt. 3. Non poteſt Deus cognoſcere eſſentiam ſuam, qui cognoſcat intuitivè ſuas perſonalitates: ergo nec beatus Filium, quin cognoſcat intuitivè Patrem.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt quòd cognitio divina tam ex parte ſubjecti, quã objecti ſit neceſſariò infinita, adeoque cognitio totius intelligibilis: quod non competit creaturæ.

Inſt. 4. Si creatura videret eſſentiam ſine perſonalitatibus, non videret Deum, ſicuti: ergo &c.

Reſp. Diſt. Ant. Non videret, ſicuti eſt, quoad omnia: C. ſicuti eſt, quoad illud, quod videretur: N.

Inſt. 5. Si creatura non videret Deum quoad omnia, videret ens imperfectum, ſed hoc implicat: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Videret ens imperfectum, ideſt, ens ſine omnibus ſuis perfectionibus, v. g. ſapientia, juſtitia &c. C. ideſt ens habens aliquam imperfectionem: N.

Inſt. 6. Si videretur eſſentia divina ſine omnibus ſuis perfectionibus, viſio eſſet abſtractiva, adeoque non beatifica.

Reſp. Diſt. Aſſumpt. Eſſet abſtractiva, ideſt præſcindens ab aliquibus formalitatibus: C. ideſt, præſcindens ab exiſtentia objecti: N. illa enim ad viſionem intuitivam, qualis eſt beatifica, neceſſariò requiritur.

Inſt. 7. Si ad viſionem requiratur exiſtentia objecti, ſequitur quòd non poſſit videri eſſentia divina ſine *Perſonis*, quandoquidem exiſtat in illis.

Reſp. Neg. Sequel. Quia aliud eſt videre aliquid exiſtens, & aliud videre, in quo illud exiſtit.

Obji. 2. Non poteſt videri quid indiviſibile, niſi totum videatur; ſed eſſentia divina cum Attributis & perſonalitatibus eſt quid indiviſibile, & omninò ſimplex: ergo.

Reſp. 1. Retorquendo Argumentum: non poteſt communicari indiviſibile, niſi totum communicetur, ſed eſſentia divina cum Attributis &c. eſt omninò ſimplex: ergo non poteſt communicari eſſentia Filio, niſi & communicetur paternitas: quod falſiſſimum eſt.

Reſp. 2. Diſt. Ma. Non poteſt videri quid indiviſibile realiter & formaliter, niſi &c. Tranſeat. Indiviſibile realiter, & formaliter diviſibile, qualis eſt Deus, inter cujus eſſentiam & proprietates datur diſtinctio formalis: N.

Obji. 3. Si poſſet videri eſſentia ſine perſonalitatibus, poſſet quis eſſe beatus, & non eſſe. Beatus quidem, quia videret ſummum bonum; non beatus autem; quia illius appetitus non plenè ſatiaretur, utpotè qui ulterius appeteret viſionem myſterii SS. Trinitatis.

Reſp. Quòd appetitus eſſet ſatiatus; quia ſicut appetitus elicitus cujuſcumque Beati plenè & totaliter ſatiatur quocumque gradu viſionis correſpondente ſuis meritis, juxtà illud Pſ. 16. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua*; ità & ſatiaretur videns eſſentiam ſine perſonalitatibus. Cujus ratio ulterior eſt, quòd appetitus ſit ſummè rectus & conformis divinæ voluntati in Patria, adeoque non poſſit appetere ultra gradum aut modum à divina regula taxatum.

Obji. 4. Non poteſt una Perſona movere ad ſui viſionem ſine alia: ergo nec ſine alia videri. Prob. Ant. Quia actio Dei ad extra, qualis eſt motio illa, communis eſt toti Trinitati.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia licèt unica Perſona videretur, omnes tamen Perſonæ concurrerent ad illam viſionem; cùm Deus moveat ad ſui viſionem per voluntatẽ tribus Perſonis communẽ: unde unica quidem Perſona beatificaret paſſivè, ideſt terminaret viſionem beatificã; omnes tamen ſimul beatificarent activè, ideſt, producerent viſionem activam. Simile quid reperitur in

In-

Digitized by Google

Incarnatione, quæ activè ſumpta pro actione Incarnativa, convenit tribus Perſonis, ſumpta tamen paſſivè, ſeu terminativè, ſoli Perſonæ ſecundæ competit.

Obj. 5. Non poteſt videri Perſona ſine eſſentia: ergo nec eſſentia ſine Perſona.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt quòd Perſona intrinſecè conſtituatur ex natura divina, non autem natura ex Perſonis. Poſſet tamen videri perſonalitas ſine eſſentia; cùm ab illa formaliter diſtinguatur, ſitque ab illa ſeorſim intelligibilis. Fatendum tamen viſionem illam non fore beatificam; quia objectum illud, ut ab eſſentia diſtinctum, non eſt beatificum, eum perſonalitas formaliter ſumpta non ſit ſummum bonum, ſed produens à ſummo bono; imò ut ſic non importat perfectionem ſimpliciter, ut ſuo loco dicemus: & eſto, importaret infinitam in ſuo genere, ſicut infinitam in genere ſapientiæ importat ſapientia, ut ab eſſentia formaliter diſtincta, & ſic alia Attributa; quia tamen objectum beatificans debet eſſe infinitum in omni genere perfectionis, nec perſonalitas ſola, nec Attributum ſolum beatificaret, licèt unica Perſona beatificaret, eo quòd importet quælibet eſſentiam divinam.

Obj. 6 Non poteſt videri Joannes, Joanne non viſo: ſed tanta eſt identitas inter eſſentiam & perſonalitates, quanta inter Joannem & Joannem: ergo.

Reſp. Neg. Min. Quia inter Joannem & Joannem eſt identitas & realis & formalis; inter autem eſſentiam & perſonalitates tantùm realis, non formalis.

Obj. 7. Videns eſſentiam divinam, videt eſſe communicabilem tribus perſonis: ergo non poteſt illa videri, niſi hę videantur.

Reſp. Diſt. Conſeq. Niſi hæ videantur, ideſt, niſi cognoſcantur clarè & diſtinctè: N. niſi cognoſcantur abſtractivè: C. unde non debent aliter cognoſci Perſonæ, ut intuitivè cognoſcatur eſſentia quàm filius humanus, ut intuitivè cognoſcatur pater, de quibus dictum eſt ſuprà. Pro confirmatione Concluſionis noſtræ

Adverte quòd, ſi non poſſet videri eſſentia divina quin viderentur neceſſariò omnia ipſi identificata, etiam non poſſet videri Deus, quin viderentur omnes creaturæ poſſibiles in particulari; nam cùm in Deo ſit formaliter ſcientia quatenùs repræſentativa cujuſlibet creaturæ poſſibilis in particulari, videns Deum, neceſſariò videret formaliter & diſtinctè ſciētiam illam, adeoque omnes creaturas poſſibiles in particulari; cùm implicet videre diſtinctè imaginem ut repræſentativam alicujus in particulari, quin & illud particulare diſtinctè cognoſcatur.

QUÆSTIO XII.

An, & quomodo Beati videant creaturas in Verbo?

CONCLUSIO I.

Beati de facto vident aliquas creaturas in Verbo ex vi ſtatus beatitudinis, ſive interim illas videant formaliter, ſive cauſaliter: quod diſcutietur Concluſione ſequenti.

Prob. 1 Ex Concilio Provinciali Senonenſi, Decreto fidei 13. ubi damnando errorem Lutheri & aliorum aſſerentium, quòd Sancti non ſint invocandi, eo quòd Orationes noſtræ ſint ipſis ignotæ, ait *Hoc facilè intelliget, qui Beatis pervium eſſe non ignorat uniforme illud divinitatis ſpeculum, in quo quidquid eorum interſit, eluceſcit.*

Prob. 2a PP. Gregor Magno lib 2 moral. c. 2. *Quid enim de his, quæ ſcienda ſunt, neſciunt, qui ſcientem omnia ſciunt*; Auguſtino 11 de Civit c 29. ubi enumeratis variis creaturarum generibus, ſubdit: *Omnia hæc aliter in Verbo Dei cognoſcuntur ab Angelis, aliter in ſeipſis, illic clariore, hic obſcuriore cognitione* &c. Primam autem cognitionem, quam dicit clariorem, vocat alibi matutinam; ſecundam verò, quam dicit obſcuriorem, veſpertinam appellat. Item ex D Bernardo 5 de Conſider. c. 1. *Videt*, ſcilicet Beatus, *Verbum & in Verbo facta per Verbum*. Denique ex D. Seraphico, qui Soliloq c. 4. non minùs doctè quàm eleganter ait: *O anima, quæ naturaliter ſcire deſideras, hoc ſpeculum, divinitatis, videre affecta, in illo ſtudere & legere deſidera; quia hoc ſemel vidiſſe eſt omnia didiciſſe. Ibi revera videbitur & reputabitur ſtultitia, Platonis Theoria, Ariſtotelis Philoſophia, Empedoclis Theoremata, Hypocratis ſcrutinia, Ptolomæi aſtrologia.* Hinc

Reſolve quòd, ſicut Beatus poteſt tripliciter conſiderari, 1. ut elevatus ad ordinem gratiæ. 2. Ut pars Univerſi. 3. Ut talis perſona particularis, v.g. Papa, Imperator, Epiſcopus, Religionis Fundator &c. Etiam tria cognoſcat.

1. Videt omnia myſteria, quæ hic per Fidem credidit, gratiam, lumen gloriæ, ſuam prædeſtinationem, myſterium Trinitatis, Incarnationis, Euchariſtiæ, Reſurrectionis &c. quia viſio beatifica correſpondet Fidei: unde Auguſtinus 20. de Civit. Cap. 21. *Quid videbimus, niſi Deum, & omnia illa, quæ nunc non videmus credentes?* Non eſt tamen neceſſe, ut videat illa myſteria quoad omnes circumſtantias loci & temporis, ut patet de die judicii, de quo Mar. 13. dicitur: *De die autem illa nemo ſcit, neque Angeli in cœlo*: neque quoad omnia individua, in quibus complentur, v. g. omnes omnino hoſtias, in quibus completur Euchariſtia. Cenſent tamen DD. quemlibet Beatorum viſurum illa individua, quæ ſpecialia fuerunt inſtrumenta Dei ad exequendum ordinem gratiæ, v. g Humanitatem Chriſti, B. Virginem, Apoſtolos, Prophetas, &c. An autem Beati viſuri ſint intuitivè omnia Scripturarum arcana, omnes Prophetias, figuras, ſenſus myſticos, Eccleſiæ Traditiones & definitiones, ut aſſerit Leſſius? Res eſt incerta.

2. Videt omnia genera, omneſque ſpecies creaturarum tam ſpiritualium, quàm corporalium; imò omnia ſingularia, quæ per ſe ſpectant ad pulchritudinem Univerſi, & ſunt partes illius principaliores, ut Solem, Lunam; quodlibet Cœlum, imò quaſlibet Stellas & Sydera, denique totum ordinem Univerſi. Nec improbabile eſt videre omnia, quæ in mundo geruntur exteriùs, aut geſta ſunt; licèt ſit incertum.

3. Videt quilibet Beatus omnia, quæ ad ſuum ſtatum pertinent, ſive ſint actus liberi, ſive neceſſarii, ſive naturales, ſive ſupernaturales, ſive contingant in hac vita, ſive in altera, ut Papa quæ ad totam Eccleſiam, Epiſcopus quæ ad ſuam Diœceſim. Fundator quæ ad ſuam Religionem, Rex quæ ad ſuum Regnum, Pater-familias quæ ad ſuam familiam. Item videt omnes preces, quæ ad ipſum in hac vita funduntur, ut docent omnes Theologi.

Nec indè ſequitur, quòd unus Sanctus poſſit eſſe beatior altero maxima ſanctitate prædito, ſi nempe plura ad illius ſtatum pertineant; quia major beatitudo non petitur ex viſione plurium creaturarum, ſed ex majori intenſione & claritate, qua Deus in ſe videtur, prætereà poteſt Deus illud compenſare, oſtendendo illi loco rerum ad ſe non pertinentium, plurima alia, quæ alteri non manifeſtat.

CONCLUSIO II.

Licèt Beati creaturas videre poſſint in Verbo cauſaliter, illas tamen de facto vident illo formaliter. Ita Alenſis, D. Thomas, D. Bonav. Scotus, & alii communiter contrà Nominales, & Vaſquez, qui volunt creaturas tantùm poſſe videri in Verbo cauſaliter. Sed ante probationem

Adverte, creaturas videri in Verbo formaliter, eſt ipſas cognoſci eadem viſione & eodem lumine, quibus videtur ipſum verbum; ità tamen ut Verbum ſit ſubjectum formale ſeu proxima ratio illas cognoſcendi, adeoque in ſe viſum, tanquam medium ducat in illarum cognitionem. Videntur autem cauſaliter, quando non cognoſcuntur cognitione Verbi, ſed alia per revelationem habita extra Verbum, & per ſpecies infuſas, quæ dantur à Deo intuitu viſionis beatæ. Ex qua definitione patet locutionem illam *Videre in Verbo cauſaliter*, eſſe impropriam; eùm ſit videre extrà Verbum.

Prob. 1. Pars Concluſionis; quia Beati poſſunt aliqua videre ſucceſſu temporis, quæ non viderunt initio beatitudinis: ſed non vident illa in Verbo formaliter, quandoquidem viſio beata, utpotè invariabilis & ſemper eadem, non creſcat ſucceſſu temporis, ut indicat Scotus 3. diſt. 14. q. 2. n. 3 & ejus Præceptor Auguſtinus lib. 15. de Trinit. c. 16. ubi ait: *Non erunt*, ſcilicet in cœlo, *volubiles noſtræ cogitationes ab aliis in alias euntes & redeuntes, ſed omnem ſcientiam noſtram ſimul uno conceptu videbimus:* ergo cauſaliter, ſeu per ſpeciales illuminationes & revelationes extrà Verbum. Major conſtat ex Scriptura Danielis 10. ubi Angelus Perſarum & Angelus Judæorum dicuntur altercari & litigare, quia necdùm noverant Dei voluntatem circà liberationem Judæorum, quam poſteà noverunt.

Prob. 2. Pars 1. ex PP. Concluſione 1 citatis, ac particulariter ex Auguſtino lib. 4. de Gen. ad litteram Cap. 23. ubi duas ponit in Angelis cognitiones creaturarum unam, qua ipſas vident in Verbo, veſpertinam alteram, qua ipſas in ipſarummet natura cognoſcunt. Dicere autem creaturas videri in Verbo per hoc, quòd Verbum viſum producat illarum viſionem in Beatis ipſum videntibus, eſt impropriè loqui, cum, ut diximus, ſit potiùs videre extra Verbum.

Prob. 2. Deus cognoſcendo ſeipſum, cognoſcit creaturas: ergo & Beati ipſum videndo, vident illas: non quidem omnes, ſicut Deus, ſed paucas vel multas, prout voluerit Deus ipſe, qui eſt ſpeculum voluntarium non tantùm in repræſentatione ſui, ſed etiam creaturarum in ſe contentarum.

Prob. 3. Poſſumus unica viſione ita videre ſpeculum & res in illo repræſentatas, ut ſpeculum ſit ratio videndi ipſas res, ut patet experientia: quidni ergo poſſet Beatus unico actu ita videre ſpeculum divinitatis, & creaturas in ipſo repræſentatas, ut ipſa divinitas eſſet ratio cognoſcendi creaturas?

Dixi in Concluſione: *In Verbo*, & non in Deo; quia ea opera, quæ ad cognitionem pertinent, tribuuntur ſpecialiter Verbo: ſicut illa, quæ ſpectant ad amorem, tribuuntur Spiritui Sancto.

Obji. 1. Si creaturæ viderentur in Verbo formaliter, viderentur in illo, ut ſupponitur, & non viderentur, quia nihil videretur à Deo diſtinctum.

Reſp. Quòd verè & propriè viderentur ſecundùm aliquid à Deo diſtinctum: quod ut intelligas

Adverte creaturis competere duplex eſſe, unum in Deo, quod eſt eminentiale, ideale & intelligibile; aliud extra Deum, & in ſeipſis, quod eſt proprium & formale, quod habent, ſi ſint actuales; vel habere poſſunt, ſi ſint poſſibiles. Prius eſſe eſt increatum, infinitum, & à Deo indiſtinctum: & conſequenter ſi creaturæ tantùm viderentur ſecundùm illud eſſe, nihil videretur à Deo diſtinctum. Poſterius eſſe, eſt creatum, finitum, & à Deo diſtinctum; & ſecundùm illud videntur.

Inſt. 1. Illud eſſe proprium, non eſt in Deo: ergo non videntur in Deo ſecundùm illud.

Reſp. Diſt. Ant. Non eſt in Deo formaliter: C. repræſentativè: N. nam cùm ratio formalis repræſentandi creaturas ſit magna perfectio ſine imperfectione aut repugnantia, non eſt Deo deneganda.

Inſt. 2. Quod non eſt in aliquo formaliter, non poteſt videri in illo formaliter: ergo.

Reſp. Neg. Ant. Petrus enim v. g. videtur formaliter in ſpeculo, licèt non ſit formaliter in illo: undè ad videndum aliquid formaliter in alio, ſufficit quòd ſit in illo vis determinativa ſimul ad viſionem alterius, qualis eſt in Verbo.

Inſt. 3 Si illud eſſe non ſit in Deo formaliter, cognitio creaturarum, ſaltem poſſibilium, non erit intuitiva, cùm illæ non exiſtant, adeoque nec viſio: ſed implicat viſionem beatificam non eſſe viſionem: ergo.

Reſp. Diſt. Maj. Non erit viſio, quatenùs eſt creaturarum poſſibilium: C. nam viſio dependet ab exiſtentia objecti. Quatenùs eſt objecti primarii, nempè Dei, à quo viſio illa dicitur beatifica: N. non implicat autem eandem cognitionem duorum objectorum eſſe intuitivam reſpectu unius, & non intuitivam reſpectu alterius, ſi nempè unum exiſtat, aliud non. Nihilominùs etiam creaturæ poſſibiles dicuntur videre in Verbo, quia earum cognitio eſt eminenter viſio; cùm clariùs & perfectiùs cognoſcantur in Verbo, quàm cognoſcerentur in ſeipſis exiſtentibus.

Obji. 2. Si creaturæ eſſent impoſſibiles, Deus eſſet idem quàm nunc: ſed tunc non eſſet ratio formalis videndi creaturas: ergo neque nunc.

Reſp. Neg. Ma. Quia in illo ſuppoſito impoſſibili careret aliqua perfectione ſimpliciter ſimplici, quam nunc habet, nempè ſpeciali infinitate in repræſentando, quæ revocari poteſt ad infinitam Dei viſibilitatem, qua ſic eſt viſibilis, ut illo viſo creaturę videri poſſint.

Obji 3. Si eſſentia divina eſſet ratio cognoſcendi creaturas, omnes videntes Deum, ſaltem æquè perfectè, cognoſcerent eaſdem præciſè creaturas, nec unus plures aut pauciores, quàm alter: ſed hoc nemo dixerit: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Si eſſentia divina ſola: C. ſi eſſentia divina accedente voluntatis determinatione: N. Cùm autem dicimus eſſentiam divinam eſſe rationem cognoſcendi creaturas, ſuppònimus adeſſe voluntatem Dei eſſentiam ad has vel illas, paucas vel multas repræſentandas determinantis: unde quando Scotus negat, eſſentiam divinam eſſe rationem cognoſcendi creaturas, loquitur de eſſentia ſola, non de eſſentia cum voluntate, ut patet ex antea dictis.

Obji. 4. Eſſentia divina eſt quid abſolutum: ſed abſolutum ut ſic non poteſt eſſe ratio cognoſcendi aliud: ergo.

Reſp. Neg. Min. Et certè numquid imago Cæſaris eſt medium cognoſcendi Cæſarem ratione ſui coloris, figuræ, lineamentorum &c. quæ omnia ſunt abſoluta? Sufficit ergo, ut aliquid ſit medium cognoſcendi aliud, quòd habeat connexionem cum illo, vel illud eminenter contineat. Eſſentia autem divina non tantùm continet eminenter creaturas, ſed etiam habet cum illis neceſſariam connexionem, dependentiæ quidem ex parte creaturarum, ſuperioritatis autem ex parte ſui.

QUÆSTIO XIII.

Seu variæ Quæſtiunculæ de viſione beatifica.

PEtes 1. An habentes intenſius lumen gloriæ, plures & perfectiores creaturas videant in Verbo, quàm habentes minùs intenſum;

Reſp. Poſſe fieri; non tamen ex vi ipſius luminis; nam cùm ſit ejuſdem rationis in omnibus, & non differat niſi ſecundùm intenſionem & remiſſionem intrà eandem ſpeciem, non poteſt efficere, ut videantur potiùs centum creaturæ quàm mille, Angeli potiùs quàm homines, ſed benè quòd unum obiectum magis vel minùs clarè videatur; unde differentia viſionis creaturarum petenda eſt ex voluntate Dei, qui non obſtante intenſiſſimo lumine gloriæ, poteſt creaturas paucas, imò nullas videndas exhibere.

Petes 2. Cur quilibet Beatus non videat omnes omninò creaturas in Verbo?

Reſp. Cùm beatitudo tantùm debeat eſſe rationabiliter ſatiativa, ratio autem non exigat, ultra Deum & memorata in Concluſione 1. plura cognoſcere; hinc eſt quòd Deus ſatiare cupiens appetitum rationalem, & non merè curioſum, certa exhibeat videnda, non omnia.

Petes 3. An implicet, Beatum videre omnes omninò creaturas, etiam poſſibiles? Affirmant aliqui hoc nixi fundamento, quòd omnipotentiam divinam comprehenderet; cùm hæc tamen ſit æquè incomprehenſibilis intellectui creato, ac ipſa eſſentia divina; ſed;

Reſp. Neg. Quia viſio illa non foret comprehenſiva omnipotentiæ divinæ: licèt enim eſſet cognitio omnium quæ in illa formaliter, eminenter, & virtualiter continentur, non tamen ſecundùm omnes gradus illius cognoſcibilitatis, ità ut actus intelligentis eſſet commenſuratus intelligibilitati totius objecti: unde quando Auguſtinus aſſerit Epiſt. 112. cap 8. *Res comprehenditur, cùm ità videtur, ut nihil ejus lateat videntem*, ſic intelligendus venit, ut res comprehenſa non ſolùm tota, ſed & totaliter cognoſcatur, & ideò lib. 12. de Civit. cap. 18. *Illud ſcientia comprehenditur*, inquit, *quod ſcientis comprehenſione finitur*, ità ut quaſi finiatur & exhauriatur objecti intelligibilitas. Plura vide ſup. de incomprehenſibilitate Dei. Aliam implicantiam ingerunt alii, quòd nempè intellectui finito deberet eſſe infinita vis intelligendi. Sed ſi poſſit intellectus finitus cum vi finita videre objectum infinitum, quidni, & objecta in multitudine infinita, cùm hæc & illud videret modo finito? Hoc quidem non concedimus intellectui viatoris; ſed propter concomitantiam phantaſiæ tunc intellectum ad plura diſtrahentis: quod non accidit in Patria, ubi intellectus à ſenſibus liber, & ab objecti primarii viſione roboratus, longè majorem habet attentionem.

Petes 4. An Beati videant in Verbo Decreta Dei ſibera?

Reſp. Videre aliqua, non omnia. Ratio eſt; quia cognitio aliquorum, non omnium, pertinere poteſt ad eorum ſtatum, eorumque conſolationem rationabilem. Credibile eſt autem Decreta illa videre eadem viſione, eodemque gloriæ lumine, quo Deum vident; cùm lumen illud habeat vim manifeſtandi & Deum, & ea quæ ſunt in Deo, ubi noluerit Deus ea occultare; & conſequenter ſuperfluit revelatio divina extra Verbum, quam requirunt aliqui. Eſt autem diſcrimen inter cognitionem actuum liberorum, & cognitionem creaturarum, quòd creaturæ non videantur immediatè in ſeipſis, ſed in Verbo tanquam medio priùs cognito; decreta autem Dei libera immediatè in ſeipſis. Cujus ratio eſt, quòd ipſa Decreta ſint realiter aliquid eſſentiæ divinæ, non ſic creaturæ, & ſic non eſt mirum, quòd videns eſſentiam, immediatè videat decreta, creaturas verò, tantùm mediatè.

DISPUTATIO QUINTA.

De Intellectu & Scientia DEI.

LIcèt D. Thomas & Scotus non tractent hic ex profeſſo de intellectu & intellectione Dei, ſed tantùm de ipſius ſcientia; quia tamen varia de illis intermiſcent, & aliundè principium ſcientiæ ſit ipſe intellectus, non incongruè pauca de intellectu divino præmittemus.

QUÆSTIO I.

An Deus habeat intellectum, qualem, & qualiter ab eſſentia & intellectione diſtinctum?

CONCLUSIO I.

DEus habet intellectum. Eſt de Fide.

Prob. Tum ex Scriptura Pſ. 32. *Qui intelligit omnia opera eorum.* Et Pſ. 138. *Intellexiſti cogitationes meas de longè*, undè

Pſ. 91.

Digitized by Google

Pſ. 93. dicentes: *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob*, vocantur *inſipientes*, *& ſtulti*. Dum ex Conciliis & Patribus aſſerentibus Filium in divinis procedere per intellectum; tum etiam ratione, quia intellectus eſt perfectio ſine imperfectione, adeòque Deo tribuenda.

Dices 1. Io Script. Deus dicitur *iraſci*, & tamen non habet iram: ergo quamvis dicatur *intelligere*, non ſequitur, quòd habeat intellectum.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd ita non ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, ſicut eſt intellectus, & ideò colligimus *iraſci* ſumi ibi impropriè, non *intelligere*.

Dices 2. D. Dionyſius de divinis Nom. Cap. 7. ſic habet: *Quomodo enim intelliget aliquid intelligibilium, non habens intellectuales operationes?*

Reſp. Negare Deo intellectionem per defectum, ſeu defectibus admixtam; non tamen per exceſſum, ſeu excellentiorem intellectione creata; unde D. Thomas 1. diſt. 35. q. 1. art. 1. ad 1. *Protanto ergo negatur nomen intellectus Deo propriè convenire, quia non per modum creaturæ intelligit, ſed eminentius.*

CONCLUSIO II.

Intellectus divinus eſt infinitè intellectivus. Eſt etiã de Fide.

Prob. 1. Deus ſeipſum comprehendit, non tantùm extensivè, ſed etiam intenſivè: atqui habet intelligibilitatem infinitam: ergo & intellectivam etiam infinitam, cùm requiratur ad comprehenſionem omnimodam, ut tanta ſit intellectivitas intelligentis, quanta eſt intelligibilitas objecti intelligibilis.

Prob. 2. Deus eſt ſimpliciter infinitus in tota latitudine entis: ergo & in virtute intelligendi. Hinc

Reſol. 1. Intellectum divinum continere, & infinitè ſuperare omnem omninò perfectionem, quam habent, habuerunt, & habebunt omnes intellectus actuales ſimul tum angelici, tum humani, tum etiam poſſibiles, angelicis longè perfectiores.

Reſol. 2. Ab intellectu divino abeſſe, quidquid habet vel umbram imperfectionis, adeoque oblivionem, recordationem, dubium, opinionem, cognitionem confuſam, habitus facilitantes deliberationem, diſcurſum formalem &c. illa enim omnia imperfectionem & limitationem intelligentis denotant.

CONCLUSIO III.

Intellectus divinus diſtinguitur formaliter tum ab eſſentia, tum ab intellectione. Eſt Scoti variis locis.

Primam partem (quam ſufficienter probavimus diſp. 2. q.) confirmat Doctor noſter 1. diſt. 13. n. 19. ubi ait: *Intellectus formaliter non eſt voluntas ex natura rei: ergo pariter eſſentia propter paritatem rationis.* Et certè ſi juſtitia, bonitas, & alia Attributa diſtinguantur formaliter ab eſſentia, quidni etiam ſimiliter diſtingueretur intellectus?

Prob. 2. Pars; quia plura verificantur de intellectu divino, quæ intellectioni actuali non conveniunt: intellectus enim eſt principium intellectionis, non ipſa intellectio; Verbum divinum producitur per intellectum, non per intellectionem, cùm ipſummet ſit intellectio actualis, ſaltem notionalis: intellectus denominat Deum intellectivum, intellectio intelligentem, priuſque concipimus Deum habentem intellectum, quàm actualiter intelligentem: undè intellectus eſt actus primus intelligendi, ſeu activitas ad percipiendum objectum; intellectio verò eſt actus ſecundus ſeu actualis objecti perceptio, ſaltem ſecundùm modum noſtrum concipiendi. Pro ſolutione Objectionum.

Adverte 1. Intellectum in Deo non eſſe potentiam productivam & receptivam intellectionis; nam ubi eſt vera productio, ibi eſt & realis diſtinctio; ſed eſt potentia illius operativa, vel potiùs eſt perfectio, ex tanquam radice alia perfectio, nempè intellectio, metaphyſicè profluit, eo ſcilicèt modo, quo Attributa divina emanant ab eſſentia. Ex quo patet ulteriùs, intellectionem divinam non eſſe qualitatem accidentalem, quæ intellectum, à quo producitur, & in quo recipitur, accidentaliter perficiat, ſed realiter eſſe ipſammet eſſentiam divinam, & ipſummet intellectum, licèt formaliter ab hoc & illa diſtinguatur: undè quando aliqui PP. negant intellectionem in Deo, loquuntur de illa tanquam qualitate diſtincta; ſicut loquuntur de potentia productiva & receptiva, quando negant in eodem intellectum.

Adverte 2. Licèt diſtinguatur formaliter intellectus ab intellectione, non eſſe tamen in potentia ad illam: ſicut enim eſſentia divina non dicitur in potentia ad ſua Attributa, à quibus formaliter diſtinguitur, ità nec intellectus ad intellectionem, ſed eſt actus purus non ultimus ad actum ulteriorem ſibi realiter identificatum.

Adverte 3. Non incongruè poni inter eſſentiam & intellectionem potentiam intellectivam; nam cùm eſſentia ſit principium generale omnis perfectionis attributalis, debet determinari per principium particulare ad hanc potiùs quàm illam. v. g. per intellectum ad intellectionem potiùs quàm ad volitionem: & certè ſi intellectus eſſentiæ formaliter additus ſuperflueret (idem eſt de voluntate) idem eſſet principium immediatum utriuſque proceſſionis ad intra, nempè eſſentia; cùm tamen Theologi omnes aſſerant, unam eſſe per intellectum, alteram per voluntatem.

Adverte 4. Quando Scotus dicit, eſſentiam, ut eſſentiam, eſſe principium intellectionis & volitionis, loqui de principio mediato & radicali, in quantum eſſentia eſt realiter & formaliter ipſa intellectualitas, quæ eſt radix ipſius intellectus, ſicut & voluntatis. Sed pro illa radice ſumit intellectum & voluntatem quando negat eſſe Attributa, & vult eſſe perfectiones quaſdam intrinſecas in eſſentia; quandoquidem loquendo alibi de intellectu formaliter, dicat non eſſe eſſentiam formaliter ex natura rei.

QUÆSTIO II.

Quodnam ſit objectum intellectus divini?

Suppono 1. Intellectum Dei eſſe potentiam neceſſariam, adeòque non tantùm poſſe, ſed de facto & neceſſariò intelligere, quidquid eſt objectum illius.

Suppono 2. Objectum intellectus divini aliud eſſe adæquatum, aliud inadæquatum: aliud motivum, aliud terminativum: aliud primarium, aliud ſecundarium. His ſuppoſitis.

CONCLUSIO I.

Objectum adæquatum intellectus divini, eſt omne intelligibile. Patet tum ex Script. Eccli. 42. *Cognovit Dominus omnem ſcientiam*. Eſther 14. *Domine, qui habes omnium ſcientiam*. Hebræor. 4. *Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus*. Tum ex D. Dionyſ. de divin. Nom. c. 7. *Seipſam ergo noſcens divina ſapientia, novit omnia*. Tum etiam ratione; quia perfectius eſt (adeoque Deo tribuendum) omnia omninò intelligere, quàm tantùm aliqua. Hinc

Reſol. 1. Deum ſeipſum cognoſcere, imò & comprehendere quoad omnes perfectiones ſibi intrinſecas: unde eſt illud 1. Corinth. 2. *Quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi Spiritus Dei*.

Reſol. 2. Deum cognoſcere omnes creaturas etiam minimas. Patet ex Script. ad Hebr. 4. *Non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus*; & ideò quando 1. Cor. 9. dicitur: *Nunquid de bobus cura eſt Deo*, non excluditur à Deo cognitio animalium, cùm Matth. 10. legatur: *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt? & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro*; ſed tantùm oſtenditur, non eſſe eandem irrationabilium, & rationabilium providentiam; cùm irrationabilia gubernet propter hominem; hunc verò propter beatitudinem ſupernaturalem.

Reſol. 3. Noſſe omnia mala & naturæ ut monſtra, & culpæ, ſeu peccata: de illis dicitur Sap. 8. *Monſtra ſcit, antequam fiant*; de his verò Amos 3. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit*, ideſt, permiſerit. Undè quando Habacuc 1. dicitur: *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum*, tantùm inſinuatur, illud non cognoſcere ſcientia approbationis, ſed reprobationis.

Reſol. 4. Etiam penetrare occultiſſimas hominum cogitationes juxta illud 1. Paralip. 28. *Omnia corda ſcrutatur Dominus, & univerſas mentium cogitationes intelligit*.

Reſol. 5. Deum ſimiliter cognoſcere negationes & privationes, imò & entia rationis: illas quidem modo negativo, v. g. cæcitatem, cognoſcendo oculos ſine potentia proxima ad videndum: hæc verò ut à nobis fabricata, vel etiam cognoſcendo aliqua non eſſe, quæ finguntur eſſe.

Reſol. 6. Quòd Deus etiam cognoſcat omnes creaturas poſſibiles, non tantùm ſecundùm illud eſſe eminens & increatum, quod habent in Deo, ſed etiam ſecundùm eſſe proprium & particulare, quod ſingulæ in ſe ipſis habere poſſunt: quod à fortiori verum eſt de creaturis aliquando futuris. Ratio eſt; quia creaturæ ſecundùm eſſe, quod habent, aut habere poſſunt in ſe ipſis, ſunt verè cognoſcibiles; & conſequenter à Deo, quia omnia cognoſcit, cognoſcuntur quoad illud eſſe. Et certè ſi tantùm cognoſcerentur ſecundùm illud eſſe increatum, quod habent in Deo; non creaturæ, ſed Deus ipſe cognoſceretur.

Nec refert 1. Quòd creaturæ poſſibiles, ut poſſibiles, non habeant ullum eſſe actu, niſi in Deo; quia ſufficit, quòd habeant eſſe poſſibile ſeu in potentia: nam ſi Deus agnoſcat res præteritas ſecundùm eſſe quod habuerunt in ſeipſis, & futuras

ſecundùm eſſe quod habituræ ſunt, quidni cognoſceret poſſibiles ſecundùm eſſe, quod habere poſſunt?

Nec refert 2. Quòd eſſe poſſibile non poſſit movere Deum ad ſui viſionem; quia Deus non movetur ad cognitionem creaturarum à creaturis, ſed à ſua eſſentia, quæ habet vim illas repræſentandi intellectui divino perfectiori modo, quàm repræſenteutur in ſemetipſis: unde creaturæ reſpectu intellectionis divinæ non habent rationem objecti motivi, ſed ſolùm terminativi, & quidem ſecundariò, à quo proinde intellectio divina nec ſpecificatur, nec dependet, ſaltem intrinſecè, ſed ab eſſentia divina, à qua tanquam objecto motivo dicitur beatifica, neceſſaria, immutabilis, divina, increata, etiam quando terminatur ad creaturas.

Nec refert 3. Quòd Auguſt. lib 83. q. 46. dicat, *Deum nihil extrà ſe intueri*; quia tantùm vult Deum, cùm mundum creare vellet, ideas rerum creandarum, non extrà ſe, ut pictores, ſed intra ſe intuitum eſſe; adeoque non indiguiſſe aliquo exemplari externo.

Nec refert 4. Quòd Deus creaturas cognoſcat mediatè in ſua eſſentia; quia hoc non obeſt, quominùs & illas immediatè cognoſcat in ſeipſis, cùm utroque modo ſint cognoſcibiles. Imò hoc denotat magnam intellectus divini perfectionem, quòd unico actu indiviſibili ad eſſentiam divinam & creaturas immediatè terminari poſſit. Obſcura quidem eſt viſio, qua Beati creaturas vident in ſeipſis, & ideo veſpertina dicitur ab Auguſtino; ſed hoc indè oritur, quòd creaturæ reſpectu ipſorum habeant rationem objecti motivi, quod non accidit reſpectu Dei.

CONCLUSIO II.

Eſſentia divina eſt primarium intellectus divini objectum, non tantùm primitate dignitatis, ſed etiam virtutis, id eſt, primò movens intellectum divinum, tum ad ſui, tum ad aliorum cognitionem.

Prob 1. Pars; quia eſſentia divina eſt maximè ens, adeoque maximè inter omnia intelligibilia intelligibilis.

Prob. 2. Pars; quæ eſt expreſsè Scoti diſt. 3. q. 3. n. 5. ubi ait: *Eſſentia divina ideò eſt primum objectum intellectus divini, quia ipſa ſola movet intellectum divinum ad cognoſcendum ſe & omnia alia cognoſcibilia ab intellectu*: colligiturque ex D. Thoma 1. contra gentes cap 48. Prob. inquam; quia illud eſt objectum primò motivum intellectus divini, quod continet in ſe omnium intelligibilium intelligibilitatem: ſed hoc continet eſſentia divina: ergo. Prob. Min. Quia continet radicaliter omnes ſuas proprietates ſive abſolutas, ſive relativas, quæ ab ipſis metaphyſicè profluunt; creaturas verò continet eminenter & virtualiter, idque perfectiori modo, quàm ipſæmet ſuum eſſe formale contineant in ſeipſis. Hinc

Reſol. Non tantùm creaturas, ſed etiam Attributa & relationes in Deo, eſſe ſolùm objectum ſecundarium intellectus divini; quia cùm eſſentia divina propter ſuam infinitam vim repræſentandi; non modò creaturas, ſed etiam ſuas proprietates repræſentet intellectui, ſequitur, illas cadere ſub intellectum divinum virtute eſſentiæ, quod eſt eſſe objectum illius intellectus ſecundarium.

Nec refert 1. Quòd non tantùm creaturæ, ſed etiam proprietates divinæ poſſint in ſeipſis immediatè cognoſci; quia, hoc non obſtante, ſunt adhuc objectum ſecundarium intellectus divini: nam cùm eſſentia divina ſit abſolutè prior creaturis, & aliquo modo prior ſuis proprietatibus, etiam aliquo modo priùs cognoſcitur ab intellectu divino; & conſequenter alia aliquo modo poſteriùs, ac proindè ad objectum ſecundarium aliquo modo pertinent.

Nec refert 2. Quòd objectum intellectus divini debeat eſſe infinitum in omni genere perfectionis, quia etiam eſſentia divina, ut ſic, eſt taliter infinita radicaliter, cùm ſit radix omnium proprietatum: quod ſatis eſt, ut ſit objectum primarium intellectus divini.

Nec refert 3. Quòd Verbum divinum procedat ex cognitione non tantùm eſſentiæ, ſed etiam Attributorum; quia non procedit ex cognitione ſolius objecti primarii, ſed ex cognitione objecti tam primarii quàm ſecundarii.

Nec denique ſequitur ex noſtra Concluſione, intellectum divinum poſſe terminari ad eſſentiam, abſque eo quòd terminetur ad proprietates; nam cùm intellectio divina ſit neceſſariò comprehenſiva, non poteſt terminari ad unum, qui terminetur ad aliud, licèt unum ſit objectum primarium, aliud ſecundarium.

CONCLUSIO III.

Creaturæ ſunt objectum intellectus divini merè terminativum. Ratio eſt, quia, ſi eſſent objectum motivum, ſcientia divina dependeret à creaturis, cùm ſcientia dependeat ab objecto motivo; adeoque, ut loquitur Scotus, vileſceret divina cognitio.

QUÆSTIO III.

An Deus certò ſciat futura contingentia?

Suppono 1. Ens aliud eſſe neceſſarium, aliud contingens. Neceſſarium eſt, quod non poteſt non eſſe, qualis eſt ſolus Deus: Contingens, quod poteſt eſſe, vel non eſſe: unde neceſſarium & contingens inter ſe opponuntur.

Suppono 2. Entia creata conſiderari poſſe vel in ordine ad cauſam primam, vel in ordine ad ſecundam. Si primo modo conſiderentur, omnia ſunt contingentia; quia Deus, qui liberrimè operatur ad extra, ſic illa ponit, ut poſſit non ponere. Si ſecundo modo, aliqua ſunt neceſſaria, illa ſcilicet, quæ procedunt à cauſis neceſſariis, ut calor ab igne; aliqua verò contingentia, ut illa, quæ procedunt à cauſis liberis, ut actus humanus à voluntate: & de his contingentibus procedit quæſtio.

Suppono 3. Futurum, eſſe id, quod eſt determinatum in cauſa ad habendam exiſtentiam pro duratione ſequenti. Diſtinguitur ab actuali, quod hic & nunc habet exiſtentiam; & à mere poſſibili, quod continetur in cauſa determinata & indifferenti ad dandam illi exiſtentiam. Porrò futuritio alia eſt infallibilis & immutabilis, quæ habetur à determinatione cauſæ primæ; alia fallibilis & impedibilis, quæ habetur à determinatione cauſæ ſecundæ liberæ; & ideò quod per divinam determinationem futurum eſt, ſimpliciter & abſolutè futurum eſt; quod autem per determinationem creaturæ liberæ, tantùm eſt futurum ſecundùm quid, & ex ſuppoſito determinationis perſeverantis cauſæ ſecundæ. His ſuppoſitis

CONCLUSIO UNICA.

Deus certò & infallibiliter cognoſcit futura contingentia. Ità tenere debent omnes fideles contrà veteres Philoſophos, quibus adhæſit Cicero, qui non videns, quomodo conciliaret humanam libertatem cum divina futurorum præſcientia, hanc ſuſtulit, ut illam aſtrueret; *atque ità*, ut ait Auguſtinus lib. 5. de Civit. cap. 9. *dum vult* [homines] *facere liberos, fecit ſacrilegos*. Idem imputat Marcioni Tertullianus lib. 2. cap. 5. contra eundem, ſicut & Joanni Hus C. Conſtantienſe Seſſ. 25. Sociniani verò, ut patet ex Crellio lib. 1. cap. 24. Deo quidem conjecturam futurorum contingentium attribuunt, non tamen ſcientiam infallibilem.

Prob. 1. Concluſio ex Script. Danielis 13. verſ. 42. *Qui noſti omnia, antequam fiant*. Pſ. 158. *Omnes vias meas prævidiſti*. Et alibi ſæpè: undè Chriſtus Matth. 26. prædicit Petro trinam ipſius negationem.

Prob. 2. Ex PP. Origine lib. 5. contra Celſum: *Futurorum prædictio, divinitatis nota eſt & character*. Tertulliano lib. 2. contra Marcionem cap. 5. *Præſcientia tantos habet teſtes, quantos fecit Prophetas*. Ambroſio lib. 1. de Fide cap. 7. *Deo enim, quæ ſunt futura, præſentia ſunt*. Auguſt. lib. 5 de Civit. cap 9. *Qui non eſt præſcius omnium futurorum, non eſt utique Deus*.

Prob. 3. Ratione: Quæ Deus aliquando novit, ſemper novit: ſed certò novit futura, dum accipiunt exiſtentiam in determinato tempore: ergo ſemper novit, adeoque ab æterno, cùm ſit æternus. Minorem nullus ſanæ mentis negat. Major conſtat ex dictis de immutabilitate Dei, ubi diximus, non poſſe intellectum divinum ad aliud terminari in tempore, ad quod non terminabatur ab æterno, aliàs poſſet eſſe ignorans & mutabilis.

Prob. 4. Deus prædicit futura contingentia: ſed in illis prædicendis nunquam fallitur; quandoquidem prædictionis veritatem ſemper confirmet rerum eventus: ergo illa certò novit; aliàs ſi in omnem eventum, aut tantùm conjecturaliter prædiceret illa, poſſet interdum falli.

Dices 1. Jeremiæ 26. dicitur: *Noli ſubtrahere verbum ſi fortè audiant*. Et Luc. 20. *Forſitan, cùm hunc viderint, verebuntur*: ergo, cùm Deus ibi loquatur per modum dubitantis, non novit certò futura contingentia.

Reſp. Ità loqui, non quia dubitat, ſed quia vult oſtendere homines eſſe liberos ad agendum vel non agendum: unde Hieronymus in Cap. 26. Jeremiæ: *Verbum ambiguum* [*Forſitan*] *Majeſtati Domini non poteſt convenire, ſed noſtro loquitur affectu, ut liberum hominis ſalvetur arbitrium*. Vel etiam, ut oſtendat homines eſſe ità pronos ad malum, ut vix bonus effectus ab ipſis ſperari poſſit. Præterea aliquando

in

in Scriptura ponitur *Fortè* pro *Vtique*: nam Matth. 11. dicitur: *Fortè manſiſſent*, licèt in Græco habeatur *Vtique*, ut refert Cajetanus.

Dices 2. Deus non poteſt certò cognoſcere futurum, quod fortè erit, fortè non erit: ſed tale eſt futurum contingens, cùm ità ponatur ſuo tempore, ut poſſit non poni: ergo.

Reſp. Diſt. Min. Tale eſt futurum contingens ante cauſę determinationem: C. ſuppoſita cauſæ determinatione, quam prævidit Deus, ſeu, cui ità eſt præſens, ac ſi de facto ſe determinaſſet creatura: N.

Dices 3. Si Deus certò ſciret futura contingentia, fruſtrà laborarent homines, ut illa ponerent; cùm equidem ſemper ponerentur, ſive laborarent, ſive non; quia Deus non poteſt falli.

Reſp. Quòd Deus, qui vidit effectus contingentes futuros, viderit etiam media, quibus ponentur, & ſine quibus non ponerentur; & conſequenter, ut non fallatur Deus, non tantùm debet poni effectus, ſed etiam media, cùm hæc, ſicut & illos præviderit.

QUÆSTIO IV.

Quæ ſit ratio formalis intellectui divino cognoſcendi certò & infallibiliter futura contingentia?

VAril varia hac de re opinati ſunt, quorum opiniones aliquas breviter refutabimus, & noſtram tandem ſtabiliemus.

CONCLUSIO I.

IDeæ divinæ non ſunt intellectui divino ratio formalis cognoſcendi futura contingentia.

Ratio eſt; quia idea eſt præcisè repræſentativa rerum ut factibilium, abſtrahendo, an futuræ ſint, nec ne: unde cùm nec rerum exiſtentiam, nec futuritionem, nec meram poſſibilitatem videnti repræſentet; ità nec in ipſa futurum aliquod cognoſci poteſt: undè D. Thomas de Verit. q. 3. art. 6. *Idea poteſt eſſe ejus, quod nec eſt, nec erit, nec fuit*.

Dices: Ideæ ſunt infinitæ in repræſentando: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Sunt infinitæ &c. id eſt, habent vim infinitam repræſentandi repræſentabilia: C. repræſentandi non repræſentabilia: N. jam autem ideæ ut ſic, cùm non faciant rem futuram, ità nec repræſentare poſſunt ut futuram: undè habent ſe inſtar ſpeculi perfectè quidem objectum repræſentantis, non tamen ut futurum, aut præteritum.

CONCLUSIO II.

NEc diſpoſitio cauſæ proximæ eſt ratio præfata.

Prob. Quia licèt Deus penetret intimè diſpoſitionem cauſæ liberæ, cognoſcendo ejus inclinationem & maximam propenſionem ad actum circa objectum repræſentatum, & alia ex quibus ſecundùm omnem apparentiam videtur actio ſecutura; cùm tamen cauſa libera, etiam poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poſſit adhuc agere, vel non agere, ex illa diſpoſitione non poteſt certò & infallibiliter cognoſcere effectum futurum: cùm, illa poſita, poſſit adhuc effectus poni, vel non poni, unde cùm connexio diſpoſitionis cum actu ſit fallibilis; non poteſt intellectui, etiam divino, injicere cognitionem ſui infallibilem: quandoquidem, ut benè notat N. Herinx, ex ſigno fallibili non poſſit intellectus, etiam maximè penetrativus, cognoſcere infallibiliter ſignificatum.

Dices: Intellectus humanus, & à fortiori Angelicus, poteſt indè colligere moraliter effectum: ergo divinus infallibiliter.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia ſicut maior intellectus penetratio nihil confert hic ad effectus futuritionem, ità nec majorem habet de re futura certitudinem.

CONCLUSIO III.

REalis coexiſtentia futurorum contingentium in æternitate (ſi detur) non eſt etiam Deo ratio cognoſcendi futura contingentia.

Ratio eſt; quia priùs eſt rem eſſe futuram, quàm eſſe præſentem in æternitate; cùm ideò ſit præſens æternitati, quia futura eſt, non è contrà. Præterea tam certò cognoſcit intellectus divinus non futura, ut merè poſſibilia, quàm futura: ſed ut cognoſcat non futura, non indiget reali eorum præſentia: ergo nec ut cognoſcat futura.

Dixi in Concluſione: *Si detur*, nam cùm futura contingentia non exiſtant realiter ab æterno, nec poſſunt Deo realiter ab æterno coexiſtere, cùm coexiſtentia realis ſupponat exiſtentiam realem.

Dices 1. Auguſt. lib. 2. ad Simplician. qu. 2. aſſerit, eſſe ſemper Deo præſentes; & ideo non dari in Deo præſcientiã futurorum, ſed ſcientiam: *Si enim*, inquit, *in ſcientia res ipſas habet, non ſunt ei futuræ, ſed præſentes, ac per hoc non jam præſcientia, ſed tantùm ſcientia dici poteſt*. Similia refert D. Gregorius lib. 2. Moral. cap. 23.

Reſp. Quòd intentum Patrum illorum non fuerit oſtendere, non dari in Deo præſcientiam ſumptam pro cognitione præcedente ipſam futuram exiſtentiam, cùm dicat expreſsè Auguſt. 5. de Civit cap 9. *Præſcientiam ejus confitemur*, ſed tantùm voluerunt non eſſe talem præſcientiam in Deo, qualis eſt in nobis: nos enim imperfectè & quaſi conjecturaliter futura pręſcimus; præſentia verò clarè & diſtinctè: Deus autem tam perfectè cognoſcit futura quàm præſentia: & ideo idem Auguſt. 15. de Trinit. c. 13. *Nec aliter ſcivit creata quam creanda*; imò hæc & illa cognoſcit una & eadem cognitione, quæ, ut pręcedit rerum exiſtentiam, dicitur *præſcientia*, ut concomitatur aut ſequitur, dicitur *ſcientia*. Ad id verò, quod dicunt, res ſemper eſſe Deo præſentes, dicendum eſt loqui de præſentia objectiva, non reali.

Dices 2. Omnia tempora ſunt realiter præſentia æternitati, & conſequenter omnes res in aliquo tempore exiſtentes.

Reſp. Diſt. Ant. Sunt aliquando realiter præſentia: C. ſemper: Subdiſt ſecundùm eſſe objectivum: C. ſecundùm reale: N. undè ſicut Petrus hic coexiſtens immenſitati divinæ, non dicitur illi coexiſtere ubique; ita licèt aliquod tempus & res in eo exiſtens coexiſtat æternitati, non tamen ſemper & ab æterno. Vide dicta ſuperiùs de æternitate.

CONCLUSIO IV.

NEc etiam eſſentia divina ante decretum, nec efficacia pręſcientiæ divinæ eſt formalis ratio intellectui divino cognoſcendi futura contingentia.

Prob. 1. Pars; quia ante decretum eſſentia divina non repræſentat res, ut futuras, ſed ut merè poſſibiles, cùm ante illud ſint indifferentes ad futuritionem vel non futuritionem, unde quamvis eſſentia divina ante decretum habeat infinitam vim repræſentandi, non tamen repræſentandi aliter res, quàm ſint repræſentabiles; adeoque ante illud nihil repræſentat ut futurum, ſed tantùm ut poſſibile.

Prob. 2. Pars; quia priùs eſt repræſentari intellectui, quàm cognoſci: ergo ratio formalis per quam cognoſcit Deus contingentia futura, non eſt ejus præſcientia, ſed aliquid prius

Dices contrà primam partem: In ſigno rationis præcedente ipſum decretum, cognoſcit Deus decretum ſuum futurum: ergo & illo ſic cognito, futura contingentia.

Reſp. Neg. Ant. Cùm enim in illo ſigno necdum videat ſe Deus determinatum, ſed indifferentem, ita nec videt determinationis ſuæ effectum, nempe futuritionem. Accedit quòd non poſſit Deus, propter infinitam ſuam intelligibilitatem, decretum ſuum cognoſcere, niſi intuitivè; objectum autem cognitionis intuitivæ, ut concedunt omnes, non abſtrahit ab exiſtentia & præſentia, ſed eſt quid præſens & exiſtens. Præterea cùm repugnet æternitati futuritio, ità decreto æterno repugnat eſſe futurum, etiam ſecundùm modum noſtrum concipiendi; cùm concipere aliquid prius æterno quoad durationem, ſit conceptu deſtruere æternum. Plura circa hoc vide in Philoſophia, ubi quæritur, an Propoſitiones de futuro contingenti ſint determinatè veræ vel falſæ ante decretum.

CONCLUSIO V.

RAtio formalis cognoſcendi futura contingentia infallibiliter & determinatè eſt eſſentia divina poſt decretum. Eſt Scoti 1. diſt. 39. q. unica. Eſtque communis inter Thomiſtas & Scotiſtas fideles; ſaltem abſtrahendo, an decretum illud ſit prædeterminans, an concomitans, de quo poſtea.

Prob. 1. Eſſentia divina eſt ſpeculum fidele omnia repræſentans, ut ſunt repræſentabilia: ſed futura contingentia poſt decretum ſunt verè repræſentabilia, ut futura, cum per decretum tamquam radicem & principium accipiant determinatam futuritionem: ergo.

Prob. 2. Quia nihil commodius poteſt aſſignari, ut patet tùm ex refutatione aliarum ſententiarum, tùm etiam ex ſolutione Objectionum.

Obji. 1. Hilarius 9. de Trinit. ſic loquitur: *Quæ Deus facere decrevit, in ſua voluntate cognovit*. Et Auguſt. l. 26. contra Fauſtum c. 4. *Illud me non latet ſine dubio futurum, ſi hoc Dei voluntas habet*: ergo ſecundùm illos Patres Deus non in eſſentia, ſed in voluntate futura contingentia cognovit.

Reſp. Diſt. Conſeq. Cognovit in voluntate tamquam in objecto motivo proximo: N. tamquam in ratione determinante indifferentiam futuri contingentis ad alteram contradictionis partem: C. unde determinatio divinæ voluntatis eſt quidem ratio, ſine qua futura contingentia non viderentur, ut futura; cùm an-

Digitized by Google

ante illam nihil ſit futurum, & omnia per illam ſint futura; non eſt tamen objectum motivum, ſeu Movens proximè ad rerum cognitionem, Ratio ulterior eſt, quia cùm nulla appareat neceſſitas ponendi in Deo duplex objectum motivū; voluntas autem non ſit objectum motivum reſpectu cognitionis creaturarum poſſibilium, utpotè nihil circa illas decernens, non videtur etiam ratio dicendi, voluntatem eſſe objectum motivum reſpectu cognitionis rerum aut exiſtentium aut futurarum, ne ſit duplex objectum motivum, nempè eſſentia reſpectu poſſibilium, & voluntas reſpectu aliarum.

Obji 2. D. Thomas 1 diſt. 38. q. 1. art. 5. proferens medium, in quo cognoſcit Deus effectus neceſſarios & contingentes, non meminit decreti divini, ſed tantum aſſerit, quòd neceſſarios certò cognoſcat in ſuis cauſis, non ſic contingentes.

Reſp. Non meminiſſe ibi decreti, non quia illud excludit à modo cognoſcendi ordinario, ſed quia ibi refert alium modum cognoſcendi creaturas extra ſeipſum; præſuppoſito tamen sēper decreto, ſive pro contingentibus, ſive pro neceſſariis; cùm nequidem neceſſaria ponantur ſine concurſu divino, ad nihil autem concurrat Deus in tempore, niſi ad concurrendum ſe determinaverit ab æternitate.

Obji. 3. Deus videt peccata futura independenter à ſuo decreto, cùm illa non decernat: ergo nihil facit decretum ad futurorum contingentium cognitionem.

Reſp. Diſt. Ant. Videt independenter à decreto poſitivo: C. independenter à decreto permiſſivo: N.

Inſt. 1. Per decretum permiſſivum, peccatum non eſt infallibiliter futurum: ergo.

Reſp. Neg. Ant. Cùm enim decretum permiſſivum importet ſubſtractionem auxilii efficacis ad vitandum peccatum, ſine quo non vitabitur, licèt vitari poſſit phyſicè loquendo, ex tali ſubſtractione ſequitur infallibiliter peccatum, non tamen neceſſariò: unde ſicut homo cum gratia efficaci, infallibiliter ponit actum, ad quem datur, licèt poſſit phyſicè loquendo non ponere, cùm adhuc ſit liber, ita ſine gratia efficaci infallibiliter ponit peccatum, ad quod tentatur, licèt poſſit non ponere.

Inſt. 2. Subſtractio auxilii efficacis non eſt cauſa peccati: ergo ex illa non ſequitur infallibiliter peccatum.

Reſp. Diſt. Conſeq. Non ſequitur ex illa per modum influentiæ; C. ſubſtractio enim gratiæ non influit in peccatum, ſed ſola voluntas deficiens. Non ſequitur per modum denegationis cauſæ prohibentis eo ferè modo, quo ex non oppoſitione ſalis ſequitur corruptio carnium: N. Pro aliis Objectionibus ſolvendis.

Adverte 1. Scientiam ſimplicis intelligentiæ in Deo non diſtingui à ſcientia viſionis; quia licèt illa res merè poſſibiles, hæc verò futuras reſpiciat; habent tamen idem motivum, nempè eſſentiam divinam, ab objecto autem motivo, & non terminativo, ſpecificatur cognitio.

Adverte 2. Præſcientiam futurorum in Deo non eſſe liberam ex parte intellectus; quandoquidem neceſſariò intelligat Deus omne intelligibile, poteſt tamen dici libera ex parte objecti, in quantùm illa futura potuerunt non eſſe futura.

Adverte 3. In illo priori, quo concipitur necdùm eſſe Dei decretum, nihil eſſe futurum, aut non futurum poſitivè, nequidem ipſum Dei decretum, ut patet ex dictis.

Adverte 4. Deum in illo priori non cognoſcere, quid ſit decreturus; quandoquidem pro illo priori intelligatur indifferens ad decernendum vel non decernendum.

QUÆSTIO V.

An ſit in Deo ſcientia certa contingentium conditionatè futurorum?

NOn loquimur hic de conditionatis, neceſſariò cum conditione connexis, qualia ſunt hęc: *Si Joannes flet, non ſedebit.* Idem *ſi Petrus manducet, movebit dentes*, & ſimilia; quia licèt propter particulam *Si* videantur conditionata, ſunt tamen revera abſoluta & neceſſaria; ſed loquimur de conditionatis ſolùm contingenter cum conditione annexis, qualia ſunt ſequentia: *Si Ambroſius concionetur, Auguſtinus convertetur*: item *Si Paulus ingrediatur Religionem, erit vir magnæ ſanctitatis.*

CONCLUSIO UNICA.

DEus certò cognoſcit contingentia conditionatè futura, id eſt, illa quæ quidem nunquam evenient, evenirent tamen, ſi conditio poneretur. Ita communiter Theologi contra paucos volentes quidem Deum illa cognoſcere, ſed conjecturaliter tantùm.

Prob. 1. Deus illa certò cognoſcit, quę certò prædicit: ſed plura conditionatè futura prædixit in Scriptura: ergo Prob. Min. Dicitur enim Sap. 4. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus*, Matth. 24. *Niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro.* 1. Corinth. 2. *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Ubi tria prænunciantur conditionatè futura, nempe mutatio juſti, niſi raperetur: plurium perditio, niſi abbreviaretur tempus perſecutionis Anti-Chriſti; & Chriſti à crucifixione conſervatio, ſi ipſum cognoviſſent. Ex quibus primum & tertium non evenerunt, nec ſecundum eveniet defectu conditionis.

Prob. 2. Ex PP. Cyrillo Alex. lib. 3. contra Julianum: *Deus autem, qui futura novit, alios propter pietatem adhuc juvenes è vita præripit, alios ob detrimenta, quæ per illos erant neceſſariis ſuis importanda: alios item ob ingentes, quæ futuræ erant, calamitates, ante ſubſtrahit.* Chryſoſt. lib. 1. ad Stagirium Monachum de Provid. Dei. *Ideo e Paradiſo primum parentem initio ſtatim ejecit, quoniàm honor iſte tributus illi, deteriorem eum feciſſet, ſi immotus & ſtabilis ille maneret violato præcepto.* Auguſt. lib. 2. de bono perſever. cap 9. *Certè poterat illos Deus*, ſcilicet reprobos, *præſciens eſſe lapſuros, antequam hoc fieret, auferre de hac vita*, & cap. 11. aſſerit, Deum non ſuccurriſſe *etiam his, quos prævidit, ſi apud eos facta eſſent, ſuis miraculis credituros.* Imò lib. de corrept. & grat. cap. 8. aſſerit nonniſi perverſiſſimè & inſaniſſimè dici, Deum neſcire quid facturi ſint homines, ſi vivant, cùm illos rapit antequam vivant, nempe rationaliter. Agmen PP. claudat D. Bernardus ſerm. 54. in Cant. *Subtrahit interdum Deus, vel retrahit gratiam, non pro ſuperbia, quæ inſit, ſed quæ futura eſſet, niſi gratia ſubſtraheretur.*

Prob. 3. Ratione: Non minùs cognovit Deus contingentia conditionatè futura, quàm abſolutè futura: hæc cognoſcit certò & infallibiliter, ut diximus, ergo & illa. Prob. Ma. Quia Deus non minùs decrevit futura conditionatè, quàm futura abſolutè, cùm hæc & illa decreverit decreto abſoluto, quantùm eſt ex parte ſua, licèt futura conditionatè decreverit decreto conditionato ex parte objecti, ut dicetur infra.

Objic. 1. Quædam Scripturæ loca, quæ Deo conjecturalem tantùm notitiam circa conditionatè futura videntur tribuere, ut Deut. 4. *Cuſtodite igitur ſollicitè animas veſtras .... ne fortè decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem.*

Reſp. Ad hunc & ſimiles paſſus, datam eſſe ſolutionem q. 3. Objecti. 1. ubi explicavimus Particulam *Forte*.

Obj. 2. Auguſt. lib. de prædeſt. SS. c. 14. explicans illud Sap. 4. *Raptus eſt* &c. ait: *Dictum eſt ſecundùm pericula hujus vitæ, non ſecundùm præſcientiam Dei, qui hoc preſcivit, quod futurum erat. non quòd futurum non erat*, Et lib. 1. de Origine animæ cap. 12. *Ipſa omnino exinanitur præſcientia, ſi quod præſcitur, non erit: quomodo enim rectè dicitur preſcire futurum, quod non eſt futurum?* Atqui conditionatè tantùm futura, non ſunt futura ſimpliciter loquendo: ergo Deus, juxta Auguſtinum, non præſcit conditionatè futura.

Reſp. 1. Auguſtinum negare præſcientiam conditionatè futurorum ſtrictè ſumptam, ſeu prout eſt ſcientia ante rei eventum realiter aliquando futurum? quia futura conditionatè licèt eveniſſent poſita conditione, nunquam tamen realiter evenient, & ſic illorum cognitio potiùs eſt ſcientia, quàm præſcientia: unde Damaſc. lib. contra Manichæos: Si futurum aliquid non fuiſſet, ipſa præſcientia eſſet ſcientia. Et Magiſter in 1. diſt. 3. §. *Ad hoc: Si ergo nunquam id futurum eſt, non poteſt anticipata ejus cognitio propriè dici præſcientia futuri.*

Reſpondet 2. Macedo cum aliis, Auguſtinum negare præſcientiam futurorum, non quidem abſolutè, aliàs ſibi apertiſſimè contradiceret, ſed ad ſenſum Pelagianorum, qui ponebant in Deo talem præſcientiam independenter à decreto, illoque priorem: cùm tamen nihil ſit futurum, niſi per decretum, ut diximus. Porrò illam præſcientiam decreto priorem admittebant Pelagiani, tùm ut ſervarent hominis libertatem, quàm per decreta abſoluta deſtrui contendebant; tùm etiam ut oſtenderent rationem (cur Deus unum vocet ad Baptiſmum, alterum non) non eſſe ſolum Dei decretum & inſerutabile ejus judicium, ſed eſſe uſum liberi arbitrii bonum vel malum, quem Deus ab æterno pręſciebat independenter à decreto: dicebant enim ex duobus pueris, unū ad Baptiſmum pervenire & rapi ex hac vita ad beatitudinem propter opera meritoria, quæ Deus præſciebat facienda à puero, ſi viveret, & alium in peccato rapi ſine Baptiſmo propter peccata, quæ patraret, ſi viveret.

Reſp. 3. S. Doctorem fortè loqui de præſcientia, non conditionata, de qua hic, ſed abſoluta, quæ nonniſi abſolutè futura cognoſcit, & ſic verum eſt, dicere non præſcire conditionatè futura, cùm non ſint futura ſimpliciter & abſolutè loquendo.

Obji. 3. Deus non cognoſcit futura conditionatè per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, cum illa terminetur tantùm ad merè poſſibilia, nec per ſcientiam viſionis, cùm illa terminetur ad res exi-

Digitized by Google

exiſtentes in aliqua temporis differentia: ergo non cognoſcit illa, cùm ſecundùm nos, non detur ſcientia media.

Reſp. Illa cognoſcere per ſcientiam viſionis, quæ non tantùm terminatur ad ea, quæ de facto futura ſunt in aliqua temporis differentia, ſed ad ea, quæ futura fuiſſent, ſi conditio, à qua pendent, fuiſſent poſita. Nec obſtat, quòd reſpectu illorum non ſit intuitiva; quia dicitur *viſionis* ab objecto principali, nempe à rebus de facto futuris.

Objic. 4. Futura conditionatè non habent determinatam veritatem, cùm non habeant determinatum eſſe: ergo non poſſunt à Deo certò cognoſci.

Reſp. Futuris conditionatè competere eſſe determinatū conditionatè, adeoq; & ſimilem veritatem, ſecundùm quam poſſunt à Deo cognoſci: nam ſicut abſolutè futura habent abſolutum eſſe repræſentatum in eſſentia divina, ſuppoſito decreto abſoluto; ita etiam conditionatè futura habent eſſe conditionatum in eadem eſſentia repræſentatū, ſuppoſito decreto conditionato.

Obij. 5. Quidquid cognoſcit Deus, vel eſt futurum aliquando, vel non, cùm non detur medium: ſi primum, eſt futurum abſolutè: ſi ſecundum, eſt merè poſſibile: ergo non datur, adeoque non poteſt à Deo certò cognoſci conditionatè futurum.

Reſp. Non omne, quod non eſt futurum aliquando, debere dici merè poſſibile; quandoquidem futura ſub conditione jam tranſierint ratione decreti conditionati, à ſtatu meræ poſſibilitatis ad futuritionem conditionatam, vel, ut ità loquar, ad ſorentiam, ſi nempe poneretur conditio, quod non competit merè poſſibili, circa quod nihil decretum eſt.

QUÆSTIO VI.

An ſint in Deo decreta conditionata?

CONditionata dico, non ex parte ſubjecti, ſeu decernentis, qualia ſunt hæc: vellem ire Romam, ſi non eſſem podager: vellem ire ad bellum, ſi non timerem occidi &c. Nam cùm illa dicant imperfectionem potentialitatis & ſuſpenſionis Deo repugnantem, non poſſunt in eo reperiri; ſed ex parte objecti, ſeu rei decretæ tantùm, ita ut ſint abſoluta ex parte decernentis, quale eſt illud. Volo dare 100. aureos Petro, ſi ducat filiam meā in uxorem, ubi illa volitio eſt abſoluta, & determinata ex parte volentis, licèt pendeat ab aliqua conditione, ut ſortiatur effectū.

CONCLUSIO UNICA.

DAntur in Deo decreta conditionata ex parte objecti tantùm. Ita ſatis communiter Theologi contrà PP. Societatis, ex quibus tamen Suarez, Ruith. & quidam alii nobis adhęrent, licèt Alarcon dicat decreta illa coram ſummis Pontificibus vocata eſſe à Jeſuitis cum Dominicanis diſputantibus, ſtulta, inutilia, inepta, impoſſibilia, & Deo indigna.

Prob. 1. Scriptura variis locis aſſerit, Deum quædam facturum, ſi ponatur certa conditio: ſed per hoc inſinuat decreta conditionata in Deo: ergo &c. Prob Ma. Gen. 18. dicit Deus, quòd parcet Sodomæ, ſi in ea fuerint viri juſti 50. aut 30 item 3. Reg. c. 9. promittit Salomoni ſervaturum ſe Thronum Iſraeliticum penes illius familiam, ſi ipſe & ejus poſteri Dei mandata cuſtodiant. Et 4. Reg. 15. certificat Eliſęus Joam Regem Iſrael, quòd totaliter Syriam devaſtaſſet, ſi terram quinquies aut ſexies, ſive ſepties jaculo percuſſiſſet. Prob. Mi. Vel enim Deus illa denuntiando habebat voluntatē determinatam illa ponendi, caſu quo poneretur conditio, vel non habebat: ſi non: ergo non ſincerè loquebatur: ſi ſic: ergo illa decreverat; non abſolutè, cùm de facto non acciderint, defectu conditionis non poſitę: ergo cōditionatè.

Prob. 2. Vult Deus omnes homines ſalvos facere: ſed non vult, niſi bene vivant: ergo vult conditionatè, non quidem ex parte ſua, ſed ex parte rei volitæ, ſeu decretæ.

Prob. 3. Abſolutè futura habent ſuam futuritionem abſolutam à decreto abſoluto, ut diximus: ergo & futura conditionatè futuritionem ſuam conditionatam à decreto conditionato, cùm videatur par ratio; & conſequenter dantur decreta conditionata, cùm dentur conditionatè futura, ut fatentur Adverſarii.

Prob. 4. Sæpiſſimè inter ea quæ prædixit Deus, & conditionem appoſitam nulla prorſus eſt connexio, ut patet in hac Propoſitione: *Si cuſtodierint filii tui legem meam, ſedebunt ſuper thronum tuum uſque in ſempiternum.* ergo quòd inter ſe ita connectantur, ut unum debeat ſequi ex alio, ſi illud aliud ponatur, oritur ex voluntate Dei ſic decernentis, abſolutè quidem ex parte ſua, conditionatè tamen ex parte objecti.

Objic. 1. Quæ Deus vult tantùm conditionatè, ſecundùm nos, non facit: *ſed omnia quæcumque voluit, fecit Dominus*, Pſ. 13. ergo nihil vult aut decernit conditionatè.

Reſp. diſt. Min. Quæcumque voluit abſolutè, fecit: C. conditionatè: N.

Objic. 2. Quodlibet decretum divinum cauſat mutationem realem in creatura; ſed decretum merè conditionatum non cauſat illam mutationem, cum res per illud decreta non ſit ponenda in rerum natura, quia non ponetur conditio: ergo.

Reſp Diſt. Ma. Quodlibet decretum divinum abſolutum; C. conditionatum: N. ſed ſufficit quòd cauſaret quantùm eſt ex parte ſua, ſi conditio poneretur: quod & admittere debent Adverſarii: nam decretum, quo Deus decrevit concurrere cum omnibus cauſis liberis ad actus liberos, nullam ponit mutationem realem in iis, qui non operantur, licèt poneret, ſi agerent.

Obij. 3. Si eſſent in Deo decreta merè conditionata, idem vellet, & non vellet: Hoc implicat: ergo. Prob. Ma. Quia vellet converſionem v. g. alicujus peccatoris, & non vellet, quia non vellet ponere conditionem, ſine qua non habebitur converſio.

Reſp diſt. Ma. Idem vellet & non vellet eodem modo: N. diverſo modo, id eſt, efficaciter & inefficaciter ſub diverſa ratione: C. vult enim inefficaciter converſionem, & vult efficaciter non poſitionem conditionis, ſine qua non erit converſio, ubi nulla eſt implicantia. Et certè numquid viator in periculo vitę habet voluntatem efficacē & abſolutam dandi pecuniam ſicario, ut conſervet vitam, & ſimul voluntatem inefficacē & conditionatam non dandi pecuniam, ſi non immineret vitæ periculum? Imò idem ipſimet Adverſarii admittunt in Deo, voluntatem ſcilicet inefficacem ſalvandi omnes homines, & efficacem non ſalvandi omnes, ſed aliquos reprobandi propter peccatum prævisum.

Obji 4. Decreta illa ſunt inutilia, ridicula, & nugatoria: inutilia quidem, cùm nihil conferant ad Dei perfectionem, Eccleſię regimen, aut aliquid aliud: ridicula verò, quia per illa Deus vult aliquid, & non vult conditionem, ſine qua non erit illud: nugatoria autem, quia ſicut nugaretur ille, qui diceret; *Dabo tibi aureum, ſi cœlum manu tetigeris*, cùm ponat conditionem impoſſibilem; ità & videtur nugatorium, ponere in Deo decretum, quo vult ſub conditione rem, quæ factu eſt impoſſibilis; quia non adeſt decretum ipſammet conditionem ponendi.

Reſp. 1. Decreta illa non eſſe inutilia aut otioſa, cùm conducant ad maiorem Dei perfectionē: & certè numquid perfectius eſt Deo ſcire, quid Tyrii feciſſent, ſi Chriſtus prædicaſſet, quàm neſcire? Imò apparet quædam imperfectio, quòd Deus interroganti, quid Tyrii feciſſent, ſi Chriſtus prædicaſſet, debuiſſet reſpondere: *Neſcio*. Si ergo illa conditionatè futura ſcire debeat, etiam in illo decreta conditionatè ſunt ponenda, per quæ ſciat.

Reſ. 2. Nec magis eſſe ridicula, quàm ſit volitio ſalvandi omnes homines; quandoquidem non velit omnes homines ſalvos fieri, niſi finaliter perſeverent, nec finaliter perſeverant ſine gratia efficaci, & tamen non decrevit dare omnibus gratiam efficacem ad perſeverandum, ſed aliquibus tantùm ſufficientem: ſi ergo non ſit Adverſariis ridicula illa volitio, nec ridicula dicant illa decreta, ſed prudentiſſima, honeſtiſſima, & ſua veneratione digna.

Reſp. 3. Nec eſſe nugatoria, ſicut nugatoria eſt propoſitio allegata, eſt enim latum diſcrimen inter illam & decreta pręfata, quòd propoſitio ſit de conditione impoſſibili, & repugnante ex natura rei, decreta verò de conditione abſolutè & ex natura rei poſſibili, quia licèt non decreverit Deus ponere conditionem, & ideo illam non ſit poſiturus homo, poteſt tamen illam ponere abſolutè loquendo, cùm decretum divinum non det homini poſſe, ſed illud ſupponendo, teneat ſe ex parte actus ſecundi, ut ſuo loco dicemus

Rationes autem, propter quas Deus plura vult conditionatè, quæ tamen non decrevit exequi abſolutè, poſſunt eſſe ſequentes, vel ut oſtendat quòd ſeſe hominum libertati accommodet, vel quòd ſit propenſus, ut eorum miſerias ſublevet, vel quòd aliqui homines ſint aliis pejores, V. g. Judæi Tyriis; cùm Tyrii ſeſe convertiſſent, ſi vidiſſent ſigna, quæ viderant Judæi, vel propter alias rationes ſibi notas. Pro aliis Objectionibus

Adverte 1. Futura conditionatè eſſe quaſi in ſtatu medio inter merè poſſibilia, & futura abſolutè, potiùſque participare de ratione futuri quàm poſſibilis: ac ideò admittendum eſſe decretum conditionatum, per quod tranſeant de ſtatu meræ poſſibilitatis ad ſtatum futuritionis conditionatæ.

Adverte 2. Quòd licèt admittamus decreta conditionata in Deo, quæ ex Scriptura vel cognoſcuntur vel colliguntur, non tamen omnis generis, v. g. ſequentia: *Si dormiero, magnus Turca ſaltabit, ſi comedero, Rex vincet hoſtes*, & ſimilia, cùm nullam habeamus rationem illa admittendi, ſed potiùs rejiciendi.

Adverte 3. Decreta illa conditionata eſſe libera, quia determinantur ad ea, quæ ſic decreta ſunt ſub conditione, ut potuerint non decerni: ſicut decreta abſoluta ſunt libera, quia terminatur ad effectus ita abſolutè decretos, ut potuerint taliter non decerni.

QUÆSTIO VII.

An detur ſcientia media?

QUoniam hæc Quæſtio valdè celebris eſt ac famoſa, & nonnulla ad perfectam ſui intellectionem prærequirit, ideo illam in quatuor Articulos dividemus.

ARTICULUS I.

Quotuplex ſcientia in Deo.

DIviditur 1. Scientia divina, quæ eſt in ſe unica & ſimpliciſſima, per quam Deus & ſe, & creaturas omnes etiam poſſibiles, ſemper actu & neceſſariò intelligit. Dividitur, inquam, ratione objectorum materialium, ad quæ terminatur; 1. in ſpeculativam & practicam. Speculativa eſt cognitio, qua Deus objectum cognoſcit, ſed non facit; ut cognitio merè poſſibilium. Practica eſt cognitio, qua Deus objectum cognoſcit & facit per ſuum decretum, ut cognitio creaturarum aliquando exiſtentium.

Dividitur 2. In neceſſariam & liberam. Prima Antecedit omnem actum liberum divinæ voluntatis, terminaturque tantùm ad eſſentias rerum, quę ſunt invariabiles 2. Sequitur actum liberum divinæ voluntatis, terminaturque ad res exiſtentes aut futuras, quas potuiſſet non cognoſcere ut exiſtentes aut futuras, ſi nempe ſtatuiſſet eas non producere.

Dividitur 3. Communiſſimè à Theologis in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis. Prima eſt illa, quæ antecedens decretum, & liberam divinæ voluntatis determinationem, verſatur præcisè circa eſſentias rerum ut merè poſſibiles, coinciditque cum ſcientia neceſſaria, cùm reſpiciat objectum à voluntate tum divina, tum humana independens. Hanc ſcientiam vocant aliqui abſtractivam, eoquòd abſtrahat ab exiſtentia objecti, ipſamque, ut talis formaliter non repræſentet. Secunda eſt illa, quę ſupponens decretum divinum verſatur circa prȩterita, præſentia, & futura, adeoque circa res aliquando exiſtentes, eſtque libera, cùm verſetur circa objecta, circa quæ potuiſſet non verſari, ſi Deus non decreviſſet illorum exiſtentiam.

Inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & viſionis, aliam ponunt PP. Societatis, quam Mediam vocant, illamque ſic definiunt, nempe: ſcientia, qua Deus ab æterno ante decretum, non abſolutè, ſed ſub conditione cognovit, quid homines & Angeli facturi eſſent pro ſua libertate, ſi cum hac vel illa gratia, ſi cum his vel illis circumſtantiis, in tali vel tali rerum ordine collocarentur. Ex qua definitione patet, ſcientiam mediam eſſe neceſſariam & liberam ſub diverſo reſpectu: neceſſariam quidem ex parte ſubjecti ſeu Dei, cùm antecedat decretum de rerum futuritione, ſicut cogitationes noſtræ dicantur neceſſarię, quando præcedunt determinationem voluntatis. Liberam verò ex parte objecti; nam ſicut Deus per ſcientiam liberam potuiſſet res futuras non cognoſcere, ſi non ſtatuiſſet eas producere, ità per ſcientiam mediam potuiſſet non præſcire ea, quæ Angeli, & homines revera facturi ſunt, ſi pro ſua libertate non fuiſſent ea facturi, ſed aliquid aliud: unde aliquid participat de ſcientia ſimplicis intelligentiæ, in quantum præcedit decretum & terminatur ad res pro illo ſigno necdum futuras, & aliquid de ſcientia viſionis, in quantùm terminatur ad objecta libera, nempe ad contingentia conditionata. Et ideo forſitan à ſuis Aſſertoribus vocatur *Media*. Dico *Forſitan*, quia poſſet dici media, quia verſatur circa objecta, quæ ſunt aliquo modo media inter merè poſſibilia, & abſolutè futura.

Porrò ſcientiam illam admittunt PP. Societatis, qua dirigatur Deus in ſuis decretis circa actiones creaturarum liberas formandis, ſine præjudicio humanæ libertatis; quia non vident, quomodo non tollatur hominis libertas, ſi antequam per ſcientiam mediam prævideat Deus, quid ſit homo in tali vel tali ſtatu acturus, abſolutè decernat aliquid ab ipſo homine agendum.

ARTICULUS II.

Quædam Reſolutioni præſupponenda.

SUppono 1. Totam controverſiam inter præcipuos admittentes & rejicientes ſcientiam mediam in hoc conſiſtere, an ſcilicet præſcientia futurorum conditionatè (quam ſcientiam conditionatam appellamus) ſit poſterior decreto conditionato, & in eo fundata, ut volunt rejicientes ſcientiam mediam, an verò prior, & ab illo independens, ut contendunt ſcientiæ mediæ patroni; Unde ſcientia conditionata, quam admittimus, & ſcientia media, quam defendunt PP. Societatis, in hoc conveniunt, quòd utraque ſit cognitio certa & infallibilis futurorum conditionatè; diſconveniunt autem, quòd illa ſit poſterior decreto & in eo fundata: hæc verò prior, & ab eo independens: quod prima ſit libera tam ex parte ſubjecti quàm objecti: ſecunda verò, libera quidem ex parte objecti; neceſſaria tamen ex parte ſubjecti.

Suppono 2. Scientiam mediam non eſſe novam, nec Patrum Societatis ſtudio, labore, & induſtria è tenebris eſſe erutam, quidquid dicant Fonſeca, Molina & alii, ſed ipſam non tantùm Auguſtino fuiſſe cognitam, & ab eodem reprobatam, ut poſteà oſtendemus; verum etiam ipſiſmet Pelagianis, & Semipelagianis fuiſſe familiarem: volebant enim ex duobus pueris unum ſalvari propter opera bona, quæ Deus præſcivit facturum, ſi diutiùs vixiſſet, & alterum damnari propter opera mala, quæ præſcivit patraturum, ſi ad adultam ætatem perveniſſet: unde Auguſt. Epiſt. 105. ad Sixtum, ſic inducit Pelagianos loquentes. *Deus in eis, quos hinc aufert, prævidit, quemadmodum victurus eſſet, ſi viveret, & ideò quem nequiter novit eſſe victurum, ſine Baptiſmo facit & mori, ſic in eo puniens opera mala, non quæ fecit, ſed quę facturus fuit.* Semipelagiani verò idem apertiùs tradebant: dicebant enim, ut refert D. Proſper. *tales perdi, taleſque ſalvari, quales futuros illos in annis majoribus ſi ad adultam ætatem ſervarentur, ſcientia divina prævidertt.* Unde volebant, libertatem humanam ſalvaturi, nihil decerni à Deo, niſi priùs vidiſset, quid eſſent homines acturi, ut colligitur ex Fauſto Regienſi Semipelagianorum Principe lib. 2. de grat. & lib. arb. c. 7. ubi ait: *Niſi præſcientia exploraverit. prædeſtinatio nihil decernit.* Nomine autem prædeſtinationis intelligebant non tantùm tranſmiſſionem creaturæ rationalis ad gloriam, ſed etiam quodlibet decretum præordinans & prædefiniens rerum futuritionem, ut etiam intellexit Auguſt. Tract. 68. in Jo. ubi ait: *Deus fecit futura ea prædeſtinando.* Et tract. 105. *Deus futura omnia prædeſtinavit.* Ex quo patet, quòd admitterent ſcientiam futurorum conditionatè ante decretum: quod & fateri coacti ſunt Suarez & Annatus. Et certè quis non fateretur? Cùm Semipelagiani ipſiuſmet Auguſtini verbis uterentur ad hoc probandum, ut refert Hilarius in Epiſt. ad eundem Doctorem.

Suppono tamen 3. Latum eſſe diſcrimen inter Hæreticorum & Catholicorum ſcientiam mediam in materia ſalutis: 1. Enim volebant Pelagiani Deum explorare, quid acturi eſſent homines ex ſolis naturæ viribus. Catholici verò, quid acturi eſſent cum tali vel tali gratia. 2. Aſſerebant illi, Deum punire aut præmiare, quod per ſcientiam illam noverat homines facturos, ſi diutiùs viverent: hi autem nonniſi facta.

Suppono 4. Scientiam mediam non eſſe malam ex eo quòd apud Pelagianos & Semipelagianos viguerit: licèt enim in aliquibus erraverint, non tamen omnia, quæ dixerunt aut ſcripſerunt, ſunt hæretica: unde illam non condemnamus, & licèt aſſerant aliqui à Paulo V. præparatam eſſe Bullam, qua condemnaretur, nullam tamen fidem prætenſam Bullam aſſerentibus adhibendam eſſe declaravit Innoc. X. per ſpeciale decretum anno 1654. die 25. Aprilis; imò prohibuit à quocumque allegari.

ARTICULUS III.

Reſolutio Quæſtionis.

NOn datur in Deo ſcientia media. Ità communiter Thomiſtæ & Scotiſtæ fideliores.

Prob. 1. Ex Script. quæ nullibi ſalutis noſtræ negotium ſive vocationis, ſive electionis, ſive juſtificationis attribuit actionibus noſtris per ſcientiam mediam exploratis, ſed unicè Dei voluntati, propoſito, miſerationi, tractioni, operationi, ità ut eligat nos, non quia futuri eramus ſancti, ſed ut ſimus ſancti, ut convincunt nos D. Pauli Epiſtolæ pluribus in locis: ergo fruſtra ponitur in Deo ſcientia media pro dirigendo ſalutis noſtræ negotio.

Dices, non dirigi Deum ab actionibus noſtris prævіſis, niſi prout ſubſunt gratiæ dandæ, & ſic adhuc ſtat, quòd vocet nos ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ. Sed

Contra: Vel dirigitur Deus à ſola gratia danda, vel etiam ab operibus cum gratia ponendis. Non à gratia ſola, quia cùm per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, gratiæ ſuæ noverit efficaciam, quidve poſſit cum humana voluntate, non indiget ſcientia media, ut exploret ejus effectus: Non etiam ex operibus cum gratia; quia tunc non vocaret ſecundùm unicum voluntatis ſuæ propoſitum, ſed partim ſecundùm ſuæ, partim ſecundùm humanæ: ſicque vocatio & electio non eſſent ſolius miſerentis Dei, ſed partim hominis volentis & currentis, partim miſerentis Dei: poſſetq; unus ab alio ſe diſcernere, dicen-

do

Digitized by Google

do ſe vocatum, quia prævidetat Deus, quòd eſſet gratiæ cooperaturus; alium verò non eſſe vocatum, quia præviderat Deus: contrarium.

Confirm. Reſponſio: Vel Deus movetur in vocatione & electione ab eo, quod per ſcientiam mediam exploravit à creatura ponendum; vel non movetur: ſi non, omninò ſuperflua ſcientia exploratrix: ſi ſic: ergo vocatio non eſt omninò gratuita.

Dices moveri quidem Deum ab exploratis, non tamen ut vocet ſimpliciter, ſed ut vocet ſine libertatis humanæ præjudicio. Sed

Contra: Equidem ſequitur, quòd non vocaſſet, niſi conſenſum vocati prævidiſſet; & conſequenter quòd poſſit ſe vocatus diſcernere per conſenſum ſuum à non vocato, in quo non fuit prævisus conſenſus.

Replicabis, diſcretionem vocati à non vocato tribuendam eſſe ſoli gratiæ, ratione cujus prævidetur conſenſus. Sed

Contra: Prævidetur, quòd, ſi daretur talis gratia Petro, conſentiret, & ſi eadem prorſus daretur Paulo, non conſentiret: ergo ſecernuntur per aliud, quàm per gratiam; nam quando duo in aliquo communi convenientes diſtinguuntur, neceſſe eſt, ut per aliud quàm per commune diſtinguantur, adeoque cùm Petro & Paulo cenſeatur gratia communis, utpotè eadem, oportet, ut per aliquid diſtinctum à gratia diſtinguantur.

Prob. 2. Ex Auguſt. lib. de bono perſever. cap. 17. ubi ait: *Hæc Dei dona*, ſcilicet gratuitò conceſſa ad perſeverandum, *ſi nulla eſt prædeſtinatio, quam defendimus, non præſciuntur à Deo; præſciuntur autem, hæc eſt prædeſtinatio, quam defendimus.* Idem fortiùs inculcat ibidem aliis verbis: *Quòd ſi & dantur, & ea ſe daturum eſſe præſcivit, profectò prædeſtinavit.* Item c. 10. de prædeſt. Sanct. *Prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus.* Ex quibus omnibus ſic formo Argumentum: Non datur ſecundùm Auguſtinum præſcientia eorum, quæ Deus de facto dat & facit, niſi ſint prædeſtinata ſeu decreta; aliàs nulla eſſet ejus illatio: ergo nec datur præſcientia eorum, quæ, poſita conditione, daturus erat & facturus, niſi ſint prædeſtinata ſeu decreta, cùm non minùs pendeant conditionatè futura à decreto conditionato, quàm abſolutè futura à decreto abſoluto, ut probavimus agendo de decretis conditionatis.

Accedit, quòd in textu ultimo loquatur etiam de conditionatè futuris, aliàs non dixiſſet: *Ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus*, ſed *quæ facturus eſt*; cùm abſolutè futura abſolutè *facturus ſit*, & non tantùm *facturus fuiſſet*. Præterèa de illis futuris loquebatur ibi Auguſtinus, de quibus agebant Semipelagiani, adeoque de futuris conditionatè; cùm per librum de prædeſt. SS. ſicut & per alterum de Bono perſev. reſpondeat ad interrogata, quæ fecerant Hilarius & Proſper in Epiſtolis ad eundem Auguſtinum directis. In illis autem aſſerebant, quòd Semipelagiani ſuſtinerent præſcientiam futurorum conditionatè, independentem à decreto, illoque anteriorem, ut cum decretis divinis libertatem humanam conciliarent.

Nec dicas, Auguſtinum reprehendere abuſum illius ſcientiæ, non ſubſtantiam; nam, ut patet ex paſſibus allegatis, aſſeveranter docet, præſcientiam decretum præſupponere, & præſcientiam non dari, ſi non ſit prædeſtinatio, ſeu decretum; cùm tamen ſcientia media ſit decreto anterior, & ab ipſo independens.

Prob. 3 Deus non videt, quid homo eſſet acturus, ſi tales vel tales circumſtantiæ ponerentur, niſi videat, quid ipſemet eſſet acturus, cùm ſit una & eadem actio Dei & creaturæ: ſed ante decretum non videt Deus, quid eſſet acturus in talibus circumſtantiis; cùm pro tunc concipiatur ut indifferens ad decernendam, vel non decernendam actionem ſive abſolutè, ſive conditionatè: ergo &c.

Prob. 4. Deus omnia cognoſcit, ut ſunt cognoſcibilia: ſed ante decretum ſive abſolutum, ſive conditionatum nihil eſt cognoſcibile ut futurum ſive abſolutè, ſivè conditionatè, cùm nihil ſit futurum, ſed omnia merè poſſibilia: ergo &c.

Dices: Conditionatè futura habent ante decretum veritatem objectivam, & futuritionem determinatam ex vi & natura contradictionis, ſive quia fieri poſſunt de illis propoſitiones contradictoriæ, quarum una debet eſſe determinatè vera, & altera determinatè falſa: ergo ante decretum ut vera & futura a Deo cognoſcuntur.

Reſp. 1. Inde ſequi, non tantùm futura conditionatè, ſed etiam abſolutè futura eſſe vera & futura ante decretum; cùm de his non minùs formari poſſint propoſitiones contradictoriæ, quàm de illis: & certè quis non videat has propoſitiones, *Joannes fiet catholicus*, *Joannes non fiet catholicus*, tam eſſe contradictorias quàm ſequentes: *Joannes fiet catholicus, ſi Paulus concionetur*, *Joannes non fiet catholicus, ſi Paulus concionetur*: ergo ſi futura conditionatè ſint vera & futura ex vi contradictionis, erunt & abſolutè futura.

Reſp. 2. Supponamus, Deum cognoſcere ex vi contradictionis hanc propoſitionem: *Joannes non fiet catholicus, ſi Paulus concionetur*, Peto, an per ſuum decretum ſcientia illa poſterius poſſit facere, ut Joannes fiat catholicus, ſi Paulus concionetur? Si poſſit: ergo Deus poteſt falli in ſua cogoitione, cùm poſſit cognoſcere verum, quod erit falſum: ſi non poſſit: ergo futura non ſunt à Deo, ſed à ſeipſis futura; & conſequenter fallitur Apoſtolus, cùm dicit ad Epheſ. 1. verſ. 11. Deum omnia operari *ſecundùm conſilium ſuæ voluntatis*; fallitur & Auguſtin. cùm aſſerit Deum facere futura, ea prædeſtinando, ſeu decernendo.

Prob. 5. Secundùm Theologos datur aliqua diſtinctio inter merè poſſibile & futurum conditionatè: quod & admittere debent Adverſarii; cùm merè poſſibile, ſit id quod eſt indifferens ad exiſtendum, vel non exiſtendum præcisè, conditionatè verò futurum, quod eſt determinatum ad exiſtendum, ſi ponatur conditio; ſed tota diſtinctio cùm non ſit in iſtis rebus, utpotè non exiſtentibus, debet oriri ex hoc quòd voluntas divina aliter ſe habeat circa unum quàm circa aliud, aliquid circa conditionatè futura decernendo, & nihil circa merè poſſibile quandoquidem nihil ſit aliud imaginabile: ergo &c.

Prb. 6. Quia rationes, propter quas ſcientiam mediam ponunt ejus aſſertores (nempè ut dirigatur Deus in eligendis aliquibus, & repellendis aliis: 2. Ut cum Dei decreto & gratia concilietur humana libertas) nullatenus ſubſiſtunt: ergo nec ſubſiſtit ſcientia, quæ propter eas ſolas admittitur. Prob. Ant. Quoad primam Partem; quia prævidit Deus per ſcientiam mediam, ſi detur, Tyrios & Sydonios eſſe convertendos, ſi factæ eſſent virtutes &c. prævidit & Raptum (ne malitia mutaret intellectum ejus) malè victurum, ſi diutiùs vixiſſet; & tamen quos prævidit convertendos, ſi &c. deſtinat ad infernum; quem prævidit male victurum, niſi raperetur &c. deſtinat ad Paradiſum: ergo non dirigitur à ſcientia media in eligendo & reprobando. Prob. Ant. Quoad ſecundam Partem; quia, ut patet ex jam dictis, non ſemper decernit Deus juxta præviſas hominum actiones, ſicque tantùm abeſt, ut ſcientia illa faveat libertati, quin potiùs graviter noceat, cùm per hoc intelligamus Deum decernere quandoque contrarium ejus, quod prævidit acturos homines, ſi &c.

Prob. 7. Nec Auguſtinus, nec Proſper, nec Hilarius ſcientia media uſi ſunt ad conciliandam cum prædeſtinatione & gratia efficaci humanam libertatem: ergo vel illam ignorarunt, vel ſcientes neglexerunt, vel certè ad eam non adverterunt: Non primum; cùm Hilarius & Proſper in Epiſtolis, quas ad Auguſtinum direxerunt: expreſſiſſimam de illa mentionem fecerint; ipſumque monuerint, Semipelagianos ipſiuſmet verbis ut ad illius ſcientiæ confirmationem: undè Hilarius ad Auguſtinum: *Et hoc non ſolùm aliorum Catholicorum teſtimoniis, ſed etiam Sanctitatis tuæ diſputatione antiquiore ſe probare teſtantur*; Auguſtinus autem illam refutet & rejiciat in duobus libris, de quibus ſupra. Et ideò fortè Molina poſtquam in ſua prima concordia quæſt. 23. art. 4. & 5. dixit: *Hæc noſtra ratio conciliandi libertatem arbitrii cum divina prædeſtinatione à nemine, quem viderim, hucuſque tradita eſt*, idipſum ſubticuit in impreſſione Lugdunenſi. Non etiam ſecundum: qua enim conſcientia auſi fuiſſent ſcientiam illam negligere Eccleſiæ Dei tam utilem; in explicandis præcipuis Religionis noſtræ myſteriis tam facilem; ad deſtruendum Pelagianiſmum tam efficacem; ad conciliandam cum gratia libertatem humanam, adeo plauſibilem, ut fatetur ipſemet Molina: qua, inquam, conſcientia id feciſſent; & qua ratione cum Apoſtolo exclamaſſent: *O altitudo divitiarum* &c. Non etiam tertium; nam dicere, præclariſſima illa gratiæ propugnacula, ad præcipuum gratiæ myſterium non advertiſſe, eſt dicere, illos vigilantes dormiviſſe: ergo.

Concludendum eſt, ſcientiam illam fuiſſe quidem ab ipſis cognitam, ſed non approbatam. Et certè ſi eam approbaſſet Auguſtinus, cur monitus ab Hilario & Proſpero, quòd Semipelagiani turbarentur & terrerentur ex eo quòd in libro de correpc. & grat. toties dixiſſet Deum uni dare gratiam efficacem, & non alteri ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, cur inquam, non reſpondit, Deum id non facere, niſi attendendo priùs ad futuri, vel non futuri conſenſus humani præſcientiam? Cum per hoc tam facilè ſedaſſet eorum turbationem; imò deſtruxiſſet quinque eorum errores ab ipſis ex prætata Auguſtini doctrina illatos, nempè quòd libertatem everteret, fatum induceret, orationem exſufflaret, in aliquibus torporem, in aliis deſperationem cauſaret, & tandem

Dei

Digitized by Google

Dei bonitatem læderet. Imò tantùm abeſt, ut ità reſpondeat, ut è contra vix concipiens libertatis humanæ cum gratia efficaci concordiam, ingenuè dicat lib. de grat. Chriſti cap. 47. *Iſta quæſtio, ubi de arbitrio voluntatis & Dei gratia diſputatur, ità eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.*

ARTICULUS IV.

Solutio Objectionum.

OBjic. 1. Illud Gen. 11. *Cœperunt hoc facere*, nempe ædificare turrim Babylonicam, *nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec opere eas compleant*: ergo noverat Deus, ædificium illud complendum, niſi id per linguarum confuſionem impediret: ſed id non noverat ratione decreti conditionati: quia ridiculum eſſet dicere Deum, qui abſolutè ædificii complementum impedire decreverat, etiam decreviſſe illius complementum, niſi impediret: ergo noverat per ſcientiam mediam.

Reſp. Sicut non eſt ridiculum, quòd Deus, qui decrevit decreto generali concurrere ad omnes creaturarum actiones, & conſequenter ad hanc, illam, iſtam &c. niſi quid obſtaret, id eſt, niſi per decretum ſpeciale ſtatueret in certis caſibus extraordinariis concurſum ſuum ſuſpendere; ità nec ridiculum eſt, quòd non obſtante decreto ſpeciali non concurrendi ad turris illius complementum, decreverit priùs, ſecundùm modum noſtrum concipiendi, ad illius complementum concurrere, niſi in ſigno poſteriori aliud decerneret: & certè ità ſe habere concipimus in ſalute hominum, ut patet ex dictis de decretis conditionatis.

Objic. 2. Si Deus cognoviſſet Pœnitentiam Tyriorum dependenter à decreto conditionato de prædicatione Chriſti, & non ante decretum per ſcientiam mediam, injuſtè Chriſtus Judæos increpaſſet exemplo & comparatione Tyriorum, ut facit Matth. 11. potuiſſent enim reſpondere Judæi Chriſto: Si decreviſſes noſtram converſionem Tyriorum ſuppoſita Chriſti prædicatione, pœnitentiam ageremus, ſicut egiſſent illi: ſed non poteſt dici injuſtam fuiſſe Chriſti increpationem: ergo pœnitentiam Tyriorum vidit per ſcientiam mediam.

Reſp. 1. Si Judæi potuerint hoc reſpondere Chriſto in noſtra ſententia, potuerunt & ipſi reſpondere in ſententia Jeſuitarum: Si decreviſſes nobis dare gratiam in iis circumſtantiis, in quibus per ſcientiam mediam exploratricem prævideras nos credituros, ſicut feciſti Tyriis, ſuppoſito quòd Chriſtus illis prædicaſſet, ageremus pœnitentiam, ſicut egiſſent Tyrii in illo ſuppoſito: ergo idem Argumentum ſolvere debent Adverſarii.

Reſp 1. Juſtam eſſe Chriſti increpationem: tam enim Judæi quàm Tyrii pœnitere potuerunt, cùm utrique ad hoc obligarentur; obligatio autem ſupponat poſſe; quandoquidem nemo teneatur ad impoſſibile: decretum autem conditionatum, quod fuit circa Tyrios, non circa Judæos, non dedit illis poſſe pœnitere, quandoquidem decretum non teneat ſe ex parte actus primi, ſed ſecundi, adeoque ſupponat poſſe. Fateor tamen Tyrios faciliùs potuiſſe, quia conferenda erat ipſis gratia in iis circumſtantiis, in quibus faciliùs allecti fuiſſent ad pœnitendum. Verùm ex hoc non ſequitur, injuſtam fuiſſe Chriſti increpationem, cùm ſimpliciter, & abſolutè loquendo pœnitere potuerint Judæi, quod non fecerunt: Imò ſi omnia deberent eſſe paria, etiam ex parte decreti, & circumſtantiarum, in quibus gratia confertur; ut Deus juſtè increparet unum præ altero, nunquam poſſet peccatorem juſtè increpare; quia ubicumque adeſt gratia congruè data ex decreto efficaci operis ponendi, ſemper ponitur opus præceptum, & nunquam habetur peccatum.

Inſt. 1. Injuſtè increparetur unus pictor, quòd non tam ad vivum rem aliquam repræſentaſſet, quàm alter coloribus & penicillis melioribus inſtructus: ergo & injuſtè increparetur deſtitutus decreto, quòd non idem præſtitiſſet, quàm alter decreto inſtructus.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd decretum non det poſſe, ut dixi, ſed ſupponat, & conſequenter tam deſtitutus quàm inſtructus decreto, ut ità loquar, poteſt operari, ac ideo non operans juſtè increpatur. Aliud eſt de pictore, cui, ut poſſit rem ad vivum repræſentare, neceſſarii ſunt boni penicilli & colores vivi.

Inſt. 2. Saltem gratia efficax ex decreto proveniens, & data in talibus vel talibus circumſtantiis fortiùs determinat ad agendum, quàm conferant boni penicilli ad pingendum ad vivum: ergo ſi malis penicillis inſtructus non ſit increpandus, nec decreto deſtitutus.

Reſp. Neg. Ant. Gratia enim efficax tantum determinat moraliter & non phyſicè ad operandum, cùm, illa poſita, homo ſit adhuc liber ad agendum, vel non agendum, ut diximus de gratia. Boni autem penicilli phyſicè conferunt ad rem aliquam ad vivum repræſentandam, vel certè ſi poſſit pictor ſine illis rem æquè ad vivum repræſentare ac alter illis inſtructus etiam dignus eſt increpatione, cùm non fecerit, quidquid potuerit.

Inſt. 3. Si gratia determinet tantùm moraliter & non phyſicè, poterit Deus falli in iis, quæ decernit, niſi per ſcientiam mediam prævideat actionem eſſe ponendam à creatura; quandoquidem tam poſſit poni quàm non poni.

Reſp. Neg. Aſſumpt. Deus enim decernendo creaturę actionem, novit quòd certò infallibiliter eveniet, quandoquidem certò ſciat ſe concurſurum ad illius poſitionem; & conſequenter etiam concurſuram creaturam cum illo; cum utriuſque concurſus ſit una, & indiviſibilis actio. Novi tamen creaturam liberè operaturam, cùm illius concurſus ſit ſimultaneus, nec aliquid ponat in creatura, ab æterno aut in tempore illam neceſſitans ad actionem, ut fuſiùs dicetur poſtea.

Inſt. 4. Deus præbet cauſæ liberæ concurſum ſuum indifferentem ad agendum: ergo decernens non videt, quid ſit actura.

Reſp. Diſt. Ant. Deus præbet concurſum indifferentem, quantùm eſt ex parte voluntatis antecedentis, qua vult eſſe paratus ad agendum cum creaturis agentibus: C. quantum eſt ex parte voluntatis conſequentis, qua vult po ere talem vel talem effectum cum creaturis agentibus: N. ſic enim concurſus ille eſt determinatus, qui tamen propterea non officit libertati, cùm non ſit prior natura concurſu creaturæ, ſed ſimultaneus.

Inſt 5. Cauſa ſecunda determinat primam ad ſpeciem & exercitium: ergo Deus quantùm eſt ex parte voluntatis conſequentis relinquit concurſum indifferentem.

Reſp Diſt. Ant Determinat primam ad ſpeciem &c. propriè: N. unaquæque enim cauſa tam prima quàm ſecunda ſeipſam propriè determinat. Determinat primam &c. impropriè hoc ſenſu, quòd tunc determinatio potiùs tribuatur cauſæ ſecundæ quàm primæ, quia illa eſt particularis, hæc univerſalis: C.

Objic. 2. Conditionatè futura nec ſunt, nec erunt, ſed tantùm fuiſſent, ſi ponenda fuiſſet conditio: ergo non requirunt decretum de facto poſitum, ſicut requirunt abſolutè futura, ſed tantùm ponendum, ſi ponenda fuiſſet conditio; & conſequenter cognoſcuntur per ſcientiam mediam independenter à decreto.

Reſp. Diſſimulato Ant. Neg. Conſeq. Quia decretum illud ponendum, cùm de facto non ſit, non poteſt transferre merè poſſibile ad ſtatum futuritionis conditionatæ: & conſequenter Deus, qui omnia novit ut ſunt, non cognoſcit ſine decreto actualiter poſito pœnitentiam, V. g. Tyriorum, conditionatè futuram, ſed tantùm merè poſſibilem: quod confirmat S. Auguſtini Regula ſuperiùs allata, ſcil. quod Deus præſciat futura, ea prædeſtinando: unde ex illo decreto ponendo tantùm ſequitur, quod Deus illam converſionem cognoviſſet, ſi eam decreviſſet.

Dixi: Diſſimulato Ant. Quia licèt objecta ſcientiæ conditionatæ, quam admittimus, nunquam ſint ponenda, objecta tamen ſcientiæ mediæ, ſecundùm illius defenſores ſunt ordinariè ponenda, ut conſervetur humana libertas.

Inſt. Decretum ponendum, objectivè Deo repræſentatum, dat ipſi cognitionem rei conditionatè futuræ: ergo ultra ſcientiam mediam non requiritur decretum actuale. Prob. Ant. Quia ſi creatura poſſit cognoſcere ex decreto ſuo ponendo, objectivè repræſentato, actionem alterius futuram, v. g. ſi vellem dare aureum Petro pauperi; illud acceptaret; quidni id poſſet Deus.

Reſp. Neg Ant. Quia cùm per decretum ponendum neſciat Deus, an ſit acturus, utpote adhuc indifferens ad decernendam actionem vel non decernendam, etiam neſcit, an ſit actura creatura. Ad Probationem dico, cognitionem creaturæ tunc non forè certam phyſicè, ſed ad ſummum moraliter, cùm pauper ſit equidem indifferens ad acceptandum.

Objic. 3. Deus non agit cœco modo in negotio ſalutis: ergo, ut decernat Joannis vocationem, electionem, aut juſtificationem, debet anteà explorare quid ille ſit acturus.

Reſp. Diſt. Conſeq. Debet anteà explorare, id eſt, antea noſ-

Digitized by Google

noſſe per ſcientiam mediam conſenſum, aut diſſenſum à creatura ponendum. N. id eſt, debet anteà noſſe per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ (ſicut de facto novit) gratiæ ſuæ vim & efficaciam, & aliunde voluntatis humanæ flexibilitatem & duritiem, ac cum gratia acceptanda aut rejicienda in tali vel tali circumſtantia proportionem: C. & ſic patet, quòd non agat cæco modo.

Objic. 4. Sap. 4. Juſtus dicitur raptus, ne malitia mutaret intellectum ejus; ſed Deus non decreverat ejus malitiam futuram, niſi raperetur: ergo hoc novit per ſcientiam mediam.

Reſp. Diſt. Mi. Non decreverat ejus malitiam poſitivè: C. permiſſivè. N. quia ſtatuerat permittere malitiam peccati, non ſuſpendendo concurſum ſuum ad illam actionem phyſicam, ex qua ſequitur talis malitia, ſi nempè ponatur talis conditio. Pro aliis Objectionibus ſolvendis

Adverte 1. Quòd quando PP. petunt, cur Deus creaverit Adam, quem ſciebat peccaturum, & ſimilia, non loquantur de ſcientia præcedente decretum creandi, ſed de ſcientia præcedente actualem Adæ creationem, aliàs non dicerent, cur creaverit? Sed cur voluerit, cur decreverit creare Adam, quem noverat lapſurum? Præterea licèt loquerentur PP. de ſcientia præcedente decretum creationis, ut videtur loqui Auguſtinus lib. 2. de Nupt. & concupiſc. cap. 16. ubi ait: *Nec eum*, ſcilicèt diabolum, *propterea creare noluit*, *quia malum futurum eſſe præſcivit*; non loquuntur tamen de ſcientia præcedente omne decretum, ſed de ſcientia ſupponente decretum permiſſivum peccati, quaſi dicerent: Cur Deus decreverit creare Adam, quandoquidem per ſcientiam decretum permiſſivum concomitantem, ſed in eo fundatam, ejus lapſum prævideſit? Adde quòd ſcientia illa non ſit conditionata, ut media, ſed abſoluta, cùm ſit de abſolutè futuro.

Adverte 2. Auguſtinum & alios PP. dicentes, Deum vocare illos, quorum miſeretur, quomodo, ubi, vel quando ſcit conſenſuros, credituros &c. non loqui de ſcientia pręcedente decretum, ſed de ſcientia realiter illud concomitante.

Adverte 3. Quando PP. videntur inſinuare cauſam, cur Deus prænoverit futura, eſſe ipſaſmet res futuras, nulla decreti facta mentione, non loqui de rebus futuris nudè, ſed de futuris à Deo volitis, adeoque decretum importantibus: licèt enim negent res ideo eſſe futuras, quia Deus præſcivit futuras; non negant tamen ideo futuras, quia decrevit futuras; aliàs contradicerent Apoſtolo dicenti Rom. 13. *Quę autem ſunt*, adeoque tam futura, quàm præſentia, aut præterita, *à Deo ordinatæ ſunt*.

Adverte 4. Ex hoc Auguſtini paſſu de prædeſt. SS. cap. 10. *Prædeſtinatio eſt*, *quæ ſine præſcientia eſſe non poteſt: poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia*, nihil ſequi contra nos; quia tantùm vult, ut patet ex contextu, quòd aliqua ſint præſcita, quæ non ſunt poſitivè prædeſtinata, ut peccata, quatenùs peccata, quæ à Deo tantùm permittuntur, non poſitivè decernuntur.

Adverte 5. Deum cognoſcere hanc propoſitionem: *Si Joannes efficaciter moveatur, aget pœnitentiam*, per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; quia licèt extrema ſeparata, nempe *Joannes efficaciter movebitur*, *& Joannes pœnitentiam aget*, ſint libera & contingentia, adeoque objectum ſcientiæ viſionis; juncta tamen continent illationem certam & infallibilem, ac ideo pertinent ad ſcientiam Dei naturalem, ſicut pertinet propoſitio ſequens: *Si Joannes currit*, *movetur*, licèt extrema ſecundùm ſe ſumpta ſint libera, & pertineant ad ſcientiam viſionis.

Adverte 6. Quòd licèt conditionatè futura ſint quodammodò media inter merè poſſibilia, & abſolutè futura, non cognoſcantur tamen per ſcientiam mediam, ſed per ſcientiam viſionis, ut diximus, eo quòd plus participare videantur de futuritione; quantùm eſt de ſe, quàm de mera poſſibilitate. Dico: *quantùm eſt de ſe*, quia quòd nunquam ponentur, non eſt defectu futurizationis propriæ, ſed futurizationis conditionis, à qua pendent.

QUÆSTIO VII.

An præſcientia divina noceat humanæ libertati?

CONCLUSIO UNICA.

PRæſcientia divina non nocet humanæ libertati. Eſt definitum in Conc. Conſtantienſi ſeſſ. 8. contra Wicleffum. Eſt etiam contra Ciceronem, qui, ut dixi, abſtulit à Deo futurorum præſcientiam, ne tolleret libertatem humanam, eo quòd non poſſet hanc cum illa conciliare.

Prob. 1. Concluſio 1. Ex iis Scripturæ paſſibus, quibus oſtendimus hominem eſſe liberum, quod ſanè immeritò diceretur, ſi divina præſcientia libertatem tolleret.

Prob. 2. Ex PP. Hieronymo Dialogo contra Pelagianos: *Non ideo peccavit Adam, quia hoc futurum noverat*. Damaſceno Dialogo contra Manichæos: *Præſcientia diabolo minimè cauſa fuit, cur malus fieret*. Et Auguſtino 5. de Civit. Dei cap. 10. *Nullo modo cogimur, aut retenta præſcientia Dei, tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio, Deum (quod nefas eſt) negare præſcium futurorum; ſed utrumque amplectimur, utrumque fideliter & veraciter confitemur*.

Prob. 3. Ratione: Præſcientia divina non poteſt nocere humanæ libertati, niſi influat in ipſam: ſed non poteſt in ipſam influere, cùm ſit natura poſterior non tantùm libertate, ſed etiam actibus à libertate procedentibus: ergo. Unde vera eſt hæc Cauſalis: Ideo præſcit Deus Antichriſtum peccaturum, quia peccabit; non è contra. Hinc Damaſc. loco cit. *Prænotionis autem cauſa hæc eſt, quòd ità futurum erat*.

Declaratur: Prius eſt ſcibile, quàm ſcientia, *neque enim cognitio fieri poteſt, niſi cognoſcenda præcedant*, inquit Auguſt. lib. 4. de Gen. ad litt. cap. 32. ſed futurum contingens reſpectu præſcientiæ divinæ eſt ſcibile: ergo.

Prob. 4. Comparatione: Præſcientia Medici expertiſſimi de morte alicujus ægroti propter corporis indiſpoſitionem, non cauſat ipſam mortem, ut patet: ergo præſcientia divina de actione Petri propter ejus determinationem non cauſat ipſam actionem; ſed è contrà actio cauſat præviſionem, ſicut mors ægroti cauſat in Medico illius præſcientiam: unde Hieronym in cap. 26. Jerem. *Non enim ex eo quòd Deus ſcit futurum aliquid, idcircò futurum eſt, ſed quia futurum eſt, Deus novit*.

Obji. 1. Auguſt. l. 15. de Trinit. cap. 13. ubi ait: *Univerſas ſuas creaturas & ſpirituales & corporales, non quia ſunt, ideo novit; ſed ideo ſunt, quia novit*.

Reſp. Quando Auguſtinus & alii PP. dicunt præſcientiam divinam eſſe cauſam rerum, loqui de ſcientia ſimplicis intelligentiæ: illa enim, non quidem executivè & proximè, quod pertinet ad voluntatem; ſed idealiter & oſtenſivè dici poteſt cauſa rerum. Hæc autem ſcientia, teſte D. Thoma, nonnunquam appellatur viſio propter perfectionem intelligendi, & ideo non obſtat quòd PP. dicentes ſcientiam divinam eſſe cauſam rerum, aliquando utantur verbo *videndi*.

Objic. 2. Vera eſt hæc illatio: Deus præſcivit me hodie pranſurum: ergo prandebo: ergo etiam ſcientia viſionis eſt cauſa rerum.

Reſp. Diſt. Ant. Vera eſt hæc illatio à priori, ſicut eſt hæc: homo eſt rationalis: ergo eſt riſibilis: N. à poſteriori ſicut ſequens: homo eſt riſibilis: ergo eſt rationalis: C. ſed nego conſeq.

Obji. 3. Quæ Deus præſcivit futura, evenient infallibiliter: ergo neceſſario. Prob. Conſ, Quia evenire infallibiliter eſt ſic evenire, ut non poſſit non evenire.

Reſp. Neg. Conſ. Aliud eſt enim infallibilitas & certitudo, aliud neceſſitas; illa enim, ut diximus, ſignificant habitudinem quamdam cognoſcentis ad rem cognitam, ità ut circa illam non fallatur, ſive res poſſit ſe aliter habere, ſive non: unde multa contingentia ſunt nobis certa: hæc verò eſt in ipſis rebus, quæ aliter ſe habere non poſſunt, ſive infallibiliter cognoſcantur, ſive non. Ad Prob. Diſt. Aſſumpt. Eſt ſic evenire, ut non poſſit non evenire ex ſuppoſitione antecedenti: N. ex ſuppoſitione conſequenti: C. Pro quo

Adverte triplicem eſſe ſuppoſitionem, unam quæ præcedit exercitium libertatis, aliam quæ concomitatur, & alteram quę conſequitur; prima nocet libertati, dum voluntas inde determinatur intrinſecè ad unum: quod facit prædeterminatio phyſica; ſecunda non nocet, cùm relinquat voluntati ſufficientem indifferentiam, ut ſit libera, & talis eſt ſuppoſitio decreti divini. Nec officit tertia. Cùm ſit poſterior ſaltem ratione, exercitio libertatis, & talis eſt ſuppoſitio præſcientiæ divinæ. Quòd autem ex ſuppoſitione præſcientiæ divinæ, ſeu in ſenſu compoſito ejuſdem (quod idem eſt) non poſſit res aliqua non evenire, non eſt mirum; nam ad ſcientiam illam, quam habet Deus de re futura, requiritur quòd res ſit futura; ex ſuppoſito autem quòd ſit futura, non poteſt non eſſe futura, & conſequenter non poteſt non evenire. Circa hanc materiam plura vide in Philoſophia, ubi de propoſitionibus de futuro contingenti.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO IX

An & quarum rerum dentur ideæ in Deo, & quid ſint?

ADverte ideam, quæ generatim loquendo, eſt forma quædam exemplaris exiſtens in mente artificis, ad cujus imitationem liberè & ex intentione operatur, eſſe duplicem, formalem ſcilicet & objectivam. Formalis eſt cognitio modi, quo res eſt formanda. Objectiva verò eſt forma imitabilis præfixa agenti, ad cujus imitationem effectum exprimere poteſt. Hoc notato

CONCLUSIO I.

DAtur in Deo idea rerum faciendarum, & factibilium videtur de fide ex Joan. 1. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*, quaſi diceret, eorum quæ fecit Deus, habet in ſe ideam viventem.

Prob. 1. Ex PP. Auguſtino exponente præfatum textum: *Sapientia Dei, per quam facta ſunt omnia, ſecundum rationem continet omnia, antequàm fabricet omnia*. Et lib. 3. Quæſt. q. 46. dicit quòd *ideas* nemo *verè Religione imbutus negare audeat, imò non etiam profiteri*. Damaſc. lib. 1 de fide c. 13. *Deus omnium author eſt: ergo omnium, quæ ſunt, rationes in ſe, & cauſas, hoc eſt, ideas jam ante in ſeipſo præhabet*. Origine Tom. 1. in Jo ubi dicit: *Universa facta fuiſſe juxta rerum futurarum rationes, jam antea à Deo manifeſtatas in ſapientia*: undè ab Antiquis ideæ vocabantur mundus exemplaris, intellectualis, originalis, archetypus, rationes primordiales.

Prob 2. Ratione. Deus non agit temerè & cœco modo: ergo agendorum præhabet in ſe formam exemplarem, ſeu ideam. Præterea agens intellectuale non producit aliquid, niſi illud mente concipiat, ſive niſi ſimilitudinem effectus producendi ſibi in mente repræſentet, ut experientia convincit: ſed Deus eſt agens Intellectuale perfectiſſimum: ergo habet in ſe imaginem. exemplar, ſeu ideam agendorum.

Nec refert 1. Quòd Dionyſius de divin. Nomin. c. 7. dicat: *Deus non cognoſcet res ſecundùm ideas*: quia tantùm vult, quòd non cognoſcat res ſecundùm ideas ab ipſis rebus acceptas: & eodem modo explicandus eſt Anſelmus, cùm ait in *Verbo, per quod facta ſunt omnia, ſimilitudines rerum non eſſe*.

Nec refert 2. Quòd Deus non poſſit errare: ex hoc enim benè ſequitur, quòd non indigeat regula à ſe diſtincta, cùm illa indigentia dicat imperfectionem; non tamen quòd non debeat habere regulam à ſe indiſtinctam, cùm per ipſammet ſit in operando indeſectibilis.

Nec refert 3. Quòd Deus debeat cognoſcere res perfectiſſimè, nam id a divina perfectiùs illas repræſentat quàm ſint in ſeipſis.

Nec refert 4. Quòd idea divina non ſit ſimilitudo rei ideatæ ſecundùm eſſentiam; quia eſt ſimilitudo ſecundùm repræſentationem & expreſſionem: quod ſufficit.

Nec refert 5. Quod ars divina, vel ſcientia Dei practica ſit cauſa rerum; quia licèt ſit cauſa dirigens & efficiens, non eſt tamen cauſa exemplaris & objectiva: quod convenit ideæ: unde utraque ſimul concurrit.

CONCLUSIO II.

DAtur in Deo idea omnium producibilium. Ratio eſt; quia non eſt ratio, cur detur unius potius quàm alterius Hinc

Reſol. 1. Eſſe in Deo ideam non tantùm futurorum, ſed etiam merè poſſibilium, v. g. alterius mundi, quidquid dicant aliqui: *eodem modo enim* inquit Scotus 1. diſt. 39. q. 5. nn. 7 *ſunt ideæ poſſibilium non futurorum, ſicut futurorum; quia differentia iſta poſſibilium non futurorum à futuris, non eſt niſi per actum voluntatis divinæ*; actus autem divinæ voluntatis eſt poſterior ſcientia ideali, ſeu artificiali, cùm per illam dirigatur. Sicque patet ideam præſentare res ut factibiles, abſtrahendo an aliquando futuræ ſint, nec ne, adeoque non minùs repræſentare merè poſſibiles, quàm futuras.

Reſol. 2. Deum etiam habere ideam non tantùm compoſiti, ſed etiam partium componentium ſigillatim, adeoque materię & formæ; cùm illæ non ſint minùs factibiles, quàm compoſitum, imò compoſitum non ſit factibile ſine illis.

Reſol. 3. Non eſſe in Deo ideas generum aut ſpecierum diſtinctas ab ideis individuorum. Ratio eſt; quia genus nunquam ſit niſi in ſpecie, nec ſpecies in individuo, & conſequenter ſufficiunt ideæ individuorum.

Reſol 4. Nec eſſe in Deo ideas tenebrarum, cœcitatis, & aliarum privationum aut negationum, cùm non habeant propriam entitatem factibilem: quod à fortiori dicendum eſt de entibus rationis.

Reſol. 5. Nec eſſe in Deo ideam peccati ut peccati, cùm ut ſic non ſit ens, ſed defectus entis: eſſe tamen ideam peccati phyſicè ſpectati, cùm ſit entitas à Deo factibilis.

Nec refert quòd Deus cognoſcat peccatum ut peccatum; quia ex eo quòd habeat ideas omnium factibilium non ſequitur quòd debeat habere omnium cognoſcibilium.

Reſol. 6. Non eſſe in Deo ideam eſſentiæ divinæ, cùm non ſit factibilis: nec Filii & Spiritus Sancti; quia licèt ſint producibiles, non tamen poſſunt repræſentari, antequam ſint; idea autem eſt repræſentatio formalis rei, quæ nondum eſt.

CONCLUSIO III.

DIvina idea Objectiva (cui præſertim competit ratio ideę, quandoquidem idea formalis, ſeu cognitio ideæ objectivæ, non ſit id, ad quod reſpicit artifex, ſed applicatio illius, quod intuetur in operando) eſt eſſentia divina quatenùs factibilia repræſentans. Eſt in D. Bonav. & Scoti 1. diſt 35. q. un. n. 13. & 4. diſt. 50. q. 3. n. 4 contrà quoſdā Thomiſtas volentes eſſe eſſentiā quatenùs imitabilē & participabilē à creaturis in ratione entis.

Prob. 1. Concluſio. Idea divina eſt illud, ad quod reſpicit Deus in operando ad extrà, ſed ad ſolam eſſentiam ſuam quatenùs factibilia reprę́ſentantem reſpicit, cùm illa ſola ſit. 1. ratio cognoſcendi omnes creaturas poſſibiles ſecundùm naturas, proprietates, & modum, quo fieri poſſunt: ergo &c.

Prob. 2. Quia eo ipſo quo aliquid eſt repræſentativum rei factibilis, habet rationem ideæ, ſive interim ſit participabile & imitabile ab ideato, ſive non, ut habet ſenſus communis.

Prob 3. Ut eſſentia divina ſit idea creaturarum, vel ſufficit quòd ſit imitabilis ſeu participabilis à creaturis in ratione entis ut ſic, vel requiritur ut ſit imitabilis in ratione talis entis: ſi primum: ergo omnis res eſt idea cujuslibet rei, adeoque muſca ſtatuæ Cæſaris, cùm omnis res ſit imitabilis in ratione entis ut ſic. Si ſecundum. ergo creatura debet habere eſſentiam divinam, & eſſe Deus; quod nemo dixerit.

Dices 1. Contrà principale Concluſionis, nempe quòd idea divina objectiva ſit divina eſſentia: Scotus 1. d 35 n. 12. docet ideam objectivam eſſe creaturas factibiles, quatenùs à Deo in ſemet ipſo repræſentatas, & cognitas: ergo non eſt eſſentia.

Reſp. Scotum eſſe verè problematicum, nihilque ibi determinare, ut legenti patebit, imò potiùs ſententiæ noſtræ adhærere, ut colligitur ex iis quæ habet 4 d 50 q 2 n 4. ubi ait: *Oportet ergo quod per illam eſſentiam, quæ perfectiſſimè omnia repræſentat, quæ ut ſic repræſentans illa ut objecta cognita, habet rationem ideę*. Et interiùs *Imo ipſa eſſentia eſt exemplar illimitatum*. Quid clariùs pro nobis?

Dices 2. Artifex volens ædificare domum, habet pro idea ipſammet domum ædificandam ſibi objectivè repræſentatam; ergo Deus volens producere creaturas, non habet pro idea ſuam eſſentiam, ſed ipſaſmet creaturas ſibi objectivè repræſentatas: undè SS. Patres dicunt, creaturas eſſe in mente divina, ſicut eſt domus in mente Artificis.

Reſp. Neg. Ant. Artifices enim habent ordinariè pro idea rei faciendæ non ipſam rem externam faciendam ſibi repræſentatam, ſed imaginem quamdam quam de re facienda in ſua mente efformant: undè in hoc conveniunt Artifices creati cum increato, quòd hic, ſicut illi, habeat in ſe imaginem rei faciendę: diſconveniunt tamen in hoc, quòd illi, cùm non habeant naturaliter in ſe aliquod objectum primum, in quo cætera repræſententur, debeant ideas ſuas efformare: non ſic Deus, quandoquidem ejus eſſentia ſit omnium factibilium imago.

CONCLUSIO IV.

DAntur in Deo plures ideę, ſaltem ratione diſtinctę. Ità SS. Patres, qui de ideis divinis, quaſi de pluribus loquuntur.

Ratio eſt; quia eſſentia divina, quatenùs eſt repræſentativa arboris factibilis, videtur diſtingui, ſaltem ratione, à ſeipſa quatenùs repræſentativa hominis, cùm alium reſpectum dicat ad arborem, quàm ad hominem.

Dixi: *Saltem ratione diſtinctæ*, quia ſi diſtinguerentur formaliter ex natura rei, ut vult Poncius, eſſent in eadem eſſentia ſub ratione eſſentiali infinitæ formalitates, ſicut ſunt infinitæ creaturæ poſſibiles: cujus multiplicationis non apparet ſufficiens fundamentum.

QUÆSTIO XII.

Sed variæ Quæſtiunculæ de ſcientia Dei.

PEtes 1. An ſcientia Dei ſit diſcurſiva; Reſp. Neg. Quia in diſcurſu vel colligimus ignotum ex noto, vel unum poſt aliud, vel utrumque: quodlibet autem illorum repugnat Deo, cui nihil ignotum, quique novit omnia ſimul; undè D. Thomas q 14. art. 7. 7. *In ſcientia divina nullus eſt diſcurſus*.

Pe-

Digitized by Google

Petes 2. An ſcientia Dei ſit cauſa rerum? Reſp. Non eſſe cauſam efficientem, ſed ſolùm directivam, quidquid dicant aliqui Thomiſtæ, immeritò ſeſe in D. Thoma fundantes; quia *ſcientia Dei*, verba ſunt D. Thomæ q.14. art.8. *ſe habet ad omnes res creatas, ſicut ſcientia artificis ſe habet ad artificiata* ſed artificiatum v.g. calceus, aut pileus, non procedit à ſcientia artificis effectivè, cùm ità procedat potentia & imperio voluntatis exequentis, ut patet experientia: ergo ſolùm directivè: unde D. Angelicus, poſtquam dixit ſcientiam Dei eſſe cauſam rerum, ſubdit: *neceſſe eſt, quòd ſua ſcientia ſit cauſa rerum ſecundùm quod habet voluntatem conjunctam*, inſinuans per hoc quòd intellectus quidem dirigat, ſed voluntas decernat.

Dices 1. *Dominus ſapientia fundavit terram*, Proverb.3. undè de illa legitur Sap.8. *Quis, eorum quæ ſunt, magis quàm illa, eſt artifex?*

Reſp. Fundaſſe terram ſapientia dirigente, non efficiente: quo ſenſu etiam dicitur ſcientia Dei artifex: undè rerum efficientiam tribuit Scriptura Pſ.148. ſoli voluntati imperanti: *Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt*; & ideo Auguſtinus lib. de ſpeculo c 7. *Voluntas divina opus eſt, cui velle eſt poſſe, quia omnia, quæ ex nihilo creaſti, ſed voluntate feciſti*.

Dices, *Univerſas creaturas ſpirituales & corporeas, non quia ſunt, ideo novit Deus; ſed ideo ſunt, quia novit*. Auguſt. 5. de Trinit. relatus à D. Thoma loc. cit. ubi rerum exiſtentiam tribuit Dei cognitioni.

Reſp. D. Auguſtinum nihil aliud velle, niſi quòd creaturæ non cognoſcantur à Deo, quia ſunt; cùm illas cognoſceret, antequàm eſſent; ſed eſſe, quia illas novit; quia niſi illas ſciret, non poſſent eſſe, cùm ſit neceſſariò omniſcius: undè infert exiſtentiam rerum ex Dei cognitione tanquam ex aliquo neceſſariò præexiſtente in Deo, ut ſint, nihil ibi determinando, an illud præexiſtens ſit cauſa nec nè: imò determinando alibi contrarium, ubi nimirum tribuit ſoli voluntati divinæ rerum exiſtentiam.

Dices 3. D. Thomas hìc aſſerit, quòd forma intellectus eſt principium operationis, ſicut calor eſt principium calefactionis: ſed calor eſt cauſa effectiva calefactionis: ergo.

Reſp. S. Doctorem illa comparare inter ſe in ratione cauſæ præcisè: non in ratione talitatis cauſæ, ſeu vult utrumque eſſe cauſam, ſive interim ſit dirigendo, ſive efficiendo: & certè quomodo poſſet illa comparare in talitate cauſæ; Cùm intellectus artificis non attingat phyſicè calceum v.g. ſicut calor attingit phyſicè ignem.

Petes 3. Quæ ſcientia ſit cauſa rerum directiva? Reſp eſſe ſcientiam ſimplicis intelligentiæ.

Ratio eſt; quia cùm ſcientia viſionis ſit poſterior decreto, vel ſaltem ſupponat decretum, non poteſt dirigere Deum in decernendo. Præterea cum ſcientia viſionis intuitiva, ſaltem reſpectu aliquando exiſtentium; ſupponit exiſtentiam objecti, adeòque non dirigit Deum in decernenda illius exiſtentia. Accedit quòd ſcientia Dei rerum directiva comparetur ſcientiæ artificis; hujus autem ſcientia directrix operis, non eſt illa, qua videt opus exiſtens, ſed illa, qua concipit opus ponendum.

Dices: Scientia ſimplicis intelligentiæ tantùm verſatur circa res merè poſſibiles: ergo non poteſt dirigere Deum circa res aliquando exiſtentes.

Reſp. Diſt. Ant. Tantùm verſatur circa res merè poſſibiles, id eſt, ſub ſtatu meræ poſſibilitatis conſideratas quales ſunt omnes omnino creaturæ ante decretum: C. id eſt, tantùm verſatur circa res nunquàm futuras: N. cùm enim verſetur ante decretum circa res omnes, etiam verſatur circa illas, quæ per decretum decernentur futuræ, & circa has, cùm decernuntur Deum dirigit. Ubi autem intelliguntur decretæ, illas cognoſcit ut aliquando exituras per ſcientiam viſionis, undè ſcientia ſimplicis intelligentiæ dirigit res ut decernendas, & ſcientia viſionis cognoſcit decretas.

Petes 4. Quomodo ſtet quòd ſcientia viſionis (juxta dicta de decretis conditionatis) verſetur circa futura conditionatè, etiam nunquam ponenda, defectu ſcilicet conditionis, cùm dicat Scotus 3. diſt.14. q.2. ſcientiam viſionis tantùm verſari circa habentia exiſtentiam in aliqua temporis differentia?

Reſp. Talia futura conditionata dupliciter ſpectari poſſe, primò ut abſtrahunt ab omni futurizatione, & ut ſic, cùm nullum ſupponant decretum, adeòque ſint merè poſſibilia, non ſunt objecta ſcientiæ viſionis. Secundò ut ſupponunt futurizationem conditionatam, conditionatamque poſitionem in tali tempore, ſi tunc nempe ponatur conditio, & ut ſic, cùm ſupponunt decretum, non negat Scotus eſſe objecta ſcientiæ viſionis.

DISPUTATIO SEXTA.

De divina voluntate & volitione.

CUm juxta Axioma commune, nihil ſit volitum niſi præcognitum, congruenti ordine priùs de Dei cognitione, ſeu ſcientia egimus.

QUÆSTIO I.

An detur voluntas in Deo, & appetitus innatus?

CONCLUSIO I.

DAtur, in Deo voluntas. Eſt de fide. Prob. 1. Ex Script. 1. Machab. 3. *Sicut fuerit voluntas in cælo, ſic fiat*. Matth. 6. *Fiat voluntas tua*. Et 1. ad Theſſal 4. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra*. 2. Ex Conciliis definientibus contra Monothelitas, duas eſſe in Chriſto voluntates, divinam, & humanam. 3. Ratione, quia voluntas eſt perfectio ſimpliciter, adeòque Deo tribuenda:

An autem voluntas divina ſit potentia, ſaltem formaliter ex natura rei, ab eſſentia & volitione actuali diſtincta? Dependet ex dictis de intellectu, ubi partem affirmativam ſuſtinuimus. Licèt autem Thomiſtæ negant divinam voluntatem eſſe potentiam, tum reſpectu volitionis eſſentialis, qua Deus ſeipſum vult & amat, tum reſpectu volitionis accidentalis, qua vult & amat creaturas; fatentur tamen reſpectu Spiritus Sancti eſſe in Patre & Filio voluntatem per modum potentiæ in ordine ad productionem perſonalem, ſicut eſt in Patre ſolo potentia intellectiva reſpectu Filii producti.

CONCLUSIO II.

PRæter appetitum elicitum in Deo, poni poteſt appetitus innatus, ſeu inſitus, hoc eſt, inclinatio quædam naturalis in bonum ſibi conveniens. Ita Suarez, Præpoſitus, & alii.

Ratio eſt; quia talis appetitus reperitur non tantùm in creaturis rationalibus, ſed etiam irrationalibus & inanimatis: ergo & in Deo, cui omnes creaturarum perfectiones ſunt tribuendæ, excocta rubigine totius imperfectionis. Hinc

Reſol. Eſſe in Patre appetitum innatum reſpectu Filii, in Patre & Filio reſpectu Spiritus Sancti, & in tribus Perſonis reſpectu ſuorum Attributorum, & creaturarum, quas poſſunt & volunt producere; non eſt tamen in eſſentia appetitus innatus reſpectu ſuorum Prædicatorum eſſentialium; nam appetitus, ſaltem innatus, ſupponit ad minimum, ordinem rationis inter appetens & appetitum, qualis non concipitur inter eſſentiam & Prædicata eſſentialia.

Dices 1. Appetitus verſatur circa rem abſentem: ſed Attributa divina ſunt Deo præſentia & identificata. ergo &c.

Reſp. Diſt. Ma. Omnis appetitus verſatur &c. N. Aliquis: C. Datur ergo duplex appetitus, unus per modum deſiderii, & verſatur circa bonum ſaltem aliquo modo abſens: alius per modum gaudii & delectationis; & verſatur circa bonum poſſeſſum & præſens, & talis eſt appetitus eſſentiæ divinæ reſpectu ſuorum Attributorum. Imo ſi concipiatur eſſentia divina ut nondum habens ſua Attributa, quorum eſt principium & radix, dici poteſt illa appetere per modum deſiderii, ſicut natura appetit ſuas proprietates, quæ necdum concipiuntur emanatæ. Similiter ſi concipiatur Pater, antequam producat Filium, item Pater, & Filius, antequàm ſpirent Spiritum Sanctum dici poſſunt appetere terminum ſuum per modum deſiderii, per modum verò delectationis, ſi conſiderarentur quatenùs habent actualiter ſuum terminum.

Dices 2. Appetitus innatus eſt, vel naſcitur ex indigentia naturæ de ſe inclinantis ad aliud: ſed Deus in ſuo eſſe non indiget ulla creatura; quia ſi omnes implicarent & nihil eſſent, eodem modo ipſe eſſet: ergo non habet appetitum innatum reſpectu illarum.

Reſp Diſt. Maj. Inclinantis ad aliud, à quo neceſſariò dependeat: N. à quo non dependeat aliquando, ſed è contra illud aliud ab ipſo appetente: C. & talis eſt appetitus Dei reſpectu creaturarum: Deus enim, cùm ſit eſſentialiter bonus, bonum autem ſit ſui diffuſivum, appetit ſe communicare creaturis, à quibus non dependet, ſed illæ ab ipſo.

QUÆSTIO II.

Quotuplex voluntas in Deo?

SUppono 1. Voluntatem hic ſumi pro volitione: quo ſenſu locutus eſt Auguſtinus, cùm dixit: *Nihil magis eſt in poteſtate voluntatis quàm ipſa voluntas*, id eſt, volitio.

Suppono 2. Voluntatem Dei, ſeu volitionem eſſe in ſe unicam & ſimpliciſſimam, & tantùm ratione objectorum & effectuum, ad quos terminatur, eſſe multiplicem.

CONCLUSIO I.

Dividitur 1. Voluntas divina in voluntatem beneplaciti, qua Deus propriè & formaliter aliquid vult: & voluntatem ſigni, quæ non tam eſt voluntas, quàm voluntatis manifeſtatio. Manifeſtatur autem per præceptum, prohibitionem, permiſſionem, conſilium, & operationem, quæ omnia comprehendit hic verſus:

Præcipit ac prohibet, permittit, conſulit, implet.

Advertendum tamen, quòd licèt per illa ſigna Deus ſemper velit aliquid, non tamen ſemper id præcisè, quod primo aſpectu concipimus eum velle: nam quando præcepit Abrahamo ut immolaret filium ſuum, videbatur abſolutè immolationem exigere; cùm tamen ſolam Abrahæ obedientiam & promptitudinem ad immolandum poſtularet. Interim quamdiu de contrario nobis non conſtat, ſemper debemus id exequi, quod ſincerè credimus nobis à Deo præcipi: ſive interim aliud velit Deus, ſive non: cujus rei exemplum nobis reliquit magnus ille Patriarcha, qui cœco modo obediens, proprium filium immolaſſet, niſi fuiſſet impeditus.

CONCLUSIO II.

Dividitur 2. Voluntas in efficacem, & inefficacem. Prima eſt illa, qua Deus vult infallibiliter aliquid fieri: Secunda verò, qua non vult quidem infallibiliter rem fieri, deſiderat tamen ut fiat. Confundunt aliqui hanc diviſionem cum diviſione in voluntatem abſolutam, qua Deus vult abſolutè aliquid fieri; & conditionatam, qua vult aliquid fieri ſub conditione, ſed immeritò; quandoquidem detur voluntas abſoluta, quæ non eſt efficax, & conditionata, quæ non eſt inefficax: nam voluntas, qua vult neminem peccare, eſt abſoluta, non tamen efficax: & voluntas ſalvandi juſtos, ſi perſeverent, eſt conditionata, & tamen efficax, quantùm eſt de ſe.

CONCLUSIO III.

Dividitur 3. Voluntas in antecedentem & conſequentem: cujus diviſionis originem trahunt Scholaſtici ex Damaſceno lib. 2. de Fide Orthodoxa Cap. 29. Porrò voluntas antecedens eſt illa, qua Deus ex ſe & ſua naturali propenſione vult aliquid ſecundùm ſe, nullo habito reſpectu ad circumſtantias, quibus eſt executioni demandandum, ſive interim ſit efficax, ſive non. Quo pacto vult omnibus benefacere, omnes ſalvare, neminem perire. Conſequens verò eſt illa, qua Deus vult aliquid non ſecundùm ſe præcisè, ſed habito reſpectu ad circumſtantias, quibus ſublatis, contrarium vellet: ſic vult aliquos damnare, habita ratione demeritorum, quæ, ſi non eſſent, vellet eos ſalvare: unde voluntas antecedens oritur ex Dei bonitate & miſericordia, conſequens verò ex hominis pravitate: vult enim Deus præmiare, quia bonus eſt, vult punire quia juſtus eſt. Hinc Tertullianus lib. de reſurrectione carnis: *Deus de ſuo optimus, de noſtro juſtus*. Ex quibus

Reſol. 1. Voluntatem ſalvandi prædeſtinatos, etiam efficacem & abſolutam, eſſe antecedentem; quia, ut dicemus poſtea, electio efficax ad gloriam fit independenter à præviſis meritis: voluntatem verò damnandi reprobos eſſe conſequentem; quia reprobatio non fit independenter à præviſis demeritis: undè voluntas conſequens verſatur circa pœnam, ſemperque habet adjunctam velleitatem oppoſiti, nempe ſalvandi reprobos, niſi eorum peccata impedirent. Voluntas autem antecedens verſatur circa bonum, non circa pœnam, eſtque abſoluta circa finem reſpectu prædeſtinatorum, conditionata reſpectu aliorum, ſi nempe non ponant obicem. Dico circa finem: nam circa media ad finem obtinendum neceſſaria eſt etiam abſoluta & efficax reſpectu eorum, qui pereunt; nam Deus ex vi voluntatis antecedentis ſalvandi omnes homines, ſubminiſtrat omnibus media, quibus ſalvari poſſint.

Reſol. 2. Opera bona præviſa à Deo in prædeſtinatis, non mutare ejus voluntatem de antecedenti in conſequentem, ſed tantùm confirmare antecedentem, qua independenter à præviſis eorum meritis illos ſalvare decreverat; mala verò opera in reprobis mutare ejus voluntatem antecedentem illos ſalvandi, in voluntatem conſequentem illos damnandi, intellige ſecundùm modum noſtrum concipiendi, cùm Deus non poſſit mutari. Nec indè ſequitur eſſe voluntates oppoſitas in Deo: nam voluntas illos ſalvandi eſt conditionata, ſi nempe moriantur in gratia, cui non opponitur voluntas illos damnandi poſt præviſam mortem in peccato.

Reſol. 3. Nos in exponenda voluntate antecedente & conſequente genuinam Damaſceni mentem fuiſſe ſecutos, quamvis aliqui paulò aliter loquantur, volentes antecedentem voluntatem nunquam eſſe efficacem reſpectu finis, adeoque nunquam ultimatè impleri, niſi tranſeat in conſequentem: voluntatem verò conſequentem ſemper quidem impleri, & eſſe efficacem ultimatè, ut nos dicimus, ſed verſari tam circa præmium, quàm circa pœnam; quòd bene advertendum eſt, ut inter diſputandum vitetur confuſio. Pro Coronide

Adverte voluntatem divinam non eſſe antecedentem & conſequentem ex parte ſua, cùm in Deo nihil ſit prius & poſterius; ſed ex parte objecti, circa quod ut nudè & præcisè ſpectatum dicitur verſari voluntas antecedens; conſequens verò circà illud ut circumſtantionatum; quia res ſecundùm ſe prioris dicitur conſiderationis, quàm res circumſtantiis veſtita.

QUÆSTIO III.

Quodnam ſit objectum divinæ voluntatis?

Suppono 1. Duplicem diſtingui poſſe in Deo bonitatem, eſſentialem unam, quæ eſt ipſamet Dei eſſentia: attributalem alteram, quæ eſt perfectio formaliter ab eſſentia diſtincta.

Suppono 2. Quæſtionem procedere tam de objecto motivo, quàm determinativo.

CONCLUSIO I.

Objectum motivum divinæ voluntatis ad quodlibet volendum, eſt bonitas eſſentialis, ſeu eſſentia divina. Ità communiter Theologi, quibus conſonat Scotus 3 d. 32. n. 5. ubi ait: *Sola eſſentia divina poteſt eſſe prima ratio agendi tam intellectui divino, quàm voluntati, quia ſi aliquid aliud eſſet prima ratio agendi, vileſceret illa potentia.*

Prob. 1. Deus in quodlibet volendo eſt ſuus ſibi finis, vel quaſi finis: univerſa enim *propter ſemetipſum operatus eſt*: ſed *in his quæ volumus propter finem, tota ratio movendi eſt finis*, ut inquit D. Th. 1. p. q. 19. art. 2. ad 2. Et patet experientia noſtra: ſi enim pharmacum propter ſanitatem ſumimus, ad ſumptionem illam movet ſanitas: & ſic de aliis: ergo motivum ſeu ratio volendi in Deo, eſt ipſemet Deus: ſeu ejus bonitas eſſentialis.

Dixi initio Probationis: *Vel quaſi finis*; quia licèt Deus ſit propriè finis ſuorum effectuum, non tamen ſui ipſius, & ſic non amat ſe propter ſe quaſi finem ſui, ſed tanquam ſummum bonum: cujus rationem adfert Scotus 1 d. 1. q. 5. n. 6 quòd *reſpectu nullius eſt cauſa finalis aliqua, niſi reſpectu cujus eſt cauſa efficiens, quia cauſalitas cauſæ finalis eſt movere efficiens ad agendũ*; cùm autem reſpectu Dei nulla ſit cauſa efficiens, ità nec ulla finalis, ſtrictè loquendo.

Prob. 2. Objectum motivum divini intellectus ad quodlibet intelligendum, eſt veritas eſſentialis, ut diximus: ergo objectum motivum divinæ voluntatis ad quodlibet volendum, eſt bonitas eſſentialis. Præterea actui perfectiſſimo debetur motivum perfectiſſimum, cùm ab illo ſpecificetur: ſed actus divinæ voluntatis eſt actus perfectiſſimus: ergo ejus motivum debet eſſe perfectiſſimum, adeoque eſſentia divina, qua nihil perfectius poteſt excogitari.

Dices 1. Deus movetur ad nos præmiandum à meritis noſtris, ad nos puniendum à noſtris demeritis, ad nobis ſuccurrendum à noſtris miſeriis: ergo non ſola bonitas eſſentialis eſt objectum motivum divinæ voluntatis.

Reſp. Diſt. Ant. Deus movetur à meritis noſtris &c. quatenùs ſunt in ſeipſis: N. Quatenùs in ſua bonitate eſſentiali eminenter contentis, & in eadem repræſentatis: C. Fateor quidem demerita ut demerita non contineri in divina bonitate, ſed continentur ſecundùm entitatem phyſicam, quam videt Deus privari rectitudine morali debita.

Dices 2. Creaturæ habent in ſe bonitatem formalem: ergo poſſunt eſſe objectum divinæ voluntatis.

Reſp. Diſt. Conſeq. Poſſunt eſſe objectum motivum: N. terminativum: C.

Dices 3. Deus vult creaturas, ut ab ipſis honoretur, colatur, & glorificetur: ergo non propter ſuam bonitatem eſſentialem.

Reſp. Diſt. Ant. Ut ab ipſis honoretur &c. ità ut illarum cultus & glorificatio erga Deum, ſit finis ultimatè à Deo intentus: N. ità ut ſit tantùm finis medius, quem Deus ad ſeipſum tanquam ad finem ulteriorem & ultimatum ordinat: C.

Dices 4. Si Deus amaret creaturas propter ſuam bonitatem eſſentialem, creaturæ eſſent media ad illam aſſequendam, ſicut quando quis diligit pharmaca propter ſanitatem, pharmaca ſunt media ad ſanitatem recuperandam: ſed implicat creaturas eſſe media, ut Deus bonitatem ſuam poſſideat: ergo.

Reſp. Diſt. Maj. Creaturæ eſſent media à Deo gratuitò & liberaliter intenta, & quidem in bonum ipſarummet creaturarum, quibus glorioſum eſt ad Deum referri: C. Eſſent media, à quibus dependeret Deus: N. Nullis enim exiſtentibus creaturis, eodem modo bonitatem ſuam eſſentialem poſſideret.

Dices 5. Deus amat creaturas amore amicitiæ: ſed ſi illas amaret propter ſe, amaret illas amore concupiſcentiæ: ergo.

Reſp.

Reſp Diſt. Min. Si illas amaret propter ſe, id eſt, propter ſuum commodum, amaret amore concupiſcentiæ: C. ſi illas amaret propter ſe, id eſt, ſi amando, illas ordinaret ad ſe propter commodum ipſarummet creaturarum, quibus maximum eſt bonum ad Deum referri tanquam ad finem ultimum: N. Undè amor ille eſt veriſſimus amor amicitiæ, cùm non intendatur commodum amantis, ſed

CONCLUSIO II.

Objectum divinæ voluntatis terminativum ſunt Deus & creaturæ: Deus quidem, ſaltem ſecundùm bonitatem eſſentialem, primarium: creaturæ ſecundarium. Ità communiter Theologi.

Prob. Illud eſt objectum primarium alicujus potentiæ: quod per ſe & primariò attingitur ab illa potentia: ſecundarium verò, quod nonniſi ratione alterius: ſed quod per ſe & primariò attingit divina voluntas, eſt bonitas eſſentialis, cùm ſit primum bonum, & primò repræſentatum: quod autem ſecundariò, ſunt creaturæ; quandoquidem illas diligat propter ſuam bonitatem, quam in ſeipſis participant & repræſentant: ergo.

Dixi: *Saltem ſecundùm bonitatem eſſentialem*; quia diſputatur, an Attributa divina & relationes pertineant ad objectum primarium vel ſecundarium; ſed facile eſt controverſiam dirimere, dicendo pertinere ad objectum primarium, ſi ut unum quid conſiderentur cum eſſentia divina, ſeu cum bonitate eſſentiali, cui realiter identificantur: pertinere verò ad ſecundarium principale, ſi conſiderentur quatenùs formaliter diſtincta ab eſſentia, à qua tanquam radice profluunt. Ex dictis

Reſol. Non tantùm creaturas actuales eſſe objectum divinæ voluntatis, de quo non controvertitur; quandoquidem Sap. 11. dicatur: *Diligis omnia, quæ ſunt*; ſed etiam merè poſſibiles, quidquid dicant Suarez & quidam alii: & certè ſi intellectus divinus verſetur circa creaturas poſſibiles cognoſcendas, quidni voluntas divina verſatur circa illas amandas, cùm voluntas divina non minùs ſit univerſalis circa amabile, quàm intellectus divinus circa cognoſcibile.

Nec dicas cum P. Gonet creaturas poſſibiles eſſe incapaces terminandi amorem divinum; ſi enim ſint capaces terminandi divinam intellectionem ratione ſuæ veritatis entitativæ, quidni & terminandi volitionem divinam ratione ſuæ bonitatis etiam entitativæ; cùm non minùs hanc habeant, quàm illam; quandoquidem ſint entia verè poſſibilia, adeoque habentia proprietates entis, quæ ſunt veritas & bonitas. Non amat tamen illas Deus amore efficaci (aliàs vitalis amoris producerentur, & deſinerent eſſe merè poſſibiles: nam *omnia quæcunque voluit Dominus*, (ſupple efficaciter, *fecit*) ſed amore ſimplicis complacentiæ. An autem amor ille ſit neceſſarius, vel liber? Dicetur Quæſtione quinta.

QUÆSTIO IV.

An negationes & privationes, Figmenta rationis, Mala culpæ & pœnæ ſint objecta divinæ voluntatis?

CONCLUSIO I.

Negationes & privationes non ſunt per ſe objectum divinæ voluntatis.

Ratio eſt, quia cùm non habeant entitatem, ità nec bonitatem, ratione cujus divinam voluntatem terminare poſſint: quod à fortiori dicendum eſt de figmentis rationis.

Dixi in Concluſione *Per ſe*; quia dici poſſunt eſſe indirectè objectum divinæ voluntatis: Deus enim nolendo eſſe jam Anti-Chriſtum, vult negationem ejus, nolendo eſſe lucem in aere, vult tenebras: undè de ipſo dicitur Pſal. 103. *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox.* Similiter indirectè vult entia rationis, in quantùm vult eorum fundamenta, & actus, quibus finguntur.

CONCLUSIO II.

Malum pœnæ eſt objectum divinæ voluntatis proſecutivæ, ſaltem per accidens. Eſt communis inter DD.

Prob. Ex Script. Deuter. 32. *Congregabo ſuper eos mala.* Iſ. 45. *Ego Dominus creans malum.* Et Amos 3. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit*: qui textus cùm non poſſint intelligi de malis culpæ, intelligendi ſunt de malis pœnæ.

Dixi: *Saltem per accidens*, quatenus ſcilicet in illa pœna relucet aliquod bonum, v. g. juſtitiæ punitivæ: nam malum pœnæ per ſe, & quatenus malum, opponitur bono, adeoque non poteſt eſſe objectum voluntatis proſecutivæ: undè quando Deus in hac, vel in altera vita punit peccatores, non intendit malum ſub ratione mali, ſed juſtitiam culparum punitivam.

CONCLUSIO III.

Malum culpæ non eſt objectum divinæ voluntatis, ſeu Deus non vult hominum peccata. Eſt contra Calvinum, Zuinglium, & Bezam, qui horribilia in hac materia ore blaſphemo evomuerunt, ità ut illorum primus dicere non erubuerit, Deum ab æterno peccata omnia poſitivè decreviſſe, & in tempore diabolo & ſceleratis bomioibus præcipere, imò ipſos inclinare, impellere, & cogere, ut alios ad peccandum inducant: undè Inſtit c. 18. §. 1. aſſerit, Sathanam ex præcepto divino tentaſſe Job, & Judæos Dei juſſu Chriſtum crucifixiſſe: quæ refugit mens humana; & ideò illa retuliſſe, refutaſſe eſt. Nihilominùs ut magis confundantur.

Prob. 1. Concluſio ex Script. Sap. 14. *Odio ſunt Deo impius & impietas ejus.* Pſal. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es*, & alibi. Nec dicas cum Hæreticis, Deum ſimulare in Scriptura, ſe peccata nolle, & tamen ſecretò ea velle, ut habeat occaſionem exercendi juſtitiam vindicativam; nam illud aſſerere, & facere Deum mendacem, videntur mihi Synonima, cùm nolit exteriùs, quod vult interiùs. Hujus quidem rei ſolutionem promittit Calvinus lib. 1. Inſtit. cap. 1. §. 3. ſed poſt longam verborum congeriem, tandem ſic mirabiliter ſolvit: *Quomodo idem diverſo modo nolit fieri & velit, non capimus.* Præclara ſanè ſolutio: *Non capimus*: Interim benè reſpondiſti Calvine: Quis enim caperet Deum idem velle & nolle abſolutè.

Prob. 2. Ex Conciliis Arauſicano 2. Can 25. ubi anathematizantur illi, qui crediderint, Deum quoſdam ad malum prædeſtinare: & Trident. Seſſ. 6. Can 6. ubi etiam anathemate ferit illos, qui dixerint *mala opera, ità ut bona, Deum operari, non permiſſivè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe, adeò ut ſit proprium ejus opus, non minùs proditio Judæ, quàm vocatio Pauli.*

Prob. 3. Ex PP Dionyſio de divio. Nomin. cap. 4. *Non eſt in Deo malum, ſed nec eſt ex Deo malum.* Auguſtino lib. 1. de bono perſev. cap. 10. *Præſcire poteſt Deus etiam, quæ ipſe non facit, ſicut quæcunque peccata.* Fulgentio lib 1. ad Monmium cap. 19. *Illius rei Deus eſt ultor, cujus non eſt author, id eſt, iniquitatis, quam Deus poteſt punire, non facere.* Et Proſpero Reſp. ad Object. 10. Vincentianam: *Non ergo caſus ruentium, nec malignitatem iniquorum, nec cupiditates peccantium prædeſtinatio Dei aut excitavit, aut ſuaſit, aut impulit.*

Prob. 4. Ratione: Illuderetur tanquam ſtultus, & tanquam tyrannus abomuibus haberetur Princeps ille, qui prohiberet, damnaret, & puniret illa, quæ vellet abſolutè fieri: ſed Deus ſtrictiſſimè peccata prohibet, ſeveriſſimè damnat, rigoroſiſſimè punit: ergo illa non vult; aliàs videretur imprudenter agere & tyraonicè.

Prob. 5. Deus eſſentialiter non poteſt velle niſi honeſtum: ſed peccatum, cùm ſit contra rectam rationem, ſub nulla ratione poteſt eſſe honeſtum: ergo.

Objic. 1. Varia Scripturæ loca, in quibus dicitur Deus aliquos indurare & excæcare: ergo vult peccata.

Reſp. Diſt. Ant. Dicitur aliquos indurare & excæcare formaliter: N. Permiſſivè & occaſionaliter, in quantùm Deus quædam permittit aut facit, ex quibus ipſi ſumunt occaſionem ſeſe indurandi: C. Undè Exod. 8. dicitur: *Ingravavit*, ſcilicet Pharao, *cor ſuum.* Et Sap. 2. *Excæcavit illos malitia eorum*, ubi cauſa excæcationis non Deo, ſed ipſis peccatoribus tribuitur. Pro ſolutione aliorum ex Scriptura deſumptorum.

Adverte 1. Quòd Deus dicatur Pſal. 104. convertiſſe Ægyptios ad odium Iſraelitarum; quia multiplicavit in terra eorum Iſraelitas, quibus ſpecialiter benefaciebat: undè Ægyptii ſumpſerunt occaſionem odii. Item immiſiſſe ſpiritum erroris in Prophetas, 3. Reg. 22. permittendo dæmoni, ut hoc faceret, ſicut dicitur commoviſſe David, ut numeraret Iſrael, 2. Reg. 24: quia permiſit Sathanæ commovere: undè 1. Paralip. 21. dicitur *conſurrexiſſe Sathan contra Iſrael, & concitaſſe David, ut numeraret Iſrael.*

Adverte 2. Aliquando in Scriptura *Præcipere* confundi cum *permittere*: nam Marci 10. dicitur: *Moyſes permiſit ſcribere libellum repudii.* Et Matth. 19. *Moyſes mandavit dare libellum repudii.* Undè 2. Reg. 16. dicitur præcepiſſe Semei, ut malediceret David, quia id ipſi permiſit ad probandam Davidis patientiam. Et certè ſi ei præcepiſſet Deus, non juſſiſſet David illum puniri, ſicut fecit poſtea; quandoquidem adimplens Dei præceptum non ſit puniendus, ſed laudandus.

Adverte 3. Licèt Deus decreverit, quòd Chriſtus traderetur, & mortem ſubiret, non ideo tamen illum impias Judæorum actiones voluiſſe, aut Chriſti mortem quatenùs ab ipſis procuratam & illatam decreviſſe, licèt præviderit, & juſtis de cauſis permiſerit.

Objic. 2. Poteſt Deus ordinare peccatum in bonum finem: ergo poteſt illud velle.

Reſp. Diſt. Ant. Poteſt Deus ordinare peccatum jam factum in bonum finem, v. g. ad juſtitiam, puniendo: ad miſericordiam, parcendo: C. Peccatum faciendum, illud volendo: N. Quia tantùm poteſt quis velle malum ratione boni conjuncti,

cti, quando iſtud bonum conjunctum, eſt magis appetibile quàm bonum, quo privat malum; bonum autem quo privat peccatum, ſive mortale, quod privat Deo ipſo, ſive veniale, quod privat honeſtate, majus eſt omni bono, quod poteſt ſperari ex volitione peccati.

QUÆSTIO V.

Quomodo Deus amet ſeipſum, & creaturas ſive actuales, ſive futuras, ſive merè poſſibiles?

Certum eſt 1. Deum ſeipſum amare neceſſariò quoad ſpecificationem, id eſt, ſic ſeipſum amare, ut non poſſit odiſſe; nam cùm in Deo infinitè bono nihil ſit imaginabile, quod habeat rationem mali, ſolum autem malum ſit objectum odii, ſequitur, quòd ſi Deus velit in ſeipſum tendere, neceſſariò ferri debeat actu amoris, non odii. Sed an etiam ſeipſum neceſſariò diligat quoad exercitium, id eſt, ſicut non poſſit ab amore ſui ceſſare? Reſolvemus Concluſione 1.

Certum eſt 2. Deum eodem modo amare creaturas præteritas & futuras ſicut actuales; nam cùm reſpectu Dei nihil ſit præteritum, nihil futurum, ſed omnia præſentia, eodem modo fertur amore interno in res præteritas & futuras, ſicut in præſentes; undè quod reſolvemus de creaturis actualibus, reſolvemus eo ipſo de præteritis & futuris.

CONCLUSIO I.

Deus ſeipſum amat neceſſariò quoad exercitium.

Prob. 1. Deus producit Spiritum S. qui eſt verus Deus, ac proinde ens ſimpliciter neceſſarium: quod utique neceſſariò producitur (aliàs ſi poſſet non produci, non eſſet ens neceſſariū) atqui producitur per amorem, quo Deus ſeipſum amat: ergo amor ille eſt neceſſarius.

Prob. 2. Deus eſt eſſentialiter Beatus: ergo non poteſt ceſſare ab amore ſui, in quo conſiſtit beatitudo; aliàs poſſet eſſe ſine aliquo ſibi eſſentiali.

Nec dicas 1. perfectius eſſe operari liberè, quàm neceſſariò; quia licèt hoc ſit verum, quando neceſſitas eſt ab extrinſeco ſeu violenta, vel etiam ab intrinſeco ex imperfecta objecti cognitione, ut fit in brutis; non tamen quando oritur ex plena & comprehenſiva viſione objecti ſummè boni, ut fit in amore Dei: tunc enim perfectius eſt amare neceſſariò, quàm poſſe non amare; quandoquidem potentia carendi actu amoris circa bonum infinitum, non ſit perfectio, ſed magna imperfectio.

Nec dicas 2. Quòd voluntas Dei ſit libera; quia licèt ſit libera circa ea, in quibus fieri poteſt mutatio, non tamen reſpectu immutabilium, qualis eſt Deus, & res merè poſſibiles, ut dicemus poſtea.

CONCLUSIO II.

Deus amat liberè creaturas actuales, non quidem libertate quoad ſpecificationem, cùm non poſſit eas odiſſe, ſed libertate quoad exercitium. Ità Scotus q. 16. quodlib. n. 9. ubi ait: *Voluntas infinita neceſſariò habet actum circa objectum infinitum; quia hoc eſt perfectionis, & pari ratione non neceſſariò habet actum circa objectum finitum; quia hoc eſſet imperfectionis; nam imperfectionis eſt neceſſariò determinari ad poſterius, & perfectionis requiſitæ eſt ſic determinari ad prius.*

Prob. 1. Ex Script. ad Epheſ. 1 *Deus operatur omnia ſecundùm conſilium volantatis ſuæ*: quod autem ex conſilio fit, liberè fit.

Prob. 2 Deus liberè operatur ad extrà, ut definitum eſt in Concilio Conſtantienſi contra Wicleffum, ſed amor Dei erga creaturas eſt operatio ad extrà: ergo &c.

Prob. 3. Deus, cùm ſit liber, diligit aliquid liberè: non ſeipſum, ut diximus: ergo creaturas; non poſſibiles, ut infrà patebit: ergo actuales, & aliquando exiſtentes.

Prob. 4. Cùm enim Deus creaturas aliquando exiſtentes liberè producat, liberè conſervet, imò & liberè deſtruat, quidni & liberè diligeret? Unde nullum amoris neceſſarii fundamentum videmus.

Objic. 1. Scientia creaturarum actualium in Deo eſt neceſſaria: ergo & amor neceſſarius.

Reſp. Neg. Ant. Quia ſcientia creaturarum aliquando exiſtentium eſt ſcientia viſionis innixa decreto, & in eo ſundata, adeoque libera ſicut & ipſum decretum: poteſt tamen dici neceſſaria ex ſuppoſitione decreti de earum exiſtentia in aliqua temporis differentia; nam ſicut, poſito illo decreto, non poſſunt non exiſtere in tali tempore, ità non poſſunt non cognoſci; ſed nihil inde contra nos; quia amor non ſupponit exiſtentiam creaturarum pro aliquo tempore, ſicut ſcientia, ſed eam efficit, & ſic nihil obeſt, quominùs ſit liber.

Objic. 2. Qui vult neceſſariò finem, vult neceſſariò media: ſed Deus vult ſeipſum neceſſariò: ergo & creaturas, quas ad ſe ipſum tanquam media ad finem ordinat.

Reſp. Diſt. Maj. Quando ſine mediis non poteſt eſſe finis: C. Quando poteſt eſſe: N. Deus autem eſſe poteſt, ſaltem ſub ratione ſummi boni, ſine creaturis.

Objic. 3. Deus non amat in creaturis niſi ſuam bonitatem: ſed ſuam bonitatem amat neceſſariò: ergo & creaturas.

Reſp. Diſt. Maj. Niſi ſuam bonitatem entitativam: N. Aliàs non amaret creaturas. Niſi ſuam bonitatem participatam: C. Sed nego Conſeq.

CONCLUSIO III.

Deus amat neceſſariò creaturas merè poſſibiles, non tantùm quoad ſpecificationem, ſed etiam quoad exercitium. Ità Caietanus, Vaſquez, Arrubal, Fraſſen, eſtque communis inter recentiores Theologos, quibus favet Scotus variis locis.

Prob. Ratione fundamentali: Nullus poteſt eſſe in voluntate actus liber, niſi vel in ipſa, vel in objecto poſſit eſſe aliqua mutatio: ſed in actu voluntatis divinæ circa poſſibilia nulla poteſt eſſe mutatio: ergo. Prob. Min. (Major enim ſupponitur ex dicendis) 1 Non poteſt eſſe mutatio in voluntate divina, cùm ſit indiſtincta realiter ab eſſentia, quæ eſt ex ſe omnino invariabilis & immutabilis, ut diximus. 2. Nec in creaturis poſſibilibus quatenus poſſibilibus: nam ſemper & neceſſariò ſunt eodem modo poſſibiles: ergo &c. undè actus divinæ voluntatis, qui eſt in ſe neceſſarius, non videtur poſſe dici liber, niſi terminetur ad objectum contingens. Pro ſolutione objectionum

Adverte 1. Amorem ſimplicis complacentiæ circa poſſibilia in Deo non eſſe operationem ad extrà, quandoquidem nihil ad extrà producatur vi iſtius amoris.

Adverte 2. Ex illo amore non ſequi proceſſionem Spiritus Sancti, quia licèt amor ille ſit neceſſarius, non eſt tamen efficax; aliàs res ipſas poſſibiles produceret.

Adverte 3 Non indè ſequi, quod Deus amet creaturas poſſibiles, ſicut ſeipſum; nam magis neceſſariò ſeipſum amat, quàm creaturas poſſibiles, cùm hæ non ſint tantæ neceſſitatis, quantæ Deus. Præterea Deus diligit ſe tanquam objectum primarium, illas tanquam ſecundarium: ſe propter ſuam bonitatem, illas non propter earum bonitatem, ſed propter ſuam.

Adverte 4. Sicut non eſt imperfectio in Deo, quòd neceſſariò intelligat poſſibilia, ità nec eſt imperfectio, quòd eadem neceſſariò diligat: undè quando Scotus ſuprà dicit: *Non neceſſariò*, ſupple Deus, *habet actum circa objectum finitum, quia hoc eſſet imperfectionis*, loquitur de actu efficaci; quia aliàs produceret neceſſariò illud objectum; non tamen loquitur de actu ſimplicis complacentiæ. nam q. 16 Quodlib art. 1. *Neceſſarió voluntas divina*, inquit, *habet actum complacentiæ reſpectu cujuſcunque intelligibilis*; adeoque reſpectu poſſibilium, quæ ſunt verè intelligibilia.

Adverte 5. Deum diligere neceſſariò creaturas poſſibiles, non propter earum bonitatem præcisè, aliàs etiam neceſſariò diligeret creaturas actuales, & futuras; ſed propter earum bonitatem neceſſariam: cùm enim res poſſibiles non liberè, ſed neceſſariò ſint poſſibiles; ità non liberè, ſed neceſſariò habent bonitatem poſſibilem: ſicque reſpectu amoris divini ſunt objectum neceſſarium, non quidem ſic, ut ab illo dependeat Deus ad ſui felicitatem & conſervationem; ſed neceſſarium in ſe propter rationem jam dictam.

Adverte 6. Poſſe non amare bonum, non eſſe perfectionem, ſed imperfectionem voluotatis creatæ.

QUÆSTIO VI.

An Deus habeat libertatem, & qualem?

CONCLUSIO I.

Datur in Deo libertas, ſeu liberum Arbitrium. Ita conſtanter Catholici contra Wicleffum, Calvinum, Lutherum, Bucerum, & alios ejuſdem farinæ.

Prob. 1. Ex Script. Pſal 93. *Deus ultionum liberè egit.* Ad Roman. 9. *Cujus vult, miſeretur. & quem vult, indurat.* Et Matt. 20. *An non licet mihi quod volo, facere?*

Prob. 2. Ex PP. Ambroſio lib. 2. de fide cap. 3. ubi explicans hæc verba 1 Corinth. 12. *Spiritus Sanctus dividit ſingulis prout vult, id eſt*, inquit, *libero voluntatis arbitrio, non neceſſitatis obſequio.* Auguſtino lib. 22. de Civit. cap. ult. *Deus, quia peccare non poteſt, ideo liberum arbitrium habere negandus eſt?* Macario Homil. 15. *Homo, ut Deus, liberi eſt arbitrii, & quod vult facit.*

Prob.

Prob. 3. Ratione: Omnes hominis perfectiones Deo tribuuntur, ſeclusis imperfectionibus: ſed libertas eſt maxima & præcipua hominis perfectio, cùm ſit *planè quid divinum præfulgens in anima, tanquam gemma in auro*, ut loquitur Bern. in Cantica: ergo Deo tribuenda.

Prob. 4. Si Deus ageret neceſſariò, neceſſariò agerent homines: hoc eſt falſum: ergo. Prob. Maj. Si Deus ageret neceſſariò, neceſſariò faceret quod & quantum poſſet: ſed Deus poteſt neceſſitare hominem ergo neceſſitaret, & conſequenter homo neceſſariò ageret, & ſic non eſſet reprehenſibilis propter peccatum, cùm nemo debeat reprehendi propter id, quod non potuit non facere. Imò

Prob. 5. Si Deus ageret neceſſariò, nequidem agerent creaturæ: nam cùm poſſit ſe ſolo facere quidquid facit cum cauſis ſecundis, omnes omnino effectus imaginabiles ſolus poneret. Pro Objectionibus ſolvendis

Adverte 1. Quòd inclinatio divinæ bonitatis ad ſe communicandum creaturis, ſit ſubordinata ejus voluntati, & conſequenter ſeſe communicet quibus vult, quomodo vult, & quãdo vult: etſi enim omne bonum ſit ſui diffuſivum, liberè tamen ſeſe diffundit, ubi liberum eſt.

Adverte 2. Quòd Deus non careret aliqua perfectione, ſi ſe non communicaret creaturis: aliàs etiam nunc non haberet omnem perfectionem, cùm non ſe communicet innumeris mundis, quibus poteſt: unde licèt communicatio Dei ad extrà ſit actio bona & honeſta, non tamen ſic, ut ejus poſitio ponat in Deo aliquam perfectionem eſſentialem, cùm ſit illo poſterior & ipſi accidentalis, nec etiam ſic, ut ejus privatio inferat aliquam in Deo imperfectionem, cùm ad ſe communicandum nulla lege teneatur: ex quibus ſequitur quòd poſſit ſe communicare, & non communicare prout voluerit, ſine ullo ſuæ bonitatis detrimento.

CONCLUSIO II.

DAtur in Deo libertas contrarietatis. Ita Fraſſen, Alarcon, & alii.

Prob. Libertas contrarietatis in hoc conſiſtit quòd quis poſſit habere actus oppoſitos circa idem objectum materiale: (circa enim objectum formale id fieri non poteſt, cùm non poſſit quis bonum ut bonum amare & odiſſe, & malum ut malum odiſſe & amare) ſed dantur in Deo actus oppoſiti, non quidem entitativè, cùm in Deo ſit unicus actus, ſed terminativè, circa idem objectum materiale, v. g. circa Magdalenam; quandoquidem illam diligat ut juſtam, odio habeat ut peccatricē: ergo &c. Non datur tamen in Deo libertas contrarietatis quoad omnia, ſicut in nobis, quaſi verò poſſet, ſicuti nos, fornicationem v. g. amare & odiſſe, amare ut bonum delectabile, ex quo ſequitur malitia, & odiſſe, ut eſt actus contra honeſtatem, aliàs poſſet peccare: quod Deo, qui eſt eſſentialiter prima totius ſanctitatis regula, repugnat.

CONCLUSIO III.

DAtur etiam in Deo libertas contradictionis, ſeu quoad exercitium, id eſt, poteſt circa aliquid actum habere, & illum ſuſpendere quoad terminationem, ſic ut illud nec velit, nec poſitivè nolit. Ita Durandus, Gabriel, Valentia, Fraſſen & alii contra plurimos.

Prob. 1. Libertas contradictionis nihil eſt aliud, quàm potentia vel quaſi potentia ex ſe indifferens ad aliquid volendum, vel non volendum negativè: ſed Deus ita voluit mundum ab æterno, ut potuerit non velle, ſeu ceſſare ab ejus volitione quoad terminationem; quandoquidem nihil potuerit ipſum neceſſitare ad ejus volitionem, aut ad ejus nolitionem poſitivam: ergo.

Prob. 2. Ratio, cur Deus non poſſet ſuſpendere actum ſuum circa exiſtentiam rerum (quod eſt punctum difficultatis & controverſiæ) eſſet, vel quia talis ſuſpenſio Deum dedeceret, vel quia non exiſtentia rerum non dependeret ſufficienter à Deo, vel quia nolitio poſitiva magis congruit ſummæ actualitati divinæ: atqui nullum horum obſtat: ergo. Prob. Min. Non primum; nam ſi potuit Deus ſine imperfectione ſuſpendere omnē actum juſtitiæ & miſericordiæ erga creaturas, ſi nempe earum exiſtentiam non decreviſſet, quidni potuiſſet ſine imperfectione ſuſpendere omnem actum circa earum futuritionem, aut non futuritionem? Non etiam ſecundum; quia eo ipſo quo Deus habet puram omiſſionem volitionis exiſtentiæ rerum, ſtatim non exiſtentia earum cenſetur eſſe ab ipſo, ſicut cenſetur eſſe exiſtentia, quando habet volitionem poſitivam: imo poſitiva nolitio exiſtentiæ eſſet ſuperflua; quandoquidem, habita pura omiſſione, neceſſariò habeatur iſta non exiſtentia. Non denique tertium; quia licèt ſumma actualitas Deo conveniat, non tamen propterea ponendum eſt in Deo aliquid ſuperfluum; quandoquidem aliundè ſit ſufficienter actualiſſimus.

Prob. 3. Poteſt homo ſuſpendere omnem actum volitionis & nolitionis poſitivæ circa aliquod objectum, quidni poſſet & Deus? Cùm in hoc reperiatur quædam libertatis extenſio.

Prob. 4. Non eſt credibile, quòd Deus circa quædam conditionata, v. g. ſi Petrus ſcribat, Joannes prandebit; ſi dormiam, Papa morietur; & alia ejuſdem farinæ, habeat ullum actum poſitivum, quo illa velit aut nolit, aliàs ferè infinita decreta circa nugas eſſent in Deo ponenda: ergo poteſt Deus ſuſpendere aut quaſi ſuſpendere ſuam voluntatem.

Objic. 1. Deus non poteſt eſſe in potentia: ergo nec indifferens ad volendum & non volendum.

Reſp. Diſt. Ant. Non poteſt eſſe in potentia ad intrinſeca, v. g. ad actum vel non actum quoad entitatem: C. ad extrinſeca: N. poteſt enim eſſe in potentia ad terminandum vel non terminandum aliquod objectum, adeoque in potentia ad aliquam perfectionem extrinſecam.

Objic. 2. Non poteſt Deus ſuſpendere omnem actum intellectus circa intelligibile: ergo nec omnem actum voluntatis circa volibile.

Reſp. Neg. Conſeq. Ex primo enim ſequeretur Ignorantia in Deo; ex ſecundo autem ſequitur perfectio, nempe extenſio divinæ libertatis.

Objic. 3. Deus ſuſpendendo actum careret perfectione, quam habet eliciendo: ergo &c.

Reſp. Diſt. Ant. Careret perfectione intrinſeca: N. extrinſeca ſibi non neceſſaria, ſed libera: C. imo perfectius eſt, Deum poſſe ſuſpendere actum quoad terminationem, quàm illum actualiter habere; quandoquidem in primo ſit perfectio intrinſeca divinæ libertati, in ſecundo tantùm extrinſeca.

Objic. 4. Deus non poteſt eſſe ſine actu ſimplicis complacentiæ circa merè poſſibilia: ergo nec ſine actu poſitivo nolitionis earum exiſtentiæ.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quod complacentia illa ſit Deo adæquatè intrinſeca, nolitio autem, quoad terminationem extrinſeca, adeoque poteſt eſſe ſine hac, non ſine illa. Ex dictis

Reſol. Deum eſſe indifferentem circa objecti contingentis exiſtentiam tripliciter, primo ad volendum, ſecundo ad nolendum poſitivè, tertio ad omiſſionem utriuſque.

QUÆSTIO VII.

Per quid conſtituatur formaliter liber actus divinus?

HErculanus ſanè nodus, quem fortè nullus adhuc hominum ſolvit, aut explicavit: ne tamen intactum relinquamus, illum aliorum more diſſolvere tentabimus, primo aliorum ſententias refutando, ſecundo noſtram ſtabiliendo.

CONCLUSIO I.

NOn conſtituitur actus divinus liber per reſpectum rationis ad creaturas.

Ratio eſt; quia Deus ab æterno habuit actum liberum, quo voluit ponere creaturas in tempore: ſed tunc non erat reſpectus rationis, cùm nulla tunc eſſet creatura, quæ illum fingeret, Deus autem illum fingere non poſſit: ergo. Præterea actus liber eſt quid reale; & conſequenter non poteſt conſtitui per formam rationis.

CONCLUSIO II.

NEc etiam conſtituitur actus divinus liber per aliquam perfectionem Deo intrinſecam, quæ ſine imperfectione potuit non eſſe in Deo ab æterno. Hæc ſententia tribuitur ab aliquibus Caietano, licèt non fuiſſe talem ejus mentem exiſtiment aliqui; ſed quidquid ſit

Prob. Vel enim illa perfectio diſtinguitur realiter à Deo, vel non: ſi primum: ergo entitas Dei non eſt ſimplex, quandoquidem conſtet rebus realiter diverſis. Præterea vel illa perfectio realiter diſtincta eſt à ſe, vel ab alio: ſi à ſe, eſt Deus, adeoque non diſtinguitur realiter ab illo: ſi ab alio, eſt creatura, nulla autem creatura poteſt eſſe Deo intrinſeca. Si ſecundum, quomodo potuit non eſſe in Deo ab æterno, cùm idem non poſſit ſeparari à ſeipſo?

CONCLUSIO III.

NOn conſiſtit volitio Dei libera, etiam partialiter, in denominatione extrinſeca petita à productione creaturarum, vel ab ipſis creaturis productis.

Ratio eſt; quia fuerunt ab æterno volitiones & decreta libera in Deo: ſed nec actio productiva creaturarum, nec ipſæ creaturæ productæ fuerunt ab æterno; ergo. Productio au-

tem futura poterat quidem ad ſummum denominare Deum liberè viliturum in tempore, non tamen liberè ab æterno volentem.

Nec dicas, quòd licèt denominatio illa non fuerit ab æterno, fuerit tamen principale ſignificatum actionis liberæ: nam vel illa denominatio requiritur, ot volitio Dei ſit libera vel non: ſi non: ergo non conſiſtit partialiter in illa: ſi ſic: ergo decreta Dei ab æterno non ſuerunt libera.

Præterea non tantùm creaturæ productæ, ſed etiam actio earum productiva ſunt effectus decreti liberi: ergo non poteſt conſtitui adæquatè vel inadæquatè per illa; quandoquidem prius non poſſit conſtitui per poſterius, nec cauſa per effectum.

CONCLUSIO IV.

VOlitio Dei libera non conſiſtit adæquatè in ſolo actu divinæ voluntatis, qui ratione ſuæ infinitatis & eminentiæ habet hunc quaſi effectum formalem adæquatum, ſcilicet conſtituere Deum volentem ſeipſum neceſſariò, & creaturas aliquando exiſtentes liberè, abſque ullo alio ſive intrinſeco, ſive extrinſeco. Eſt contra Suarez, Albertinum, & plurimos recentiores.

Ratio eſt; quia vix concipi poteſt, quomodo Deus de facto denominetur volens liberè, ita ut potuerit non eſſe volens, & forma (id eſt actus divinæ voluntatis) quæ ipſum volentem denominat, ſit neceſſaria, nec poſſit deficere; quandoquidem forma invariata ſemper tribuat eundem effectum.

Prætereà ſi volitio Dei libera ſit præcisè actus divinæ voluntatis, non eſt ratio, cur ſeipſum non amet liberè ſicut creaturas; quandoquidē eodem ipſo actu, & ſe, & creaturas diligat.

CONCLUSIO V.

VOlitio Dei libera eſt ipſemet actus divinæ voluntatis, ut liberè terminatus ad creaturas, ita ut adæquatè ſumpta nihil aliud importet ſupra actum Dei neceſſarium, præter ipſam terminationem ad objecta libera. Ita expreſſiſſimè Doctor noſter variis locis, eſtque hæc ſatis communis hoc tempore; ſed ad majorem intelligentiam

Adverte hoc eſſe diſcrimen inter voluntatem humanam & divinam, quòd humana ſit quidem indifferens ad diverſa objecta, ſed per actus diverſos, ita ut ſit alia volitio, qua vult ambulare, alia, qua vult ſedere; imò alius actus, quo non vult ambulare aut ſedere, & hoc, ut benè advertit Scotus 1. diſt. 39. n. 21. propter imperfectionem & limitationem unius actus reſpectu ſui objecti: voluntas verò divina ſit indifferens ad diverſa objecta per unum & eundem actum ab ipſamet voluntate realiter indiſtinctum, qui ratione ſuæ illimitationis poteſt terminari ad hoc vel illud objectum, ad hoc objectum vel negationem ejus, ita ut ipſo actu intrinſecè invariato, ità ſit volitio hujus mundi v. g. ut potuerit eſſe volitio alterius, imo & nolitio præſentis, ſi nempe fuiſſet terminatus ad ejus negationem: unde Deo non volente creare hunc mundum, defuiſſet in ipſo volitio hujus mundi creandi, non quidem quoad actum intrinſecum, cùm ſit perfectio Deo neceſſaria, ipſique identificata, ſed quoad terminationem ejus qua deficiente, deficit volitio mundi creandi ut mundi creandi, non ut volitio. Ex quibus ſequitur quòd volitio Dei libera importet duo, actum divinæ voluntatis neceſſarium in eſſendo, & ejus terminationem ad creaturam, ipſam volitionem paſſivè terminantem, ſicque patet quòd volitio Dei libera ut libera, ſit partim Deo intrinſeca, partim extrinſeca, intrinſeca ſecundùm actum, extrinſeca ſecundùm terminationem; quamvis & ipſa terminatio ſit quid intrinſecum divinæ volitioni liberæ, ut liberæ, quæ ut ſic non eſt forma ſimplex. Hoc poſito

Prob. 1. Concluſio: De ratione volitionis liberæ eſt ſic eſſe, ut poſſit non eſſe: ſed nihil Deo intrinſecum ſic poteſt eſſe, ut poſſit non eſſe, aliàs Deus eſſet mutabilis: ergo volitio Dei libera ut libera includit aliquid Deo extrinſecum; adeoque ipſam terminationem, cùm nihil ſit commodius aſſignabile. Ex hoc autem quòd volitio libera ut libera ſit partim Deo extrinſeca, malè inferres, libertatem divinam eſſe partim extrinſecam; nam ſicut voluntas noſtra ante omnem actum eſt omnino intrinſecè libera, cùm ſit intrinſecè indifferens ad producendum hunc vel illum actum, ità actus divinus, qui potiùs eſt ſimilis noſtræ voluntati, quàm volitioni, antequam concipiatur terminatio ad hoc vel illud objectum, eſt indifferens independenter ab omni terminatione & termino, ut terminetur ad hunc mundum, v. g. potiùs quàm ad alterum, & conſequenter omnino intrinſecam habet libertatem. Quia tamen volitio concepta ante omnem terminationem non eſt volitio alicujus objecti, & potius eſt voluntas quàm volitio, ideo non agimus de volitione illa ut ſic, ſed de volitione libera alicujus objecti, v. g. hujus mundi: & hanc dicimus eſſe partim intrinſecam, partim extrinſecam, eo quòd ultra actum importet terminationem Deo extrinſecam, quæ ſic eſt, ut potuerit non eſſe.

Prob. 2. Ratione ex Scoto deducta: Actus, quo Deus ſeipſum diligit & creaturas aliquando exiſtentes, eſt neceſſarius & liber, neceſſarios reſpectu Dei, liber reſpectu creaturarum; ſed quòd ſit potiùs liber reſpectu creaturarum, quàm reſpectu Dei, oritur ex terminatione ad objecta libera: ergo. Unde actus divinæ voluntatis reſpectu Dei eſt neceſſarius & in eſſendo, & in terminando, reſpectu autem creaturarum aliquando exiſtentium neceſſarius in eſſendo, liber in terminando.

Confirm. Volitio Dei libera, cùm ſit vitalis & immanens, debet eſſe aliquid Deo intrinſecum, cùm autem ita ſit ut potuerit non eſſe, debet eſſe aliquid defectibile & extrinſecum; ſed pro intrinſeco nihil poteſt aſſignari præter actum divinæ voluntatis neceſſarium in eſſendo, & pro extrinſeco, nihil commodius, quàm ipſa terminatio ad objecta libera: ergo &c.

Objic 1. Ex hoc ſequitur quòd volitio Dei libera, ut libera, non ſit adæquatè Deo intrinſeca: hoc dici non debet: ergo.

Reſp. Maj. in rigore eſſe veram, nec quidquam mali inde ſequi; quia tamen actus ille importat principaliter & in recto tendentiam vitalem, ideò dicitur Deo ſimpliciter intrinſeca, ſicut & dicitur vitalis.

Obji 2. Non potuit non eſſe volitio hujus mundi in Deo: ergo volitio Dei, etiam ut terminata ad hunc mundum, non eſt libera.

Reſp. Diſt. An. Non potuit non eſſe in ratione volitionis præcisè: C. eſt enim ab ipſo Deo indiſtincta. In ratione volitionis mundi: N. ſic enim terminata eſt ad hunc mundum, ut potuerit ad alium terminari & ſic non eſſe volitio hujus mundi, ſed alterius.

Inſt. Inde ſequitur, Deum eſſe volentem hunc mundum dependenter ab hoc mundo, quandoquidem non poſſit eſſe taliter volens, niſi ejus volitio terminetur ad hunc mundum.

Reſp. Diſt. ſequelam: Dependenter ab hoc mundo tanquam mero termino, in quo nulla eſt indigentia, ſed abundantia: C. tanquam à ratione & motivo, cur velit ipſum mundum: N. à ſeipſo enim ad hoc movetur.

Objic. 3. Volitio creaturæ eſt libera ab æterno: ſed illa terminatio eſt tantùm in tempore: ergo.

Reſp. Diſt. Min. Terminatio ad rem exiſtentem: C. ad rem volitam: N. Deus enim ab æterno voluit producere creaturam, & conſequenter ejus volitio fuit ab æterno ad creaturam non ut exiſtentem, ſed ut volitam terminata. Pro aliis Objectionibus

Adverte 1. Non eſſe hic & nunc in Deo volitionem alterius mundi, ſuppoſito quòd nullum præter hunc velit producere; quia volitio alterius mundi importat actum & terminationem ad alterum mundum, jam autem licèt ſit actus in Deo, non eſt tamen terminatio ad alterum mundum.

Adverte 2. Quòd ſicut voluntas noſtra poteſt nos reddere volentes aut nolentes, producendo ſcilicet volitionem aut nolitionem, ità actus divinus, qui, ut dixi, magis ſimilis eſt noſtræ voluntati quàm volitioni, poteſt Deum reddere volentem aut nolentem per hoc quòd terminetur ad rem aliquam, aut negationem ejus, adeoque ſine ulla nova forma intrinſeca.

QUÆSTIO VIII.

An divinæ voluntati inſint paſſiones?

QUoniam in noſtro appetitu ſenſitivo undecim aſſignant Philoſophi paſſiones, & totidem in voluntate noſtra affectiones, amorem, ſcilicet & odium, gaudium & triſtitiam, deſiderium & fugam, timorem & audaciam, ſpem & deſperationem, & denique iram; quærimus an affectiones illæ etiam divinæ inſint voluntati?

CONCLUSIO I.

VEre & propriè in Deo eſt amor; & quidem amicitiæ erga creaturas rationales.

Prob. 1. pars; tum ex Script. Sap. 11. *Diligis omnia, quæ ſunt*: Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum &c* & cap. 16. *Pater amat vos*: tùm Ratione; quia nihil aliud eſt amare, quàm alicui bonum velle: quod in ſe nullam includit imperfectionem, ſed è contra magnam perfectionem.

Prob. 2. pars; Quia Deus diligit creaturas rationales, dando eis eſſe, conſervari, & operari, ut eis bene ſit, & non ſibi; adeoque propter illarum utilitatem & non ſuam.

Nec obſtat, quòd illas referat in ſemetipſum tanquàm rerum omnium finem ultimum; quia non eſt bonum Dei ſed creaturarum, quòd in Deum referantur; & conſequenter non obeſt illa relatio amori amicitiæ.

Dixi in Concluſione: *Creaturas rationales*; quia cùm Deus irra-

irrationabilia fecerit propter hominem, illa diligit, non ut eis bene ſit, ſed homini; quæ dilectio non eſt in rigore amor amicitiæ, imò nec concupiſcentiæ, quandoquidem nec reſpiciat bonum amantis, nec bonum rei amatæ, ſed alicujus tertii, nempe hominis; & ideò dici poteſt amor quidam medius inter amorem amicitiæ, qui reſpicit commodum rei amatæ, & amorem concupiſcentiæ, qui reſpicit commodum amantis.

CONCLUSIO II.

REperitur etiam in Deo odium formaliter, non quidem creaturæ ut creaturæ, cùm de illo dicatur Sap. 11. *Nihil odiſti eorum quæ feciſti*, ſed creaturæ ut peccatricis.

Prob. 1. Ex Script. Pſal. 5. *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem*. Et inferiùs: *Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus*. Item ad Rom. 9. *Eſau odio habui*.

Prob. 2. Ratione, quia ſicut ſapientis eſt bonum ut bonum diligere, ità & malum ut malum odiſſe, cùm utrumque ſit ejuſdem rationis. Odium tamen illud non eſt propriè odium inimicitiæ, ſed abominationis; quandoquidem odium inimicitiæ potiùs reſpiciat perſonam, cui malum volumus, quàm malum, quod ipſi volumus: quod eſt perverſum, adeoque ipſi Deo repugnans.

CONCLUSIO III.

DAtur in Deo gaudium, non triſtitia.

Prob. 1. pars; Quia nihil eſt aliud quàm delectatio quædam & quies in bono poſſeſſo; Deus autem in ſeipſo veluti ſummo bono ac intimè poſſeſſo penitùs conquieſcit: imò & gaudet de bonis noſtris; quandoquidem de aliorum bonis gaudere nullam in ſe dicat imperfectionem.

Prob. 2. pars; Quia triſtitia ſupponit malum eveniſſe triſtato, eſſeque illi præſens: quod Deo repugnat.

Dices: Saltem triſtatur Deus, quando juſtis malum accidit.

Reſp. Neg. Aſſumpt. Quia nihil juſtis accidit, niſi Deo volente, aut permittente: Deus autem non triſtatur de eo, quod voluit aut permiſit.

CONCLUSIO IV.

EST in Deo fuga & deſiderium.

Prob. 1. pars; Quia ſicut odio habet Deus impietatem, ita & fugit. Præterea ad fugam ſufficit quòd quis fugiat malum futurum aut ſibi aut alteri: Deus autem declinat certa mala non quidem ſibi, ſed nobis eventura.

Prob. 2. pars; Quæ eſt contra Granado, Arrubal, & quoſdam alios; quia licèt non poſſit deſiderare bonum ſibi intrinſecum, cùm nulla perfectione intrinſeca carere poſſit; nullum tamen videtur inconveniens, quòd deſideret bonum ſibi extrinſecum, vel gloriam extrinſecam. Præterea ardenter vult & cupit bonum noſtrum, quandoquidem velit omnes homines ſalvos fieri.

Dices 1. Deſiderium reſpicit bonum futurum: ſed Deo nihil eſt futurum, at omnia præſentia: ergo.

Reſp. 1. Neg. Ant. Quia deſiderium, ſaltem largè ſumptum, etiam extenditur ad bonum præſens; cùm Angeli etiam actualiter Deum videndo, illum deſiderent aſpicere, ut ſuo loco diximus.

Reſp. 2. Non eſſe neceſſe ad deſiderium, quòd bonum ſit neceſſariò futurum reſpectu deſiderantis, ſed ſufficere quòd ſit futurum vel reſpectu deſiderantis, vel reſpectu illius, cui deſideratur, ut cùm Deus nobis ſalutem deſiderat, vel reſpectu creaturæ, quæ debet bonum illud exequi, ut cùm Deus vult gloriam ſuam extrinſecam à creatura amplificandam.

Dices 2. Deſiderium, quod ponitur in Deo circa ſalutem hominum, non eſt verum deſiderium: ergo. Prob. Ant. Quia ſi ſalutem omnium hominum verè deſideraret, omnes de facto ſalvarentur; quandoquidem hoc unicè ab illo dependeat.

Reſp. Neg. Ant. ad Prob. Diſt. Aſſumpt. Si verè deſideraret deſiderio abſoluto, omnes ſalvarentur: C. Si conditionato, id eſt, modò creaturæ benè vivant: N. Cùm enim, non obſtante Dei deſiderio vero, efficaci & ſincero, quantùm eſt ex parte ſua, ſæpè multi conditionem requiſitam non impleant, ità ſæpè multi ſalutem non conſequuntur.

CONCLUSIO V.

TImor, audacia, ſpes, & deſperatio non reperiuntur in Deo: non quidem timor; quia reſpicit malum futurum difficulter evitabile; Deo autem nihil difficile. Non audacia; quia non eſt niſi reſpectu objecti ardui & periculoſi, quale in Deo locum non habet. Non ſpes; quia hæc reſpicit ſuperiorem, qui bonum ſperatum poſſit tribuere; jam verò omnium ſupremus ſuperiorem non agnoſcit. Non denique deſperatio; quia impotentiam arguit operantis ad aſſequendum id quod optat.

CONCLUSIO VI.

SI ita ſumatur pro appetitu juſtæ vindictæ, datur in Deo, quandoquidem ſic ſumpta nullam involvat imperfectionem: unde ait ipſemet ad Rom. 12. *Mihi vindicta, & ego retribuam*. Si autem ſumatur, prout adjunctam habet animi perturbationem, clarum eſt non poſſe in Deo reperiri.

QUÆSTIO IX.

Quænam ſint divinæ voluntatis virtutes?

QUæſtio non procedit de virtutibus ſive Theologicis, ſive moralibus quoad habitus, cùm illi Deo repugnent, utpotè qui ponuntur in potentiis ad ſupplendam earum inſufficientiam, vel dando eis poſſe, ut habitus Fidei, Spei & Charitatis, vel dando eis facilè poſſe, ut habitus virtutum moralium. Nec procedit de virtutibus Theologicis quoad actus; cùm jam de Spe & Charitate ſeu amore Quæſt. præced. egerimus, illam ei denegando, hanc illi tribuendo, Fides autem, quæ eſt de objecto obſcuro, Deo omnia clarè videnti repugnante, ad intellectum pertinet: ſed agimus de virtutibus moralibus quoad actus, & quidem in ſenſu vulgari & latiori, quàm voluerit Philoſophus, qui ad moralem virtutem exigebat, ut bonum honeſtum alicujus virtutis particularis amaretur propter ipſammet virtutem particularem, v. g. bonum fortitudinis propter fortitudinem, bonum temperantiæ propter temperantiam &c. illud minimè ad Charitatem referendo, propter quam omnia diligit Deus

CONCLUSIO I.

DAtur in Deo vera & propriè dicta miſericordia. Ratio eſt; quia nihil eſt aliud miſericordia ex ſua ratione formali, quàm affectus ſeu voluntas ſublevandi miſeriam alterius: ſed hoc Deo competit, quandoquidem miſerias noſtras quotidiè ſublevet: ergo.

Nec refert, quòd non ſit in Deo affectus compaſſionis; ille enim merè per accidens ſe habet ad miſericordiam: undè ſi in nobis affectus ille concomitetur ordinariè miſericordiam, hoc oritur ex eo quòd ſoleamus de aliorum miſeriis triſtari & commoveri, quod Deo non accidit, qui omnes miſerias noſtras juſta de cauſa aut vult, aut permittit.

Dices 1. Miſericordia, juxta Damaſcenum, eſt ſpecies triſtitiæ: ergo Deo non competit.

Reſp. Diſt. Ant. Eſt ſpecies triſtitiæ ſumpta pro compaſſione: C. Pro voluntate miſeriam alterius ſublevandi: N.

Dices 2. Miſericordia eſt quædam relaxatio juſtitiæ: ſed Deus non poteſt relaxare juſtitiam: ergo.

Reſp. Diſt. Maj. Eſt relaxatio, id eſt, læſio juſtitiæ: N. Id eſt, remiſſio juſtitiæ ab eo, qui remittere poteſt & condonare: C. Sed in hoc non eſt imperfectio; quandoquidem non dicatur imperfectus, ſed perfectus, qui commiſſam in ſe offenſam condonat & remittit.

CONCLUSIO II.

DAntur in Deo veracitas & fidelitas, item liberalitas & magnificentia.

Prob. 1. Ex Script. 2. ad Timot. 2. de veracitate & fidelitate: *Si non credimus, ille fidelis permanet, ſeipſum negare non poteſt*: Negaret autem ſeipſum, ſi dicta ſua negaret, aut promiſſa non impleret. Similiter de liberalitate & magnificentia, Pſ. 144. *Aperis tu manum tuam & imples omne animal benedictione*, & Pſal. 8. *Elevata eſt magnificentia tua ſuper cælos*.

Prob. 2. Ratione; quia tantùm abeſt, ut virtutes illæ aliquam denotent imperfectionem, quin è contra Dei perfectionem ſummè commendent.

CONCLUSIO III.

EXcludendæ ſunt à Deo omnes omninò virtutes, quæ ſupponunt vel imbecillitatem, vel ſubjectionem, vel obligationem.

Ratio eſt; quia illa omnia important imperfectionem, ut ex ipſis terminis patet. Hinc

Reſol. 1. Non dari in Deo fortitudinem & temperantiam; quia verſantur circa paſſiones quæ debent ab ipſis regulari, & temperari.

Reſol. 2. Nec dari in Deo pietatem, obſervantiam, & Religionem; quia reſpiciunt ſuperiorē, cui honor debitus exhibeatur.

Reſol. 3. Non dari etiam gratitudinem & pœnitentiam; quia important quoddam debitum, illa quidem alteri, à quo beneficium receptum eſt, regratiandi, hæc autem peccata retractandi.

QUÆSTIO X.

An detur in Deo juſtitia?

QUadruplex hic diſtingui poteſt juſtitia: legalis, vindicativa, commutativa, & diſtributiva: de quibus omnibus procedit quæſtio.

CONCLUSIO I.

NOn datur in Deo juſtitia legalis. Ita DD. communiter.

Prob Juſtitia, quæ reſpicit alterum tamquam ſuperiorem, & bonum altius quàm ſit proprium, Deo repugnat, cùm Deus nec ſuperiorem cognoſcat, nec bonum proprio excellentius: ſed talis eſt juſtitia legalis: ergo. Prob. Min Quia juſtitia legalis inclinat, imò & ſtrictè obligat quodlibet membrum communitatis ad procurandum bonum totius, etiam cum diſpendio proprii.

Dices 1. Scotus 4. d. 46. q. 1. n. 3. ponit in Deo juſtitiam legalem: ergo.

Reſp Diſt. Ant. Ponit in Deo juſtitiam legalem, de qua hic agimus: N. aliam conſiſtentem in conformitate divinæ voluntatis ad legem æternam: Tranſeat.

Dices 2. Non minùs inclinat juſtitia legalis caput communitatis ad procurandum bonum commune, quàm quodlibet membrum: ſed Deus ut caput univerſi debet procurare bonum illius: ergo datur in eo juſtitia legalis.

Reſp Quòd licèt Deus ex debito teneretur procurare bonum univerſi (quod tamen abſolutè falſum eſt) non teneretur tamen cum diſpendio boni proprii, cùm Dei bonum infinitè prævaleat bono univerſi, & ſic malè poneretur in eo juſtitia legalis.

CONCLUSIO II.

DEus habet juſtitiam vindicativam. Ità Scotus 4. d. 24. q. 2. num. 16.

Prob. Deus ſumit vindictam de peccatis: ſed actus vindictæ ſeu punitionis pertinet ad juſtitiam vindicativam: ergo.

Dices 1. Non poteſt eſſe in Deo debitum ad puniendum: ergo nec juſtitia vindicativa.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia non eſt de ratione juſtitiæ vindicativæ includere debitum illud, licèt ſoleat eſſe apud judices creatos, qui tenentur ad pœnam malefactoribus infligendam, vel ex obedientia ad leges id imponentes, vel ex conventione ſaltem tacita, vel aliundè.

Dices 2. Juſtitia vindicativa importat ſtrictam rationem juſtitiæ: ergo includit præfatum debitum.

Reſp. Neg Ant. cum DD. communiter, qui dicunt non eſſe partem ſubjectivam juſtitiæ, ſed tantùm potentialem, id eſt virtutem juſtitiæ affinem propter æqualitatem, quam ſervat inter pœnam, & culpam.

CONCLUSIO III.

NOn datur in Deo juſtitia commutativa ſtrictè dicta. Hæc eſt inter Scholaſticos communiſſima.

Prob. Ex definitione ipſiuſmet juſtitiæ: Juſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi: ſed nulla creatura poteſt habere jus ſtrictè dictum aliquid à Deo recipiendi: ergo. Prob. Min. quia tale jus infert in Deo debitum ſtrictum ſolvendi, quod ipſi repugnat; tum quia magna eſt imperfectio alteri obſtringi; tùm quia ut ſupremus omnium Dominus, & quidem dominio eſſentialiter inabdicabili, non poteſt quidquam alteri debere; aliàs eſſet omnium Dominus, ut ſupponitur, & non eſſet, cùm non eſſet Dominus juris, quod in ipſum haberet creatura.

Confir. Supremi Domini eſt, poſſe de omnibus pro ſuo libitu diſponere: ſed ſi creatura haberet ſtrictum jus in ipſū, non poſſet de omnibus pro ſuo libitu diſponere; cùm non poſſet diſponere de jure quod haberet in ipſum creatura; teneretur que ipſi exigenti debitum ſolvere: ergo.

Objic 1. Deus ſe nobis conſtituit debitorem verbo & promiſſione: ergo datur in ipſo juſtitia commutativa. Prob. Ant. Ex SS.PP. Cypriano ſerm. *de opere & eleemoſyna Salutaris operatio promeretur Chriſtum judicem, & Deum computat debitorem*. Chryſoſtomo Hom l. 3. in Matth. *Habemus eum debitorem ob res bene geſtas*. Et Auguſtino Hom 16. de verbis Apoſt. *Tenemus Deum debitorem: debitor enim factus eſt nobis, non aliquid à nobis accipiendo, ſed quod ei placuit promittendo.*

Reſp. Diſt. Ant. Conſtituit debitorem debito juſtitiæ: N. tale enim debitum Deo repugnat, ut diximus. Debito fidelitatis, quia ſcilicèt non poteſt mentiri: C. nec plus volunt Patres citati; quandoquidem ipſemet Auguſt lib. 1. Confeſſ. cap. 4. dicat: *Reddis debita, nulli debens*, quaſi diceret: *Reddis debita* ex promiſſione, *nulli debens* ex juſtitia.

Inſt. 1. Scriptura conſtituit Deum debitorem ex juſtitia, ut 2 ad Timoth 4. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex*, & alibi ſæpè Deum vocat juſtum, eique juſtitiam ſimpliciter tribuit.

Reſp. Diſt. Aſſumpt. Conſtituit debitorem ex juſtitia ſtrictè ſumpta: N largè ſumpta, ſecundùm quam alteri congruè ſatisfaciens dicitur juſtus, & ſervare juſtitiam; ſive interim ad hoc obligetur ex juſtitia, ſive ex fidelitate. C. & de hac juſtitia debet intelligi Tridentinum Seſſ. 6. c. 16. ſicut & Bernardus cùm in fine Tractatus de gratia & lib. arb. ait. *Promiſſum ex miſericordia, ſed ex juſtitia perſolvendum*.

Inſt. 2. Homo alteri promittens fit debitor ex juſtitia, ſi alter acceptet: ergo & Deus.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd homo poſſit alicujus rei dominium à ſe abdicare, non ſic Deus; quandoquidem, non obſtante ſua promiſſione, neceſſario maneat ſupremus omnium Dominus.

Inſt. 3 Non magis repugnat quòd Deus ratione ſuæ promiſſionis obligetur ex juſtitia ſtricta, quam ex fidelitate: ſed obligari poteſt ex fidelitate: ergo & ex juſtitia ſtricta.

Reſp. Neg. Maj. Nam alteri obligari ex juſtitia ſtricta, eſt non habere plenum dominium in omnes res, cùm ſit non habere in illud jus, quod alter habet in debitorem; obligari autem ex fidelitate, eſt tantum debere fidem ſervare, & eſſe veracem, quod eſt magna perfectio.

Inſt. 4. Obligatio fidelitatis oritur ex ſola promiſſione: ſed Deus tenetur retribuere & ratione promiſſionis ex parte ſua, & ratione bonorum operum ex parte noſtra: ergo obligatur ex juſtitia.

Reſp. Quòd, licèt ad obligationem ex fidelitate ſufficiat ſola promiſſio, poſſit tamen quis nolle ſe obligare, etiam ex ſola fidelitate, niſi poſita certa conditione; certè quando pater filio parvulo promittit pileum novum, ſi ſit obediens, etiam adimpleta filii obedientia, tantùm tenetur pater ex fidelitate.

Inſt. 5. Scriptura aſſerit quòd Deus foret injuſtus, ſi non redderet mercedem operibus noſtris. ergo. Prob. Ant. Hebræor. 6. dicitur: *Non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri:* unde Auguſtinus lib. de nat & grat. c. 2. *Non enim injuſtus Deus, ut juſtos fraudet mercede juſtitiæ*.

Reſp. Diſt. Ant. Deus foret injuſtus, quia læderet juſtitiam: N. quia violaret fidelitatem: C.

Objic. 2. In Chriſto pro peccatis noſtris ſatisfaciente, datur vera juſtitia commutativa: ergo & in Deo ſatisfactionem acceptante; quandoquidem debeat eſſe mutua ex parte utriuſque extremi.

Reſp Neg. Ant. Nam una ex conditionibus requiſitis ad juſtitiam commutativam, eſt quòd perſona offenſa teneatur acceptare talem ſatisfactionem, nec poſſit eam ex juſtitia reſpuere; Deus autem ſatisfactionem pro peccatis noſtris à Chriſto oblatam poterat ſine injuſtitia reſpuere, licèt non poſſet ſine infidelitate ratione ſuæ promiſſionis, ſicque licèt Chriſtus pleniſſimè, imò ſuperabundanter pro peccatis noſtris ſatisfecerit, non tamen ex omni rigore juſtitiæ, ut ſuo loco diximus.

CONCLUSIO IV.

NOn datur etiam in Deo juſtitia diſtributiva ſtrictè dicta. Ita Durandus, Paludanus, Vaſquez, Præpoſitus, & alii.

Prob. Juſtitia diſtributiva inclinat Principem, aut alium à Communitate deputatum, ad diſtribuenda bona Communitatis juxtà perſonarum merita, dignitatem &c. ſed Deus dando juſtis mercedem proportionatè ad eorum merita, non diſtribuit bona alicujus Communitatis, ſed ſua & propria. ergo non datur in Deo juſtitia diſtributiva, ſed potiùs ſumma charitas: undè Anſelmus: *Juſtus es, non quia reddis debitum, ſed quia facis quod decet te ſummè bonum*.

Confirm. Si homo valdè dives diſtribueret bona ſua juxtà cujuſque paupertatem, non diceretur id agere ex juſtitia diſtributiva, ſed ex charitate: ergo idem eſt de Deo bona ſua juſtorum meritis retribuente.

Dices 1. Scotus 4. diſt. 46. q. 1. n. 4 admittit expreſſe juſtitiam diſtributivam in Deo: ergo.

Reſp. Diſt Ant. Admittit juſtitiam diſtributivam ſtrictam: N. largè ſumptam, quatenùs ſcilicèt ſervat quamdam proportionem inter præmia & merita: C. undè ad juſtitiam diſtributivam duo requiruntur; diſtributio bonorum communium, & proportio in diſtribuendo: ſecundū reperitur in Deo, non primū.

Inſt. Deus promittendo facit bona ſua prædeſtinatis communia & propria.

Reſp. Neg. Aſſumpt. Quia non obſtante ſua promiſſione ſemper manet univerſorum Dominus.

Dices 2. Hæc juſtitia nullam dicit imperfectionem: ergo eſt Deo tribuenda.

Reſp. Neg. Ant. Dicit enim debitum ſtrictum in diſtribuente ad ſervandam æqualitatem geometricam.

Inſt. Debitum illud non oritur ex jure creaturæ, ut in juſtitia commutativa, ſed ex naturali rectitudine, qua debet diſtributor æqualitatem ponere inter præmia & merita, ubi nulla involvitur imperfectio.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Undequaque proveniat debitum illud, ſemper involvere imperſectionem, cùm ſit perſectius poſſe pro ſuo libitu præmia diſtribuere, quàm teneri illa meritis proportionare.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De Potentia Dei ad extra.

QUoniam voluntas divina, juxta Scotum, eſt principium productionis creaturarum, ſeu operationis ad extrà; ideo non incongruo ordine, recenſitis quibuſdam divinæ voluntatis actibus, de potentia Dei ad extra breviter.

QUÆSTIO I.

An ſit in Deo potentia operandi ad extra, & quid ſit?

CONCLUSIO I.

DEo competit potentia operandi ad extra. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex Script. Pſal. 145. *Fecit*, ſcilicet Deus, *cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt*: ſed hoc eſt operari ad extra, cùm per operationem ad extra nihil aliud intelligatur quàm productio rerum à Deo diſtinctarum: ergo.

Prob. 2. Ratione: Creaturæ operantur ad extra, ut patet in ſole, homine &c. ergo à fortiori Deus, qui debet omnes illarum perfectiones poſſidere, unde 1 ad Timoth. 6. dicitur: *Solus potens*; quia ſcilicet omnis creaturarum potentia à Deo derivatur & dependet; imò inutilis eſt, niſi ipſis operantibus cooperetur Deus.

Prob. 3. Omnia producta ſunt ab aliquo improducto, cùm nihil poſſit ſe ipſum producere: ſed illud improductum eſt Deus, ut patet ex dictis: ergo datur in Deo potentia producendi ſeu operandi ad extra.

Dices; Operans operando perficitur: ſed Deus non poteſt perfici: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Operans creatus: C. quia per actum ultimatè completur. Operans increatus: N. quia independenter ab omni operatione ad extra eſt ſummè perfectus & completus, & tam perfectus eſſet mundo non condito, quàm condito: unde operatur non ut perficiatur, ſed ut perficiat; non quia indiget, ſed quia indigent alii.

CONCLUSIO II.

POtentia Dei operativa ad extra eſt ejus voluntas actualiter volens, ſeu voluntas in actu 2. inadæquate concepta. Eſt contra varios, quorum aliqui volunt eſſe voluntatem in actu 1. alii intellectum, alii voluntatem & intellectum ſimul, alii quoddam Attributum ab illis diſtinctum.

Dixi *Actualiter volens*; quia cùm inter voluntatem in actu 1. & effectum mediet volitio, potentia verò debeat immediatè attingere ſuum effectum, patet non voluntatem præciſè, ſed potius volitionem eſſe potentiam Dei operativam.

Addidi *Inadæquatè concepta*; quia volitio divina non eſt ſub omni reſpectu potentia: quatenus enim terminatur ad Deum ipſum & creaturas poſſibiles, non eſt potentia.

Prob. Autem Concluſio tum ex Script. Pſ. 148. *Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt*. Et Gen. 1. *Dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux.* Tum ex SS. PP. Leone ſerm. 2. de Nativit. *Deus cujus voluntas potentia eſt.* Auguſtino lib. Meditat. c. 29. *Cujus velle, poſſe eſt.* Gregorio Niceno in Hexam. *Voluntas divina eſt potentia & vis rerum effectrix.* Et Damaſceno 2. de fide c. 29. *Ipſius Dei potentia nihil eſt aliud, quàm bona Dei voluntas.* Tum etiam ratione; quia Deus res efficit ſolo imperio, ut patet ex Script. cit. ſed imperium eſt actus voluntatis: ergo. Præterea non poteſt eſſe voluntas in actu 1. propter rationes dictas, nec intellectus, cum non faciat ſuum objectum, ſed tantùm ſpeculetur, & conſequenter nec utraque potentia ſimul: nec etiam eſſentia divina; quia eſſentia ut ſic non reſpicit creaturas, ſed conſtituit Deum, eſtque radix omnium Attributorum: Nec denique Attributum ab enumeratis diſtinctum; quia cum nulla appareat ratio oſtendens volitionem efficacem eſſe de ſe inſufficientem, ut operetur ad extra, fruſtraneum videtur Attributum ſuperadditum.

Dices 1. Dionyſius de divin. Nom. c. 5. vocat ideas in Deo rationes eſſentiæ rerum effectrices: ſed ideæ pertinent ad intellectum: ergo.

Reſp. Diſt. Mai. Vocat effectrices formaliter: N. directivè inquantùm, juxtà modum noſtrum concipiendi, Deum operantem ad extra dirigunt: C.

Dices 2. Potentia operativa ineſt Deo neceſſariò cùm Deus neceſſariò ſit omnipotens: ſed volitio efficax ineſt ipſi liberè: ergo.

Reſp. Diſt. Min. Ineſt ipſi liberè quoad terminationem: C. quoad entitatem. N. & ut ſic eſt potentia.

Dices 3. Deus voluit creaturas ab æterno: ergo ſi voluntas ſit Potentia, illas poſuit ab æterno.

Reſp. Diſt. Ant. Voluit creaturas ab æterno pro æterno. N. pro tempore: C.

Dices 4. Voluntas divina prout ab aliis Attributis diſtincta non continet omnes perfectiones creaturarum: ſed potentia divina debet illas continere; quandoquidem principium debeat continere omnes perfectiones ſui effectus: ergo. Prob. Ma. Quia voluntas ut ſic tantùm eſt infinita in ſuo genere, non autem in omni genere entis.

Reſp. Principium *quod*, quale eſt Deus in noſtro caſu, debere quidem continere omnes perfectiones ſui effectus aut formaliter, aut eminenter; non eſt tamen neceſſe, ut illas contineat principium *quo*, quale eſt in propoſito voluntas.

QUÆSTIO II.

An Deus ſit omnipotens, & in quo conſiſtat ejus omnipotentia?

CONCLUSIO I.

DEus eſt propriiſſimè omnipotens. Eſt de fide Prob. 1. Ex Script. Eccli. 1. *Unus eſt altiſſimus creator omnipotens.* Job. 42. *Scio omnia quia potes* Apocal. 19. *Dominus Deus noſter omnipotens.* Scripturæ conſonat Symbolum Athanaſii, ubi dicitur: *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus.* Idem habetur in Symbolis Apoſtolorum & Niceno, ſicut & in variis Patribus.

Prob. 2. Ratione; quia poſſe omnia producere, eſt maxima perfectio, adeoque Deo tribuenda.

CONCLUSIO II.

OMnipotentia divina conſiſtit in hoc, quòd Deus facere poſſit omne illud, quod non involvit contradictionem.

Prob. Quia ſic optimè explicatur radix omnipotentiæ divinæ, & quidem à priori, cùm priùs ſit aliquid non involvere contradictionem, quàm poſſe attingi à potentia: ſicque patet objectum divinæ potentiæ non dici poſſibile ab ipſa omnipotentia potente illud ponere, ut vult Gabriel; ſed quia in ſeipſo non implicat contradictionem: unde poſſibilitas phyſica præſupponit logicam.

Obji. 1. Ex Concluſione ſequitur, omnipotentiam divinam pendere ab objecto poſſibili: ſed hoc eſt falſum: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Pendere ab objecto poſſibili, quoad ſua intrinſeca: N. quia licèt omne ens præter Deum implicaret contradictionem, haberet Deus eandem potentiam intrinſecam, ac nunc. Quoad denominationem extrinſecam omnipotentiæ: Tranſeat.

Inſt. 1. Si omnis creatura implicaret contradictionem, Deus nihil poſſet: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Nihil poſſet defectu potentiæ: N. defectu termini: C.

Inſt. 2. Si omnipotentia divina eſſet impoſſibilis, eſſet impoſſibilis creatura: ergo ſi impoſſibilis eſſet creatura, impoſſibilis eſſet omnipotentia divina.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd omnipotentia divina ſit independens, & creatura dependens, & ſic poſſet eſſe primum ſine ſecundo, & non ſecundum ſine primo.

Obji. 2. Peccatum non involvit contradictionem, cùm fiat à creatura: ſed Deus non poteſt illud facere: ergo falſa eſt Concluſio.

Reſp. Diſt. Ma. Peccatum ſecundùm ſe non involvit contradictionem: C. ut fiat à Deo: N. cùm enim peccatum ſit quidam defectus & imperfectio, implicat fieri à cauſa indefectibili & ſummè perfecta: unde non minùs repugnat Deum peccare; quàm naturam ſuam deſtruere; quandoquidem peccando deſineret eſſe Deus, cùm deſineret habere omnem perfectionem. Ex dictis hac Concl.

Reſol. 1. Deum non poſſe facere ens rationis, v. g. leonem-equum, brutum-rationale &c. quia involvunt contradictionem.

Nec refert, quòd illud faciat creatura; quia non facit dando ei eſſe reale, de quo hic agimus, ſed dando tantùm eſſe objectivum.

Resol. 2. Propter eandem rationem Deum non poſſe facere, ut quod factum eſt, factum non fuerit, v. g. ut mulier cor-

Digitized by Google

rupta non fuerit corrupta: unde Auguſtin. lib. 26. contra Fauſtum c. 5. *Quiſquis dicit, ſi omnipotens eſt Deus, faciat ut, quæ facta ſunt, facta non fuerint, non videt hoc ſe dicere; faciat ut, quæ vera ſunt, eo ipſo quo vera ſunt, falſa ſint*: hoc tamen intelligi debet in ſenſu compoſito, ſicut & quando dicitur non poſſe facere, ut, quod futurum eſt, futurum non ſit: nam ſi intelligatur in ſenſu diviſo; id eſt, ſi concipiatur res ut nondum poſita in rerum natura, vel necdum ad futuritionem determinata, certum eſt Deum poſſe facere, ut non ſit præterita, aut futura.

Dices: Deus non eſt minoris virtutis nunc, quàm eſſet antequam rem produceret: ſed tunc potuit facere, ut non eſſet præterita: ergo & nunc.

Reſp. Quòd Deus non poſſit facere, ut præteritum non fuerit præteritum, non oriri defectu potentiæ, ſed ex mutatione objecti, ratione cujus implicat contradictionem quòd factum ſit, & non ſit præteritum: unde meliùs dicitur, ut advertit S. Thom. quòd hujuſmodi repugnantia non poſſint fieri, quàm quòd Deus non poſſit illa facere.

Reſol. 3. Deum non poſſe manducare, ambulare, infirmari, mori &c. quia implicat, ut illa propter defectus ſibi annexos, vel indigentiæ, vel indiſpoſitionis, vel deficientiæ, Deo competant.

QUÆSTIO III.

An Deus poſſit facere plura & meliora, quàm fecerit?

ADvertendum hic duplicem debere diſtingui potentiam in Deo, ordinariam unam, qua poteſt id facere, quod ab æterno decrevit facere, & abſolutam alteram, qua poteſt id, quod non involvit implicantiam. Alii aliter loquuntur de hac diviſione, dicentes potentiam Dei ordinariam eſſe illam, qua operatur aliquid ſecundùm communem legem a ſe latam: abſolutam verò, quam & extraordinariam vocant, eſſe illam qua aliquid facit præter communem legem à ſe poſitam, ut cùm cœco viſum, aut ſurdo auditum miraculosè reddit; ſed hic ſtando priori diviſioni, ſit

CONCLUSIO I.

PEr potentiam ordinariam non poteſt Deus plura facere, quàm fecerit & facturus ſit.

Prob. Ab æterno non decrevit plura facere, quàm fecerit, aut facturus ſit: ſed per potentiam ordinariam tantùm poteſt ea facere, quæ ab æterno decrevit: ergo.

CONCLUSIO II.

PEr potentiam abſolutam poteſt Deus plura facere, quàm fecerit & facturus ſit: Eſt de fide contra Wicleffum, & Calviniſtas.

Prob. 1. Ex Script. Matth. 3. & Luc. 3. *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*: quod tamen non decrevit facere.

Prob. 2. Ex PP. Auguſtino Enchir. c. 95. aſſerente, *Deum multa poſſe, quæ non vult*, & Hieronymo in cap. 3. Matth. ubi ait: Deum *poſſe etiam de ſaxis duriſſimis populum procreare*.

Prob. 3. Ratione: Res productæ & producendæ ſunt finitæ: ſed finitum non poteſt exhaurire potentiam infinitam: ergo. Præterea ſi Deus non poſſet plura facere, quàm fecerit & facturus ſit, non eſſet omnipotens; cùm ſint multò plura ſine implicantia contradictionis poſſibilia, ſecundus mundus, converſio plurium peccatorum, glorificatio plurium hominum, Angelorum &c. Pro ſolutione Objectionum

Adverte 1. Deum nullo modo teneri plura facere, quàm fecerit & facturus ſit; cùm in operationibus ad extrà ſit liberrimus; & ideo ex eo quòd plura non faciat, nulla ſequitur in eo imperfectio.

Adverte 2. Quòd licèt potentia & decretum in Deo ſint quid idem realiter ex parte ſuæ entitatis, non ſint tamen idem ex parte objecti, cùm potentia ad plura ſe extendat, quàm decretum. Idem patet in potentia & ſcientia: hæc enim licèt potentiæ identificata, ſe extendit ad eſſentiam divinam, ad quam non ſe extendit potentia.

CONCLUSIO III.

POteſt Deus quædam ex iis, quæ fecit, meliorare accidentaliter, non eſſentialiter.

Prob. 1. Pars; quia cùm quælibet res habeat accidentia limitatæ perfectionis, non eſt ratio cur non poſſint illa intensivè perfici, ubi ſaltem illius intenſionis ſunt capacia: & certè quid repugnat dari hominem perfectiorem tùm in ſupernaturalibus, tùm in naturalibus? Cùm poſſit illius gratia augeri, ingenium vivacius reddi, memoria fœcundari: Quid implicat dari ſtellas lucidiores, ignem calidiorem, terram frigidiorem, cygnos candidiores &c.?

Quando ergo Auguſtinus lib. 3. de lib. arb. cap. 5. dicit: *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, ſcias feciſſe Deum*, non loquitur de meliori ſecundùm ſe, ſed in ordine ad finem à Deo intentum: quia omnia ad finem illum ſapientiſſimè direxit & attemperavit: unde temerariè diceretur: Si Deus feciſſet tale quid, hoc vel illo modo, meliùs feciſſet.

Dixit in Concluſione: *Quædam*, non omnia; quia ſunt creaturæ, quæ ſecundùm aliquid nequeunt meliorari: ſic viſio beatifica non poteſt eſſe circa præſtantius objectum, humanitas Chriſti non poteſt uniri Perſonæ nobiliori, nec B. Virgo melioris filii eſſe mater.

Prob. 2. Pars; quia ſi Deus vel minimum quid eſſentiale, rerum eſſentiis adderet, neceſſariò fierent aliæ eſſentiæ, & ſic non remaneret ipſa res, quæ dicitur meliorari: nam ubi eſt diverſa eſſentia, ibi eſt & res diverſa.

CONCLUSIO IV.

POteſt Deus per potentiam abſolutam plurimas rerum ſpecies producere longè perfectiores productis aut producendis.

Ratio eſt; quia in hoc nulla videtur implicantia; qui enim potuit facere ſpeciem homine perfectiorem, nempe Angelum, quidni poſſet & ſpeciem Angelo perfectiorem? Cùm inter hunc & Deum ſit adhuc diſtantia infinita.

DISPUTATIO OCTAVA.

De Divina Providentia.

QUÆSTIO I.

An Deus habeat Providentiam, qualium, & qualem?

CONCLUSIO I.

DEus habet providentiam. Eſt de fide contra Epicurum, Democritum, Diagoram, & quoſdam alios veteres Philoſophos, qui Dei providentiam abſolutè negarunt.

Prob. 1. Ex Script. Eccl. 5. *Neque dicas coram Angelo, non eſt providentia, ne fortè iratus Deus* &c. Sap. 14. *Tua autem, Pater, providentia gubernat*. Et alibi.

Prob. 2. Ex PP. Damaſceno lib. 2. de fide: *Neceſſe eſt eundem eſſe eorum quæ ſunt, & factorem & proviſorem*. Chryſoſtomo Hom. 10. ad Populum: *Quomodo* (mundus) *in tantum temporis abſque aliqua providentia ſtabilis permanſiſſet?* Clemente Alex. 5. Stromat. *Sunt quæſtiones quædam dignæ, quæ puniantur, cujuſmodi eſt quærere probationes*, ſcilicet dubitando, *an ſit providentia?*

Prob. 3. Ratione: Omnes veri parentes ex amore & inſtinctu quodam naturali, prolium ſuarum curam ſuſcipiunt: ſed Deus eſt verus & benignus creaturarum parens & author: ergo illarum curam ſuſcipit, ipſique providet: unde Ambroſ. lib. 1. Officior. cap. 13. *Quis operator negligat operis ſui curam? .... Si injuria eſt regere, nonne eſt major injuria feciſſe? Cùm aliquid non feciſſe, nulla injuria ſit; non curare autem quod feceris ſumma inclementia*.

Prob. 4. Si in Deo non eſſet rerum providentia, inde oriretur, vel quia illas non cognoſceret, vel quia providere non poſſet, vel quia potens providere, nollet: atqui primum repugnat ejus ſcientiæ infinitæ, ſecundum omnipotentiæ, & tertium infinitæ ejus bonitati: ergo.

Dices 1. Job 22. dicitur: *Nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat*: ergo non eſt in Deo providentia.

Reſp. Illa verba proferri à Job non in perſona propria, ſed in perſona impiorum, adeoque non illa approbare, ſed improbare.

Dices 2. Omnis ſollicitudo & inquietudo repugnat Deo, ſed illa importat providentia: ergo & hæc ipſi repugnat.

Reſp. Diſt. Min. Illa importat in eo, qui vel media ad finem non novit, vel, ſi novit, facilè adhibere non poteſt: C. in eo, qui illa optimè novit, & facillimè adhibere poteſt: N. talis eſt autem Proviſor ſupremus.

Dices 3.

Dices 3. Boni proviſoris eſt avertere mala ab iis, quorum curam ſuſcipit: ſed Deus è contra mala permittit, & immittit creaturis v.g. morbos, afflictiones, imò creat animalia ipſis nociva & moleſta, ut ſunt ſcorpiones, mures &c. ergo.

Reſp. Ma. eſſe veram de proviſore particulari, non de univerſali, qui quandoque permittit certos defectus in aliquo particulari, ne impediatur bonum totius communitatis, & curſus cauſarum: & certè *ſi omnia mala impedirentur, multa bona deeſſent univerſo; non enim eſſet vita leonis, ſi non eſſet occiſio animalium, nec eſſet patientia Martyrum, ſi non eſſet perſecutio tyrannorum*, inquit D. Thomas 1 p. q 22. art. 2. ad 2. Quantum ad animalia præfata, dicendum eſt, Deum illa creaſſe tùm ob ſpecierum diverſitatem, cui cedere debent certa incommoda rerum particularium, tùm ad exercendam hominis patientiam.

Dices 4. Si eſſet in Deo providentia, non permitteret Juſtos opprimi, & impios proſperare.

Reſp. 1. Inde tantùm ſequi non eſſe hìc propriè locum præmii & ſupplicii, ſed agonis & certaminis, poſt quod qui glorioſè pro Chriſto tempore belli, id eſt miſeriarum, paupertatis, afflictionum &c. certaverint, aſcendent in cœlos æternùm regnaturi; qui autem ſpreto certamine duxerint in bonis dies ſuos, i. e. in divitiis, mollitie, voluptatibus &c. ad inferna deſcendent in æternum arſuri.

Reſp. 2. Hoc è contra magnam denotare Dei providentiam; cùm enim ſit juſtus, & debeat unicuique præmium aut ſupplicium, juxta merita aut demerita decernere, impios (quorum actiones moraliter bonæ præmio æterno privabuntur, quia in ſtatu peccati factæ) temporaliter divitiis aut aliis ejuſmodi remunerat; juſtos autem (quorum opera bona, quia in ſtatu gratiæ facta, æteruitatis laurea coronabit) temporaliter propter defectus leves à quibus non ſunt liberi, punit & affligit.

Sunt & aliæ rationes, cur Deus permittat juſtos hic opprimi. Primò ut eorum meritum & præmium augeatur; nam ut ait Apoſt. 2. ad Corinth. 4. *Momentaneum & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur*. Secundò ut illorum virtus probetur & perficiatur; de illa enim dici poteſt, quod olim de Eccleſia dixit S. Hilarius lib. 4. de Trin. *Dum exercetur, floret; dum opprimitur creſcit; dum contemnitur, proficit; dum cæditur, vincit*. Tertiò ne afficiantur hujus vitæ bonis, & viam loco patriæ diligant; *via quippe eſt*, inquit D. Gregor. lib 25. Moral. cap. 24. *vita præſens, qua ad patriam tendimus, & idcircò hic occulto judicio frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro Patria diligamus* Et Auguſt. ſerm. 29. de verbis Domini in medio. *Ideo Deus fœlicitatibus terrenis amaritudines miſcet, ut illa quæratur fœlicitas, cujus dulcedo non eſt fallax*. Quartò denique (ut omittam alias rationes apud Authores videndas) ut ferventiùs Deum quærant: *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum; poſtea acceleraverunt*. Pſal. 15.

CONCLUSIO II.

DAtur in Deo providentia omnium rerum, etiam minutiſſimarum. Eſt etiam de fide contra Ariſtotelem, qui teſte Clem Alexand. lib. 5. Strom. providentiam ſublunarium Deo negavit, ſicut & negarunt aliqui circa actus hominis liberos.

Prob. 1 Ex innumeris Scripturæ paſſibus, quibus oſtenditur Deum providere herbis, nivi, grandini, elementis, plantis, avibus, jumentis, imò & ipſis pluviæ guttis: unde *æqualiter eſt illi cura de omnibus*, Sap 6. cap 8. *Attingit à fine ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter*, id eſt, ut ait D. Bernardus lib. de lib. arb. *A ſummo cœlo uſque ad inferiores partes terræ, & à maximo Angelo uſque ad viliſſimum vermiculum*.

Prob. 2. Ex PP. Dionyſio de div. Nom. c. 12. *Divinitas eſt omnia contemplans providentia.* Iren. lib. 2. adversùs Hæreſes c. 25. *Nihil omninò horum, quæ facta ſunt, & quæ fiunt, & fient, Deum fugit, ſed per illius providentiam unumquodque eorum & habitum, & ordinem, & numerum & quantitatem accipit propriam*. Hieronymo in vita D. Pauli Eremitæ: *Deus ſine cujus nutu nec folium arboris defluit, nec unus paſſer in terram cadit*, &c. Auguſtino 5. de Gen ad litt. cap. 21. *Confirmat* ſcilicet Chriſtus in Evangelio, *viliſſimas & abjectiſſimas mundi particulas divina ejus providentia regi*. Et paulò ſuperiùs: *Non ſunt audiendi, qui putaverunt ſublunares mundi partes fortuitò agitari, ſublimes verò divina providentia gubernari*.

Prob. 3. Ratione: Deus illis providet, quorum eſt cauſa, ut patet Concluſione præced. ſed eſt æqualiter cauſa rerum minimarum, ac præſtantiſſimarum: ergo & his & illis providet, adeòque omnibus.

Dices 1. Dedecet ſupremam Dei majeſtatem, curam ſumere vermiculorum, pulicum, muſcarum &c. Prob. Aſſump. Ex Hieronymo in cap. 1. Habacuc: *Abſurdum eſt ad hoc Dei deducere Majeſtatem, ut ſciat per momenta ſingula, quot naſcantur culices, quotvè moriantur: quæ cimicum & pulicum & muſcarum ſit in terra multitudo* &c.

Reſp. Neg. Aſſumpt. Sicut enim non dedecet intellectum divinum omnia, etiam viliſſima, cognoſcere, nec ejus voluntatem illa producere, ita nec illius Majeſtatem illis productis providere.

Ad D. Hieronymum dico non negare Deo ſcientiam præfatorum, ſed tantùm velle illam non augeri aut minui ſingulis momentis per illorum mortem aut nativitatem, cùm ejus cognitio ad nihil terminetur in tempore, ad quod non fuerit terminata ab æterno. Alii dicunt, hoc non dixiſſe ex propria ſententia, alii aliter explicant; ſed quidquid ſit, certum eſt S. Doctorem providentiam omnium in Deo dimiſiſſe, cùm dicat ipſemet in c. 36. Jerem. *Propheticus ſermo declarat nihil eſſe, quod fugiat divinam providentiam, & Dei ſcientiam*. Paulò inferiùs ſic Deum loquentem inducit: *Curæ meæ eſt omnia regere*. Et in c. 10. Matth. *In omnibus ſemper eſt providentia*.

Dices 2. *De minimis non curat Prætor*. unde Apoſt. 1. Corinth. 9. *Numquid de bobus cura eſt Deo?* ergo &c.

Reſp. Nego Conſeq. Quòd enim in moralibus de minimis non curet Prætor, aut quaſi non curet, inde oritur quòd parum aut nihil ad finem per ipſius legem intentum conducant; & ideo dici poteſt quòd ſit magnus in magnis, ſed parvus in parvis: Deus autem, qui, ut loquitur Auguſtinus ſerm. 119. de Temp Magnus eſt in magnis, nec parvus in minimis, his, & illis providet; quia utraque ſunt bonitatis illius pignora: unde Apoſtolus ſup. non negat Deo providentiam ſimpliciter reſpectu boum, ſed tantam, quantam reſpectu hominum, quaſi diceret: Numquid de bobus æqualis cura eſt Deo, ac de hominibus?

Dices 3. Aliqua dicuntur fortuitò accidere: ergo ſaltem reſpectu illorum Deus non habet providentiam.

Reſp. Diſt. Ant. Dicuntur fortuitò accidere reſpectu noſtri, quia ſunt præter ſpem & expectationem noſtram: C. reſpectu Dei, à quo omnia ſunt præviſa, & volita, aut ſaltem permiſſa. N.

CONCLUSIO III.

PRovidentia, quam habet Deus reſpectu omnium creaturarum, eſt immediata. Eſt communis inter Theologos contra Platonem, qui, teſte Nemeſio, voluit res tantùm univerſales & incorruptibiles immediatè ſubeſſe divinæ providentiæ, res autem generabiles & corruptibiles cadere in providentiam Angelorum; ſpecialiter autem res humanas in providentiam dæmonum.

Prob. Concluſio: Providentia divina nihil eſt aliud quàm æterna ordinatio rerum in ſuos fines: ſed ab æterno nullus fuit, mediante quo, Deus creaturis provideret: ergo eſt ipſemet immediatus rerum omnium proviſor.

Dices: Deus gubernat animalia, terram, arbores &c. mediantibus hominibus: ergo.

Reſp. 1. Neg. Conſeq. Quia ipſa gubernatio non eſt providentia, ſed effectus ſeu actus ipſius providentiæ: unde hæc eſt æterna, illa temporalis.

Reſp. 2. Etiam ipſammet gubernationem temporaneam à Deo immediatè procedere, quandoquidem, ut dictum eſt in Phyſica, concurrat immediatè ad omnes effectus creaturarum: imò una & eadem ſit actio Dei & creaturæ.

QUÆSTIO II.

Quid ſit divina providentia & quotuplex.

CONCLUSIO I.

DIvina providentia eſt actus divinæ voluntatis, quo res omnes ſuos fines dirigit: cui definitioni conſonat hæc Damaſceni lib. 2. de fide cap. 29. *Dei voluntas, per quam res omnes aptè congruèque gubernantur*.

Dicitur 1. *Actus voluntatis*, & non intellectus, ut volunt Thomiſtæ, de quo poſtea.

Dicitur 2. *Quo Deus res omnes*, intellige ab ipſo diſtinctas; quia Deus non habet providentiam reſpectu ſui, cùm ipſe, utpote omnium finis ad nullum finem ſit ordinabilis.

Dicitur 3. *In ſuos fines*; quia Deus quælibet in fines ſibi proportionatos dirigit; naturalia quidem in fines naturales, ut cibum ad ſuſtentationem, medicinam ad ſanitatem &c. ſupernaturalia verò in fines ſupernaturales, ut gratias actuales ad juſtificationem, meritum &c.

Dicitur denique: *Dirigit*, & non perducit, ut diſtinguatur providentia, etiam ſupernaturalis, à prædeſtinatione, quæ finis aſſecutionem includit, non ſic providentia; nam licèt ſemper aſſequatur finem ſuum generalem, nempe divinæ Majeſtatis

& ſa-

& ſapientiæ declarationem, non tamen ſemper finem particularem, ad quem dirigitur. Et certè numquid Luciferum nunc inferni victimam ad gloriam cœleſtem direxerat tamquam ad finem particularem? Numquid & gratiæ actuales in nobis ordinantur particulariter ad noſtram converſionem, ad meliorem vitam &c? Et tamen quoties, eheu! ſuo fruſtrantur effectu?

Nec tamen dicas primò. Deum in ſua diſpoſitione falli; quandoquidem omnia per providentiam diſpoſita eo modo eveniant, quo diſpoſita ſunt; nam quæ abſolutè diſpoſuit, abſolutè eveniunt, quæ conditionatè eveniunt poſita conditione, aliàs non; quod & diſponendo prævidit; ſicque nullo modo fallitur.

Nec dicas ſecundò Providentiam Dei non ſemper eſſe ſinceram; quia licèt ſemper poſſit procurare media, quibus finis infallibiliter obtineatur, habet tamen juſtiſſimas cauſas id non faciendi, ut permittat ſcilicet creaturas agere motus ſuos.

CONCLUSIO I.

CUm Deus author ſit & proviſor naturæ & gratiæ, ſequitur providentiam illius aliam eſſe naturalem, aliam ſupernaturalem. Naturalis eſt illa, qua tanquam proviſor naturalis, res naturales in finem naturalem dirigit; v. g. ſolem ad illuminandum, ignem ad calefaciendum, terram & arbores ad producendum &c. Supernaturalis verò, qua tanquam proviſor ſupernaturalis res, vel naturales vel ſupernaturales ad finem ſupernaturalem ordinat, v. g. morbos, afflictiones, jacturam litis, mortem parentis &c. quæ ſunt naturales, ad vitæ emendationem, virtutis exercitium, gratiæ augmentum &c. vel gratias actuales, quæ ſunt ſupernaturales, ad pœnitentiam, juſtificationem &c. Ex dictis

Colligi poteſt facilè diviſionem illam non peti ex parte principii actus, aut finis ultimi, cùm unus & idem Deus ſit principium, actus, & finis ultimus providentiæ; ſed ex parte finis intermedii; qui & ultimatè ad Deum refertur.

QUÆSTIO III.

Cujus potentiæ actus ſit providentia?

CONCLUSIO I.

DUo actus neceſſariò requiruntur ad providentiam, unus, ex parte intellectus, alter ex parte voluntatis. Ita DD. communiter.

Prob. Providentia eſt id, quo unaquæque res in finem ſuum dirigitur: ſed hoc fieri non poteſt ſine actu intellectus, quo Deus cognoſcit media, eorumque proportionem ad finem intentum; nec ſine actu voluntatis, quo velit media opportuna procurare: ergo. In hoc non eſt difficultas inter Scholaſticos; ſed controvertitur quem actum ex his duobus primariò & formaliter importet providentia.

CONCLUSIO II.

PRovidentia conſiſtit formaliter in actu voluntatis, ità ut actum intellectus tantùm præſuppoſitivè requirat. Ità contra Thomiſtas Scotiſtæ communiter, quibus favet D. Seraphicus cum plurimis aliis.

Prob. 1 Prædeſtinatio eſt ſpecies providentiæ: ſed prædeſtinatio conſiſtit formaliter in actu voluntatis: ergo & providentia, cùm ſpecies debeat continere rationem ſui generis. Major certa eſt: Prob. Min. ex Scriptura, quæ prædeſtinationem vocat aliquando complacentiam, ut Luc. 12 *Complacuit Patri veſtro dare vobis regnum*: aliquando propoſitum, ut Epheſ. 1. *Prædeſtinavit nos ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ*: aliquando electionem, ut ibidem. *Elegit nos in ipſo*: aliquando dilectionem, ut Rom. 9. *Jacob dilexi*: hæc autem ſunt actus voluntatis: unde Scotus 1. d. 40. q. un. n 2. *Prædeſtinatio propriè ſumpta dicit actum voluntatis divinæ*.

Prob. 2. Ex Damaſceno lib. 2. de fide cap. 29. ubi poſtquam dixiſſet: *Providentia eſt voluntas per quam* &c. de eadem ſubjungit: *Nihil eſt aliud quàm ipſa voluntas*. Huic conſonant alii PP. dicentes prædeſtinationem eſſe actum voluntatis.

Prob. 3 Ratione: Qui optimè novit pauperum miſeriam, & media ad illam ſublevandam opportuna, non dicitur illis providere, niſi velit efficaciter illa media adhibere: ergo ſignum eſt quòd conſiſtat providentia in actu voluntatis, & non intellectus: unde uſus invaluit, ut providentia idem ſit quod cura, quæ eſt actus voluntatis, & Proviſor dicatur in Monaſteriis, qui habet curam victualia ſubminiſtrandi. Et certè ipſamet Scriptura providentiam per curam exprimit Sap. 6. dicitur: *Æqualiter eſt illi cura de omnibus*.

Prob. Denique: Si eſſet actus intellectus, ut volunt Thomiſtæ, vel eſſet cognitio mediorum ad finem proportionatorum, vel eſſet judicium practicum dictans talia media congruè eligenda, vel certè imperium quoddam dicens voluntati hoc vel illud eſſe faciendum: ſed nullum horum eſt: ergo. Non quidem primum ut patet ex probatione 3. non etiam ſecundum quia judicium illud (quod ſuperfluum judicamus & fictitium) dirigeret divinam voluntatem, quæ cùm ſit prima ſui Regula, non indiget regulatione & directione. Non denique tertium quia imperare non eſt intellectus ſed voluntatis, ut ſuo loco diximus.

Obji. 1. Varios Scripturæ textus & quædam Patrum teſtimonia, quibus oſtenditur providentiam eſſe actum intellectus.

Reſp. Scripturam & PP. nihil aliud velle quàm quòd neceſſariò prærequiratur ad providentiam actus intellectus, eò quòd non provideat Deus cœco modo, non autem quòd conſiſtat in illo formaliter providentia.

Obji 2. Providentia idem eſt ac prævidentia, à qua Etymologiam nominis ſumpſit. ſed prævidentia eſt actus intellectus: ergo Minor certa eſt. Prob. Ma. Ex Cicerone lib 2. de divinat. ubi ait: *Medicus morbum ingraveſcentem providet, inſidias Imperator, tempeſtates Gubernator*.

Reſp. Quòd verbum *providentiæ* duplex habeat ſignificatum, 1. ut idem ſignificet quod prævidentia, quo ſenſu eam ſumpſit Cicero: 2. ut ſignificet curam alicujus rei, quo ſenſu ipſemet Cicero illam accepit, cùm alibi dixit: *Providere rei frumentariæ, providere omnibus, quæ neceſſaria videbantur*. Ex quibus patet nihil inde confici contra nos: quandoquidem hic providentia ſumatur ex communi uſu pro cura. Unde parvi pendenda eſt nominis Etymologia; cùm invidentia, quæ talis dicitur à videre, ſit actus voluntatis.

Obji. 3. Providentia eſt pars prudentiæ: ſed hæc pertinet ad intellectum: ergo & illa.

Reſp. Diſt. Ma. Eſt pars prudentiæ, prout importat cognitionem rei ad ſuum finem dirigendæ: C. prout importat curam rei faciendæ, aut gubernandæ: N.

Obji. 4. Auguſtinus lib de bono perſever. cap. 18. expendens verba Apoſtoli ad Rom. 8. *Quos præſcivit & prædeſtinavit*; ſic loquitur: *Hoc quod ait, præſcivit, non rectè intelligitur niſi prædeſtinavit*: ergo ſecundùm ipſum prædeſtinatio, utpote præſcientia, eſt actus intellectus, adeoque & providentia; cùm illa ſit ſpecies hujus.

Reſp. Quòd Auguſtinus hic & alibi tantùm velit, quòd prædeſtinatio ſit præſcientia concomitanter (eo quòd illa ſemper hanc ſibi comitem habeat, licèt non ſemper hæc illam) non verò formaliter; quandoquidem dicat ipſemet lib. de prædeſt. Sanctor. *Poteſt autem ſine prædeſtinatione eſſe præſcientia*: quod falſum eſſet, ſi prædeſtinatio eſſet præſcientia formaliter.

QUÆSTIO IV.

An peccata & peccatores ſubjiciantur divinæ providentiæ?

CErtum eſt peccatum non eſſe propriè objectum aut effectum divinæ providentiæ; quia per objectum hic intelligimus id, cui aliquid providetur aut procuratur; per effectum verò id, quod alteri providetur; Deus autem nec aliquid peccato ut peccato providet, nec peccatum ipſum providet alteri, cùm utrumque repugnet ejus ſanctitati. Unde tantùm quæritur hic, an ſaltem ſit materia circa quam providentia divina occupatur, illud, non proviſum, ſed permiſſum & præſcitum ad aliud ordinando?

CONCLUSIO I.

PEccata ſubjiciuntur providentiæ divinæ modo jam explicato. Eſt communis & certa.

Prob 1. Ex Script 2. Reg 16 *Dominus præcedit*, id eſt, permiſit, *Semei, ut malediceret David*: ſed tale peccatum permiſit Deus ad probandam Davidis patientiam: ergo providentia divina peccata permiſſa ad aliud ordinat.

Prob. 2 Ex PP. Cyrillo Jeroſolimit. Catech. 8. *O ſapientiſſimam providentiam, quæ malum etiam propoſitum in ſalutis occaſionem convertit*. Clemente Alexand. lib. 1. Strom. ubi ait, *maximum eſſe divinæ providentiæ argumentum non ſinere, ut vitium maneat inconducibile & inutile*. Et Auguſtino in Pſ. 3. *Quid diabolo nequius, & de illius nequitia quanta bona fecit Deus?*

Prob. 3. Ratione; quia tantùm abeſt, ut illa ordinatio Deo repugnet, ut è contra ſummam ejus bonitatem & miſericordiam maximè commendet, cùm illud ipſum, per quod offenditur, etiam ad offendentis utilitatem dirigat, v. g. ad majorem ejus humiliationem, ad præcautionem in periculis &c.

Obji. 1. Malum non poteſt ordinari ad bonum: ergo.

Reſp. Diſt. Ant Non poteſt ordinari per ſe: C. occaſionaliter,

liter, in quantùm præbet occaſionem peccatori ſe humiliandi &c. N. nam, ut ait Auguſt. *Prædeſtinati, ex caſu humiliores, cautiores, & ferventiores reſurgunt.*

Obji. 2. Peccatum eſt privatio ordinis: ergo non poteſt ordinari.

Reſp. Diſt. Ant. Eſt privatio ordinis naturæ: C. ordinis providentiæ: N. & ſic poteſt per illam ad aliud ordinari.

Obji 3. Peccatum non cadit ſub potentiam Dei: ſed quod ordinatur, cadit ſub potentiam ordinantis: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Non cadit ſub potentiam Dei, ut illud faciat: C. ut illud ad aliud ordinet: N. Similiter diſtincta Min. neganda eſt Conſeq.

CONCLUSIO II.

ETiam peccatores divinæ providentiæ ſubjiciuntur.

Prob. 1. Ex Script. ad Rom. 9. *Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ*, id eſt, peccatores, quos quandoque ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ ordinat. Unde Prov. 16. dicitur: *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum.*

Prob. 2. Ex PP. Concluſione præced. citatis, & præſertim ex Auguſt. de Agone Chriſtiano cap 7. ubi ait: *Omnes divinæ providentiæ ſerviunt, ſed alii obediunt tanquam filii, & faciunt cum ea, quod bonum eſt, alii ligantur tanquam ſervi, & fit de illis, quod juſtum eſt.* Et Serm 90. c. 4. *Sicut mali homines malè utuntur creaturis bonis, ſic Creator bonus benè utitur hominibus malis.* Item lib. de Corrept. & grat. cap. 14. *De his enim, qui faciunt quæ non vult; facit ipſe quæ vult.*

Prob. 3. Ratione; quia ſicut providentia humana ordinat malefactores ad pœnam, ita providentia divina peccatores, ut peccatores, ordinat ad juſtitiam, licèt etiam ipſos ordinet vel ad propriam correctionem, vel ad bonorum exercitationem: unde Auguſtin. in Pſ 54. *Omnis malus aut ideò vivit, ut corrigatur, aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur.*

Dices: Videtur Deus, aliquos peccatores omninò deſeruiſſe, ut Pharaonem, Antiochum &c. ergo reſpectu illorum non eſt providentia.

Reſp. Neg. Ant. Prodigia enim, quæ fecit per Moyſen coram Pharaone, & morbus, quo Antiochum afflixit, ordinabantur ad eorum correctionem; ſed quià ſpreverunt ordinem bonitatis & miſericordiæ, inciderunt intra ordinem divinæ juſtitiæ.

QUÆSTIO V.

An Deus prædefiniat actiones bonas creaturæ liberæ.

TRipliciter conſiderari poteſt prædefinitio actuum liberorum, primo, ut infert phyſicam illorum prædeterminationem, ſeu concurſum prævium, per quem Deus in tempore priùs natura influit in cauſam ſecundam, eam phyſicè movendo & applicando ad operandum, quàm ipſa ſeſe ad operandum determinet; ſecundo: Prout non infert præmotionem illam, ſed præſupponit ſcientiam mediam, per quam cognoſcit Deus, quid creatura factura eſſet poſita hac vel illa conditione. Tertio, ut nec infert præmotionem, nec ſcientiam mediam præſupponit, ſed eſt præcisè decretum efficax, quo Deus ab æterno vult aliquem actum ab agente libero poni, antequam abſolutè velit & præſciat media, per quæ talis actus ſit mandandus executioni; unde particula *Præ* poſita in verbo *prædefinitio*, ſignificat anteceſſionem, non quidem cauſalitatis, propter dicenda Quæſt. ſeq. non etiam durationis, aut temporis, imò nec ſcientiæ viſionis, cùm illa prioritas ſit communis omnibus Dei decretis; ſed præordinationis & præſcientiæ mediorum ad actum: ſic autem ſumpta prædefinitio deſcribi poteſt, Decretum Dei efficax, quo vult, actu liberum poni à creatura, antequam velit & ſciat determinationem liberi arbitrii creati, & media, per quæ talis actus debet fieri.

De hac triplici prædefinitione fieri poteſt quæſtio, & ideo ſit

CONCLUSIO I.

DEus non prædefinit primo modo bonas actiones liberas. Ita omnes prædeterminationis impugnatores.

Prob. 1. Ex Scriptura: Eccli 15. dicitur quòd Deus reliquerit *hominem in manu conſilii ſui*: ſed ſi ita prædefiniret, non amplius relinqueret hominem in manu ſui conſilii, ſed ipſum neceſſitaret ad actum: ergo. Prob. Min. Quia homo non ageret ex propria determinatione, ſed ut antecedenter & irreſiſtibiliter à Deo determinatus per præmotionem phyſicam.

Prob. 2. Ex PP. & præſertim Chryſoſtomo Homil. 12. in Epiſt. ad Hebr. ubi ait: *Deus non antecedit voluntates noſtras, ne lædatur arbitrium:* atqui per præmotionem phyſicam illas de facto antecedit: ergo.

Prob 3. Non poteſt Deus velle, ut idem actus ponatur liberè & neceſſariò: atqui hoc vellet, ſi prædefiniret ad ſenſum explicatum: ergo. Prob. Min. Vellet Deus poni actum liberum: ergo vellet poni liberè; vellet autem poni ab homine ad unum determinato per præmotionem: ergo etiam velle poni neceſſariò.

Dices 1. Prædeterminatus retinet potentiam ad non operandum: ergo non neceſſariò ponit actum.

Reſp. Diſt. Ant. Retinet potentiam proximam & expeditam, qualis requiritur ad libertatem: N. ligatam & impeditam, qualem habet incluſus in carcere, ut eat Romam. C.

Inſt. Homo ſedens habet potentiam proximam & expeditam ad ſtandum: ergo & prædeterminatus ad non operandum.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt quòd homo ſedens poſſit pro ſuo libitu ſeſſionem à ſe repellere, non poſſit autem determinatus repellere præmotionem, ut fatentur Adverſarii: nam ſicut non eſt in poteſtate hominis illam habere, ut ajunt, ita nec repellere.

Replicabis: Illa non obſtante manet indifferens: ergo.

Reſp. Neg. Ant. Sicut enim ille, qui ſe determinavit ad actum, non eſt ampliùs indifferens; ità nec ille, qui ad eundem determinatus eſt à Deo.

Urgebis: Præmotus non ſentit in ſe præmotionem. ergo retinet indifferentiam.

Reſp. Diſt. Conſeq. Retinet indifferentiam judicii, quo judicat ſe poſſe agere vel non agere: C. indifferentiam poteſtatis: N. Sicut ignorans ſe habere tibias paralyſi debilitatas, eſt indifferens indifferentia judicii ad currendum vel non, non tamen indifferentia poteſtatis: jam autem cùm hic non dicatur liber ad currendum vel non; ità nec præmotus: Nec mihi unquam veram diſparitatem dabunt Adverſarii.

Dices 2. Deus prædefiniens actum ſine præmotione, non neceſſitat creaturam: ergo nec prædefiniens cum illa. Prob. Conſeq. Quia utraque prædefinitio eodem modo infert actum, ſcilicet infallibiliter.

Reſp. Neg. Conſeq. Et ejus probationem, quia licèt utraque inferat actum infallibiliter, prima tamen liberè, & ſecunda neceſſariò, & ſic non eodem modo: cujus ratio eſt, quòd prima ſit Deo intrinſeca, & extrinſeca arbitrio creato; ſecunda verò quoad rationem præmotionis Deo extrinſeca, & intrinſeca arbitrio creato.

Inſt. Quamvis præmotio recipiatur in agente libero, illum tamen non neceſſitat; quia per ſuavem divinæ providentiæ diſpoſitionem ita conditioni, & naturæ ipſius cauſæ ſecundæ attemperatur, ut connaturalem ipſius agendi modum nec tollat, nec impediat, ſed potius confirmet & promoveat: *Deus* enim, qui, ut loquitur Auguſtinus lib. de corrept & grat c 14. *Magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas de ipſis, quod vult, quando vult, facit.*

Reſp. Quòd licèt Deus ſit omnipotens, non poſſit tamen præmotionem phyſicam cùm hominis libertate conciliare, ſicut enim non poteſt facere hominem ſine anima: ita nec volitionem hominis liberam ſine voluntatis indifferentia; cùm hæc non minùs repugnet. quàm ille. Plura vide in Philoſophia, ubi de prædeterminatione agitur.

CONCLUSIO II.

DEus non prædefinit etiam actiones bonas ſecundo modo. Ità unanimiter ſcientiam mediam Rejicientes.

Prob. 1. Ex Scrip. ad Epheſ. 1. *Deus operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*, ſed ſi prædefiniret præſuppoſita ſcientia media futuri conſenſus humani, potiùs operaretur ſecundum conſilium voluntatis noſtræ, quàm ſuæ: ergo.

Prob. 2. Ex PP. ſcientiam mediam rejicientibus.

Prob. 3. Ratione; Ideo Molina, Vaſquez, Suarez, & alii prærequirunt ad prædefinitionem ſcientiam mediam, quia ſine tali ſcientia tolleret libertatem prædefinitio: ſed hoc falſum eſt, ut oſtendemus Quæſt. 7. ergo.

CONCLUSIO III.

DE facto prædefinit Deus actiones bonas & ſalutares tertio modo, ita ut non tantùm velit nobiſcum ad illas concurrere, ſed etiam velit efficaciter ut illas ponamus, antequàm velit & ſciat per ſcientiam viſionis media illis exequendis opportuna, licèt media ad illarum poſitionem neceſſaria ſuo tempore & loco provideat.

Prob 1. Ex Script. ad Epheſ. 2. *Ipſius enim factura ſumus creati in Chriſto Jeſu, in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*: hanc autem præparationem,

præ-

prædefinitionem appellat D. Athanaſius explicando verba Apoſtoli præfata.

Prob. 2. Ex PP. Leone IX. Epiſt. 90. ad Petrum Antiochenum: *Credo*, inquit, *Deum prædeſtinaſſe bona.* Auguſtino Soliloq. cap. 26. *Præparaſti mihi ſemitas, quibus incederem, & venirem ad gloriam domus tuæ. Priuſquam me formares in utero, noviſti me, & antequam exirem de vulva, quidquid tibi placuit, præordinaſti de me.* Fulgentio lib. 1 ad Monimum: *Præſcivit voluntates bonas & malas: prædeſtinavit autem non malas, ſed ſolas bonas.*

Prob. 3. Deus, ut colligitur ex variis Scripturæ & PP. teſtimoniis, operatur in nobis velle & perficere, facit ut faciamus, ut in viis ejus ambulemus, convertamur, perſeveremus &c. Item voluntates noſtras trahit, immutat, flectit, *& quidem ita indeclinabiliter & inſuperabiliter, ut nullum humanum reſiſtat arbitrium*, inquit Auguſt. lib de Correpr. & grat. cap. 12. ſed hic modus loquendi plus importat, quàm meram Dei voluntatem concurrendi ad actiones noſtras ſalutares, quandoquidem Scriptura & PP. non ſic loquantur de actibus indifferentibus: ergo importat illatum actionum prædefinitionem.

Dices, modum illum loquendi ſufficienter ſalvari per intentionem dandi gratiam efficacem, abſque eo quòd recurratur ad prædefinitiones. Sed

Contrà eſt, quòd gratia efficax ſit medium ad actionem ſalutarem, & conſequenter priùs vult Deus efficaciter ad actionem ſalutarem, quàm velit gratiam; cùm omnis ordinatè agens priùs velit finem, quàm media.

Objic. 1. Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 30. ſic ait: *Præſcit ea, nempe Deus, quæ in noſtra poteſtate atque arbitrio ſita ſunt, at non item ea præfinit.*

Reſp. Nihil aliud velle quàm quòd non præfiniat, ſeu prædefiniat ad ſenſum Thomiſtarum, id eſt, prædefinitione neceſſitatem ratione præmotionis inferente, ut inſinuant verba ſequentia: *Nec virtuti vim adfert.*

Objic. 2. *Deus non antecedit voluntates noſtras*, inquit Chryſoſtomus ſup. ergo actiones noſtras non prædefinit.

Reſp. Diſt. Ant. Non antecedit cauſalitate: C. non antecedit modo ſupra explicato: N.

Objic. 3. Si Deus tantùm haberet voluntatem concurrendi nobiſcum ad actiones bonas, equidem ponerentur: ergo ſuperfluit illarum prædefinitio.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia ex prædefinitionibus magis apparet Dei bonitas & miſericordia, quòd ſicut quoſdam prædeſtinat ad gloriam ante præviſa eorum merita, ità quoſdam prædeſtinat ad actus bonos, antequam videat illorum determinationem, & media, quibus tales actus debeant exequi.

QUÆSTIO VI.

An Deus prædefiniat Actiones naturales, & Peccata?

CONCLUSIO I.

NOn videtur admittenda prædefinitio ad actiones naturales, à cauſis naturalibus naturaliter procedentes.

Ratio eſt; quia poſito in Deo decreto efficaci concurrendi in tempore ſimul cum cauſis naturalibus ad omnes illarum actiones, cenſetur ipſis ſufficienter & proportionatè ad earum exigentiam providere: ergo ſuperfluit prædefinitio; unde ſi prædefinitiones ad actiones liberas ſalutares admiſerimus, non eſt quia hoc abſolutè neceſſarium eſt, adhoc ut actiones illæ ponantur in tempore, ſed ut oſtenderemus, Deum ex ſpeciali bonitate illis, quæ ad ſalutem pertinent, ſpecialiter providere, & ideo etiam prædefinitiones ad actiones liberas indifferentes non admittimus.

Dixi: *Naturaliter procedentes*; quia ſi in illis actionibus interveniat aliquid ſupernaturale, v. g. quòd ſterilis pariat, quòd virgo concipiat, mortuus reſurgat &c. tunc videtur ad illas admittenda prædefinitio, cùm Deus reſpectu illarum ſpecialem habeat providentiam.

CONCLUSIO II.

DEus non prædefinit formale peccati.

Ratio eſt; quia quod prædefinit, vult fieri: ſed non vult fieri peccatum, ut patet ex dictis de objecto voluntatis: ergo Unde Fulgentius lib. 1. ad Monimum: *Præſcivit voluntates bonas & malas, prædeſtinavit autem non malas, ſed ſolas bonas.*

CONCLUSIO III.

NEc Deus prædefinit materiale peccati. Sequitur ex dictis Concl prima Si enim nec actiones naturales, nec liberas indifferentes prædefiniat, nec à fortiori materiale peccati; quia tamen huic Concluſioni contradicunt aliqui Thomiſtæ.

Prob. Ulteriùs 1. ex Concilio Arauſicano Can. 23. dicente: *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo diſplicet*: ſed quando ponunt liberè & advertenter materiale peccati, faciunt id quod Deo diſplicet: ergo tunc ſuam, & non Dei voluntatem faciunt, & conſequenter illud non prædefinit, ſeu non vult Deus ante præviſam creaturæ determinationem.

Prob. 2. Ex PP. qui ut explicent certos Scripturæ textus, quibus inſinuari videtur Deum mala facere, decernere, prædefinire, præcipere, dicunt Deum ad illa permiſſivè ſe habere, non autem quòd velit tantùm materiale peccati, & non formale: quod longè commodius & faciliùs feciſſent; ſi ſententiam Adverſariorum tenuiſſent.

Prob. 3. Si Deus prædefiniret materiale peccati liberè & advertenter ponendum, etiam prædefiniret formale: ſecundum implicat: ergo & primum. Prob. Ma. Qui vult opus, cui neceſſariò annexa eſt malitia, cenſetur & velle ipſam malitiam: ſed materiali peccati, v. g. odii Dei, liberè & advertenter poſito, neceſſariò annexa eſt malitia; quandoquidem impoſſibile ſit ponere actum odii Dei liberè & advertenter, qui non ſit difformis rectæ rationi: ergo.

Dices, Deus prædefiniendo non intendit malitiam peccati.

Reſp. Si prædefiniret materiale peccati, deberet intendere malitiam ipſi annexam, non quidem formaliter, cùm nequidem ſic illam intendat ordinariè peccator, ſed virtualiter & interpretativè.

Prob. 4. Si Deus prædefiniret materiale peccati, creatura illud ponendo non peccaret; quandoquidem conformaret ſe divinæ voluntati, qua ante præviſam creaturæ determinationem voluit illud poni in tempore.

Prob. 5. In illa hypotheſi Deus vellet materiale peccati, & non vellet: vellet, cùm illud prædefiniret, non vellet autem, cùm illud expreſſiſſimè prohibeat: nam quid aliud vult, dicendo: *Non mœchaberis, non furtum facies?* niſi prohibere entitatem phyſicam & materialem illorum peccatorum poni liberè & advertentet?

Obji. 1. Act. 4. dicitur: *Convenerunt enim verè in civitate iſta adverſus ſanctum puerum tuum JESUM.... facere quæ manus tua & conſilium tuum decreverunt fieri*, ſcilicet ipſum crucifigere: ergo decrevit Deus Chriſti crucifixionem, non tantùm paſſivam, & quantùm eſt ex parte Chriſti patientis, ſed et am activam, & quantùm eſt ex parte Judæorum crucifigentium, ut ſatis verba inſinuant: ſed non decrevit formale iſtius Deicidii: ergo materiale: Scripturæ conſonat Auguſtinus, quandò lib. de Correp. & grat. c. 7. aſſerit Judam fuiſſe allectum ad effundendum Chriſti Sanguinem.

Reſp. Diſt. Conſeq. Decrevit Chriſti crucifixionem activam ante præviſam Judæorum determinationem, quod requiritur ad prædefinitionem: N. videndo eorum determinationem: tranſeat: dico *tranſeat*, quia non propriè decrevit, ſed permiſit. Idem dic de Juda.

Inſt. 1. Ex noſtro modo loquendi ſequitur dari ſcientiam mediam in Deo, nempe cognitionem determinationis Judæorum ad Chriſtum crucifigendum, antequam crucifixionem decerneret.

Reſp. Neg. Aſſumpt. Quia ſcientia media præcedit omne decretum, illa autem cognitio licèt unum decretum præcedat, ſequitur tamen alterum. Pro cujus majori intelligentia

Adverte duplex hic diſtingui poſſe in Deo decretum, unum, confuſum, & univerſale, quo decrevit, creaturis de ſe in actum exire impotentibus præbere concurſum ſuum juxta naturam & exigentiam illarum: eſtque prius determinatione cujuslibet creaturæ, imò ſuo modo eſt illius cauſa, quandoquidem illo non poſito, nunquam ſe determinaret creatura. Aliud determinatum & particulare, quo decrevit ponere hunc effectum cum tali creatura: & hoc decretum præſupponit in Deo cognitionem determinationis creaturæ ad talem effectum: ſicque patet cognitionem illam non eſſe ſcientiam mediam, cùm hæc nullum, illa aliquod præſupponat decretum.

Inſt. 2. Priùs decernit Deus concurrere ad materiale peccati, quàm ſe ad illud determinet creatura: ergo ejus decretum præcedit determinationem creaturæ, & conſequenter eſt prædefinitio.

Reſp. Diſt Conſeq. Præcedit determinationem creaturæ, id eſt, priùs tempore decernit quàm ſe determinet creatura: C. id eſt, priùs decernit, quàm videat creaturæ determinationem: N. nam eodem inſtanti quo decernit, illam videt: imò niſi illam videret, nunquam ad materiale peccati concurrere decerneret: unde vera eſt hæc Propoſitio: Ideo Deus vult ab æter-

Digitized by Google

æterno concurrere mecum ad materiale peccati, quia ſum illud in tempore voliturus; falſa autem hæc: Ideo ſum voliturus in tempore materiale peccati, quia illud decrevit Deus.

Inſt 3. Ex prima propoſitione jam allata ſequitur decretum Dei de concurrendo eſſe poſterius determinatione creaturæ, cùm tamen prioritas ſit tribuenda.

Reſp. Diſt. Aſſumpt. Sequitur decretum Dei univerſale & confuſum eſſe poſterius: N. Decretum particulare & determinatum: C.

Obji. 2. Anſelmus Opuſc. de concordia præſcient. & prædeſt. c. 2. ſic ait: *Prædeſtinatio non ſolum bonorum eſt, ſed malorum poteſt dici .... in illis facit quod ſunt & quod bona ſunt, in malis autem nonniſi quod ſunt eſſentialiter, non quòd mala ſunt*: ergo prædefinit materiale peccati.

Reſp. Neg Sequel. Quia ibi Anſelmus per prædeſtinationem intelligit decretum non prædefiniens, ſed concomitans, aut ſequens cognitionem determinationis creaturæ: ſicut intelligit Auguſtinus, cùm dicit, Deum ſicere futura, ea prædeſtinando, ubi particula *Præ* non dicit reſpectum ad creaturæ determinationem, ſed ad executionem rei temporalem.

Inſt. 1. Deus non minùs, imò magis attingit materiale peccati per decretum concomitans, ac per prædefinitionem: ergo ſi illud poſſit decernere per decretum concomitans, poterit prædefinire.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia non ideo negamus Deum poſſe prædefinire materiale peccati, quia per prædefinitionem illud ſuo modo attingeret, ſed quia per prædefinitionem illud vellet ex propria determinatione; per decretum autem concomitans, licèt velit ad illud concurrere, magis tamen ex determinatione creaturæ, quàm ex propria; & ſic non eſt ratio ipſi imputandi formale peccati ſecundo caſu, ſicut eſſet in primo.

Inſt. 2. Deo decernente concurrere ad materiale peccati, creatura ſemper ponit formale, quod non poneret, ſi Deus non concurreret: ergo non minùs cenſetur velle formale peccati concomitanter decernendo, quàm prædefiniendo.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia licèt Deo ſuſpendente decretum & concurſum ſuum, creatura non poneret materiale peccati, ex quo ſemper ſequitur formale: juſtiſſimas tamen habet cauſas non ſuſpendendi; quandoquidem exigat conditio Proviſoris univerſalis, aut omnibus provideat, & illis agere paratis paratum exhibeat concurſum ſuum, ſine quo nunquam agerent creaturæ: hæ autem cauſæ faciunt, ut decernendo concurrere ad materiale peccati, non cenſeatur velle formale, ſicut cenſeretur velle prædefiniendo materiale, cùm nulla ſit ratio, nulla cauſa, nulla neceſſitas id prædefiniendi, ſicut eſt illud decernendi.

Inſt. 3. Si homo concurreret ad materiale peccati cum altero, cenſeretur velle illius formale, licèt juſtiſſimam haberet cauſam id faciendi: ergo & Deus.

Reſp Neg. Suppoſitum; quia nulla datur cauſa ſufficiens, adeoq; juſta reſpectu hominis, ut licitè poſſit concurrere ad materiale peccati: unde ſi detur caſus in quo videatur ad illud concurrere, & tamen non peccare, dicendum eſt non concurrere ad materiale peccati, ſed ad rem bonam aut ſaltem indifferentem. Exemplum ſit. Petrus fur non valens auferre ſolus centum libras ferri, cogit Paulum, comminando mortem, ad auferendum ſecum; Paulus quidem auferendo non peccat; ſed nec concurrit ad materiale peccati; quandoquidem materiale furti non ſit tantùm ablatio rei alienæ, ſed inſuper invito rationabiliter domino: jam autem non cenſetur rationabiliter invitus dominus reſpectu Pauli, licèt ſit reſpectu Petri: unde quotieſcunque homo habet cauſam ſufficientem ad ponendum id quod videtur materiale peccati, deſinit eſſe materiale peccati; quia deſinit eſſe contra legem, quæ tali caſu non obligat; quotieſcumque autem non habet cauſam ſufficientem, ponendo materiale, ponit & formale; quia agit contra legem. Deus autem qui nulla lege prohibetur concurrere ad materiale peccati; imo potius qui ad id tenetur ex conditione Proviſoris univerſalis, ponendo materiale, non ponit formale. Lex ergo prohibens concurrere ad materiale peccati, afficit cauſam moralem, particularem, & agentem abſolutè ex propria determinatione, non autem cauſam univerſalem: tantùm phyſicam, & agentem potius ex aliena determinatione, quàm ex propria, qualis eſt Deus in noſtro caſu.

QUÆSTIO VII.

An poſſit conciliari libertas humana cum prædefinitionibus, & aliis decretis divinis?

SUppono ex dictis quæſt. 5. & 6. tantum prædefiniri actus ſalutares. Hoc ſuppoſito

CONCLUSIO UNICA.

PRædefinitiones divinæ nullo modo nocent humanæ libertati. Ita omnes prædefinitionum Fautores.

Prob. 1. Si prædefinitio divina tolleret libertatem hominis quoad actum prædefinitum; vel id faceret per ſe immediatè, vel per media ad actus prædefiniti executionem neceſſaria, vel certè per qualitatem homini, antequam agat, impreſſam; cùm nihil aliud poſſit excogitari: ſed nullo ex dictis modo tollitur libertas actus prædefiniti: ergo Prob. Min Non quidem per prædefinitionem immediatè; quia cum prædefinitio divina ſit quid merè extrinſecum humanæ voluntati, nec ipſam realiter afficiens, non poteſt ipſam ad unam partem realiter & intrinſecè determinare ſeu neceſſitare. Non etiam per media ad executionem actus prædefiniti neceſſaria; nam cùm illa media ſint gratiæ congruæ ſeu efficaces, quibus poteſt homo pro ſuo libitu reſiſtere, clarum eſt, libertatem actus prædefiniti, ad quem dantur, non tollere. Non denique per qualitatem homini impreſſam, antequam agat; aliàs hominem prædeterminaret: quod abſolutè rejecimus.

Prob 2. Si prædefinitio noceret libertati hominis, vel noceret ab æterno, vel in tempore; non ab æterno; quia cùm tunc non exiſtat homo, nihil poteſt in ipſo poni, ratione cujus libertas ipſius lædatur. Non etiam in tempore; quia non priùs natura voluntatem creatam determinat ad actum prędefinitum, quàm ipſa ſeſe eligibiliter ad eundem determinet; ita ut determinatio cauſæ primæ & ſecundæ ſit omnino ſimultanea imo una & eadem ſit actio indiviſibilis Dei & creaturæ ad illum effectum utrique communem, ut tenent plurimi.

Prob. 3 Si Deus ab æterno nihil prædefiniret, nihil decerneretur, nihil vellet circa actiones noſtras ſed præciſè concurreret in tempore nobiſcum ad omnes effectus noſtros, libertati noſtræ non noceret, quandoquidem duæ cauſæ liberæ ſimul ad eundem effectum ſeſe determinando, non ſe invicem neceſſitent: ſed æternitas prædefinitionum, decretorum &c. non plus facit ad poſitionem actionum noſtrarum, ac ſi non eſſet; quandoquidem ad earum poſitionem ſufficiat concurſus Dei ſimultaneus: ergo. Undè Deus ex vi prædefinitionis non priùs concurrit ad actum prædefinitum, ac ſi decretum illud eſſet tantùm temporale, & concomitans determinationem creaturæ.

Dices: Ergo prædefinitiones æternæ ſunt ſuperfluæ.

Reſp. Diſt. Illatum: Sunt ſuperfluæ ad actionem creaturæ præciſè: C. quia ad illam ſufficit concurſus Dei ſimultaneus. Sunt ſuperfluæ ex parte Dei: N. nam cùm Deus ſit æternus, & aliundè propter ſuam immutabilitatem nihil poſſit velle in tempore, quod non voluerit ab æterno, omnia ejus decreta debent eſſe æterna. Ex quo patet ad actiones noſtras decretum æternum tantùm prærequiri ex parte Dei, non ex parte creaturæ, aut actionis creatæ.

Replicabis: Decretum æternum facit actiones noſtras futuras, ergo prærequiritur ex parte actionis creatæ.

Reſp Diſt. Conſeq. Prærequiritur ex parte actionis creatæ, ut accipiat eſſe futuritionis: C. ut accipiat eſſe actuale: N. ſed nihil inde contra Concluſionem.

Urgebis: Quod habet eſſe futuritionis, non poteſt non habere eſſe actuale; aliàs eſſet futurum & non eſſet: ſed præfinitio dat eſſe futuritionis actionibus noſtris ſalutaris: ergo neceſſitat nos ad dandum illis eſſe actuale.

Reſp. Diſt. Maj. Non poteſt non habere eſſe actuale, id eſt neceſſariò illud habebit à ſua cauſa; N. Deus enim qui futura facit, ea decernendo, etiam decrevit nihil ponere in creatura libera, quo naturalis ejus operandi modus immutaretur, decrevitque dare ipſi media ad effectum indifferentia; imo & exhibere concurſum indifferentem ad conſenſum & diſſenſum, id eſt, infallibiliter illud habebit: C. quia non poteſt fruſtrari divina prædefinitio.

Inſt. 1. Non eſt in quo fundetur infallibilitas illa, niſi in eo quòd creatura neceſſariò illud ponat: ergo.

Reſp. Neg. Ant. Sed fundatur in eo quòd Deus, qui novit à fundo virtutem & inclinationem voluntatis creatæ, aliundè gratiarum ſuarum efficaciam, decreverit ipſi dare gratiam in talibus circumſtantiis, ut infallibiliter ſit effectum habitura, licet phyſicè loquendo poſſit non habere; quia nec gratia illa, nec circumſtantiæ in quibus datur, nec diſpoſitio illius, cui datur, ipſum neceſſitant, licèt fortiter moveant, & alliciant. Nec hoc mirum videri debet; ſi enim ego poſſum eſſe quaſi phyſicè certus Joannem mendicum acceptaturum eſſe nummum ipſi offerendum, licèt poſſit reſpuere; cur Deus infinities magis penetrativus non poſſet certò cognoſcere me conſenſurum ſuavitati gratiæ offerendæ, licèt poſſim diſſentire?

Inſt. 2. Equidem fallibiliter operabitur creatura, cùm ſit ità ponendus effectus, ut poſſit non poni; implicat autem

ut fal-

ut fallibiliter ponendum, videatur infallibiliter ponendum.

Reſp Diſt. Aſsumpt. Fallibiliter operabitur, id eſt, non certò operabitur: N. id eſt, operabitur cum indifferentia, ſeu cum potentia ad non operandum: C.

Confirm Concluſio: Poſita prædefinitione homo non aliter movetur ad agendum, ac ſi illa non eſset, quandoquidem ex vi illius nihil prorsùs in ſe recipiat: ſed ſi illa non eſset, eſset liber: ergo etiam illa poſita remanet liber.

Objic. 1. Creatura non eſt libera, niſi Deus exhibeat ipſi concurſum ſuum indifferentem ad conſenſum, vel diſsenſum: ſed prædefiniendo vult abſolutè conſenſum circa actum prædefinitum; quandoquidem velit abſolutè illum cum creatura ponere: ergo

Reſp. Diſt. Min. Vult abſolutè conſenſum cum voluntate inefficaci & conditionata concurrendi ad diſsenſum, ſi homo ad illum ſe determinet: C. ſine dicta voluntate: N. Undè cum prædefinitione efficaci actus ſalutaris ſtat in Deo vera & ſincera voluntas dandi concurſum ſuum indifferentem ad illum ponendum, vel non ponendum; ſicut cum voluntate efficaci aliquos propter demerita damnandi, ſtat ſeria voluntas omnes ſalvandi, ſi bene vivant.

Objic. 2. Deus non poteſt actum prædefinire, niſi decernat priùs natura ad illum concurrere, quàm ſe determinet creatura, ergo ſi actum prædefiniret, creaturam neceſſitaret trahendo per concurſum ſuum prævium concurſum creaturæ ad actum prædefinitum. Prob. Ant. Quia concurſus Dei eſt conditio prærequiſita, ut creatura agat.

Reſp. 1. Hanc difficultatem non eſse particularem prædefinitioni, ſed communem cuilibet decreto concurrendi ad effectum cum creatura.

Reſp. 2. Neg. Ant. & ejus Probationem; quia licèt concurſus Dei ſit conditio conrequiſita & concomitans, ſicut eſt concurſus requiſitus ex parte objecti, ut potentia operetur; non eſt tamen prærequiſita.

Inſt. 1 Creatura non ſe determinaret, niſi concurſum illum haberet: ergo prærequiritur.

Reſp Diſt. Ant. Niſi illum haberet in inſtanti quo ſe determinat: C. in inſtanti priori: N. ſic non poteſt oculus videre, niſi habeat concurſum objecti, & tamen ſufficit quòd adſit objecti concurſus in illo inſtanti, quo ad viſionem concurrit oculus.

Inſt. 2. Non poteſt concipi, quomodo Deus & creatura omninò ſimul concurrant; quandoquidem non poſſit una cauſa actionem inchoare, niſi ſciat aut ſentiat concurſum alterius, & conſequenter niſi ſciat cauſam alteram jam actionem inchoaſſe: in quo involvitur prioritas concurrendi ex parte unius cauſæ.

Reſp. Non requiri ex parte cauſæ ſecundæ, ut ſciat aut ſentiat concurſum cauſæ primę, quandoquidem ſive ſciat ſive non, ſemper ipſa agente, coagat cauſa prima: ex parte autem cauſæ primæ requiritur, ut ſciat concurſum cauſæ ſecundæ, non tamen quando inchoatus eſt, ſed antequam inchoetur, ut ſciendo inſtans, in quo vult cauſa ſecunda agere, poſſit etiam eodem inſtanti coagere. Sicque concurſus ille ſimultaneus explicatur. Inſtans autem quo actura eſt creatura, novit Deus ab æterno.

QUÆSTIO VIII.

Quomodo Decretum Dei dicatur concomitans actionem Creaturæ?

CONCLUSIO I.

NOn poteſt dici concomitans Dei decretum ob concomitantiam æternam determinationis divinæ & humanæ, ut vult Maſtrius, qui ex eo quòd Deus contineat eminenter omnium creaturarum voluntates, ſuſtinet eo ipſo, quo Deus ſe ab æterno determinat ad actionem temporaliter ponendam cum creatura, creaturam ipſam eodem inſtanti ſe virtualiter determinare, ita ut non priùs videat ſuam, quàm creaturæ determinationem, ſicque ità ſe conformet voluntati creatæ, ac ſi eam expectaſſet, aut determinationem ejus, ſeu futuram inclinationem cognoviſſet: per quæ exiſtimat conciliare cum decreto divino libertatem: ſed certè modus ille intellectu difficilis, explicatu difficilior, non videtur ad concordiam illam conferre.

Prob. 1. Quia cùm ab æterno non poſſit ſeipſam determinare creatura, utpote non exiſtens, ejus determinatio, ſi quæ ſit, debet eſſe à ſolo Deo, magis autem nocet libertati aſſerere determinationem creaturæ eſſe à ſolo Deo, quàm eſſe partim à Deo, partim à creatura.

Si dicas, fore etiam à creatura in tempore; Dicam ego, Deum non aliter agere in tempore quàm ab æterno; & conſequenter ſi ſolus determinavit ab æterno, ſolus determinabit in tempore.

Prob. 2. Quia ſive Deus dicatur decernere ante præviſionem determinationis creaturæ, ut in prædefinitionibus, ſive poſt præviſionem, ut in materiali peccati ſive ſimul cum ipſa præviſione, equidem decretum illud non nocet libertati humanæ, cùm nihil ponat in creatura, ut diximus, relinquatque ipſi modum agendi connaturalem, adeoque indifferentem & liberum; & ſic fruſtra recurritur ad ſimultatem determinationis æternæ.

CONCLUSIO II.

DEcretum Dei, licèt æternum, dicitur concomitans actionem creaturæ; quia non priùs Deus ponit effectum communem in tempore, ſeu non priùs exequitur id quod ab æterno decrevit, quàm agat creatura; ita ut Deus & creatura reſpectu ejuſdem effectus ſint concauſæ, comprincipia, condeterminantes, ſicut ſunt duo homines reſpectu progreſſus navis, quam ſimul & ſemel trahunt: & ſicut Dei decretum in ſententia Thomiſtarum dicitur *prædeterminans*, quia in tempore ponit aliquid in creatura ipſam movens ad actionem, priuſquam de facto agat; ita ſecundùm nos dicitur *condeterminans*, ſeu concomitans; quia ante actionem communem nihil ponit in creatura, nec priùs agit Deus, quàm coagat ipſa: ſicque patet concomitantiam illam conſiſtere in executione, ſive interim decretum illud in intentione, ſeu ab æterno præcedat præviſionem determinationis creaturæ, ſive ſequatur, ſive comitetur.

Prob. 1. Concluſio: quia non aliter decrevit Deus rerum efficientiam ab æterno, quàm illas efficiat in tempore: ſed Deus in tempore res efficit concomitanter ad cooperationem creaturæ: ergo ita decrevit ab æterno; & conſequenter inde decretum ejus dicitur concomitans.

Prob. 2. Quia ut Deus decernat ab æterno agere concomitanter cum creatura in tempore, non dependet à præviſione determinationis humanæ abſolutè aut conditionatè ponendæ, cùm non ipſi deſint modi, quibus concomitantiam illam exequatur in tempore, idque ſine ullo libertatis humanæ præjudicio, ut patebit ex Objectionum ſolutione.

Dices 1. Si Deus decernat ante præviſionem humanæ determinationis, decretum illud non erit concomitans ſeu condeterminans, ſed prædeterminans.

Reſp. Diſt. Aſſumpt. Erit prædeterminans reſpectu præviſionis: Tranſeat, reſpectu determinationis humanæ temporaliter ponendæ: N. quia nihil ponetur ideo in creatura antequam agat, ut concedunt Thomiſtæ.

Dices 2. Ideo præſcientia divina ſecundùm PP. non tollit humanam libertatem, quia non eſt natura prior determinatione creaturæ, ſed poſterior, ſeu quia vera eſt hæc cauſalis Ideo præſcit Deus creaturæ determinationem, quia futura erat Creaturæ determinatio, & non è contra: ſed decretum divinum in noſtro ſuppoſito non eſt natura poſterius humana determinatione, ſed prius, & quidem cauſa illius: ergo in noſtro ſuppoſito tollit libertatem.

Reſp. Diſt. Maj. Ideo præcisè: N. ideo & quia nihil *ponit* in tempore prædeterminans creaturam ad actionem: quod nec facit decretum noſtrum: C. Hujus autem rationis, ſi fortè non meminerint explicitè aliqui PP. meminerunt tamen implicitè, eo ipſo quo dixerunt, præſcientiam divinam eſſe natura poſteriorem determinatione humana: quod non ſtaret, ſi ante actionem aliquid poneret in creatura inferens ipſam actionem.

Dices 3. Secundùm Philoſophos voluntas non fertur in incognitum: ſed ſecundùm nos vult Deus determinationem creaturæ nullatenùs ſibi præcognitam: ergo. Prob. Min. Quia decernit effectum ponendum, non à ſe ſolo, ſed in conſortio creaturæ, & conſequenter vult determinationem creaturæ, quam non præviderat.

Reſp. Diſt Min. Vult determinationem creaturæ non ſibi præcognitam ut futuram: C. ſed nec propriam ſic prænoverat, cùm tantùm futurizetur utraque per ipſum decretum. Non ſibi præcognitam ſecundùm eſſentialia: N. prænoverat enim per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quid ſit determinatio creaturæ, quid ſit & ſua, imò quòd ſua & creaturæ poſſint eſſe ſimul, habeantque vim ponendi effectum communem.

Dices 4. Saltem non cognoſcit, quomodo creatura ſe infallibiliter determinatura ſit vi decreti, & tamen liberè: ergo aliqualiter fertur in incognitum.

Reſp. Neg. Ant. Quia cùm noverit à fundo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ inclinationem & propenſionem creaturæ in talem vel talem actum, & aliunde mediorum ſuorum ſive naturalium, ſive ſupernaturalium vim & efficaciam, ut diximus, novit etiam per eandem ſcientiam, quomodo poſſit decreti ſui infallibilitas cum humana libertate attemperari.

Dices 3.

Google

Dices 5. Si Deus decernit ante præviſam humanam determinationem: ergo prædefinit materiale peccati: quod antea negavimus.

Reſp. Eſſe quid ſpeciale reſpectu peccati: nam ut antea diximus, ut Deus relinquat homines agere liberè motus ſuos, decernit decreto quodam confuſo & univerſali concurrere ad omnes omnium actiones, & poſtea præviſa per ſcientiam viſionis ſeu poſteriorem decreto humana determinatione ad peccatum, decernit decreto ſpeciali & determinato concurrere ad illius materiale, & permittere formale.

Inſt. Gratis fingitur duplex illud decretum.

Reſp. Neg. Aſſumpt. Sicut enim volentes, Deum prædeſtinare ad gloriam dependenter à præviſis meritis, duplex ſtatuunt decretum pro explicando ſalutis negotio, unum, quo vult Deus ante præviſa merita omnes homines ſalvos fieri, & aliud quo poſt præviſa merita vult hunc determinatè ſalvare: quidni pro ableganda à Deo ad peccatum concurrentia duplex ſtatueremus?

Replicabis: Non ſtatuitur duplex pro actibus meritoriis.

Reſp. Neg. Ant. Quia ponitur primò decretum concurrendi ad omnes actiones creaturarum, adeoque & ad meritorias, ſaltem confusè. Secundò decretum aliud concurrendi decreto ſpeciali & ſupernaturali ad hanc actionem ſupernaturalem. Non videt tamen Deus vi decreti univerſalis determinationem creaturæ ad actum meritorium, ſicut videt ad actum indifferentem, cùm ad illam determinationem ſit neceſſarius concurſus ſupernaturalis per decretum ſpeciale decernendus. Pro actibus autem indifferentibus, ſatis etiam probabile eſt concurrere duplex decretum, univerſale præſatum, quod procedit à Deo tanquam univerſali totius naturæ Proviſore, & aliud particulare, quo vult etiam tanquam Proviſor particularis ad hanc actionem particularem particulariter concurrere. Unde ſicut vult decreto univerſali omnes homines, & decreto particulari hunc & illum ſalvare; ita & videtur ſe habere reſpectu actionum humanarum, ut oſtendat ſpecialem ſuam erga actiones etiam minimas providentiam.

DISPUTATIO IX.

De Prædeſtinatione.

PRædeſtinatio vox ex *Præ* & *Deſtinatio* compoſita, indifferens eſt generatim ſumpta, ut ſumatur in bonam vel malam partem, id eſt, pro electione ad gloriam, vel pro deſtinatione ad pœnam: unde Concilium Valent. ſub Lothario cap. 3. *Confitemur*, inquit, *prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem*: & ita etiam uſurparunt Auguſtinus lib. 15 de Civit cap. 1. Proſper in Reſponſ. 14. & 15. ad Capitula Gallorum Fulgentius lib. 1. ad Monymum cap. 14. Nihilominùs in hac tota Diſputatione pro ſola deſtinatione ad gloriam accipiemus, ſicut ſolet communiter accipi; & de ea ſic ſumpta loquitur Apoſtolus Epheſ. 1. *Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum.* Licèt autem aliqui diſtinguant prædeſtinationem ab electione, volentes illam reſpicere gratiam, hanc verò gloriam; quia tamen ab Auguſtino accipiuntur communiter pro eodem, accipiemus & nos. Fatendum tamen, quòd electio vi nominis ſupponat aliquorum rejectionem, non ſic prædeſtinatio.

Porrò prædeſtinationem rejecerunt II. Sæculo Valentinus, & Baſilides, qui, ut refert Clemens Alexand lib. 5. Strom. cùm dicerent ex hominibus alios eſſe natura bonos, alios natura malos, etiam dixerunt, alios eſſe natura ſalvandos, alios natura reprobos, quibus adhæſerunt Marcionitæ, & Manichæi. Hanc etiam ablegarunt Pelagiani & Semipelagiani, ne tolleretur libertatis uſus, neve naſcerentur homines jam judicati, non judicandi. Origenes autem lib. 2. de Principiis cap. 8. non quidem eam rejecit, ſed eam, ſicut & reprobationem, finxit dependere à factis, quæ geſſerant animæ ante mundum conditum, adeoque antequam corpori unirentur.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Prædeſtinatio, & an ſit neceſſaria ad Salutem?

CONCLUSIO I.

PRædeſtinatio, juxtà Scotum 8. d. 7. q. 3. eſt præordinatio alicujus ad gloriam principaliter & primariò, & ad alia in ordine ad gloriam minùs principaliter & ſecundariò.

Dicitur 1. *Præordinatio*; quia licèt vox *deſtinatio*, ex qua componitur partialiter prædeſtinatio, varia ſignificet, ut deliberationem, miſſionem &c. propriè tamen, ut hic ſumitur, ſignificat ordinationem: unde deſtinatus dicitur ordinatus, ſeu quod idem eſt, determinatus, conſtitutus &c. Particula verò *Præ* denotat tùm anteceſſionem durationis, ſeu æternitatis ad tempus, ità ut prædeſtinatio idem ſit, quod æterna deſtinatio, & prædeſtinatus, idem quod ab æterno, ante omne tempus ad gloriam electus, juxta illud Apoſt. Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*, tùm etiam, & præcipuè, electionem ad gloriam ante præviſa merita, ut docetur poſtea.

Dicitur 2. *Ad gloriam principaliter & primariò*; quia licèt ſuſtineant aliqui, quòd prædeſtinatio importet primariò præparationem gratiæ, ſecundariò verò electionem ad gloriam; quia tamen voluntas finis prior eſt voluntate mediorum, cùm media non appetantur niſi propter finem, electio autem ad gloriam ſit voluntas finis, & præparatio gratiæ voluntas mediorum: hinc eſt quod Deus, antequam præpararet dona gratiæ, elegerit quoſdam efficaciter ad vitam æternam ex ſolo ſuo beneplacito; & deinde cogitavit de mediis gratiæ, quibus ad illum finem pervenirent; & ideò in definitione dictum eſt: *Et ad alia in ordine ad gloriam minùs principaliter & ſecundariò.*

Nec refert, quòd Scotus 1. d. 49. num. 2. dicat prædeſtinationem eſſe electionem creaturæ intellectualis aut rationalis ad gratiam & gloriam; nam per illa verba tantùm intendit gratiam eſſe priorem gloria in executione, non autem in intentione.

Aliam prædeſtinationis deſcriptionem refert Auguſtinus lib. de bono perſever. cap. 14. his verbis: *Prædeſtinatio eſt præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur.* Ut autem hæc clariùs innoteſcant.

Adverte 1. Per illa verba tantùm deſcribi prædeſtinationem incompletam; quæ eſt præparatio gratiæ & mediorum ſupernaturalium ad æternæ fœlicitatis aſſecutionem conducentium, quæ omnia nomine beneficiorum Dei ab Auguſtino comprehenduntur: unde prædeſtinatio completa tam importat, imò magis, electionem ad gloriam quàm ad gratiam. Quòd ſi tamen ſub nomine beneficiorum comprehendatur & gloria, ut vult Herinx cum nonnullis aliis, quia per gloriam ſit plena & integra liberatio ſive libertas, dici poteſt Auguſtinum deſcribere prædeſtinationem completam.

Adverte 2. Ut illa deſcriptio extendatur ad omnes creaturas intellectuales tum angelicas, tum humanas, loco *liberantur*, ponendum eſſe *ſalvantur*; aliàs ad ſolos homines, qui per gratiam à peccato liberantur, reſtringitur.

Adverte 3. Per præſcientiam in deſcriptione poſitam, intelligi ſcientiam viſionis, ut colligere eſt ex contextu, non autem ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, aut mediam, ut volunt aliqui; quia licèt S. Doctor poſuerit præſcientiam ante præparationem, non tamen voluit ſcientiam illam eſſe priorem decreto, ſed illud concomitari, aut ſubſequi, quaſi diceret: *Eſt præſcientia in præparatione fundata*: unde cap. 18. ſic ait: *Sine dubio enim præſcivit, ſi prædeſtinavit*, ubi præſcientiam infert ex prædeſtinatione.

Adverte 4. Quòd præſcientia non ſit propriè prædeſtinatio, ſed aliquid ipſam concomitans; quandoquidem prædeſtinatio ſit actus voluntatis, præſcientia verò actus intellectus: unde Scot. ſuprà: *Prædeſtinatio propriè ſumpta*, inquit, *dicit actum voluntatis divinæ ... licèt poſſet accipi*, ſcilicet impropriè, *pro actu intellectus concomitante iſtam electionem.*

CONCLUSIO II.

SIc eſt ad ſalutem neceſſaria prædeſtinatio, ut impoſſibile ſit impoſſibilitate conſequenti non prædeſtinatum de facto ſalvari. Ità communiter DD. Scholaſtici contra Catharinum, qui voluit B. Virginem quidem, Apoſtolos, & quoſdam alios inſignes ſanctitate viros prædeſtinari; alios tamen ſalvandos, non per prædeſtinationem, ſed per ſolam generalem Dei providentiam ſupernaturalem, & voluntatem antecedentem ſalvandi omnes homines, ſalvari.

Prob. 1. Ex Script. Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum*: ſed Deus præparavit Regnum cœleſte per prædeſtinationem; ut patet ex Auguſt. Tract. 68. in Joan. ubi loquens de manſionibus cœleſtibus, ſic ait: *Deus fecit illas prædeſtinando*: ergo &c. Unde putant aliqui Concluſionem noſtram eſſe de fide, licèt non omnes in hoc conveniant.

Prob. 2. Ex PP. Auguſtino lib. 2. de bono perſever. cap. 9. ubi aſſerit *neminem ſalvandum, niſi qui fuerit prædeſtinatus.* Et Fulgentio de fide ad Petrum cap. 35. ubi ſic loquitur: *Nullatenus dubites . . . . . . , nec perire poſſe aliquem eorum, quos Deus prædeſtinavit ad Regnum Cœlorum. Nec quem-*

piam eorum, quos non prædeſtinavit ad vitam, ulla poſſe ratione ſalvari.

Prob. 3. Ratione: Quodcumque Deus exequitur in tempore, illud voluit ab æterno: ſed aliquos de facto ſalvat in tempore: ergo illos ſalvare voluit ab æterno: atqui non voluit tantùm per voluntatem autecedentem ſalvandi omnes homines, cùm illa æquè reſpiciat reprobos ac Prædeſtinatos: ergo per aliam, qua voluit efficaciter aliquos inter alios eligere, quæ eſt prædeſtinatio.

Objic. 1. Poſſunt omnes homines ſalvari: ſed non omnes ſunt prædeſtinati: ergo prædeſtinatio non eſt neceſſaria ad ſalutem.

Reſp. Diſt. Conſeq. Non eſt neceſſaria ad ſalutem, id eſt, aliqui ſalvantur de facto ſine prædeſtinarione: N. id eſt, poſſunt ſalvari ſine prædeſtinatione: C. Poſſunt enim etiam non prædeſtinati facere cum gratia Dei opera meritoria gloriæ, & conſequenter ſalvari. Ex quo ſequitur, quòd etiam reprobus poſſit ſalvari, non quidem reprobus ut reprobus, ſeu in ſenſu compoſito reprobationis; quandoquidem hoc importet mortem in peccato: quod eſt ſalutis impeditivum, & reprobationis cauſativum, ſed homo qui futurus eſt ex malitia ſua reprobus; cùm poſſit à peccatis, propter quæ damnandus eſt, abſtinere, & opera bona, propter quæ ſalvandus eſſet, exercere.

Objic. 2. Ex neceſſitate prædeſtinationis ſequitur, quòd quantumcumque bene vivat aliquis, ſemper ſit damnandus, ſi non ſit prædeſtinatus, ſicut quantumcumque malè vivat, ſemper eſt ſalvandus, ſi eſt prædeſtinatus: ſed rationes illæ ſunt inductivæ ad pigritiam & incuriam ſalutis, imò ad innumera peccata perpetranda: ergo &c.

Reſp. Nego Sequelas illas frivolas, à perditis hominibus, aut etiam à diabolo ipſo adinventas: cùm enim non ſit damnandus quis, niſi propter demerita, per ſe patet, ſi bene vivat, non eſse damnandum, ſicut patet non eſse ſalvandum illum, qui moritur in peccato; quandoquidem Deus juſtus non decreverit dare coronam niſi legitimè certantibus, & perſeverantibus uſque in finem. Ut autem magis harum rationum falſitas appareat, lubet quaſdam Replicas facere. Cur avarus continuò currit ad debitores, ut pecuniam recipiat, & non dicit: Vel debeo illam pecuniam recipere, vel non: ſi debeo, ſive moveam me, ſive non, illam recipiam. Si non debeo, fruſtra ad debitores curro? Cur tam ſollicitè cibos præparari curat guloſus, & non dicit: Vel debeo hodie lautè epulari, vel non: ſi ſic, ſive fercula præparentur, ſive non, equidem epulabor. Si non, ad quid fercula præparare? Cur denique luxurioſus omnia tentat, ut libidinem expleat, & non dicit: vel debeo hodie frui tali creatura, vel non: ſi debeo, ſive domo exeam, ſive non, veniet ad me: ſi non debeo, ad quid tot paſsus, tot ſudores? Si mihi reſpondeas, te non debere recipere pecuniam, niſi petendo: nec epulari, niſi fercula præparando, nec frui puella, niſi quærendo, ſollicitando &c. Et ego tibi reſpondebo, te non debere ſalvari, niſi bene vivendo, nec damnari, niſi malè vivendo.

Objic. 3. Creaturæ irrationales ordinantur ad finem ſuum ſine prædeſtinatione: ergo à fortiori rationales.

Reſp. 1. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt quòd finis creaturarum irrationalium ſit naturalis, adeoque per naturæ vires aſsequibilis; rationalium verò ſupernaturalis, adeoque naturales earum vires excedens, & ideo per prædeſtinationem obtinendus.

Reſp. 2. Diſt. Conſeq. Ergo à fortiori rationales quantùm ad finem ſuum naruralem, qui obtinetur ex parte corporis per ſenſuum operationem perfectam; ex parte intellectus per veritatis contemplationem, ex parte voluntatis per optimi dilectionem: C. quantùm ad finem ſupernaturalem: N.

QUÆSTIO II.

Quid ſit effectus Prædeſtinationis, & quot ſint?

CONCLUSIO I.

EFfectus prædeſtinationis eſt illud omne & ſolum quod eſt à Deo volitum ex affectu ſpeciali erga ſalutem prædeſtinati, ità ut ad illam reipſa conferat ſive proximè, ſive remotè; ſive formaliter, ſive occaſionaliter; ſive meritoriè, ſive alio modo. Hinc

Reſol. 1. Contra Suarez naturam & creationem prædeſtinati non eſse effectus prædeſtinationis; quia illa non ſequuntur, ſed præcedunt voluntatem prædeſtinandi; quandoquidem non prædeſtinet Deus Petrum v. g. niſi jam in intentione creatum & hominem conſtitutum.

Reſol. 2. Bonam indolem, parentes timoratos, præceptores pios, ſocios exemplares, locum, tempus, circumſtantias, in quibus reperitur quis, artes, ſcientias, paupertatem, abundantiam, afflictiones, morbos, tribulationes, virtutum moralium habitus & actus, etiam naturæ viribus exercitos, poſſe eſſe effectus prædeſtinationis, ſi nempe Deus ex affectu erga prædeſtinatum illa tribuat, ut occaſiones vel gratiam acquirendi, vel augendi, vel peccatum vitandi, modò tamen effectum obtineant: nam ſi ad ſalutem prædeſtinati reipſa non conferant, non ſunt effectus prædeſtinationis; ſicut nec ſunt ideo omnes gratiæ, omnia auxilia &c. reprobis conceſſa.

CONCLUSIO II.

DUo ſunt effectus generales prædeſtinationis, gratia nempe, & gloria. Ita DD. Angelicus, Seraphicus, Subtilis & alii ſatis communiter; quorum Primus p. 1. q. 23. art. 5. ad 2. ſic ait: *Prædeſtinatio eſt cauſa gratiæ in præſenti & gloriæ in futuro.*

Quoniam verò gratia duplex eſt, actualis una, quæ dicitur vocationis, habitualis altera, quæ dicitur juſtificationis. Hinc non incongruè Authores triplicem effectum generalem aſſignant prædeſtinationis; vocationem ſcilicet, juſtificationem & glorificationem: quos effectus expreſſit Apoſtolus ad Roman. 8. his verbis: *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit; quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.*

Non deſunt tamen etiam SS. Patres, ut Hieronymus, Ambroſius, Chryſoſtomus &c. qui dicunt per ly *glorificavit*, intelligi gloriam ſeu honorem hominibus juſtis in hac vita collatum, quibus tamen contradicunt Auguſtin. lib. de Prædeſt. SS. cap. 17. & Fulgentius lib. 1. ad Monymum cap. 11. & alii.

Porrò *ad vocationem*, quæ fit per gratiam prævenientem ſeu excitantem, ſpectant illuminationes, inſpirationes, motus Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis, quibus ante juſtificationem correſpondetur, ſicut & ipſemet correſpondentis conſenſus. Item Sacramentorum inſtitutio, Chriſti paſſio, annuntiatio Evangelii &c. quia quamvis ſint hæc electis & reprobis communia, ſicut & ipſamet vocatio, quia tamen electis applicata ſunt ex affectu prædeſtinativo; reprobis autem tantùm ex providentia generali ſupernaturali, ideò non in his, ſed in illis ſunt effectus prædeſtinationis. Sed quid de vocatione, cui reſiſtit hic & nunc prædeſtinatus? Etiam poteſt eſſe effectus prædeſtinationis; quia licèt non conducat proximè ad aſsecutionem finis ultimi, conducere tamen poteſt remotè, in quantùm in memoriam revocata, cauſa eſt pœnitentiæ, humiliationis, vel alterius pii affectus, quem, mediante alia vocatione efficaci, ſortitur.

Dices: Non eſt vocatio, dum eſt conſecutio gloriæ: ergo non concurrit ad illam, & conſequenter non eſt effectus prædeſtinationis.

Reſp. Diſt. Conſeq. Non concurrit phyſicè: C. moraliter & diſpoſitivè, ſaltem remotè: N. nam vocatio mediante conſenſu, juſtificatione, gratiæ augmento, & perſeverantia finali, confert diſpoſitivè & moraliter ad beatitudinem.

Ad juſtificationem revocantur remiſſio culpæ & pœnæ, infuſio gratiæ habitualis, exercitium virtutum, quibus gratia augetur, ipſum gratiæ augmentum, perſeverantia finalis, denique omuia gratiæ auxilia à momento juſtificationis ad finem vitæ conceſſa; nam quæ juſtificationem præcedunt, ad vocationem reducuntur. Ad hanc etiam revocari debet gratia per peccatum amiſſa, ſicut & opera meritoria per illud mortificata, ſi nempe conſiderentur ut per pœnitentiam ſubſequentem reſtituta, non ut primò acquiſita; quia primo modo ad beatitudinem de facto conferunt, non ſecundo: ex quo ſequitur primam gratiæ ſanctificantis collationem Adamo factam, fuiſſe & non fuiſse effectum prædeſtinationis ſub diverſo reſpectu; non fuiſse quidem quatenùs peccatum præceſſit; fuiſse autem quatenùs in ſimili per pœnitentiam reſtituta eſt: ſicque facilè oſtenditur, omnem prædeſtinationis effectum in Adamo fuiſſe ex Chriſti meritis, etiam iu ſententia illorum, qui volunt gratiam juſtitiæ originalis fuiſse ipſi collatam ex ſola Dei liberalitate; quia illius reſtauratio, ſecundùm quam tantùm fuit prædeſtinationis effectus, facta eſt ex Chriſti meritis.

Denique *ad glorificationem* reduci poſsunt mors præmatura, quatuor dotes corporis glorioſi, gaudium accidentale, Aureolæ Martyrum, Doctorum, & Virginum, revelationes extra Verbum &c. Pro Coronide

Adverte omnem prædeſtinationis effectum eſse ſupernaturalem, vel in ſubſtantia ut juſtificatio, & glorificatio; vel in modo, in quantùm licèt in ſua entitate naturalis, ut bona indoles &c. ex providentia tamen ſupernaturali ad finem ſupernaturalem reipſa conducit.

Digitized by Google

QUÆSTIO III.

An Peccatum, & illius permiſſio poſſint eſſe effectus prædeſtinationis.

CONCLUSIO I.

PEccatum non poteſt eſſe effectus prædeterminationis.

Ratio eſt; quia una ex conditionibus requiſitis ad effectum prædeſtinationis, eſt quòd ſit à Deo volitus: ſed peccatum non poteſt eſſe à Deo volitum, cùm illud expreſſiſſimè prohibeat: ergo. Præterea omnis effectus prædeſtinationis provenit ex Chriſti meritis: ſed abſurdum eſt dicere, quòd Chriſtus meruerit, ut peccaremus: ergo.

Dices: Gloſſa in illud Rom. 8 *Omnia cooperantur in bonum*, ait: *Omnia etiam peccata*: unde Auguſt. lib. 14. de Civit. cap. 13. *Audeo dicere, ſuperbis eſſe utile cadere in aliquod apertum manifeſtumque peccatum, unde ſibi diſpliceant, qui jam ſibi placendo ceciderant*: ergo peccatum poteſt eſſe prædeſtinationis effectus.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia ad illorum verificationem ſufficit, quòd Deus occaſione peccati excitet hominem per gratias actuales, ut de illo pœniteat, & deinceps cautiùs ambulet; illæ autem gratiæ ſunt effectus prædeſtinationis, non peccatum.

CONCLUSIO II.

NEc permiſſio peccati poteſt eſſe effectus prædeſtinationis reſpectu peccantis, ſive interim ipſa permiſſio dicatur conſiſtere in volitione permittendi peccatum, ſive in negatione talis gratiæ, quæ ſi adeſſet, peccatum vitaretur. Ità Præpoſitus, Becanus & alii contra plurimos.

Prob. 1. Omnis effectus prædeſtinationis debet reipſa conferre ad ſalutem prædeſtinati: ſed permiſſio peccati nihil ad eam confert, cum ipſa poſita infallibiliter peccet prædeſtinatus, ſicque magis à ſalute conſequenda removeatur: ergo.

Dices, ipſam peccati permiſſionem non quidem conferre immediatè ad ſalutem prædeſtinati, conferre tamen occaſionaliter, in quantùm occaſione ipſius homo reſurgit humilior & ferventior: ſed

Contra eſt quòd homo non ratione permiſſionis peccati, ſed ratione ipſiuſmet peccati, in quod miſerabiliter cecidit, fiat humilior & cautior, ut propria convincit experientia: nam Deus, per gratias actuales ſeu illuminationes, peccati commiſſi turpitudinem fortiter peccatori repræſentat; ex cujus conſideratione movetur ad illud deteſtandum, & ſimile deinceps præcavendum; non autem ex conſideratione permiſſionis peccati.

Inſt. Si Deus non permiſiſſet peccatum, non conferret peccatori gratias actuales ad reſurgendum: ergo occaſione permiſſionis illas confert, ſicque illa, ſaltem remotè ad ſalutem conducens, eſt effectus prædeſtinationis.

Reſp. 1. Retorquendo Argumentum ad hominem: Si homo non peccaſſet, Deus non præberet ipſi gratias ad pœnitendum: ergo occaſione peccati illas confert, ſicque peccatum ut remotè conducens ad ſalutem, eſt effectus prædeſtinationis.

Reſp. 2. Quòd quamvis permiſſio peccati neceſſariò præſupponatur ad gratias præfatas, non tamen propterea computari debeat inter effectus prædeſtinationis; aliàs creatura rationalis prædeſtinata, eſſet effectus prædeſtinationis; cùm præſupponatur gratiis omnibus ad ſalutem neceſſariis, & ipſius occaſione illas conferat Deus.

Prob. 2. Concluſio: Permiſſio peccati nec eſt gratia formaliter, cùm ſit illius ſubſtractio; nec diſpoſitivè, cùm illa poſita ſequatur id quod gratiam expellit; nec occaſionaliter, ut jam oſtendimus: ergo non eſt effectus prædeſtinationis, qui debet eſſe gratia, ſaltem uno ex præfatis modis.

CONCLUSIO III.

PErmiſſio peccati alieni poteſt eſſe effectus prædeſtinationis.

Ratio eſt; quia poteſt Deus velle permiſſionem peccati Petri, quæ de facto conducat ad ſalutem Pauli ex ſpeciali affectu erga ſalutem ipſius Pauli; ſed tunc permiſſio peccati Petri haberet omnes conditiones requiſitas ad effectum prædeſtinationis, ut patet: ergo. Prob. Maj. Quia primò poteſt Deus illam permiſſionem velle, cùm ſimiles quotidiè velit. Secundò ex intentione efficaci ſalutis Pauli, cùm in hoc nulla oſtendi poſſit inconvenientia. Tertiò poteſt illa permiſſio ad ſalutem Pauli conferre: nam advertens Paulus bonitatem Dei, qui permiſit Petrum & non ſe peccare, inde magis inflammatur ad illum amandum: unde Auguſtinus in Pſal. 57. *Juſtus, qui videt vindictam peccatoris, proficit ipſe, & mors unius valet ad vitam alterius*.

Dices: Permiſſio peccati proprii non poteſt eſſe effectus prædeſtinationis: ergo nec alieni.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd homo non ex permiſſione peccati ſui, ſed ex ipſomet peccato moveatur ad ſe humiliandum &c. ut diximus, ſicque permiſſio illa nihil confert ad ſalutem: ex permiſſione autem peccati alieni cognoſcit erga ſe Dei miſericordiam, qui ſe per gratiam efficacem, & non alterum à peccato præſervavit.

QUÆSTIO IV.

An electi efficaciter prædeſtinentur ad gloriam, ante prævíſa merita?

SUppono 1. Tanquam de fide contra Pelagianos, & Semipelagianos, de quibus in Tractatu de Gratia, primam vocationem, ſeu primam gratiam excitantem, qua ad fidem vel contritionem excitamur, merè gratis conferri, adeoque independenter à præviſis meritis: nam, ut ait Apoſtolus 2. ad Timoth. 1 *Vocavit nos vocatione ſancta, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum & gratiam*. Et certè ſi propter merita præviſa daretur, non eſſet gratia: nam, ut loquitur idem Apoſt. Rom. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non eſt gratia.* Præterea ante primam gratiam prævenientem nihil eſt in homine præter peccatum & vires naturales liberi arbitrii: ſed non poteſt per illa primam gratiam mereri; quandoquidem meritum propriè dictum ſupponat in merente gratiam juſtificantem: ergo.

Suppono 2. Propter rationem nunc allatam, gratiam ſanctificantem etiam omnino gratis conferri; quandoquidem illa carens non poſſit eam de condigno mereri, cùm ipſamet ſit principium meriti: unde ad Rom 3. dicimur *Juſtificati gratis per gratiam ipſius*.

Suppono 3. prædeſtinationem efficacem ad gloriam ſpectari poſſe dupliciter, primò in ordine intentionis, eſtque efficax Dei intentio, ſeu volitio dandi gloriam electis, quæ ab aliquibus decretum intentivum nuncupatur, & de prædeſtinatione ſic ſumpta quæritur, an fiat ante vel poſt præviſa merita. Secundo in ordine executionis; ſicque ſumptam ex meritis præcedentibus conferri ſaltem adultis, contra Calviniſtas docet Fides Catholica. Et certè numquid in Scriptura dicitur præmium, merces, bravium, corona juſtitiæ: Præmium autem, mercedem &c non niſi legitimè certantibus retribui, quis non videat? Unde ſicut gratia ceſſat eſſe gratia, quando confertur propter merita, ità præmium ceſſat eſſe præmium, ubi nulla ſupponuntur merita. Ex quo ſequitur quòd vita æterna ex duplici titulo conferatur adultis, titulo quidem hæreditatis, ſicut parvulis, & titulo præmii propter opera meritoria.

CONCLUSIO UNICA.

PRædeſtinatio, ſeu electio efficax ad gloriam, fit ante præviſa merita, adeoque non reſpicit illa ut motivum eligendi, ſed potiùs ut effectus à ſe derivatus & procedens. unde Deus priùs eligit ad gloriam, deinde ad gratiam, & ad media ſeu merita, quibus eſt obtinenda. Ità Scholarum Thomiſticæ & Scotiſticæ Principes cum ſuis Diſcipulis, contra varios tunc recentiores, quorum opinionem non improbabilem judicat Scotus 1. diſt. 41. quandoquidem relinquat ibidem utramlibet amplectendi libertatem, licèt noſtram de facto amplectatur ipſemet eodem loco.

Prob 1. Ex Script. ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti, & immaculati, &c.* Ex quo ſic argumentor: Si Deus nos elegiſſet poſt præviſa merita, nos elegiſſet, quia futuri eramus ſancti, & non ut eſſemus ſancti; ſed nos elegit, ut eſſemus ſancti; ergo ante præviſa merita: Unde Hieronymus in eundem locum Pauli: *Non eliguntur Paulus, & qui ei ſimiles ſunt, quia erant ſancti & immaculati, ſed eliguntur & prædeſtinantur, ut conſequenti vita per opera atque virtutes ſancti & immaculati ſint* Ex quibus apparet, opera meritoria non eſſe motivum, ſed effectus prædeſtinationis. Loco autem præcedenti fieri mentionem de electione ad gloriam & non ad gratiam, ut volunt aliqui, inde patet, quòd loquatur Apoſtolus de iis, quos *benedixit omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus*. Gratia autem non eſt omnis benedictio ſpiritualis, quandoquidem electus ad gratiam poſſit reprobari, & multi de facto reprobentur. Præterea non eſt benedictio *in cœleſtibus*, cùm detur viatoribus.

Dices: Si Apoſtolus loqueretur de electione ad gloriam, ſequeretur, gloriam eſſe medium ad gratiam & ſanctificationem noſtram: nos enim elegiſſet Deus ad gloriam, ut eſſemus ſancti &c. quod videtur inordinatum.

Reſp. Diſt. Sequel. Sequeretur gloriam in intentione eſſe medium ad gratiam: Tranſeat. Gloriam in executione. N. & cer-

te ſi voluntas ambulandi propter ſanitatem poſſit eſſe medium ad ambulationem, licèt ambulatio ipſa ſit medium ad ſanitatem, quidni volitio gloriæ poteſt eſſe medium ad gratiam, licèt gratia ipſa ſit medium ad gloriam.

Prob. 2. Prior eſt, ſecundùm Apoſt. Rom. 8 prædeſtinatio, quàm vocatio: *Quos enim prædeſtinavit, hos & vocavit*, ubi vocationem ex prædeſtinatione, tanquàm ex fonte deducit, & ideo vocationem effectum eſſe prædeſtinationis; ſuperiùs diximus: ſed vocatio præcedit merita, cùm ſint poſteriora juſtificatione, quæ ipſamet poſterior eſt vocatione: *Quos enim vocavit, hos & juſtificavit*: ergo &c.

Prob 3. Ex Apoſt ad Rom 9. ubi agens de cauſa noſtræ prædeſtinationis, illam refundit in ſolam Dei miſericordiam aliquos eligentis, alios relinquentis, quod probat exemplo Jacob, & Eſau, dicens: *Cùm nondum nati eſſent, nec aliquid boni egiſſent, aut mali... non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt. Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*; ergo neglecto Eſau, Jacob ante præviſa merita electus eſt.

Dices 1. Si textus ille quidquam faceret pro nobis, ſequeretur quòd Eſau ante præviſa demerita fuiſſet reprobatus, ſicut ante præviſa merita prædeſtinatus eſt Jacob; quandoquidem de Eſau dictum ſit: *Eſau odio habui*, antequàm quidquam mali feciſſet, ſicut de Jacob dictum eſt: *Jacob dilexi*, antequàm quidquam boni feciſſet, ſed reprobatio non fit independenter à præviſis demeritis, ut dicetur poſteà: ergo &c.

Reſp Diſt. Sequel. Sequeretur, quòd Eſau ante præviſa demerita fuiſſet reprobatus poſitivè, quod fit dependenter à præviſis demeritis, ut dicemus: N. reprobatus negativè, ſeu non electus ad gloriam, quod fit ante præviſa demerita: C. ſed de hoc fuſiùs poſteà.

Dices 2. Cum Platelio in illo textu non agi de electione Jacob ad gloriam, nec de reprobatione Eſau, quem Cornelius, Eſtius, & quidam alii ſuſtinent probabiliter eſſe ſalvatum, ſed de dilectione, qua Jacob non in ſe, ſed in ſua poſteritate prælatus eſt poſteris Eſau in ordine ad bona temporalia, & quædam ſpiritualia, v. g. legis ſacerdotii, cultus veri Dei, Meſſiæ ex ipſis orti &c. Hæc Platelius.

Reſp. Hæc verba, *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*, relata Malach. 1. & indè ab Apoſtolo deſumpta, ad litteram ſignificare quidem quòd præfert objectio; nihilominùs Apoſtolum per illa velle ſignificare myſterium prædeſtinationis, ac figuram electorum in Jacob, in Eſau autem figuram reproborum, quaſi diceret: ſicut ex ſola Dei voluntate, & non ex operibus in ſua poſteritate prælatus eſt Jacob, & Eſau poſtpoſitus; ità non ex operibus, ſed ex ſolo Dei arbitrio eliguntur aliqui ad gloriam, alii relinquuntur.

Dicunt aliqui in textu allato excludi quidem opera facta, non tamen præviſa: Sed

Contra eſt 1. quòd Auguſtinus Enchir. cap. 98. dicat: *Qua in re ſi futura opera, vel bona hujus, vel mala illius, qua Deus utique præſciebat, vellet intelligi: nequaquam diceret non ex operibus, ſed diceret ex futuris operibus*: Quid clariùs? Quandoquidem excludat omnia opera, & facta & præviſa. Idipſum habet idem Doctor aliis verbis lib. 2. contra duas Epiſt. Pelag. c. 7. ubi ait: *Propter quod profectò deſipitis, qui, dicente veritate, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, vos dicitis ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum eſſe præſciebat, Jacob fuiſſe dilectum, atque ità contradicitis Apoſtolo dicenti, non ex operibus quaſi non poſſet dicere, non ex præſentibus, ſed ex futuris.*

Contra eſt 2. Si Apoſtolus tantùm opera facta & non præviſa voluiſſet excludere, quare ad Quæſtionem cur Deus, neglecto Eſau, elegerit Jacob, reſpondet ſtupendo, & exclamando, hanc quæſtionem eſſe inveſtigabilem? Cùm tam facilè potuiſſet dicere elegiſſe Jacob, quia præviderat bene victurum, Eſau autem reprobaſſe, quia præviderat malè victurum. Cur poſtquam ſibi objecit, *Numquid iniquitas apud Deum*; Nempe quòd Jacob præ Eſau elegerit, reſpondet nulla facta operum præviſorum mentione: *Miſeretur cujus vult, & quem vult, indurat*, & paulò inferiùs: *An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?*

Replicant alii: Licèt ibi excluderentur omnia opera naturæ & facta & præviſa, non tamen præviſa gratiæ: Sed

Contra eſt: Si Apoſtolus noluit excludere opera gratiæ præviſa, cur dixit; *non ex operibus*, & non potiùs: *ex futuris operibus, quæ Deus utique præſciebat*, ut loquitur Auguſtinus ſup. Præterea ſi ex operibus gratiæ præviſis, ità proceſſiſſet Deus, potuiſſetne dicere D. Paulus ſalva veritate, Deum non ex ipſorum operibus ità diſpoſuiſſe, cùm opera præviſa ſint æqualiter Deo præſentia, ac ſi actualiter fierent? Undè concludas Apoſtolum ibi excludere omnia opera, & facta & præviſa, & naturæ & gratiæ.

Inſtant nonnulli agere ibi Apoſtolum de prædeſtinatione ad gratiam vocationis, non prædeſtinatione ad gloriam: Sed

Contra eſt; quòd licèt ibi principaliter agat de prima, expreſſiſſimè tamen etiam agat de ſecunda, cùm vocet prædeſtinatos (de quibus ibi) *Vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam*

Prob 4. *Sorte vocati ſumus*; Epheſ. 1. ſed quod ſorte accipimus, ſine prævio labore aut induſtria accipimus (non enim dicitur quis ſorte aliquid obtinere, ad quod obtinendum laboravit & inſudavit) ergo ſine meritis noſtris, ſed ex ſola Dei miſericordia & bonitate ſumus vocati & prædeſtinati.

Prob. 5. Ex Auguſtino (cujus doctrina in materia de gratia & prædeſtinatione tam ſolida eſt, ut ſuam faciat Eccleſia, teſte Hormiſda & Joanne II.) Prob. inquam ex variis ejuſdem locis lib de grat. & lib. arbit. cap. 9. aſſerit *non pro meritis noſtris Deum nos ad æternam vitam, ſed pro ſua miſeratione perducere*: atqui non loquitur ibi de vita æterna in executione, cùm ſit de fide illam dari propter merita: ergo in intentione. Item lib de corrept. & grat. cap. 7 ſic ait: *Hi quoniam ſecundùm propoſitum vocati ſunt, profectò electi ſunt per electionem, ut dictum eſt, gratiæ, non præcedentium meritorum ſuorum.* Ut autem oſtendat ſe loqui de electione ad gloriam, & non ad gratiam, ſubdit paulò inferiùs: *electi ſunt autem ad regnandum cum Chriſto: illos ergo elegit ad obtinendum Regnum ſuum*. Item Soliloq. animæ ad Deum c. 28. *Mundas autem*, inquit, *de nobis filiis hominum eos, in quibus tibi complacuit habitare, quos... ſine eorum meritis prædeſtinaſti ante mundum.* Deniq; c. 15. de prædeſt. SS dicit Chriſtum eſſe noſtræ prædeſtinationis exemplar: ſed Chriſti humanitas prædeſtinata eſt ad unionem hypoſtaticam & gloriam ex ſola gratuita Dei electione & dilectione independenter à præviſis meritis: ergo. Unde ſententiæ noſtræ adeo favere viſus eſt Auguſtinus quibuſdam Adverſariis, ut ſibi contrarium eſſe hac in re ingenuè profiteantur.

Confir. Ex egregiis Auguſtini Sectatoribus Fulgentio lib. de fide ad Petrum cap. 3. *Illi cum Chriſto regnabunt, quos Deus gratuita bonitate ſua prædeſtinavit ad Regnum*. Et Proſpero vel ſaltem Authore, lib. 2. de Vocat. Gentium cap. 35. *Deus his, quos elegit ſine meritis, dat undè ornantur ex meritis.*

Prob. 6. Ratione ex Scoto deſumpta 1. diſt. 41. n 11. Qui ordinatè vult, priùs vult finem, quàm media: ſed gloria eſt finis, & merita ſunt media ad illam: ergo Deus, qui ordinatè vult, priùs vult gloriam, quàm merita, & conſequenter antequàm illa prævideat, cùm non videat illa ut futura, niſi ea velit & decernat.

Dices 1. Argumentum illud nullius eſſe efficaciæ, cùm Angeli non fuerint ad gloriam prædeſtinati, niſi poſt præviſa merita; & conſequenter priùs voluerit Deus in illis media, quàm finem.

Reſp. Quidquid dicant aliqui, fundamentum quærentes in Auguſtino, Angelorum, ſicut hominum, prædeſtinationem fieri independenter à præviſis meritis, ut ſuo loco oſtendemus.

Dices 2. cum Vaſquez Deum non ſibi, ſed nobis gloriam intendere; Majorem autem Argumenti eſſe veram, quando quis ſibi, & non quando alteri finem intendit.

Reſp. Ideo intendens ſibi finem priùs vult finem, quàm media, ut ſciat, quando ponit media, propter quid agat; jam autem, qui intendit alteri finem, etiam ſcire debet propter quid velit media.

Dices 3. Satis eſſe, ſi Deus finem velit ſub conditione ante media, volendo ſcilicet gloriam dare hominibus, ſi moriantur in gratia, & conſequenter non eſſe neceſſe, ut gloriam velit abſolutè ante præviſa merita: undè ſicut ordinatè ageret Princeps, qui ſtatueret nobilitare ſingulos milites in fine belli, ſi ſinguli benè ſe gerant; audito autem quòd ſolùm mille benè egiſſent, illos abſolutè vellet nobilitare, neglectis aliis; ità etiam ordinatiſſimè agit Deus volendo dare gloriam omnibus, ſi omnes benè vivant, & viſis aliquorum meritis illos abſolutè eligendo, neglectis aliis.

Reſp. Cùm Deus non poſſit videre merita noſtra futura, niſi prævideat gratias efficaces, à quibus tanquam à principio partiali procedunt, debet ante præviſa merita gratias efficaces abſolutè decreviſſe; has autem abſolutè decernendo, abſolutè decernit & gloriam; quandoquidem ſciat cum gratiis efficacibus infallibiliter facienda eſſe opera gloriæ meritoria: Et certè imprudens diceretur, qui vellet abſolutè media ad finē infallibiliter conducentia, & non vellet abſolutè ipſum finem. Quòd autem ordinariè homines tantùm velint ſub conditione mercedem retribuere, antequàm videant opera, quibus obtinenda eſt merces, indè oritur, quòd non poſſint præbere certa media, quibus cognoſcant infallibiliter facienda eſſe opera mercedis meritoria: quod facere poteſt Deus, & indè fortiter.

Confir. Noſtra Concluſio: Deus priùs vult abſolutè dare gratias efficaces, quàm viderit opera meritoria, cùm gratia

ſit

ſit principium operis meritorii: ſed volendo abſolutè dare gratias efficaces, vult abſolutè dare gloriam: ergo vult abſolutè gloriam ante merita. Prob Min. Quia volendo abſolutè dare gratias efficaces novit infallibiliter facienda eſſe opera, gloriam obtentura.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBjic. 1. Illud 2. Petri 1 *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis*: ergo prædeſtinatio pendet à meritis.

Reſp. Vel Apoſtolus loquitur de certitudine reſpectu Dei, vel reſpectu noſtri: ſi primum, ad quid nos monet Apoſtolus? Numquid antequam agamus, certus eſt Deus de vocatione & electione noſtra, cùm illam ab æterno viderit, & ut vidit, infallibiliter ſit eventura? Si ſecundum, tantùm loquitur de certitudine quadam morali, ſeu fiducia noſtræ ſalutis, quam certitudinem & fiduciam, nonniſi ex operibus bonis, poſſumus habere

Objic. 2. Matth. 25. dicitur: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi: Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare*, ubi Chriſtus eleemoſynam ſibi in pauperum perſona factam, aſſignat tanquam cauſam præparationis Regni.

Reſp. Retorquendo Argumentum: Paulò inferiùs dicitur reprobis: *Diſcedite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis ejus: eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare*: ergo Chriſtus carentiam eleemoſynæ in hominibus aſſignat tanquam cauſam, cur ignis diabolo ſit paratus. Quis autem hoc vel tantùm cogitare audeat? Unde ſicut carentia eleemoſynæ non eſt cauſa præparationis ignis, ſed miſſionis in ignem, ità eleemoſyna facta non eſt cauſa præparationis Regni, ſed poſſeſſionis ejuſdem, & ſicut carentia eleemoſynæ eſt cauſa, ut dicatur *Diſcedite* &c. ità eleemoſyna cauſa eſt, cur dicatur *Poſſidete* &c.

Objic. 3. Illud Rom 8 *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imagini Filii ſui*, id eſt, quos præſcivit bene uſuros gratia, eos prædeſtinavit ad gloriam, vel, quod idem eſt, quos præſcivit Chriſto conformes fore in vita, eos prædeſtinavit conformes fieri in gloria: unde Auguſt. lib de prædeſt cap. 3 *En præſcientia virtutis, prædeſtinatio ſit remunerationis*. Et Hieronymus: *Quos præſcivit conformes futuros in vita, voluit ut fierent conformes in gloria*. idem habet Fulgent. lib. 1. ad Monym. c. 24. & Ambroſius in cap 8 Epiſt ad Rom. item lib. 5. de fide, ubi ait: *Quorum merita præſcivit, horum præmia prædeſtinavit*.

Reſp 1. Apoſtolum non loqui ibi de præſcientia meritorum, ſed de præſcientia approbationis, ſeu dilectionis, quaſi diceret: *Quos prædilexit, & prædeſtinavit*: unde cap. 11. ejuſdem Epiſt. ſumit evidenter *præſcire* pro *diligere*, cùm ait: *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit*.

Reſp. 2. Scripturam aliquando uſurpare præſcientiam pro prædeſtinatione, ut diximus ſuperiùs, & tunc ſic explicari poſſet textus ille: *Quos præſcivit*, id eſt, prædeſtinavit ad gloriam, *& prædeſtinavit*, ſcilicet ad gratiam, qua conformes fierent imagini Filii ſui: quod confirmant verba ſequentia: *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit*, nempe per gratiam, ut patet ex dictis Prob 2.

Reſp. 3. Suppoſito quòd Apoſtolus loqueretur de præſcientia meritorum, ipſum intelligi poſſe de prædeſtinatione ſecundùm ordinem executionis, non intentionis: quod ut clariùs pateat.

Adverte duplex poſſe poni in Deo decretum circa gloriam, unum intentivum, quod præcedit merita, adeoque merè gratuitum, quo vult dare gloriam, ut purum donum: aliud executivum, quod ſupponit merita prævіſa, adeoq; remunerativum, quo vult dare gloriam ut præmium, & de illo loquitur Apoſtolus. Duplex autem illud decretum videtur inſinuare Trid. Seſſ. 6. c. 16. ubi legitur: *Bene operantibus uſque in finem... proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Chriſtum JESUM miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda*.

Reſp. Similiter ad PP. citatos, ipſos loqui de prædeſtinatione prout eſt decretum executivũ, non intentivum, ſeu, quod idem eſt, de prædeſtinatione ſecundùm ordinem executionis, non ſecundùm ordinem intentionis: quo ſenſu etiam intelligendus eſt alius hic Auguſtini textus deſumptus ex lib. 1. ad Simplician. quæſt. 2. *Non electio præcedit juſtificationem, ſed electionem juſtificatio*, ſicut & ſequens D. Bonavent. 1. diſt. 41. art. 1. q. 2. n. 13. *Si quæratur, cur magis vult ſalvare Petrum, quam Judam, reſpondetur quòd ille habuit bona merita, iſte verò mala*.

Inſt. 1. Decretum intentivum eſt ſuperfluum: ergo malè recurritur ad duplex illud decretum. Prob. Ant. Quia decretum dandi gloriam poſt prævіſa merita, ſeu executivum, eſt omninò ſufficiens, quandoquidem, illo ſolo poſito, infallibiliter ſequatur conſecutio gloriæ.

Reſp. Neg Ant. ad Prob. Diſt. Aſſump. Eſt omninò ſufficiens, ut habeatur conſecutio gloriæ præcisè: C. ut habeatur effectus ille, & ſimul Deus ordinatè agat: N. nam cùm ordinatè agens prius debeat velle finem, quàm media, hinc eſt quòd Deus debeat priùs velle gloriam quàm merita. Imò vix eſt conceptibile, quomodo poſſit velle opera meritoria ante gloriam; nam cùm opera meritoria ordinentur ad gloriam, ſanè vult illa propter gloriam, adeoque priùs vult gloriam, quàm illa

Poſſet etiam fieri Argumentum, quòd decretum intentivum, utpote efficax gloriæ volitio, ſit ſufficiens, & conſequenter quòd ſuperfluat decretum executivum: Sed obeſt, quòd Deus non tantùm intendat dare gloriam, ſed etiam aliquando exequatur ſuam intentionem; & conſequenter ultra illam intentionem ponenda eſt in Deo voluntas eandem aliquando exequendi. Præterea eſto, ſufficeret decretum intentivum, ut conferatur gloria tanquam purum donum; eſto etiam ſufficeret decretum executivum, ut conferatur tanquã premium; utrumque tamen requiritur, ut conferatur utroque titulo, in quorum primo oſtendit Deus miſericordiam ſuam, in ſecundo juſtitiã.

Inſt. 2. Si daretur duplex illud decretum, Deus vellet gratuitò dare gloriam, & non vellet; vellet quidem per decretum intentivum; quandoquidem ſit ante prævіſa merita: & non vellet per decretum executivum; quandoquidem illud ſit poſt merita, & propter merita.

Reſp. Velle & non velle gratuitò dare gloriam, non tamen ad ſenſum objectionis (& ideò negandum eſt Aſſumptum) ſed ſub diverſo reſpectu. Vult enim gloriam dare gratuitò hoc ſenſu, quòd à nullis creaturæ meritis ad hoc moveatur, non tamen hoc ſenſu quòd velit illam conferre ſine meritis, quandoquidem illam velit retribuere tanquam coronam, bravium, & mercedem meritorum: unde in æquivoco laborant Adverſarii non diſtinguentes inter velle dare gloriam per merita, & velle dare propter merita, cùm tamen primum ſit verum, ſecundum falſum: unde Deus à mera ſua bonitate, & non ab ullis creaturæ meritis motus eſt ad eligendos aliquos ad gloriam, licèt non ſtatuerit illam de facto conferre ſine meritis, ſed propter merita. Hinc, ut ſubtiliter ſuo more advertit Scotus in Report. diſt. 41. q. unica §. de Argumento, hæc propoſitio: *Deus vult præmiare Petrum propter merita*, vera eſt, ſi ly *propter merita* afficiat *præmiare*, falſa verò, ſi afficiat *vult*. Ex quo habes quòd merita ſint cauſata, & cauſantia, cauſata quidem reſpectu prędeſtinationis in intentione, cauſantia verò reſpectu ejuſdem in executione.

Inſt. 3. Si Deus vellet efficaciter gloriam ante prævіſa merita, haberetur conſecutio ejuſdem in tempore, etiamſi nulla præceſſiſſent merita: quod enim Deus vult efficaciter, infallibiliter ponitur: ſed hoc implicat, quandoquidem gloria detur tanquam præmium & corona, adeoque neceſſariò præſupponat merita: ergo.

Reſp. Neg. Maj. Quia licèt velit Deus gloriam ante prævіſa merita, non tamen, ut dixi, ſine meritis, imò non poteſt velle efficaciter gloriam, ut coronam ſine illis; quandoquidem volens efficaciter finem debeat & velle media; aliàs convincitur nolle efficaciter finem, qui ſine mediis non poteſt obtineri.

Objic. 4. Apoc. 3. dicitur: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*: ergo prædeſtinatio pendet à meritis.

Reſp. Diſt. Conſeq. Pendet à meritis in executione: C. in intentione: N. unde D. Joannes per hoc hortatur fideles, ut in gratia perſeverent, ne ſcilicet perdendo gratiam, perdant & coronam, quæ non niſi per gratiam confertur.

Objic. 5. Numerus electorum eſt exiguus reſpectivè ad numerum reproborum, ut patet ex illo Matth. 20. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*: ſed ſi prædeſtinatio à ſola Dei voluntate penderet, plures eſſent electi, quàm reprobi, quandoquidẽ Deus ſit eſſentialiter bonus; bonum autem ſit ſui diffuſivum: Ergo.

Reſp. Neg. Min Et dico quòd licèt Deus ſit eſſentialiter bonus, liberrimè tamen ſeſe ad extra communicet, & conſequenter quando vult, quomodo vult, & quibus vult. Nec propterea dicendus eſt Deus non amare genus humanum, cùm etiam in electione paucorum ſumma ejus & infinita reluceat bonitas, cùm ne vel unum eligere teneretur, imò juſtiſſimè omnes reprobare poſſet propter commiſſam primi parentis culpam: unde Auguſtinus: *Qui liberantur ex univerſa generis humani damnatione, ſic oportuiſſet liberari, ut en pluribus non liberatis oſtenderetur quid meruiſſet univerſa conſperſio, & quo etiam iſtos debitum judicium Dei duceret, niſi ejus indebita miſericordia ſubveniret*. Et certè numquid Rex ille maximæ foret bonitatis & miſericordiæ, qui ex hoſtibus ſuis, quos omnes juſtè poſſet perdere, nonnullos ſalvaret, & Aulicos ſuos & amicos crearet? Præterea ex paucitate electorum magis apparet quantum ſit prædeſtinationis beneficium: quo enim donum rarius, eo excellentius.

Objic. 6. Omnia Auguſtini loca ſuperiùs citata nullo modo

ſavere ſententiæ noſtræ; quandoquidem agat contra Semipelagianos, inter quos non erat diſputatio, de merito prædeſtinationis ad gloriam, ſed ad primam gratiam.

Reſp. S. Doctorem agere quidem ex profeſſo in duobus libris de prædeſt. SS. & de bono perſever. de prædeſtinatione ad Primam gratiam, ſed non obeſt quominùs quædam intermiſceat, quibus ſatis apertè oſtendit ſe ſuſtinere, prædeſtinationem ad gloriam fieri ante prævisa merita, ut patet tùm ex textibus allegatis, tùm ex verbis ſequentibus relatis cap 17. de prædeſt. SS. *Non quia elegerunt fidem vel hæreditatem Regni, ideo ad fidem vel hæreditatem Regni electi ſunt, ſed Deus elegit eos, ut hæc eligerent, & non quia nos tales futuros ſcivit, ideo elegit, ſed ut tales eſſemus*; tùm ex teſtimonio S. Cœleſtini Papæ in Epiſtola, quam ad Gallos dirigit; tùm etiam ex eo quòd Auguſtinus ab Hilario & Proſpero per Epiſtolas monitus, quòd Maſſilienſes eius ſententiam, quam hic ſuſtinemus, ægrè ferrent, illis reſpondens non dicat, ſententiam ſuam à Maſſilienſibus malè fuiſſe intellectam, ſed è contra illam tuetur & confirmat.

Objic 7. Eccleſia in Canone Miſſæ orat in hunc modum: *Quæſumus ut . . . ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari*: Ergo cenſet electionem ad gloriam pendere à precibus noſtris.

Reſp. Eccleſiam ſic orare, quia electio noſtra juvari poteſt precibus, non quidem quoad ordinem intentionis, ſed executionis: Quis ſcit enim, an non Deus voluerit nobis gloriam de facto conferri propter noſtras vel aliorum preces? Unde Auguſtinus lib. de Bono perſever. cap. 22. *Si qui ſunt nondum vocati, pro eis, ut vocentur, oremus: fortaſſis enim ſic prædeſtinati ſunt, ut noſtris orationibus concedantur, & accipiant eandem gratiam, qua velint atque efficiantur electi.* Ad illud autem quod communiter dicitur: *Si non ſis prædeſtinatus, ora ut prædeſtineris*, dicendum eſt ſumi cauſam pro effectu, & ſenſum eſſe: Si nondum in te ſentias effectus prædeſtinationis, ora ut experiaris.

ALIÆ OBJECTIONES.

OBjic. 1. Deus non poteſt eligere unum præ alio, niſi aliquid videat in uno, quod non eſt in altero: ſed ante prævisa merita hoc videre non poteſt: ergo. Prob. Maj. Ex Auguſtino, lib. 1. ad Simplician. Quæſt. 2. *Nemo eligitur, niſi jam diſtans ab eo, qui rejicitur*: unde ſuperius dixerat: *Si enim nullo merito electus eſt Jacob nondum natus, & nihil operatus, nec omninò eligi potuit, nulla exiſtente differentia, qua eligeretur.*

Reſp. Neg. Maj. Ad Auguſtinum, dico ipſum ibi ſollicitare quæſtionem de nomine *electionis*: admittens enim gratuitam prædeſtinationem, tantùm vult non poſſe dici electionem, eo quòd putaret electionem non tantùm ad gloriam, ſed etiam ad gratiam, non poſſe fieri, niſi foret aliqua in eligendis differentia, cujus tamen contrarium tenuit poſtea lib. de prædeſtin. SS. cap. 17. ubi ait: *Elegit ergo Deus fideles, ſed ut ſint, non quia jam erant.* Et certè niſi fieret quæſtio de nomine, hæreticum eſſet dicere quòd non poſſet quis præ alio eligi ad gratiam, niſi foret differentia, quandoquidem ad primam gratiam, ſicut ad gratiam ſanctificantem purè gratuitò eligi homines, fides doceat.

Objic. 2. Hæc ſententia reddit homines in procuranda tum ſua, tum aliorum ſalute pigros & deſides, datque eis occaſionem dicendi: Vel anima mea, aut proximi prædeſtinata eſt, vel non: ſi ſit, quidquid ego fecero, aut proximus, ſequetur ſalus æterna, cùm independenter ab operibus meritoriis ſit decreta. Si non, fruſtranei ſunt labores, preces, &c.

Reſp. Simile argumentum ſolvendum eſſe ab Adverſariis, nempe: Jam Deus ſcit me vel eſſe, vel non eſſe ſalvandum, ſi primum, ſalvabor quidquid egero, cùm non poſſit falli. Si ſecundum, propter eandem rationem damnabor, etiamſi ſanctiſſimè vixero. Sicut ergo nullum eſt hoc argumentum, ita nec primum, & ſicut reſpondere debent Adverſarii, quòd Deus non ſciat me ſalvandum ſine præcedentibus meritis, ita reſpondemus Deum, qui nos elegit ad gloriam ſine meritis, non ſtatuiſſe nobis illam de facto conferre, niſi præcedant merita. Sicque tantùm abeſt quòd fervorem ſalutis tum propriæ tum aliorum minuat & extinguat ſententia noſtra, quin è contrà fortiter accendat, roboret & augeat, ut merita cumulemus, ſine quibus ad gloriam, ad quam gratuitò electi ſumus, nunquam perveniemus. Nec timendum eſt ſcandalum in docenda aut prædicanda noſtra de prædeſtinatione ſententia: nam, ut ait Gregorius Magnus Homil. 7. in Ezechiel. *Cùm de veritate ſcandalum oritur, magis eſt ſuſtinendum ſcandalum, quàm veritas relinquatur.*

Objic. 3. Quænam æquitas in Deo, ſi ante omnem uſum liberi arbitrii & conſenſum noſtrum prævisum quoſdam eligat, quoſdam relinquat? Sed

Reſpondet tibi Chriſtus ipſemet Matth 20. *An non licet mihi quod volo facere?* An non donum purè gratuitum, qualis eſt prædeſtinatio, datur huic vel iſti pro libitu concedentis abſque ulla injuſtitia & iniquitate? Audi Apoſtolum cap. 9. Epiſt. ad Rom. loquentem: *Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? abſit: Moyſi enim dixit: Miſerebor, cujus miſerebor, & miſericordiam præſtabo, cujus miſerebor. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Et paulò inferiùs. *O homo, tu quis es, ut reſpondeas Deo? Nunquid dicet figmentum ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Tace ergo, & providentiam Dei mirare. Et certè ut loquitur Auguſtinus in Pſal. 48. *Non audes reprehendere in officina figulum*, quia ſcilicet facit quædam vaſa in honorem, quædam in ignominiam, & *audes reprehendere in mundo Deum*, quia uno relicto, alium ad gloriam deſtinat.

Objic. 4. Ex illa ſententia ſequitur non eſſe in Deo voluntatem ſinceram ſalvandi omnes homines; quandoquidem certò ſciat illos, quos non eligit, non eſſe ſalvandos.

Reſp. Neg. Aſſumpt. Et dico voluntatem ſalvandi omnes homines in Deo, eſſe priorem voluntate eligendi aliquos efficaciter ad gloriam, & ſic non obſtare quominùs velit ſincerè voluntate antecedenti omnes homines ſalvos fieri, ipſiſque media præbere, quibus gloriam conſequi poſſint: quæ media non aufert per efficacem aliorum electionem; quandoquidem hos eligendo, alios non reprobet poſitivè, ſed merè negativè, ſeu non eligit, quod non aufert poteſtatem agendi in ordine ad vitam æternam: quando autem illos poſitivè reprobat, nonniſi propter demerita prævisa reprobat.

Ad id autem quod dicitur, quòd Deus certò ſciat illos quos non eligit, non eſſe ſalvandos, dicendum id non ſcire præcisè vi decreti, quo vult aliquos efficaciter eligere, quandoquidem, illo non obſtante, poſſint alii ſic non electi ſalvari, habiturique ſint media ſufficientia, quibus ſalutem æternam conſequantur, ſi velint: ſicque licèt noverit Deus ex vi illius decreti non poſſe minui numerum ſic electorum, non novit tamen ratione illius numerum certum & determinatum omnium ſalvandorum; quandoquidem negativè reprobati poſſint ſalvari, & de facto ſalvarentur, ſi mediis ſibi ad ſalutem operandam conceſſis uterentur. Non ſalvarentur tamen per illud decretum, ſed per aliud, quod præſcientiam meritorum ſupponeret. Nec foret in illa eligendi diverſitate deformitas; quandoquidem nec ſit in eo quòd parvuli conſequantur gloriam ſine meritis propriis, & adulti propter merita. Imò aliquos de facto eligi ante, & alios poſt prævisa merita, docuerunt aliqui, licèt non videatur hoc ſatis conforme Scripturæ & Patribus.

Inſt. Conficiens Diadema regium, & habens coram ſe centum gemmas, ſi Diademati quinquaginta tantùm apponat, cenſetur aliàs poſitivè excludere à Diademate: ergo ſi Deus aliquos eligat ad gloriam, aliis relictis, cenſetur illos poſitivè à gloria excludere.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd Diadema regium nonniſi certum numerum gemmarum admittat, quo completo, cenſentur aliæ excludi poſitivè, at Regnum cœleſte tot electos capere poteſt, quot volunt illud ſibi comparare: nec minuitur beatitudo unius per conſortium alterius, nec etiam quidpiam incommodi eveniret, ſi ultra electos ante prævisa merita, eligerentur alii poſt prævisionem meritorum. Præterea conficiens Diadema non dat gemmis relictis virtutem & media, quibus ad regium Diadema pervenire poſſent, ſi vellent, ſicut Deus confert non electis.

Objic. 5. Deus non reprobat poſitivè ante prævisa demerita: ergo nec eligit ante prævisa merita.

Reſp. Neg Conſeq. Diſparitas eſt, quòd Deus ſit magis pronus ad præmiandum, quàm ad puniendum: nam, ut docet Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 29. Deus ex ſeipſo movetur ad miſerendum, ad puniendum verò nonniſi ex noſtra præſuppoſita culpa: unde Tertullianus lib. 2. contra Marcionem: *Deus ex ſeipſo bonus eſt, ex nobis juſtus, prior eſt bonitas Dei ſecundum naturam, poſterior ſeveritas ſecundùm cauſam; illa propria, hæc accommodata; illa edita, hæc adhibita.*

QUÆSTIO V.

Quænam ſint ſigna Prædeſtinationis, & an facta fuerit ante prævisum Adami lapſum?

SUppono tanquam certum de fide ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 12. & can 15. nemini certò conſtare in hac vita abſque ſpeciali revelatione, an ſit prædeſtinatus nec ne: unde Auguſt. lib. de correpṫ. & grat. cap. 13. *Quis ex multitudine fidelium*, inquit, *quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædeſtina-*

torum

torum ſe eſſe præſumat? Et ratio eſt; quia nullus poteſt eſſe certus de ſua prædeſtinatione, niſi ſit certus de ſua perſeverantia; quandoquidem ſolus *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*, Matth. 10. Quis autem ſcire poteſt, an ſit uſque in finem perſeveraturus? Cùm, ut ait quidam: *Sit vita in lubrico, vita in periculo, ſalus in dubio*: unde, ut monet Apoſtolus, cum timore & tremore ſalutem noſtram operemur.

CONCLUSIO I.

Licèt nullam poſſimus habere in hac vita de prædeſtinatione certitudinem infallibilem, poſſumus ſaltem aliqualiter ex certis ſignis colligere.

Primò ex fortuna contraria, & afflictionibus libenter pro Chriſto toleratis. ſi enim Chriſtus, ad cujus typum ſumus prædeſtinati, per Paſſionem pervenit ad gloriam; &, ut loquitur Tertullianus, *Favos poſt fella guſtavit*, ſperare poſſumus, quòd, poſtquam fuerimus ſocii Paſſionum, erimus & conſolationum.

Secundò ex inimicorum dilectione: diligendo enim inimicos, ſumus filii Dei, ut colligitur ex Matth 5 *Si autem filii: & hæredes*.

Tertiò ex lubenti auditione & collocutione verbi Dei, & rerum ſpiritualium: nam *qui ex Deo eſt, verba Dei audit*, inquit Chriſtus Joan 8 & cap. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt*

Quartò ex animo humili, electos enim puſillum gregem appellat Chriſtus Luc. 12. non tantùm propter paucitatem ſalvandorum, ſed etiam propter humilitatem.

Quintò ex ſpe firma; nam, ut ait Tertull lib. de cultu fœmin. cap. 2. *Sperando timebimus, timendo cavebimus, cavendo ſalvi erimus*: unde Philo Judæus vocat ſpem *gaudium ante gaudium*.

Sextò ex pietate particulari erga Dei Matrem; qui enim ipſam invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino: unde Anſelmus: *Sicut ergo impoſſibile eſt, ut illi, à quibus oculos ſuæ miſericordiæ avertit, ſalventur, ità neceſſarium eſt, ut hi, ad quos convertit oculos ſuos, pro eis advocans, juſtificentur & glorificentur*. Alia prædeſtinationis ſigna videri poſſunt apud Authores.

CONCLUSIO II.

Prædeſtinatio non fuit facta ante prævisionem peccati originalis, ſed poſt. Ità omnes, qui ſuſtinent prædeſtinationem factam eſſe poſt prævisa merita, & plures alii ſententiæ contrariæ.

Prob. Authoritate Auguſtini, qui paucitatem electorum in peccatum originale tanquam cauſam refundit Enchir cap 99. Si autem peccatum originale ſit cauſa, cur Deus tam paucos elegerit: ergo priùs peccatum illud prævidit, quàm eligeret. Item variis locis aſſerit electos per prædeſtinationem à maſſa perditionis eſſe ſeparatos: unde lib de dono perſev. cap 8 *Qui liberatur à maſſa perditionis*, id eſt, qui prædeſtinatur, *gratiam diligat, qui verò non liberatur, debitum agnoſcat*. Item cap 14. ubi loquens de reprobatis negativè (qui tales ſunt per aliquorum præ aliis electionem) ſic ait: *Cæteri in maſſa perditionis juſto judicio relinquuntur*: ergo ante electionem prævidebantur in maſſa perditionis, & conſequenter prævisum erat Adami peccatum.

Porrò dici poteſt, Deum in negotio prædeſtinationis hominum ſic proceſſiſſe. 1 Voluntate antecedenti voluit, omnes omnino homines, adeoque & Adamum primum eorum parentem ſalvos fieri, ipſiſque ad hunc finem gratias præparavit. 2 Prædeſtinavit Adamum, & ejus lapſu præviſo, ſtatuit quoſdam præ cæteris à maſſa perditionis, in quam propter parentis ſui peccatum inciderant, efficaciter liberare, non ex præviſis eorum meritis, ſed ex ſua miſericordia & bonitate, ob meritum Paſſionis Chriſti, qui jam erat ante omnes creaturas prædeſtinatus tanquam primogenitus omnis creaturæ, non quidem ordine executionis, ſed intentionis.

Dices 1. S Leo Papa Serm. 2. de Nativit. videtur contrarium inſinuare his verbis: *Opus fuit ſecreti diſpenſatione conſilii, ut incommutabilis Deus, cujus voluntas non poteſt ſua benignitate privari, primam pietatis ſuæ diſpoſitionem Sacramento occultiore compleret, & homo diabolicæ iniquitatis verſutia actus in culpam, contra Dei propoſitum non periret*. Idem ferè habet Anſelm. lib. 1. *Cur Deus*, cap 4.

Reſp. D. Leonem (idem eſt de Anſelmo) per illa verba non oſtendere certos homines fuiſſe electos ante præviſum Adami lapſum, ſed præcisè fuiſſe neceſſarium opus Redemptionis, ne voluntas Dei efficax ſalvandi aliquos fruſtraretur ſuo effectu, ſive interim electi fuerint ante præviſam culpam originalem, ſive non. Et certè nunquid voluntas illa ſalvandi aliquos, etiam habita poſt præviſionem peccati Adami, fruſtraretur ſuo effectu, & homo contra Dei propoſitum ipſum ſalvandi periret, ſi non fuiſſet deſtinatum opus Redemptionis? Quandoquidem prædeſtinati remanerent in peccato, à quo non mundantur per electionem ad gloriam. Deus ergo, præviſo Adami lapſu elegit aliquos ad gloriam, & hanc primam pietatis ſuæ diſpoſitionem complevit, decernendo redemptionem, per quam à peccato lavarentur, ſicque poſſent ad gloriam, ad quam erant electi pervenire.

Dices 2 Quotquot homines ſunt ad gloriam electi, ſimul fuerunt electi, cùm non videatur ratio, cur Deus unum elegerit ante alterum: ſed Adam electus fuit ante præviſam culpam originalem, ut diximus: ergo & omnes alii.

Reſp. Neg. Mai. Et dico Deum, qui habuit rationem, cur Chriſtum ante omnes creaturas elegerit, potuiſſe habere, cur Adam aliis hominibus præeligeret, præſertim cùm eſſet eorum caput & parens.

QUÆSTIO VI.

Quid ſit Liber vitæ, & an poſſit deleri in eo ſcriptus?

Tripliciter ſumi poteſt liber vitæ. Primò pro eo in quo docetur modus acquirendi vitam, ut ſunt novum & vetus Teſtamentum, de quibus ſecundùm Gloſſam dicitur Eccli. 24. *Hæc omnia liber vitæ*. Secundò pro eo in quo deſcripta ſunt geſta eorum, qui tendunt ad vitam: & hunc librum habebunt omnes coram oculis in extremo die judicii. Tertiò pro eo in quo ſcribuntur prædeſtinati ad vitam, de quo dicitur ad Philip. 4. *Quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ*: & hoc tertio modo ſumitur hic liber vitæ.

CONCLUSIO I.

Liber vitæ eſt notitia Dei infallibilis & immutabilis electorum ad gloriam.

Dicitur 1. *Notitia*, ut oſtendatur, quòd liber vitæ non ſit ipſa prædeſtinatio; cùm hæc ſit actus voluntatis ad hanc notitiam prærequiſitus; nam ideo novit Deus electos, quia ipſos elegit.

Dicitur 2. *Infallibilis*; quia quotquot novit Deus ſalvandos, infallibiliter ſalvabuntur.

Dicitur 3. *Immutabilis*, propter rationem dicendam Concluſione ſequenti.

Dicitur 4 *Electorum*; primò ut diſtinguatur à libro Dei, qui eſt notitia omnium rerum, de quo Pſal. 138. dicitur: *In libro tuo omnes ſcribentur* Secundò ut diſtinguatur à libro mortis, qui eſt notitia damnandorum, de quibus eſt illud Jerem. 17. *Recedentes à te in terra ſcribentur*. Sunt tamen plurimi qui negant librum mortis, quia ſicut rejecti à militia non ſcribuntur, ità nec videntur ſcribendi excluſi à gloria; ſed reſponderi poteſt, quòd licèt non ſcribantur à militia rejecti, ſcribantur tamen morte damnandi.

CONCLUSIO II.

Scriptus in libro vitæ, non poteſt deleri. Certum eſt apud omnes.

Ratio eſt; quia cùm liber ille nihil aliud ſit quàm notitia Dei; Deus autem ſit in ſua notitia infallibilis, clarum eſt eum, quem novit fore ſalvum, de facto futurum: unde Auguſtin. lib. de Corrept. & Grat. cap 7 *Horum ſi quiſquam perit, fallitur Deus; ſed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus*. Hoc tamen intellige in ſenſu compoſito notitiæ Dei, quæ ſupponit in decreto Dei numerum electorum jam eſſe determinatum, & rem eventuram ſicut novit Deus; nam in ſenſu diviſo, ſeu quantùm eſt ex parte libertatis hominum præcisè, poteſt ſcriptus deleri, ſicut poteſt non ſcriptus in eodem ſcribi; quandoquidem poſſit electus damnari, & reprobatus ſalvari, cùm uterque ſit liber ad bene vel malè agendum.

Dices 1. Pſal 68. dicitur: *Deleantur de libro viventium*: ergo poteſt aliquis de libro Vitæ deleri: unde Moyſes Exod. 32. ſic Deum alloquitur: *aut dimitte eis hanc noxam, aut, ſi non facis, dele me de libro tuo*.

Reſpondent aliqui per hæc verba *Deleantur de libro viventium*, ſignificari: Innoteſcat ipſis non eſſe ſcriptos in libro Vitæ, qui præſumunt ſe eſſe ſcriptos: ſunt enim aliqui, ut olim Phariſæi, & nunc Calviniſtæ, qui non reipſa, ſed falſa ſua opinione in libro Vitæ ſunt ſcripti.

Reſp. 2. cum D. Thoma peti ut deleantur de libro viventium, ſecundùm vitam gratiæ, non gloriæ, quod ut clariùs pateat.

Digitized by Google

Adverte duplicem eſſe vitam, unam gratiæ in præſenti, alteram gloriæ in futuro. Qui ſcripti ſunt in libro gratiæ ſecundùm præſentem juſtitiam, poſſunt ex eo deleri, & toties delentur, quoties in peccatum mortale labuntur: qui autem ſcripti ſunt in libro gloriæ per æternam Dei prædeſtinationem, illi deleri non poſſunt.

Ad Moyſen dico, hoc dixiſſe ex quadam confidentia ſciens non eventurum: voluit ergo oſtendere vim ſuæ charitatis erga populum; quomodo amantes, cùm vehementer rogare volunt, dicunt: *Fac hoc, vel occide me*, ſcientes nullatenùs ſe occidendos.

Dices 2. Paulus cupit eſſe anathema pro fratribus ſuis: ergo &c.

Reſp. cum D Hieronymo, Anſelmo, & quibuſdam aliis, Paulum loqui de tempore quo adhuc erat Judæus: tunc enim ità legem Moſaicam & fratres Judæos diligebat, ut non curaret ſeparari à Chriſto, cujus Doctrinam legi divinę contrariam credebat, ut cæremonias Judaicas tueretur. Quòd ſi loquatur de tempore, quo erat Chriſtianus, dicendum eſt hoc dixiſſe per quamdam fiduciam, ſicut fecit Moyſes ſuprà.

QUÆSTIO VII.

Seu Quæſtiunculæ quædam de Prædeſtinatione.

QUæres 1. Cur petat Eccleſia in Oratione pro vivis & defunctis, *ut omnium fidelium nomina beatæ prædeſtinationis liber adſcripta retineat*, quandoquidem Prædeſtinati ſint infallibiliter ſalvandi?

Reſp. Eccleſiam per illa verba petere gratias, quibus ponamus opera meritoria, propter quæ ſumus de facto ſalvandi, & ſine quibus non ſalvaremur; quia, ut diximus, Deus qui nos elegit ſine prævìſis meritis, non ſalvabit nos ſine meritis.

Quæres 2. An Deus prædeſtinaverit electos ante prævìſionem meritorum, ad gradum gloriæ determinatum?

Reſp. Affirm. Quia Deus non elegit ipſos ad gloriam in genere, ſed ad ipſammet gloriam in individuo, quam ſunt aliquando habituri, propter quam obtinendam confert in tempore gratias & auxilia proportionata.

Quæres 3. Quantus ſit electorum numerus?

Reſp. cum Eccleſia in præfata Oratione, quòd ſoli Deo *cognitus eſt numerus electorum in ſuperna fœlicitate locandus*. Attamen, ne rem intactam relinquamus, dico, nulla facta comparatione, electorum numerum eſſe ingentem ut patet ex Apoc. 7. *Audivi numerum ſignatorum centum quadraginta quatuor millia ſignati, &c.* & poſt hæc: *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat*; ſed *in comparatione pereuntium pauci ſunt qui ſalvantur*, inquit Auguſt. lib. 2. Operis imperf. contra Julian. c. 142. quia, ut dicitur Matth. 7. *Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam*. Sed an ex veris fidelibus plures ſalventur, quàm damnentur? Variè opinantur Authores; plures ſalvari exiſtimant Sylveſter, Suarez, Granado &c. tum quia ex parte Dei *Miſericordia ſuperexaltat judicium*, tùm quia ex parte fidelium multi admodùm moriuntur in ſuſceptis Eccleſiæ Sacramentis. Nihilominùs plures damnari, communior eſt ſententia, & conformior Patribus, ex quibus Auguſtinus, Chryſoſtomus, Gregorius hanc formidabilem Chriſti ſententiam: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*, etiam ad fideles extendunt. Timendum ſanè, quod in morte D. Bernardi accidiſſe refert Cornel. à Lapide in cap. 14. Numer. aſſerit enim Eremitam mortuum Epiſcopo Lingonenſi apparuiſſe, eique dixiſſe, quòd ex triginta hominum millibus, qui eadem hora obierant, ipſe ſolus cum D. Bernardo in Cœlum intraverit, duo fuerint ad Purgatorium miſſi, reliqui omnes in infernum præcipitati. *Intelligite hæc, qui obliviſcimini Deum.*

Quæres 4. An Angeli fuerint, ſicut homines, ante præviſa merita prædeſtinati?

Reſp. Affirm. Quia videtur eadem ratio pro Angelis, ac pro hominibus: unde Apocal. 21. dicitur eandem eſſe menſuram Angeli & hominis in Cœlo, quidni & in modo prædeſtinandi? Sed de illis fuſiùs ſuo loco.

DISPUTATIO X.

De Reprobatione.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Reprobatio, & quotuplex?

REprobatio quæ, generatim loquendo, ſignificat alicujus rei rejectionem, uſurpatur dupliciter à Scholaſticis; 1. Pro rejectione à gratia: 2. Pro rejectione à gloria. De ultima hic agimus.

CONCLUSIO I.

REprobatio eſt rejectio creaturæ rationalis à vita æterna. Dicitur *Creatura rationalis*; quia ſicut illa ſola ad gloriam eligitur, ità illa ſola ab eadem rejicitur; unde omnes & ſoli homines ac Angeli, qui à gloria excluduntur, reprobi dicuntur à Theologis.

CONCLUSIO II.

DIviditur reprobatio in negativam & poſitivam. Negativa eſt omiſſio ſeu negatio prædeſtinationis, id eſt, electionis ad gloriam. Hanc reprobationem negativam negant aliqui recentiores dicentes Patribus & Theologis antiquis eſſe inauditam. Sed quo jure id aſſerant, non video; quandoquidem poſt S. Auguſtinum illam docuerint Scholarum Principes S. Thomas, & Scotus: S. Thomas quidem p. 1. q. 23. art. 3. ad 1. ubi ait: *In quantum Deus quibuſdam non vult hoc bonum, quod eſt vita æterna, dicitur eos habere odio, vel reprobare.* Scotus verò 1. d. 41. q. unica §. *Contra iſtud*, ubi poſtquam quæſiiſſet quid Deus velit Judæ, in inſtanti quo vult Petro beatitudinem? Reſpondet his verbis: *Dici poteſt quòd in iſto primo inſtanti nihil vult Judæ, ſed tantùm ibi eſt negatio volitionis gloriæ.* Quid clarius?

Hanc reprobationem docuerant ante Scotum, Ægidius, Richardus & alii, & poſt ipſum eandem ſuſtinuerunt non tantùm ejus Diſcipuli, ſed quotquot docent electionem ad gloriam factam eſſe ante prævìſa merita. Sed numquid & illam manifeſtè admiſit Auguſtinus? Quandoquidem reprobationem aliquando vocet *Judicium juſtum*, quod convenit Poſitivæ: aliquando non electionem, non prædeſtinationem, non diſcretionem à maſſa perditionis, ut lib. *De bono perſeverantiæ* cap. 8. & alibi: quod ſanè convenit reprobationi negativæ. Prætereà ratio ex Scoto ſuprà deſumpta videtur hoc convincere: vel enim Deus in illo ſigno quo prædeſtinavit electos ante prævìſa merita, habuit ſe poſitivè circa alios, vel negativè: non poſitivè, aliàs vel ipſos prædeſtinaſſet, & ſic nulli eſſent reprobi, vel decreto poſitivo ſtatuiſſet ipſos damnare: quod Deus non fecit ante prævìſa demerita, ut dicemus poſtea: ergo habuit ſe negativè, ſeu præcisè ipſos non elegit: quod eſt reprobare negativè.

Reprobatio poſitiva, quæ ordinariè reprobatio ſimpliciter dicitur, definitur à Magiſtro Sententiarum 1. d. 40. *Præſcientia iniquitatis quorundam, & præparatio damnationis eorundem.*

Dicitur 1. *Præſcientia*; requiritur enim ad reprobationem poſitivam actus intellectus, quo Deus novit & judicat creaturam rationalem eſſe indignam vita æterna propter iniquitatem finalem.

Dicitur 2. *Præparatio* &c. id eſt, decretum efficax & abſolutum excludendi à gloria, & infligendi pœnam æternam ob prævìſum peccatum finale: in hoc autem decreto conſiſtit formaliter reprobatio, licèt præfatum actum intellectus præſupponat.

Porrò reprobati ſeu reprobi vocantur Rom. 9. *Vaſa in contumeliam, Vaſa iræ*, & alibi veniunt nomine Hædorum. A Theologis verò dicuntur poſt Concilium Conſtantienſe *Præſciti*, nomine generico ſpeciei imperfectiori appropriato, quia licèt præſcientia in ipſos feratur, ſicut & in electos, non tamen amor ille ſpecialis divinæ voluntatis. Ex dictis hac quæſtione ſequitur, reprobationem negativam opponi contradictoriè prædeſtinationi; poſitivam verò, contrariè.

Contra hanc reprobationis diviſionem inſurgunt aliqui Thomiſtæ, volentes dari quidem reprobationem poſitivam & negativam hoc ſenſu, quòd poſitiva ſit decretum infligendi pœnam æternam, & negativa decretum excludendi præcisè à gloria, non tamen mera negatio electionis ad gloriam; & ideò contendunt nullam dari reprobationem ſine actu poſitivo. 1. Quia Scriptura reprobationem exponit per actus poſitivos: *Eſau odio habui*, Rom. 8. & cap. 9. *Quem vult, indurat.* 2. Quia D. Thomas q. 23. art. 3. docet reprobationem eſſe actum provi-

den-

dentiæ. 3. Quia ex ſola negatione electionis non ſequitur infallibiliter pœna æterna, quæ tamen infallibiliter ſequitur ex reprobatione. 4. Quia perfectius eſt agere per actum, quàm per actus ſuſpenſionem. 5. Quia aliàs homines & Angeli merè poſſibiles eſſent reprobati, cùm non ſint prædeſtinati. Sed

Reſp. ad 1. diſt. Aſſumpt. Exponit ſemper per actus poſitivos: N. nam Matth. 25. exponit per *Neſcio vos*. Aliquando: C. ſed tunc agit de reprobatione poſitiva.

Reſp. ad 2. D. Thomam ibi tantùm velle reprobationem pertinere ad providentiam, non determinando an ſit actus, necnè; ait enim: *Cùm per divinam providentiam homines in vitam æternam ordinentur, pertinet etiam ad divinam providentiam, ut permittat aliquos ab iſto fine deficere: & hoc dicitur reprobare*; imo per ly *Permittat* potiùs inſinuat non eſſe actum; quamvis non neget eſſe actum, ubi poſitiva eſt.

Ad 3. Dico reprobationem, ex qua infallibiliter ſequitur pœna æterna; non eſſe merè negativam, ſed poſitivam, adeoque nihil ibi contra nos.

Ad 4. Reſp. Diſt. Aſſump. Perfectius eſt, ubi objectum potiùs actum exigit, quàm ejus ſuſpenſionem: C. ubi è contra: N. excluſio autem à gloria ante prævìſa demerita potiùs ſuſpenſionem actus exigit in Deo, quàm actum; cùm illa denotet in Deo charitatem, hic potiùs nimiam ſeveritatem.

Ad 5. Reſp. Cùm reprobatio nonniſi creaturas aliquando exiſtentes reſpiciat, non poſſe merè poſſibiles dici reprobatas per hoc quòd non eligantur ad gloriam, utpote nunquam futuras. Aliud eſt de aliquando extituris; cùm enim inter prædeſtinatos & reprobatos non detur medium à parte rei, eo ipſo quo aliquando futuri non ſunt electi, cenſentur reprobati, licèt non ſint poſitivè tales, niſi ſuperveniat decretum poſitivum.

QUÆSTIO II.

Quæ ſit cauſa Reprobationis?

HIc recolendum eſt triplicem eſſe reprobationem poſitivam, quæ infert & excluſionem gloriæ, & inflictionem pœnæ. Quaſi negativam (de qua quidam Thomiſtæ) quæ importat excluſionem gloriæ præcisè ut indebitæ; & merè negativam, quæ neutram importat, ſed meram non electionem ad gloriam, à qua non excludit poſitivè, ſicut quaſi negativa. Subdividitur autem merè negativa in abſolutam, qua quis abſolutè non eligitur: & comparativè ſumptam, qua quis potiùs non eligitur quàm alter.

CONCLUSIO I.

REprobationis merè negativæ nulla datur cauſa ex parte reprobi, ſi ſumatur comparativè, ſecus ſi abſolutè.

Prob. 1. Pars ex Script. Rom 9. ubi loquens Apoſtolus de prædeſtinatione, & reprobatione comparativè ſumptis, cur nempe Deus Jacob dilexerit, & Eſau odio habuerit? Cur unum vas faciat in honorem, aliud in contumeliam? cur unius miſereatur, alium induret? Totum diſcrimen in ſolam Dei voluntatem refundit: unde D. Thomas q. 23. art. 5. ad 3. *Sed quare hos elegit in gloriam & illos reprobavit, non habet rationem, niſi divinam voluntatem*: quod deprompſerat ex Auguſtino Tract. 26. in Joan. ubi ait: *Quare hunc trahat, illum non trahat, noli velle dijudicare, ſi non vis errare.*

Accedit quòd prædeſtinatio & reprobatio negativa fiant ante merita aut demerita perſonalia; & conſequenter nihil eſt ex parte electorum aut relictorum, à quo moveatur Deus ad electionem unius præ alio. Videt quidem peccatum originale, ſed ſi illud videat in relicto, videt & in electo; cùm electio & non electio fiat poſt peccati illius prævìſionem, ut diximus, & ſupponit Auguſtinus; cùm dicat prædeſtinationem eſſe actum divinæ voluntatis, *quo certiſſime liberantur*, nempè à maſſa perditionis, *quicunque liberantur*.

Prob. 2. Pars; quia licèt poſſit Deus ſine ulla injuſtitia quemlibet abſolutè relinquere, cùm electio ad gloriam ſit donum merè gratuitum; ita tamen præſumimus de Dei bonitate, ut credamus nullum abſolutè relinquere ſeu reprobare negativè niſi ob prævìſam culpam originalem: fundamurque in Scriptura dicente de negativè reprobato: *Eſau odio habui*: atqui *non odit Deus Eſau hominem* ut loquitur Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum, *ſed odit Deus Eſau peccatorem*: ergo cauſa talis odii & reprobationis negativæ eſt peccatum: non actuale, *cùm necdum aliquid boni egiſſet aut mali*, ut ait Apoſtolus: ergo originale: unde idem Auguſtinus Epiſt. 194. *Quid oderat in Eſau, aut antequam feciſſet aliquid mali, niſi originale peccatum?*

Dices 1. Illud *odio habui* non ſumitur ibi propriè pro averſione, ſed impropriè pro minori dilectione; quia Deus minùs dilexit Eſau, quem reliquit, quàm Jacob, quem elegit: ergo non ſequitur cauſam reprobationis illius negativæ eſſe peccatum originale. Quòd autem odium in Scriptura ſumatur quandoque pro minori dilectione, patet ex Luc. 14 ubi legitur: *Si quis venit ad me & non odit Patrem* &c. ubi *odit* non poteſt ſumi propriè, cùm ſit grave peccatum odiſſe Parentes, ſed impropriè, quaſi diceretur: *Si quis venit ad me, & non amat Patrem minùs quàm me &c.*

Reſp. Huic interpretationi obſtare formaliter authoritatem D. Auguſtini dicentis Deum odiſſe Eſau non hominem, ſed peccatorem; peccatorem autem non dilectione minori, ſed odio vero proſequitur Deus.

Inſt. 1. Si Deus propriè odio habuit Eſau: ergo ipſum reprobavit poſitivè, antequam aliquid mali egiſſet: quod eſt contra Concluſionem ſequentem.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia non dicimus reprobaſſe per ipſum actum odii, cùm etiam odio habuerit peccatum originale in Jacob, quem non reprobavit; ſed volumus conſecutivè ad odium reliquiſſe Eſau in maſſa perditionis, à qua liberavit Jacob, in qua relictione, ut ita loquar conſiſtit reprobatio negativa.

Inſt. 2. Si Deus verè odio habuit Eſau ob peccatum originale, *cur ergo Jacob dilexit? Numquid peccator non erat?* Auguſt. lib. 1. ad Simplicianum q. 2.

Reſp. Ex eodem ibidem: *Dilexit in eo non culpam quam delebat, ſed gratiam quam donabat*, ſive ut habet cap. 98. Enchir. *Jacob dilexit per miſericordiam gratuitam* ipſum ſeparando à maſſa perditionis: *Eſau autem odio habuit per judicium debitum*, ipſum in maſſa perditionis relinquendo.

Dices 2. D. Paulus, & poſt quam SS. Patres totam reprobationis Eſau cauſam refundunt in ſolam Dei voluntatem: ergo non eſt culpa originalis.

Reſp. Diſt. Ant. Totam cauſam reprobationis comparativæ, id eſt, cur potius Eſau relictus ſit in maſſa perditionis, quàm ejus frater: C. & nihil aliud volunt, ſi benè inſpiciantur. Reprobationis abſolutæ: N.

Dices 3. Reprobatus eſt Eſau, antequam quidquam mali egiſſet: ergo independenter à quolibet peccato.

Reſp. Diſt. Ant. Antequam quidquam mali egiſſet in perſona propria: C. & ideo dicitur reprobatus non ex operibus. In perſona primi parentis: N. Unde ſimiliter Diſt. Conſeq. Independenter à peccato actuali: C. Independenter ab originali: N.

Dices 4. Si cauſa reprobationis negativæ ſit peccatum originale, cur quaſi deficiens exclamat Apoſtolus: *O altitudo divitiarum &c.*

Reſp. Non exclamat, quia reprobatus eſt Eſau, ſed quia potiùs Eſau, quàm Jacob, cùm tamen in utroque prævìſum ſit originale.

Dices 5. Non aliter loquitur Apoſtolus de reprobatione Eſau, ac de electione Jacob: ſed hic electus eſt ante prævìſionem cujuslibet meriti: ergo ille reprobus eſt ante prævìſionem cujuslibet peccati.

Reſp. Diſt. Maj. Non aliter loquitur faciens comparationem inter opera perſonalia: C. inter alia: N. res per ſe patet.

Dices 6. Si reprobatio negativa cauſam haberet peccatum originale, nullus fuiſſet reprobatus, ſi Adam non peccaſſet, hoc non eſt credibile: ergo.

Reſp. Quod tunc nullus quidem fuiſſet reprobatus negativè ob peccatum originale; potuiſſet tamen eſſe ob meram Dei voluntatem, cùm electio ad gloriam nulli ſit debita, procedatque à ſolo Dei beneplacito, qui, quos voluit, eligit, quos noluit, reliquit ſine ulla alicujus injuria: unde ratio cur dicimus peccatum originale eſſe cauſam reprobationis negativæ, non eſt quia aliter fieri non potuit, ſed quia ſic factum eſſe evidenter colligitur ex Auguſtino, ut patet ex dictis in Probatione.

Dices 7. Non conſtat Eſau eſſe damnatum; cùm multi ſuſtineant probabiliter contrarium: ergo omnia de Eſau allata nihil faciunt ad probationem Concluſionis.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia ſi non ſit reprobus, ſaltem aſſumitur ab Apoſtolo ut reproborum figura: quod ſufficit ad intentum noſtrum.

CONCLUSIO II.

CAuſa reprobationis poſitivæ eſt peccatum reprobi prævìſum, ita ut ante illam prævìſionem, neminem reprobet Deus poſitivè. Hæc ſententia adeo rationi conſentanea eſt, ut dixerit Scotus 1. diſt. 41. q. 1. non poſſe ſententiam contrariam ſine crudelitate excogitari: Catharinus *eſſe horribilem*:

bilem: Wiguerius *Juſtitiæ divinæ repugnare*. Eſt contra quoſdam Calviniſtas, qui volunt Deum ante præviſa demerita ſtatuiſſe aliquos excludere à vita æterna, ipſoſque æternis cruciatibus deſtinaſſe, & in hunc finem, ſublato libero arbitrio, ad peccatum impellere: quæ ſententia planè crudelis & blaſphema hauſta eſt ex Calvino lib. 3. Inſtit. cap. 22. §. 11. ubi ait: *Si non poſſumus rationem aſſignare, cur ſuos miſericordia dignetur, niſi quoniam ita illi placet; neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quàm ejus voluntatem.* Hanc ſententiam condemnat Trident. Seſſ. 6. can. 4. 5. & 6.

Prob. 1. Concluſio ex Script. Quomodo poteſt dicere Deus, quòd nolit mortem peccatoris Ezechiel. 18. quòd perditio Iſrael ſit ex ſe ipſo, Oſeæ 13. Quomodo dicere poteſt Scriptura, quòd Deus mortem non fecerit Sap. 1. Quòd nullum velit perire innocentem 2. Petri 3. & alibi, ſi aliquos ante præviſionem ullius peccati non tantùm à gloria excluſerit, ut volunt aliqui Catholici, de quibus poſtea; ſed etiam æternis cruciatibus deſtinaverit, ut blaſphemant quidam Hæretici?

Prob. 2. Ex Concilio Valentino ſub Lothario Imperat. & Leone 4. Pontif. cap. 3. *Fidenter fatemur prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem: in electione tamen ſalvandorum miſericordiam Dei præcedere meritum bonum: in damnatione vero periturorum meritum malum præcedere iſtum judicium Dei.*

Prob. 3. Ex PP. Auguſtino l. 3. contra Julian. c. 18. *Bonus eſt Deus, juſtus eſt Deus, poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt, non poteſt quemquam ſine malis meritis damnare, quia juſtus eſt* Fulgentio lib. 1. ad Monimum c. 26. *Notum eſt iram Dei dici non poſſe, niſi ubi creditur hominis iniquitas præceſſiſſe.* Damaſceno lib. 2. de fide cap. 26. *Deus ex ſe ipſo movetur ad miſerendum; ad puniendum, nonniſi ex præſuppoſita culpa.*

Prob. 4. Ratione: Tam juſtus eſt Deus in intentione, quàm in executione: ſed neminem de facto condemnat ad pœnam æternam, niſi propter demerita: ergo nec illam intendit, niſi præviſis demeritis.

Prob. 5. Quia durum videtur aſſerere Deum, cujus proprium eſt miſereri ſemper & parcere, & alienum iraſci, & punire, velle aliquos, quos vult ad imaginem ſuam creare, ſine ulla culpa, ſine ullo demerito, à gloria excluſos, in æternæ damnationis barathrum præcipitari.

Dices 1. Diſponit Dominus de ſuis pro libitu: ergo & Deus de ſuis creaturis.

Reſp. Diſt. Ant. Diſponit in omnem uſum: N. in uſum lege permiſſum: C. ſed lex naturæ dictat eſſe infligendam pœnam niſi propter culpam. Non tenetur quidem Deus lege naturæ, cùm lex quælibet tantùm reſpiciat defectibiles: tenetur tamen ex ſua intrinſeca rectitudine nolle pœnam immeritis infligere, cùm hoc videatur eſſentiali ejus miſericordiæ repugnare.

Dices 2. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus; impium quoque ad diem malum* Proverb. 6.

Reſp. Fieri ibi mentionem impii, cujus peccatum finale prævideat Deus; quem ideo reſervat in diem vindictæ.

Dices 3. Finis reprobationis eſt oſtenſio juſtitiæ Dei vindicativæ: ergo priùs vult Deus punire, quàm peccatum permittere; & conſequenter antequam peccatum prævideat. Prob. Conſeq. Quia priùs intenditur finis quàm medium: medium autem ad illam oſtenſionem, eſt permiſſio peccati.

Reſp. Neg. Conſeq. Ad probationem dico, permiſſionem peccati eſſe quidem conditionem ſine qua Deus non puniret peccatum, nec conſequenter juſtitiam ſuam punitivam oſtenderet: nego tamen eſſe medium ad illam oſtenſionem; cum Deus non permittat peccatum in illum finem ſed ut ſinat creaturas agere motus ſuos; & ideò non requiritur ut priùs velit juſtitiæ ſuæ oſtenſionem, quàm peccati permiſſionem.

Dices 4. Licèt Deus nullos adultos beatificet niſi propter merita, ipſos tamen ordinat ad beatitudinem ante præviſa merita: ergo licèt nullos damnet niſi propter peccata, aliquos tamen deſtinat damnationi ante præviſa peccata.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd beatitudo ante præviſa merita intendatur ut purum donum, ſicque nullam operationem meritoriam ſupponat in electo; infernus autem intendi debeat ut pœna aut vindicta, adeòque non poſſit intendi, niſi prævideatur culpa.

CONCLUSIO III.

Cauſa reprobationis quaſi negativæ ſeu poſitivæ quidem excluſionis à gloria, non tamen deſtinationis ad pœnam, non eſt mera Dei voluntas, ſed excluſio ob peccatum finale præviſum. Eſt contra quoſdam Thomiſtas, non tamen contra D. Thomam, ut patebit infra.

Prob. 1. Quia non poteſt ſtare in Deo vera & ſincera voluntas ſalvandi omnes homines cum voluntate excludendi aliquos à gloria nullis præviſis eorum demeritis; cùm velle excludere à gloria, ſit nolle ſalvare, ſed ſtat in Deo prior voluntas, ut patet ex 1. ad Timoth. 2. ergo non poteſt ſtare poſterior.

Dices 1. cum Gonet: Volens projicere merces in mare ob periculum naufragii, poteſt voluntate inefficaci & ſimplicis complacentiæ velle illas ſervare: ergo Deus volens efficaciter aliquos excludere à gloria poteſt velle illos ſalvare deſiderio inefficaci, & ſimplicis complacentiæ.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd projiciens merces in mare invitus & à periculo mortis impulſus id faciat, non projecturus ſi periculum illud non inſtaret: & ſic non eſt mirum quòd affectum ad illas retineat: Deus autem à ſeipſo liberrimè & à nullo coactus à gloria excluderet: undè ſi projiciens merces in mare poſſet, ſalva vita, illas projicere vel non projicere pro libitu, ſicut poteſt Deus pro ſuo libitu à gloria excludere, vel non excludere, non cenſeretur retinere affectum ſincerum circa illas; imo ab omnibus exploderetur, ſi diceret ſe habere affectum ſincerum circa merces ultrò in mare projectas.

Inſt. Licèt Deus non cogatur excludere aliquos à gloria, juſtas tamen habet cauſas aliquos excludendi, & ſic non cenſetur propterea affectum ad eorum ſalutem deponere. Prob. Aſſumpt. Quia id facit ut oſtendat naturæ defectibilitatem, & gloriæ ſuæ magnitudinem.

Reſp. Cauſas illas nullas eſſe & futiles. 1. Quia excluſio illa nullatenus oſtendit naturæ defectibilitatem, cùm non excludatur homo quia defectibilis, ſed quia, ut ajunt ipſimet Adverſarii, gloria eſt ipſi indebita. Adde quòd tam ſit defectibilis ſecundùm ſe electus, quàm excluſus. 2. Quia longè glorioſius eſt Deo, nullos à gloria excludere ante præviſa demerita, quàm aliquos excludere, cùm primùm denotet ſummam ejus in nos bonitatem, miſericordiam & liberalitatem.

Dices 2. Deus vult omnibus dare gratias efficaces, ſicut vult omnes ſalvare: ſed, non obſtante hac voluntate, vult ante præviſionem peccati aliquos à gratia efficaci excludere: ergo ſimiliter, non obſtante voluntate ſalvandi omnes, poteſt velle aliquos à gloria excludere.

Reſp. Neg. Ma. Quia voluntatem dandi omnibus gratiam efficacem nec Scriptura, nec Concilia, nec PP. ponunt in Deo, ſicut ponunt voluntatem ſalvandi omnes, & ſic licèt hoc aſſeramus, non eſt hoc ratio, cur aſſeramus illud. Præterea ad quid voluntates illæ contradictoriæ in Deo, nempè dandi omnibus & non dandi omnibus gratiam efficaciam, nulla facta circa creaturas mutatione? Ponimus quidem in Deo voluntatem ſalvandi omnes, & non ſalvandi omnes, ſed primam ponimus ante præviſionem peccati, ſecundam verò poſt illam, ſic facta circa creaturas mutatione.

Dices 3. Deus non minùs eſt gloriæ dominus, quàm gratiæ efficacis. ſed hanc poteſt aliquibus denegare ante præviſionem peccati: ergo & illam.

Reſp. Diſt. Conſeq. Ergo & illam abſolutè loquendo: C. ſuppoſito quod velit omnes ſalvare: N. idque propter contradictionem.

Prob. 2. Quia ſi Deus aliquos excluderet à gloria ante peccati præviſionem, non poſſent illi ſalvari, etiamſi innocentiſſimè viverent & obirent; quandoquidem Dei decretum ſit invariabile, & res decreta infallibiliter eventura.

Obji. 1. Gloria eſt beneficium creaturæ indebitum: ergo poteſt Deus quemlibet ab illa pro libitu excludere.

Reſp. Diſt. Conſeq. Poteſt excludere, ſecluſa voluntate ſalvandi omnes: C. ſuppoſita illa voluntate: N. Non dubitamus igitur poſſe Deum, abſolutè loquendo, citra omnem injuſtitiam, aliquos, imò omnes à Regno ſuo excludere, independenter à peccato; ſed negamus ita excluſiſſe ob voluntatem ſalvandi omnes nobis in Scripturâ manifeſtatam.

Obji. 2. Electio ad gloriam facta eſt ante præviſionem meriti: ergo & excluſio à gloria ante præviſionem demeriti.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd talis electio nulli repugnet; repugnet autem excluſio præfata voluntati ſinceræ ſalvandi omnes.

Obji. 3. Ordinatè agens priùs vult finem quàm media: ſed finis, quem intendit Deus in reprobatione, eſt excludere à gloria: ergo priùs vult excluſionem à gloria, quàm permittat, adeoque prævideat peccatum excludendi.

Reſp. Neg. Min. Et dico finem, quem Deus intendit in hac reprobatione, eſſe punitionem, cùm volens ſincerè omnes ſalvare, non poſſit velle poſitivè aliquem à ſalute excludere, niſi velit ipſum punire; nullus autem ordinatè agens vult punire; niſi culpam puniendam prævideri t: ſicut non vult præmiare, niſi prævideri t meritum.

Obji. 4.

Objl. 4. D. Thomam in 1. ad Hannibaldum diſt. 41. q. un. art. 3. ubi expreſsè ait voluntatem, ſecundùm quam Deus vult aliquem non ſalvari, non requirere aliquam rationem ex parte voliti, quia ſalus gloriæ eſt homini indebita.

Reſp. D. Thomam intelligendum eſſe abſolutè loquendo, ſeu ſecluſa ſuppoſitione quòd Deus velit omnes homines ſalvos facere, quia, illo ſuppoſito, debet aliquid intervenire ex parte hominis, ut Deus velit non ſalvari, quem ſtatuerat ſalvare.

QUÆSTIO I.

Quodnam Peccatum ſit cauſa Reprobationis.

CONCLUSIO I.

CAuſa reprobationis poſitivæ non eſt ſemper peccatum originale. Ita Scotus 4. d. 41. n. 25.

Prob. 1. Eadem eſt cauſa reprobationis poſitivæ, & damnationis: ſed non ſemper peccatum originale ſolum eſt cauſa damnationis: ergo nec ſemper poſitivæ reprobationis. Prob. Min. Quia peccatum originale remiſſum, ut eſt in omnibus renatis per Baptiſmum, non eſt cauſa damnationis, cum non damnet Deus odii propter id quod odit in homine, non odiſſe autem peccatum originale remiſſum, apertè declarat Trid. ſeſſ. 5. c. 5. ubi ait. *In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil eſt damnationis iis, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem.*

Dices 1. Auguſt. lib. 4. contra Julian. c. 8. & alibi dicit eandem cauſam reprobationis adultorum & parvulorum: ſed horum reprobatio ſemper fit propter ſolum originale: ergo & illorum. Item Epiſt. 194. aliàs 105. aſſerit Deum odiſſe Eſau, & conſequenter etiam alios adultos reprobos, quorum ille erat figura, ob ſolum peccatum originale: *Quid oderat in Eſau*, inquit, *niſi originale peccatum.*

Reſp. Ad 1. Diſt. Min. Reprobatio parvulorum fit propter ſolum originale, quia originale eſt præcisè. N. quia finale eſt: C. undè vult Auguſtinus quòd ſit eadem cauſa reprobationis parvulorum & adultorum; quia utriuſque reprobationis cauſa eſt peccatum finale, abſtrahendo an ſit originale vel actuale.

Reſp. Ad 2. Deum quidem odio habuiſſe Eſau propter ſolum peccatum originale, non tamen odio reprobationis poſitivæ, ipſum cruciatibus deſtinando, aut etiam poſitivè gloria excludendo, ſed tantùm negativæ, ipſum ſcilicèt relinquendo præcisè in maſſa perditionis. Scio etiam in Jacob peccatum originale prævidiſſe, cùm electio ad gloriam fiat poſt prævisionem peccati originalis, ut antea diximus; ſed *Jacob dilexit*, ut loquitur Auguſt. Enchir. c. 98. *per miſericordiam gratuitam, Eſau autem odio habuit per judicium debitum:* unde *dilexit in Jacob, non culpam, quam delebat, ſed gratiam, quam donabat*, ut ait idem Doctor lib. 1. ad Simplicianum q. 2.

Dices 2. Auguſtinus variis locis aſſerit omnes reprobos damnari propter originale: ergo vult cauſam reprobationis ſive in parvulis, ſive in adultis eſſe originale.

Reſp. Originale eſſe quidem cauſam reprobationis omnium reproborum, ſed diverſimodè: parvulorum enim eſt cauſa proxima; adultorum autem per Baptiſmum renatorum, radicalis & remota, in quantum à culpa originali tanquàm à radice pullulant omnia mala: imò, ut docet Auguſtinus ipſemet Retractationum cap. 33. Si non fuiſſet commiſſum originale, fuiſſent omnes finaliter juſti & ſalvati.

Dices 3. Sententiam noſtram adverſari D. Thomæ expreſsè dicenti q. 6. de Verit. 2. ad 9. *In ipſa electione ratio eſt divina bonitas; ratio autem reprobationis, eſt in hominibus peccatum originale.*

Reſp. Si S. Doctor loquatur de reprobatione poſitiva, eodem modo explicandum eſſe, ſicut jam explicavimus Auguſtinum. Veriſimiliùs tamen loquitur de merè negativa, cujus motivum ſeu ratio, eſt ſolum peccatum originale, ut dicemus infra.

Dices 4. Omnes tam adulti, quàm parvuli eodem Inſtanti reprobantur: ſed parvuli reprobantur propter ſolum originale: ergo & adulti.

Reſp. Neg. Conſeq. Licèt enim omnes reprobentur eodem inſtanti, non repugnat tamen quòd propter diverſa peccata; cùm eodem inſtanti quo Deus novit parvulum moriturum cum peccato originali, noverit & Adultum moriturum cum actuali.

CONCLUSIO II.

REprobatio poſitiva fit propter quodlibet peccatum finale, ſive interim ſit originale, ſive actuale, ſive utrumque. Ita Scotus ſupra, eſtque ſatis communis.

Prob. Quia quodlibet peccatum, præter finale, ſupponitur fuiſſe aliquando per pœnitentiam deletum & remiſſum; ſed Deus non reprobat poſitivè propter peccatum quod remiſit & condonavit, cùm talis reprobatio ſit pœna, adeoque ſupponat culpam remanentem: ergo propter ſolum finale, ſub quo comprehenduntur omnia peccata nunquam remiſſa.

Advertendum hic dicta in hac & priori Concluſione extendenda eſſe ad reprobationem quaſi negativam; quandoquidem etiam ſola excluſio à Regno facta à Deo volente omnes homines ſalvos facere, etiam poſt prævisum primi parentis peccatum, ut ſuo loco diximus, debeat habere aliquod motivum ex parte ipſius reprobi, ſeu à Regno poſitivè excluſi, quod ſit diſtinctum à peccato originali, quatenùs originale eſt præcisè; cùm non poſſit Deus velle alicui ſalutem & excluſionem à ſalute, nulla facta ex parte ſalvandi mutatione: Vide dicta ſupra. Unde quando D. Thomas q. 6. de Verit. art. 2. ad 9. aſſerit *Sufficientem cauſam ad volendum hominibus excluſionem à Regno eſſe, gloriam illis non deberi*, loquitur abſolutè loquendo, non autem in ſuppoſitione dictæ voluntatis.

CONCLUSIO III.

REprobatio merè negativa, ſi abſolutè conſideretur, fit ob ſolum originale. Dico: *Si abſolutè conſideretur*; quia ſumpta comparativè non habet aliam rationem, quàm Dei voluntatem, ut dictum eſt ſuperiùs.

Prob. 1. Eodem modo loquendum eſt de reprobis negativè, ac de Eſau qui fuit illorum figura: ſed hic reprobatus fuit negativè ob ſolum originale, cùm nihil adhuc boni aut mali feciſſet: unde Auguſtinus Epiſt. 194. *Quid viderat in Eſau, niſi originale peccatum?* Ergo & illi. Vide dicta Concluſione 1. Quæſt. præced.

Dices: vult Deus, etiam prævisо peccato originali, omnes ſalvare: ergo non poteſt propter illud aliquos negativè reprobare.

Reſp. Admiſſo Ant. (quod videtur colligi ex Scriptura tribuente voluntatem ſalvandi omnes Deo Salvatori, adeoque ſuppoſita redemptionis materia, ſeu peccato aliquo) Neg. Conſeq. Quia ſtare poteſt cum reprobatione negativa aliquorum, ſincera voluntas illos ſalvandi, ſi neque uſuri ſint mediis ad ſalutem conferentibus, quæ nullis pro tempore & loco denegantur.

QUÆSTIO IV.

Qui ſint effectus reprobationis?

CONCLUSIO I.

NEc peccatum, nec permiſſio peccati, ſive originalis, ſive actualis, ſunt effectus reprobationis.

Prob. 1. Pars. Illud eſt effectus reprobationis, quod procedit ex intentione efficaci damnandi, ſicut effectus prædeſtinationis eſt illud quod provenit ex intentione efficaci ſalvandi: ſed peccatum non procedit ex illa intentione, cùm Deus non velit hominis peccatum, quia vult illum damnare, ſed è contra velit illum damnare, quia ipſemet peccabit, & in peccato morietur: ergo. Unde peccatum dici debet cauſa reprobationis, non effectus.

Prob. 2. Pars: quia reprobatio ſive negativa, ſive poſitiva præſupponit peccatum finale prævisum, ut patet ex antea dictis: ergo à fortiori peccati permiſſionem, cùm hæc illud præcedat, aut ſaltem comitetur; jam autem effectus non poteſt præſupponi ſuæ cauſæ.

Dices: Deus permittit peccatum in reprobis, ut habeat cauſam illos puniendi: ergo permiſſio peccati in illis procedit ex intentione damnandi. Prob. Ant. Quia nullum alium finem habere poteſt peccati permiſſio, quàm oſtenſionem divinæ juſtitiæ.

Reſp. Neg. Ant. Et ejus probationem, & dico Deum poſſe permittere peccatum ob varias rationes. 1. Ut non impediat hominis libertatem. 2. Ut agnoſcamus divinæ gratiæ neceſſitatem, & fragilitatis noſtræ magnitudinem. 3. Ut ſimus perſuaſi gratias efficaces nullo modo eſſe nobis debitas, ſed merè gratuitò concedi iis, qui præſervantur. 4. Ut magis ſplendeat aliorum virtus: ex crudelitate ſiquidem tyrannorum elucet patientia Martyrum; ex ebrietate aliquorum ſobrietas aliorum &c.

CONCLUSIO II.

INflictio mortis extraordinaria, aut præmatura, poteſt eſſe effectus reprobationis.

Ratio eſt; quia poteſt procedere ex intentione citiùs damnandi eos, quos ob prævisa peccata flammis æternis deſtinavit: ordinariè tamen hoc non accidit; quia ſolet Deus in multa patientia ſuſtinere vaſa iræ, donec morte naturali intereant.

CON-

CONCLUSIO III.

ÆTerna damnatio paſſiva eſt effectus reprobationis. Eſt communis & certa.

Prob. Quia directè & efficaciter à Deo decernitur & intenditur per reprobationem, ſicut etiam directè ab eodem infligitur.

Dixi: *Damnatio paſſiva*, id eſt, pœna æterna, ſeu interitus ſempiternus impiorum: nam damnatio activa, ut infert Dei ſententiam ſeu decretum, quo reprobos addicit pœnæ æternæ, non eſt propriè effectus, ſed potiùs actus reprobationis.

TRACTATUS II.

DE DEO TRINO.

ABvſſus abyſſum invocat. Abyſſum relinquimus, abyſſum ingredimur. Dei unitatem ſecundùm perfectiones abſolutas, tribuſque Perſonis communes non ſine difficultate aliqualiter explicavimus, nunc ejuſdem Trinitatem, quaſi trium unitatem, licèt omnino inexplicabilem, explicare tamen, prout homini conceſſum eſt, nobis incumbit. Sed, ut hujus Tractatus fundamentum, & baſim firmiter ſtabiliamus

Supponendi ſunt quatuor fidei Articuli in Lateranenſi Concilio expreſſi, ſuoque loco probandi. 1. Contra Gentiles, Gnoſticos, & Manichæos unicum eſſe Deum, adeoque unicam eſſentiam divinam, licèt tribus Perſonis communem. 2. Contra Sabellianos, & Socinianos quòd licèt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſint idem cum eſſentia divina, ſint tamen tres Perſonæ realiter diſtinctæ. 3. Contra Arianos, & Macedonianos, ſingulas Perſonas divinas, & tres ſimul eſſe verum Deum, & contra Tritheitas eſſe unum Deum. 4. Patrem eſſe Perſonam improductam, Filium, & Spiritum Sanctum Perſonas productas: Filium quidem à Patre genitum, Spiritum Sanctum verò à Patre, & Filio ut uno principio non quidem genitum, ſed alio modo procedentem. His ſuppoſitis.

DISPUTATIO PRIMA.

De Divinis Perſonis, & Proceſſionibus.

QUid nomine perſonæ intelligatur, ſatis abundè dictum eſt in Tract. de Incarnatione. Voce autem *proceſſionis*, non intelligitur hic progreſſus hominis aut bruti ab uno loco in alium, ſed intelligitur emanatio, ſeu origo unius ab alio tanquam à cauſa vel principio, quæ eſt duplex, una tranſiens, ſic dicta, quia tranſit extra principium, ſeu non remanet in principio, à quo procedit, ut proceſſio odoris à flore in nares; altera immanens, ſic dicta, quia remanet in principio, à quo procedit, ut volitio in voluntate, intellectio in intellectu.

QUÆSTIO I.

An ſint in divinis plures Perſonæ, quot, & an realiter diſtinctæ?

CONCLUSIO I.

PLures ſunt in divinis Perſonæ. Eſt de Fide contra Sabellianos, qui, ut refert S. Epiphanius Hæreſi 62. unicam agnoſcentes, eandem Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum vocari dixerunt ob varios effectus, ſicut idem ſol dicitur illuminativus, calefactivus, productivus &c. eo quòd vim habeat illuminandi, calefaciendi &c. Quorum Hæreſim renovarunt Sociniani ſæculo 16. Hi enim (ſic dicti à Lælio Socino Senenſi, & altero Socino prioris nepote) omnia omnino Scripturæ loca ſola ratione metientes, ſolum Patrem Deum dixerunt, Chriſtum verò purum hominem, & Spiritum Sanctum Patris virtutem & efficaciam. Hi autem (inter quos excelluit Crellius) floruerunt in Polonia: unde Fratres Poloni dicti ſunt.

Prob. autem 1. Concluſio ex Scriptura Gen. 1. *Faciamus hominem* &c. ubi ly *Faciamus* denotat plurium deliberationem: Scio Judæos aſſerere fuiſſe deliberationem Dei cum Angelis; ſed etiam ſcio confundi per verba ſequentia: *Ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, cùm non ſit una Dei & Angelorum ſimilitudo. Volunt Sociniani Deum fuiſſe locutum in plurali; ſed quis artifex (ubi ſolus eſt) dicit: *Faciamus domum, faciamus gladium*, ut bene advertit D. Baſilius Hom. 9. in Hexamer. Rex quidem, aut alius ſupremus, utitur in ſuis decretis vocibus, *Ordinamus, Volumus, Statuimus, &c.* ſed tunc loquitur nomine totius Regni, cujus eſt Caput, & ideo cum ſolus eſt, non dicit *Scribamus, Comedamus, &c.*

Prob. 2. ex Pſal. 109. ubi legitur: *Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis:* quem textum explicavit Chriſtus ipſemet Matth. 22. & alibi, de Deo Patre alloquente Deum Filium incarnatum: ex quo patet ſaltem eſſe duas Perſonas, adeoque plures. Sunt & alii Scripturæ Textus, ſicut & plurima Patrum teſtimonia, unde hæc veritas confirmatur; ſed convenientiùs in Concluſione ſequenti aſſignabuntur.

CONCLUSIO II.

PErſonæ divinæ ſunt tres. Eſt etiam de Fide non tantùm contra Sabellianos & Socinianos, ſed etiam contra varios alios, quorum aliqui Filio, alii Spiritui S. alii utrique divinitatem negantes, numerum Perſonæ ternarium à divinis ſuſtulerunt: de quibus fuſius ſuo loco.

Prob. 1. Tum ex veteri Teſtamento Iſa. 6. ubi Deus tertiò dicitur *Sanctus* ob Perſonarum Trinitatem; & ideo fortè Pſ. 66 ter repetitur *Deus* in hunc modum: *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus.* Tum etiam, & præſertim ex Novo, ubi (omiſſis textibus, quæ Filii, & Spiritus S. divinitatem evidenter probant, de quibus infra) expreſsè dicitur Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Ubi tres Perſonæ clarè, expreſsè, & diſtinctè nominantur, ſicut 1. Joa. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*: unde ſicut audita hac propoſitione: *Teſtes ſunt Petrus, & Jacobus, & Joannes*, ineptiſſimè diceretur, unicam perſonam teſtem eſſe; ita & in noſtro caſu.

Dices 1. Tres quidem perſonas ibi nominari, ſed non conſtare Filium, & Spiritum S. eſſe Deum, ſicut eſt Pater. Sed

Contra eſt, quòd non dicatur ibi *In nominibus*, ſed *In nomine*, ſeu authoritate, ad inſinuandum tres illas Perſonas unius & ejuſdem eſſe authoritatis & poteſtatis, adeoq; quòd, ſicut Deus eſt Pater, ita & Filius, & Spiritus Sanctus.

Dices 2. Ex teſtimonio 1. Joan. 5. *Tres ſunt*, &c. malè probari Myſterium Trinitatis, cùm addatur immediatè poſt: *Et hi tres unum ſunt*, nempe ea unitate, qua unum ſunt Spiritus, Aqua, & Sanguis, de quibus dicitur Verſu ſequenti: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra: Spiritus, aqua, & Sanguis, & hi tres unum ſunt:* hæc autem tantùm ſunt tria unitate teſtimonii, non naturæ. Sed

Contrà eſt, quòd licèt non probaretur indè unitas naturæ Patris, Filii, & Spiritus S. quod ſuo loco examinabitur; probatur tamen Perſonarum trinitas: quod hic ad intentum noſtrum ſufficit.

Prob. 2. Concluſio ex Conciliis, & PP. qui omnes uno ore, & conſenſu Perſonarum trinitatem in divinis agnoverunt, ut ce clariùs, eorum ſcripta paſſim indicant.

Objectiones, quæ fieri poſſent contra hanc veritatem, ſolventur Concluſione ſequenti.

CONCLUSIO III.

TRes Perſonæ divinæ ſunt realiter diſtinctæ. Eſt etiam de fide contra Hæreticos Concluſionibus ſuperioribus citatos, quibus præluxerunt Simon magus, Apelles, Baſilides, Valentinus, Montaniſtæ plurimi, & Noetus anno circiter 245 volens Patrem, Filium, & Spiritum S. & natura & Perſona eſſe unicum.

Prob. 1. Concluſio ex Script. Matth. 28. *Baptizantes eos &c.* ubi conjunctio *ET* bis interpoſita evidenter denotat diſtinctionem eſſe realem, non naturæ, ut ſuppoſuimus, ſed perſonæ, inter Patrem, Filium, & Spiritum S. Et certè ſicut ineptiſſimè diceretur: *Hoc tibi præcipio in nomine Marci, & Tullii, & Ciceronis*, quia unica eſt perſona Marcus, Tullius, Cicero, ità & in noſtro caſu, ſi Pater, Filius, & Spiritus S. unica eſſent perſona.

Prob. 2. Ex hoc Joan. 24. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*, ubi ly *Ego*, ſeu Filius rogans debet diſtingui à Patre rogato, cùm nullus roget ſeipſum, ſed diſtinctum: Paraclitus autem, ſeu Spiritus Sanctus diſtinguitur à Patre per hoc quòd ſit ab illo dandus, ſeu mittendus, à Filio verò, per hoc quod ſit *alius Paraclitus*, ſeu Advocatus, quàm Filius.

Prob. 3. ex PP. qui loquentes de tribus Perſonis, interponunt conjunctionem *ET*, ut inſinuent realem inter ipſas diſtinctionem: unde S. Polycarpus Epiſt. ad Smirnenſes: *Per Jeſum Chriſtum gloria Deo Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* S. Irenæus lib. 4. cap. 14. *Unus Deus Pater . . . & unus Filius, & unus Spiritus.* S. Clemens Alexand. lib. 3. Pædag. cap. 12. *Laudemus Patrem, & Filium. unà cum S. Spiritu.* S. Cyprianus: *De Patre, & Filio, & Spiritu S. ſcriptum eſt &c.* Idem habent omnes alii, qui hanc doctrinam ab Apoſtolis receptam ad nos per varia Concilia inviolabili traditione tranſmiſerunt.

Prob.

Prob. 4. Ratione Filius procedit à Patre, Spiritus Sanctus à Patre & Filio, ut probabimus infrà: ſed neceſſariò intercedit diſtinctio realis inter procedentem, & eum, à quo fit proceſſio, cùm quis non procedat à ſeipſo, non producatur à ſeipſo: ergo.

Obji. 1. Si perſonæ divinæ realiter diſtinguerentur, quælibet eſſet trina in Perſonis, cùm quælibet ſit Deus, qui eſt in Perſonis trinus: ſed hoc implicat ergo.

Reſp. Neg. Ma. & dico, licèt quælibet Perſona ſit Deus, non tamen quamlibet eſſe trinam; quia ly *Trinus* competit quidem Deo ſumpto adæquatè, ſeu pro omni eo quod eſt Deus, non tamen Deo, quaſi inadæquatè conſiderato: ſeu pro eo, quod ad certam perſonam reſtringitur.

Obji. 2. Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe: ſed tres Perſonæ ſunt eædem uni tertio, nempe naturæ divinæ: ergo & eædem inter ſe.

Reſp. Diſt. Ma. Quæ ſunt eadem uni tertio adæquatè ſumpto, ſunt eadem inter ſe C. inadæquatè ſumpto. N. ſic quia Pater non eſt idem Deitati adæquatè ſumptæ, cum hæc ultra eſſentiam & paternitatem importet alias perſonalitates, non eſt etiam adæquatè idem cum Filio, aut Spiritu S.

Obji. 3. Si tres eſſent Perſonæ diſtinctæ in divinis, tres eſſent Dii: hoc eſt falſum: ergo & illud: Prob. Ma. nam quia tres ſunt Perſonæ diſtinctæ Titius, Cajus, & Cicero, ſunt tres homines.

Reſp Neg. Ma. Cujus diſtinguo probationem: quia tres ſunt Perſonæ præcisè: N. quia tres ſunt Perſonæ cum naturæ multiplicatione: C. ſed naturam in divinis immultiplicabilem eſſe, docet perpetua & conſtans omnium ſæculorum traditio.

Obji. 4. cum Crellio Sociniano: Ex noſtra ſententia ſequitur Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum inter ſe diſtingui & non diſtingui: diſtingui, ut ſupponitur, & non diſtingui quia ubi Pater eſt Deus, & Filius idem numero Deus, Pater debet eſſe Filius, ſicut quia Marcus eſt homo, & Tullius idem numero homo, Marcus eſt Tullius.

Reſp. Neg. Sequel. Et dico, quòd licèt Pater ſit idem numero Deus ac Filius; quia tamen non eſt Deus ſecundùm omne quod eſt Filius, cùm non ſit ſecundùm Perſonalitatem Filii, Pater non eſt Filius. Aliud eſt de Marco & Tullio, cùm Marcus ſit homo ſecundùm omne quod eſt Tullius, & è contrà.

Obji. 5. Cum eodem: Trinitas Perſonarum infert Trinitatem Deorum. Prob. Aſſumpt. Quia multiplicatio perſonæ infert multiplicationem naturæ, ut patet in omnibus creatis.

Reſp. Neg. Aſſump. cum Probatione, & dico multiplicationem naturæ inferre quidem multiplicationem Perſonæ ordinariè loquendo, non tamen è contra; cùm perſonalitas præſupponat naturam, cui ſuperadditur ut complementum ſubſtantiale ultimum.

Inferes: Ergo ſaltem ubi unica eſt natura, ut hic; unica eſt perſona.

Reſp. Diſt. Illatum: Unica eſt perſona, ſi perſonalitas ſit merum naturæ complementum: C. ſi perſonalitas non ſit ex indigentia naturæ, ſed ex ejuſdem fœcunditate, ut in divinis: N.

Inſt. Unius rei non poſſunt eſſe plures formæ.

Reſp. Diſt. Aſſumpt. Non poſſunt eſſe plures formæ ejuſdem rationis: C. diverſæ: N. Alia autem eſt Perſonalitas Patris, alia Filii; cùm illa Patrem, hæc Filium conſtituat.

Obji. 6. Ex Perſonarum trinitate, ſequitur eandem rem eſſe unicam & triplicem, communicabilem & incommunicabilem.

Reſp. Illa ſalvari per diſtinctionem formalem; quæ intercedit inter naturam, & perſonalitates.

QUÆSTIO II.

An detur proceſſio in Divinis, quotuplex, & qualis?

CONCLUSIO I.

FIde certum eſt dari in divinis veram & realem proceſſionem, ſeu originem, aut emanationem, quod idem eſt, ſecundùm quam una perſona procedit ab altera.

Prob. 1. Ex Script. Michææ 5. ubi de Verbo divino dicitur: *Egreſſus ejus ab initio à diebus æternitatis*. Et Joan. 8. de ſeipſo dicit Chriſtus: *Ego ex Deo proceſſi* Et 15. de Spiritu S. dicitur: *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit*.

Prob. 2. Ex Concilio Nicæno, ubi verbum divinum dicitur Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero: & de Spiritu S. additur inferiùs: *Qui ex Patre, Filioque procedit*. Toletano XI. ubi habetur: *Patrem non genitum, non creatum, ſed genitum profitemur: ipſe enim à nullo originem ducit, ex quo & Filius nativitatem, & Spiritus S. proceſſionem accepit*. Item ex Conſtantinopolitano, Lateranenſi, & Florentino, ubi idipſum expreſsè definitur.

Prob. 3. Ex PP. Athanaſio in ſuo Symbolo, ubi ait: *Filius à Patre ſolo eſt*. Et infra: *Spiritus Sanctus à Patre, & Filio*. Auguſtino lib. 15. de Trinit. c. 26. *Sicut Filio præſtat eſſentiam ... ità Spiritus S.*

Prob. 4. Ratione: Deus ſeipſum intelligit, ſeipſum amat, cùm eſſentia ejus ſit objectum intelligibile, & amabile; ſed illa intellectio & ille amor non ſunt accidentia, cùm nulla ſint in Deo: ergo ſubſtantiæ: non abſolutæ, cùm unica ſit in Deo: ergo relativæ, ſeu perſonales.

Obji. 1. Perfectius eſt intelligere per notitiam ingenitam, quàm per genitam: ergo non datur in divinis proceſſio per intellectum. Idem dic cum proportione de proceſſione per voluntatem.

Reſp. Diſt. Ant. Perfectius &c. ubi notitia genita habetur ex indigentia, ut in creaturis: C. ubi ex ſumma naturæ fœcunditate, ut in divinis: N. Adde notitiam divinam adæquare gignentem in perfectione, non ſic creatam.

Obji. 2. Admiſſis proceſſionibus divinis, ſequitur poſſe Filium producere alium Filium, & Spiritum Sanctum alium Spiritum Sanctum, & ſic in infinitum.

Reſp. Neg. Sequel. Quia licèt Filius & Spiritus S. accipiant eundem intellectum, eandemque voluntatem ac Pater; cum aliqua tamen differentia, quòd Filius habeat intellectum jam habentem terminum adæquatum ſuæ fœcunditatis, quem non habet in Patre antequam concipiatur Filius genitus. Accipit tamen Filius voluntatem nondum habentem terminum ſuæ fœcunditatis; quia productio Verbi, ſeu proceſſio per intellectum prior eſt proceſſione per voluntatem, & ideo Filius cum Patre ſpirat Spiritum Sanctum, qui Spiritus S. non poteſt alium Spiritum S. producere, eo quod habeat voluntatem jam habentem terminum adæquatum ſuæ fœcunditatis.

Obji. 3. Deus non eſt perfectibilis: ergo non poteſt ad intra producere.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia Deus non agit ut perficiendus, ſed ut fœcundus: unde Axioma illud: *Agens agit ut perficiatur*, non habet hic locum.

Obji. 4. In æternis non datur prioritas: ergo nec Proceſſio unius Perſonæ ab alia.

Reſp. Diſt. Ant. Non datur prioritas temporis, aut durationis: C. Originis: N. hæc autem ſufficit, ut una Perſona procedat ab alia.

Obji. 5. Ens à ſe non habet principium: ergo non datur proceſſio divina.

Reſp. Diſt. Ant. Non habet principium extraneum & alterius naturæ: C. aliàs ab illo dependeret. Non habet principium intraneum & ejuſdem naturæ: N. quia hoc nullam importat dependentiam aut imperfectionem: nam cùm natura principii ſit independens à ſe, ac nullo indigens, ità & natura procedentis, quę eſt omnino eadem. Fateor quidem procedentem non poſſe eſſe ſine illo, à quo fit proceſſio; ſed diffiteor hoc ſatis eſſe ad dependentiam; aliàs etiam Pater dependeret à Filio, ſine quo non poteſt eſſe: unde requiritur ulteriùs quòd non poſſit eſſe ſine alio; ratione ſubordinationis ad illud aliud: quod neceſſariò involvit diverſitatem naturæ.

Obji. 6. Quælibet Perſona divina eſt primum principium: ergo nulla poteſt ab alia procedere.

Reſp. Diſt. Ant. Eſt primum principium ad extra: C. ad intra: N. quia tale ſolus eſt Pater.

Obji. 7. Omnis Perſona divina eſt ens à ſe: ergo improducta: ergo nullatenus procedens.

Reſp Diſt. Primam Sequel. Ergo improducta ſecundùm id quod eſt ens à ſe, quod eſt eſſentia divina, quæ non producitur, ſed communicatur: C. Secundùm perſonalitatem: N. quia Filius & Spiritus S. ſecundùm illam producuntur; & ideo ſecundùm illam præcisè non ſunt formaliter ens à ſe, licèt dicantur & ſint ſimpliciter ens à ſe propter identitatem realem perſonalitatis ſuæ cum eſſentia divina.

Inſt. 1. Productum aliquando incipit: ergo etiam perſonalitas debet eſſe improducta.

Reſp. Ant. Eſſe verum de producto temporaneo, non de æterno.

Inſt. 2. Si perſonalitas Filii producitur: ergo Pater eſt cauſa Filii.

Reſp. Neg. Sequelam; quia requiritur ad cauſalitatem poſterioritas & dependentia cauſati, à cauſante, quæ hic non reperitur: & ideo Pater divinus dici debet principium Filii, non cauſa. Pro aliis Objectionibus

Adverte 1. Non mutari eſſentiam divinam per productionem; quia ut aliquid dicatur mutari, debet vel perdere quod habebat, vel habere quod non habebat: eſſentia autem divina, nullo inſtanti fuit ſine productione & Perſona producta.

Adverte 2. Non implicare ut, quod eſt ex ſe neceſſarium formaliter qualis eſt perſona divina, ſit etiam ab alio neceſſariò proceſſivè, ſaltem proceſſione æterna.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO II.

DUplex tantùm datur proceſſio in divinis, una Filii à Patre, altera Spiritus S. ab utroque. Eſt de Fide.

Duplicem eſſe evincunt teſtimonia tùm Scripturæ, tùm Conciliorum, tùm Patrum Concluſione præcedenti allegata. Deinde datur duplex potentia in Deo, intellectus ſcilicet & voluntas: item quaſi duplex objectum, nempe eſſentia divina ut intelligibilis, & eadem ut amabilis: ergo & duplex proceſſio, cùm Deus non poſſit non intelligere infinitè intelligibile, & non amare infinitè amabile.

Tantùm eſſe duplicem, inde patet, quòd non ſint plures proceſſiones quàm ſint Perſonæ procedentes, cùm illæ non multiplicentur niſi multiplicatis procedentibus: ſed tantùm duæ Perſonæ procedunt, Filius ſcilicet, & Spiritus S. ergo. Præterea, ut dicemus, proceſſiones ſunt operationes immanentes: ſed in Deo duæ ſunt tantummodo operationes immanentes, intelligere ſcilicet, & velle: ergo.

Nec refert 1. Quòd detur in Deo Omnipotentia & Bonitas extra voluntatem & intellectum; quia licèt omnipotentia ſit principium productivum, non tamen ad intra, quod requiritur ad proceſſionem, de qua hic, ſed ad extra, id eſt, creaturarum, quæ extra Deum exiſtunt: bonitas verò, licèt ſui diffuſiva, non eſt tamen cauſa aut principium efficiens, adeoque nec productiva.

Nec refert 2. Quòd Paternitas divina emanet ab eſſentia, quia non agimus de emanatione Relationum, qualis eſt Paternitas, ſed de emanatione ſeu proceſſione Perſonarum, qualis eſt Pater, Filius &c. unde ut aliquid probaret objectio, deberet oſtendere quòd Pater, & non Paternitas, emanet ab eſſentia, quod nunquam probabitur; quandoquidem ad emanationem propriè dictam requiratur diſtinctio realis inter producens & productum; qualis non eſt inter Patrem & eſſentiam, unde emanatio Relationum ab eſſentia, à qua formaliter tantùm diſtinguuntur, non eſt niſi emanatio largè ſumpta, ſicut eſt emanatio Attributorum ab eadem.

Nec refert 3. Quòd in nobis ſint multæ proceſſiones per intellectum, multæ per voluntatem; quia hoc non involvit perfectionem, ſed imperfectionem: nam ſi poſſemus omnia intelligibilia unico actu intelligere, & omnia volibilia unico actu velle ſicut Deus, non deberent in nobis multiplicari illæ proceſſiones: unde quòd multiplicentur, oritur ex limitatione actuum noſtrorum, quorum ſinguli non poſſunt ad omnia objecta ſe extendere.

Nec refert 4. Quòd in Deo ſit etiam in memoria, quia non eſt propriè dicta, cùm nihil ſit ipſi præteritum, ſed omnia ſint præſentiſſima, in quæ fertur, non per recordationem, ſed per actualem cognitionem adeoque per intellectum: & ideo quando ponunt Theologi in Deo memoriam fœcundam, ſumunt memoriam pro intellectu.

Nec refert 5. Quòd proceſſio Filii ſit infinita, adeoq; videatur proceſſio Spiritus S. ſuperflua, quia licèt ſit infinita in ſuo genere, nempè intellectionis, non tamen in genere volitionis.

CONCLUSIO III.

NOn poſſunt dari in divinis plures emanationes ſeu proceſſiones, quàm duæ.

Ratio eſt; quia ſi plures eſſent poſſibiles, plures darentur de facto, cum in Deo idem ſit eſſe & poſſe, ob ſummam eſſendi neceſſitatem.

CONCLUSIO IV.

PRoceſſiones divinæ ſunt immanentes.

Ratio eſt; quia Filio & Spiritui Sancto communicatur eadem numero natura, quam habet Pater: unde ſicut creaturæ procedunt ad extra, quia recipiunt à Deo naturam à divina diſtinctam; ità ſecunda & tertia Perſona SS. Trinitatis procedunt ad intra, quia eandem ipſam naturam Patris accipiunt.

Ex dictis hac Quæſtione colligi poteſt hæc proceſſionis Definitio: Actio vitalis immanens æterna & neceſſaria, qua una Perſona procedit ab altera realiter diſtincta, non per modum effectus à cauſa, ſed per modum termini à principio ejuſdem naturæ.

Dicitur 1. *Actio*, ſcilicet productiva ſine ulla prorsùs imperfectione: quæ quidem actio identificatur principio producenti, cùm generatio in divinis ſit realiter ipſa Paternitas, Paternitas autem idem realiter cum Patre.

Dicitur 2. *Qua una Perſona procedit ab altera realiter diſtincta*; quia licèt Perſona procedens conveniat in eadem numero natura cum Perſona, à qua procedit; diſconvenit tamen ab ea realiter quoad ſuas proprietates relativas, inter quas invenitur immediata & formalis oppoſitio producentis, & producti.

QUÆSTIO III.

In quo formaliter conſiſtant Proceſſiones divinæ?

QUæſtio eſt de proceſſionibus activè ſumptis, quas Molina & Suarez nolunt eſſe veras actiones, ſed meras reſultantias, ità ut una Perſona reſultet ab altera, eo ferè modo quo proprietates reſultant ab eſſentia, per ſimplicem emanationem ſeu reſultantiam abſque ulla actione propria. Thomiſtæ verò, volunt quidem eſſe veras actiones, ſed ab intellectione & volitione omnimode indiſtinctas; ità tamen, ut intellectio, per quam procedit Filius, modificetur per Paternitatem, & volitio, per quam procedit Spiritus S. modificetur per Paternitatem & Filiationem. Scotiſtæ autem volunt etiam eſſe veras actiones, ſed formaliter ab intellectione & volitione diſtinctas: unde cum ſuo Doctore duos ponunt actus in intellectu formaliter diſtinctos, intellectionem & dictionem: ſimiliter duos eodem modo diſtinctos in voluntate, amorem & ſpirationem; & dicunt Verbum procedere per dictionem, non per intellectionem, & Spiritum Sanctum per ſpirationem, non per amorem.

Ratio autem cur ponatur inter illos diſtinctio formalis, eſt quòd intellectio & volitio ſint actus operativi, non productivi; dictio autem & ſpiratio, actus operativi & productivi: unde intellectio, quia Deus formaliter conſtituitur completè intelligens, non dicit actionem propriè dictam, ſed tantùm vitalem tendentiam in objectum, qui eſt actus eſſentialis improductus; dictio autem importat veram actionem & terminum verum, per eam productum.

CONCLUSIO UNICA.

PRoceſſio Verbi non conſiſtit formaliter in intellectione, nec proceſſio Spiritus S. formaliter in volitione; ſed prima in dictione, ſecunda verò in ſpiratione. Ità Scotus 1. d. 2. q. 7. n. 13. & Scotiſtæ communiter.

Prob. 1. Pars primò: Intellectio & volitio ſunt communes tribus perſonis: ſed proceſſiones activæ non ſunt illis communes, aliàs omnes Perſonæ producerent Verbum & Spiritum S. ſicque vel plures eſſent Perſonæ quàm tres; vel certè aliquæ productæ etiam ſeipſas producerent: quod nemo cogitaverit: ergo &c.

Dices. Intellectionem & volitionem eſſe quidem proceſſiones activas, ſed ut modificatas ad ſenſum ſuperiùs expreſſum. Sed

Contra eſt: Vel enim illa modificatio dicit aliquid ſupra intellectionem & volitionem, vel nihil: ſi nihil, ſtat probatio; ſi aliquid, quid aliud imaginabile quàm dictio? Non enim aliquid eſſentiale; aliàs eſſet adhuc commune tribus: non etiam aliquid notionale, quia nihil eſt tale niſi relationes Perſonarum conſtitutivæ, aut quaſi conſtitutivæ. Quomodo autem relatio modificabit intellectionem, & faciet ut id, quod eſt commune tribus Perſonis, ſit proprium uni? Certè non intelligimus. quandoquidem inde ſequeretur, quòd nequidem bonitas, quæ eſt in Patre, ſit communis tribus Perſonis, cùm illa non minùs debeat eſſe modificata per Paternitatem, quàm intellectio aut volitio.

Prob. 2. Si Pater produceret Verbum intelligendo, intelligeret ipſo Verbo, adeoque ſapiens eſſet Verbo, ſeu ſapientia genita; quandoquidem ſapiens eſſe ſit intelligere; ſed hoc repugnat Auguſtino: ergo. Major certa eſt in ſententia Thomiſtarum, cùm ideò admittant produci verbum in nobis, ut, per illud, objectum intelligatur. Prob. Min. Quia Auguſtinus 15. de Trinit. c. 7. dicit abſurditatem eſſe dicere, quòd *Pater non ſit ſapiens de ſeipſo, ſed de Filio, nec ſapientia ſapientiam genuerit, ſed ea ſapientia Pater dicatur ſapiens eſſe, quam genuit*.

Obji. 1. Ideo colligunt Theologi duas tantùm eſſe proceſſiones in divinis, quia in natura intellectuali ſunt tantùm duæ actiones, intelligere ſcilicet, & velle: ſed hoc non ſtat cum ſententia noſtra: ergo.

Reſp. Diſt. Maj. Ideo colliguntur &c. quia ſunt tantùm duæ actiones præcisè: N. quia ſunt duæ tantùm actiones productivæ: C. Jam autem duas tantùm actiones productivas admittimus, dictionem ſcilicet & ſpirationem: nam intellectio & volitio ſunt quidem operativæ, non tamen productivæ, ut loquitur Scotus ſup.

Obji. 2. Secundùm Auguſtinum & alios Patres, cogitatio

nes

Digitized by Google

nes ſunt dictiones, & locutiones cordis : ergo intelligere eſt dicere formaliter.

Reſp. Auguſt. & alios PP. quandoque vocare cogitationem ſeu intellectionem mentis dictionem ; quia loquuntur de dictione largè ſumpta, qualis eſt omnis actus intellectus, ſive verbum producat, ſive non : non autem de dictione prout productiva Verbi.

Inſt. 1. Dictio eſt actus intellectus : ergo intellectio.

Reſp. Diſt. Conſeq. Ergo intellectio radicaliter & denominativè, in quantùm procedit ab intellectu : C. Formaliter, id eſt ſimplex cogitatio aut intellectio ſine termino producto : N.

Inſt. 2. Actio adæquata intellectus eſt intellectio: ergo ſi dictio, quam ponimus, ſit ab intellectu, eſt formaliter intellectio.

Reſp. Diſt. Ant. Actio adæquata intellectus eſt intellectio formaliter & radicaliter : C. tantùm formaliter : N.

Obji. 3. Omne quod eſt in Deo, vel eſt abſolutum, vel relativum : ſed dictio prout ab intellectione formaliter diſtincta, non eſt quid abſolutum, aliàs eſſet commune tribus Perſonis, cùm omne abſolutum in Deo ſit eſſentiale: nec etiam quid relativum : quia relatio nec eſt productiva, nec ab intellectu egrediens per modum actionis : ergo &c.

Reſp. Eſſe quid relativum ; quia etſi in humanis relatio non ſit productiva, eſt tamen in divinis : nam Paternitas divina dici poteſt formaliter generatio, non quidem ſub eo reſpectu præciſè quo eſt relatio referens unum ad aliud, ſed ſub alio reſpectu; ſcilicet prout eſt id quo præcedit Filius : unde Paternitas varias ſortitur appellationes ; dicitur enim conſtitutivum primi ſuppoſiti, generatio, dictio &c.

Prob. ſecunda Pars juxta Auguſtinum innumeris locis Verbum divinum ſicut & humanum procedit, non ab intellectione, ſed à memoria fœcunda : ſed hæc producit per dictionem, non per intellectionem: ergo. Pro Majori probanda ſufficiat hic unum adferre Auguſtini locum lib. 15. de Trinit. cap. 10. ubi de verbo noſtro ſic habet : *Neceſſe eſt, cùm verbum loquimur . . . ex ipſa ſcientia, quam memoria tenemus, naſcatur verbum.* Prob. Min. Quia intellectio præciſè eſt ſimplex objecti viſio, non termini productio : unde datur de facto in Beatis, ſecundùm Thomiſtas, intellectio objecti infiniti, non tamen productio verbi circa illud ; quia, ſecundùm ipſos, in viſione beatifica nullum verbum producitur : ergo dicendum eſt Verbum non produci per intellectionem, ſed per dictionem. Ex dictis hac Quæſtione

Reſol. 1. Non eſſe admittendam hanc Propoſitionem: *Pater intelligit Verbo* ; quia idem eſſet dicere, ac Pater eſt ſapiens ſapientia genita : quod importat rationem formæ vel principii cognoſcendi, cùm tamen Verbum non ſit Patri forma aut principium cognoſcendi, ſed ipſe intelligat intellectu & intellectione eſſentiali, ſeu tribus Perſonis communi : unde Auguſtinus, qui illam admiſerat lib. 83. q. 23. retractavit lib. 1. Retract. 26. imo 15. de Trinit. cap. 7. oſtendit, quòd ſi Pater intelligeret, ſeu ſaperet Verbo, etiam foret Deus verbo, quia idem eſt Patri ſapere, & Deum eſſe. Admitti tamen poteſt Propoſitio ſequens ; *Pater intelligit in Verbo*, quia licèt omnia intelligat in eſſentia tanquam objecto omnia repræſentante, dicitur tamen non tantùm Pater, ſed etiam Spiritus S. imò & ipſi Beati intelligere ſeu videre in Verbo ; quia ea quæ ad cognitionem pertinent, ſpecialiter Filio attribuuntur, eo quòd procedat per intellectum.

Reſol. 2. Admitti poſſe Propoſitionem ſequentem : *Pater dicit Verbo* ; quia idem eſt hac ſi diceretur : Pater, Verbo à ſe procedente, manifeſtat ſe & omnia alia quæ cognoſcit : nam ſicut verbo oris manifeſtamus ea, quæ cognoſcimus, ità Pater verbo mentis ſibi cognita patefacit. Appropriatè tamen Verbo attribuitur quod ſit omnium manifeſtativum, cùm hoc propriè competat ſcientiæ divinæ formaliter, & Deitati objectivè; & ideo oſtendit Filius omnia Patri, non ratione ſuæ perſonalitatis, ſed ratione ſcientiæ & eſſentiæ ſibi à Patre communicatæ,

Reſol. 3. Diſparitatem eſſet inter has Propoſitiones : *Pater intelligit Verbo, Pater dicit Verbo* ; quòd prima Propoſitio dicat quòd Pater ſit ſapiens ſapientia genita ; ſecunda verò, quòd Pater producat Verbum manifeſtativum Patris & aliorum.

Reſol. 4. Non debere admitti Propoſitionem ſequentem : *Pater & Filius ſpirant Spiritu S.* licèt poſſit hæc admitti : *Pater & Filius diligunt Spiritu S.* Ratio diſparitatis eſt quod prima ſonet quòd Pater & Filius per Spiritum Sanctum ſpirent aliquid aliud, quod falſum eſt; ſecunda verò tantùm velit quòd Pater & Filius producant Spiritum Sanctum qui eſt amor utriuſque, ſcilicet appropriatè : unde diligere in illa propoſitione non ſumitur merè eſſentialiter, ut volunt Molina, & Durandus, nam ſenſus illius eſſet : Pater & Filius diligunt ſe amore eſſentiali, qui appropriatur Spiritui Sancto, quod rejiciunt Doctores Seraphicus & Subtilis, aliàs etiam dici poſſent Pater & Filius boni Spiritu S. quandoquidem bonitas eidem approprietur. Nec etiam ſumitur merè notionaliter, ut vult D. Thomas ; nam, juxta eundem diligere notionaliter, & ſpirare ſunt idem : ſicut autem non dicuntur Pater & Filius ſpirare Spiritu S. ut diximus, nec eodem dicuntur diligere notionaliter ; adeoque reſtat ut in dicta Propoſitione *diligere* ſumatur partim notionaliter, partim eſſentialiter, ut docet Scotus 1. d. 32. q. 1. ita ut ſenſus ſit. Pater & Filius diligunt ſe principiativè Spiritu S. formaliter autem amore eſſentiali, qui appropriatur Spiritui S. qui eſt amor perſonalis.

Reſol. Denique, quòd Pater non dicatur intelligere Verbo, & tamen Pater & Filius dicantur diligere Spiritu S. inde oriri, quòd intelligere accipiatur merè eſſentialiter, diligere autem, accipi poſſit etiam notionaliter.

QUÆSTIO IV.

Quodnam ſit principium divinarum Proceſſionum.

PRincipium aliud *quod*, aliud *quo*. Principium *quod* eſt ipſum agens ſeu ſuppoſitum operans. Principium *quo* eſt id mediante quo ſuppoſitum agit. Eſtque hoc duplex ; remotum unum, ſeu radicale ; proximum alterum ſeu formale. Hæc omnia patent in productione ignis, ubi principium *quod* eſt ignis producens ; principium *quo* remotum, forma ſubſtantialis ejuſdem, & principium *quo* proximum illius calor.

CONCLUSIO I.

PRincipium *quod* divinarum proceſſionum ſunt Perſonæ Patris & Filii ; Perſona quidem Patris reſpectu generationis Filii, Perſonæ verò Patris & Filii reſpectu proceſſionis Spiritus Sancti.

Prob. Nec eſſentia divina, nec intellectus & voluntas ſunt principium *quod* illarum proceſſionum : ergo ſunt præfatæ Perſonæ ; cùm nihil aliud videatur aſſignabile. Prob. Ant. Principiū *quod* debet realiter diſtingui ab eo quod ab ipſomet principio procedit, cùm ſit oppoſitio relativa inter producens & productum, & nihil poſſit ſeipſum producere ; ſed Perſonæ productæ, nempe Filius, & Spiritus S. non diſtinguuntur realiter ab eſſentia divina, neque ab intellectu & voluntate : ergo. Unde in Concilio Lateran. decernitur eſſentiam divinam nec generare, nec ſpirare.

Nec refert, quòd eſſentia divina rectè dicatur creare ; quia licèt actiones ſint ſuppoſitorum *ut quod*, tamen etiam tribuuntur principiis formalibus, quando ea diſtinguuntur à terminis actionis : unde cùm terminis creationis, ſeu res creata diſtinguatur ab eſſentia divina, rectè dicitur creare, non tamen generare aut ſpirare ; quia terminus generationis aut ſpirationis ab illa non diſtinguitur. Ita ferè N. Herinx. De principio *quod* nulla reſtat difficultas : ſed tantùm de principio *quo*.

CONCLUSIO II.

PAternitas in Patre, & ſpiratio activa in Patre & Filio, non ſunt principia *quo* divinarum proceſſionum, ſed quidam modus principiorum.

Prob. 1. Pars unica eſt vis ſperandi in Patre & Filio, ut docent SS. Patres : ſed ſi Pater ſpiraret per Paternitatem, & Filius per filiationem, eſſet duplex ; cùm paternitas & filiatio realiter diſtinguantur : ergo. Præterea non generant homines per perſonalitatem, ſed per naturam : ergo nec Pater divinus generat per paternitatem &c. Denique illud eſt principium *quo* generationis, in quo genitum generanti aſſimilatur, ut dictum eſt ſuperiùs : ſed Filius non aſſimilatur Patri in paternitate, ſed, ut ita loquar, diſſimilatur : ergo &c. Accedit, quod Paternitas ſit actus generandi ſeu generatio ; & conſequenter ut ſic non eſt principium generationis.

Prob. 2. Pars, quia relationes modificant eſſentiam divinam, item intellectum & voluntatem : undè intellectus & voluntas in Patre ſunt fœcundi ad generandum & ſpirandum, non ſic in Spiritu S. in Filio autem voluntas eſt fœcunda, non tamen intellectus.

Obji. 1. contra primam Partem, Ambroſ. lib. 4. de Fide ad Gratian. c. 4. *Generatio*, inquit, *paternæ proprietatis eſt non potentiæ*. Et Athanaſius Dialogo 1. de Trin. *Pater hypoſtaſi gignit*: ergo Paternitas eſt principium generationis.

Reſp. Ad Ambroſium, quòd tantùm velit generationem in divi-

divinis non eſſe potentiæ abſolutè conſideratæ, ſed per Paternitatem modificatæ; & ideo dicit eſſe Paternitatis, ſcilicet quatenus potentiam modificantis. Ad Athanaſium verò, dico librum illum non eſſe Athanaſii, teſte Bellarm. lib. de Scriptoribus Eccleſ. ſed quidquid ſit

Reſp. Patrem gignere hypoſtaſi non tanquam principio, ſed tanquam modificante ipſum principium. Vel certè ſumit hypoſtaſim Patris pro actu generativo; Paternitas enim in Deo eſt generatio activa.

Obji. 2. Generatio convenit Patri & non Filio aut Spiritui Sancto: ſed non convenit Patri ratione eſſentiæ; aliàs conveniret & Filio & Spiritui S. ergo ratione Paternitatis, & conſequenter Paternitas eſt principium generationis.

Reſp. Diſt. Min. Non convenit Patri ratione eſſentiæ præcisè: C. ratione eſſentiæ modificatæ per Paternitatem: nego Min. & Conſeq. Quia non eſt neceſſe ut modificans ſit principium.

Inſt. Quia ratiocinari convenit homini & repugnat bruto, dicitur convenire homini ratione illius, per quod differt à bruto: ſed generare convenit Patri & non Filio: ergo convenit ipſi ratione illius per quod differt à Filio, ſcilicet Paternitatis.

Reſp. Diſt. Ma. Dicitur convenire homini ratione illius, per quod differt à bruto ſpecificè: C. Numericè & individualiter: N. Jam autem licèt Pater differat à Filio, non tamen ſpecificè, cùm non differat in eſſentia, ſed quaſi individualiter & numericè, ut loquitur D. Thom.

Obji. 3. In divinis ſola relatio producitur (eſſentia enim communicatur) ſed ad naturam pertinet eſſe principium naturæ: natura enim humana in patre eſt principium naturæ humanæ in Filio? ergo etiam ad relationem pertinet eſſe principium relationis.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd relationes non tantùm in humanis, ſed etiam in divinis non ſint operativæ, ſaltem ad intra, aliàs nulla videtur ratio cur non poſſet Spiritus S. generare & ſpirare ſua perſonalitate.

Obji 4. In divinis eſſentia non generat, ut diximus, nec intellectus generat, cùm videatur par ratio: ergo Paternitas, cùm nihil appareat aliud.

Reſp. Neg. Conſeq. Et dico nec Eſſentiam, nec intellectum, nec Paternitatem generare, quia hoc ſonat principium *quod*, qualis eſt Pater, & non Paternitas, nec eſſentia, nec intellectus.

Obji. 5. Paternitas dat eſſe Patri: ergo dat & operari, ſeu generare & ſpirare, cùm ſit imperfecta forma, quæ dat eſſe & non operari.

Reſp. Neg Conſeq. Quia licèt dans eſſe ſpecificum det operari, non tamen dans eſſe quaſi individuale, quale dat Paternitas Patri. Ad probationem nego, univerſaliter loquendo, formam eſſe imperfectam, quæ non dat operari; aliàs eſſet imperfecta Perſonalitas Spiritus S. cum det illi eſſe, & non operari ad intra.

Obji. 6. Datur diſtinctio realis inter principium & principiatum: ſed illa eſt tantùm inter relationes: ergo relatio eſt principium.

Reſp. Majorem eſſe veram de principio *quod*, non de principio *quo* ſaltem univerſaliter loquendo.

Inſt. Principium *quo* eſt magis principium, ut ita loquar, quàm principium *quod*, cùm illud ſit principium ratione ſui, hoc autem nonniſi ratione principii *quo*.

Reſp. Quòd licèt principium *quo* ſit aliquo ſenſu magis principium, quàm principium *quod*, non eſt tamen principium completum & ultimatum, ſicut principium *quod*; cùm non habeat omnia requiſita ad principiandum, non illud. Et ſic non ſequitur ex eo quòd debeat eſſe diſtinctio realis inter principium *quod* & principiatum, requiratur etiam inter principium *quo* & terminum productum, cùm potiùs debeat diſtingui à principiato principium adæquatum, quàm inadæquatum.

CONCLUSIO III.

Eſſentia divina eſt principium *quo*, ſaltem remotum, divinarum proceſſionum. Eſt communis.

Prob. 1. Ex SS. PP. Dionyſio de divin. nomin. cap. 2. ubi Filium & Spiritum S. appellat *fœcundæ divinitatis gemmas & germina*. Damaſceno. lib. 1. de Fide cap. 8. ubi ait: *Generatio eſt naturæ non ſicut generantis, ſed ſicut ejus quo generat*; ſcilicet Pater. Cyrillo lib. 1. Theſauri cap. 7. ubi aſſerit *generativam virtutem eſſe eſſentiam Dei*.

Prob. 2. Ex Concilio Florent. ubi Joannes Theologus Seſſ. 18. ſic loquitur: *Patris Perſona ſuppoſitum eſt atque generans; divina verò natura generativum principium quo Pater Filium generat*. Et ſuperiùs: *Divina ſubſtantia, quæ cum Patre realiter idem eſt, non quidem generat, ſed eſt principium quo generatio fit* unde Patres unanimiter aſſerunt Filium eſſe natum de ſubſtantia Patris, idem eſt de Spiritu S. quod etiam clariſſimè iterum exprimit Joannes Theologus Seſſ. 19. ubi ait: *Filius eſt ex ſubſtantia Patris, & S. Spiritus ex Patris, Filiique ſubſtantia*.

Prob. 3. Illud eſt principium *quo* proceſſionis, in quo genitum aſſimilatur generanti: ſed Filius aſſimilatur Patri, & Spiritus S. Patri & Filio in eſſentia: ergo. Minor certa eſt: Prob. Ma. Quia producens non aſſimilat ſibi productum niſi in forma, qua agit; ignis enim genitus non eſt ſimilis igni generanti, niſi in natura qua agit ignis generans.

Dices 1. Principium non poteſt identificari principiato, ſed eſſentia divina identificatur Filio & Spiritui S. ergo &c.

Reſp. Diſt. Maj. Principium *quod* non poteſt identificari principiato: C. nam non poteſt aliquid ſeipſum producere, ut diximus. Principium *quo*, Subdiſtinguo: In divinis: N. in creatis: C. & ratio diſparitatis eſt, quòd agens divinum aſſimilat ſibi productum in eadem numero natura; agens autem creatum nonniſi in eadem natura ſpecificè.

Dices 2. In Filio eſt eſſentia divina, item in Spiritu S. ſed Filius non poteſt generare, & Spiritus Sancti non poteſt ſpirare: ergo eſſentia divina non eſt principium *quo* divinarum proceſſionum.

Reſp. Diſt. Ma. In Filio eſt eſſentia divina fœcunda ad generandum, & in Spiritu S. fœcunda ad ſpirandum: N. Eſt eſſentia divina habens terminum adæquatum ſuæ fœcunditatis: C. & ideo licèt ſit in Filio & Spiritu S. eſſentia eadem, quæ eſt in Patre, quia tamen in Patre antequam concipiatur generaſſe Filium, & ſpiraſſe Spiritum S. eſt adhuc fœcunda, ideo poteſt generare, quod non poteſt Filius; & ſpirare, quod non poteſt Spiritus S. ut fusè dictum eſt ſuperiùs.

CONCLUSIO IV.

Eſſentia divina, ut ab intellectu & voluntate formaliter diſtincta, non eſt principium *quo* proximum generationis & ſpirationis; ſed intellectus & voluntas. Hæc eſt communis Scotiſtas inter & Thomiſtas.

Prob. 1. Pars, quæ eſt contra Durandum, 1. ex Scriptura, quæ ſæpe vocat ſecundam Trinitatis perſonam *Verbum* & tertiam *Charitatem* vel *amorem productum*: ſed nec Verbum, nec amor immediatè procedit à natura, ut patet in nobis, ſed Verbum ab intellectu, & amor à voluntate: ergo &c. Idem probant SS. Patres, quos refert Fraſſen. pag. 548.

Prob. 2. Ratione: Si natura divina eſſet principium *quo* immediatum divinarum proceſſionum, cur una Perſona procederet à ſolo Patre, & altera à Patre & Filio? Cur una proceſſio eſſet generatio, & non altera? Cur generatio eſſet prior ſpiratione? Certè non videmus, cùm eſſet idem omnino principium immediatum utriuſque proceſſionis, & nulla ſit ratio in illo ſuppoſito cur Filius ſit prior origine quàm Spiritus Sanctus, aut cur Spiritus Sanctus procedat à duabus Perſonis potiùs quàm Filius &c. ut ſatis patet. Admittendo autem intellectum eſſe principium *quo* immediatum generationis Filii, & voluntatem ſpirationis Spiritus S. ab illis difficultatibus liberamur.

Dices 1. Aliqui Patres vocant proceſſionem Filii opus naturæ: ergo &c.

Reſp. Diſt. Ant. Vocant opus naturæ, quia immediatè & proximè procedit à natura: N. quia procedit à natura radicaliter & mediante intellectu: C.

Dices 2. Creaturæ ſunt fœcundæ ad producendum, non per intellectum aut voluntatem, ſed per ſolam naturam: ergo & Deus.

Reſp. Diſt. Ant. Creaturæ corporales: Tranſeat. Dico *Tranſeat*, quia etiam illis non à natura immediatè, ſed mediante aliqua potentia competit fœcunditas generativa. Creaturæ ſpirituales: N. illæ enim verè producunt per intellectum & voluntatem; nam intellectus cum objecto parit rei notitiam, & voluntas amorem ejuſdem, licèt notitia & amor a creaturis ſint accidentia, In Deo autem ſubſtantiæ perſonales cujus ratio eſt, quòd in creaturis poſſint adeſſe vel abeſſe, non ſic in Deo propter immutabilitatem &c.

Prob. 2. Pars quia aſſignatis intellectu & voluntate tanquam principiis *quo* immediatis & proximis, ſatis facilè explicatur ordo divinarum proceſſionum: quod vix aut ne vix explicari poteſt aſſignando naturam. Deinde datur principium *quo* immediatum illarum proceſſionum, non natura, aut relationes, ut diximus: ergo intellectus & voluntas; cùm nihil poſſit commodiùs aſſignari.

Digitized by Google

QUÆSTIO V.

In quo differat proceſſio Filii à proceſſione Spiritus Sancti?

CONCLUSIO I.

PRima differentia inter proceſſionem Filii, & proceſſionem Spiritus ſancti, eſt quòd illa ſit à ſolo Patre, hæc autem à Patre & Filio; ſed de hoc fuſius poſteà.

CONCLUSIO II.

SEcunda differentia eſt quòd prima ſit per intellectum, ſecunda verò per voluntatem, & ideò Filius dicitur Verbum, & Spiritus ſanctus amor: ſicut ergo nos intelligendo rem aliquam, verbum, ſeu conceptum mentis producimus, ideſt, vitalem ipſius rei intellectæ imaginem efformamus, ità etiam Deus Pater intelligendo ſeipſum producit Verbum, ſeu vitalem imaginem ſui ipſius, nempe Filium. Præterea ſicut nos diligendo aliquod objectum, producimus vitalem propenſionem in rem dilectam, ita Pater & Filius amando ſuam eſſentiam producunt Spiritum S. qui eſt propenſio ſeu inclinatio vitalis in rem amatam.

Dices; Ex eo quod una proceſſio ſit per intellectum, altera per voluntatem, malè infertur ipſas differre, cùm intellectus & voluntas non diſtinguantur realiter.

Reſp. Licèt ex eo præcisè quod una proceſſio ſit per intellectum, altera per voluntatem, non ſequatur quòd una diſtinguatur realiter ab altera (ſicut revera diſtinguuntur, cùm ſit talis diſtinctio inter proceſſiones, qualis eſt inter Filium & Spiritum S.) ſequitur tamen quòd aliqualiter diſtinguantur, cùm actus intellectus non ſit formaliter actus voluntatis.

Porrò ratio diſtinctionis realis inter utramque proceſſionem, oritur ex oppoſitione reali, quæ requirit extrema realiter inter ſe diſtincta. Licèt autem proceſſio Filii non opponatur immediatè proceſſioni Spiritus ſancti, ſicut opponuntur Paternitas & Filiatio, ſpiratio activa & paſſiva; opponuntur tamen ratione alicujus identificati; nam cùm proceſſio Filii ſit identificata ſpirationi activæ, & proceſſio Spiritus ſancti ſpirationi paſſivæ, ſpiratio autem activa & paſſiva immediatè opponantur, mediantibus illis opponuntur etiam proceſſio Filii, & proceſſio Spiritus ſancti.

CONCLUSIO III.

TErtia differentia & magis in Scholis agitata eſt quòd proceſſio Verbi ſit propriè generatio, non item proceſſio Spiritus Sancti.

Prob. 1. Pars, quæ eſt de Fide: 1. Ex Script. Pſal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. 2. Ex Symbolo Athanaſii: *Filius à Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus*. 3. Quia competit ipſi definitio generationis, cùm ſit. 1. *Proceſſio naturalis*, ideſt, per intellectum, qui cenſetur natura, ſeu agens naturaliter. 2. *Viventis à vivente*, Filii ſcilicet, habentis vitam in ſemetipſo, à Patre vivente ſibi communicatam: nam *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ità dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo*, Joan 5 cap. 3. *Et principio conjuncto*, quod denotant verba Pſalm. 109. *Ex utero genui te*, ideſt, ex memoria fœcunda, per quam Pater conjungitur Filio; quandoquidem ipſius memoriæ ſeu intellectus fœcundi actus ſit ipſemet Filius 4. *In ſimilitudinem naturæ*, cùm Filius dicatur in Scriptura: *Imago Dei, Figura Patris* &c. imò non tantùm eſt ſimilitudo, ſed identitas, cùm ſit eadem ſpecie & numero natura geniti & generantis: quod maximè hanc generationem extollit ſuper omnes creatas; quia licèt generans creatus ità tendat in naturæ ſimilitudinem, ut, ſi poſſet, ſuammet numero naturam genito communicaret, id tamen propter ſuam limitationem reipſa non facit, ſicut generans increatus. Ex quibus ſequitur Filii proceſſionem eſſe generationem ſtrictè ſumptam, cùm ipſi competant omnes generationis particulæ.

Secunda Pars, quæ eſt etiam de Fide, Prob. 1. Ex Scripturis vocantibus Filium *Unigenitum* ut Joan. 1. & 4. quod falſum eſſet, ſi Spiritus ſanctus eſſet etiam genitus: unde quando Rom. 8. Chriſtus dicitur *Primogenitus in multis fratribus*, loquitur Apoſtolus de fratribus, non ſecundùm naturam, quandoquidem nec ex Patre ut Deus, nec ex Matre ut homo fratres habuerit, ſed ſecundùm gratiam adoptionis, quales ſunt fideles, quos ipſemet fratres vocare dignatus eſt.

Prob. 2. Ex Symbolo Athanaſii: *Spiritus ſanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens*: unde Spiritus ſancti proceſſio vocanda eſt vel communi nomine *Proceſſio*, vel ſpeciali *Spiratio*. Hæc certa ſunt, ſed aſſignare præcisè rationem, cur proceſſio Spiritus Sancti non ſit generatio, ſicut eſt proceſſio Filii, hoc opus, hic labor eſt: undè Damaſcenus lib. 1. de Fide cap. 10. *Generationem & proceſſionem inter ſe differre compertum habemus, cæterum quis hujus differentiæ modus ſit, prorſus nos fugit*. Et Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum cap. 14. *Diſtinguere autem inter illam generationem, & hanc proceſſionem, neſcio, non valeo, non ſufficio*. Nihilominus ne rem intactam relinquamus, aliquid pro modulo noſtro dicere tentabimus.

QUÆSTIO VI.

Cur proceſſio Spiritus ſancti non ſit generatio?

VArii varias proferunt rationes. Thomiſtæ volunt ideò præcisè proceſſionem Spiritus S. non eſſe generationem; quia cùm ſit per voluntatem, non eſt per ſe & formaliter aſſimilativa objecti, nec de ſe ordinat ad illius ſimilitudinem exprimendam, ſicut intellectus operatio: unde licèt Spiritus ſanctus habeat per proceſſionem quòd ſit ſimilis & conſubſtantialis ſuo principio adæquato, cùm eandem habeat ſpecie & numero naturam; non tamen ex vi proceſſionis formaliter, cujus eſt, non per modum ſimilitudinis, ſed per modum inclinationis vitalis in objectum tendere, ſed materialiter & quaſi per accidens, eo quòd ſit in divinis, ubi ratione infinitatis eſſentiæ & voluntatis, nihil niſi infinitum & conſubſtantiale oritur.

Richardus cum quibuſdam aliis ſiſtinet Spiritus ſancti proceſſionem non eſſe generationem, quia licèt per illam procedat in ſimilitudinem naturæ, non tamen in ſimilitudinem naturæ fœcundæ, ſeu cum potentia formali & proxima naturam alteri perſonæ communicandi, ſicut procedit Filius. Aliam rationem adferunt DD. Seraphicus & Subtilis cur proceſſio Spiritus ſancti non ſit generatio; quia ſcilicet non procedit naturaliter ſeu per modum naturæ: unde D. Bonaventura in Compendio Theolog. lib. 1. cap 7 aſſerit *proprium Filio procedendi modum eſſe inſtar naturæ*. Hanc triplicem rationem triplici Concluſione breviter perpendemus.

CONCLUSIO I.

PRima ratio non videtur admittenda.

Prob Quia licèt voluntas humana aut angelica non ſit aſſimilativa objecti, utpotè tendens in illud, non per modum ſimilitudinis, ſed per modum inclinationis vitalis; de facto tamen aſſimilativa eſt voluntas divina, cùm producat terminum ejuſdem planè naturæ cum principio producente.

Confirm. 1. Ideò intellectus dicitur objecti aſſimilativus, quia exprimit perfectam objecti ſimilitudinem: ſed voluntas divina non minùs perfectam ponit termini ſui ſimilitudinem: ergo. Imò intellectus humanus & angelicus dicuntur aſſimilativi, quia exprimunt imaginem objecti tantùm intentionalem: ergo à fortiori voluntas divina, quæ ponit termini ſui ſimilitudinem naturalem & conſubſtantialem. Præterea dicitur homo generans aſſimilativus, licèt det tantùm proli eandem ſpecie naturam, quidni voluntas divina diceretur aſſimilativa, cùm det termino eandem numero cum principio naturam?

Confirm. 2. Tota ratio cur dicunt Thomiſtæ voluntatem divinam non eſſe aſſimilativam per ſe & formaliter, eſt quia voluntas ut ſic non eſt aſſimilativa: ſed poteſt illud competere voluntati divinæ, licèt non competat voluntati ſic: ergo. Prob. Min. Quia ſicut intellectui divino competit eſſe generativum per ſe & formaliter, licèt illud non competat intellectui ut ſic, cùm intellectus creatus tantùm producat imaginem ſui intentionalem, non realem, ità competere poteſt voluntati divinæ eſſe per ſe & formaliter aſſimilativam, licèt non competat voluntati ut ſic: unde ratio illa magis videtur fulciri authoritate, quàm ſolido fundamento.

Dices 1. Voluntas ex natura ſua non producit niſi quoddam pondus, quandam inclinationem: ergo ex ſe nõ eſt aſſimilativa.

Reſp. Diſt. Ant. Voluntas creata. C. increata: N. habet enim ex natura ſua producere terminum omninò ſibi in natura ſimilem: unde ſicut intellectus increatus habet ex natura ſua producere ſui imaginem realem, licèt creatus habeat producere tantùm intentionalem; ità voluntas increata habet ex ſuis intrinſecis producere terminum ſibi realiter ſimilem, licèt creata tantùm producat affective ſimilitudinem metaphoricam, ratione cujus duo amantes dicuntur unum.

Dices 2. Scriptura & PP. Filio ſpecialiter attribuunt eſſe imaginem & figuram Patris; ſed hoc potiùs ipſi attribuunt, quàm Spiritui ſancto, quia procedit ille ut ſimilis ex vi proceſſionis ſuæ, & non Spiritus ſanctus: ergo &c.

Reſp. Neg Min. Et dico rationem cur ſimilitudo potiùs ſecundæ Perſonæ tribuatur, quàm tertiæ, inde oriri, quòd Filius ſit ſimilis Patri, non tantùm in natura ſicut Spiritus S. ſed etiam in fœcunditate, ſaltem in ordine ad ſpirandum.

CONCLUSIO II.

NOn videtur etiam admittendum, quòd Spiritus ſancti proceſſio ideò præcisè non ſit generatio, quia per illam Spiritus ſanctus non accipit naturam fęcundam, ſicut accipit Filius.

Prob. Quia non eſt de ratione generationis quòd genitus accipiat per eam, naturam fęcundam, ſed præcisè naturam ſimilem, ut patet ex ejus definitione, ubi ponitur: *In ſimilitudinem naturæ* tantùm, & non *naturæ fœcundæ:* unde omninò impertinens eſt ad generationem, ſive natura producta ſit fœcunda, ſive non, modò ſit reipſa ſimilis naturæ generantis; & ideò non deficit ex hac parte à ratione generationis proceſſio Spiritus S.

Dices 1. Spiritus ſanctus per hoc quòd non accipiat naturam fœcundam ad generandum, non procedit ut ſimilis Patri, & Filio, qui habent naturam fœcundam: ergo per hoc ejus proceſſio non eſt generatio.

Reſp. 1. Retorquendo Argumentum: Filius, per hoc quòd non accipiat naturam fœcundam ad generandum, non procedit ut ſimilis Patri, qui illam habet: ergo per hoc ejus proceſſio non eſt generatio.

Reſp Diſt. Ant. Non procedit ut ſimilis ſecundùm eſſentialia: N. ſecundùm notionalia: C. Carentia autem fœcunditatis, non eſt carentia alicujus eſſentialis, ſe notionalis, nempè generationis & ſpirationis activæ, quod non ſpectat ad eſſentiam, ſeu naturam, ſecundùm quam attenditur ſimilitudo in divinis.

Dices 2. Baſilius lib. contra Eunom. cap. 12. ſic loquitur de Spiritu S *Quòd ſi Filius ex Filio natus eſt, ex hoc utique alius natus eſſet* &c. ergo ſupponit ad Filium ſeu genitum requiri quòd ſit fœcundus.

Reſp. Illa verba ſupponere quidem Filium eſſe fœcundum, non requirere tamen neceſſariò fœcunditatem in producto ut dicatur Filius, ſeu genitus, ut illa conſideranti patebit.

CONCLUSIO III.

TErtia ratio cur proceſſio Spiritus ſancti non ſit generatio, ſcilicet quia non eſt per modum naturæ, eſt optima, & aliis præferenda.

Prob. 1. Ex refutatione aliarum rationum.

Prob. 2. Generatio eſt opus naturæ: ergo debet naturaliter procedere, ſeu ab agente naturali, quale eſt intellectus, qui eſt naturaliter ad agendum determinatus: atqui voluntas, etiam divina, non eſt agens naturale, ſed voluntarium & liberum libertate eſſentiali, etiam reſpectu proceſſionis Spiritus Sancti: ergo &c.

Dices: Auguſtinus Tract. 48. in Joan ſic de ſecunda SS. Trinitatis Perſona loquitur: *Quia verbum, ideò Filius:* ergo non eſt ideò Filius ſeu genitus, quia procedit per modum naturæ, & conſequenter ratio, cur Spiritus ſanctus non ſit genitus, non eſt quia non procedit per modum naturæ.

Reſp. Diſt. Conſeq. Non eſt ideò immediatè Filius, quia procedit per modum naturæ: Tranſeat. Non eſt ideò, ſaltem remotè: N. nam ſi ideò Filius quia Verbum, ideò Verbum, quia ſuo modo procedit per modum naturæ; quandoquidem ideò ſit Verbum, quia eſt per intellectum, qui eſt agens naturale. Idem dic ad aliquos Patres.

QUÆSTIO VII.

Quis ſit terminus divinarum proceſſionum?

NOn agimus de termino à quo; certum eſt enim in divinis nullum eſſe propriè dictum; nam cùm terminus ille ſit privatio illius quod producitur, in divinis autem nunquam fuerit privatio perſonæ productæ, clarum eſt non eſſe talem terminum. Dici tamen poſſet eſſe terminum à quo ſumptum pro eo, unde aliquid oritur; ſubſtantia enim Patris eſt id unde oritur Filius, & ſubſtantia Patris & Filii, id unde oritur Spiritus S. ſed agimus de termino ad quem, qui poteſt eſſe duplex, formalis, & totalis. Formalis eſt id, quod confert illud, quod per ſe & primo, intenditur in proceſſionibus divinis. Totalis verò eſt perſona producta ſecundùm totum ſuum eſſe tam eſſentiale, quàm perſonale. Et de hoc utroque termino hic agimus.

CONCLUSIO I.

TErminus totalis divinarum proceſſionum, eſt tota perſona producta.

Prob. 1. Ex PP. Ambroſio de divinitate Filii c. 7. ubi ait. *Tantus eſt Filius, quantus videbitur eſſe Pater, totus de toto, integer de integro, perfectus de perfecto.* Hilario 7. de Trinit. *unum,* inquit, *ex uno, & totum à toto, Deum & Filium* Nazianzeno Orat. 52. ubi Filium vocat *perfectum de perfecto, totum à toto, plenum à pleno,* Idem habet Auguſtinus pluribi.

Prob. 2. Illud eſt terminus totalis proceſſionis, quod ſimpliciter & abſolutè dicitur procedere: ſed non ſola natura divina, aut ſola relatio dicitur procedere, ſed ſimpliciter Filius & Spiritus ſanctus: ergo. Undè Florent. Seſſ. 18. aſſerit *proceſſionem eſſe qua Spiritus Sanctus accipit eſſe ac illud totum quo eſt, quoque proprie Spiritus Sanctus nuncupatur.* Hinc

Reſol. 1. Patrem verè & perfectè generare totum Filium; quia licèt rigoroſè loquendo producat ſolam filiationem, & non eſſentiam (illam enim nec producit, nec producitur) quia tamen eſſentiam verè communicat, dicitur ſimpliciter & abſolutè Filium generare: & certè ſi in humanis Pater dicatur generare filium, cùm tamen ejus animam, quæ eſt pars hominis præcipua, nec producat nec communicet, quidni diceretur Pater in divinis ſimpliciter generare Filium, cùm filiationem producat, & eſſentiam communicet.

Reſol 2. Filium eſſe terminum generationis, & Spiritum ſanctum ſpirationis, non tantùm ſecundùm relationem, ſed ſecundùm ſe totum, id eſt, tam ſecundùm eſſe eſſentiale, quàm perſonale.

CONCLUSIO II.

TErminus formalis divinarum proceſſionum eſt eſſentia divina. Ità Scotus 1. d. 5. q. 2. & alibi.

Prob. 1. Natura divina confert quod per ſe & 1. intenditur in proceſſionibus divinis, ſcilicet ut Perſona procedens ſit *Deus:* ſed conferens quod per ſe & 1. intenditur in proceſſione, ſeu productione eſt terminus formalis illius, ergo.

Prob. 2. Si relatio eſſet terminus formalis, proceſſiones divinæ eſſent æquivocæ; quandoquidem generans & genitus non haberent nomen commune: quod enim ſignificatur per filiationem non eſt commune Patri: ergo non relatio, ſed eſſentia ratione cujus tres Perſonę in nomine communi *Deus* conveniunt, eſt terminus formalis. Deindè in creatis terminus formalis productionis eſt natura, quidni & in divinis?

Dices 1. Eſſentia divina eſt terminus à quo: ergo non poteſt eſſe terminus ad quem.

Reſp. Diſt. Conſeq. Non poteſt eſſe terminus ad quem, in eadem Perſona, in qua eſt terminus à quo: C. in alia Perſona. N. Cùm ergo ſit eadem natura in Patre & Filio; quatenus eſt in Patre dicitur terminus à quo, quatenus in Filio, terminus ad quem.

Dices 2. Non eſſentia divina, ſed relatio habet rationem formæ conſtitutivæ in termino totali: filiatio enim, & non eſſentia conſtituit Filium: ergo non eſſentia, ſed relatio eſt terminus formalis.

Reſp. Relationem habere quidem rationem formæ conſtitutivæ in eſſe perſonali, non tamen ſubſtantiali, quod facit eſſentia divina: undè licèt Filius habeat ſuam realitatem in eſſe perſonali à filiatione, habet tamen in eſſe eſſentiali à natura divina.

Dices 3. Terminus totalis dicitur productus ratione termini formalis: ſed eſſentia divina non dicitur produci, cùm revera non producatur: ergo nō ipſa, ſed relatio eſt terminus formalis.

Reſp. Neg. Ma. Quia dicitur productus ratione illius quod producitur, ſive interim illud ſit terminus formalis, ſive non. Et certe dicitur homo productus ſimpliciter, licèt humanæ productionis terminus formalis, qui eſt ipſa natura, tantùm producatur ſecundùm partem ſui minùs principalem, nempè ſecundùm corpus, non ſecundùm animam.

QUÆSTIO VIII.

Quibus objectis fœcundetur intellectus Patris, antequam generet Filium & quibus utriuſque voluntas antequam ſpirent Spiritum ſanctum?

PRocedit Quæſtio de illo inſtanti, quo necdum concipimus Filium à Patre procedere, nec Spiritum S. ab utroque, & quæritur quænam objecta pro tunc attingantur ab intellectione & volitione eſſentialibus; nam cùm intellectus divinus priùs ſit operativus quàm productivus, id eſt, priùs intelligens, quàm dicens, & voluntas priùs ſit operativa, quàm productiva, id eſt,

priùs amaus, quàm ſpirans quandoquidem eſſentialia in divinis, qualia ſunt intelligere & velle, ſint priora notionabilibus, qualia ſunt dicere & ſpirare, debet quoddam objectum ab intellectione eſſentiali attingi antequam producatur Filius, & quoddam à volitione eſſentiali antequam producatur Spiritus S. Sed ante reſolutionem.

Suppono 1. Verbum divinum, ſeu Filium ex nullius rei cognitione procedere, ſed bene ab ipſomet intellectu immediatè: nam ſicut intellectio noſtra actualis, quæ eſt verbum noſtrum, immediatè procedit ab intellectu ut ſpecie informato, ità Verbum divinum gignitur & immediatè ab intellectu & objecto illum fœcundante; & ideò quæſivimus quibus objectis fœcundetur intellectus &c. Idem dic cum proportione de Spiritu ſancto.

Suppono 2. Objecta illa, de quibus eſt quæſtio, poſſe eſſe eſſentiam divinam cum omnibus Attributis, Perſonas divinas, creaturas futuras & merè poſſibiles. Et quoad illa omnia reſolvetur Quæſtio.

CONCLUSIO I.

INtellectus Patris (idem eſt cum proportione de voluntate Patris & Filii reſpectu proceſſionis Spiritus ſancti) non fœcundatur intellectione creaturarum, ſive futurarum, ſive merè poſſibilium, antequam generet Filium, adeoque nec ex ipſis tanquam objectis intellectum fœcundantibus procedit Verbum. Ità Scotus 1 d 18.q.un n 5. & alibi cum DD communiter.

Prob. 1. De creaturis futuris: priùs eſt omnes Perſonas eſſe conſtitutas, quàm creaturas eſſe futuras: ergo cognitio creaturarum futurarum non poteſt fœcundare intellectum Patris antequam ſit Filius, nec earundem amor, utriuſque voluntatem, antequam ſit Spiritus S. Prob. Ant. Quia ſicut creaturæ accipiunt ſuum eſſe actuale à tribus Perſonis (opera enim Trinitatis ad extra ſunt indiviſa, ſeu communia omnibus perſonis) ità & eſſe futuritionis.

Prob. 2. Si nullæ futuræ eſſent creaturæ, idem procederet Verbum, idemque Spiritus S. & quidem eodem modo; ſed tunc non procederet Verbum ab intellectu Patris, illarum cognitione fœcundato, nec Spiritus ſanctus ab utriuſque voluntate earumdem amore fœcundata: ergo.

Prob. 3. In divinis neceſſaria ſunt propria liberis: ſed proceſſio Verbi eſt neceſſaria & cognitio creaturarum futurarum eſt libera, ſicut & liber eſt earumdem amor; quandoquidem hic & illa præſupponant decretum Dei liberum de illarum futuritione: ergo.

Dices: Decretum de futuritione rerum eſt à ſola Dei voluntate, ſed voluntas eſt in Patre antequam ſit Filius: ergo & decretũ de rerum futuritione, & cõſequenter illarum cognitio & amor.

Reſp. Diſt. Ma. Eſt à ſola Dei voluntate pro inſtanti quo nondum concipitur genitus Filius: N. Pro inſtanti quo concipiuntur conſtitutæ Perſonæ: C. nam, ut dixi, ſicut à tota Trinitate accipiunt eſſe actuale, ità & eſſe futuritionis.

Prob. 1. De creaturis poſſibilibus: Priùs in Deo Intellectus & voluntas terminantur ad objectum intrinſecum, quàm extrinſecum: ſed creaturæ poſſibiles ſunt ipſis objectum extrinſecum, ut patet; Perſonæ autem Filii & Spiritus ſancti objecta intrinſeca, cùm ſint ipſis identificata: ergo.

Prob. 2. Quando aliquid natum eſt movere potentiam ad terminum infinitum, & finitum, priùs movet ad infinitum, quàm finitum, cùm illud ſit objectum primarium, hoc ſecundarium: ſed eſſentia divina nata eſt movere intellectum divinum tum ad productionem Verbi, qui eſt terminus infinitus, tum ad cognitionem creaturarum poſſibilium, quæ ſunt termini finiti: ergo priùs movet ad Verbi productionem, quàm ad creaturarum cognitionem: & conſequenter hæc non poteſt illi præſupponi.

Confirm. Utraque Pars: Sine cognitione & amore creaturarum futurarum & poſſibilium, intellectus & voluntas in Deo plenè & adæquatè fœcundantur ad productionem Verbi, & Spiritus ſancti: ergo illarum cognitio & amor non neceſſariò illi præſupponuntur. Prob. Ant quia fœcundantur cognitione & amore eſſentiæ divinæ, in qua quidquid eſt entis & perfectionis in creaturis & poſſibilibus longè nobiliori modo continetur.

Obji. 1. Dei cognitio terminatur quolibet inſtanti ad quamlibet veritatem: ſed creaturæ poſſibiles habent pro tunc ſuam veritatem: ergo.

Reſp. Diſt. Maj. Terminatur ad quamlibet veritatem cognoſcibilem: C. non cognoſcibilem: N. Jam autem pro illo inſtanti rationis veritas creaturarum poſſibilium non eſt cocognoſcibilis, cùm intellectus divinus priùs reſpiciat Verbum, quàm creaturas.

Obji. 2. Pater pro tunc comprehendit ſuam eſſentiam: ergo novit creaturas poſſibiles: Prob. Conſeq. Non poteſt comprehendi eſſentia divina, niſi cognoſcatur omnipotentia: ſed hæc non poteſt cognoſci, niſi cognoſcantur termini, quos neceſſariò reſpicit, quales ſunt creaturæ poſſibiles: ergo.

Reſp. Patrem comprehendere ſuam eſſentiam ſecundùm illud omne quod eſt pro tunc comprehenſibile, quales non ſunt creaturæ poſſibiles; quandoquidem natura divina poſtulet ſe priùs communicare Filio ad intra, quàm reſpicere creaturas, etiam ſub eſſe poſſibili, tanquam terminum ſuæ omnipotentiæ. Licèt ergo non poſſit in aliquo inſtanti reali comprehendi omnipotentia divina, niſi cognoſcantur creaturæ poſſibiles, poteſt tamen in aliquo inſtanti rationis.

Dices: Omnipotentia eſt potentia ad omnia: ergo nullo inſtanti poteſt illa cognoſci, niſi cognoſcantur omnia, adeoque & creaturæ poſſibiles.

Reſp. Diſt. Ant Omnipotentia tam ſecundùm principium, quàm ſecundùm terminum conſiderata, eſt potentia ad omnia: C. præcisè ſecundùm principium conſiderata, prout conſideratur in noſtro caſu: N. ut ſic enim eſt potentia infinita, ſeu infinitæ virtutis, quæ in Deo eſſet, etiamſi nullæ creaturæ forent poſſibiles.

Obji. 3. Pater communicat Filio cognitione rerum poſſibilium: ergo illam habet, antequam producat Filium.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia ut illam communicet Filio, ſatis eſt ſi habeat eodem inſtanti reali quo producit Filium, licèt in priori inſtanti rationis necdum intelligatur habere.

Obji. 4. Pater eadem intellectione ſeipſum intelligit & creaturas: ſed intellectio qua ſeipſum intelligit eſt prior Filii proceſſione: ergo. Prob Min. Quia intellectio illa eſt Deo eſſentialis, adeoque prior proceſſionibus, cùm eſſentialia ſint priora notionalibus.

Reſp. Diſt. Ma. Eadem intrinſecè: C. eadem terminativè: N. & hoc ſufficit ut concipiatur priùs ad unum terminari, quàm ad aliud.

CONCLUSIO II.

INtellectus Patris fœcundatur cognitione eſſentiæ divinæ adæquatè ſumptæ, antequam generet Filium, Patris autem & Filii voluntas amore ejuſdem, antequam ſpirent Spiritum S. Eſt communis inter Scotiſtas, & Thomiſtas.

Prob. Eſſentia divina adæquatè ſumpta, ideſt, cum omnibus ſuis perfectionibus abſolutis, eſt prior proceſſionibus Filii & Spiritus ſancti: ergo præſupponitur cognita & amata; cùm intellectus divinus non poſſit non intelligere ſummè verum, nec poſſit voluntas divina non amare ſummè bonum.

CONCLUSIO III.

INtellectus Patris fœcundatur cognitione & amore ſui ipſius antequam generet Filium. non tamen cognitione aut amore ipſiuſmet Filii, & Spiritus ſancti.

Prob. 1. Pars. Pater eſt prior origine Filio: ergo priùs cognoſcibilis & amabilis, & conſequenter priùs cognitus & amatus, cùm Deus cognoſcat omne cognoſcibile; eo ipſo quo eſt cognoſcibile, & diligat omne amabile, eo ipſo quo eſt amabile.

Dices: Scotus 2.d.1.q 1.n.14. aſſerit generationi Verbi tantũ præſupponi cognitionem objecti primarii, ſeu eſſentiæ: ergo.

Reſp. Diſt. Ant Aſſerit tantùm præſupponi &c. ita ut ly *tantùm* excludat objectum ſecundarium extraneum, quales ſunt creaturæ: C ita ut excludat objectum ſecundarium intraneum, quales ſunt Perſonæ divinæ: N. hocque colligitur ex ipſo ibidem n.3.

Nec indè ſequitur etiam præſupponi cognitionem. Filii & Spiritus ſancti; quia licèt comprehendantur ſub objecto ſecundario intraneo, quod non excludit Scotus, non ſunt tamen pro tunc cognoſcibiles, ut jam dicemus.

Prob. 2. Pars, priùs eſt rem eſſe, quàm cognoſci & amari: ſed pro tunc ſupponuntur necdum eſſe Filium & Spiritum S. ergo illorum cognitio & amor non poſſunt fœcundare intellectum Patris. Prob Ma. Ex Auguſt. lib 4. de Gen. ad litt. c. 32. *Niſi enim priùs ſit, quàm cognoſcatur, cognoſci non poteſt.*

Prob. 2. Filius & Spiritus S. pro tunc non ſunt actu & proximè intelligibiles, ſed tantùm virtute eſſentiæ, ex qua veluti pullulant: ergo non poſſunt fœcundare intellectum divinum ad producendam prolem. Patet exemplo productionis verbi noſtri: illa namque ſpecies impreſſa ſola fœcundat intellectum ad productionem verbi noſtri, quæ eſt actu ſeu proximè intelligibilis, non autem illa quæ tantùm eſt virtute & potentia intelligibilis.

Dices 1. Pater priùs cognoſcit ſeipſum, quàm generet Filium: ergo & priùs cognoſcit ipſum Filium. Prob. Conſeq. Quia correlativa ſunt ſimul cognitione.

Reſp. Diſt. Ant. Priùs cognoſcit ſeipſũ ſub ratione correlativi

ad Filium: N. cùm enim tunc ſupponatur necdum eſſe Filius, non poteſt ad illum referri Pater. Priùs cognoſcit ſeipſum ſub ratione principii ſine principio: C. Et certè cùm Paternitas 1. conſtituat Patrem, deinde ipſum referat ad Filium, non eſt difficile intelligere quomodo Pater ſeipſum cognoſcat & diligat Perſonam conſtitutam, licèt necdum concipiatur ſeipſum diligere ut relatum ad Filium.

Dices. 2. Illo inſtanti comprehenditur eſſentia divina: ergo & omnes Perſonæ. Prob. Conſeq Quia non poteſt comprehendi eſſentia divina, quin cognoſcatur ut communicabilis tribus Perſonis: ergo.

Reſp. Neg. Utramque Conſeq. Licèt enim tunc cognoſcat Pater eſſentiam divinam ut communicabilem tribus perſonis illas tamen, ſe excepto, non cognoſcit; nam aliud eſt cognoſcere eſſentiam communicabilem Perſonis, & cognoſcere ipſas Perſonas quibus eſt communicabilis: & certè cognoſcit homo in ſe potentiam ad generandos filios, licèt nullo modo cognoſcat ipſos antequam generentur. Præterea ſi pro tunc cognoſceret Pater Filium & Spiritum ſanctum, vel cognitione abſtractiva, vel intuitiva: non prima, quia dicit imperfectionem: non etiam ſecunda, quia reſpicit objectum præſens, vel futurum: Filius autem & Spiritus ſanctus pro tunc nec ſunt præſentes, cùm ſupponantur necdum producti, nec futuri, quandoquidem repugnet futuritio ſummè neceſſariò: ergo non cognoſcuntur.

CONCLUSIO IV.

Pater & Filius priùs ſeipſos intelligunt & amant, quàm ſpirent Spiritum S. non tamen priùs cognoſcuot & diligunt ipſummet Spiritum S.

Prob. 1. Pars ſicut ante: Pater & Filius ſunt priores origine Spiritu S. ergo priùs cognoſcibiles & amabiles, adeoque priùs cogniti & amati.

Probatio Secundæ Partis eadem eſt ac probatio Secundæ Partis Concluſionis Tertiæ. Hanc expreſsè docet Scotus 1. d. 10. n. 14 *Oportet*, inquit, *eſſentiam divinam, cujus amor ſpiratur eſſe præcognitam Patri & Filio ad hoc ut ſpirent: ſed non oportet in iſto inſtanti originis concedere Spiritum S. qui eſt amor ſpiratus, eſſe præcognitum Patri & Filio.*

QUÆSTIO IX.

An de facto Spiritus S. ſit à Patre & Filio, & an neceſſariò exigat ſic eſſe?

CONCLUSIO I.

Reverà procedit Spiritus S. à Patre & Filio. Ita definitum eſt contra Græcos Schiſmaticos, qui licèt ſæpè reconciliati fuerint, ut in Concilio Barenſi Anno 1097. plurimùm ad id conferente D. Anſelmo: in Concilio Lateran. ſub Innocentio III. deinde operâ S. Bonaventuræ in Concilio Lugdunenſi, & rurſum in Concilio Florent. ſemper tamen reverſi ſunt ad vomitum: & tandem capta à Turcis Conſtantinopoli circa Pentecoſten Anno 1453. pœnas ſuæ perfidiæ dederunt. Hujus autem Græcorum Hæreſis & diviſionis ab Eccleſia Romana (nam hic error præcipua fuit Schiſmatis occaſio) author fuit apertus quidam Photius, loco Ignatii iniquè excluſi in Conſtantinopolitanam Sedem intruſus: quod enim quaſi latenter ſuſtinuerant quidam Græci VIII. & IX. Sæculo, ut patet ex Chronico Adonis, ipſe palam profeſſus eſt ſub finem hujus Sæculi IX.

Prob. 1. Ex Script. Joan. 15. *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre*. Idem habetur cap. 16. *Sed Spiritus S. miſſio eſt ipſa proceſſio* inquit Gregorius Magn. Hom. in Euang. ergo. Et certè quomodo Filius mitteret aliter Spiritum S.? Non per imperium, cùm hoc ſonet ſuperioritatem: non per ſupplicationem, cùm denotet inferioritatem; non per conſilium; cùm uterque ſit æquè ſapiens: nec alio modo imaginabili: ergo per id quòd ab ipſo procedat. Deinde ad Galat. 4. dicitur: *Miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra*: Quomodo autem Spiritus Filii, niſi quia procedit à Filio?

Dices, Iſaiæ 61. Chriſtus dicitur miſſus à Spiritu S. ſed Chriſtus non procedit ab illo: ergo ex miſſione malè colligitur proceſſio.

Reſp. Diſt. Ma. Chriſtus ut Deus dicitur miſſus &c. N. Chriſtus ut homo: C.

Prob. 2. Ex PP. tum Græcis, ut Athanaſio in ſuo Symbolo: *Spiritus S. à Patre & Filio &c.* Epiphanio Hær. 62. *Ex Patre, & Filio, cum Patre & Filio ſemper in ſubſtantia Spiritus S.* Cyrillo Alexand. lib. 13. Theſ. cap. 1. *Neceſſe eſt omninò confiteri Spiritum S. ex ſubſtantia Patris & Filii eſſe*. Nazianzeno, Baſilio, & aliis in Concilio Florent. relatis: Tum Latinis, ut Tertulliano lib. contra Praxeam cap. 8. *Tertius eſt Spiritus à Deo & Filio* Auguſtino 4. de Trinit. *Nec poſſumus dicere quòd Spiritus S. à Filio non procedat*: & aliis innumeris.

Prob. 3. Ratione: Pater communicat Filio omnem ſuam virtutem in ordine ad quemlibet terminum necdom productum: ſed quando generatur Filius, necdum intelligitur productus Spiritus S. ergo Pater communicat Filio vim Spiritus S. ſpirativam. Prob. Ma. Ex Florent. Seſſ. ultima: *Omnia quæ Patris ſunt ipſe Pater unigenito Filio ſuo dedit gignendo, præter eſſe Patrem*: ergo & vim ſpirativam, non tamen generativam, cùm per Filii productionem intellectus divinus habear adæquatum ſuæ fœcunditatis terminum, quem necdum habeat voluntas Filio communicata; quandoquidem ſit prius Filium habere voluntatem, quàm eſſe Spiritum S. qui eſt in terminis divinæ voluntatis. Prob. Min. Filius procedit per intellectum, Spiritus ſanctus per voluntatem: ſed priùs ordine agit intellectus quàm voluntas: ergo priùs procedit Filius, quàm Spiritus S. Pro majori horum intelligentia

Adverte quòd ſi prius ageret voluntas quàm intellectus, etiam priùs procederet Spiritus S quàm Filius: & tunc Spiritus S. ſimul cum Patre generaret Filium; quandoquidem acciperet à Patre intellectum necdum habentem terminum ſuæ fœcunditatis, qui eſt Filius. Pro ſolvendis objectionibus diligenter notanda ſunt ſequentia.

Primò Chriſtus loquens de eo à quo procedit Spiritus S. ideò ſolius Patris expreſsè meminit, & non ſui, quia omnia ordinariè refert in Patrem, à quo ipſemet procedit, & vim ſpirandi accepit: unde Joan. 7. aſſerit. *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me, Patris*.

Secundò ideò Damaſcenus negavit Spiritum S. eſſe ex Filio, quia credebat Particulam ex denotare principium ſine principio, qualis eſt Pater & non Filius, licèt S. Thomas 1. p. q. 36. art. 2. ad 3. credat nobis fuiſſe contrarium, ſicut & Theodoretum, quos tamen excuſant alii. Vide l'Herminier, Tom. 2. pag. 429. & ſeq.

Tertiò Athanaſius, Nazianzenus &c. dicentes Filium habere omnia quæ habet Pater, *excepta cauſalitate*, excludunt vim generandi, non ſpirandi.

Quartò Filius ſpirat cum Patre Spiritum S. non propter inſufficientiam Patris, ſed propter rationem in tertia probatione allegatam.

Quintò Tacuit Concilium Epheſinum, quando lectum eſt Symbolum Neſtorianorum, in quo dicebatur, Spiritus S. à Filio non procedere; quia, non propter hoc, ſed propter quædam Chriſtum tangentem convenerat. Præterea probavit doctrinam Cyrilli, qui expreſsè nobiſcum ſentit.

Sextò in Symbolo Nicæno primitus edito tantùm legebatur *Et in Spiritum S.* & poſtea adveniente Hæreſi Macedonii, qui negabat ipſum à Patre procedere, additum eſt à PP. Concilii Conſtantinopolitani, *Qui ex Patre procedit*. Tandem nova ſuborta Hæreſi, etiam additum eſt *Filioque* circa Annum 620. unde in Concilio Toletano VIII. Anno 653. recitatum eſt Symbolum Nicænum cum his Particulis: *Credimus & in Spiritum S. ex Patre & Filio procedentem*.

Septimò Leo III. (qui juſſit Symbolum in tabula argentea aſſervari ſine *Filioque*, ob memoriam ejuſdem ita facti à PP. Concilii Conſtantinopolitani) recuſavit Oratoribus Caroli Magni recitationem Symboli in Miſſa cum Particula *Filioque*, non quia contrarium credebat, ſed quia necdum mos invaluerat ita legendi in Eccleſia Romana. Dico *Romana*; quia à ducentis fere annis ita legebatur apud Orientales.

Octavò Verbum noſtrum non eſt productivum amoris; quia homo non commuoicat ei ſuam naturam, adeoque nec voluntatem, Verbo autem divino communicat Pater ſuam naturam, voluntatemque fœcundam.

CONCLUSIO II.

Attento ordine, qui reperitur inter intellectum & voluntatem divinam. Spiritus S. neceſſariò exigit eſſe à Patre & Filio; non tamen ita per ſe hoc requiritur ad illius productionem, ut, ſi per impoſſibile à ſolo Patre procederet, non eſſet idem Spiritus, ac ounc eſt.

Prob. 1. Pars; Pater priùs neceſſariò producit Filium per intellectum, quàm Spiritum S per voluntatem: ergo priùs neceſſariò communicat Filio vim ſpirativam, quàm ſit Spiritus S quandoquidem ipſum producendo det ei omnia præter Paternitatem; & conſequenter, attento ordine potentiarum, neceſſario exigit Spiritus S. eſſe à Patre & Filio.

Prob.

Prob. 2. Pars (quæ eſt Scoti 1. d. 12. q. 1. n. 8. & 9 contra Thomiſtas) Prob inquam, 1. Si per impoſſibile creaturæ producerentur ab unica Perſona divina, eædem omninò eſſent creaturæ tunc ac nunc: ergo ſi per impoſſibile Spiritus S. procederet à ſolo Patre, eſſet idem omninò Spiritus tunc ac nunc, Prob. Ant. Quia creaturæ tunc eundem omninò dicerent reſpectum ad potentiam creandi ac nunc: verum quidem eſt quòd nunc potentia creandi ſit in tribus Perſonis; ſed creaturæ ex intrinſeca ſua ratione non dicunt ordinem ad illam, ut eſt in tribus, ſed ut eſt potentia creandi præciſè, quæ eadem omninò eſt in una Perſona, ac in tribus. Prob. Conſeq. Sicut ſe habent creaturæ ad potentiam creandi, ità & Perſona ſpirabilis ad virtutem ſpirandi.

Prob 2. Ad rationem intrinſecam & primariò conſtitutivam Spiritus S. requiritur tantùm quòd ſit amor infinitus objecti infiniti productus a voluntate fœcunda: ſed tunc illa omnia haberentur, ſicut nunc: ergo eſſet idem Spiritus.

Obji. 1. Eſſentiale eſt Spiritui S. reſpicere vim ſpirativam Paternitati & Filiationi identificatam: ſed ſi procederet à ſolo Patre, reſpiceret vim ſpirativam ſoli Paternitati identificatam: ergo eſſet alius Spiritus.

Reſp Diſt. Ma. Eſſentiale eſt Spiritui S reſpicere vim ſpirativam, quæ de facto identificatur Paternitati & Filiationi: C. reſpicere vim ſpirativam ut illis identificatam: N.

Inſt. 1. Spiritus S dicit ordinem eſſentialem ad Patrem & Filium: ergo ad vim ſpirativam ut illis identificatam.

Reſp. Diſt. Ant. Dicit ordinem ad Patrem & Filium ut plures ſunt: N. ut ſpirator ſunt: C. ſed ſolus Pater eſſet æquè perfectus & completus ſpirator, ac Pater & Filius ſimul.

Inſt. 2. Spiritus S. procedit ut nexus duorum: ergo reſpicit Patrem & Filium ut plures ſunt.

Reſp. Diſt. Ant. Procedit ut nexus duorum nunc: C. ut exigens eſſentialiter eſſe talis: N. aliàs vis ſpirativa ut eſt in Patre præciſè, non eſſet completa, nequidem in ratione vis ſpirativæ; cùm non ſit productiva nexus duorum: undè Spiritus S. tantùm eſt nexus conſequenter; quia ſcilicet Pater & Filius nectuntur in eo tanquam in communi producto, eo ferè modo quo Pater & Mater nectuntur in filio producto.

Obji. 2. Spiritus S. tunc haberet aliam eſſentiam: ergo eſſet diverſus ab eo, qui nunc eſt. Prob Ant. Eſſentia, quam nunc habet exigit, ut vis ſpirativa identificetur Paternitati & Filiationi, tunc exigeret identificari ſoli Paternitati: ergo

Reſp. Diſt. Conſeq Eſſet diverſus ut Deus: C. ut Spiritus eſt præciſè: N. retineret enim eandem proprietatem characteriſticam ſeu perſonalem; quandoquidem foret adhuc amor infinitus objecti infiniti productus à voluntate fœcunda, quod eſt, *etiam* nunc, ratio intrinſeca & primariò ipſius conſtitutiva, ut Spiritus eſt.

Replicabis: Tunc aliud eſſet objectum infinitum, nempè alia eſſentia. ergo alius amor infinitus, adeoque alius Spiritus.

Reſp. Diſt. Ant. Aliud eſſet &c. materialiter: C. eſſet enim, alia eſſentia, quæ eſt infinita. Formaliter. N. tunc enim ſicut nunc, eſſet eſſentia ens omnimodè infinitum, adeoque idem objectum ſub ratione infiniti formaliter.

QUÆSTIO X.

Per quid præciſè diſtinguatur Filius à Spiritu Sancto?

SEnſus Quæſtionis eſt an Filius, qui habet in ſe Filiationem & Spirationem activam, diſtinguatur realiter à Spiritu S. (& conſequenter Spiritus Sanctus ab illo) per utramque rationem, an verò per ſolam ſpirationem, ità ut ſi per impoſſibile non ſpiraret Spiritum S. ab illo non diſtingueretur, ſed foret una & eadem Perſona cum illo, adeòque duæ tantùm eſſent Perſonæ divinæ realiter diſtinctæ? Hoc ultimum ſuſtinet D. Thomas cum ſuis, hacque probatione uſus eſt contrà Græcos ut oſtenderet Spiritum S. à Filio procedere, quia nempè ſi non procederet, ab illo non diſtingueretur. Scotus verò 1 d. 1. q. 2. cum ſuis & quibuſdam extraneis, tenet hanc rationem eſſe inſufficientem; quia ſi per impoſſibile Filius non ſpiraret Spiritum S. adhuc diſtingueretur ab eo per filiationem; quia de facto diſtinguitur realiter ab illo & per filiationem, & per ſpirationem; & quidem per filiationem, tanquam rationem diſtinctionis primariam, per ſpirationem verò tanquam rationem ſecundariam: quod ut magis pateat, ſit

CONCLUSIO UNICA.

DE facto diſtinguitur realiter Filius à Spiritu S. & per filiationem & per ſpirationem activam, adeoque ablata per impoſſibile à Filio ſpiratione activa, adhuc diſtingueretur realiter à Spiritu S per filiationem.

Prob. 1. Ex D. Anſelmo lib. de proceſſione Spiritus S. c. 4. ubi ſic habet: *Si per aliud non eſſent plures, Filius & Spiritus S. per hoc ſolum eſſent diverſi, ſcilicet quia alter naſcendo, alter exiſtit procedendo.* Et cap. 2. *Filius autem .... ideò non eſt Spiritus S. nec Spiritus S eſt Filius, quia Filius naſcendo habet eſſe de Patre, Spiritus autem non naſcendo, ſed procedendo:* Atqui ſublata per impoſſibile ſpiratione activa à Filio, adhuc Filius naſceretur, & Spiritus S. verè procederet, ſcilicet à Patre: ergo eſſent adhuc diverſi.

Hanc doctrinam hauſerat Anſelmus ex Auguſtino 5. de Trinit. c. 14. ubi dicit Spiritum S. ideò non eſſe Filium, quia *exit non quomodo natus, ſed quomodo datus*. Damaſceno 1. de Fide c. 7. 9. 10. 11. & 18. ubi vult Spiritum S. à Filio diſtingui, quia procedit à Patre *non filialiter, ſed proceſſibiliter*. Athanaſio, qui ipſos diſtinguit, quod *unus ex utero ſit, alter ex ore*. Ex quibus patet totam rationem diſtinctionis inter Filium & Spiritum Sanctum non peti ex eo, quòd unus procedat ab alio, ſed etiam quia emanatio unius differt ab emanatione alterius.

Prob. 2. Ratione: Conſtitutivum unius eſt diſtinctivum illius à quolibet alio: ſed Filiatio eſt conſtitutiva Filii: ergo & diſtinctiva illius à quolibet alio & conſequenter à Spiritu S. Prob. Maj. Quia rationale conſtituit hominem & diſtinguit eum ab omni eo, quod non eſt homo. Et ſic de aliis differentiis.

Dices 1. Nunc quidem filium diſtingui à Spiritu S. per filiationem, non fore tamen per illam diſtinctum, ſi Spiritum S. non ſpiraret; quia tunc alia foret filiatio, quàm nunc. nunc ſiquidem poſtulat filiatio voluntatem fœcundam ad ſpirandum, quam non poſtularet in dicta jam hypotheſi, & ideò non eſſet tunc virtualis oppoſitio inter Filiationem & ſpirationem paſſivam, quæ nunc reperitur ratione voluntatis fœcundæ Filio communicatæ. Sed

Contra eſt, quòd licèt filiatio realiter exigat voluntatem fœcundam, non tamen conſtituatur Filius in eſſe perſonali per eam quatenus id exigit, ſed præciſè quatenus eſt filiatio, ſeu generatio paſſiva, quod reperiretur in dictis in hypotheſi.

Dicunt alii quòd tali caſu generatio & ſpiratio activa ſumpta, eſſent una & eadem productio totalis; adeòque filiatio & ſpiratio paſſiva, quæ nunc diſtinguuntur, eſſent quid idem; & conſequenter Filius & Spiritus S. una & eadem Perſona, quæ quatenus procederet per intellectum, diceretur Filius, quatenus per voluntatem, Spiritus S. ſicut nunc prima Perſona dicitur Pater quatenus producit per intellectum, & Spirator quatenus per voluntatem. Sed

Contra eſt quòd exiſtentia vel abſentia fœcunditatis in Filio ad ſpirandum, non poſſit reddere generationem & ſpirationem activas, quæ ſunt in Patre, completas vel incompletas, duas vel unam; eſto enim ſit fœcundus Filius, vel infœcundus ad ſpirandum, equidem eſt eadem vis generativa & ſpirativa in Patre; & conſequenter eadem generatio & ſpiratio. Ex quibus ſequitur, quòd ſicut nunc, ità & tunc eſſent duæ productiones totales & completæ; & conſequenter Filius & Spiritus S. duæ Perſonæ realiter diſtinctæ; cùm una & eadem Perſona non poſſet produci duabus productionibus totalibus & completis, alterutra enim eſſet ſuperflua: quod repugnat in divinis.

Dices 3. Spiratio paſſiva in dicta hypotheſi non conſtitueret Spiritum S. in ordine ad Filium, ſed tantùm in ordine ad Patrem, & ſic non diſtingueret illum à Filio.

Reſp. Locutionem illam eſſe maximè impropriam, cùm conſtitutivum non ſit ad aliud, ſed ad id quod conſtituitur; cùm autem tunc aliud eſſet conſtitutivum Spiritus S. aliud Filii, Spiritus S. à Filio diſtingueretur.

Prob. 3. Priùs ratione intelligitur conſtitutus Filius, quàm ſit ſpiratio activa: ergo priùs ratione intelligitur diſtinctus à quolibet alio, cùm conſtitutivum ſit diſtinctivum, ut diximus, & conſequenter non tantùm per ſpirationem, ſed etiam per Filiationem diſtinguitur à Spiritu ſancto.

Obji. 1. Concilium Toletan. I. dicit Spiritum S. nec eſſe Patrem, nec Filium, eo quòd à Patre Filioque procedat.

Reſp. 1. Concilium malè citari; quandoquidem non habeatur Particula *eo quòd*, ſed præciſè dicitur: *A Patre Filioque procedens.*

Reſp. 2. Referre cauſam unam diſtinctionis, non tamen omnem, cùm ultra diſtinguatur per filiationem.

Obji. 2. Illud Concilii Tolet. II. *Hoc ſolo numerum inſinuant, quòd ad invicem ſunt.*

Reſp. Diſt. Aſſumpt. Quòd ad invicem ſunt per relationes vel oppoſitas, ut ſunt Paternitas, & Filiatio: vel diſparatas incompoſſibiles, ut ſunt Filiatio & ſpiratio paſſiva: C. neceſſariò per relationes oppoſitas: N. Unde intendit Concilium Perſonas tantùm pluriſicari per relationes, ſive oppoſitæ ſint, ſive diſparatæ, non autem per eſſentialia & abſoluta: & ideò immediatè poſt præfata verba ſubiungit: *Et in hoc numero carent quod in ſe ſunt*, ideſt, quod ſint quid abſolutum.

Dixi in Reſponſione: *Vel diſparatas incompoſſibiles*, quia ſi ſufficerent relationes diſparatæ præcisè ad pluriſicandas perſonas, Pater eſſet duæ Perſonæ, cùm habeat Paternitatem & ſpirationem activam, quæ ſunt relationes diſparatæ. Cur autem filiatio & ſpiratio paſſiva duo ſuppoſita requirant, Paternitas autem & ſpiratio activa unicum? Inde oritur quòd implicet idem produci per duas productiones totales, quod tamen fieret, ſi unica Perſona haberet filiationem & ſpirationem paſſivam; quandoquidem eſſet terminus generationis & ſpirationis; non implicet autem eidem ſuppoſito duplex actio totalis duorum effectuum, adeoque nec Patri generare Filium, & ſpirare Spiritum; quandoquidem homo velit, intelligat, audiat, videat, generet &c. quæ tamen ſunt actiones totales.

Inſt. Per relationes diſparatas Filius & Spiritus S. non ſunt ad invicem, ſed ab invicem: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Non ſunt ad invicem tanquam principium & principiatum: C. tanquam termini diſtinctionis realis: N. unde duo diſtincta, licèt unum non ſit ab alio, referuntur tamen ad invicem per relationem diverſitatis: quod in terminis exprimit loquens de hac materia D. Anſelmus infra citandus in fine Reſponſionis ad Objectionem quartam.

Obji. 3. Florentinum Seſſ. ult. ſic habet: *Credentes*, nempè Græci, *Spiritum S. ex Filio nequaquam procedere, neceſſe eſt, ut intelligant Spiritum S. ex ſolo Patre procedere, ac conſequenter eum eſſe Filium.*

Reſp. In Florentino non legi, *eum eſſe Filium*, *ſed eum non eſſe Filium*: ac proinde Particula *Conſequenter* non ſonat illationem, ſed idem quod *Prætereà*, *Inſuper* &c. ità ut ſenſus ſit: Neceſſe eſt ut Græci credentes Spiritum S. non procedere à Filio, credant procedere à Patre tantùm, & inſuper eum non eſſe Filium; quia ſi crederent Spiritum S. eſſe Filium, deſtruerent Myſterium SS. Trinitatis.

Obji. 4. Illud Axioma deſumptum ex Anſelmo lib. de Proceſſ. Spiritus S. cap. 3. *Omnia in divinis ſunt unum, ubi non obviat relationis oppoſitio*: ſed filiatio non opponitur relativè ſpirationi paſſivæ: ergo Filius non diſtinguitur à Spiritu S. per filiationem.

Reſp. Axioma illud intelligendum eſſe de relationis oppoſitione vel relativa, vel diſparata. Eſt autem relationis oppoſitio relativa, repugnantia quæ reperitur inter duas relationes quæ ſeſe invicem reſpiciunt, ut inter Paternitatem & Filiationem, Spirationem activam & paſſivam. Diſparata verò, repugnantia quæ reperitur inter duas relationes, quarum una ſua ratione formali non eſt realiter altera, licèt non ſe reſpiciant niſi præcisè in quantum unum diſtinctum reſpicit aliud, à quo diſtinguitur, & tales ſunt filiatio & ſpiratio paſſiva.

Anſelmum autem nihil aliud intendere manifeſtiſſimè patet ex eo quòd cap. 2. dicat: *ipſa diverſitate nativitatis & proceſſionis referuntur ad invicem ut diverſi & alii ad invicem*: ſed oppoſitio quæ eſt inter nativitatem & proceſſionem, ſeu filiationem & ſpirationem eſt tantùm oppoſitio diſparata: ergo ſecundùm ipſum illa ſufficit ad diverſificandas Perſonas. Et c. 3. aſſerit relationis oppoſitionem oriri ex eo quòd Filius exiſtat naſcendo, & Spiritus Sanctus procedendo: unde mirum eſt quòd nobis objiciatur Anſelmus; cùm ità expreſsè & formaliter Scoti ſententiam amplectatur, ut non pauci ex Adverſariis, ut Vaſquez, Suarez & alii, ingenuè fateri cogantur S. Doctorem, noſtrum eſſe hac in re. Pro aliis Objectionibus ſolvendis

Adverte 1. Quòd ſola relatio oppoſita vel diſparata multiplicet Trinitatem, non tamen ſola relatio oppoſita.

Adverte 2. Quòd quidem *diſtinguitur Spiritus à Filio, quod per ipſum eſt*, Gregor. Nicæn. lib. ad Ablavium, non tamen per hoc ſolùm.

Adverte 3. Quod quando Damaſcenus 1. de Fide cap. 11. aſſerit: *In ſolis proprietatibus Paternitatis, Filialitatis, & Proceſſionis ſecundùm cauſam & cauſale diſcrimen animadvertimus*, tantùm velit, quòd in divinis non per eſſentiam, ſed per ſolas productiones activas & paſſivas reperiatur diſtinctio Perſonarum, non determinando an ut duæ Perſonæ inter ſe diſtinguantur, debeat eſſe una productio activa, altera paſſiva, an verò poſſint eſſe duæ paſſivæ, ut ſunt filiatio & ſpiratio paſſiva.

Adverte 4. Diſtinctionem realem ſic debere definiri, nempè quod ſit diſtinctio, qua quædam ſic inter ſe diſtinguuntur, ut unum ſit ſeparatum, aut ſeparabile ab altero, vel principium, aut cauſa alterius vel certè procedens alia actione quàm aliud, quæ ultimæ particulæ *Vel certè* &c. neceſſariò ſunt addendæ, aliàs cùm Filius divinus nec ſit ſeparatus, nec ſeparabilis à Spiritu S. nec eſſet principium aut cauſa Spiritus ſancti, ſi illum non ſpiraret, tali caſu impoſſibili non diſtinguerentur realiter, ſi dictæ Particulæ non adderentur.

Adverte 5. Relationem conſtitutivam alicujus, ipſum diſtinguere ab omni eo quod per aliud conſtituitur.

Adverte 6. Ordinariè quidem Theologos, ad probandum diſtinctionem realem Spiritus S. à Filio, hoc ſolo niti fundamento, nempè quòd unus procedat ab alio, non tamen quia unicum eſt; aliàs Græci proceſſionem illam non admittentes, non haberent unde Sabellianos & Socinianos confunderent; id quia præcipuum eſt, & omninò convincens.

DISPUTATIO II.

De Relationibus, & Notionibus divinis.

NOn agimus hic de relationibus divinis ad extra, quibus refertur Deus ad creaturas, ut ſunt relationes Creatoris, Gubernatoris, Sanctificatoris; quia nulla harum relationum realis eſt, ut ſuo loco dicitur; ſed de relationibus divinis ad intra, quibus ſcilicet Perſonæ divinæ ad ſe mutuò referuntur.

QUÆSTIO I.

An dentur de facto Relationes reales in divinis?

CONCLUSIO I.

DAntur de facto Relationes reales in divinis, quæ verſantur tantùm circa certas Perſonas, ut Paternitas, Filiatio, & Spiratio paſſiva. Ità unanimiter Theologi.

Prob. 1. Illæ relationes ſunt reales, quæ ſunt inter extrema realia, quorum fundamentum eſt reale, & quæ competunt extremis independenter ab intellectu: ſed præfatæ relationes ſunt tales: ergo. Prob. Min. 1. Sunt inter extrema realia, cùm ſint inter Perſonas reales, & ab invicem realiter diſtinctas. 2. Earum fundamentum eſt reale; quia fundatur in origine activa & paſſiva. Tandem competunt extremis independenter ab intellectu; quia, etiam nullo intellectu creato exiſtente, Pater in divinis, eſt Filii Pater; & Filius, Patris Filius.

Prob. 2. Perſonæ divinæ realiter conſtituuntur, & ab invicem diſtinguuntur per relationes præfatas: ſed non poteſt aliquid realiter conſtitui, & ab aliquo realiter diſtingui per ens rationis: ergo &c.

Dices 1. Relatio præexigit extrema realiter diſtincta: ſed dictæ relationes non præexigunt, ſed efficiunt extrema realiter diſtincta: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Relatio creata: C. increata: N. & ratio diſcriminis eſt, quòd relatio creata tantùm oriatur ex poſitione fundamenti & termini, & ſic non eſt mirum, quòd illa præexigat & ſupponat: increata verò, quales ſunt præfatæ, cùm conſtituat & diſtinguat Perſonas, Perſonæ autem ſint extrema, clarum eſt quòd extrema realiter diſtincta non ſupponat, ſed faciat. Ratio autem ulterior, cum relationes creatæ ſubjecta ſupponant, non increatæ, eſt quòd creatæ ſunt accidentia, ac ideò ſupponant aliquid cui inhæreant, & conſequenter ubi relationes ſunt realiter oppoſitæ, requiruntur ſubjecta realiter diſtincta, cùm realiter oppoſita non poſſint eſſe ſimul in eodem ſubjecto. Præfatæ verò relationes, cùm non ſint accidentia, ſed ſubſtantiæ, non ſupponunt ſubjecta, quibus inhæreant, ſed per ſe ſubſiſtunt.

Dices 2. Deus eſt & dicitur *Dominus*, ſicut eſt & dicitur *Pater*: ſed relatio Dominii non eſt realis: ergo nec relatio Paternitatis.

Reſp. Deum realiter eſſe & dici Dominum, ſicut eſt realiter & dicitur Pater quantum ad realitatem terminationis, nam ſicut relatio Paternitatis habet terminum realem, nempè Filium exiſtentem, ità relatio Dominii habet etiam terminum realem, nempè creaturas exiſtentes; non tamen quantum

ad

Google

ad realitatem intrinſecam, nam Paternitas eſt forma intrinſeca Patri, cùm illum conſtituat in eſſe perſonali; relatio verò Dominii eſt Deo merè extrinſeca, cùm ipſi in eſſe tum eſſentiali, tum perſonali conſtituto adveniat ab extrinſeco, ſcilicet ex productione creaturarum.

CONCLUSIO II.

DAtur prætereà in divinis alia relatio realis, nempè ſpiratio activa, indiſtincta tamen realiter à Paternitate & Filiatione. Eſt communis apud Theologos quoad utramque Partem.

Prob. 1. Pars: ſicut ſe habet generatio in divinis inter Patrem & Filium; ità ſe habet ſpiratio inter Spiratorem & Spiritum S. cùm utraque ſit vera proceſſio producti à producente: ſed generatio exigit duplicem relationem, unam in principio, quæ dicitur Paternitas, ſeu generatin activa, aliam in termino, quæ dicitur Filiatio, ſeu generatin paſſiva: ergo ſimiliter exigit Spiratin, duas relationes, unam in Spiratore, ſeu in Patre & Filio, quæ dicitur ſpiratio activa, & aliam in Spiritu S. quæ dicitur ſpiratio paſſiva.

Deinde ideo Pater & Filius relativè opponuntur, quia eſt in Filio generatio paſſiva, & in Patre generatio activa ſed Pater & Filius etiam relativè opponuntur Spiritui S. cùm ſit eadem ratio: ergo ſicut eſt in Spiritu Sancto Spiratio paſſiva, debet eſſe in Patre & Filio ſpiratio activa; quandoquidem nec Paternitas nec filiatio opponantur directè ſpirationi paſſivæ. Prætereà quia Pater generat Filium, habet relationem generationis activæ. ergo quia Pater & Filius ſpirant Spiritum S. habent relationem ſpirationis activæ.

Nec refert 1. Quòd nec Scriptura, nec Concilia, nec Patres illius relationis meminerint; quia etſi illius non meminerint ſub nomine ſpirationis activæ, illam tamen de facto admiſerunt, cùm dixerunt vel Patrem & Filium eſſe principium Spiritus S. vel Spiritum S. a Patre & Filio procedere, vel inter illas Perſonas eſſe relationem mutuam, cùm illa non minùs videantur evincere ſpirationem activam, in Patre & Filio, quàm illæ locutiones: Pater eſt principium Filii, Filius à Patre procedit &c. evincant generationem activam in Patre: unde quando Albinus Flavius lib. 1. de Trinit. c. 5. aſſerit relationem Spiritus S. ad Patrem & Filium non eſſe mutuam, tantùm vult Patrem & Filium ſub ratione Patris & Filii non referri ad Spiritum S. licèt referautur ſub ratione Spiratoris. Hinc Beſſarion iu Concilio Florent. Oratione pro Unione cap 6. *Cùm Filius*, inquit, *prout Filius non referatur ad Spiritum S. non enim dicitur Filius Spiritus, reſtat ut referatur ad Spiritum tanquam aſpirans.*

Nec refert 2. Quòd Concilium Later. excludat quaternitatem realem in divinis; quia tantùm vult, quòd non ſit quaternitas diſtinctorum realiter; jam autem ſpirationem activam eſſe à Paternitate & Filiatione realiter indiſtinctam, modò oſtendemus. Prætereà dici poteſt Concilium negare quaternitatem, in quantum ex ea infertur quantitas Perſonarum, quod non accidit in noſtra ſententia, cùm ſpiratio activa non conſtituat Perſonam: quam, fortè, ob cauſam aliqui SS. PP. tres tantùm proprietates perſonales poſuerunt, quia agebant de relationibus Perſonarum conſtitutivis, qualis non eſt ſpiratio activa.

Nec refert 3. Quòd Patri & Filio tum eſſentialiter tum perſonaliter conſtitutis advenit quodammodo ſpiratio activa, quia hoc non denotat aliquam in Deo imperfectionem, cùm ipſi non adveniat ab extrinſeco, ſed ex fœcunditate divinæ voluutatis: unde ſicut non eſt imperfectio in homine, ſed potiùs perfectio quòd ab eo eſſentialiter conſtituto reſultet proprietas, ità nec eſt imperfectio in Deo, quòd à Patre & Filio conſtitutis reſultet proprietas relativa, nempè ſpiratin activa.

Prob. 2. Pars: quia ſi ſpiratio activa diſtingueretur realiter à Paternitate & Filiatione, daretur quaternitas realiter diſtinctorum in divinis: quod damnat Concilium Lateran. cap. *Damnamus*. Imò daretur quaternitas Perſonarum; quia ſpiratio activa eſſet per ſe ſubſiſtens, adeoque ſuppoſitum, & conſequenter Perſona, cùm omne ſuppoſitum naturæ intellectualis ſit perſona.

Dixi: *Indiſtincta tamen realiter*; quia poteſt dici ſpirationem activam diſtingui formaliter ex natura rei à Paternitate & Filiatione, cùm de illis verificentur independenter ab intellectu contradictoria; nam ſpiratio activa directè opponitur ſpirationi paſſivæ, Paternitas verò & Filiatio non directè: ſed diſparatè. Paternitas reſpicit per ſe Filium, & Filiatio Patrem; ſpiratio autem activa nec Patrem nec Filium reſpicit, ſed Spiritum S. Deinde in Patre eſt ſpiratio activa, non Filiatio, in Filio ſpiratio activa non Paternitas: ergo &c. Pro ſolutione Objectionum contra ſecundam Partem

Adverte 1. Non ideò tantùm diſtingui realiter inter ſe Paternitatem & ſpirationem paſſivam, quia Paternitas diſparatè opponitur ſpirationi paſſivæ, aliàs etiam realiter diſtingueretur Paternitas à ſpiratione activa, cùm etiam diſparatè opponatur; ſed diſtinguuntur realiter, quia ſunt incompoſſibiles in eodem ſuppoſito, utpotè diſtinctarum Perſonarum conſtitutivæ; cùm autem ſpiratio activa nullam Perſonam conſtituat, non eſt mirum quòd poſſit eſſe in eodem ſuppoſito cum Paternitate, quæ Perſonam conſtituit.

Adverte 2. Ex eo quòd ſpiratio activa ſit indiſtincta realiter à Paternitate & Filiatione, non malè aſſignari quartam relationem in divinis; quandoquidem præter tres perſonalitates non malè aſſeratur una Deitas, licèt ab illis realiter indiſtincta.

Adverte 3. Quòd licèt Paternitas & Filiatio identificentur ſpirationi activæ non ideò tamen identificentur inter ſe; nam ſimiliter Perſonalitates identificantur eſſentiæ, & tamen realiter ab invicem diſtinguuntur; undè poſſunt relativa (non tamen abſoluta) non obſtante quòd uni tertio identificentur, habere oppoſitionem relativam inter ſe, ex qua ſola in divinis oritur diſtinctio realis.

QUÆSTIO II.

An dentur aliæ Relationes in divinis, & an etiam circuminſeſſio?

CONCLUSIO I.

PRæter relationes aſſignatas, dantur etiam in divinis relationes communes identitatis, æqualitatis & ſimilitudinis; & hæ quidem juxta Scotum 1. d. 31. & alibi, ſunt reales.

Prob. 1. Pars 1. de identitate; quia major eſt identitas naturæ in divinis inter Patrem & Filium, quàm ſit in humanis inter Petrum & Paulum; quandoquidem horum identitas ſit rantùm ſpecifica, Patris verò & Filii, etiam numerica: ſed inter Petrum & Paulum eſt relatio identitatis: ergo à fortiori inter Patrem & Filium.

2. De ſimilitudine: ubi enim major ſimilitudo poteſt excogitari, quàm inter Patrem, Filium, & Spiritum S. quorum ſapientia eſt eadem, bonitas eadem, juſtitia eadem, &, ut verbo abſolvam, omnes perfectiones & omnia Attributa eadem: undè in Symbolo Athanaſii dicitur: *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus.*

3. De æqualitate, ſcilicet in quantitate perfectionis; quandoquidem trium Perſonarum perfectio ſit ſumma & infinita; ac ideò in præfato Symbolo dicitur: *Totæ tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales.*

Prob. 2. Pars. Relationes illæ in creatis ſunt reales: ergo etiam in divinis, cùm hic ſit major identitas, ſimilitudo &c. quàm ſit illic. Prætereà independenter ab intellectu Pater eſt æqualis, ſimilis, & idem cum Filio & Spiritu Sancto: ergo &c.

Dices 1. Ad relationem realem requiritur, ut fundamentum ſit realiter diſtinctum in utroque extremo, ſed in Perſonis divinis idem eſt fundamentum identitatis, æqualitatis, & ſimilitudinis, cùm ſit eadem eſſentia, eædem numero perfectiones: ergo &c.

Reſp. Neg. Ma. Nam ſi poneretur eadem numero albedo in duobus ſubjectis, eſſet vera relatio ſimilitudinis inter illa, & tamen idem eſſet fundamentum in utroque extremo, ſcilicet unica albedo.

Quòd ſi dicas illa duo non fore ſimilia propter unitatem formæ. Reſpondebitur fore duo alba, & conſequenter duo ſimilia. Et certè ſi ſpiratin activa, quæ unica eſt in Patre & Filio, faciat duos ſpirantes, & æternitas, quæ eadem eſt in tribus Perſonis, faciat tres Perſonas coæternas, quidni eadem albedo poſita in duobus ſubjectis realiter diſtinctis faciet duo alba? Unde ad relationem realem requiruntur quidem duo extrema realiter diſtincta, non tamen fundamentum in utroque diſtinctum. Hoc inde confirmatur, quòd Paternitas & Filiatio in divinis, quæ ſunt relationes reales, ſecundùm Adverſarios, idem habeant fundamentum, nempè eſſentiam divinam. Prætereà nunquid in creatis fundamentum paternitatis eſt generatio activa, & fundamentũ filiationis generatio paſſiva? Et tamen ſecundùm Thomiſtas, generatio activa & paſſiva non diſtinguuntur realiter; cùm ſecundùm illos, realiter identificentur actio & paſſio.

Dices 2. Si idem eſſet fundamentum in utroque extremo, idem referretur ad ſeipſum, idem eſſet ſibi relative oppoſitum: ſed hoc non debet aſſeri: ergo.

Reſp. Neg. Ma. Non enim fundamentum refertur, ſed eſt

ratio, cur extrema referantur: undè non eſſentia refertur ad eſſentiam, ſed Pater ratione eſſentiæ refertur ad Filium.

Dices 3. Si tot darentur relationes in divinis, eſſent plures Perſonæ quàm tres; quandoquidem relatio multiplicet Trinitatem.

Reſp. Neg. Aſſumpt. Quia licèt ratio multiplicet Trinitatem, non tamen omnis; aliàs etiam ſpiratio activa (quod negant Adverſarii) conſtitueret unam Perſonam.

Dices 4. Si admittatur, relationes illas eſſe reales, admitti debet eſſe plus quàm tres relationes realiter diſtinctas in divinis; nam æqualitas quæ eſt in Patre diſtingueretur realiter ab æqualitate quæ eſt in Filio. Idem eſt de identitate & ſimilitudine.

Reſp. Quòd licet æqualitas Patris diſtinguatur realiter ab æqualitate Filii (idem eſt de aliis, quia ſcilicet obviat inter illas oppoſitio correlativa, nec poſſunt eſſe in eodem ſuppoſito) quia tamen æqualitas, ſimilitudo, & identitas quæ ſunt in Patre, identificantur Paternitati, & ſimiliter æqualitas &c. quæ ſunt in Filio, filiationi, idem dic de Spiritu Sancto, ideò tres tantùm ſunt entitates relativæ realiter diſtinctæ, licèt omnes illæ relationes ſint reales.

Dices 5. Perſonæ divinæ poſſunt dici eædem, æquales & ſimiles per hoc quòd habeant eandem eſſentiam, & eandem perfectionem: ergo ſuperfluunt illæ relationes.

Reſp. Quòd habere eandem eſſentiam, eandem perfectionem ſit idem quod non habere aliam, adeoque quid negativum, quod non ſufficit ad dandam denominationem identitatis, ſimilitudinis, & æqualitatis, quæ ſunt poſitivæ.

Dices 6. Si detur relatio æqualitatis inter Perſonas, etiam dabitur inter Attributa, cùm ſint æqualiter æterna.

Reſp. Concedendo totum, cùm independenter à mentis opera de facto reperiatur illa æqualitas.

CONCLUSIO II.

Datur etiam in divinis circuminſeſſio, quæ eſt mutua Perſonarum in ſe invicem inexiſtentia.

Prob. 1. Ex Scriptura Joan. 14. *Ego in Patre, Pater in me eſt*.

Prob. 2. Ex PP. Ambroſio relato in Hymno Laudum Feriæ 2. *In Patre totus Filius & totus in Verbo Pater*. Fulgentio de Fide ad Petrum, c. 1. *Totus Pater in Filio & Spiritu Sancto eſt, totus quoque Spiritus Sanctus in Patre & Filio*.

Prob. 3. Ratione: nam cùm ſit una, & eadem in ſingulis Perſonis eſſentia, & quidem ab ipſis Perſonis indiſtincta, neceſſe eſt ut quælibet Perſona ſit in qualibet alia: undè fundamentum illius circuminſeſſionis eſt naturæ, in ſingulis Perſonis unitas, & ideo ſi per impoſſibile non eſſent ubique, adhuc invicem circuminſiderent, ratione unitatis naturæ.

Dices 1. *Verbum*, id eſt Filius, *erat apud Deum*, Joan. 1. ergo Filius non eſt in Patre.

Reſp. Neg. Conſeq. Nec enim dicitur eſſe apud Deum ut oſtendatur non eſſe in Patre, ſed quia potiùs attribuitur Filio *eſſe apud Patrem, in ſinu Patris*, quàm Spiritui Sancto; nam cùm Filius producatur ut conceptus Patris ſubſiſtens, conceptus autem ſit in mente concipientis, & formetur objectivè in ea, ideò dicitur eſſe apud Patrem: quod non dicitur de Spiritu Sancto quia producitur per voluntatem, quæ non attrahit ſuum objectum ad ſe, ſed potiùs ab eodem attrahitur.

Dices 2. Oppoſita non poſſunt eſſe in eodem ſuppoſito: ſed Paternitas, Filiatio, & Spiratio activa ſunt oppoſitæ: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Non poſſunt eſſe in eodem ſuppoſito tanquam formæ aut quaſi formæ conſtitutivæ: C. per mutuam inexiſtentiam & per identificationem cum eſſentia: N. quia licèt opponantur Pater & Filius ſecundùm relationes, non tamen ſecundùm eſſentiam, ratione cujus dicuntur inexiſtere.

QUÆSTIO III.

An relationes divinæ importent aliquam perfectionem?

Quæſtio non procedit de relationibus prout eſſentię divinę identificatis; certum eſt enim ut ſic importare omnem omninò perfectionem SS. Trinitatis, ſed de relationibus præcisè ſecundùm proprium conceptũ formalem conſideratis.

CONCLUSIO I.

Relationes divinæ formaliter & ſecundùm ſe, prout ſcilicèt ab eſſentia divina formaliter diſtinguuntur, important aliquam perfectionem entitativam & tranſcendentalem.

Ratio eſt; quia habent quidquid deſiderari poteſt ad complementum entitatis relativæ; perfectio autem, ſeu bonitas tranſcendentalis eſt communis omni entitati, utpotè ejus proprietas.

CONCLUSIO II.

Relationes divinæ ut ſic conſideratæ non important formaliter aliquam perfectionem gradualem, ſeu qualificativam. *Gradualem* voco eam, quæ eſt modus intrinſecus entis quanti, ſecundùm quem dicitur eſſe in hoc vel illo gradu perfectionis: æquale vel inæquale alteri enti. Ità Scotus 1. d. 8 qu. 3. num. 16. quem ſequuntur plurimi Thomiſtæ, præſertim antiquiores.

Prob. 1. Si relationes illæ includerent dictam perfectionem, vel illa eſſet finita, vel infinita: neutrum dici poteſt: ergo. Prob. Min. non eſſet finita; quia nihil eſt in Deo finitum, nec quidquam habens terminum perfectionis. Nec eſſet infinita; quia eſſet perfectio ſimpliciter ſimplex, quæ non excludit ab eodem ſuppoſito alteram perfectionem æqualem, cùm tamen una relatio excludat ab eodem ſuppoſito alteram æqualem, v.g. Paternitas à Patre Filiationem.

Dices, Perfectionem ſimpliciter ſimplicem non excludere aliam æqualem abſolutam, bene tamen relativam oppoſitam. Sed

Contra eſt quòd compatiatur aliam perfectionem abſolutam, non quia abſolutam præcisè, ſed quia perfectionem; & ideò ſi relativa, quæcumque ſit, contineat aliquam perfectionem, illam non excludit.

Prob. 2. Si relationes divinæ eſſentiæ formaliter perfectæ, Pater & Filius eſſent perfectiores Spiritu Sancto; quandoquidem ultra relationem ſui in ratione Perſonæ conſtitutivam, habeant ſpirationem activam, qua caret Spiritus Sanctus. Imò in illo ſuppoſito nulla Perſona eſſet formaliter & ſimpliciter infinita; quandoquidem ſimpliciter infinitum debeat includere omnem perfectionem poſſibilem, quam nulla Perſona includeret; quandoquidem Pater non includat filiationem, nec Filius Paternitatem &c.

Dices: Quælibet Perſona eſſet infinita in ſuo genere, v.g. Pater in ratione Patris, non autem quælibet in omni genere quod ſoli Deo trino, competit. Ità ferè noviſſimè ratiocinatur l'Herminier. Sed

Contra eſt, quòd ſit inauditum, ne dicam malè ſonare, quòd Deus trinus ſit perfectior Deo Patre, aut Deo Filio: quod tamen admittendum eſſet, cùm ſit perfectius infinitum in *omni* genere perfectionis, quàm infinitum in aliquo tantùm genere. Præterea adhuc ſtat in illis principiis quòd una Perſona ſit perfectior altera; cùm Pater v.g. ſit infinitus in duplici genere perfectionis, ſcilicet in genere Patris & ſpiratoris, & Spiritus Sanctus in unico, nempè in genere ſpirati.

Prob. 3. Si relatio divina eſſet quædam perfectio, eſſet perfectio ſimpliciter ſimplex, cùm nulla alia ſit in Deo ſed relatio Paternitatis v.g. non poteſt eſſe perfectio ſimpliciter ſimplex cùm hæc ſit communicabilis, utpotè in quolibet melior ipſa quàm non ipſa; illa verò incommunicabilis: ergo &c.

Obji. 1. Quædam Conciliorum & SS. Patrum teſtimonia, quibus oſtenderunt relationes divinas dicere aliquam perfectionem.

Reſp. Omiſſis brevitatis causâ illorum teſtimoniis, *Concilia* & PP. nihil aliud velle quàm quod relationes dicant perfectionem realiter & identicè propter identificationem realem cum eſſentia divina; non tamen formaliter & ſecundùm ſe: ſic enim ſunt puri reſpectus ad terminum correlativum, & puri termini divinæ fœcunditatis & naturæ nullam importantes perfectionem.

Obji. 2. Perfectius eſt Deo habere illas relationes, quàm non habere: ergo ſecundùm ſe involvunt aliquam perfectionem.

Reſp. Neg. Conſeq. Aliud eſt enim ad perfectionem divinitatis pertinere, habere relationes, & ipſas relationes naturæ divinæ ſuperaddere perfectionem: nam non ideò natura divina eſt perfecta, quia ipſæ ſunt præcisè, ſed quia ſeſe communicat illis relationibus, quæ licèt ex ſe non afferant perfectionem, ſunt tamen capaces habendi perfectionem naturæ divinæ, eam in ſe intimè includendo.

Obji. 3. Relationes divinæ habent omnia requiſita ad entitatem relativam: ergo ſunt perfectæ; quandoquidem perfectum, ſecundùm Ariſtotelem, ſit illud, cui nihil deeſt in proprio genere.

Reſp. Diſt. Conſeq. Sunt perfectæ perfectione eſſentiali, id eſt, habent omnia prædicata ſua eſſentialia: C. ſunt perfectæ perfectione graduali ſeu qualificativa: N. Idem dici debet, quando ex eo quòd ſint convenientes eſſentiæ, infertur eſſe perfectas.

Obji. 4. Perſonalitas Verbi divini prout diſtincta formaliter ab eſſentia, ſanctificat immediatè Chriſti humanitatem, ſaltem ſecundùm aliquos: ergo includit aliquam perfectionem.

Reſp. Diſt. Ant. Sanctificat immediatè humanitatem Chriſti ratione perfectionis propriæ: N. ratione abſolutæ perfectionis

ctionis eſſentiæ, quam realiter & identicè includit: C.

Obj. 5. Relationes illæ ut ſic non ſunt finitæ: ergo infinitæ: ergo perfectæ.

Reſp. Neg. Primam & ſecundam Conſeq. Quia ut loquitur Scotus ſuprà *Relatio divina nec eſt finita nec infinita*, neque perfecta neque imperfecta, ſed abſtrahit ab utroque; licèt enim identicè involvat aliquam perfectionem, & quidem infinitam, formaliter tamen, & ſecundùm proprium conceptum, nullam involvit: ſicuti licèt homo à parte rei ſit albus, vel non albus, ut ſic tamen, & ſecundùm proprium conceptum formalem, nec albedinem dicit, nec non albedinem.

Obj. 6. Relationes divinæ conſtituunt & ſpecificant Perſonas divinas: ſed omne conſtitutivum importat aliquam perfectionem: ergo.

Reſp Diſt. Min. Omne conſtitutivum abſolutum: Tranſeat. Relativum: N. quia tantùm eſt purus reſpectus, ut diximus.

QUÆSTIO IV.

Qualiter diſtinguantur inter ſe Relationes divinæ?

Dico *Inter ſe*; nam ipſas ab eſſentia divina diſtingui, non realiter, ſed formaliter, antea probatum eſt. Quæſtio autem procedit tantùm de Paternitate, Filiatione, & Spiratione paſſiva; nam Spirationem activam eſſe à Paternitate & Filiatione realiter indiſtinctam, ſuperiùs diximus.

CONCLUSIO UNICA.

Paternitas, Filiatio, & Spiratio paſſiva diſtinguuntur inter ſe realiter.

Prob. 1. Pater, Filius & Spiritus S. realiter inter ſe diſtinguuntur: ſed non ſic diſtinguuntur ratione eſſentiæ, cùm ſit eadem in ſingulis: ergo ratione relationum; & conſequenter relationes ſunt realiter inter ſe diſtinctæ.

Prob. 2. Relationes illæ ſunt inter ſe realiter oppoſitæ; Paternitati enim realiter opponitur Filiatio, & Paternitas Filiationi, & utraque ſpirationi paſſivæ, ſaltem mediante ſpiratione activa, cui identificantur: ſed talis eſt diſtinctio, qualis eſt oppoſitio: ergo ſi eſt oppoſitio realis, eſt & diſtinctio ſimilis.

Dices 1. Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe ſed Paternitas, Filiatio, & ſpiratio paſſiva ſunt eadem realiter eſſentiæ divinæ: ergo & inter ſe.

Reſp. Diſt. Ma. Quæ ſunt eadem uni tertio ſingulari incommunicabili, ſunt eadem inter ſe: C. ſic quia Animal & Rationale ſunt eadem Petro, qui eſt ſingularis & incommunicabilis, ſunt eadem inter ſe. Quæ ſunt eadem uni tertio communicabili pluribus: N. unde non ſequitur: Petrus eſt homo, Paulus eſt homo: ergo Petrus eſt Paulus; quia homo utrique communicatur. Eſſentia autem divina, licèt unica, communicatur tribus Perſonis.

Inſt. Valet hic ſyllogiſmus expoſitorius: Eſſentia divina eſt realiter Paternitas: Eſſentia divina eſt realiter Filiatio: ergo Paternitas eſt realiter Filiatio.

Reſp. (ut alia vitia hujus ſyllogiſmi taceam) medium ibi non diſtribui, ut enim medium, quod eſt eſſentia divina, diſtribueretur, deberet poſſe dici. Omnis res quæ eſt eſſentia divina, eſt realiter Paternitas, quæ propoſitio falſa eſt, quandoquidem Filiatio ſit realiter eſſentia, & non tamen Paternitas realiter.

Dices 2. Si relationes illæ realiter diſtinguerentur, Deus eſſet unus & trinus: ſed implicat idem eſſe unum & trinum: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Eſſet unus & trinus ſub eadem ratione: N. ſub diverſa: C. eſſet enim unus ratione eſſentiæ, & trinus ratione Perſonarum: non implicat autem idem eſſe unum & multiplex, quando ſcilicèt habet naturam pluribus ſuppoſitis communicabilem.

Dices 3. Chriſtus Joan. 16. dicit: *Omnia, quæ habet Pater, mea ſunt*: ergo Paternitas eſt Filiatio.

Reſp. Diſt. Ant. Omnia quæ habet pater quantum ad eſſentiam, Filii ſunt: C. quantum ad eſſentiam & perſonalitatem: N. nam, ut loquitur Florent. in Litteris unionis. *Omnia, quæ Patris ſunt, ipſe Pater Unigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem.*

QUÆSTIO V.

Quid, & quotuplex notio in divinis?

CONCLUSIO I.

Notio divina eſt ratio notificans unam perſonam ut ab alia, vel aliis diſtinctam.

Dicitur 1. *Ratio*, id eſt, ſigillum & veluti character tenens ſe ex parte perſonæ, ratione cujus ipſam ab alia, vel ab aliis diſcernimus; & ſic ratio non ſumitur pro conceptu formali, quo perſonam cognoſcimus, ſed pro objecto illius conceptus.

Dicitur 2. *Notificans unam Perſonam ut ab alia &c.* ut excludatur quidquid eſt commune tribus perſonis, v. g. ſapientia, juſtitia, bonitas &c. quandoquidem per illa non cognoſcantur Perſonæ ut inter ſe diſtinctæ, ſed potiùs ut indiſtinctæ, cùm ſint eadem in ſingulis. Ex hac Definitione

Reſolve 1. Omnem proprietatem in divinis ſive perſonalem ſive non, ſicut & omnem relationem originis eſſe notionem; quia quælibet notificat & diſtinguit unam Perſonam ab alia: non tamen propterea omnis notio eſt proprietas, aut relatio originis; quia notio eſt quid latiùs patens. Unde quatuor ſunt proprietates in divinis, innaſcibilitas, Paternitas, Filiatio, & Spiratio paſſiva, non tamen activa, quia non eſt propria uni Perſonæ tantùm, ſed communis Patri & Filio. Tres tantùm proprietates perſonales, Paternitas, Filiatio, & Spiratio paſſiva, quia innaſcibilitas, licèt ſit proprietas patris, non tamen illius conſtitutiva in ratione perſonæ, quod intelligimus per proprietatem perſonalem. Quatuor relationes originis, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & paſſiva; ſed quinque notiones, innaſcibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa, & paſſiva. Ex quibus colligere eſt ulteriùs omnem proprietatem perſonalem eſſe relationem originis, non è contrà.

Reſol. 2. Idem quid poſſe eſſe proprietatem, proprietatem perſonalem, relationem & notionem, nam paternitas v. g. eſt proprietas, in quantum patri tantùm competit: eſt proprietas perſonalis, in quantum conſtituit patrem in eſſe perſonæ: eſt relatio, prout eſt ratio referendi Patrem ad Filium, & eſt notio, quatenus eſt, id quo cognoſcitur pater, ut ab aliis diſtinctus.

CONCLUSIO II.

Quinque tantùm ſunt notiones in divinis, Innaſcibilitas, quę nobis notificat patrem ſub ratione principii ſine principio; Paternitas, Filiatio, Spiratio paſſiva, quibus ad invicem ſingulæ perſonæ diſcernuntur; & Spiratio activa, qua nobis innoteſcunt Pater & Filius ſub ratione Spiratoris, & ut diſtincti à Spiritu S.

Ratio Concluſionis petitur tum ex SS Patribus, qui quinque, & non pluribus notis perſonas nobis deſignarunt; tum ex ipſa ratione notionis, quæ ſtrictè ſumpta ſolis enumeratis convenit.

Dices 1. Poſſet poni in Filio ingenerabilitas, & in Spiritu S inſpirativitas, per illas ſiquidem nobis innoteſceret quòd Filius non poſſit generare, & Spiritus Sanctus ſpirare: ergo &c.

Reſpondet Scotus 1. d. 28. q. 1. n. 9. non eſſe inconveniens admittere plures quàm quinque: & certè ſi poneretur ingenerativitas in Filio, magis ipſum diſtingueres à Patre; Filiatio ſiquidem oſtendit bene ipſum eſſe genitum, non tamen prima fronte non poſſe generare, ſicut poteſt pater; quandoquidem in humanis, genitus poſſit gignere. Idem dic cum proportione de inſpirativitate in Spiritu S.

Reſp. Nihilominus non eſſe neceſſarium illas admittere, 1. Quia juxta commune Theologorum doctrinam, ad rationem notionis pertinet ut juxta noſtrum ſaltem concipiendi modum ſit aliqua dignitas Perſonæ: non videtur autem eſſe dignitas in Filio quòd non poſſit generare, nec in Spiritu S. quòd non poſſit ſpirare 2. Quia cùm intellectus divinus producendo Filium habeat terminum adæquatum ſuæ fœcunditatis. ſicut & voluntas producendo Spiritum S. eo ipſo quo Filius intelligitur procedere per intellectum, & Spiritus Sanctus per voluntatem, ſatis intelligitur Filium non poſſe generare, nec Spiritum Sanctũ ſpirare.

Dices 2. Sicut ponitur innaſcibilitas in Patre, ſaltem debet poni inſpirabilitas in Filio, & ingenerabilitas in Spiritu S.

Reſp. Neg. Aſſumpt. Cùm enim prima Perſona non cognoſcatur per Paternitatem ſub ratione principii ſine principio, ideò ultra Paternitatem non immeritò innaſcibilitatem in ipſa ſtatuimus. Jam autem ſecunda Perſona eo ipſo quo dicitur genita, dicitur inſpirabilis, ſicut tertia Perſona eo ipſo quo dicitur ſpirata, dicitur ingenerabilis; quandoquidem eadem Perſona non poſſit generari & ſpirari, aliàs eſſet ſimul Filius & Spiritus ſanctus. Præterea innaſcibilitas in Patre eſt quædam dignitas, aut ſaltem dignitatem explicat, cùm dicat ipſum a nullo procedere; inſpirabilitas autem in Filio, ſicut & ingenerabilitas in Spiritu S. nec dignitas eſt, nec dignitatem explicat, cùm non ſit dignitas (ſuppoſito quòd aliquis procedat) non procedere per intellectum, ſed per voluntatem, aut è contra.

Dixi: *Aut ſaltem dignitatem explicat*; quia cùm innaſcibilitas pro formali dicat negationem (paternitatem enim dici pro materiali, & ut ſic non eſt notio ab ea diſtincta) non eſt ratione ſui dignitas formaliter, ſed dignitatis explicativa, ſaltem à poſteriori: quod ſufficit ad rationem notionis.

Dices

Dices 3. Notio eſt ratio notificans unam Perſonam ab alia: ſed ſpiratio activa non eſt talis, cum ſit communis Patri & Filio: ergo &c.

Reſp. Neg. Min. Notificat enim Patrem à Spiritu ſancto, & conſequenter unam Perſonam ab alia. Quòd autē etiam notificet Filium ab eodem, nihil ſequitur contra nos; quandoquidem in Definitione notionis non diximus: notificans unam tantùm Perſonam. Unde ad rationem notionis ſufficit, ſive unam ſive duas Perſonas ab alia notificet.

Ad probationem Min. Dico Spirationem activam eſſe quidem communem Patri & Filio, hoc ſenſu quòd non ſit proprietas abſoluta uni tantùm perſonæ conveniens, non tamen hoc ſenſu, quòd non ſit proprietas comparativa in ordine ad Spiritum S. cui illa non competit.

Dices 4. Filius eſt Verbum & imago Patris, Spiritus ſanctus donum & amor Patris & Filii: ergo debent in ipſis poni certæ notiones, quibus hoc innoteſcat.

Reſp. N. Conſ. Quia eo ipſo quo intelligitur Filius procedere per intellectum, & per modum naturæ, ſatis intelligitur eſſe Verbum & imago, ſicut ſatis cognoſcitur Spiritus S. eſſe donum & amor, quando intelligitur procedere per voluntatem, cujus actus primus eſt amor & donum.

DISPUTATIO TERTIA.

De tribus Perſonis divinis in communi.

QUÆSTIO I.

An Trinitas Perſonarum poſſit ratione probari, ſaltem ſuppoſita ejuſdem Revelatione?

DIco *Ratione*; quia probari poſſe ex ſcripturis, evidenter conſtat ex Queſt. 1. hujus Tractatus; Non inquirimus autem de probatione negativa, quę conſiſtit in ſola Objectionum ſolutione; quia ſic probari poſſe extra dubium eſt; ſed de poſitiva, quæ nitatur medio aliquo naturali lumine noto.

CONCLUSIO I.

NOn poteſt evidenter probari ſola ratione Trinitas Perſonarum. Ità communiter Theologi contra Claudianum Mamertum V. Sæculi presbyterum, & Petrum Abaillardum, qui, ut refert D. Bernardus Epiſt. 190. jactabat ſe hoc & alia Fidei myſteria profundiſſima poſſe ſolo ingenii ſui acumine penetrare.

Prob. 1. Ex Scriptura Luc. 10. *Nemo ſcit quis ſit Filius niſi Pater, & quis ſit Pater niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare*: undè Concluſio noſtra videtur de Fide.

Prob. 2. Ex D. Hieronymo in proemio lib. 18. in Iſaiam: *Trinitatis recta confeſſio eſt ignoratio ſcientiæ*. Hormiſda Papa in Epiſt. ad Juſtinianum Imperatorem: *Secretum Trinitatis neque ulla viſibilium vel inviſibilium creaturarum potuit inveſtigare natura*. Cui præluxerat Ambroſius lib. 1. de Fide ad Grat. cap. 10. *Impoſſibile eſt*, inquit, *generationis Verbi divini ſcire ſecretum, mens deficit, vox ſilet*. Auguſtino Epiſt. *Multa ſunt, quæ de Trinitatis ineffabilitate dicuntur, non ut ipſa dicatur, alioqui non eſſet ineffabilis, ſed ut illis dictis, illa dici non poſſe intelligatur*.

Prob. 3. Ratione; Omnis notitia naturalis, quam habemus aut habere poſſumus de Deo, provenit ex ejus effectibus, ſeu ex creaturis: atqui illi effectus non procedunt à Deo ut trino, ſed ab ipſo ut omnipotente, ſapiente, & ſupremo artifice: ergo ex illorum productione non poſſumus evidenter probare Deum eſſe trinum in Perſonis: imò ſi per impoſſibile unica foret in divinis perſona, adhuc eſſent creaturæ, cùm adhuc eſſet virtus illarum productiva, nempe omnipotentia.

Prob. 4. Quia nullum eſt vel minimum Trinitatis veſtigium ſive in Angelis, ſive in hominibus, ſive in quibuſcumque aliis creaturis; quandoquidem quotquot ſunt in cœlo, & in terra creaturæ, potiùs contrariam oſtendant, cùm omnes omnino, ne vel unica excepta, habeant unicam eſſentiam in unico ſuppoſito.

Objic. 1. Plures Philoſophi gentiles habuerunt notitiam hujus myſterii; ergo ſola ratione poteſt cognoſci, adeoque probari. Prob. Ant. Quia, ut refertur apud Euſebium lib. 11. de præparatione Euangelica, Zoroaſtes Chaldæus ſcripſit: *Monas genuit duadem, & in toto mundo lucet Trias*. Et ibidem Claudianus Mamertinus de Platone ait: *Qui tantis ſæculis ante puerperium Virginis, ante prædicatam ſummę Trinitatis in gentibus unitatem ineffabilem, unum tres in divinitate Perſonas laudabili auſu, mirabili ingenio, non imitabili eloquio quæſivit, invenit, prodidit*.

Reſp. Gentiles philoſophos hoc cognoviſſe non ſola ratione, ſed quia illud didicerunt vel à philoſophis Ægyptiis, quibus Abraham & Moyſes illam notitiam ingeſſerunt; vel à Sybillis, quæ plurima de SS. Trinitate fuerunt vaticinatæ; vel etiam ab ipſis dœmonibus, qui antequam laberentur, Trinitatis revelationem habuerunt, eamque diſſeminarunt vel juſſu Dei, vel ut hominibus perſuaderent tres eſſe Deos dicendo tres eſſe Perſonas: unde Plato, qui Trinitatem admiſit, etiam tres Deos eſſe ſuſtinuit.

Objic. 2. Cognito effectu, poteſt cognoſci cauſa: ſed creaturæ ſunt effectus trium Perſonarum, quandoquidem producantur per divinam omnipotentiam communem tribus Perſonis: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Cognito effectu, cognoſci poteſt cauſa, ſecundùm per ſe concurrit ad effectum: C. ſecundùm quod non concurrit per ſe: N. Jam autem Deus ut trinus non concurrit per ſe ad productionem creaturarum, ſed ut omnipotens, & ideo licèt, viſis creaturis, poſſit colligi dari omnipotentem, non tamen Omnipotentem illum eſſe trinum, cùm præſertim, ut diximus, adhuc eſſent creaturæ, licèt per impoſſibile Deus non eſſet trinus in Perſonis.

Obji. 3. Homo habet in ſeipſo imaginem Trinitatis, nempe animam cum tribus potentiis eidem animæ realiter identificatis, ſcilicet intellectu, voluntate & memoria: ergo &c.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia licèt tres ſint in anima noſtra potentiæ, ſicut tres ſunt in natura divina Perſonæ, illæ tamen potentiæ nec realiter inter ſe diſtinguuntur, nec per ſe ſubſiſtunt ſicut Perſonæ divinæ.

Objic. 4. Summa perfectio eſt generare ſibi ſimile: ſed naturali ratione probamus dari ens ſummè perfectum: ergo & generans ſibi ſimile: & conſequenter probari poteſt dari ſaltem duas Perſonas.

Reſp. Diſt. Ma. Summa perfectio eſt generale ſibi ſimile abſque ſubſtantiæ & naturæ diviſione in genito & generante: C. cum diviſione ſubſtantiæ: N. hoc enim includit aliquam imperfectionem. Jam autem lumen naturale potiùs dictat generationem fieri non poſſe ſine diviſione ſubſtantiæ, quàm fieri poſſe ſine illa, & conſequenter non poteſt inde probari evidenter dari generationem in Deo, in quo non reperitur niſi perfectio ſimpliciter ſimplex.

Obji. 5. Si non poſſet Deus ut trinus ſola ratione probari, nec poſſet Deus ut unus; cùm ut unus non minùs ſit ſupernaturalis, quam ut ut trinus: ſed hoc eſt falſum: ergo & illud.

Reſp. Neg. Ma. Ad cujus probationem dico Deum ut unum non minus eſſe quidem ſupernaturalem in entitate, quàm Deum ut trinum, eſſe tamen minùs imò eſſe naturalem in ratione cognoſcibilis, cùm ut ſic habeat connexionem cum effectibus naturalibus.

Objic. 6. Poteſt ſola ratione cognoſci animam rationalem eſſe totam in ſingulis corporis partibus: ergo & eſſentiam divinam eſſe totam in tribus ſuppoſitis.

Reſp. Diſparitatem eſſe, quod anima non identificetur corporis partibus; ſicque poteſt concipi quomodo per bilocationem, centilocationem &c. poſſit eſſe tota in omnibus corporis partibus: eſſentia autem divina identificatur illis ſuppoſitis realiter diſtinctis; ſicque videtur deſtrui hoc naturale principium: *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*; quandoquidem eſſentia divina ſit eadem tribus ſuppoſitis, quæ non ſunt eadem inter ſe.

Obji. 7. Deus non communicat ſe infinitè ad extrà, cùm nulla creatura ſit infinita: ergo ad intra; & conſequenter cognoſci poteſt naturaliter plures eſſe Perſonas.

Reſp. Quòd licèt de facto ſe communicet ad intra, ratio tamen naturalis potiùs dictat hoc implicare; quia dictat communicationem non poſſe fieri ſine naturæ multiplicatione, ſeu diviſione; talis autem communicatio non eſſet ad intra, ſed ad extra; cùm natura multiplicata non ſit Deus.

CONCLUSIO II.

NEquidem ſuppoſita divina revelatione poteſt hoc Myſterium ſola ratione evidenter probari.

Ratio eſt, quia divina revelatio nec facit creaturas à Deo ut trino dependere, nec ponit in creaturis aliquod Trinitatis veſtigium: ergo cum omnis cognitio naturalis, quam habemus de Deo, oriatur ex creaturis, non poteſt, etiam ſuppo-

ſita

ſita revelatione, Trinitas Perſonarum evidenter probari ſola ratione.

Dices: Ratio naturalis dictat Deum eſse veracem in revelando. ergo ſuppoſita divina revelatione, ratio dictat evidenter exiſtere Myſterium SS. Trinitatis.

Reſp. Diſt. Conſ. Dictat evidenter evidentia petita ab extrinſeco, ſeu ab authoritate revelantis: C. evidentia petita ab intrinſeco, ſeu à medio naturaliter cum Trinitatis exiſtentia connexo: N. unde non negamus ex ſuppoſita divina revelatione poſſe naturaliter probari, ſed negamus, illa ſuppoſita, poſſe probari naturaliter ex medio rei intrinſeco; quia tale medium non ſubminiſtrat ipſa revelatio.

Petes: An non poſſet reperiri in creaturis aliquale Trinitatis veſtigium.

Reſp. Poſſe, ſed ità tenue & improportionatum, ut nullo modo convincat. In anima rationali, quæ una in ſe aliqualitèr eſſentiæ divinæ unitatem repræſentat: & triplex, ſcilicet in potentiis: Perſonarum Trinitatem: unde Auguſtinus: *Quiſquis hæc tria, ſcilicet memoriam, intelligentiam, & voluntatem in ſua mente naturaliter divinitus inſtituta vivaciter perſpicit, ... profectò ſummæ illius Trinitatis imaginem.* 2. In arbore, ubi reperiuntur rami & folia & tamen ſunt unica arbor. 3. In ſole, ubi videtur orbis, radius, & lumen: & tamen, ut loquitur Athanaſius Quæſt. 4. *Orbis, radius, & lumen non dicuntur tres ſoles, ſed unus ſol.* Aliæ Trinitatis imagines viderint poſſunt in elementis apud Authores.

Hic inquirunt aliqui an ſaltem non poſſit ſtabiliri ſola ratione hujus Myſterii probabilitas? Sed cùm idipſum negemus de Incarnationis Myſterio, & rationes militantes pro uno, militent & pro altero, illuc Lectorem remittimus.

QUÆSTIO II.

An tres Perſonæ ſint verus Deus?

TRes Perſonas unicum eſſe Deum ſatis patet ex Scripturę textibus Quæſt. præc. relatis: unde hic tantùm quęritur, an quęlibet Perſona ſit verus Deus Deitate ſuprema: quod addo propter dicenda inferius.

Quantùm ad Patrem, ne vel unus hæreticus ipſi ſpecialiter divinitatem denegavit: Dico *Specialiter*, quia voluerunt aliqui (de quibus Auguſt. lib. de Hæreſibus Hæreſi. 7.) Patrem ſeorſim ſumptum non eſſe Deum, ſed tantum collectivè cum aliis Perſonis; ita ut Pater ſit pars ejus quod eſt Deus, Filius alia pars, & alia Spiritus S. & omnes ſimul verus Deus; ac ideo naturam unam tribus communem negabant. Quorum errorem ſecutus Joachim Abbas defunctus circa annum 1200. damnatus fuit à Concilio Lateran. ſub Innocentio III. cap. 2.

Quantùm ad Filium, varii varia ſomniarunt. *Simon magus* voluit eſſe Deo inferiorem, uti refert Euſebius Cæſar. lib. 7. Hiſt. Eccl. cap. 9. *Valentinus* docuit Patris, (à quo, ut ait, in tempore proceſſit) ignorantiam habuiſſe. Ità S. Irenęus lib. 1. cap. 1. *Arius* fecit ipſum creaturam, licèt aliis creaturis perfectiorem, quem ideo voluit eſſe ex nihilo conditum; non tamen ex ſubſtantia Patris, cui negavit fuiſſe conſubſtantialem. Arium ſecuti ſunt *Aeriani*, aliter *Anomiani* ſtatuentes Filium Patri diſſimilem, à quorum errore non diſſidebant *Acatiani*, ità dicti ab Acatio Cæſarienſi Epiſcopo; quia licet Filium dicerent Patri ſimilem imagine, ne Chriſtianos ſcandalizarent, dicebant tamen & natura & proprietatibus diſſimilem. *Semi-Ariani*, quorum Dux fuit Baſilius Ancyranus Epiſcopus, media via inceſſerunt, aſſerentes cum Catholicis Filium eſse Patri quoad omnia ſimilem, & negantes cum Arianis eſse ei conſubſtantialem; ita ut Filium facerent Deum, non tantùm propter divinas dotes, ſicut Ariani, & Sociniani, ſed etiam propter naturam, non tamen Deum ſupremum, eo quòd non eſſet Patri conſubſtantialis.

Extinctum Arianiſmum (qui tamen adhuc Sæculo VI. vigebat, cùm nunc à Patre Ariano Martyrium ſubierit D. Hermenegildus, ut refert D. Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 3.) ſuſcitavit Sæculo XVI. Michael Servetus Hiſpanus, qui & ſuſtulit Perſonarum divinarum diſtinctionem. Hic ideo Genevæ combuſtus, non potuit hæreticas circa hoc Socinianorum, ſeu fratrum Polonorum opiniones cohibere, nam Sabelianorum principiis imbuti, nempe quòd nulla eſſet inter Perſonas diſtinctio, Filium fecerunt creaturam, & Spiritum S. divinum quemdam efflatum, ut ſuperiùs diximus.

Quantùm ad Spiritum S. etiam turpiter errarunt nonnulli, ut Simon Magus, Valentinus, Montaniſtæ, Manichæi, Ariani, Anomæi, ſed apertius Macedoniani, ſic dicti à Macedonio Cōſtantinopolitano Epiſcopo: de illis enim ſic ſcribit Aug. Hæreſi 52. *De Patre & Filio rectè ſentiunt quòd unius ſint, & ejuſdem ſubſtantiæ vel eſſentiæ, ſed de Spiritu S. hoc nolunt credere, creaturam eum eſſe dicentes.* Præfatorum omnium Hæreſes conabimur tribus Articulis confundere.

ARTICULUS I.

An Pater ſit Deus?

INtellige, contra Joachimum Abbatem, independenter ab aliarum Perſonarum collectione: nam Patrem eſſe Deum, ſaltem Filii, & Spiritus S. aggregatione, nullus unquam Hæreticorum dubitavit.

CONCLUSIO UNICA.

PAtet ſecundùm ſe, & velut ſeorſim ab aliis Perſonis, eſt verus Deus.

Prob. 1. Ille eſt verus & propriè Deus, quem Scriptura ſine addito aut limitatione appellat Deum: ſed talis eſt Pater: ergo. Prob. Min. Quia Joan. 1. legitur: *Verbum erat apud Deum*, id eſt, apud Patrem. Et cap. 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te* Patrem, *ſolum Deum verum*, ubi ponitur *Solum*, non ad excluſionem Filii aut Spiritus S. ſed falſorum Deorum: unde Sap. 2. de Chriſto dicitur: *Gloriatur Patrem ſe habere Deum.*

Prob. 2. Ex Concilio Lateran. IV. ſub Innoc. III. ubi contra Joachimum decernitur Cap. *Damnamus*, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum tres eſſe Perſonas, & ſigillatim quamlibet earum eſſe Deum, adeoque Patrem eſſe Deum quaſi ſeorſim ab aliis Perſonis, ſicut aliæ Perſonæ ſunt etiam Deus quaſi ſeorſim à Patre.

Prob. 3. Vel Pater ſecundùm ſe habet naturam infinitam, vel finitam: ſi infinitam: ergo ſecundùm ſe eſt Deus; cùm infinitum in eſſentia includat omnes omnino perfectiones imaginabiles ſine ulla imperfectione, quod ſoli Deo competit. Si finitam: ergo nec cum Filio & Spiritu Sancto eſt Deus; quandoquidem finitum cum finito aut pluribus finitis nunquam faciat infinitum.

Dices 1. Si Pater ſecundùm ſe eſt Deus, Filius ſecundùm ſe Deus &c. etiam eſſentia divina ſecundùm ſe erit Deus, & ſic non trinitas, ſed quaternitas reperietur in divinis.

Reſp. Quòd licèt Pater realiter diſtinguatur à Filio, non tamen Pater aut Filius ab eſſentia, quam includunt tanquam ſui conſtitutivum: & ſic ſicut Pater non eſt Deus quaſi ſeorſim ab eſſentia, ità nec eſſentia quaſi ſeorſim à Patre eſt Deus: unde concludenda eſt trinitas non quaternitas.

Dices 2. Eſſentia divina eſt principium perſonarum: ergo quælibet ſecundùm ſe eſt Deus verus, à fortiori eſſentia divina ſecundùm ſe.

Reſp. Diſt. Ant. Eſt principium virtuale & quaſi metaphyſicum, ſicut eſſentia dicitur principium ſuarum proprietatum: C. eſt principium reale & phyſicum, ſicut eſt Pater reſpectu Filii: N.

ARTICULUS II.

An Filius ſit verè & propriè Deus?

ID aliqui moderni inquirunt de Chriſto; ſed ſi de Filio id probaverimus, idipſum probatum erit de Chriſto, quem Filium Dei eſſe oſtendimus in Tract. de Incarn.

CONCLUSIO.

FIlius eſt veriſſimè Deus ſummus deſignatus per vocem *Jehova*. Eſt contra Sabellianos, Arianos, Socinianos &c.

Prob. 1. Ex veteris Teſtamenti textibus, ubi nomen *Jehova* ſæpiſſimè tribuitur Filio, ac

Primo Iſaiæ 8. v. 13. ubi poſtquam dixit: *Dominum Jehova exercituum ſanctificate*, addit: *Ipſe ..... erit vobis in ſanctificationem.* Et inferiùs: *In ruinam habitantibus Jeruſalem*: quod de Filio incarnato expreſsè inſinuatur Luc. 2. *Poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael.* Item dicitur, *In lapidem offenſionis, & in petram ſcandali*: quod de Chriſto reperitur Rom. 9. 1. Petri. 2.

Secundò Iſaiæ 9. ubi de Filio nobis per incarnationem dato legitur. *Vocabitur nomen ejus .... Deus fortis, Pater futuri ſæculi*, ſeu, ut fert textus Hebræus, *Pater æternitatis*. Quis autem *Deus fortis*, quis *Pater æternitatis*, niſi Deus ſummus, niſi Deus *Jehova*?

Ter-

Digitized by Google

Tertio quod dicitur ſpecialiter de *Adonai*, & *Jehova* Iſa. 6. nempe *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*, idipſum aſſeritur de Filio humano Apocal 4. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt*.

Quartò Zachariæ ſ ſ. dicitur Dominus Jehova (ut colligitur ex contextu) triginta argenteos appretiatus: illum autem eſse Filium incarnatum, à Juda ſic venditum, quis ignorat, & Scriptutam legit, præſertim Matth. 27.

Denique variis locis dicitur *Deus* ſimplicìter, & abſolutè, ut Iſa. 35. *Deus ipſe veniet, & ſalvabit vos*. Item cap. 46. *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator*. Baruch. 3. ubi poſtquam dixit: *Hic eſt Deus noſter*, ut oſtendat ſe loqui de Filio, ſubdit. *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*. Quis autem magis Deus, quàm qui ſimpliciter & abſolutè Deus?

Prob. 2. Ex teſtimoniis innumeris novi Teſtamenti, ubi ſimiliter ſine ulla limitatione dicitur Deus, ut Jo. 20. *Dominus meus, & Deus meus*, inquit S. Thom. palpatis Chriſti manibus & latere. 1. Jo. 5. *Filius Dei venit.... hic eſt verus Deus*. Rom. 9. *Ex quibus Chriſtus eſt, qui eſt ſuper omnia Deus*.

Prob. 3. Matth. 16. dicitur ſpecialiter *Filius Dei vivi*, Jo. 3. *Filius unigenitus*, Rom. 8. *Filius proprius*: ergo Filius naturalis; ſi naturalis: ergo ejuſdem naturæ cum ſuo principio; aliàs non naturalis, ſed adoptivus eſſet: ſi autem ejuſdem naturæ: ergo etiam Deus. Ex quibus patet quàm immerito Sociniani velint tantùm eſſe Filium Dei adoptivum, ob ingentia nempe gratiarum munera, quibus abunde fuit cumulatus: ſi enim tantùm adoptivus, quomodo *proprius*, ſi adoptivus, quomodo unigenitus, cum etiam omnes juſti ſint Filii adoptivi. Præterea ut oſtendat Apoſtolus filiationem illam eſſe Verbo ſoli propriam, ſic loquitur Hebr. 1. *Cui enim Angelorum dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te?*

Prob. 4. Filius eſt unus cum Patre, juxta illud Jo. 10. *Ego & Pater unum ſumus*: ergo eandem cum Patre habet naturam, adeoque divinam ſicut Pater. Scio Arianos velle eſſe *unum*, ſicut *credentium erat cor unum & anima una*, Act. 4. ſed etiam ſcio ſi non ſe dixiſſet unum cum Patre alia unitate, quàm voluntatum conformitate: ſicut erant primi credentes, quòd noluiſſent eum Judæi propterea lapidare, nec interrogati à Chriſto, cur eum lapidarent, reſpondiſſent. *quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum*. Chriſtus autem tantùm abeſt ut dicat Judæis obmurmurantibus, ſe nonniſi impropriè eſſe unum cum Patre, ut è contra veram unitatem confirmaturus aſſerat: *Si mihi non vultis credere, operibus credite*. Volunt Sociani eſſe unum, ſicut Spiritus & aqua & ſanguis dicuntur unum, Jo. 5. ſed huic Objectioni reſpondimus ſupra, ubi de Perſonarum trinitate.

Prob. 5. Scriptura facit Filium æqualem Patri: ſed ſi Filius non eſſet, Deus non poſſet dici æqualis Patri: ergo Prob. M. Ex 2 ad Philip. *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*: imò ait ipſemet Jo. 16. *Omnia quæcumque habet Pater mea ſunt*. Unde Auguſt. lib. 2. contra Maximin. c. 14. *Nihil Patre minus habet ille, qui dicit, omnia quæ habet Pater mea ſunt: æqualis eſt igitur*.

Prob. 6. Ille verè & propriè Deus eſt, cui competunt, divinitatis Attributa, ut æternitas, immortalitas, immenſitas, immutabilitas, omnipotentia, omniſcientia: ſed hæc competunt Filio Dei ergo. Prob. Min. Competit quidem æternitas, *Neque initium dierum, neque finem vitæ habens*, Hebr. 7. unde Micheæ 5. *Egreſſus ejus ab initio, à diebus æternitatis*. Competit Immortalitas, *Hic eſt verus Deus, & vita æterna* Hebr. 1 Etiam immenſitas, cùm ſit in cœlo & in terra. nã loquens in terra Jo. 3. de ſe dicebat: *Filius hominis qui eſt in cœlo*. Immutabilitas verò; *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient*. Similiter omnipotentia: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*. Unde de ipſo dicitur Apocalip 4. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens*. Denique omniſcientia: *Domine tu omnia noſti*. Jo. 21.

Prob. 7. Ex continua omnium ſæculorum traditione nobis ab omnibus Patribus conſtanter expoſita, cui contradicere non ſolùm eſt temerarium, ſed omnino ridiculum.

Obji. 1. Cor. 8. legitur: *Nobis unus eſt Deus Pater ex quo omnia*; ergo Filius non eſt Deus.

Reſp. Retorq. Argum. Ibidem habetur: *Unus Dominus Jeſus Chriſtus per quem omnia*: ergo Pater non eſt Dominus: unde ſicut Chriſtus non eſt Dominus cum excluſione Patris, ità nec Pater Deus eſt cum excluſione Chriſti, ſed cum excluſione falſorum Deorum, ut inſinuat contextus Apoſtoli.

Inſt. 1. Chriſtus Jo. 17. alloquens Patrem ſic ait: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum*: ergo cenſet Chriſtus ipſemet, Patrem eſſe Deum cum excluſione cujuslibet. Prob. Conſ. Nam ſi quis alloquens Clem. XI diceret: *Hæc eſt veritas ut fideles cognoſcant te ſolum Papam*, ſanè omnium ſenſu quemlibet excluderet à Papatu.

Reſp. Neg. Conſeq. Ad probationem dico diſcrimen eſse, quòd cùm ſciamus Papale miniſterium ſoli Clementi XI. pro nunc competere, facilè inferamus ly *ſolum* excludere quemlibet alium. E contra cùm nobis aliunde conſtet Deitatem etiam Filio & Spiritui Sancto competere, ſtatim colligimus ly *ſolum* non excludere Filium & Spiritum S. ſed tantùm illos quibus non competit divinitas, aut omniſi falſos, licèt hoc ex ſolo textu illo non colligamus.

Inſt. 2. Poſtquam Chriſtus dixit Patri: *Ut cognoſcant te Deum*, ſubdit: *& Jeſum Chriſtum*: ergo ſupponit Jeſum non eſſe Deum.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia non addit hoc Chriſtus ut oſtendat Jeſum non eſſe Deum, ſed ut inſinuet eſſe aliud præter Deum, nempe hominem: quod utrumque eſt fidei noſtræ objectum.

Objc. 2. Chriſtus matri petenti, ut unus filiorum ſederet ad dextram, alter ad ſiniſtram, reſpondit Matt. 20 *Sedere ad dexteram meam & ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo*, ergo non eſt tantæ poteſtatis, quantæ Pater, adeoque nec Deus ſupremus.

Reſp. Chriſti reſponſionem non eſſe abſolutam, ſed reſpectivam ad petitionem, ſeu vult non eſſe ſuum concedere Regnum ex mera indulgentia, ut petebat mater illa, ſed ſolùm propter merita, ſicut à Patre, & ab ipſo conſequenter, paratum eſt ſeu ordinatum.

Obii. 3. Chriſtus vocet Patrem Deum ſuum, ut Matth. 27. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Sed Deus ſupremus non habet Deum: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Chriſtus ut homo, ſicut quando Jo. 20. ait: *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum*: C. Chriſtus ut Deus N.

Inſt. 1. Vocando Patrem *Deum ſuum*, negat ſibi divinitatem: ergo. Prob. Ant. Quia quando homo vocat alterum Regem ſuum, fatetur ſe non eſſe Regem, ſaltem ſupremum.

Reſp. Neg. Ant. Ad probationem dico diſparitatem eſſe, quòd homo utpote unius naturæ, agnoſcendo aliquem ſibi Regem, agnoſcat ſe illi in omnibus inferiorem: Chriſtus verò utpote duplicis naturæ, poſſit ſe fateri Patri inferiorem ſecundùm naturam unam, & non ſecundùm alteram.

Inſt. 2. Qui alterum agnoſcit ſibi Deum, negat ſe Deum: ſed qui negat ſe Deum, ſe talem negat ſecundùm omnem naturam: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Negat ſe Deum: ſecundùm id, ſecundùm quod alterum agnoſcit Deum: C. ſimpliciter N.

Objic. 4. Jo. 5. dicitur. *Non poteſt Filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem*. ergo non eſt Deus, & c. 7. Chriſtus dicit de ſe ipſo: *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me*.

Reſp. Per primum nihil aliud intelligi quam quòd Filius non poſſit operari ad extra ſine Patre, ſicut non poteſt operari Pater ſine Filio; quia opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa ratione unius eſſentiæ, ac unicæ virtutis operativæ.

Ad ſecundum Dico, quòd doctrina ejus non ſit ejus quatenus homo eſt, licèt ſit ejus quatenus eſt Deus.

Obji. 5. *Miſit Deus Filium ſuum in mundum*: atqui major eſt qui mittit, quàm qui mittitur: ergo. Unde Chriſtus de ſeipſo dicit Jo. 14. *Pater major me eſt*.

Reſp. Diſt. Min. Major eſt qui mittit imperando: C. qui mittit volentem: Nego univerſaliter loquendo: unde Chriſtus dicit Patrem majorem ſe quatenus homine non quatenus Deo.

Obji. 6. Luc. ſ 8. *Quid me dicis bonum*, inquit Chriſtus, *nemo bonus niſi ſolus Deus*: ergo ipſe non eſt Deus.

Reſp. Hoc dixiſſe increpando incredulitatem, quaſi dixiſſet; cùm me non credas Deum, cur me dicis bonum, cùm ſolus Deus ſit bonus?

Obji. 7. Filius habet principium ſui eſſe & durationis: ergo non eſt Deus.

Reſp. Diſt. Ant. Habet principium ſui eſſe & durationis, id eſt principium à quo procedit ſecundùm eſſe & durationem: C. id eſt initium ſui eſſe & durationis: N. Fuit enim ab æterno: unde quamvis omne corruptum habeat finem ſui eſse, non tamen omne genitum habet ſui eſse initium ſed tantùm quod gignitur in tempore. Pro aliis objectionibus

Adverte 1. Filium non præfuiſse in Patre realiter ſed tantùm ſecundùm modum noſtrum concipiendi.

Adverte 2. Filium in divinis ſemper gigni, & ſemper genitum eſse, & ideo rectè dici poteſt generationem divinam ſemper eſſe in via; & ſemper in termino, quamvis rectiùs dicatur, ſecundùm Auguſtinum, Filium ſemper genitum eſse, quàm ſemper gi-

Digitized by Google

gigni; quia licèt ſemper duret actus gignendi, eſt tamen ſemper perfectus & completus.

Adverte 3. In rigore loquendo falſam eſse hanc propoſitionem: Filius erat antequam gigneretur; quia giguitur in æternitate, quæ eſt indiviſibilis; licèt poſſit admitti cum aliqua modificatione, dicendo nempe: Antequam gigneretur hodie genitus eſt heri, ſed illud *Ante* tantùm afficit tempus noſtrum, non ipſam generationem.

Adverte 4. Generationem in creatis dicere perfectionem, quia eſt actio quædam vitalis; iu divinis autem, nullam dicit, quia eſt relatio. Et ſic non eſt perfectior Pater quàm Filius; adeoque hoc non obeſt quominus Filius, qui uon generat, ſit etiam Deus.

Adverte 5. Patrem eodem modo Filium generare, quo ſeipſum intelligit, cùm illum generet ſeipſum intelligendo; adeoque ſicut ſeipſum nec liberè, nec coactè intelligit, ſed neceſsariò, ità nec liberè, nec coactè, ſed neceſsarium Filium generat.

Adverte 6. Beatius eſse dare, quàm accipere ex inopia, non tamen quàm accipere ex abundantia & fœcunditate naturæ propriæ.

ARTICULUS III.

An Spiritus Sanctus ſit verè Deus?

CONCLUSIO.

SPiritus Sanctus eſt etiam verus Deus. Eſt de Fide.

Prob 1. Ex Act. 5. *Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto? Non es mentitus hominibus, ſed Deo* 2. Creatio quæ ſoli Deo convenit, tribuitur Spiritui Sancto, Judith. 16. *Miſiſti Spiritum, & creata ſunt*. Et Pſ. 103. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur*. 3. Locutus eſt per Prophetas prædicendo & annuntiando, juxta illud 2. Pet. 1. *Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines:* ſed hoc ſolius eſt Dei: ergo. 4. Eſt ubique. *Spiritus enim Domini replevit orbem terrarum*, Sap. 1. Hoc autem ſoli Deo competit.

Obij. 1. varia Scripturæ loca 1. Rom. 8. *Spiritus poſtulat pro nobis:* atqui Deus non poſtulat, ſed dat: ergo 2. Amos 4. habetur juxta Verſionem Septuaginta: *Dominus creans ſpiritum:* ergo eſt creatura. 3. Jo. 1. *Omnia per ipſū facta ſunt:* ergo & Spiritus 4. *Quæcumque audierit loquetur*, Jo. 16. ergo ut loquatur deber inſtrui, quod non convenit Deo. 5. *Spiritus omnia ſcrutatur*, Jo. 1. ergo quærit, adeoque ignorat. 6. Qui loquitur in Prophetis eſt Spiritus S. ſed Zachar 4. dicitur: *Angelus qui loquebatur:* ergo 7. *Spiritus Prophetarum*, qui eſt Spiritus S. Prophetis ſubjectus eſt: ergo non eſt Deus.

Reſp. Ad primum juxta Sanctos PP. dici poſtulare; quia adjuvat nos ut poſtulemus, ut patet ex verbis præcedentibus: *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram; nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus:* undè etiam Rom. 8. dicitur: *In quo*, ſcilicet excitante, & adjuvante ſuis gratiis, *clamamus Abba Pater*.

Ad ſecundum Dico per *Spiritum* intelligi ventum, ſicque habet lectio vulgata.

Ad Tertium Reſp. Omnia per ipſum facta eſſe, quæ facta ſunt, inter quæ non eſt Spiritus Sanctus.

Ad quartum Dico, quòd loquetur quæcumque audierit, non per indigentiam tanquam minùs docti à doctiore, ſed per communicationem eſſentiæ, adeoque & ſcientiæ, quàm à Patre & Filio accepit.

Ad quintum Reſp. Quod ly *ſcrutatur*, idem ſit ac penetrat & comprehendit.

Ad ſextum Dico etiam per Angelos loqui in Prophetis Spiritum Sanctum.

Ad ſeptimum Reſp. Hunc ſenſum eſſe: Spiritus humanus Prophetarum ſubjectus eſt Spiritui divino, qui prophetat per ipſos.

Objicies 2. 1. Corinth. 8. dicitur: Nobis unus eſt Deus Pater.

Reſp. Per hæc & ſimilia verba, vel in Scripturis, vel à Patribus relata, excludi plures Deos, non plures in eadem Deitate Perſonas.

QUÆSTIO III.

Per quid conſtituantur & diſtinguantur Perſonæ divinæ?

SUppono 1. Perſonas divinas, quæ ſunt ſimpliciſſimæ; juxta definitionem Concilii Lateran. conſtitui ex eſſentia & relationibus; quia non conſtitutio, ſed compoſitio opponitur ſimplicitati: jam autem licèt eſſentia & relatione diſtinguantur inter ſe formaliter, quia tamen non habent ſe per modum actus & potentiæ, ex illis non fit compoſitio, licèt fiat conſtitutio.

Suppono 2. Perſonas divinas non diſtingui ſe totis ab invicem, quandoquidem conveniant in eſſentia: undè in Concilio Florent. ſeſs 1. dicuntur Perſonæ differre non ſe totis, ſed per ſuas proprietates: quod ante dixerat Ambroſius in Symbolum Apoſtolorum cap XI. *Nos*, inquit, *Deitatis Perſonas n proprietatibus ſuis diſtinguentes, unitatem tamen Sanctiſſimæ Trinitatis inſeparabilem confitemur:* undè licet eſſentia divina diſtinguatur ſe tota à quolibet alio, non tamen Perſona, quia Perſona ultra eſſentiam importat aliam formalitatem.

Suppono 3. Quæſtionem eſſe de conſtitutione in eſſe perſonali, cùm certum ſit conſtitui in eſſe eſsentiali per eſſentiam. His ſuppoſitis.

CONCLUSIO.

PErſonæ divinæ conſtituuntur in eſse perſonali per proprietates, non abſolutas, ut volunt Linconienſes & Joannes à Ripa; ſed relativas, ſcilicet Pater per Paternitatem, Filius per Filiationem, & Spiritus S. per ſpirationem paſſivam; & conſequenter per eaſdem à ſe invicem diſtinguuntur, cùm idem ſit principium 1 conſtitutivum, & 1. diſtinctivum; nam quælibet res ab alia diſtinguitur eo quòd ſit talis & non talis, & conſequenter id per quod habet, quòd ſit talis; diſtinguit ipſam ab omni alio quod non eſt tale.

Prob. 1. Quia quotieſcumque Scriptura, Concilia, Patres, imò & Theologi loquuntur de Perſonis divinis, aſſumunt nomina relativa Patris, Filii, & Spiritus S. ergo ſignum eſt proprietatibus relativis, non abſolutis, conſtitui: unde Damaſus Papa in ſuo Symbolo: *Proprium nomen eſt Patri Pater, proprium eſt nomen Filio Filius: proprium nomen Spiritui ſancto Spiritus Sanctus*.

Prob. 2. Per id Perſonæ conſtituuntur, per quod multiplicantur: ſed ſolæ relationes multiplicant Perſonas: ergo ſolæ relationes illas conſtituunt. Maj. certa eſt. Prob. Min. ex Concil. Flor. ubi Jo. Theologus ſeſs 18. dixit: *Sola relatio apud omnes tam Græcos quàm Latinos PP. divina proceſſione Perſonas multiplicat*. Cui concordant Boetius lib de Trinit. c. 12. *Sola relatio multiplicat Trinitatem*, & Anſelmus de Proceſſione Spiritus S. c. 5. ubi aſserit in divinis omnia eſse unum, ubi non obviat relationis oppoſitio.

Prob. 3. Juxta Florentinum Pater gignendo Filium, dedit ei omnia ſua præter eſse Patrem: ergo Pater nihil habet, quod non ſit in Filio præter Paternitatem, & conſequenter per eam conſtituitur, & à Filio diſtinguitur.

Prob. 4. Si Perſonæ conſtituerentur per aliquid abſolutum, haberent naturas diverſas; hoc eſt falſum: ergo.

Prob. Ma. Quia omne abſolutum in divinis pertinet ad eſſentiam: ergo ſi conſtituerentur per aliquid abſolutum, haberent omnes diverſas eſsentias. Præterea cùm omne abſolutum in divinis ſit perfectio Pater haberet aliquam perfectionem, quam non haberet Filius, & è contra aliquam Filius, quam non haberet Pater.

Obji. 1. Perſona divina non eſt unum per accidens: ſed ſi conſtitueretur per relationem, ex ea & eſſentia exurgeret unum per accidens; quandoquidem in creatis ex ſubjecto & relatione unum ſimile exurgat; ergo.

Reſp Neg. Min. Quod autem in creatis relatio faciat unum per accidens cum ſubjecto, oritur ex eo quòd non tantùm realiter diſtinguatur a ſubjecto: ſed etiam ſit diverſi ab eo prædicamenti; jam autem in divinis nec realiter ab eſſentia diſtinguitur, nec eſt, ut ità loquar, diverſi ab ea prædicamenti, cùm utraque ſit ſubſtantia.

Obji. 2. Perſona conſtituitur per ſubſiſtentiam: hæc eſt quid abſolutum: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Conſtituitur per ſubſiſtentiam communem præintellectam perſonalitatibus: N. Per ſubſiſtentiam perſonalem: C. ſed hæc eſt quid relativum, licèt illa ſit quid abſolutum Fuſius hac de re Quæſt. ſeq.

Obji. 3. Ante omnem relationem Pater, Filius, & Spiritus S. ſunt ſuppoſita; ergo Perſonæ: cùm Perſona idem ſit quòd ſuppoſitum naturæ rationalis. Prob. Ant. quia ante omnem relationem Deus vult & intelligit, actiones autem ſunt ſuppoſitorum.

Reſp. Neg. Ant. & diſt. Conſequens Probationis: Actiones ſunt ſuppoſitorum, id eſt neceſſariò rerum ſubſiſtentium incommunicabiliter: N. anima enim rationalis ſeparata verè operatur ut quod, & tamen communicabilis eſt corpori. Id eſt rerum ſubſiſtentium ſivè incommunicabiliter, ſivè communi-

nicabiliter: C. Deus autem præintellectus relationibus verè ſubſiſtit, licèt communicabiliter, ac ideò non ſit ſuppoſitum.

Obji. 4 Pater priùs eſt Perſona quàm generet; cùm prius ſit eſſe, quàm operari: ergo non conſtituitur in eſſe perſonali per generationem activam, ſive Paternitatem.

Reſp. Neg. Ant. ad cujus Probationem dico quòd prius ſit eſſe quàm operari; in quibus operari diſtinguitur ab eſſe, non tamen quando ipſum operari, eſt ipſummet eſſe; jam autem eſſe Patrem in divinis, eſt ipſum generare, ſicut naſci, eſt eſſe Filium.

Inſt. 1. Vera eſt hæc Propoſitio: *Ideo Pater divinus* eſt Pater, *quia* generat. ergo prius eſt eſſe Patrem quàm generare.

Reſp. Retorq. Argum. Vera eſt hæc Propoſitio: *Ideo Pater divinus eſt Pater, quia generat*: ergo prius eſt generare quàm eſſe Patrem. Unde dicendum eſt hanc utramque propoſitionem eſſe veram non in ſenſu cauſali, ſed concomitativo, ſicut veræ ſunt ſequentes: Ideo Petrus eſt homo, quia eſt rationalis: & Ideo Petrus eſt rationalis, quia eſt homo.

Inſt. 2. Pater refertur ad Filium per generationem activam, ſeu Paternitatem: ſed prius eſt Relatum Relatione, per quam refertur: ergo prius eſt Pater generatione activa.

Reſp. Diſt. Min. Prius eſt relatum relatione non conſtituente ipſum relatum. C. ſic prior eſt paries albus ſimilitudine, per quam refertur ad alium parietem album Relatione conſtituente ipſam relatum, ſicut hic fit. N.

Inſt. 3. Relatio non conſtituit relatum, ſed præſupponit: ergo &c.

Reſp. Diſt. Ant. Relatio divina, de qua hic N. Relatio creata: Subdiſt. Prędicamentalis: C. Tranſcendentalis N. hęc enim indentificatur ipſi relato, ut videre eſt in relatione creaturæ ad Deum.

Obji. 5. Prius eſt conſtituens Conſtituto: ſed non eſt prior Paternitas Patre; aliàs etiam Filiatio eſſet prior ipſo, quandoquidem Paternitas & Filiatio ſint ſimul natura: ergo.

Reſp. Diſſimulata Maj. Diſt. Min. Paternitas in actu exercito, ſeu prout formaliter exercens munus referendi Patrem, quo ſenſu eſt ſimul natura cum Filiatione, non eſt prior Patre: C. Paternitas in actu ſignato, ſeu ſumpta præciſè pro forma nata referre ſuum conſtitutum, eo ipſo quo intelligitur eſſe, non eſt prior Patre, ſaltem ſecundùm modum noſtrum concipiendi: N. ſed ut ſic ſumpta oon concipitur ſimul natura cum Filiatione.

Replicabis: Paternitas in actu ſignato non concipitur ut conſtituens: ergo &c.

Reſp. Diſt. Ant. Non concipitur ut conſtituens in actu 2. C. in actu 1. N. Nec volumus conſtituens eſſe prius conſtituto niſi in actu 1. nam in actu 2. ſunt ſimul & natura & cognitione.

Obji. 6. Prius eſt ſuppoſitum generans ſuppoſito genito ſed ſi Pater conſtitueretur per Paternitatem, & Filius per Filiationem eſſent ſimul natura & cognitione, quia eſſent correlativa: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Prius eſt &c. origine: C prius eſt tempore aut natura N. univerſaliter loquendo: nam hoc ſpeciale eſt perſonis divinis quòd una ſit quidem prior altera origine tanquam principium illius productivum, non tamen tempore; quia ſingulæ ſunt ab æterno: nec natura, quia nulla dependet ab alia, utpotè ejuſdem omnino naturæ.

Obji. 7. Relatio terminatur ad abſolutum, ſed ſi perſonæ conſtituerentur per relationes, terminaretur ad relativum: ergo.

Reſp. Quidquid ſit de creatis, falſam eſſe Majorem in divinis, nam cùm relatio debeat referre ad diſtinctum, & nihil ſit in divinis ab alio diſtinctum niſi relatio, aut relativum; hinc eſt quòd debeat referre relativum ad relativum.

QUÆSTIO IV.

Quot ſint ſubſiſtentiæ in divinis?

SUppono 1. Ultra exiſtentiam abſolutam, dari tres relativas in Deo realiter inter ſe diſtinctas; nam cùm dentur tres relationes realiter inter ſe diſtinctæ, ut antea oſtendimus, unaquæque autem ſit entitas actualis relativa, ſequitur quòd quælibet in ſuo conceptu entitatis actualis includat exiſtentiam, quandoquidem non diſtinguatur exiſtentia ab entitate actuali: unde ſi qui Patres dicant eſſe unicam exiſtentiam, aut unicum exiſtere in Deo; loquuntur de exiſtentia abſoluta. Inde tamen nolo inferre eſſe tres eſſentias etiam relativas; quia cum dicitur exiſtentiam eſſe indiſtinctam ab eſſentia actuali, eſſentia ſumitur late pro quidditate rei; quando autem dicitur eſſentia ſimpliciter ſumitur pro radice proprietatum, quæ unica eſt in Deo.

Suppono 2. Dici poſſe tres eſſe hypoſtaſes in Deo, ſicut dicimus tres eſſe Perſonas, tria ſuppoſita, quia licèt hac de re fuerit controverſia Latinos inter & Græcos, illis tres hypoſtaſes admittere non audentibus, ne viderentur admittere tres eſſeotias: unde Hieronymus Epiſt. 57. ad Damaſum: *Taceantur tres hypoſtaſes, ſi placet, & una teneatur*: his verò audacter tres hypoſtaſes aſſerentibus, eo quòd ſcirent hypoſtaſim & ſuppoſitum idem eſſe; jam autem uſus invaluit ut hypoſtaſis, perſona, & ſuppoſitum pro eodem ſumuntur. His ſuppoſitis.

CONCLUSIO I.

TRes ſunt in divinis ſubſiſtentiæ relativæ. Ità Scotiſtæ & Thomiſtę graviores communiter. Prob. 1. Ex PP. Cyrillo Alexandrino Dial. de Trinit. lib. 3. *Omnis noſtræ fidei ſermo huc tendit, ut unam videamus Deitatis naturam, quæ in tribus ſubſiſtentiis propriè ſubſiſtit*. Damaſceno lib. 1. de Fide cap 9. *Tres hypoſtaſes, ideſt, ſubſiſtentiæ* Athanaſio Serm. de Deipara: *Unum Deum*, inquit, *in tribus ſubſiſtentiis prædicamus*. Idem legitur in Conciliis Nicæno 1. Conſtantinopolitano 1. & 2. Lateranenſi ſub Martino I. & Florentino.

Nec dicas nomen ſubſiſtentiæ uſurpatum fuiſſe à PP. & Conciliis pro perſonalitate; quia inde convinceris admiſiſſe tres ſubſiſtentias, cùm ſubſiſtentia, ut dicit modum ſubſiſtendi incommunicabiliter, ſit formaliter ipſamet perſonalitas, ſeu relatio conſtitutiva Perſonæ in eſſe perſonali. Ex quo patet ulteriùs reſponſio ad illos, qui dicunt Patres ſumere ſubſiſtentiam concretè, ſicut idem ſit quòd perſona; nam cùm Perſona ſit concretum ſubſtantivum, neceſſe eſt ad ejus multiplicationem, multiplicari formas, ſeu perſonalitates, adeoque & ſubſiſtentias.

Prob. 2. Ratione: Subſiſtentia incommunicabilis, eſt formaliter perſonalitas, ut diximus: tres ſunt perſonalitates: ergo totidem ſubſiſtentiæ.

Prob. 3. Humanitas Chriſti terminata eſt per ſubſiſtentiam Verbi, non Patris; aut Spiritus ſancti: ergo alia eſt ſubſiſtentia Verbi, alia Patris, alia Spiritus Sancti.

Dices 1. Nulla eſt perfectio in Patre, quæ non ſit in Filio, & Spiritu Sancto. Sed ſubſiſtentia eſt perfectio: ergo eadem eſt in Patre, Filio & Spiritu Sancto.

Reſp. Diſt. Min. Subſiſtentia abſoluta: C relativa: *Nulla* enim eſt formaliter relatio, adeoque nullam ſecundùm ſe dicit perfectionem.

Dices 2. *Omnis res ſubſiſtit ad ſe*, Auguſtinus lib. 7. de Trinit. cap. 4. ergo non datur ſubſiſtentia relativa.

Reſp. Diſt. Ant. Omnis res ſubſiſtit ad ſe, ideſt, omnis ſubſiſtentia eſt abſoluta: N ideſt, omnis res non ſubſiſtit ad aliud, ut illud aliud per ejus ſubſiſtentiam ſubſiſtat: C. Nec hoc dicimus, quia licèt Pater ſubſiſtat ſubſiſtentia relativa, non tamen ſic, ut Filius aut Spiritus ſanctus ſubſiſtat illius ſubſiſtentia.

CONCLUSIO II.

DAtur etiam in divinis ſubſiſtentia abſoluta, ſeu natura divina, ut præintellecta perſonalitatibus per ſe abſolutè ſubſiſtit, licèt communicabiliter. Pro cujus intelligentia

Adverte duplicem diſtingui poſſe ſubſiſtentiam, communicabilem unam, incommunicabilem alteram. Prima eſt exiſtentia per ſe excludens præciſè dependentiam ab alio. Secunda verò exiſtentia per ſe excludens communicabilitatem: hæc convenit perſonæ, ſeu ſuppoſito, ideſt, naturæ completæ non tantùm in eſſe naturæ, ſed etiam in eſſe perſonali; illa competit naturæ ut ſic. Et hanc ultimam ſubſiſtentiam dicimus convenire naturæ divinæ ut præintellectæ perſonalitatibus.

Prob. Igitur 1. Concluſio ex Auguſtino 7. de Trinit. cap. 5. *Si una eſſentia Trinitas, una etiam ſubſiſtentia*. Et cap. 4. dixerat: *Omnis res ſubſiſtit ad ſe*: atqui eſſentia divina ut præintellecta perſonalitatibus eſt res: ergo. Auguſtino præluxerat Agatho Papa relatus Synodo VI. Art. 4. ubi ait: *Confitemur non trium nominum ſubſiſtentiam, ſed trium ſubſiſtentiarum unam ſubſiſtentiam*.

Prob. 2. Ratione: eſſentia divina ut præintellecta perſonalitatibus eſt verus Deus, adeoque includit omnem perfectionem poſſibilem, præſertim cùm relationes perſonales nullam dicant perfectionem: ſed ſubſiſtere per ſe eſt perfectio, ut clarum eſt: ergo.

Prob. 3. Natura divina ut præintellecta perſonalitatibus exiſtit per ſe independenter ab alio ut ſuſtentante, cùm non dependeat à relationibus in exiſtendo, ſed hæ potius per illius exiſtentiam exiſtant: atqui hoc eſt habere ſubſiſtentiam,

de

de qua ſupra, ut patet ex ejus definitione: ergo &c.

Objic. 1. Si daretur illa ſubſiſtentia, natura divina, ut præſcindens à perſonalitatibus eſſet perſona: Hoc implicat: ergo. Prob. Ma. Quia perſona nihil eſt aliud quàm ſubſiſtentia naturæ intellectualis.

Reſp. Neg Ma. Ad Prob. Diſt. Aſſumpt. Perſona nihil eſt aliud quàm ſubſiſtentia prout excludit dependentiam ab alio præcisè: N. prout excludit communicabilitatem: C. ſed nego illam competere eſſentiæ ut præintellectæ perſonalitatibus, cùm ſit communicabilis tribus Perſonis, unde quando Patres confundunt hypoſtaſim, ſeu perſonam cum ſubſiſtentia, illam ſumunt in ſecunda acceptione, non in prima.

Obji. 2. Subſiſtere eſt ſic per ſe exiſtere, ut ſubſiſtenti repugnet exiſtere in alio: ſed naturæ divinæ non repugnat exiſtere in alio, cùm ſit in tribus Perſonis: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Ut ſubſiſtenti repugnet exiſtere in alio, ut ſuſtentante: C. ut ſolùm terminante: N. Eſſentia autem divina eſt in perſonis non ratione indigentiæ, ſed fœcunditatis, ſicque ab eis non ſuſtentatur, ſed præcisè terminatur: unde complementum quod ab eis accipit, non oritur ex indigentia, cùm natura divina ut præſcindens à perſonalitatibus ſit ſumma perfectio abſoluta, adeoque nullo indigens, ſed oritur ex fœcunditate, ratione cujus exigit eſſe in tribus Perſonis, & ſine quibus non poteſt exiſtere, ſicut non poteſt exiſtere Pater divinus ſine Filio, licèt illo non indigeat,

Objicies 3. Sufficiunt tres ſubſiſtentiæ relativæ in Deo: ergo &c.

Reſp. Diſt. Ant. Sufficiunt ut reddant naturam incommunicabilem: C. ut reddant impedimentum ab alio ut ſuſtentante: N & ideo alia abſoluta requiritur.

Inſt. In creatis perſonalitas reddit naturam independentem ſimul & incommunicabilem: ergo & in divinis.

Reſp. N. Conſ. Diſparitas eſt quòd perſonalitas creata ſit quid abſolutum, adeoque dicens aliquam perfectionem; divina autem relatio nullam dicens formaliter perfectionem, ac ideo perſonalitas creata dare poteſt naturæ independentiam ab alio, quæ eſt perfectio, non divina. Si autem eſſet in divinis unica Perſona, præſtaret quidem & independentiam & incommunicabilitatem, ſed tunc perſonalitas foret quid abſolutum.

DISPUTATIO QUARTA

De Perſonis divinis in particulari.

QUÆSTIO I.

Quid conveniat, & attribuatur Patri particulariter.

CONCLUSIO I.

PRopriè conveniunt Patri divino tria nomina, ſcilicèt Patris, Ingeniti, ſeu Innaſcibilis, & Principii fontalis.

Prob. 1. Pars. 1. Ex Scriptura, Conciliis & Patribus, variis in locis aſſerentibus primam Perſonam per Paternitatem conſtitui, & ab aliis Perſonis diſtingui, & conſequenter verè & propriè eſſe Patrem. 2. Ille verè & propriè dicitur Pater, qui verè & propriè generat Filium, ſed prima Perſona id perfectiſſimè præſtat, imo longè perfectius quàm omnes patres humani; quandoquidem hi generent ſibi ſimile tantùm in eadem natura ſpecifica; prima verò Perſona in eadem individuali; ergo. Undè Nazianzenus Orat. 23. ſic de prima Perſona loquitur: *Patrem eſſe credamus, Patrem multò verius, quàm qui apud nos id nomen obtinet, tùm quia proprio & ſingulari modo Pater ... tum quia in totum & totius Pater, quod de nobis certò affirmari nequit.*

Nec refert quòd aliæ Perſonæ quandoque vocentur *Pater*; nam tunc non ſumitur notionaliter, ſed eſſentialiter pro principio creaturarum, reſpectu quarum tres Perſonæ dicuntur Pater, licèt impropriè; quandoquidem creaturæ non procedant in ſimilitudinem naturæ.

Prob 2. Pars 1. Ex Concilio Nicæno, de quo ſic habet Athanaſius Epiſt. ad Serapionem: *In principiatum eſſe & ingenitum Deo Patri Catholica Eccleſia congregata apud Nicæam, ſimiliter attribuit, & toti mundo ſic eſſe credendum ſub anathemate mandavit*, Quod antea decreverat Concilium Antiochenum I.

Secundò Ex PP. Nazianzeno Orat. 23. *Patris proprietas eſt, quòd ingenitus ſit*. Et Auguſtino lib. 15. de Trinitat. Cap 2. ubi ait: *Pater ſolus non eſt de alio; ideo ſolus appellatur ingenitus.*

Tertiò ratione Theologica, quia per *Ingenitum* hîc nihil aliud intelligimus, quàm excludens omnem omnino productionem paſſivam: ſed prima Perſona, & ſola illa excludit omnem omninò productionem paſſivam, cùm nec ſit genita ut Filius, nec ſpirata ut Spiritus S. ergo &c.

An autem Innaſcibilitas ſit quid poſitivum, an negativum? Diſputatur: ſed videtur probabilius eſſe formaliter negationem, ſcilicet omnis proceſſionis ſeu productionis paſſivæ; nam ſi eſſet quid poſitivum, vel eſſet abſolutum, vel relativum. Si primum, conveniret ſingulis perſonis, quandoquidem abſoluta ſint eſſentialia adeoque toti Trinitati convenientia. Si ſecundum, per illam relationem ad aliquid referretur Pater divinus: ſed per innaſcibilitatem ad nihil refertur: non quidem ad Filium, cùm ad illum referatur per Paternitatem; non etiam ad Spiritum S. quandoquidem referatur ad illum per ſpirationem activam; nec ad creaturas, cum referantur ad illas per creationem: ergo &c.

Prob. 3. Pars 1. Ex Concilio Tolet VI. *Confitemur*, inquit, *Patrem ingenitum, increatum, fontem & originem totius divinitatis*. Ex Pp. Dionyſio de divin. Nom c 2. *A divinis Scripturis accepimus Patrem, quidem eſſe, ut ita dicam, fontanam divinitatis &c.* Athanaſio contra Gregales Sabellii: *Pater radix & fons Filii & Spiritus Sancti*. Auguſt. 4. de Trinit. cap. 2. *Deitatis principium Pater eſt.*

Dices: Divinitas non producitur: ergo pater non eſt principium fontale Divinitatis.

Reſp. Diſt. Conſ. Non eſt principium divinitatis productæ: C. divinitatis communicatæ: N. & hoc ſenſu dicitur principium fontale: vel etiam quia eſt fons & origo omnis perſonæ habentis divinitatem ab aliquo.

CONCLUSIO II.

PAter non eſt propriè cauſa Filii aut Spiritus ſancti.

Prob. 1. Ex Cyrillo libro 2. Dialog. de Trinit. ubi ait *Cauſam & cauſatum*, ſcilicet in Trinitate, *neque nominare fas eſt.*

Prob. 2. Ratione; quia cauſa ſonat ex ſe inferioritatem & dependentiam in producto: quod cuilibet perſonæ productæ repugnat. Si tamen cauſa ſumatur impropriè pro eo à quo aliquid procedit, ſive cum dependentia ſive non, poteſt dici pater cauſa Filii, ſicut Pater & Filius cauſa Spiritus ſancti; & hoc ſenſu accipiunt nomen cauſæ patres Græci, quando dicunt patrem eſſe cauſam Filii. Quo etiam ſenſu tribuunt Latini primæ perſonæ nomen Authoris reſpectu filii.

CONCLUSIO III.

NOmen *Principii* ſumpti eſſentialiter non propriè, ſed appropriatè competit Patri.

Ratio eſt; quia principium ità ſumptum commune eſt ſingulis perſonis. Cur autem approprietur patri potiuſquàm aliis perſonis, inde provenit, vel quod pater ſit principium ſine principio, vel quia eſt principium divinitatis communicatæ, ut diximus. Ut autem rem meliùs intelligas

Adverte principium ſumi tripliciter in divinis, primo, eſſentialiter reſpectu ſcilicet creaturarum. Secundo, notionaliter reſpectu perſonarum producentium. Tertio, principaliter, primo modo convenit ſingulis perſonis, & appropriatur patri, ſecundo modo convenit patri reſpectu Filii, item Patri & Filio reſpectu Spiritus Sancti, tertio modo competit ſoli patri, ſignificatque dignitatem illam, qua pater improductus alias perſonas producit.

QUÆSTIO II.

Quænam ſint propria & appropriata Filio?

CONCLUSIO I.

TRia Nomina verè & propriè competunt ſecundæ Trinitatis perſonæ, ſcilicet Filius, Verbum & imago.

Prob. 1. Pars; quia ſecunda perſona, & illa ſola, verè & propriè generatur, adeoque verè & propriè eſt filius: unde Ambroſius l. 2. de Trinit. *Filius dicitur*, inquit: *quia ex Deo Patre naſcitur.*

Prob. 2. pars, quæ eſt contra Durandum aſſerentem Verbum eſſe eſſentiale, adeoque commune tribus perſonis, prob. inquam, 1. ex Scrip Jo 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.*

2. Ex Pp. Cyrillo l. 7. Theſauri c. 1. ubi ait: *Quaſi proprium Filii eligiſſe videatur, in principio inquit, erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, & Auguſtino 7. de Trin. c. 2. *Eo quippe Filius, quo Verbum, & Verbum quo Filius*.

3. Ratione Theologica, quia Verbum nihil eſt aliud quàm terminus ab intellectu fœcundo per dictionem productus, tamquam expreſſa imago rei intellectæ: ſed Filius ab intellectu fœcundo patris per dictionem procedit, ut diximus, eſtque imago expreſſa rei intellectæ, nempe ſubſtantiæ patris, cùm, ut loquitur Apoſtolus ad Hebr. *Sit figura ſubſtantiæ ejus*, nihilque ei deſit quominus Patrem perfectè exprimere poſſit: ergo.

Dices 1. Dicere, eſt Verbum proferre: ſed quælibet perſona divina dicit: ergo quælibet verbum profert, adeoque eſſentiale eſt & commune ſingulis perſonis.

Reſp. Neg. Min. Quia licèt quælibet perſona intelligat, non tamen quælibet dicit, ſed ſolus pater: unde quando Anſelmus aſſerit c. 6. Menologii *Pater eſt dicens, Filius eſt dicens, Spiritus Sanctus eſt dicens*, ſumit ly *dicens* impropriè, prout idem eſt quod intelligens.

Dices 2. Patres eodem modo vocant patrem Verbum, ſicut Filium: ergo nomen illud non eſt ſoli Filio proprium, Prob. Ant. quia D. Ambr. lib. de Filii divinitate c. 5. ſic loquitur: *Sive lumen de lumine, ſive dicat Verbum de Verbo* &c. & Dionyſius referens Nomina Dei lib. de divin. Nomin. cap. 1. aſſerit inter alia Deum eſſe Verbum.

Reſp. Neg. Ant. Ad prob. Dico Ambroſium non aſſerere Filium eſſe Verbum de Verbo, ſed tantùm velle quòd aliquis hoc dicens non propterea debeat credere aliam eſſentiam Patris, aliam Filii: unde poſtquam dixit: *Sive dicat Verbum de Verbo*, addit: *Unius tamen eſſentiæ Patrem & Filium credas*. Dionyſius autem refert ibi nomina quæ conveniunt Deo, ſive Patri, ſive Filio, ſive Spiritui Sancto, ſive toti Trinitati, adeoque tam perſonalia quàm eſſentialia. Quando autem Baſilius lib. 5. contra Eunomium cap. 11. ait. *Dei quidem Verbum, Filius eſt, Filii autem Verbum Spiritus*, non vult quòd Spiritus ſit propriè Verbum ſicut Filius, ſed impropriè, ſumendo Verbum pro perſona ab alia procedente, ſive interim per intellectum procedat, ſive per voluntatem.

Dices 3. Amor, qui dicitur de Spiritu ſancto perſonaliter, dicitur etiam de qualibet Perſona eſſentialiter: ergo ſimiliter Verbum, quod dicitur de Filio perſonaliter, dicetur de Patre & Filio eſſentialiter.

Reſp. N. Conſ. Diſparitas eſt, quòd *amor* ſignificet, defectu vocum, & actum amandi & terminum ipſius actus, & ſicut actum ſignificat, ſumi poteſt eſſentialiter, ut terminum, perſonaliter: Verbum autem, terminum quidem ſignificat, non tamen actum intelligendi, & ſic tantùm perſonaliter ſumitur.

Prob. 3. pars 1. ex Scriptura vocante Filium Imaginem Dei inviſibilem ad Coloſ. 1. figuram ſubſtantiæ Patris. Ad Hebr. 1.

2. Ex Pp. Cyrillo Alex. lib. 3. Theſauri cap. 1. *Filius Verbum & Imago Dei eſt*. Athanaſio Orat. 4. contra Arianos: *Licet ille ſolus ſit imago vera, & genuinus Patris ſui fœtus*. Auguſtino 6. de Trinit. c. 2. *Filius ſolus imago Patris*. Quibus addi poſſunt Nazianzenus, Nicænus & alii.

3. Ratione: Imago eſt ſimilitudo quædam ad alterius imitationem producta, ex vi productionis; ſed illa definitio Filio divino, & illi ſoli competit, quandoquidem Spiritus S. non ſit ſimilis patri ex vi proceſſionis, ergo.

Dices 1. Filius non eſt ſimilis Patri ratione filiationis, ut patet, nec ratione eſſentiæ, cùm ſit eadem in utroque, idem autem non ſit ſimile ſibi: ergo Filius non eſt imago Patris.

Reſp. Filium eſſe ſimilem Patri ratione eſſentiæ, nec inde ſequi idem eſſe ſimile ſibi; quandoquidem non dicamus eſſentiam Filii eſſe ſimilem eſſentiæ patris, ſed Filium Patri, qui inter ſe diſtinguuntur: unde quòd Filius ſit ſimilitudo Patris, id habet ratione tùm relationis, tum eſſentiæ: Relationis quidem, quia debet eſſe quid diſtinctum, Eſſentiæ verò, quia hæc eſt fundamentum ſimilitudinis.

Dices: Imago convenit toti Trinitati, ut patet ex illo. Gen. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Imago propriè dicta convenit &c. N. impropriè dicta, ſumpta pro exemplari: C. Eſt autem differentia inter imaginem & exemplar, quòd illa ſit ſimilitudo ad alterius imitationem producta; hoc verò ſit illud, ad cujus imitationem aliquid producitur. Ex dictis

Reſolve ſecundam Trinitatis Perſonam eſſe imaginem Dei, non tantùm naturalem, quæ eſt ſimilitudo in natura cum eo, à quo procedit ex vi ſuæ proceſſionis, ſed etiam intentionalem, cùm ſit formalis repræſentatio ejus, cujus eſt imago.

CONCLUSIO II.

SApientia non convenit propriè Filio, ſed appropriatè, ſicut Omnipotentia Patri, quandoquidem ſit Attributum ſingulis perſonis commune: unde ratio cur potiùs attribuatur Filio, eſt quòd Sapientia ſpectet ad intellectum, qui eſt principium Filii.

Dixi *Sapientia* ſimpliciter: nam completum illud *Sapientia genita*, certum eſt proprium eſſe Filio.

Petes, Quo ſenſu Filius Dei factus ſit nobis ſapientia, ut loquitur Apoſtolus 1. Cor. 1.

Reſp. Quòd factus ſit nobis ſapientia, non formaliter, ſed cauſaliter, in quantùm poſt Incarnationem verbo & opere nos inſtruxit & docuit, quod ad ſapientiam pertinet.

QUÆSTIO III.

Quænam conveniant Spiritui Sancto?

CONCLUSIO I.

TRia etiam nomina ſibi peculiariter vendicat tertia Trinitatis Perſona: dicitur ſiquidem Spiritus Sanctus, Amor, & Donum.

Prob. 1. pars ex Scripturis exprimentibus tertiam Perſonam per Nomen *Spiritus Sancti*, ut Jo. 5. & Matth. ult.

Secundo ex PP Chryſoſtomo Homil. 3. ubi loquens de tertia perſona ait: *Dicitur Spiritus, iſta enim eſt prima & propria appellatio*. Ambroſio in Symbolo cap. 1. *Sola tertia Perſona Spiritus Sanctus nuncupatur*.

Tertiò ratione Theologica: Spiritus, ut hic ſumitur, idem eſt quod ſpiratus. ſed tertia perſona & illa ſola eſt ſpirata: ergo &c. Dico *ut hic ſumitur*; quia Spiritus à ſpiritualitate eſt nomen commune ſingulis perſonis; adeoque ſingulæ vocari poſſunt *Spiritus Sanctus*; cum quælibet ſit Spiritus, & quælibet Sancta.

Cur autem Spiritus potiùs dicatur *Sanctus*, quam Filius? Inde oritur quòd procedat per amorem & voluntatem, unde omnis ſanctitas, ſicut & malitia originem habet, Filius autem per intellectum, adeoque per motum naturalem, circa quem non attenditur ſanctitas. Vel etiam dicitur *Sanctus*; quia peculiariter ad ipſum pertinet homines & Angelos ſanctificare.

Prob. 2. pars 1. ex Scriptura vocante Spiritum S. *Amorem* & charitatem, ut ad Rom 5. & alibi.

Secundo ex Pp. Auguſt. 15. de Trinit. c. 19. *Quid convenientius, quam ut ille charitas dicatur propriè, qui Spiritus eſt communis amborum*; Petro Damiano in Opuſc. 1. cap. 2. qui poſtquam dixiſſet quòd pater ſit *diligens illum, qui de illo eſt*, & Filius *diligens eum à quo eſt*, addit quòd Spiritus S. ſit *ipſa dilectio de qua dicitur, quia Deus charitas eſt*.

Tertiò ratione; quia ſicut in humanis, amor non tantùm ſignificat actum voluntatis, quo formaliter amamus, ſed etiam terminum, quem amando producimus; ita in divinis dicitur amor, non tantùm actus voluntatis, quo tres perſonæ diligunt, qui eſt amor eſſentialis, aut actus quo Pater & Filius ſpirant Spiritum S. qui eſt amor notionalis, ſed etiam terminus per amorem notionalem productus, qui eſt amor perſonalis.

Prob. 3. pars 1. Ex ſcriptura Act. 2. *Accipietis virtutem Spiritus Sancti*, id eſt, donum, quod eſt Spiritus ſanctus.

Secundo ex Auguſt. 15. de Trin. c. 17. *In hac Trinitate non dicitur Verbum Dei, niſi Filius, nec donum Dei, niſi Spiritus S.*

Tertiò ratione; quia Spiritus ſanctus, & ille ſolus vi ſuæ proceſſionis procedit ut amor, amori autem convenit eſſe primum donum; quia cætera dantur per amorem, qui eſt radix omnis donationis; ideo enim donamus, quia perſonam amamus: unde Scotus 1. diſt. 18. num. 7. *Nihil habet*, inquit, *rationem doni, niſi inquantum cadit ſub actu amoris, ab amore enim procedit omne donum*.

Dices: Donum eſt res alicui liberaliter & gratuitò data ac dabilis ad uſum aut fruitionem: ſed Pater & Filius ſpirando Spiritum S. nihil ipſi dant gratuitò & liberaliter: ergo &c. prob. Min. Quia licèt communicent ipſi libenter, & non coactè naturam divinam, eſt tamen ipſi in re & eſſentialiter debita.

Reſp. Quòd donum ſic definitum non habeat locum in divinis, niſi reſpectivè ad creaturas, quibus perſonæ divinæ liberaliter donantur: unde quando Spiritus ſanctus dicitur donum Patris & Filii, donum ſumitur largiùs pro re libenter alicui communicata, abſtrahendo an ſit debita necne.

Replicabis: Si donum ità ſumatur, Filius eſt etiam donum, cùm Pater communicet ipſi libenter, & non coactè eſſentiam divinam; ergo non eſt proprium Spiritui ſancto.

Reſp. Diſt. Ant. Filius eſt etiam donum, ſi ſumatur prout eſt do-

Digitized by Google

donum dantis per originem præciſè: C. Pater enim,ut præfert Replica,communicat Filio libentiſſimè, licèt neceſſariò, naturam divinam: unde Chriſtus loquens de natura divina, prout intellexit Concilium Lateran. ſic ait: *Pater meus,quod mihi dedit, majus omnibus eſt*. Si ſumatur pro eo quòd eſt donum ex vi ſuæ proceſſionis. N. unde breviter, Filius eſt donum notionaliter; Spiritus ſanctus non tantùm notionaliter, ſed etiam perſonaliter.

CONCLUSIO II.

SI fiat reſpectus ad creaturas, eſt etiam donum Spiritus ſanctus, non tamen ſolus, quia etiam Filius, imò ſingulæ Perſonæ.

Prob. 1. Pars; quia Pater & Filius à quibus procedit, eum nobis liberaliter donarunt, juxta illud Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*.

Prob. 2. Pars; quia ſimiliter Filius per originem eſt res Patris, eumque nobis gratuitò conceſſit, juxta illud Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*.

Prob. 3. Pars; quia ſingulæ perſonæ poſſunt nobis ſeipſas donare, juxta illud Joan. 14. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Quod de tota Trinitate dicitur.

Dices. Donum debet eſſe diſtinctum à donante: ergo Perſonæ non poſſunt ſeipſas nobis donare.

Reſp. Neg. Ant. Sicut enim poteſt quis ſeipſum vendere, locare, in ſervitutem tradere, quidni & donare?

CONCLUSIO III.

ALia quædam Nomina attribuuntur Spiritui S. quæ ſequentibus verbis refert & explicat Doctor Seraph. lib. 1. Compendii Theologici c. 9. Dicitur 1. *Fons* quia ſeptemplici rivo donorum, quæ recenſet Iſaias c. 11. in nos fluit. 2. *Ignis*, quia affectum in nobis accendit. 3. *Charitas*; non tantùm quia amor eſt Patris & Filii, ſed quia nos amantes facit. 4 *Spiritualis unctio*; quia omnes tribulationes mundanas ſuaves facit & mundas, ſecundùm illud Proſæ *In labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium*. 5. *Dexteræ Dei digitus*; quia ſicut res corporales digito demonſtrantur, ita per Spiritum S. oſtenduntur res ſpirituales oculo ſpirituali. 6. *Paracletus*; quia conſolationes cæleſtes mentibus inſtillat. 7. *Magiſtrorum optimus*; quia intellectum ad Dei cognitionem, & ſui ipſius illuminat. Plura alia ipſi tribuuntur, quæ videre poteris apud Authores.

Petes: Quinam Terniones tribuantur Perſonis divinis?

Reſp. Sequentes: 1. Tribuitur *Omnipotentia* Patri, *Sapientia* Filio, & *Bonitas* Spiritui S. propter rationes ſatis notas.

Secundò Auguſtinus lib. 1. de Doctr. Chriſt. tribuit *Unitatem* patri; quia ſicut unitas eſt principium numeri, ità Pater in Trinitate principium. *Æqualitatem* Filio: quia incipit ab ipſo dualitas requiſita ad æqualitatem; & Spiritui S. *Concordiam*; quia eſt quaſi vinculum Patris & Filii. 3. Tribuitur *Unitas* Patri, ob rationem dictam: *Veritas* Filio; quia procedit per intellectum cujus objectum eſt *Verum*; & *Bonitas* Spiritui S. quia procedit per voluntatem, cujus objectum eſt *Bonum*. 4. Hilarius lib. 2. de Trinit. appropriat *Æternitatem* Patri, quia ſicut æternitas non habet principium durationis, ità nec Pater principium ex quo. *Speciem* Filio; quia eſt imago patris. Et *Uſum* ſeu fruitionem Spiritui S. quia prima & ſecunda perſona in ipſo delectabiliter acquieſcunt.

DISPUTATIO V.

De Miſſione Perſonarum, & modo loquendi in hac materia.

QUÆSTIO I.

Quid Miſſio divina, & an aliquæ Perſonæ divinæ fuerint miſſæ?

CONCLUSIO I.

MIſſio, ut hic ſumitur, eſt proceſſio originalis Perſonæ divinæ à Perſona mittente ad creaturam, in qua incipit eſſe novo modo per effectum viſibilem vel inviſibilem.

Dicitur 1. *Proceſſio*, ut oſtendatur quòd Pater divinus non poſſit mitti, cùm à nullo procedat: unde Auguſtinus lib. contra Sermonem Arianorum cap. 4. ait: *Solus Pater non legitur miſſus quoniam ſolus non habet authorem, à quo ſit genitus, vel à quo procedat*.

Dicitur 2. *Originalis*, ut excludatur miſſio per imperium, quod denotat ſubjectionem in perſona miſſa: miſſio per conſilium, ut cùm quis in arte belli verſatus, mittit Regem ad caſtra, quod ſignum eſt ignorantiæ in eo qui mittitur: Denique omnis miſſio quæ importat aliquam imperfectionem, aut dependentiam: unde quamvis lumen per originem procedat à ſole, flos ab arbore, quia tamen in illa proceſſione involvitur aliqua dependentia; ideò omnes illæ miſſiones hic excluduntur; quia per proceſſionem originalem intelligimus illam, quæ omnem prorſus excludit imperfectionem.

Dicitur 3. *Perſonæ divinæ à Perſona mittente ad creaturam*; quia miſſio divina duplicem involvit reſpectum, realem unum, qui eſt inter miſſum & mittentem, eſtque ipſamet relatio originis, cùm hic mitti à Perſona, ſit ab illa produci: & rationis alterum, qui eſt inter miſſum, & creaturam, ad quam mittitur.

Dicitur 4. *In qua incipit eſſe*, ad oſtendendum quòd licèt miſſio ſit inadæquatè ab æterno, ſecundùm id ſcilicet quod eſt proceſſio Perſonæ à Perſona, non ſit tamen adæquata & completa, niſi in tempore incipiat eſſe in creatura: unde partim eſt æterna, partim temporalis: æterna quoad principium, temporalis quoad terminum; imò ſimpliciter dicitur temporalis; quia in rigore non eſt miſſio, niſi quando integra ratio miſſionis exiſtit, quod fit in tempore, quando ſcilicet ad proceſſionem æternam accedit terminus temporalis: quod confirmat Apoſtolus ad Galat. dicens: *Ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum*, ubi miſſio dicitur temporalis, non æterna. Idem patet in creatione, quæ licèt entitativè fuerit ab æterno, quia tamen ſolum habuit terminum in tempore, dicitur temporalis.

Dicitur 5. *Novo modo*; quia cùm quælibet Perſona divina ſit ubique, implicat ut ſit de novo ſimpliciter in creatura, ſed bene per aliquam operationem ſeu productionem alicujus effectus, qui licèt ſit communis toti Trinitati, eo quòd opera Trinitatis ad extra ſint indiviſa, appropriatur tamen Perſonæ miſſæ: nam cùm miſſio fiat ut manifeſtetur perſona miſſa, ideò effectus in quo, vel per quem manifeſtatur, ſpecialiter ipſi attribuitur.

Dicitur denique: *Per effectum viſibilem vel inviſibilem*; quia miſſio dividitur ex parte effectus in viſibilem & inviſibilem. Viſibilis eſt, vel quando fit cum aliquo ſigno ſenſibili, quo pacto deſcendit Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos in ſpecie linguarum ignis: vel quando terminus temporalis eſt ſenſibilis, & talis fuit miſſio Filii in mundum ut incarnaretur. Inviſibilis autem, quando Perſona divina mittitur ut creaturam rationalem inhabitet per gratiam ſanctificantem, abſque ſigno ſenſibili ſui adventus. Ex dictis.

Reſol. 1. Unam perſonam ab alia mitti, nihil aliud eſſe quàm unam ab alia procedere, & in mundo viſibiliter apparere, aut inviſibiliter operari: unde Auguſtinus lib. 2. de Trinit. c. 5. *A Patre exire*, inquit, *& venire in hunc mundum, mitti eſt*.

Reſol. 2. Defectu proceſſionis Patrem non poſſe mitti ab aliis Perſonis, neque Filium à Spiritu S. unde textus Iſa. 48. *Dominus Deus miſit me, & Spiritus ejus*, intelligitur de Chriſto homine qui miſſus fuit à Patre, & Spiritu S non per naturam, ſed per imperium ut prædicaret, & alia ſalutis noſtræ opera exequeretur.

Reſol. 3. Quòd licèt miſſio importet in recto proceſſionem unius Perſonæ ab alia, & effectum temporalem tantùm in obliquo; principaliter tamen conſiſtit in effectu temporali; quandoquidem effectus ille determinet proceſſionem æternam quaſi de ſe indifferentem, ut ſit miſſio.

CONCLUSIO II.

FUerunt aliquæ Perſonæ miſſæ, ſcilicet Filius & Spiritus Sanctus.

Prob. de Filio: *Miſit Deus Filium ſuum in mundum*. Joan. 3. *Ego ex Deo proceſſi, & veni in mundum*. Joan. 8. & 16. *Exivi à Patre, & veni in mundum*: unde Auguſtinus Tract. 102. in Joan. *Exiit à Patre, quia de Patre eſt, & in mundum venit, quia mundo ſuum corpus oſtendit*.

Prob. De Spiritu S. Joan. 16. *Si autem abiero mittam eum ad vos*, &c. 14. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo* &c. Imò quater viſibiliter miſſum eſſe inſinuant Scripturæ. 1. in Baptiſmo Chriſti, ſub ſpecie columbæ. 2. ſub ſpecie linguarum ignearum in die Pentecoſtes. 3. ſub ſpecie flatus poſt Reſurrectionem. 4. ſub ſpecie nubis lucidæ in transfiguratione. Species columbæ denotat Chriſti fæcunditatem per generationem ſpiritualem in Baptiſmo: Species linguarum, effectum prædicationis fervidæ: Species

flatus, peccatorum expulſionem per Pœnitentiam: & Species nubis lucidæ plenitudinem Sanctificationis Chriſti: unde nunquam Perſona divina mittitur viſibiliter; quinetiam per dona gratiæ mittatur inviſibiliter; non quidem eodem inſtanti quo viſibiliter mittitur, ſed vel pro tunc, vel ante; ſic Spiritus S miſſus ad Chriſtum ſub ſpecie columbæ, indicabat plenitudinem gratiæ, non quæ tunc conferebatur, ſed quæ ei collata fuerat ab initio conceptionis; quandoquidem omnem ſuam gratiam ab illo inſtanti habuerit.

Reſol. 1. Ex Perſonarum miſſione mirabiliter confundi Sabellianos, ooicam in divinis Perſonam admittentes: quo enim pacto fieri poteſt, ut una & eadem Perſona mittat, & mittatur?

Reſol. 2. Malè inferre Arianos ex hac miſſione Filium eſſe minorem Patre; cum miſſio illa non fiat per imperium, ut diximus, ſed per proceſſionem originalem unius Perſonæ ab alia.

QUÆSTIO II.

Quomodo ſit loquendum in hac materia?

L*iteris & verbis loquuntur Philoſophi*, inquit Auguſt. 10. de Civit. cap. 23. *nec in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem religioſarum aurium pertimeſcunt; nobis autem ad certam regulam loqui, fas eſt, ne verborum licentiam de rebus, quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem*. Et ideo quid, inter loquendum in hac materia adeo difficili, ſit uſurpandum, quid vitandum, Concluſionibus ſequentibus breviter ſtatuemus.

CONCLUSIO I.

QUæ de Perſonis divinis prædicantur, dicuntur ſingulariter, ſi eis competant ratione ſolius eſſentiæ, pluraliter, ſi ſolùm ratione proprietatum perſonalium: utroque modo, ſi ratione eſſentiæ & proprietatum.

Ratio eſt; quia cùm eſſeotia in divinis Perſonis ſit ona, relationes autem ſint plures, clarum eſt ea quæ de Perſonis dicuntur, debere ſingulari numero exprimi, ſi eis competant ratione ſolius eſſentiæ; plurali verò, ſi ratione relationum, cùm prædicatum debeat ſequi oumerum illius, ratione cujus attribuitur. Hinc

Reſol. 1. Quòd in divinis dicantur tres Perſonæ, tres hypoſtaſes, tria ſuppoſita; quia tres ſunt relationes conſtituentes, ratione quarum multiplicantur.

Reſol. 2. In Perſonis unicam eſſe voluntatem, unicum intellectum, unicam ſapientiam &c. quia unica eſt eſſentia, ratione cujus ipſis præfata competunt.

Reſol. 3. Unicam eſſe exiſtentiam, ſubſiſtentiam, rem, ſubſtantiam, entitatem, ſcilicet abſolutam, ratione eſſentiæ: & tres exiſtentias, ſubſiſtentias, res, ſubſtantias, entitates; ſcil relativas ratione perſonalitatum, ſeu relationum; imò tres eſſe veritates, unitates, & bonitates ſimiliter relativas; nam cùm illa ſint proprietates entitatis, ſequitur multiplicatis entitatibus, & illas multiplicari.

Sed ao etiam ſint tres æternitates relativæ? Videtur diſtinguendum: vel enim æternitas ſumitur prout eſt modus durationis infinitè perfectæ, vel ut eſt modus durationis præciſè. Si primo modo ſumatur, non poſſunt dici tres æternitates, quandoquidem durationes relativæ, ſicut & ipſæ relationes non importent perfectionem ſimpliciter infinitam. Si 2. modo, dici poſſunt tres æternitates; quo ſenſu dici poſſunt tres æterni, æternitate ſcilicet relativa, ſicut veritate, & bonitate relativa dicuotur tres veri, tres boni: unde quando Athanaſius in ſuo Symbolo dicit: *Non tres æterni, ſed unus æternus*, loquitur de æternitate abſoluta, non relativa. Hoc tamen non eſt facilè uſurpandum.

Reſol. 4. Quòd licèt tres Perſonæ dici poſſint tria ſimpliciter, juxta illud Auguſt. 6 de Trin. c. 4. *Sunt illa tria unus Deus*, non tamen in rigore tria individua; quia ad multiplicationem individuorum requiritur multiplicatio naturæ: unde quando individuum dicitur quod eſt indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio, intelligi debet de diviſione, non tantùm perſonali, ſed etiam naturæ.

Reſol. 5. Quòd dici poſſint tres perfecti, tres magni, tres omnipotentes, tres juſti &c. ſi illa verba ſumantur tantùm adjectivè, ſicut dicuntur tres creantes, tres habentes Deitatem; quia ad multiplicationem concretorum adjectivorum, ſufficit ſola multiplicatio ſuppoſitorum,

Dixi: *Si ſumantur tantùm adjectivè*; quia ſi ſumantur *ſubſtantivè*, ut ordinariæ ſumuntur & uſurpantur à Patribus, non poſſunt dici tres perfecti &c. ſed unus perfectus; quia perfectio in Deo non multiplicatur, ſicut nec magnitudo &c. ad multiplicationem autem concretorum ſubſtantivorum requiritur non tantùm multiplicatio ſuppoſiti, ſed etiam formæ, aut quaſi formæ.

CONCLUSIO II.

A Deo coercenda ſunt nomina *Duplex, triplex, multiplex*. Deuſque eſt appellandus trinus, non triplex, Trinitas, non triplicitas; quia *triplex* & ſimilia denotant numerum in Deo ſecundùm rationem Deitatis: Trinus autem aut Trinitas præciſè, numerum trium: qui reperitur in divinis. Quòd ſi Spiritus S. dicatur Sap. 7. dicatur multiplex, intelligendum eſt cauſaliter, in quantùm multiplicia confert dona.

Dixi *A Deo*, non tamen à Perſona; quia poteſt dici in divinis Perſona triplex, aot multiplex; quia addendo *Perſona*, ſatis excluditur naturæ multiplicitas. An autem Deitas dici poſſit trina; ut dicitur in Hymno Martyrum.

Reſp. Quòd ſic, ſubintelligendo in Perſonis, aliàs non; quia ſecundùm ſe tantùm eſt unica.

CONCLUSIO III.

POteſt dici in divinis Filius unum cum Patre, non unus, alius à Patre, non aliud.

Ratio eſt; quia *unum* neutraliter denotat unitatem naturæ, & *unus* maſculinè unitatem ſuppoſiti. Item aliud ſubſtantivè denotat diſtinctam eſſentiam, *alius* adjectivè diſtinctum ſuppoſitum.

CONCLUSIO IV.

PErſonæ divinæ non debent dici unitæ, conjunctæ &c. quia hoc infert compoſitionem: nec diſpares, alienæ, aut diſcrepantes, ne tollatur ſimilitudo. Nec diverſæ, differentes, diviſæ, ſeparatæ; quia hoc importat alietatem naturæ.

CONCLUSIO V.

TAntùm valet in divinis prædicatio identica, quando vel non eſt diſtinctio formalis inter extrema, vel ſi eſt, unum ſaltem extremum eſt formaliter infinitum, ratione cujus infinitudinis poſtulat identificare ſibi omne compoſſibile, adeoque & alterum extremum. Hinc

Reſol. 1. Non rectè dici: Paternitas aut Filiatio eſt ſpiratio activa; quia inter illa eſt diſtinctio formalis, nec ullum extremum eſt formaliter infinitum, cùm utrumque ſit relatio. Ex quo ſequitur à fortiori non valere hanc Propoſitionem: Paternitas eſt Filiatio; cùm ſit inter illa diſtinctio realis; ultra quod neutrum ſit formaliter infinitum.

Reſol. 2. Valere has Propoſitiones io ſenſu reali: Deitas eſt æternitas, Sapientia eſt Paternitas, Juſtitia eſt Filiatio, Bonitas eſt Spiratio paſſiva, & activa; item Pater eſt Deus, Deus eſt Pater, Eſſentia divina eſt Pater, Filius & Spiritus S. & ſic de multis aliis, inter quorum extrema licèt ſit diſtinctio formalis, unum tamen eſt formaliter infioitum. Dico *& ſic de multis aliis*; quia non valet univerſaliter omnis propoſitio, ubi unum extremum eſt formaliter infinitum. Sic licèt valeat illa propoſitio: Eſſentia divina vult, intelligit, non tamen valet: Intellectus vult, voluntas intelligit; quia denotatur, intellectum eſſe principium immediatum volitionis, & voluntatem intellectionis: quod non admittitur. Quando autem dicitur, Eſſentia vult, intelligit; tantùm inſinuatur quòd ſit principium remotum, verum eſt. Item non valet: Eſſentia divina generat, aut ſpirat; ſicut nec generatur, aut ſpiratur, quia primùm denotat quòd ſit principium *quod* generationis aot ſpirationis, quod negavimus: propter quam rationem non rectè etiam dicitur; Paternitas generat, Filiatio ſpirat. Secundum verò denotat quòd Deitas prodocatur, quod eſt falſum. Pro Coronide

Adverte ex Becano (apud quem plura hac de re videre poteris) quòd Deus poſſit ſumi 1. Simpliciter ut hic Deus eſt trinus, Trinitas. 2. Suppoſitaliter, ſeu pro aliquo ſuppoſito divino, ut cùm dicitur: Deus *generat*, & ſumitur pro Patre; *generatur*, & ſumitur pro Filio. 3. Abſolutè, ut cùm dicitur: Deus creat, gubernat.

THEO-

THEOLOGIA MORALIS ET SCHOLASTICA

De Actibus humanis , eorumque Regulis & Principiis.

CUm adulti nonniſi per actus humanos in cœium conſcendant in æternum regnaturi, & nonniſi per eoſdem in Infernum deſcendant io æternum arſuri, fruſtraneum eſſet hujus materię utilitatem & neceſſitatem Scholaſticis inculcare . Unum tamen deplorandum eſt, & quòd circa hęc ſalvationis & perditionis media, vel potiùs circa eorumdem regulas, tot, etiam monſtruoſa, irrepſere opinamenta: aliis viam ſalutis, quam *arctam* eſſe & *anguſtam* docet ipſamet Veritas , ſupra modum dilatantibus aliis è contra ſuper humeros Fidelium imponentibus jugum, quod nec Patres noſtri portare potuerunt , nec ipſi ferre ſuſtinent, aliud docentes, aliud facientes .

Horum malorum fons eſt & origo, quòd controverſiæ quæque morales ad ſolos humanæ rationis calculos cootrudantur , relictis Patrum ſententiis, Conciliorum ſtatutis, Pontificum decretis, Scholæque Principum documentis , ex quibus tamen poſſunt omnes quotquot occurrunt in moralibus difficultates ſine violentia dilucidari . Nos ideo præfatis adhærentes via media inter latiorem & anguſtiorem conabimur incedere . Faxit Deus ut nec ad dexteram declinemus, nec ad ſioiſtram . Porro librum hunc in varios Tractatus dividemus . Primus erit de Natura & Diviſione actuum humanorum , eorumque Malitia & Bonitate. Secundus de interna actuum humanorum regula, quæ eſt Conſcientia. Tertius de Legibus, quæ ſunt externæ eorumdem regulæ. Quartus de actuum humanorum Principiis, ſeu libero Arbitrio & Gratia . Ultimus denique de Merito & Juſtificatone .

T R A C T A T U S I.

DÆ ACTIBUS HUMANIS

EORUMQUE BONITATE ET MALITIA.

HUic Tractatui præponunt aliqui diſſertationem de Beatitudine ; ſed quoniam mos eſt Scotiſtarum de illa in 4. lib. ſen tentiarum agere , ſeu immediatè poſt Tractatum de Sacramentis , ubi de quatuor noviſſimis diſſeritur , illuc etiam lectorem remittemus.

DISPUTATIO PRIMA.

De Natura & Diviſione actus humani .

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex actus humanus ?

ADverte triplicis generis eſſe actus, qui ab homine egrediuntur: alii enim ab ipſo procedunt , in quantum animal eſt, ut audire, videre, comedere, dormire & ſimilia, in quibus convenit homo cum aliis animalibus: Alii procedunt ab ipſo ut rationalis eſt, ut velle, intelligere, amare, odiſſe &c. per quæ diſconvenit ab aliis animalibus : Alii denique fiunt ab ipſo cum libertate & advertentia rationis, ſive interim actus illi egrediantur à potentiis animalibus , ſive à potentiis rationalibus . Hoc notato

CONCLUSIO I.

ACtus humanus eſt ille , qui egreditur ab homine cum libertate & advertentia rationis operante; ſeu, ut loquitur D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 1. cujus homo ut homo dominus eſt .

Dicitur 1. *Qui egreditur*, poſitivè ſcilicet, vel privativè: unde omiſſio alicujus poteſt dici actus humanus moraliter, ut poſtea videbitur .

Dicitur 2. *Ab homine*; & ideo actus qui ab Angelis, aut etiam ab animabus ſeparatis eliciuntur , licèt fiant cum advertentia rationis, & libertate, non ſunt in rigore actus humani .

Dicitur 3. *Cum libertate*, ſcilicet Indifferentiæ, quæ in eo conſiſtit , quòd , poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis , poſſit agere & non agere, vel agere hoc, & oppoſitum ejus: undè libertas Indifferentiæ eſt duplex, una contradictionis ſeu exercitii, quæ eſt ad contradictoria , V. g. ad amorem & non amorem , ſeu ceſſationem amoris: altera contrarietatis , ſeu ſpecificationis, quæ eſt ad contraria , V. g. ad amorem & odium .

Dicitur 4. *Et advertentia rationis*, quæ duplex eſt , perfecta una , imperfecta altera : Prima eſt cognitio clara & diſtincta ejus quod agimus ; ſecunda verò , cognitio confuſa , & indiſtincta , qùæ confuſio plerumque accidit vel ex diſtractione ad alia objecta , vel ex ſubita paſſione & animi turbatione. Ex dictis

Reſol. 1. Omnes actus hominis , ſive materiales , ſive ſpirituales, eſſe actus humanos, ſi liberè & advertente eliciantur : unde non tantùm intellectio aut volitio, ſed etiam viſio, auditio, comeſtio &c. participare poſſunt rationem actus humani.

Reſol. 2. Si Petrus utatur, per vim omnimodam, manu Pauli ad alterum occidendum , occiſionem non fore actum humanum, adeoque nec peccatum reſpectu Pauli ; quia etſi actum illum advertenter ponat, non tamen liberè .

Reſol. 3. Actum Accedentis ad non ſuam credentis invincibiliter eſſe ſuam , non eſſe humanum in ratione adulterii; quia etſi liberè accedat, non tamen advertenter ſub illa ratione. Imò etiam dici poſſet quòd non accedat liberè quatenus aliena eſt .

Reſol. 4. Poſſe aliquid eſſe actum humanum ſub una ratione , & non humanum ſub altera, ut in caſu allato, ubi copula in ratione acceſſus ad mulierem præcisè, eſt actus humanus , non tamen in ratione acceſſus ad non ſuam.

Reſol. 5. Non omnem actum hominis dici actum humanum, ſaltem in genere moris ; quia per actum hominis intelligitur actus ille qui ab homine fit , quocumque modo fiat , etiam dormiendo , per actum verò humanum , ille qui fit ab homine advertenter & liberè , ſeu in quantùm eſt *dominus ſuorum actuum per rationem & voluntatem*, ut ait D. Th. ſuprà : undè prima intellectio, actus indeliberati voluntatis, ſicut & riſus, fletus, auditio, viſio &c. quando non fiunt ex imperio voluntatis, ſunt quidem actus hominis, non tamen actus humani: & ideo actus hominis latius patet, quàm actus humanus , cum omnis actus humanus ſit actus hominis, non è contra .

Dixi: *Saltem in genere moris*; quia omnis actus hominis ſpectatus præcisè ſecundùm entitatem & ſubſtantiam , dici poteſt humanus in genere naturæ .

CONCLUSIO II.

Actus humanus alius eſt merè elicitus, alius merè imperatus, alius elicitus & imperatus ſimul. Merè elicitus eſt, qui à voluntate tanquam à potentia proxima & phyſica egreditur, ſine tamen prævio ipſius voluntatis imperio, ut prima volitio. Merè imperatus eſt, qui ex imperio voluntatis ab aliis potentiis producitur, ut intellectio ab intellectu, viſio ab oculo, ambulatio à potentia loco motiva. Elicitus, & imperatus ſimul, qui à voluntate immediatè procedit ex prævio ipſius voluntatis imperio, ut actus odii dependens à priori voluntatis actu, quo quis vult alium odio habere.

QUÆSTIO II.

Quot ſint actus eliciti voluntatis?

Suppono voluntatem eſſe fugitivam mali, & proſecutivam boni; quatenus autem proſecotivam, verſari vel circa finem, vel circa media. Hoc ſuppoſito.

CONCLUSIO I.

Tres ſunt actus eliciti voluntatis circa finem, ſcilicet Volitio, ſeu amor ſimplex aut complacentia, Intentio ſeu deſiderium, Fruitio ſeu poſſeſſio.

Ratio eſt: quia finis (qui eſt id cujus gratia aliquid fit) tripliciter poteſt conſiderari, 1. ut in ſe bonus, cui ut ſic correſpondet Amor. 2. Ut per media aſſequibilis, cui reſpondet Intentio. 3. Ut jam obtentus, cui reſpondet Fruitio.

Porro Volitio ut ſic, ſeu ſimplex amor, eſt actus voluntatis reſpiciens finem ut in ſe amabilem, abſtrahendo, an ſit præſens vel abſens, poſſibilis vel impoſſibilis, ut amor ſanitatis propter convenientiam, quam habet cùm natura animali, ibi ſiſtendo.

Intentio autem eſt actus voluntatis in finem ut abſentem & per media aſſequibilem, eſtque ex natura ſua efficax; ita ut nunquam intentionem habeat voluntas, niſi adhibeat media (ubi poſſibilia ſunt) ad finis conſecutionem. Nec efficax dicitur propter actus inteotionem, quia quantumvis remiſſe deſideremus, ſi verè deſideràmus, media tamen adhibemus.

Fruitio denique (ſi non ſumatur pro delectatione aut gaudio) eſt amor efficax finis jam obtenti: etſi enim circa finem jam obtentum nihil ſit efficiendum, ita tamen volontas in eum fertur, ut, ſi abeſſet, eum aſſequi vellet.

Dixi: *Si non ſumatur pro delectatione*; quia ut ſic non eſt actio, ſed paſſio, ut rectè advertit Scotus: nam cum triſtitia ſit paſſio; contrariorum autem eadem ſit ratio, ſequitur fruitionem ſumptam pro delectatione eſſe paſſionem. Ex dictis

Reſol. 1. Tres actus voluntatis jam explicatos differre ſpecie: licèt enim habeant idem objectum materiale, nempe finem, habent tamen diverſum objectum formale, quia terminantur ad finem diverſimodè conſideratum, ut patet ex dictis in probatione concluſionis.

Reſol. 2. Diſcrimen eſſe inter amorem ſimplicem, & intentionem, quod hæc nec feratur, nec ferri poſſit in impoſſibile repræſentatum ut tale: illa tamen poſſit. Ratio eſt; quia intentio, eſt volitio efficax finis ut conſequendi per media: nullus autem, niſi rationis expers vult adhibere media ad conſequendum id quod novit impoſſibile. Amor verò ſimplex, cùm ſit volitio inefficax, tantumque importet affectum ad rem, & non ejuſdem aſſecutionem, poteſt inefficaciter velle quod novit impoſſibile; ſic aliqui homines dicunt; vellem eſſe avis, piſcis, Angelus, licèt ſciant illa impoſſibilia: ſic mali Angeli, juxta Scot. 2. diſt. 6. q. 1. o. 4. voluerunt eſſe æquales Deo, aut ſaltem id velle potuerunt, quamvis ſcirent hoc eſſe impoſſibile.

Reſol. 3. Volitionem aliam eſſe efficacem, quæ ſcilicet, quantùm eſt de ſe, tendit in finem cum abſoluto ordine ad media, per quæ eſt obtinendus, aliam inefficacem, quæ quidem fertur in finem, ſed ſine tali ordine. Sic multis militibus placet victoria, ita tamen ot media ad illam aſſequendam neceſſaria non adhibeant; & ideo dicuntur velle victoriam tantùm inefficaciter: vellent autem efficaciter, ſi media adhiberent.

His addi poteſt volitio conditionata, quæ fertur in finem abſolutè, ſed in media conditionatè; talis eſt hæc volitio: *Volo eſſe hodie Romæ, ſi fieri poſſit*, in quo actu exiſtentia Romæ mihi quidem abſolutè placet, ſed tantùm feror in media ſub conditione, ſi eſſent poſſibilia: unde hic actus dici poteſt *velleitas*, ſaltem reſpecto mediorum: quia reſpectu finis eſt vera volitio, cùm ſit complacentia in illo.

CONCLUSIO II.

Actus eliciti voluntatis verſantes circa media, ſunt etiam tres, Electio, Conſenſus, & Uſus. Electio eſt actus efficax, quo voluntas ex pluribus mediis unum præ alio amplectitur ad conſecutionem finis. Conſenſus, prout eſt efficax, eſt actus quo voluntas efficaciter acceptat ſeu approbat media ab intellectu propoſita ut idonea ad finem conſequendum. Uſus denique (ſcil. activus) eſt actus efficax voluntatis ſeipſam moventis, vel alias potentias applicantis ad executionem medii electi.

Dixi: *activus*, nam paſſivus nihil eſt aliud, quàm paſſiva potentiæ applicatio ad ſuum actum exercendum, V. gr. auris ad audiendum, pedis ad ambulandum &c.

CONCLUSIO III.

Tres ſunt etiam actus voluntatis circa malum: Odium ſimplex, Timor, & Triſtitia. Odium ſimplex, eſt actus quo voluntas averſatur malum ſecundùm ſe, abſtrahendo ab ejus præſentia vel abſentia, poſſibilitate vel impoſſibilitate. Timor eſt actus efficax voluntatis reſpicientis malum abſens, ut per media impediendum. Triſtitia, ut eſt actus voluntatis, eſt odium efficax mali præſentis.

Advertendum nullum ex his actibus, quatenus verſatur circa malum, verſari circa finem; quia malum ut malum nequit habere rationem medii aut finis; nemo propoſito ſibi malo, facit quæ facit, ait S. Dionyſ. c. 4. de Divinis Nominibus.

Dixi; *Quatenus verſatur circa malum*; nam ſicut verſari poteſt circa bonum ſecundariò; ità & circa finem; ſic poſſum fugere conſortium impudicorum ad obtinendam Caſtitatem.

QUÆSTIO III.

An electio diſtinguatur ab intentione, & an ex duobus mediis poſſit eligi minus bonum?

Senſus primi membri quæſtionis eſt, an ſit idem actus, quo voluntas fertur in finem & media, an verò diverſi?

CONCLUSIO I.

Ordinariè diſtinguitur Electio ab Intentione. Eſt communis.

Ratio eſt; quia ordinariè priùs finem volumus, ac poſt ea de mediis inquirimus, & tandem convenientiora eligimus: unde communiter dicitur, quòd Intentio præcedat conſilium: Electio autem, illud ſequatur. Imò intentio, juxta Vaſquez & quoſdam alios, eſt cauſa phyſica electionis; ſed melius eſt dicere quòd tantùm moraliter moveat, & determinet voluntatem ad electionem; quandoquidem voluntas non minùs ſit ſe ſola ſufficiens ad productionem electionis, quàm Intentionis: ex quo etiam ſequitur Intentionem diſtingui ab Electione, cùm nihil ſit cauſa moralis ſui ipſius. Præterea poteſt Electio eſſe actus fugæ, & Intentio actus proſecutionis: ſic qui vult efficaciter Temperantiam, fugit ebrietatem.

Dixi: *Ordinariè*, quia ſi poſſit oculus eadem viſione lucem & colorem attingere, quidni poſſet voluntas eadem volitione ferri in finem & media, ubi ſimul proponuntur? Unde juxta S. Thom. 1. 2. q. 8. art. 3. finis, ut eſt ratio volendi medium, eodem actu aperitur quo medium.

Dices 1. Ex Philoſopho 2. Phyſic. Textu 29. eodem modo ſe habet voluntas ad finem & media, quo ſe habet intellectus ad præmiſſas & concluſionem: ſed non poteſt intellectus unico actu ferri in præmiſſas & concluſionem: ergo.

Reſp. diſt. Min. Non poteſt intellectus unico actu ferri in præmiſſas, & concluſionem modo diſcurſivo C. alio modo: N. cùm enim diſcurſus ſit progreſſio ab una cognitione ad aliam, clarum eſt, non poſſe intellectum diſcurrendo ferri unico actu in præmiſſas & concluſionem; poterit tamen ſi ſimpliciter conſideret præmiſſas & concluſionem.

Dices 2. Quando unum appetitur propter aliud, neceſſe eſt, ut illud aliud priùs appetatur; ſed media appetuntur propter finem: ergo neceſſe eſt, ut finis priùs, adeoque alio actu appetatur, quàm media.

Reſp. Ma. Eſſe veram, ubi unum proponitur ante aliud; non autem quando proponuntur ſimul, ut hic ſupponimus de fine & mediis.

CONCLUSIO II.

Poteſt voluntas ex duobus mediis eligere minùs bonum. Ità Scotus, Gabriel, Medina, & alii contra Capreolum, Vaſ-

Digitized by Google

Vaſquez, Gonet, & quoſdam alios, præſertim Thomiſtas.

Prob. 1. Quia tali caſu neutrum in particulari proponitur ut neceſſarium: ergo poſſum, relicto meliori, minus bonum eligere; cùm ſit etiam bonum, utile, fini proportionatum, adeoque ſufficiens ad movendam voluntatem.

Prob. 2. Quia inde ſequeretur voluntatem non eſſe liberam; quandoquidem è duobus mediis inæqualibus propoſitis, ità teneretur amplecti unum, ut non poſſet aliud.

Confirm. concluſionem exemplo. Sunt duæ viæ hinc Inſulas conducentes, una longa, difficilis & aſpera, altera brevior, facilis & plana, numquid poſſum, ut oſtendam veritatem meæ concluſionis, eligere primam, relicta ſecunda? Certè res mihi videtur extra dubium. Nec refert, quòd tunc oſtenſio libertatis ſit motivum ſpeciale; quia illud non ſe tenet ex parte objecti, nec facit ut deſinat repræſentari ut minus bonum, ſed tantùm tenet ſe ex parte voluntatis libertatem ſuam ſic exercentis.

Obj. 1. Ariſtot. 3. Ethic. c. 3. dicit: *Quod cæteris ex conſultatione prætulimus, id eligibile eſt*; ſed in conſultatione præferimus majus bonum minori: ergo &c. Idem ſentit Damaſc. lib. 2. de Fide cap. 22.

Reſp. Philoſophum & Damaſcenum loqui de eo quod ordinariè fit; quia voluntas, moraliter loquendo, ſemper eligit medium, quod apparet utilius. Hoc tamen non obſtat, quò minùs, phyſicè loquendo, contrarium fieri poſſit.

Obj. 2. Voluntas eſt appetitus rationalis: ergo non poteſt minus bonum præferre meliori: aliàs non videretur agere ſecundùm rationem, adeoque nec eſſe rationalis.

Reſp. Diſt. Ant. Eſt appetitus rationalis, quia ſemper operatur ſecundùm rectam rationem, N. alioqui nunquam peccaret. Quia non poteſt operari abſque prævio actu rationis proponente motivum, ſub quo feratur in objectum: C. hoc autem adeſt in noſtro caſu, quamvis, cur voluntas hoc potiùs medium eligat, quàm aliud, nulla ratio aſſignari poſſit, niſi quia ſic illi placet.

Obj. 3. Voluntas non appetit malum ut malum; ſed medium minùs bonum dicit carentiam majoris boni, quæ eſt mala: ergo voluntas non poteſt illud eligere.

Reſp. diſt. Conſ. Non poteſt illud eligere, quatenùs dicit carentiam majoris boni: C. quatenùs dicit aliquam utilitatem ſufficientem ad finem obtinendum: N. Unde iſto caſu voluntas non movetur ab illa carentia, ſed ab utilitate, quæ eſt in ipſo medio minùs utili.

Objic. 4. Cum Gonet: nequidem poteſt voluntas ex duobus mediis æqualiter bonis unum præ alio eligere: nec à fortiori minùs bonum in noſtro caſu. Prob. Ant. quia dum proponuntur voluntati duo media æqualia, nihil eſt per quod determinetur ad electionem unius præ alio.

Reſp. N. Ant. ad probationem dico, nihil extrinſecum tunc requiri, ut voluntas ſe determinet; quandoquidem ipſamet, utpote libera, ſit ſufficiens ad ſui determinationem.

Obj. 5. Non poteſt voluntas eligere medium minùs bonum, niſi repudiet melius; ſed hoc non poteſt repudiare; ergo. Prob. Min. quia ſicut voluntas non proſequitur niſi bonum; ità nec repudiat niſi malum, quale nullo modo eſt medium, quod eſt melius & utilius.

Reſp. Diſt. Ma. Niſi repudiet melius vel poſitivè, vel negativè: C. niſi repudiet poſitivè: N. ſimiliter Diſt. Min. Ad cujus probationem dico, voluntatem non repudiare quidem poſitivè, id eſt, per fugam, odium, aut deteſtationem, niſi malum; negativè tamen, id eſt, præcisè relinquendo, etiam repudiare bonum; cùm etiam circa bonum ſit indifferens, ut illud amplectatur, vel relinquat.

QUÆSTIO IV.

An Electio ſit libera, quando, poſita intentione finis abſoluta & efficaci, poſteà occurrit unicum medium hic & nunc ponendum?

Exponitur ſtatus quæſtionis in exemplo. Vult aliquis efficaciter eſse in urbe hora prima, & occurrit hic & nunc ipſi neceſsariò tranſeundum eſse per hanc portam, ut ſit in civitate hora præfata: quæritur, an electio talis ingreſsus ſit libera?

CONCLUSIO I.

Certum eſt talem electionem eſse denominativè, & in cauſa liberam: cùm intentio, ex qua procedit, ſupponatur eſse in poteſtate voluntatis ipſum finem libertimè volentis.

CONCLUSIO II.

Talis electio non eſt in ſe formaliter libera libertate ſibi propria & diſtincta à libertate actus, ex quo ſequitur.

Prob. 1. Illud non eſt in ſe formaliter liberum, ad quod ponendum neceſſitatur voluntas; ſed voluntas ex ſuppoſitione Intentionis efficacis finem obtinendi, neceſſitatur ad electionem talis medii, cùm ſine illo non poſſit haberi finis: ergo. Unde ſi poſſet voluntas, ſtante efficaci Intentione, non ponere electionem, poſſet velle efficaciter finem, & non velle: quandoquidem poſſet deſiſtere ab eo, ſine quo non poteſt finis obtineri.

Prob. 2. Voluntas non poteſt velle efficaciter impoſſibile; atqui ſi poſſet velle efficaciter finem, & nolle eligere medium, ſine quo aſſecutio finis eſt impoſſibilis, poſſet velle efficaciter impoſſibile, ut patet: ergo.

Dixi in quæſtione: *poſtea occurrit* &c. quia ſi tale medium ſimul cum fine proponatur, antequam voluntas velit efficaciter ipſum finem, tunc Electio poterit eſſe libera, ſicut Intentio; quia tunc voluntas ferretur in finem & medium unico actu. Exemplifico: Joanni proponitur auditio lectionis hora octava, & antequam velit ipſam efficaciter, occurrit neceſſariò ſurgendum eſſe è lecto hic & nunc: dico quòd eodem actu, quo ſe determinabit efficaciter ad auditionem lectionis, etiam ſe determinabit ad ſurgere è lecto, & conſequenter ſicut tunc volitio efficax auditionis erit libera, ità & volitio ſurgendi è lecto; cùm ſit idem actus.

Dixi etiam: *Hic nunc ponendum*; quia ſi medium unicum non debeat poni hic & nunc, ſed pro libitu intendentis, hoc vel illo tempore, electio talis medii facta eo tempore, quo non eſt neceſſariò ponendum medium, erit libera, quia illud eſt liberum quod voluntas ità ponit, ut poſſit abſolutè non ponere.

Nec dicas, talem electionem fore liberam quoad anticipationem temporis, per hoc quòd potiùs ponatur hoc inſtanti quàm ſequenti; quia erit in ſe formaliter libera quoad entitatem; cùm voluntas ſic illam ponat hoc inſtanti, ut fortè illam poſteà non poneret, quandoquidem poſſet inſtantibus ſequentibus deſiſtere ab intentione, licèt hic & nunc ſit efficax.

Objic. 1. Contra Concluſ. 2. Si ægro efficaciter intendenti ſanitatem proponatur unicum medium valde difficile. V. gr. abſciſſio pedis, aut brachii, poterit illud reſpuere ob nimiam difficultatem: ergo ſi illud acceptet, electio erit formaliter libera.

Reſp. Diſt. Ant. Poterit illud reſpuere, ſtante intentione efficaci ſanitatis recuperandæ: N. illa ſepoſita: C. Sed tunc convincitur æger potius velle mortem, quàm abſciſſionem membri, & conſequenter non velle efficaciter ſanitatem, quæ ſine tali abſciſſione haberi nequit.

Obj. 2. Poteſt voluntas etiam eo inſtanti, quo ponenda eſt talis electio, illam non ponere: ergo erit libera.

Reſp. Diſt. Ant. Erit libera, deſiſtendo ab intentione: C. Illam retinendo: N.

Obj. 3. Voluntas non poteſt neceſſitari quoad exercitium ab ullo bono creato: ergo liberè illo caſu ponit electionem.

Reſp. Diſt. Ant. Non poteſt neceſſitari abſolutè: C. ex ſuppoſitione actus prioris ulteriorem inferentis; N. undè illo caſu nec à fine, nec à medio neceſſitatur, ſed ab efficaci volitione finis, hic & nunc electionem medii importante, ut maneat efficax.

Inſtabis ſuppoſitio illa, vel intentio efficax, ex cujus ſuppoſitione dicitur voluntas neceſſitari, eſt exercitium libertatis; ſed per exercitium libertatis voluntas non poteſt neceſſitari, ſeu privari libertate: ergo.

Reſp. Diſt. Min. Non poteſt neceſſitari ad objectum circa quod exercet ſuam libertatem per hunc actum: C. in hoc enim manifeſta eſt implicantia. Non poteſt neceſſitari ad objectum alterius actus ex priori illo conſequentis: N. ſic volens efficaciter ſanitatem hìc & nunc, tantum per aperturam venæ obtinendam, non poteſt neceſſitari circa ſanitatem, quia circa illam, ſuam libertatem exercet, poteſt tamen neceſſitari circa aperturam venæ, quæ, ex ſuppoſitione prioris actus, neceſſariò ponenda eſt.

Obj. 4. Inde ſequeretur talem electionem non fore meritoriam, aut demeritoriam, cùm non ſit in ſe libera.

Reſp. Neg. ſequelam, quia ut actus voluntatis elicitus ſit meritorius, aut demeritorius, ſufficit quod ſit liber mediatè, ut volunt Wiggers, Vaſquez, & alii.

Nec indè inferas rationem meriti, aut demeriti etiam competere actibus externis, qui ſunt etiam liberi mediatè; quia licèt hoc concedamus actibus voluntatis; qui ex ſe propriam habent honeſtatem, aut turpitudinem, ſeu qui reſpiciunt motivum honeſtum, vel turpe per tendentiam ſibi propriam & diverſam ab ea qua motivum ſuum reſpicit actus, ex quo neceſſariò ſequitur, non tamen actibus externis, quibus hoc non competit.

QUÆSTIO V.

Quid Imperium Monaſticum? Quibus potentiis imperet voluntas, & quomodo?

DIco; *Imperium monaſticum*; quia licèt Imperium œconomicum, quo familiæ caput ſibi ſubditis, & Politicum, quo Princeps membris Reipublicæ imperat, ſint magis propriè imperia, quam Monaſticum, cùm in illis imperans & ſubditus realiter diſtinguantur, in hoc autem, idem ſibi ipſi imperet, tamen de illis hìc non agimus.

CONCLUSIO I.

IMperium Monaſticum eſt actus, quo voluntas ſeipſam, vel alias potentias ſibi ſubditas movet & determinat ad operandum.

Dixi 1. *Actus voluntatis*, quia licèt plurimi ſuſtineant rationem Imperii conſiſtere formaliter in actu intellectus, probabilius tamen docent D. Bonaventura, Scotus, Henricus & alii conſiſtere in actu voluntatis.

Prob. 1. Ex Auguſt. lib. 8. Confeſſ. cap. 9. ubi ait: *Voluntas imperat*. Idem ſentit Anſelmus lib. de conceptu Virginali cap. 4. & licèt D. Thomas aliqua in contrarium adferat, tamen 1. 2. q. 9. art. 1. expreſſè ait: *Voluntas movet alias potentias animæ ad ſuos actus*. Et q. 71. art. 6. ad 2. *Voluntas imperat omnes actus voluntarios*. Similia habet alibi.

Prob. 2. Ratione. Illius eſt imperare, cujus eſt regere; ſed voluntatis eſt ſuas & aliarum potentiarum operationes regere & moderari: ergo illius eſt ſibi & aliis potentiis imperare.

Dixi 2. *Vel alias potentias* &c. ratione cujus inquiri poſſet cur Imperium illud dicatur Monaſticum; cùm voluntas imperet potentiis à ſe realiter diſtinctis, ſed reſpondebitur quod denominationes ſint ſuppoſitorum; & conſequenter quod, voluntate imperante, homo imperet; & ideò dum ſuis potentiis imperat, ſibi imperare dicitur.

Dices 1. Contra primam particulam. Imperium eſt actus Prudentiæ, ut patet ex Philoſopho 6. Ethic. c. 10. *Prudentia*, inquit, *præceptiva eſt: finis enim ipſius eſt quid ſit agendum, aut non agendum præcipere:* ſed Prudentia eſt virtus intellectualis: ergo Imperium eſt actus intellectus.

Reſp. Diſt. Ma. eſt actus Prudentiæ præſuppoſitivè: C. efficienter: N. ad Ariſtotelem dico, quòd per præceptum non intelligat Imperium, ſed quemdam modum edocendi: ſicut enim ille qui docet dicitur *Præceptor*, ita etiam dici poteſt Prudentia præceptiva, eo quòd doceat voluntatem quid debeat agere: & in hoc differt Prudentia à ſagacitate, quòd hæc ſit judicativa tantùm, ut ait Ariſt. ibid. & non præceptiva.

Dices 2. Ad Imperium requiritur intimatio, ſed intimatio eſt actus intellectus, cùm intimare ſit quoddam loqui: ergo, &c.

Reſp. Diſt. Ma. Requiritur intimatio formalis: N. talis enim intimationis per intellectum recipiendæ ſunt incapaces ferè omnes potentiæ, cùm objectum ab intellectu repræſentatum non poſſit illas movere, ut patet de viſu, auditu &c. requiritur intimatio vitalis conſiſtens in hoc, quòd ad voluntatis imperium naturaliter aliæ potentiæ operentur; tum propter quamdam ſympathiam; tum propter earum cum voluntate in eadem anima radicationem: C.

CONCLUSIO II.

VOluntas imperat intellectui, ſenſui interno, ac potentiæ loco motivæ, & quidem imperio Deſpotico: appetitui autem ſenſitivo, imperio Politico. Ante probationem utriuſque partis

Advertendum eſt, imperium Deſpoticum eſſe illud, quod adimit omnem poteſtatem reſiſtendi, ita ut ſubditus teneatur ſtatim ſine mora, ſine rebellione obedire, ſepoſitis impedimentis. Politicum verò, quod non ita ligat ſubditum, quin poſſit inſtar civis reſiſtere, reclamare; ita ut non ſtatim exequatur mandatum.

Prob. 1. Pars, quia ipſimet experimur quòd ad nutum voluntatis objectum aliquod intellectu aut ſenſu interno percipiamus vel ab ejus perceptione deſiſtamus ſine ulla reſiſtentia: item quòd membra, in quibus potentia loco motiva reſidet, moveamus, vel non moveamus, ut voluntati placuerit.

Nolumus tamen, quòd illæ potentiæ quoad omnes ſuos actus ſubdantur imperio voluntatis: nequit enim voluntas impellere intellectum ut judicet verum, quod eſt evidenter falſum, aut è contrà. Similiter cùm non poſſit voluntas velle adeoque nec imperare, niſi objectum ſibi ab intellectu repræſentetur, ſequitur primam intellectionem non ſubdi ejus imperio, ſicut nec primam ſenſationem internam, quæ eſt prior intellectione; cùm intellectus pro hoc ſtatu non poſſit intelligere niſi dependenter à ſenſibus. Item membra generationi deſervientia ſæpè voluntati reſiſtunt quoad motum localem. Varii etiam ſunt motus in homine à voluntate independentes; ut motus cordis, arteriæ, ſanguinis ad cor in timidis, ad faciem in verecundis &c.

Prob. 2. Pars; Quia licèt appetitus ſenſitivus, quoad exercitium ſuorum actuum ſubdatur imperio voluntatis, ut colligimus tum ex illo. Gen 4. *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*: tum ex propria experientia, qua novimus ſæpe voluntatem pro libitu excitare, aut pacificare motus illius, tamen non ſtatim voluntati obedit: nam ut obediat proſequendo, debet efficere voluntas, ut ei proponatur objectum ut conveniens, ſicut debet proponi ut diſconveniens, ut obediat fugiendo: quod non ita facile ſit: nam quandoque ità vehementer fertur in objectum proprium ſibi per phantaſiam repræſentatum, ut difficultas amplectatur objectum, ad quod rationabiliter movet voluntas.

CONCLUSIO III.

VOluntas non imperat immediatè potentiis vegetativis, ſicut nec potentiæ generativæ.

Ratio eſt: quia potentiæ illæ naturaliter agunt: voluntas autem non habet dominium ſupra naturam: undè non qui vult pingueſcere, pingueſcit: nec qui vult generare, generat, ſed qui habet corpus ad hoc diſpoſitum.

Dixi: *immediatè*; quia mediatè & indirectè dependent in ſuis operationibus à voluntate, in quantum poteſt alimentum ſubtrahere, vel miniſtrare.

CONCLUSIO IV.

NEc Imperat voluntas ſenſibus externis, ſaltem omnibus, niſi mediante potentia loco motiva.

Prob. ex Auguſt. lib. 11. de Trinit. cap. 8. ubi dicit, quòd viſio non ſit in poteſtate voluntatis, niſi mediante motu locali palpebrarum, qui ad eum neceſſariò requiritur. Nec contrarius eſt Scotus 2. diſt. 42. q. 4. n. 18. quia ibi tantùm vult, quòd independenter à motu locali poſſit viſus ex imperio voluntatis perfectius ſuum objectum percipere, ſuppoſita palpebrarum apertione, ubi nihil contra nos. Ex dictis

Reſol. tot & tam multiplices eſſe actus imperatos, quot & quàm multipliciter ab ipſa voluntate, aut ab aliis potentiis, ad ejuſdem voluntatis imperium, exerceri poſſunt.

DISPUTATIO II.

De Voluntario & Involuntario.

CUm actus noſtri non ſint humani, niſi ſint voluntarii, neceſſe fuit, ut actuum humanorum naturam perfectè exponeremus, hanc de Voluntario & Involuntario diſſertationem intermiſcere.

QUÆSTIO I.

Quid Voluntarium, & quotuplex?

CONCLUSIO I.

VOluntarium ſtrictè ſumptum eſt, quod procedit à voluntate ex prævia cognitione intellectiva ſingulorum, in quibus eſt actio.

Dicitur 1. *Quod procedit à voluntate*, ut excludantur actus appetitus ſenſitivi, tum hominis, tum bruti, quibus competat quidem ratio ſpontanei, cùm illud competat omnibus ex cognitione agentibus, non tamen voluntarii, niſi latius ſumatur pro eo, quod procedit ex potentia appetitiva cum cognitione, quo ſenſu confundi poteſt cum ſpontaneo. Si tamen actus appetitus ſenſitivi hominis fiant ex imperio voluntatis, erunt voluntarii ſtrictè, non quidem immediatè, ſed mediante actu voluntatis à quo imperabuntur. Idem eſt de actibus intellectus, potentiæ loco motivæ, & aliarum facultatum à voluntate diſtinctarum. Requiritur tamen, quòd illius imperium procedat à voluntate ipſius operantis; aliàs actus illi ſunt omninò involuntarii: hinc ſi aliquis utatur manu Petri ad percutiendum alterum, illa percuſſio erit involuntaria Petro.

Dici-

Digitized by Google

Dicitur 2. *Ex prævia cognitione*; nam, cùm voluntas, licèt potentia cœca, non feratur in incognitum, neceſſario prærequirit ad omnes ſuos actus cognitionem objecti, in quod tendat.

Dicitur 3. *Intellectiva*, per quam particulam iterum excluditur voluntarium à brutis, quorum cognitio eſt materialis, phantaſtica, & imperfecta; & ideo non norunt finem formaliter, ad eſt, quatenus aſſequibilem per media proportionata.

Dicitur 4. *Singulorum in quibus eſt actio*, id eſt, circumſtantiarum pertinentium ad ſubſtantiam actionis: unde ſicut ex parte voluntatis requiritur conſenſus circa illa omnia, in quibus eſt actio, ut omnia reputentur voluntaria, ita etiam ex parte intellectus cognitio & advertentia circa eadem; ita ut in tantùm minuatur voluntarium, tum circa objectum principale, tum circa circumſtantias, in quantùm minuitur advertentia. Ex dictis

Reſol. 1. Definitionem voluntarii poſſe extendi ad omiſſionem puram, ſi dicatur voluntarium eſſe, quod procedit à voluntate poſitivè, vel privativè cum cognitione &c.

Reſol. 2. Amorem Petri, v. g. poſitum à Deo in voluntate noſtra, ad illum non concurrente, non fore voluntarium, etiamſi voluntas illum libenter reciperet; quia eſſet quidem in voluntate, non tamen à voluntate.

Reſol. 3. Volitum non eſſe idem quod voluntarium, cùm volitum non ſit id quod eſt à voluntate, ſed circa quod verſatur voluntas, & ideo eſt quidem objectum voluntatis, non tamen effectus ſicut voluntarium. unde pluvia, aeris ſerenitas, & ſimilia poſſunt eſſe à me volita, non tamen ſunt mihi voluntaria & è contrà prima volitio eſt voluntaria, ſi fiat advertenter, non tamen volita propriè & formaliter, quamvis aliquo ſenſu poſſit dici volita in ſemetipſa, in quantùm qui vult, vult ſe velle, ſicur qui diligit, vult diligere. poteſt tamen utraque ratio ſtrictè ſumpta in eodem actu reperiri; nam actus à voluntate imperatus eſt voluntarius in quantum cauſatur à voluntate cum cognitione, & volitus in quantùm eſt objectum voluntatis imperantis.

Reſol. 4. Eum, qui cognoſcit maritatam, quam bona fide eredit liberam, peccare quidem peccato fornicationis, non tamen adulterii; quia circumſtantia adulterii non fuit ipſi cognita: ſimiliter eum, qui occidit hominem, ignorans invincibiliter eſſe patrem, peccare peccato homicidii, non Patricidii. Imò non peccaret, ſi id, quod occidit, crederet invincibiliter eſſe feram.

Nec refert, quòd liberè & advertenter explodat ſcopletum V. g. quia indè tantùm ſequitur talem actionem eſſe quidem voluntariã in ratione exploſionis, non tamen in ratione homicidii.

Reſol. 5. Actiones dormientium eſſe ſimpliciter involuntarias, ſemi-dormientium autem, ſemi-voluntarias, quia in illis nulla advertentia, in his autem, ſemi-plena reperitur: & ideo quamvis actiones illæ eſſent ex objecto graviter malæ, in illis nullum eſſet peccatum; in his verò tantùm veniale. Idem dic cum proportione de actibus voluntatis primò-primis, & primò ſecundis, quorum primi ſunt in genere moris involuntarii, & ſecundi ſemi-voluntarii.

CONCLUSIO II.

Dividitur 1. Voluntarium in Neceſſarium & Contingens. Primum eſt, quod eſt à voluntate operante cum determinatione ad alteram partem oppoſitorum, ſeu non indifferente ad volendum, & non volendum, talis eſt amor increatus, quo Deus ſeipſum amat, proceſſio Spiritus Sancti, & amor beatificus, in ſententia Thomiſtarum.

Secundum eſt, quod procedit à voluntate operante cum indifferentia ad oppoſita, ſive indifferente ad volendum & non volendum, tales ſunt actus humani.

Dices 1. Cum SS Patribus & Philoſopho: voluntarium eſt id, quod laudem vel vituperium meretur; ſed hoc ſoli voluntario contingenti competit; ergo malè aſſignatur voluntarium neceſſarium.

Reſp. Nec Patres, nec Ariſtotelem loqui de voluntario in genere, ſed de voluntario contingenti, ſumendo ſcilicet genus pro ſua principali ſpecie, quæ per Antonomaſiam dicitur voluntarium ſimpliciter.

Dices 2. S. Thomas variis locis dicit Spiritum S. non procedere voluntariè, quia procedit neceſſariò.

Reſp. diſt. Aſſumpt. Non procedit voluntariè voluntarietate neceſſaria: N. voluntarietate contingenti de qua ibi agit D. Thomas: C.

Dices 3. Voluntas, ſecundùm Auguſt. lib. 3. de lib. Arb. c. 3. aut eſt libera, aut non eſt voluntas: ergo non datur voluntarium neceſſarium.

Reſp. diſt. Ant. Aut eſt libera libertate indifferentię tantū, ant &c. N. aut eſt libera, vel libertate indifferentiæ, vel libertate eſſentiali, cum qua ſtat neceſſitas, ut dicemus de libero arbitrio. C.

Dices 4. Omne voluntarium eſt à voluntate quia vult: ergo nullum eſt voluntarium neceſſarium.

Reſp. diſt. Ant. Quia vult ſine coactione: C. quia ſemper vult ſine neceſſitate: N. quia Deus voluntariè ſeipſum diligit, & tamen neceſſariò. Ex dictis

Reſol 1. Per voluntarium ſimpliciter non intelligi ordinariè, præſertim in materia morali, voluntarium neceſſarium, ſed contingens, ſeu liberum libertate indifferentiæ.

Reſol. 2. Non ſufficere voluntarium neceſſarium ad actus humanos, adeoque nec ad actus meritorios, aut demeritorios, cùm non importet indifferentiam in operante, quam requirit actus humanus.

Reſ. 3. Etiam dividi poſſe voluntarium in neceſſarium & liberum, nempe libertate indifferentiæ; cùm hoc liberum idem ſit quod contingens. Dico: *Nempe libertate indifferentiæ*; quia non benè divideretur in neceſſarium & liberum libertate eſſentiali; cùm illa non pugnent inter ſe, ut patet in amore beatifico, qui, ſecundum Thomiſtas, eſt neceſſarius & liber libertate eſſentiali.

CONCLUSIO III.

Dividitur 2. Voluntarium in voluntarium voluntate propria, & voluntarium voluntate aliena. Primum eſt, quod verè à voluntate noſtra procedit. Secundum, quod quidem eſt ab alterius voluntate, moraliter tamen noſtræ adſcribitur, eò quod voluntas noſtra ſit in alterius voluntate quodammodo poſita à ſuperiore legitimo. Sic quia Deus hominum voluntares poſuit in voluntate Adami, tanquam Capitis noſtri reſpectu comeſtionis, aut non comeſtionis fructus vetiti, ejus inobedientia nobis eſt voluntaria.

CONCLUSIO IV.

Dividitur 3. Voluntarium in voluntarium in ſe, & voluntarium in cauſa. Voluntarium in ſe (quod ab aliquibus dicitur expreſſum, ab aliis explicitum) eſt, quod eſt in ſeipſo volitum, ut actus à voluntate eliciti, vel imperati. Voluntarium in cauſa (quod etiam implicitum & virtuale nuncupatur) eſt, quod eſt in alio volitum, ſeu cujus cauſa eſt voluntaria, etiamſi effectus diſpliceat. Sic voluntaria eſt blaſphemia illi, qui prævidens ſe in ebrietate blaſphematurum, ſeſe inebriat, quamvis blaſphemiam non intendat; imò ipſam deteſtetur.

Advertendum tamen, ut id, quod eſt in cauſa volitum, cenſeatur peccaminoſum, tria requiri. 1. quòd fuerit prævitum, ſaltem in communi & confusè, quia nullo modo cognitum, non poteſt eſſe voluntarium, adeoque nec peccaminoſum: hinc ſi perpetres aliquid. ex quo ſequitur pollutio, quam in cauſa nullo modo prævidiſti, pollutio non eſt tibi peccaminoſa, licèt actio, ex qua ſequitur foret peccatum: modo tamen in illam pollutionem advenientem non conſentias, nec ſequatur quaſi naturaliter ex cauſa poſita. 2. Requiritur, ut cauſam vitare poſſis: ſi enim non poſſis: non peccas in eo quod ex tali cauſa ſequitur; cum nemo peccet in eo, quod vitare non poteſt. 3. Quod cauſam non tantùm poſſis, ſeu etiam tenearis vitare: hinc motus carnalis, aut pollutio proveniens ex equitatione honeſta & convenienti non eſt peccatum, licèt ab equitatione, in qua pollutionem prævideras ſecuturam, potueris abſtinere; modo, ut dixi, advenienti non conſentias, nec ſit conſentiendi periculum.

CONCLUSIO V.

Dividitur denique voluntarium in Directum, quod eſt à voluntate mediatè, vel immediatè per influxum poſitivum operante, & tales ſunt actus a voluntate vel eliciti, vel imperati; & in Indirectum, ſeu interpretativum, quod eſt à voluntate non operante, cùm poſſit, & aliquando cùm poſſit & debeat, ut omiſſio corripiendi pueros delinquentes in patre, ad id advertente. & hoc voluntarium dicitur indirectum per modum omiſſionis; quia id, quod ex omiſſione provenit, dicitur indirectum per modum effectus, & tale eſt, reſpectu patris, peccatum puerorum proveniens ex omiſſione correptionis.

QUÆSTIO II.

Quid requiratur ad voluntarium indirectum, ſeu ut omiſſio pura ſit voluntaria?

CONCLUSIO I.

Ad voluntarium indirectum requiritur actus intellectus; non eſt tamen neceſſarius actus voluntatis poſitivus ad ipſum terminatus.

Prob. 1. Pars tum ex generali ratione voluntarii, quod debet eſſe à principio intrinſeco cum cognitione; tum ex ratione ſpeciali voluntarii indirecti; quia cùm omiſſio, utpote negatio, à nulla cauſa procedat propriè & per verũ influxum, eatenùs tantùm dici poteſt eſſe à voluntate ut principio, quatenùs eſt in ejus

poteſtate ut ſit, vel non ſit Non poſſet autem eſſe in eius poteſtate ſine advertentia rationis . Quæ ratio etiam concludet de effectu ex omiſſione ſecuto.

Dices : Ad peccatum ex inadvertentia, aut ignorantia vincibili, ſufficit, quòd quis potuerit & debuerit ſcire & advertere ; atqui tale peccatum eſt voluntarium, aliàs non eſſet peccatum: ergo non requiritur ad omne voluntarium actus intellectus.

Reſp. In hoc ipſo quòd dicitur potuiſſe & debuiſſe hic & nunc ſcire & advertere , neceſſariò involvi aliquam cognitionem, ſaltem confuſam , per quam excitari potuerit & debuerit ad inquiſitionem diligentiorem, aut attentiorem: alioqui ſi nulla ptorſus eiuſmodi cognitio, aut cogitatio præceſſerit , omiſſio non imputabitur ad culpam , & inadvertentia , aut ignorantia cenſebitur hic & nunc invincibilis .

Prob. 2. pars : quia libertas contradictionis non minùs exercetur circa non velle , quàm circa velle: ergo ſicut velle eſt liberum & voluntarium, ità etiam non velle: unde ut ait S. Th. hic q.6.art.3. Illud, *cujus Domini ſumus , dicitur eſſe involuntarium , ſed nos Domini ſumus ejus quod eſt agere & non agere , velle & non velle : ergo ſicut agere & velle eſt voluntarium; ità non agere , & non velle .*

Declaratur in exemplo: quia poteſt Sacerdos ſciens & advertens , omittere lectionem Horarum, etiamſi non velit poſitivè ipſam omiſſionem; atqui tali caſu omiſſio erit peccaminoſa: ergo & voluntaria ; nullum enim peccatum niſi voluntarium . Idem dicendũ eſt de ſubmerſione navis reſpectu nautæ, quę procul dubio illi meritò imputabitur, ſi advertens periculum, omittat regere navim , licèt non intendat poſitivè eius ſubmerſionem: & conſequenter poteſt dari voluntarium indirectum , ſive omiſſio pura & libera ſine actu voluntatis .

Fatendum eſt tamen , ſæpè reperiri actum voluntatis poſitivum circa aliud objectum , quod eſt cauſa vel occaſio omiſſionis ; imò neceſſe eſt reperiri , quando omiſſio eſt peccaminoſa ; quia nullus omittit voluntariè id, ad quod tenetur, niſi ex amore aliquo illicito creaturæ præſenti, vel præterito, virtute cujus ponatur omiſſio: ſed hoc nihil facit contra concluſionem ; cùm talis actus non habeat ipſam omiſſionem pro objecto.

Obji. 1. Voluntarium eſt , quod procedit à voluntate tanquam à principio intrinſeco : ergo ad omne voluntarium requiritur actus voluntatis .

Reſp. diſt. Ant. Quod procedit à voluntate per influxum poſitivum, vel privativum: C. neceſſariò per influxum poſitivum: N. certè cùm omiſſio ſit effectus privativus , non videtur plus exigere, quàm influxum privativum .

Obj 2. Non datur denominatio nova ſine nova forma; atqui voluntas in noſtro caſu dicitur omittens , v. g. Sacrum, & antequam urgeret tempus audiendi, non denominabatur omittens ; ergo debet ipſi accidere nova forma ; aliàs non deberet potiùs dici jam omittens, quàm antea .

Reſp. Totum eſſe verum ; inde tamen non ſequitur , quòd nova illa forma debeat eſſe actus voluntatis, quo poſitivè dicat: *volo omittere*, ſed eſt negatio agendi, quæ cenſetur adeſſe in ſtatu determinationis interpretativæ ad non agendum; & ideo denominat jam voluntatem omittentem , quam anteà non denominabat .

Inſtabis . Negatio agendi erat in voluntate antequam diceretur omittens: ergo non poteſt denominari omittens per illam . Prob. Ant. quia in illo priori non agebat .

Reſp. Neg. Ant. Ad probationem diſt. aſſumpt. Non agebat præciſivè: C. negativè: N. unde in illo priori voluntas neque intelligitur habere actum , neque non actum , ſed tantùm prærequiſita ad utrumlibet indifferentia; & ideo, ut intelligatur habere negationem actus, debet ſe determinare ad omiſſionem.

Urgebis : non poteſt ſe determinare ad omiſſionem niſi per actum voluntatis ; ergo

Reſp. Diſt. Ant. Niſi per actum voluntatis phyſicum : N. phyſicum vel moralem : C. Igitur licèt voluntas in illo inſtanti , in quo ponenda eſt actio, vel nunquam ponetur , non dicat poſitivè : *volo omittere actionem* ; id tamen dicit moraliter , & interpretativè ; quandoquidem non agat , cùm agendum eſt : unde in ordine ad actionem habet æquivalenter nolitionem poſitivam : & hoc ſufficit , ut dicatur ſe determinare ad omiſſionem . Ex dictis

Reſol. Poſſe omiſſionem ex non libera fieri liberam; & conſequenter ex indifferente bonam , aut malam , ſi nempe adſit advertentia, quæ deerat .

CONCLUSIO II.

UT omiſſio pura ſit voluntaria , ſeu libera , requiritur potentia ponendi id, quod omittitur .

Ratio clara eſt ; quia nullus dicitur voluntariè omittere id , quod nullo modo poteſt ponere . Hinc

Reſol. 1. Non dari in amentibus & ebriis, omiſſionem voluntariam , ſaltem in ſe , cùm in illis non detur poteſtas expedita ad oppoſitum .

Reſol. 2. Externam omiſſionem neceſſariam, v. g. in eo, qui in carcere incluſus, omittit ſacrum in die Dominico , non eſſe voluntariam , & ideo ſicubi lata eſt Excommunicationis ſententia in eos, qui ſacrum omittunt die Paſchæ, incarceratus illam non incurrit ; quamvis ex prava diſpoſitione eliceret hunc actum . *Nolo Sacrum audire*, vel *non audirem Sacrum, licèt poſſem*: nam etſi hic actus ſit rei voluntarius & peccaminoſus; ipſa tamẽ omiſſio non cenſetur voluntaria, cùm non cauſetur ab illo actu, ſed aliunde: unde ipſa quidem eſt volita, ſed non voluntaria .

Reſol 3. Quòd licèt exiſtens in occaſione proxima , peccet continuò manendo liberè in eodem loco cum ſua Pellice ob evidens peccandi periculum; non peccet tamen , ratione manſionis præcisè, ſi non ſit ei liberum è loco egredi .

CONCLUSIO III.

UT omiſſio pura cenſeatur voluntaria, non requiritur obligatio ponendi illud quod omittitur Ità Scotiſtæ communiter cum multis aliis, contra quoſdam Thomiſtas .

Prob. 1. Voluntas eſt eodem modo libera ad non agendum, ac ad agendum: ergo ſicut liberè agit independenter ab obligatione; ità & liberè non agit independenter ab illa ; & conſequenter voluntariè ; cùm omne liberum ſit voluntarium : unde obligatio actum ponendi facit quidem ut omiſſio ſit culpabilis; non tamen ut ſit voluntaria , cùm hoc habeat quia procedit à voluntate expreſsè, vel interpretativè, cum cognitione &c.

Prob. 2. Si voluntas haberet poſitivam nolitionem rei agendæ, omiſſio eſſet voluntaria , licèt nullum foret præceptum , ut fatentur Adverſarii: ergo etiam in noſtro caſu ; cùm tunc abſtinentia ab actu æquivaleat moraliter nolitioni poſitivæ .

Confirm. 1. Quia tam voluntariè omittit Sacerdos ſuas Horas, quando ex juſta cauſa ab illis excuſatur, quàm dum non excuſatur .

Confirm. 2. Deus voluntariè omittit dare quibuſdam gratias efficaces, ſicut & impedire peccata noſtra , cùm tamen ad neutrum obligetur .

QUÆSTIO III.

An ut effectus , qui ex omiſſione ſequitur , ſit voluntarius , requiratur obligatio illum impediendi?

CONCLUSIO I.

UT effectus , qui per ſe , & ex natura rei ſequitur omiſſionem, ſit voluntarius , non requiritur obligatio illum impediendi.

Ratio eſt ; quia qui omittit aliquid , ex quo aliud neceſſariò ſequitur, cenſetur & velle illud quod ſequitur ; cùm illa ſint naturaliter connexa : hinc qui omittit manducare , cenſetur velle famem . Requiritur tamen ſemper aliqualis cognitio connexionis effectus cum omiſſione, & hoc ratione voluntarii .

CONCLUSIO II.

UT effectus , qui tantùm per accidens ſequitur ex omiſſione, ſit voluntarius , requiritur obligatio illum impediendi . Eſt communis inter Thomiſtas & Scotiſtas contra Arriagam, Amicum, & quoſdam alios .

Ratio eſt; quia ille effectus nec phyſicè, nec moraliter procedit à voluntate : non quidem phyſicè, quia taliter procedit à ſuis cauſis, v. g. ſubmerſio navis ſequens omiſſionem ſuccurrendi, ex aquis: non etiam moraliter; quia, ſecluſa obligatione illum impediendi, nihil eſt in quo fundetur cauſalitas illius moralis: unde D. Th. 1. 2. q 6 art. 3 *Sciendum quod non ſemper id, quod ſequitur ad defectum actionis reducitur ſicut in cauſam in agens ; ex eo quod non agit, ſed ſolum tunc, cum poteſt & debet agere .*

Declaratur in exemplo. Video hominem in aquis jamjam ſubmergendum, cui non poſſum ſine graviſſimo vitę periculo ſuccurrere; ex eo quòd illi non ſuccurram, nõ ſum illius ſubmerſionis cauſa phyſica, ut patet, ſed aqua: non etiam moralis; quia nullus hominum ſubmerſionem illam mihi imputabit; imputaretur tamen, ſi commodè poſſem ſuccurrere ; quia ratione Charitatis ad id me obligantis cenſere illius cauſa moralis . Ex dictis

Reſol. peccata hominum nullo modo eſſe voluntaria Deo; licèt omittat illa impedire; quia ad id non tenetur . Idem eſt de peccatis , quæ Principes non impediunt, propter majus bonum Reipublicæ: contrarium tamen ſequeretur in oppoſita ſententia. Nec evadis dicendo, peccata illa eſſe quidẽ Deo, & Principibus voluntaria, non tamen imputabilia; quia uſus cõmunis invaluit,

ut,

ut, quod eſt alicui voluntarium, ſit etiam eidem imputabile, vel ad culpam, vel ad gloriam, prout illud voluntarium fuerit malum, vel bonum.

Obji. 1. Omiſſio poteſt eſſe voluntaria ſine obligatione ponendi oppoſitum: ergo & effectus illam ſequens.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd omiſſio libera, etiam ſeclusâ obligatione ponendi actum, tribui poſſit voluntati, ut principio quaſi phyſico, cùm ſit altera pars exercitii libertatis, & immediatè dependeat à voluntate ut cauſa privativa: non item effectus qui ſequitur ex illa per accidens.

Obji. 2. Obligatio interveniens non facit ut effectus ſit magis cauſatus à voluntate, quàm ſi non adeſſet, ergo non facit ut ſit voluntarius.

Reſp. Diſt. Ant. Non facit ut ſit magis cauſatus à voluntate phyſicè: C. moraliter: N. nam, poſita obligatione, effectus imputatur communiter ab hominibus voluntati, qua ſepoſita, non imputatur.

Obji. 3. Qui gubernat navim, cùm non tenetur, non eſt minùs cauſa ſalutis navis, quàm ſi teneretur: ergo qui omittit gubernare, cùm non tenetur, non minus eſt cauſa ſubmerſionis, quàm ſi teneretur.

Reſp. N. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd in caſu antecedentis, talis realiter & phyſicè ponat actionem, ad quam ex natura rei in his circumſtantiis ſequitur ſalus navis, at in caſu conſequentis, effectus ſequitur merè per accidens ex omiſſione.

Inſtabis. Omiſſio eſt cauſa per accidens illius effectus: ergo eſt illius cauſa; & conſequenter effectus eſt voluntarius, ſaltem mediatè.

Reſp. Neg. Conſeq. quia illud *per accidens* eſt hic particula alienans; quandoquidem ſit eſſentiale cuilibet veræ cauſæ influere eſſe in effectum phyſicè, aut moraliter; undè quod ſequitur ex illa cauſa; non eſt verè illius effectus.

Obji. 4. Si non eſſet omiſſio ſuccurrendi navi periclitanti v.g. non eſſet ſubmerſio: ergo illa procedit à voluntate, ſaltem mediante omiſſione, quod ſufficit ut dicatur voluntaria.

Reſp. diſſimulato Ant. N. Conſeq. quia etſi fortè ſalvaretur navis, ſi illi ſuccurrerem, tamen quia ex juſta cauſa ad id non teneor, illa ſubmerſio non reputatur à me procedere.

Inſtabis 1. Eſt in poteſtate hominis ſubmerſio ſit, vel non ſit: ergo eſt ei voluntaria Prob. Ant. quia poteſt ſuccurrere, vel non ſuccurrere; ſuccurrendo autem non erit; non ſuccurrendo, erit: ergo.

Reſp. Quòd quamvis ſit in poteſtate hominis ut non ſit effectus, quatenùs actione ſua poteſt illum impedire: non tamen propriè loquendo in poteſtate ejus eſt efficere ut ſit; cùm illius exiſtentia non pendeat ab ejus voluntate, ſed à ſuis cauſis; v.g. *nau*fragium à ventis contrariis &c. undè meliùs dici debet, quod ſit in poteſtate hominis permittere vel non permittere, ut ſit effectus, ex quo quidem ſequitur quod permiſſio ſit ei voluntaria, non tamen effectus.

Inſtabis 2. Qui permittit effectum, quem liberè poteſt impedire, vult illum exiſtere: ergo.

Reſp. Neg. Ant. Qui enim permittit mortem Petri v.g. quia non poteſt invaſorem impedire ſine gravi vitæ ſuæ periculo, non vult propterea mortem Petri, cum ſæpè de ipſa triſtetur. Et certè ſi hoc eſſet, Deus vellet peccata hominum; quandoquidem illa permittat, cùm poſſit impedire: undè talis in illo caſu, vult permiſſionem occiſionis, non tamen ipſam occiſionem, ſicut qui negligit remedia, ad quæ non tenetur, vult permiſſionem morbi, aut etiam mortis, non vult tamen ipſum morbum, aut mortem.

Quod ſi tamen per *voluntarium* hic nihil aliud intelligant Adverſarii, quam voluntariè permiſſum, damus ipſis manus, ſed fatemur talem modum loquendi eſſe improprium, nec facilè uſurpandum; quandoquidem peccata hominum nequidem permiſſive dici debeant Deo voluntaria.

QUÆSTIO IV.

Quid involuntarium, & quotuplex.

ADverte, quòd ſicut voluntarium ſumi poteſt dupliciter 1. pro eo quod fit liberè. 2. pro eo quod fit libenter, ſive interim liberè fiat, ſive non; ita & dupliciter ſumi poteſt involuntarium: 1. prout opponitur voluntario libero: 2. prout opponitur voluntario lubenti. Et de hoc duplici Involuntario hic inquirimur, ut non ſatis explicatam ab authoribus Scoti ſententiam circa involuntarium à metu cauſatum, clarius diſcutiamus & exponamus.

CONCLUSIO I.

INvoluntarium prout opponitur voluntario lubenti, eſt id quod fit contra innatam voluntatis propenſionem, ſivè cum tali triſtitia & nolleitate inefficaci, ut non fieret, niſi majus malum immineret dicique poteſt involuntarium ſimpliciter in ſuo genere, & indè patet, unam eandemque actionem poſſe eſſe voluntariam ſimpliciter, & involuntariam ſimpliciter ſecundùm diverſa, ſi nempè fiat liberè, ſed tamen cum triſtitia tanta, ut ſuperet gaudium, quo efficaciter ponitur actio: Dico: *Cum triſtitia tanta ut* &c. nam ſi plus ſit lubentiæ, ſeu gaudii in operante, quàm diſplicentiæ, ſeu triſtitiæ, actio erit voluntaria ſimpliciter & involuntaria ſecundùm quid, ſicut eſt involuntaria ſimpliciter, & voluntaria ſecundùm quid, ubi plus eſt triſtitiæ, quàm gaudii. Quod benè notandum eſt pro dicendis poſteà.

CONCLUSIO II.

INvoluntarium, prout opponitur libero, eſt actus vel qui non procedit à voluntate cùm poſſit, vel, ſi à voluntate, ſine cognitione.

Dicitur 1. *Vel qui non procedit à voluntate*, aut negativè ſe habente, & dicitur involuntarium negativè, vel potius privativè, & tales ſunt actus intellectus, appetitus ſenſitivi, & potentiarum externarum, ſine voluntatis imperio eliciti; aut ſe habente repugnanter, & eſt involuntarium poſitivè ſeu voluntarium, & talis eſt actio externa per vim extorta: ut autem involuntarium hoc excuſet operantem ab omni peccato, debet repugnantia eſſe omnimoda, ut fuſius de violentia dicemus.

Dicitur 2. *Cùm poſſit*, nempè vel elicitivè, vel imperativè; & ideò excluduntur actus brutorum, ſicut & motus levium ſurſum, & gravium deorſum, qui nec ſunt, nec eſſe poſſunt à voluntate eliciente, vel imperante.

Dicitur 3. *Vel ſi à voluntate, ſine cognitione:* undè involuntarium eſt adulterium illi, qui ad aliam accedit credens invincibiliter eſſe ſuam.

Petes; quodnam ſit diſcrimen inter Involuntarium, Violentum, Coactum, & neceſſarium?

Reſp. Licèt ab aliquibus confundantur, ſic tamen in rigore diſtingui. 1. Violentum dicitur per reſpectum ad quemcunque appetitum, ſive innatum, ſive ſenſitivum; ſive rationalem; & ideo reperiri poteſt in rebus inanimatis, in brutis, & hominibus. 2. Coactum dicitur per reſpectum ad ſolum appetitum elicitum, ſive ſenſitivum, ſive rationalem; & ideò in ſola natura cognoſcitiva reperitur. Involuntarium verò, per reſpectum ad appetitum rationalem tantum: unde convenit ſolis agentibus ex ratione. Neceſſarium denique (quod dicitur reſpectu principii carentis indifferentia activa) convenit omni violento, coacto, & involuntario poſitivè, non tamen ſoli, ſaltem in ſententia Thomiſtarum, qui docent amorem beatificum eſſe neceſſarium, cùm tamen nec ſit violentus, nec coactus, nec involuntarius.

QUÆSTIO V.

An violentia cauſet Involuntarium.

ADverte 1. violentum eſſe id, quod eſt à principio extrinſeco, efficaciter, quantum in ſe eſt, renitente paſſo, ſeu eſt id, quod eſt ab agente externo contra inclinationem & renitentiam omnimodam patientis.

Adverte 2. Poſſe aliquem pati violentiam poſitivè, & negativè: poſitivè patitur, dum aliquid fit in ipſo, cui omnimodè reſiſtit. Negativè autem, dum impeditur contra inclinationem, ne in actum exeat; v.g. ne audiat, videat &c.

CONCLUSIO I.

VIolentia facit, ut effectus ex ea proveniens ſit ſimpliciter involuntarius.

Ratio eſt, quia facit ut ſit à principio extrinſeco, & non ab intrinſeco, ſeu voluntate, à qua neceſſe eſt procedere omne voluntarium, ut patet ex ipſius definitione: unde fornicatio per vim extorta à muliere omnimodè reluctãte, eſt ipſi involũtaria.

Dico: *omnimodè*; quia ſi tantùm taliter qualiter reluctatur, ipſi ad culpam imputabitur. Hinc

Reſol. eum, qui habet ſe merè paſſivè ad id quod ipſi infertur, neque illud approbando, neque reprobando, non pati violentiam, imò illud quod patitur, ſi tenebatur impedire, eſt ipſi voluntarium: non quidem directè & poſitivè, ſed indirectè & moraliter, & ideò culpabilis eſt puella per violentiam oppreſ-

ſa,

ſa, etiamſi interius non conſentiat, ſi exterius non reſiſtat clamando, repellendo, verberando &c. Sed quid ſi ex vociferatione immineat puellæ periculum evidens vitæ, aut honoris; Nihilominus debet clamare, ſi adſit periculum conſenſus; quia præceptum negativum de non conſentiendo fornicationi, obligat ſemper & ad ſemper. Si tamen periculum conſentiendi abeſſet, non teneretur clamare, quia præceptum de reſiſtendo aggreſſori, eſt affirmativum, quod non obligat pro ſemper, nec cum tanto detrimento. Quia tamen in praxi ferè ſemper adeſt tale periculum, id que ob ſummam materiæ lubricitatem, ideò ſemper debet clamare, ac omnimodè reluctari.

Dices 1. Contra Concluſionem. Paſſio Chriſti & Martyrum fuit meritoria: ergo & voluntaria, & tamen fuit violenta.

Reſp. Fuiſſe violentam ſecundùm inclinationem naturæ ſenſitivæ, ſui deſtructionem vel moleſtiam refugientis, non tamen ſecundùm appetitum rationalem, quo volebant propter Deum tormenta ſuſtinere.

Dices 2. Qui per vim baptizantur, validè baptizantur; & conſequenter voluntariè: ergo &c.

Reſp. Ant. eſſe falſum, ſi animo repugnent: quòd, ſi metu gravis mali, aut ſupplicii conſentiant, validè & voluntariè baptizantur. Et ideò cogi poſſunt ad legem Chriſtianam ut patet ex Cap. *Majores*. De Baptiſmo & ejus effectu §. *Item*.

CONCLUSIO II.

NUlla violentia facere poteſt, ut actus à voluntate eliciti, ſint involuntarii. Eſt communis.

Prob. 1. Authoritate D. Anſelmi Lib. de Libero Arb. c. 6. *Invitus nemo poteſt velle aliquid, quia non poteſt velle nolens velle*: quem ſecutus eſt Scotus 4. diſt. 29. q. 1. n. 6. *Contradictio eſt*, inquit, *voluntatem ſimpliciter cogi ad actum volendi .... quia tunc nolens vellet, & volens nollent*.

Prob. 2. Ratione DD. Angelici & Subtilis, quia eo ipſo quod actus à voluntate elicitur, eſt à principio intrinſeco cum cognitione, adeoque voluntarius.

Dices 1. Si Deus produceret in mea voluntate contranitente amorem Petri, amor ille eſſet involuntarius: ergo &c.

Reſp. Diſt. Ant. Eſſet involuntarius paſſivè: C. activè: N. quia non eſſet à voluntate: quod requirimus in concluſione.

Dices 2. Poteſt Deus rapere voluntatem ad amandum aliquid contra actum expreſſum, quo nolit illud amare: ergo & facere, ut actus etiam à voluntate elicitus ſit involuntarius.

Reſp. 1. Diſt. Ant. Poteſt Deus &c. ceſſante actu nolitionis: C. ſed tunc nulla eſt objectio. Perſeverante. N. aliàs poſſet voluntas ſimul & ſemel velle amare, & non velle amare idem objectum ſub eodem reſpectu conſideratum; quod implicat.

Reſp. 2. Dato gratis Ant. Neg. Conſeq. quia talis actus eſſet à voluntate cum cognitione, adeoque voluntarius. Poſſet tamen dici involuntarius involuntarietate oppoſita libentiæ, in quantum procederet à voluntate contra expreſſam ejus inclinationē.

Dices 3. Poteſt voluntas in ſuis actibus à Deo neceſſitari: ergo & cogi, adeoque & ejus actus poſſunt eſſe involuntarii.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quod neceſſarium non opponatur voluntario; cùm voluntarium ſit indifferens ad neceſſarium & contingens, ut diximus: opponatur autem violento; cùm hoc ſit à principio extrinſeco, illud ab intrinſeco.

Dices 4. Damnati nolunt triſtitiam ſuam: ergo involuntariè triſtantur; & conſequenter dari poteſt actus voluntatis involuntarius.

Reſp. Neg. Ant. Quia etſi nolint objectum triſte, volunt tamen ſuam triſtitiam, cùm triſtitia nihil aliud ſit, quàm nolitio objecti triſtis.

Dices 5. Voluntas vult peccatum, ſed peccatum eſt contra ejus inclinationem, cùm ſit contra naturam, teſte Auguſt. de civit. lib. 11. cap. 27. ergo.

Reſp. Diſt. Min. Eſt contra ejus inclinationem ad bonum honeſtum. C. ad bonum delectabile: N. jam autem ad utrumque bonum inclinationem habet voluntas, ſicut & natura.

CONCLUSIO III.

ALiqua violentia facere poteſt, ut ceſſatio ab actibus propriis ſit voluntati ſimpliciter involuntaria. Eſt ſatis communis ſecundùm ſubſtantiam, licèt differant authores quoad modum explicandi.

Prob. 1. Ex Scoto Quolib. 18. *Involuntarium ſimpliciter eſt illud, contra quod voluntas remurmurat*: ſed voluntas inclinata & proximè diſpoſita ad agendum remurmuraret, ſi impediretur ab actione, ob defectum divini concurſus; cùm hoc ſit contra naturalem cujuslibet potentiæ inclinationem: ergo.

Prob. 2. Si materia prima privaretur forma, violaretur; quia inclinationem habet ad illam: ergo ſimiliter voluntas, ſi privaretur operatione, ad quam eſt proximè diſpoſita, v. g. ad amorem virtutis, ad odium peccati &c.

Obji. 1. Si volontas remurmuraret, Deo concurſum ſuſpendente, reſiſteret divinæ voluntati; ſed ex variis Scripturæ paſſibus, non poteſt humana voluntas divinæ reſiſtere: ergo.

Reſp. Diſt. Min. Reſiſteret efficaciter, ſeu faceret, ut quod Deus nollet, fieret, aut è contra: N. & hoc ſenſu venit explicanda Scriptura: reſiſteret inefficaciter, ſeu haberet ob denegatum concurſum, diſplicentiam & repugnantiam: tranſeat. Dico *tranſeat*; quia repugnantia illa non eſſet reſpectu Dei concurſum ſuſpendentis (cum creatura ſit Deo quodlibet ponenti vel deneganti, naturaliter inclinata ad obediendum) ſed reſpectu ipſius privationis concurſus, ſic aqua à Deo calefacta non patitur repugnantiam reſpectu Dei ipſam calefacientis, bene tamen reſpectu caloris à Deo producti.

Obji. 2. Deus reſpectu noſtri eſt principium intrinſecum: ergo privatio concurſus, utpotè à principio intrinſeco erit, voluntaria.

Reſp. diſt. Ant. Eſt principium intrinſecum, ideſt, operans in nobis: C. intrinſecum ut hic intelligimus: N. quia per illud intelligimus ſolam voluntatem.

Obji. 3. Indifferens eſt volontas ad agendum, & non agendum: ergo, cùm impeditur agere, non patitur repugnantiam.

Reſp. diſt. Ant. Indifferens eſt ad agendum & non agendum, ideſt, ut ab intrinſeco agat vel non agat. C. ut ab extrinſeco determinetur ad agendum, vel non agendum: N. quia hic patitur violentiam, non ibi.

Obji. 4. Non inclinatur voluntas ad operandum, niſi ſuppoſito Dei concurſu: ergo, ubi deeſt concurſus, ceſſatio ab operatione non eſt involuntaria.

Reſp. Diſt. Ant. Non inclinatur &c. niſi ſuppoſito concurſu ſemper parato: C. niſi concurſu jam dato: N. quia antecedenter ad concurſum actualem, habet inclinationem ad operandum; quandoquidem non ſit concurſus actualis, niſi agat; prius autem habet inclinationem ad agendum, quàm agat.

Obji. 5. Auguſt. lib. 26. contra Fauſtum cap. 3. ubi ait: *Deus autem creator & conditor omnium naturarum, nihil contrà naturam facit: id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit, à quo eſt omnis modus, numerus, & ordo naturæ*: ergo concurſus ſuſpenſio eſt voluntati naturalis, adeoque voluntaria.

Reſp. Diſt. Conſeq. Eſt voluntati naturalis, in quantum à Deo procedit. C. quia ad ejus nutum obedire eſt naturaliter inclinata. Secundum ſe: N. patet ex dictis in prima objectione. Et hoc ſenſu intelligendus eſt S. Thomas, quando lib. 3. contra gentes cap. 100. & alibi dicit: *Licèt Deus interdum præter ordinem rebus inditum, aliquid operetur, nihil tamen facit contra naturam*.

Magis illuſtratur hæc reſponſio. Si voluntas per poſſibile vel impoſſibile privaretur ab agente creato, concurſu ſibi ad agendum debito, privatio illa ſecundùm ſe eſſet ipſi violenta & ſimpliciter involuntaria, ut concedunt omnes; atqui tunc eadem eſſet privatio ſecundùm ſe, quàm dum procederet à Deo: ergo licèt non ſit voluntati involuntaria ut à Deo procedit, talis eſt tamen ſecundum ſe.

CONCLUSIO IV.

VIolentia facere poteſt, ut actus à voluntate tantùm imperari ſoliti, ſint involuntarii, ſicut & eorum ceſſatio. Ita communiter Theologi.

Dico: *Imperari ſoliti*, & non imperati; quia eo ipſoquo voluntas actum intellectus, aut alterius potentiæ imperat, eſt à principio intrinſeco imperante, adeoque voluntarius.

Prob. Concluſio 1. In potentia loco motiva, ut cùm quis nolens truditur in carcerem, aut volens, impeditur ire domum. 2. In ſenſibus externis, ut dum quis cogitur audire, aut tangere aliquid, renitente voluntate, aut è contra. 3. In aliis potentiis, ut dum contra voluntatem patitur quis in ſenſibus internis imaginationes turpes, in appetitu ſenſitivo motus concupiſcentiæ, in intellectu dubitationes circa fidem.

Advertendum 1. Quòd, licèt ſimiles actus ſint involuntarii, & violenti voluntati, non ſint tamen violenti propriis potentiis, à quibus immediatè procedunt; quia operari ſimpliciter eſt ſecundùm inclinationem potentiæ, nihilominus ut denominentur ſimpliciter violenti ſuppoſito, ſatis eſt quòd ſint contra voluntatem, quia in hoc ſpectatur appetitus principalior ſuppoſiti.

Nec dicas dubitationes intellectus, & motus appetitus ſenſitivi, qui exurgunt in nobis, diſſentiente voluntate, eſſe à principio intrinſeco, adeoque eſſe quidem involuntarios, non tamen violentos; cùm violentum ſit illud, cujus principium eſt extra; quia ſufficit quòd ſit extra voluntatem renitentem, & ideò patientem, cum nullibi dicat Ariſtoteles debere eſſe extrinſecum toti ſuppoſito.

Ad-

Digitized by Google

Advertendum 2. Ceſſationem ab illis actibus poſſe eſſe violentam & voluntati, & potentiis propriis: illi quidem extrinſecè: his autem intrinſecè.

QUÆSTIO VI.

An Metus cauſet Involuntarium?

ADverte 1. Metum (qui eſt apprehenſio mali veroſimiliter eventuri) unum eſſe gravem, alterum, levem. Gravis vocatur, quo grande malum juſtè timetur, v.g. mors, flagellatio publica, jactura ſtatus honorabilis, dehoneſtatio per ſtuprum, amiſſio bonorum totalis, vel notabilis, exilium, denique omne malum, quod prudenter judicatur formidabile & magnum, attentis circumſtantiis ætatis, ſexus, vel apprehenſionis perſonæ, cui imminet. Levis eſt, quo vel leve malum timetur, vel grave ex cauſa levi. Hic metus afficit timidos, alter etiam audaces.

Adverte 2. Quòd metus poſſit ſe habere ad actionem cauſaliter & concomitanter. Cauſaliter ſe habet, dum eſt cauſa cur fiat actio; concomitanter, quando eſt ſimul cum actione, ſed non cauſa illius: ſic quando viator ex metu mortis dat burſam latroni, metus habet ſe cauſaliter, quia eſt verè cauſa cur burſa porrigatur. E contra quando vir charitativus cum metu mortis ſuccurrit peſte infectis, metus non habet ſe cauſaliter, ſed concomitanter; cùm non ſit cauſa illius auxilii, ſed amor proximi. Quæ fiunt primo modo, dicuntur fieri ex metu, quæ autem ſecundo, cum metu.

Adverte 3. Quòd metus reſpectu actionis ſit aliquando cauſa totalis, aliquando partialis: cenſetur totalis, quando actus fit præcisè propter metum, ita ut, illo ceſſante, non fieret, ut in exemplo de burſa data latroni, cenſetur autem partialis, quando ita mover ad actionem cum aliis, ut ipſo deſinente, adhuc poneretur actio: ut cùm quis deteſtatur furtum ex metu ſupplicii, & ex amore virtutis, ita tamen ut licèt nulla infligeretur pœna latronibus, adhuc deteſtaretur furtum ex amore virtutis.

Adverte 4. Quæſtionem non eſſe de iis, quæ fiunt cum metu, ſed ex metu, & quidem, ut cauſa totali, non quidem Phyſica, ſed morali, cùm certum ſit metum non cauſare phyſicè voluntarium, aut involuntarium. His notatis

CONCLUSIO I.

MEtus, propriè loquendo, nullatenus cauſat involuntarium.

Ratio evidens eſt; quia ſi mercator v.g. projiciens merces in mare ex metu naufragii, non haberet affectum ad ſuas merces, projectio fieret abſque ulla triſtitia ſeu repugnantia, adeoque non foret involuntaria, ut per ſe patet: ergo quòd projectio illa ſit ordinariè involuntaria, non oritur ex metu, ſed ex affectu ad merces. Idem dic in ſimilibus.

Confirm. 1. Si mercator timens naufragium, tantùm haberet in navi lapides inutiles, illos projiceret ſine ulla involuntarietate: ergo non ex metu, ſed ex affectu ad rem projectam oritur involuntarietas.

Confir. 2. Si merces projiciendæ ad evitationem naufragii, non eſſent mercatoris, ſed ipſius inimici, eas potiùs cum gaudio, quàm cum triſtitia projiceret: unde Auguſt. lib. 3. de Doctr. Chriſt. c. 18. *Non eſt in carendo difficultas, niſi cum eſt in habendo cupiditas.* Et ideò tantùm quærimus, an metus cauſet involuntarium occaſionaliter, in quantùm nempè cauſat actum, qui à parte rei involuntarius eſt, licèt involuntarietas, non à metu, ſed ab effectu actioni contrario habeatur?

CONCLUSIO II.

HOc ſenſu metus cauſat involuntarium ſimpliciter involuntarietate oppoſita lubentiæ, ſeu voluntatio lubenti, quando nempè impellit ad actum, qui ſecundùm ſe malus eſt. Ità Scotus, Tartaretus, Lichetus & alii, quibus pauci opponuntur, ſi bene intelligantur. Et ideò ante probationem

Adverte, quòd dum ſatis communiter dicitur metum cauſare voluntarium ſimpliciter, nempè in ratione voluntarii liberi, & involuntarium ſec. quid, ſc. in ratione involuntarii oppoſiti lubentiæ, ſi per illud involuntarium ſecundùm quid, nihil aliud velint Authores, quàm involuntarium in alio genere, libenter damus manus, ſed negamus locutionem eſſe propriam, ut jam patebit.

Prob. 1. Concl. ex cap. *Majores* de Baptiſmo, §. *Item*, ubi decernit Innocent. III. eum, qui metu ſupplicii Baptiſmum ſuſcipit, cogendum eſſe ad obſervandam Chriſtianorum legem; quia, ut ait, eſt *conditionaliter volens, licet abſolutè non velit*: ergo ſupponit ſuſceptionem illam eſſe ſimpliciter involuntariam. Nec dicas, abſolutè non velle, ſecluſo ſupplicii metu; quia dicit Pontifex abſolutè non velle in caſu ſibi propoſito, adeoque ſtante circumſtantia metus.

Prob. 2. Ex D. Thom. 2. 2. q. 142. art. 3. *Quæ per timorem fiunt*, inquit, *principium habent ab exteriori impellente: unde non ſunt ſimpliciter voluntaria*; atqui ſi tantùm eſſent involuntaria ſecundùm quid, eſſent ſimpliciter voluntaria: ergo. Quando autem 1. 2. q. 6. art. 6. docet facta ex metu eſſe voluntaria ſimpliciter & involuntaria ſecundùm quid, loquitur de voluntario libero, ut patet ex ratione, quam ſubjungit; *quia principium ejus eſt intra*.

Prob. 3. ex Scoto 4. d. 29. n. 12. ubi ait: *In inductione per terrores multum eſt de involuntario, & parum de voluntario.* Quid clarius? item 3. diſt. 30. n. 8. *Sciendum quòd .... quando in poſitione alicujus conditionis ſimpliciter nolitæ aliquis vult aliquid, non ſimpliciter vult illud, ſed magis reſpuit, ſicut patet de projiciente merces in mare &c.*

Prob. 4. Ratione: illud eſt involuntarium ſimpliciter, & non involuntarium ſecundùm quid, in quo plus eſt involuntarii, quàm voluntarii; atqui in projectione præfata plus eſt involuntarii, quàm voluntarii in præfato genere: cùm ſit plus triſtitiæ, quàm gaudii, plus repugnantiæ, quàm propenſionis, plus diſplicentiæ, quàm lubentiæ, ut docet Scotus 3. diſt. 15. n. 17. dicens: *Nec ibi velle oppoſitum* (in projiciente) *facit tantum gaudium, ſicut nolle conditionatum facit triſtitiam*. Hocque fatebitur omnis, qui in talem anguſtiam fuerit redactus.

Obji. 1. Sicut nolitio cauſat involuntarium, ità volitio voluntarium: ſed in projiciente merces eſt volitio abſoluta & efficax, & tantùm nolitio conditionata & inefficax: ergo plus eſt voluntarii, quàm involuntarii.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia nulla eſt repugnantia, quòd actus inefficax ſit intenſior efficaci, nec conſequenter quòd nolleitas plus cauſet involuntarii; quàm volitio efficax cauſet voluntarii ſive lubentiæ: quandoquidem deliberatio, à qua habetur efficacia poſſit eſſe valde levis, & affectus contrarius, à quo petitur intenſio, eſſe maximus.

Obji. 2. In talibus circumſtantiis lubentiùs projiciuntur merces, quàm retinerentur, cùm projectio ſit vitæ conſervativa, & retentio ejuſdem deſtructiva: ergo &c.

Reſp. Neg. Ant. Præfertur quidem projectio retentioni propter rationem ibi allatam, non tamen fit cum majori gaudio aut lubentia; quandoquidem obligatio illas tunc projiciendi, ob quamdam anteperiſtaſim moralem, potiùs augeat affectum ad merces, quàm minuat.

Inſtabis 1. Cum majori propenſione conſervamus vitam, quàm res temporales: ergo & cum majori propenſione ponimus ad vitæ conſervationem medium neceſſarium, quod hic & nunc eſt projectio.

Reſp. Diſt. Ant. Cum majori propenſione, ideſt, cum majori inclinatione naturali, C. ideſt, cum majori gaudio & lubentia, ſubdiſtinguo: ubi medium ad conſervationem non eſt ità durum: tranſeat: ubi eſt valdè durum & ingratum, ut in noſtro caſu: N.

Inſtabis 2. Lubentia ſequitur inclinationem naturalem: ergo ubi major eſt inclinatio, eſt major eſt lubentia.

Reſp. Ant. eſſe univerſaliter falſum: nam licèt major ſit inclinatio naturalis ad vitam, quàm ad quodlibet aliud, lubentius tamen quandoque mortem eligimus, quàm amiſſionem brachii aut tibiæ cum magnis & extraordinariis doloribus: imò lubentiùs avari exponunt vitam pro acervandis divitiis, quàm paucas divitias pro conſervanda vita.

Obji. 3. Thomam 1. 2. q. 6. art. 6. ubi ait: *Unumquodque ſimpliciter eſſe dicitur, ſecundum quod eſt in actu: ſecundum autem quod eſt in ſola apprehenſione, non eſt ſimpliciter, ſed ſecundum quid*: atqui quod fit ex metu, & quod omitteretur, ſolùm eſt in apprehenſione: ergo

Reſp. Hoc eſſe verum de eſſe rei, non de modo eſſendi: & ſic facilè concedimus projectionem eſſe ſimpliciter volitam, & retentionem tantùm eſſe volitam ſecundùm quid; negamus tamen projectionem eſſe lubentius volitam; cùm, ut dixi, poſſit eſſe actus inefficax intenſior efficaci. Utitur autem illo argumento D. Tho. ad probandum projectionem eſſe voluntariam ſimpliciter in ratione liberi, ut patet ex probatione 2. & in voluntariam ſecundùm quid in eodem genere: quod ultrò fatebimur poſteà.

Obji. 4. Scotus in Report 4. diſt. 4. q. 6. n. 3. expreſsè ait: *Projicere merces in mare eſt ſecundùm quid involuntarium, & ſimpliciter voluntarium.*

Reſp. Illum manifeſtè loqui de voluntario libero, ſeu quatenus eſt in noſtra poteſtate, ut ponatur vel non ponatur, ut patet ex contextu.

CONCLUSIO III.

QUæ fiunt ex metu, non ſunt ſemper involuntaria ſimpliciter, imò nec ſecundùm quid; & ideò dixi in concl. præced. quando actus, ad quem impellit metus, ſecundùm ſe malus eſt.

Prob. Concl. quia poſſunt aliqua, quæ fiunt ex metu, eſſe ſecundùm ſe bona, & conſequenter ſecundùm inclinationem voluntatis: ergo nullo modo involuntaria.

Prob. Ant. Poteſt quis ſervare mandata Dei ex metu Inferni; obſervantiam autem mandatorum eſſe bonam quis dubitat?

Præterea non poteſt ſemper metus, quando eſt efficax, relinquere diſplicentiam in operante, quia datur caſus, in quo diſplicentia illa eſſet cauſativa ejuſdem mali, quod quis vult vitare, ut patet in eo, qui ex metu gehennæ deteſtatur peccatum cum tali diſplicentia, ut, ſi non eſſet gehenna, vellet adhuc peccare: talis enim convincitur velle malum, quod vult vitare, & ſic velle & non velle; nam cùm illa diſplicentia denotet affectum ad peccatum; affectus autem ad peccatum, ſit cauſativus gehennæ, ſequitur evidenter quòd vellet gehennam vitare & non vellet. Ex quo patet, quòd metus aliquando debeat excludere omnem diſplicentiam; & conſequenter quòd actus ex illo procedens non ſit ſemper involuntarius, nequidem ſecundùm quid.

Dices: Metus gehennæ, etiam efficax, non excludit affectum ad peccatum: ergo poteſt quis efficaciter metuens gehennam, deteſtari peccatum cum tali diſplicentia, ut vellet adhuc peccare, ſi non eſſet gehenna.

Prob. Ant. Quia ſibi nunc complacens in peccato poteſt habere voluntatem agendi poſteà pœnitentiam, per quam vitabit gehennam. Cujus ratio eſt quòd volitio finis, etiam efficax, non inferat neceſſariò applicationem mediorum, niſi quando urget obtentio finis. Sic qui vult hodie efficaciter ire craſtina die Inſulas, non debet ante craſtinum diem iter carpere: ergo metuens efficaciter gehennam, non debet ſemper hic & nunc excludere à ſe cauſativum gehennæ, ſcil. peccatum, ſed ſufficit ſi habeat voluntatem illud vitandi, quando inſtabit tempus gehennæ vitandæ.

Reſp. Retinentem affectum ad peccatum non poſſe verè efficaciter metuere gehennam; nam cùm nequeat vitare gehennam, niſi pœnitendo, ſit autem incertus an ſit habiturus poſteà tempus & gratias efficaces, ſine quibus non pœnitebit, præſertim cùm videatur Deum irridere, cum velit rurſus offendere illum, à quo ſolo gratias illas expectat, videtur ſanè non velle omninò efficaciter gehennam vitare.

Replicabis. Qui vult cras pergere Inſulas, eſt incertus utrùm ſit habiturus tempus, ſanitatem &c. ſine quibus non poteſt ire, & tamen vult efficaciter; ergo ſimiliter in propoſito.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd ille ex parte ſua nihil faciat, quo moveat Deum ad denegandа ſibi illa media; & conſequenter, quantum eſt ex ſe, habeat voluntatem efficacem: habens autem affectum ad peccatum in noſtro caſu, per ſuam malitiam movet Deum, ut deneget ſibi gratias, ſine quibus non pœnitebit. Et certè ſi Joannes non poſſet ire Inſulas, niſi cum equo Petri, quis dicet ipſum velle ire efficaciter, ſi Petrum afficiat injuriis & verberibus? nullus ſanè.

CONCLUSIO IV.

QUæ fiunt ex metu ſunt, per ſe loquendo, ſimpliciter voluntaria in ratione liberi, adeoque ſufficientia ad peccatum mortale.

Prob. 1. Quæ ſic procedunt à voluntate imperante, ut poſſint ab eadem non imperari, ſunt ſimpliciter voluntaria in ratione liberi; atqui ea, quæ fiunt ex metu, taliter proficiſcuntur à voluntate: ergo. Major certa eſt ex terminis. Prob. Min. quia dans burſam latroni, ne fuſtibus excipiatur, poteſt illam non dare, cùm poſſit verbera eligere: ergo.

Prob. 2. Reus pejerans, ne ſuſpendatur, puella fornicans, ne occidatur, maſculus ſe polluens, ne graviter infirmetur &c. non excuſantur à gravi peccato, licèt ex ſolo metu operentur: ergo ſignum eſt, in illis actibus reperiri voluntarium ſimpliciter in ratione liberi, ſine quo non datur grave peccatum.

Dixi in Concl. *Per ſe loquendo*; quia ſi malum imminens ità perturbet hominem, ut tollat advertentiam, poterit actio ex metu facta eſſe involuntaria; ordinariè tamen relinquit advertentiam ſufficientem ad mortale, licèt non negemus paululum de libertate auferre, juxta quod ea, quæ fiunt ex metu, dici poſſunt involuntaria ſecundùm quid in illo genere; ſicut etiam dici poſſunt voluntaria ſecundùm quid in ratione lubentiæ, eo quòd fiant cum aliquali propenſione ad vitandum majus malum.

Dices contra Concluſ. ea, quæ fiunt ex metu gravi contra præcepta juris poſitivi divini, vel humani non imputantur ad peccatum: ergo non ſunt voluntaria.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia quod illa non imputentur ad culpam, non oritur defectu voluntarii, ſed quia leges prædictæ in tali caſu non cenſentur obligare; eo quòd non ſit veriſimile, Deum & homines voluiſſe obligare ad ſuas leges cum tali detrimento, quale eſt mors, jactura famæ, &c.

Confirm. Reſponſio: quia illa, quæ fiunt ex metu, etiam graviſſimo, contra legem naturalem, ſunt peccaminoſa: ſic nunquam licitum eſt mentiri, Deum negare, peccare venialiter, etiam pro conſervatione totius mundi, quia intrinſecè mala ſunt: ergo hoc non oritur defectu voluntarii, ſed quia lex una obligat in omni caſu, alia non. Sed de his plura in Tract. de legibus.

QUÆSTIO VII.

An Concupiſcentia cauſet involuntarium?

ADverte 1. Concupiſcentiam (quæ eſt motus appetitus ſenſitivi bonum delectabile proſequentis, & malum oppoſitum refugientis) poſſe dupliciter conſiderari 1. ut concupiſcibilis eſt, ad quam pertinent Amor, Deſiderium, Gaudium, Odium, Fuga, & Triſtitia 2. ut iraſcibilis, ad quam pertinent Audacia, Spes, Deſperatio, Ira &c. de Concupiſcentia ſub hac duplici conſideratione hic quæritur.

Adverte 2. Concupiſcentiam aliam antecedere actum voluntatis, aliam ſubſequi, aliam concomitari: de ſola prima quæſtio procedit; quia tantùm illa poteſt eſſe cauſa voluntarii, ut patet: undè ſi quis, elicito jam actu voluntatis circa objectum delectabile, excitet concupiſcentiam, ut actum jam inchoatum ardentius proſequatur; cauſabit quidem voluntarium, ſed quatenus antecedens reſpectu actus ut continuati.

Adverte 3. Sæpè voluntatem, per eundem actum tendere in diverſa objecta: in unum quidem directè, in aliud indirectè & interpretativè: ſic, qui dat oſculum laſcivum puellæ, directè vult ipſum oſculum, peccatum verò ipſi annexum ſæpiſſimè tantùm indirectè ſeu interpretativè. His notatis

CONCLUSIO I.

COncupiſcentia reſpectu objecti, ad quod directè movet voluntatem, non cauſat ordinariè loquendo, involuntarium, nequidem ſecundùm quid, ſed potiùs auget. Eſt D. Thomæ, Scoti eorumque Diſcipulorum communiter.

Prob. 1. Pars, quia cum Concupiſcentia nullo modo reſpiciat malum, ſed tantùm bonum delectabile, non inclinat voluntatem ad aliquid ipſi repugnans: ergo non eſt undè petatur involuntarietas, etiam ſecundùm quid.

Prob. 2. Pars, quia (ſuppoſita cognitione) eo magis voluntarius eſt actus, quò fit cum majori voluntatis propenſione; ſed concupiſcentia ita ſuaviter voluntatem ineſcat, ut ardentiſſimè & toto impetu feratur in objectum oblatum, ut videre eſt in hominibus libidinoſis, audacibus, iracundis: ergo &c.

Obji. 1. Contrà 1. partem: ſequens motum concupiſcentiæ patitur quandoque remorſum conſcientiæ, ſeu diſplicentiam: ergo &c.

Reſp. Diſt. Ant. Patitur remorſum conſcientiæ reſpectu actionis; ad quam directè movet concupiſcentia: N. reſpectu alicujus actionem concomitantis, aut ſubſequentis, ad quod indirectè movet, ut eſt v. g. peccatum, pœna temporalis, aut æterna infamia, &c. C.

Obji. 2. Eodem modo inducimur ad actionem per Concupiſcentiam, ac per blanditias, ſed juxta Scotum 4. diſt. 29. nu. 1 a. *In inductione per blanditias & delicias .... multum eſt de voluntario, & parum de involuntario. ergo.*

Reſp. Neg. Maj. Quia cùm appetitus ſenſitivus ſit in eadem anima cum voluntate radicatus, longè fortiùs ipſam movet & inclinat, quàm blanditiæ, aut deliciæ.

Obji. 3. Gravius eſt peccatum ex malitia, quàm ex Concupiſcentia: ergo in hoc reperitur aliquid involuntarii.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia exceſſus petitur ex eo, quòd primum ſit magis liberum, quàm ſecundum. Præterea non valet hæc conſequentia: eſt minùs voluntarium ergo eſt involuntarium ſecundùm quid, aliàs omnia peccata eſſent involuntaria ſecundùm quid, cùm quolibet aſſignabili dari poſſit magis voluntarium.

Obji. 4. Licèt Concupiſcentia ſit intrinſeca volenti, eſt tamen extrinſeca voluntati: ergo cauſat aliquid involuntarii.

Reſp. Si illa ratio valeret, etiam objectum cauſaret involuntarium, cùm ſit extrinſecum, non ſolum voluntati, ſed etiam volenti: quod tamen apertè falſum eſt. Deindè ſi voluntati extrinſeca eſt Concupiſcentia, illi intrinſeca eſt ad con-

condelectandum appetitui ſenſitivo pronitas.

Obji. 5. Concupiſcentia minuit cognitionem objecti: ergo & rationem voluntarii.

Reſp. Diſt. Ant. Objecti directè voliti: N. indirectè voliti: C. Plura inferius.

Obji. 6. Poteſt avarus concupiſcentia illectus magnam pecuniæ ſummam expendere, ut fruatur bono delectabili; atqui illa profuſio pecuniæ eſt ipſi involuntaria ſecundùm quid, ergo. Prob. Min. quia illa profuſio pecuniæ non videtur minùs avaro diſplicere, quàm diſpliceat projectio mercium mercatori naufragium vitare volenti.

Reſp. Neg. Min. ad probationem dico, diſparitatem eſſe, quod profuſio pecuniæ ab objecto ſeu fine delectabili, ad quem tanquam medium ordinatur, ſumat aliquam delectabilitatem, ſaltem extrinſecam, natam expellere omnem diſplicentiam, & voluntatem oblectare: hocque confirmari poteſt exemplo juvenis, qui captus amore mulieris ſine triſtitia, ſine repugnantia, imò cum hilaritate, quælibet incommoda amplectitur, imò & quandoque vitam exponit, ut optatis fruatur: at projectio mercium, cùm habeat pro fine aliquid acerbum & triſte, nempè mortem ſorte vitandam, fortè non, vix poteſt eſſe ſine diſplicentia, cum in tali objecto nihil ſit triſtitiæ expulſivum. Quamvis autem daremus in hoc & aliis bujuſmodi caſibus minùs ordinariis actionem ſecundùm quid eſſe involuntariam, nihil tamen ſequitur contra concluſionem, in qua expreſsè diximus, *ordinariè loquendo*.

CONCLUSIO II.

Concupiſcentia reſpectu objecti, ad quod indirectè movet voluntatem, quandoque minuit voluntarium.

Ratio eſt; quia, ſublata cognitione, tollitur voluntarium: ergo minuta cognitione, minuitur voluntarium: atqui concupiſcentia aliquando (nempè quando eſt vehemens) minuit cognitionem objecti, ad quod indirectè movet voluntatem: nam forti illectus concupiſcentia ita quandoque ineſcatur ab objecto delectabili, ut non niſi confuſè ad turpitudinem actus, & Dei offenſam advertat: ergo. Hinc infertur, interdum minui peccatum ad quod indirectè movet concupiſcentia, non tamen tolli regulariter loquendo, quia cognitio etiam valdè confuſa, ſufficit ad peccandum, etiam graviter.

CONCLUSIO III.

Concupiſcentia minuit liberum contingens. Eſt Scoti 4. diſt 20. q. 1. n. 4. ubi docet quòd paſſio vehemens impediat liberum uſum arbitrii; eſtque communis.

Prob. Tale liberum oritur, ſaltem partialiter, ex indifferentia judicii ad utramque partem; ſed concupiſcentia minuit illam indifferentiam, faciendo, ut intellectus præponderet, & magis æſtimet rationes ſeu motiva occurrentia pro ea parte, ad quam inclinat appetitus ſenſitivus: idque ob naturalem ſympathiam, quæ eſt inter potentias ſenſitivas inferiores, & potentias rationales ſuperiores: ergo minuit liberum contingens, adeoque etiam peccatum, aut virtutis meritum.

Confirm. Ex communi hominum ſenſu, qui minus liberè egiſſe, ac proinde aliqua venia dignos eſſe exiſtimant illos, qui vehementi libidine capti, in malum conſenſerunt: relinquitur tamen ordinariè ſufficiens libertas ad peccatum mortale.

Obji. 1. Si Concupiſcentia minueret liberum, minueret voluntarium; hoc eſt contra primam Conclu. ergo. Prob. Ma. quia eo ipſo, quo minuitur libertas, minuitur hoc, quod eſt moveri ab intrinſeco.

Reſp. Neg. Ma. ad probationem Diſt. Aſſumpt. minuitur hoc, quod eſt moveri ab intrinſeco, ideſt, ab intrinſeca propenſione voluntatis, undè petitur ratio voluntarii: N. nam amor beatificus, qui eſt ſine ulla libertate indifferentiæ, ſaltem ſecundum Thomiſtas, eſt tamen cum ſumma propenſione voluntatis, & ideò maximè voluntarius. Minuitur hoc quod eſt moveri ab intrinſeco, ideſt, ab intrinſeca indifferentia, undè petitur ratio liberi: C. ſed nihil contra concluſionem.

Inſtabis 1. Non poteſt minui ſpecies, quin minuatur genus; ſed liberum, eſt ſpecies voluntarii: ergo ſi Concupiſcentia minuit liberum, minuit & voluntarium.

Reſp. Diſt. Min. Eſt ſpecies propriè: N. impropriiſſimè: tranſeat. Nam voluntarium dividitur in neceſſarium & liberum, tanquam ſubjectum in ſua accidentia, ſicut homo dividitur in album & nigrum; & ideò poteſt idem numero vel ſpecie actus voluntarius de neceſſario fieri liber, & è contra; ut, ſi Paulus à Deo determinatus amet Petrum, & ſepoſita determinatione illa, continuet amorem: ſicut autem minuto accidente, v. g. albedine, non minuitur ſubjectum, ſcilicet paries; ita minuto libero, non debet minui voluntarium.

Inſt. 2. Liberum eſt voluntarium; Concupiſcentia minuit liberum: ergo & voluntarium.

Reſp Diſt. Ma. Liberum eſſentialiter, eſt Voluntarium: N. patet ex prima objectione: liberum accidentaliter, id, eſt, actus qui eſt liber, eſt voluntarius: C. ſed nihil contra nos, quia Concupiſcentia minuit liberum eſſentialiter.

Inſt. 3. Liberum eſt perfectio voluntarii: ergo minuendo liberum, minuit voluntarium.

Reſp. Diſt. Ant. Eſt perfectio eſſentialis; N. accidentalis: C. & Negn Conſeq.

Obji. 3. Metus non minuit liberum: ergo nec concupiſcentia. Negari poteſt Ant. Sed

Reſp. Diſſimulato Ant. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd metus ordinariè non minuat indifferentiam judicii, ſicut diximus de Concupiſcentia, ſed potius augeat, cùm faciat, ut ponderentur rationes pro, & contra, v. g. quantum ſit naufragii periculum, quanta mercium jactura, &c.

QUÆSTIO VIII.

An ignorantia cauſet involuntarium?

Quoniam de Ignorantia varia occurrunt enodanda, quæſtionem hanc in varios articulos dividemus.

ARTICULUS I.

Quid Ignorantia, & quotuplex?

CONCLUSIO I.

Ignorantia, quæ magis ad rem noſtram facit, ſoletque vocari privativa, eſt carentia cognitionis eorum, quæ quis ſcire poteſt.

Dicitur 1. *Carentia Cognitionis*, ut diſtinguatur ab ignorantia pravæ diſpoſitionis, quæ eſt poſitiva deceptio & contrarius veritati error, qualis eſt in Judæis & Hæreticis qui fidei myſteriis poſitivè diſcredunt ſeu contrarium ſentiunt.

Dicitur 2. *Eorum quæ quis ſcire poteſt*, per quod excluditur ignorantia purè negativa, quæ eſt carentia ſcientiæ in ſubjecto vel non apto ſimpliciter, ut in lapide, vel non apto pro illo tempore, ut infante, amente, &c. Ex quibus habes triplicem eſſe ignorantiam, Poſitivam, Privativam, & Negativam.

CONCLUSIO II.

Dividitur 1. Ignorantia Privativa in Ignorantiam Juris Facti, & Pœnæ. Prima eſt, dum quis ignorat, quid jure ſeu lege, aut præcepto conſtitutum ſit aut prohibitum, ut ſi quis neſciat impoſitum eſſe jejunium in vigilia S. Matthæi. Secunda eſt, dum adeſt quidem ſcientia juris ſeu legis, ſed ignoratur factum ſeu circumſtantia facti, quod lege prohibetur; ut, ſi quis ſciens prohibitam eſſe comeſtionem carnium in Quadrageſima, neſciat id, quod comedit, eſſe carnem. Tertia eſt, dum ignoratur pœna lata in delinquentes.

CONCLUSIO III.

Dividitur 2. Ignorantia in Antecedentem, Concomitantem & Conſequentem.

Antecedens eſt, quæ præcedit opus & omnem voluntatis actum circa illam, adeoque nullo modo eſt voluntaria, eſtque aliquo modo cauſa, cur operemur, in quantum removet ſcientiam, quæ ſi adeſſet, opus non fieret: talis fuit in Jacob accedentem ad Liam, quam putabat eſſe uxorem ſuam, ad quam, ſecluſa ignorantia, accedere noluiſſet. Hæc ignorantia dicitur Juſta, Probabilis & Invincibilis *Juſta* quidem, quia operantes ex ea excuſantur. *Probabilis*; quia eam probant Canones. Et *Invincibilis* quia moraliter non potuit ſuperari, vel quòd non venerit in mentem dubitare, aut cogitare de oppoſito, vel, etſi in mentem venerit, tamen adhibita ſufficienti diligentia pro indaganda rei veritate, ignorantia depelli & veritatis cognitio obtineri non potuit. Cenſetur autem adhibita ſufficiens diligentia, quando id factum eſt, quod viri prudentes & timorati ejuſdem conditionis, in ſimili negotio præſtare ſolent.

Concomitans dicitur, quæ nec movet ad operandum, nec removet ab operatione, ſed ita afficit operantem, ut eodem modo operaretur, ſi talis ignorantia abeſſet: undè actum voluntatis nec antecedit, nec ſequitur, ſed habet ſe concomitanter ad illum; & ideò nec eſt voluntaria, nec involuntaria poſitivè, ſed non voluntaria: talis ignorantia reperitur in illo, qui ignorans eſſe diem jejunii, comedit carnes, quas equidem comediſſet, ſi diem noviſſet.

Con-

Conſequens denique (quæ etiam vocari ſolet *Injuſta, Improbabilis*, *Vincibilis* propter rationes oppoſitas ſuperioribus de ignorantia antecedente) eſt illa, quæ eſt à voluntate directè, vel indirectè volita, adeoque ſequitur illam ut ejus effectus, eſtque ſimpliciter voluntaria. Porro cenſetur directè volita; quando voluntas vult expreſsè ignorare id, quod ſcire poterat & tenebatur. Talis ignorantia (quam affectatam vocant) reperitur in homine, qui non vult inquirere de rei veritate, ut, obligatione legis ignorata, vel excuſationem aliquam mereatur, vel liberius peccare poſſit, V. G. ſi expreſsè omittat mercator inquirere de ſuis debitis, ut, illis ignoratis, non ſolvat creditoribus. De quo Pſal. 35. *Noluit intelligere ut bene ageret*. Cenſetur autem indirectè volita, quando voluntas non vult quidem expreſsè ignorare, ſed non curat, ut debet, addiſcere ea, quæ poteſt & tenetur. Hæc, quæ ab aliquibus dicitur non affectata, eſt duplex, *Craſſa* ſeu lata aut ſupina, ad quam tollendam nulla, aut nonniſi modica cura adhibetur, & *non craſſa*, ad quam tollendam adhibita eſt quidem aliqua cura, ſed inſufficiens. Craſſam habere cenſetur, qui ignorat ea, quæ homines ejuſdem ſtatus & conditionis ſcire ſolent. Non craſſam verò, qui quidem illa ſcit, ſed nonniſi imperfectè.

Notandum verò has omnes diviſiones competere tam Ignorantiæ Juris, quàm Facti.

ARTICULUS II.

Reſolvitur Quæſtio.

CONCLUSIO II.

IGnorantia omninò antecedens cauſat involuntarium ſimpliciter, quantum ad id quod ignoratur. Eſt communis inter Theologos.

Prob. 1. Involuntaria eſt actio, ubi deeſt cognitio, ut patet ex definitione voluntarii cognitionem ſingulorum requirentis, ſed in actione procedente ex ignorantia deeſt cognitio, cùm procedere ex ignorantia ſit procedere ſine cognitione: ergo.

Prob. 2. Ex condemnatione hujus propoſitionis ab Alex. VIII. *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat à peccato formali*; ex qua ſequitur ignorantiam invincibilem, qualis eſt antecedens, excuſare à peccato formali, adeòque tollere voluntarium.

Prob. 3. Quia ultra quòd actio procedens ex ignorantia antecedente ſit incognita, etiam repugnat affectui voluntatis; cùm cenſeatur operans taliter diſpoſitus actualiter, aut ſaltem habitualiter, ut, ſi ignorantia abeſſet, opus ex ea procedens non poneretur. Colliget autem ſe taliter affectum, ſi, habita ſcientia operis patrati, doleat & triſtetur; quia, ut docet Philoſophus: *Qui ob ignorantiam quidpiam agit, ſi ipſum pœnitet, invitus* (id eſt involuntariè) *feciſſe videtur*.

Dixi in Concl. *Quantum ad id quod ignoratur*; quia ſi conſideretur actio ſecundùm quod ſubeſt cognitioni operantis, ignorantia potius eſt cauſa voluntarii, quàm involuntarii: ſic comeſtio carnium facta ab eo qui ignorat eſſe vigiliam, eſt voluntaria in ratione comeſtionis carnium, hancque cauſat ignorantia, in quantum removet ſcientiam diei prohibitæ, quæ ſi adeſſet, non poneretur illa comeſtio, quatenus autem illa comeſtio fit die prohibito, eſt involuntaria, quia ſine cognitione & contra inclinationem, ſaltem habitualem, voluntatis. Ex dictis

Reſol. 1. Ignorantiam omninò antecedentem excuſare operantem à peccato, vel à toto, vel à parte, ſecundùm id quod ignorat, quia nullum peccatum, niſi voluntarium.

Reſol. 2. Etiam excuſare à pœnis & cenſuris rei ignoratæ annexis.

Reſol. 3. Ea quæ diximus de Ignorantia antecedente, debere etiam extendi ad naturalem inadvertentiam totalem, quæ in ordine ad involuntarium æquiparatur ignorantiæ. Dico, *totalem*; quia, ut diximus antea, advertentia ſemiplena, qualis eſt in ſemiſopitis, excuſat quidem à gravi, non tamen à levi peccato. Porro colliget Confeſſarius an advertentia fuerit plena, ſemiplena, vel nulla, ex interna diſpoſitione pœnitentis, ſi illam ex confeſſionibus præcedentibus noverit, aliàs ex ejus accuſatione.

CONCLUSIO II.

IMpertinenter ſe habet Ignorantia concomitans ad voluntarium & involuntarium, adeoque neutrum cauſat, & ideo de illa communiter dicitur, quòd nec accuſet, nec excuſet.

Prob. 1. Pars; quia opus ſic factum nec eſt expreſsè volitum in ſe, cùm ſupponatur ignorari; nec interpretativè aut virtualiter in ipſa ignorantia; quia hæc eſt involuntaria; nec ullatenus ignorantia influit in effectum; quia, ſi abeſſet, adhuc opus fieret: ergo.

Prob. 2. Pars; quia quod ex tali ignorantia procedit, non fit cum triſtitia aut repugnantia, ſed potius ex magna propenſione voluntatis, ſaltem habituali: unde tantùm dici poteſt, quòd faciat involuntarium privativè, ſeu non voluntarium in ſubjecto capaci. Hinc

Reſol. Occidentem hominem cum tali ignorantia (quæ ſemper invincibilis ſupponitur) excuſari ab homicidio externo; & conſequenter non teneri quidquam reſtituere hæredibus occiſi; imò nec incurrere pœnas homicidio annexas: peccat tamen homicidio interno propter affectum inordinatum, cùm ſit taliter diſpoſitus, ut inimicum v.g. quem pro fera occidit, adhuc occideret, ſi ſciret eſſe inimicum.

Dices 1. Deſiderium habet occidendi inimicum, & de facto occidit: ergo reus eſt homicidii externi.

Reſp. Diſt. Ant. Deſiderium habet non influens in opus externum: C. Influens: N. nam ſi occiſus eſſet amicus, non influeret; non aliter autem ſe habet reſpectu operis externi, ſive occiſus ſit inimicus, ſive amicus, ut per ſe patet.

Dices 2. Reſciens poſteà occiſum eſſe inimicum, ſibi in homicidio complacet: ergo

Reſp. Inde ſequi homicidium eſſe objectum voluntatis, non effectum, adeoque eſſe quidem volitum, non tamen voluntarium: & certè quomodo eſſet effectus, cùm præcedat complacentiam illam.

CONCLUSIO III.

IGnorantia merè conſequens facit, ut opus ſit voluntarium ſimpliciter, ſaltem in cauſa, & involuntarium ſecundùm quid. Eſt communis. Ante probationem

Adverte quòd Ignorantia conſequens reſpectu voluntatis, ſit antecedens reſpectu operis ex ignorantia procedentis.

Prob. 1. Pars: cui voluntaria eſt cauſa, voluntarius eſt effectus ex ea naturaliter proveniens; atqui voluntaria eſt ſimpliciter ignorantia conſequens, operanti; cùm potuerit & debuerit illam vincere: ergo & effectus, qui naturaliter ex ea ſequitur.

Dices 1. Ignorantia non poteſt influere in opus: ergo nec facere ut ſit voluntarium.

Reſp. Diſt. Ant. Non poteſt influere phyſicè: C. nam, *cùm* ſit quædam privatio, non poteſt habere influxum poſi*tivum in* aliud: non poteſt influere privativè, in quantum removet ſcientiam ab operante, quæ ſi adeſſet, opus non fieret: N.

Dices 2. Quod fit ex ignorantia, fit ſine cognitione: ergo non eſt voluntarium.

Reſp. quod fit ex ignorantia vincibili, qualis eſt conſequens, fieri cum cognitione, ſaltem confuſa, qua res vel in ſe, vel circumſtantia, vel in aliquo ſimili cognoſcitur.

Prob. 2. Pars: quia quod fit ex ignorantia conſequente, fit contra aliqualem inclinationem voluntatis, ut patet in eo, qui, non adhibita ſufficienti diligentia, hominem pro fera occidit; quia ſic eſt operando diſpoſitus, ut, ſi hominem, & non feram eſſe ſciret, nunquam occideret. Quod tamen intelligendum eſt de ignorantia purè conſequenti: nam ſi admittat ſecum ignorantiam concomitantem, non cauſat involuntarium, nequidem ſecundùm quid; quia taliter ignorans ità ponit actionem, ut adhuc illam poneret, ſi ſcientiam haberet. Ex dictis

Reſol. diſcrimen eſſe inter ignorantiam antecedentem, concomitantem, & conſequentem, quòd concomitans nullo modo ſit cauſa peccati externi; antecedens autem & conſequens ſint verè cauſa illius, licèt ſub diverſo reſpectu: nam antecedens eſt cauſa peccati auferendo ab eo malitiam formalem, ſeu faciendo ut id, quod aliàs eſſet peccatum formaliter, non ſit niſi materialiter propter defectum ſcientiæ; conſequens verò cauſet peccatum formaliter: ut peccatum formaliter: nam, cùm ſit voluntaria, voluntarius eſt etiam effectus ex ea ſecutus, & conſequenter peccaminoſus.

ARTICULUS III.

An detur Ignorantia invincibilis Juris Divini poſitivi excuſans à peccato.

NOmine Juris Divini poſitivi intelliguntur leges à Deo Legislatore exteriùs impoſitæ: nam lex naturalis, quam Deus ſcripſit interiùs in cordibus hominum, non venit nomine Juris Divini poſitivi.

CONCLUSIO I.

DAri poteſt Ignorantia Invincibilis Juris Divini poſitivi, etiam in quibuſdam Catholicis; nam infideles, quibus

nec

nec Chriſtus, nec Euangelium ejus prædicatum eſt, ignorare poſſe quaſdam leges divinas, præſertim Sacramentales, res clarior eſt, quàm ut probatione indigeat; & ideò illud expreſſiſſimè tanquam indubitatum docent S. Auguſt. Tract. 89. in Joan. & D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 1.

Prob. 1. Concl. Contra Gerſonem, Boudart, & quoſdam alios. Dari poteſt ignorantia invincibilis juris humani, ut fatentur Adverſarii omnes, ſi unicum Lutherum excipias: ergo & juris Divini. Prob. Conſeq. Quia lex Divina per hoc quod ſit Divina non dat majorem ſui notitiam, quàm lex humana: nam ſi lex jejunii, quæ eſt Eccleſiaſtica, eſſet Divina, & lex Confeſſionis, quæ eſt Divina, eſſet Eccleſiaſtica, non aliam gignerent ſui notitiam, quàm nunc: ergo ſi poſſit ignorari invincibiliter lex humana, poterit & Divina.

Prob. 2. Per hoc ignorat quis legem Divinam invincibiliter, quòd de ea nihil unquam audierit, cogitaverit, dubitaverit, aut, ſi quidquam audivit, factus ſit illius omninò immemor; ſed multi ſunt, etiam Catholici, qui de certis legibus Divinis nihil unquam audierunt, cogitaverunt, aut dubitaverunt: ergo &c. Minor certa eſt: Quot ſunt enim pueri octo, novem, aut decem annorum, qui nunquam audierunt, cogitaverunt, &c. ſumendam eſſe ex præcepto Divino Euchariſtiam, ſaltem in fine vitæ? imò quot & quot ſunt, qui ſine illa moriuntur? Quis autem dicere audeat, omnes illos eſſe damnatos, qui nunquam à parentibus aut Parochis talem obligationem perceperunt.

Dices 1. In omnem terram exivit Sonus Apoſtolorum: ergo nullus eſt, qui non habeat principium ſaltem dubitandi de lege Divina, adeoque de illa inquirendi & interrogandi.

Reſp. Diſt. Ant. in omnem terram, ideſt, in præcipuas Orbis partes: C. ideſt, in ſingulas Provincias, Civitates, & oppida: N. Nam ut docet Auguſt. Epiſt. 80. circa fin. pro quolibet tempore reperiuntur in diverſis terræ partibus, qui nihil audierint de Euangelio.

Dices 2. Qui ignorat præcepta Divina, poteſt jejuniis, orationibus, & lachrymis illorum notitiam obtinere: ergo ſi illa ignoret, vincibiliter ignorat, in quantum non facit ea quæ poteſt & debet, ut illam ignorantiam à ſe expellat. Sed

Contra eſt. Quòd ille nec ſciat, nec cogitet, nec dubitet ſe quidquam ignorare: quomodo ergo orabit, jejunabit &c. ut ignorantiam, de qua nequidem ſuſpicatur, à ſe expellat?

Inſt. 1. Licèt non ſuſpicaretur de aliqua ignorantia, debet tamen orare, jejunare &c. ut ſi quid fortè ignoret, ſcitu neceſſarium, illius ſcientiam obtineat. Sed

Nunquid orarunt, & jejunarunt SS. Doctores? Nunquid S. Thomas? nunquid S. Bonaventura? & tamen aliquos ex illis ignoraſſe quædam circa jus Divinum quis dubitat? quandoquidem in eadem materia juris Divini contradictoria docuerint. Quis enim ignorat D. Seraphicum docuiſſe lapſum in mortale debere ſtatim à peccato pœnitere, Doctorem verò Angelicum tenuiſſe contrarium? Ergo alteruter erravit? Quis autem dicat tantos Viros, qui non ex vana gloria, ſed ex zelo veritatis & publicæ utilitatis ſcripſerunt; imò qui ſuam ſcientiam in Crucifixi vulneribus quærebant, culpabiliter erraſſe, ſaltem venialiter, ut vult Jacobus Boudart.

Inſt. 2. Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam, adeoque nec ſuæ legis cognitionem.

Reſp. Deum, facienti quod in ſe eſt per vires gratiæ non denegare legis ſuæ cognitionem, ubi neceſſaria eſt ad ſalutem, & ad vitandum peccatum formale; denegare tamen aliquando, ubi ſine illa poteſt ſalus obtineri, & peccatum formale vitari, idque in pœnam peccati originalis: hocque colligimus inde, quòd poſt infinitas, ut ità dicam, Sanctorum orationes, jejunia, mortificationes, vigilias, adhuc tamen aliqua circa jus Divinum ignorentur; etiam à Catholicis doctioribus & ſanctioribus.

CONCLUSIO II.

IGnorantia invincibilis Juris Divini excuſat à peccato. Eſt communis & certa.

Prob. 1. Ex Script. Joan. 15. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato.* Quid clarius pro nobis? nunquid expreſsè oſtendit ibi Chriſtus Judæos excuſationem habituros de peccato, non quidem omni, ſed de eo, quo in Chriſtum non crediderunt, ſi ejus prædicationem ignoraſſent? ſic ſanè intellexit D. Auguſt. Tract. 89. in præfata verba Joannis. Sic intellexit D. Bern. Epiſt. 77. poſt init. dicens: *Si locutus fuiſſet, ſed non ... inobedientiæ culpa ignorantia.... excuſaret.* Sic intellexit S. Thomas 2. 2. q. 10. art. 1. Ubi dicit Infideles, qui nihil de Fide audierunt, damnandos quidem propter alia peccata, quæ ſine fide remitti non poſſunt, non tamen propter peccatum infidelitatis. Sic etiam intellexit Pius V. damnans hanc Baji propoſitionem: *Infidelitas purè negativa in his, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.*

Prob. 2. Ratione: nullum peccatum niſi voluntarium: *Uſque adeò peccatum voluntarium eſt malum*, inquit Aug. lib. de vera Relig. c. 14. *ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium. Et hoc quidem manifeſtum eſt, ut nulla hinc Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat*: atqui ignorantia invincibilis tollit voluntarium, cùm tollat cognitionem malitiæ, quæ ineſt objecto: ergo

Dices cum Adverſariis, poſſe aliquid eſſe peccatum actuale, abſque eo quòd ſit voluntarium in actu ſecundo. Sed

Contra eſt, quòd ad peccatum actuale requiratur voluntarium ſimpliciter, quale eſt ſolum voluntarium in actu ſecundo. Unde meritò hanc Baji propoſitionem damnarunt Summi Pontifices: *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium*: ubi loquitur Bajus de voluntario propriè dicto, & in actu ſecundo ſicut communiter accipitur in Scholis.

Prob. 3. Nemo peccat in eo, quod vitare non poteſt, ut habet tritum & commune effatum: *Quod cantant in montibus Paſtores, & in theatris Poetæ .... & docti in Bibliothecis, & Magiſtri in Scholis* &c. Ut ait Aug. lib. 2. de Animabus c. 11. atqui ſi talis ignorantia non excuſaret à peccato, peccaret quis in eo, quod vitare non poſſet; imò in eo quod vitare nunquam cogitaſſet: ergo &c.

ARTICULUS IV.

An detur Ignorantia invincibilis juris naturæ?

LIcèt hactenus per Ignorantiam invincibilem, inculpabilem intellexerunt Theologi communiter; non deſunt tamen aliqui moderni, qui nullam juris naturæ ignorantiam invincibilem agnoſcunt, niſi culpabilem: vel enim, ajunt, ignorantia juris naturæ reperitur in hominibus juſtis, vel in peccatoribus; ſi in juſtis, vincibilis eſt, cùm poſſint illam orando ſuperare; ſi in peccatoribus, quibus deeſt gratia, qua poſſint illam orando depellere, invincibilis eſt quidem, ſed culpabilis, cùm gratiæ neceſſariæ denegationem promeruerint peccatis prioribus: ſicque ex illa ignorantia legi naturali contravenientes, non excuſantur à peccato, eo quòd ſit voluntaria in cauſa; ſed nos viam communem arripientes, oſtendemus in hoc articulo dari poſſe, etiam in hominibus juſtis, ignorantiam invincibilem, non ſolùm viribus naturæ, ſed etiam oratione, jejunio, pœnitentia &c. & in ſequenti ignorantiam invincibilem, in quocumque reperiatur, ſive juſto, ſive peccatore, excuſare à peccato. Sed ante reſolutionem

Adverte 1. Ignorantiam invincibilem dividi poſſe in Speculativam & Practicam: Speculativa eſt eorum, quæ quis hic & nunc ſcire non tenetur, & conſequenter non reſpicit proximè operationem; ut ſi quis nihil habens ignoret, ſe non poſſe ex mutuo lucrari. Practica, eſt eorum quæ ſunt proximè ad praxim reducenda; ut, ſi quis jam rem ſacram empturus, ignoret emptionem eſſe Simoniacam: de hac Ignorantia quæſtio eſt: nam ſpeculativam poſſe eſſe invincibilem ſimul & inculpabilem, conveniunt omnes Theologi.

Adverte 2. Inter illa quæ ſunt de jure naturæ, alia eſſe evidentiſſima, qualia ſunt hæc prima principia: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: malum fugiendum, bonum amplectendum*, quibus annumerari poſſunt, quòd *Deus ſit colendus, parentes honorandi &c.* alia eſſe quidem ſatis evidentia, ſed non ita ac præcedentia, ut quòd *non ſit furandum, occidendum, mentiendum &c.* Alia denique quæ non ſunt per ſe nota, ſed labore & diſcurſu ex aliis tanquàm concluſiones deducta, v. g. quod ſit illicitum lucrum ex mutuo, quòd pollutio, etiam ad vitæ conſervationem unicè neceſſaria, ſit illicita. His notatis.

CONCLUSIO I.

NEquit dari in homine uſu rationis pollente & advertente ignorantia invincibilis eorum, quæ ſunt de jure naturæ 1. modo. Eſt certa.

Prob. quia ſunt ita clara & manifeſta, ut cuilibet homini advertenti ſtatim illorum faciendorum, aut fugiendorum appareat neceſſitas: undè Hieronymus Epiſt. 151. ad Algaſiam q. 8. *Nullus hominum eſt*, inquit, *qui hanc legem neſciat .... idcircò juſtum judicium Dei eſt ſcribentis in corde humani generis: quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris.*

Dixi: *In homine advertente*; quia ſi parvulus initio uſus rationis non advertat ad parentes, poterit invincibiliter ignorare, honorandos eſſe parentes.

CON-

CONCLUSIO II.

DAri poteſt ad breve tempus in rudibus & agreſtibus ignorantia invincibilis aliquorum, quæ ſunt de jure naturæ 2. modo, ubi veſtiuntur aliqua circumſtantia apparenter bona.

Ratio eſt; quia etſi illa, ſcilicet, *mentiri*, *occidere*, *furari &c.* ſecundùm ſe & nudè ſpectata ſint ita naturæ difformia, ut non videatur ignorari poſſe eorum malitia, attamen quatenùs conſiderantur fieri ad evitationem mali, quod apparet quibuſdam notabiliter majus, nulla apparet implicantia, quòd ab ipſis ad breve tempus ignorentur tanquam mala: & certè quot ſunt mulierculæ; etiam piiſſimæ, quæ non peccare, ſed magnum Deo obſequium præſtare exiſtimarent, ſi mendaciolum proferrent, ne Eccleſia, Sacræque Hoſtiæ in ea aſſervatæ, ab hæreticis comburerentur, ne milites ſanctum Dei nomen blaſphemarent, ne violarentur virgines Deo ſacræ, ne trucidarentur innocentes, ne Provincia integra in miſerrimum idololatriæ aut hæreſeos crimen prolaberetur, & ſimilia; ſi à prædivitibus modica, præſertim comeſtibilia, ſurriperent, ut graviter indigentibus ſuccurrerent? *Vidi ego*, inquit Vaſquez in 1. 2. diſp. 122. c. 2. *ruſticum aliquem, qui pium exiſtimabat, ægrotum jamjam moriturum, ne diu dolore mortis detineretur, in alteram partem verſare, ut citius animam exhalaret ...... quem ſanè, facto ſufficienti examine, mihi perſuaſi ignorantia inculpabili laboraſſe.*

Confirm. ex Aug. qui libro 1. de ſermone Domini in monte cap. 29. dubitat an fuerit formaliter adulterinus concubitus cujuſdam mulieris, quæ non ex libidine, ſed ex mera neceſſitate & charitate, accedente conſenſu & præcepto mariti aliàs morituri, ſe alteri miſcuerat, *nullo modo judicans adulterinum eſſe concubitum*. Cur autem dubitavit Auguſtinus, ſi in tali, aut etiam in longè minori caſu, nullam juris naturæ ignorantiam dari poſſe exiſtimabat? cur non condemnabit abſolutè maritum & uxorem? cur dixit: *nihil hinc in alteram partem diſputo, liceat cuique æſtimare quod velit?* ſed quid dicturus erat S. Doctor, ſi bonus ruſticus, aut pia muliercula leve mendacium, aut furtum, feciſſet, ad evitanda mala enormia in probatione recenſita, qui de adulterio, peccato de ſe tam turpi & fœtido, dubiam nobis reliquit ſuam mentem?

Dubitavit Auguſtinus, inquit, non de peccato, ſed de veritate hiſtoriæ. Auguſtinum lege, & tu non dubitabis de objectionis tuæ falſitate. Poſtquàm enim dixerat non poſſe maritum aut uxorem, etiam accedente compartis conſenſu, alteri copulari, addit: *Quamquam nonnullæ cauſæ poſſint exiſtere, ubi & uxor mariti conſenſu, pro ipſo marito hoc facere debere videatur*, Subditque hiſtoriam præfatam, qua ſecundum tempus & omnes circumſtantias enarrata, ne minimo circa hiſtoriæ veritatem oſtenſo ſcrupulo, ſubjungit: *nihil hinc in alteram partem diſputo*, non an id fecerint conjuges Anthiocheni, cùm nec ipſe, nec alius de hoc dubitaverit; ſed an id faciendo, adulterium formale patraverint; reſpondendo nempè ad id quod immediatè ante hiſtoriæ narrationem objecerat, ipſaque narratione confirmaverat; *Quamquam nonnullæ cauſæ poſſint exiſtere &c.* Dixit quidem Auguſtinus in fine hiſtoriæ: *Non enim de Divinis authoritatibus deprompta eſt hiſtoria*, ſed præcisè, ut confirmaret quod immediatè antè dixerat: *liceat cuique æſtimare quod velit*, an ſcilicet conjuges illi adulterii Rei ſint, necne; quia ſi de Scriptura ſumpta eſſet hiſtoria, neceſſario credendum eſſet uxorem *nullo modo* judicaſſe *adulterinum eſſe concubitum*. Fateor me contrarium dixiſſe per tranſennam in Decalogo ſed non ſatis rem examinaveram.

Dixi in Concluſione: *In rudibus & agreſtibus*, nam in diſciplinatis & litteratis non apparet dari poſſe; licèt referat Sylvius Caſſianum, Marulum, & alios docuiſſe mendacium officioſum non eſſe peccatum, & Durandum credidiſſe fornicationem, ſpectato ſolo jure naturæ, non eſſe culpam mortalem.

CONCLUSIO III.

DAri poteſt ignorantia invincibilis aliquorum, quæ ſunt de jure naturæ 3. modo, non tantùm in rudibus, ſed etiam in diſciplinatis & litteratis. Ita communiter Theologi contra Lutherum, Calvinum, & quoſdam Catholicos nullam in ullo admittentes.

Prob. 1. Quia in iis, quæ ſunt de jure naturæ 3. modo, aliqua reperiuntur adeò implicata, & difficilia, ut nequidem hodiè quid in iis natura permittat, quid prohibeat noverint Authores ſapientiſſimi ſimul & ſanctiſſimi: & certè nunquid ex illis docent aliqui quædam eſſe de lege naturæ, quæ docent alii pertinere ad jus poſitivum? Nunquid unus licitos, alter illicitus jure naturæ arbitratur cenſus perſonales? nunquid Doctor Angelicus tenet poſſe judicem morti adjudicare eum, quem ſcientia publica novit nocentem, & privata innocentem, cujus tamen contrarium ſuſtinet Doctor Seraphicus? ſi ergo poſt tot ſæcula nequidem tanti viri cognoverint omnia quæ ſunt de jure naturæ, certò concludendum eſt aliqua invincibiliter poſſe ignorari: quo enim pacto ignorantia illa vinceretur? an ſtudio? an vigiliis? an oratione? ecce præclara illa Eccleſiæ lumina dies noctéſque orando, ſtudendo, vigilando, poſtulando conſummarunt: ergo illorum ſaltem ignorantiam invincibilem eſſe affirmes, neceſſe eſt, niſi aliud obſtet.

Prob. 2. Debet Confeſſarius, credere pœnitentitam pro ſe, quàm contra ſe loquenti, atqui ſæpè reperiuntur pœnitentes, præſertim adoleſcentuli, qui firmiter & conſtanter aſſeverant ſe ne vel minimum ſcrupulum paſſos circa certas actiones, quæ tamen juri naturæ adverſantur: ergo

Dices illorum ignorantiam non eſſe invincibilem, cùm illam ſibi per peccata priora procuraverint. Sed

Contra eſt, quòd ex eorum Confeſſionibus nobis compertum ſit, nunquam, ſi peccata ignorantiæ excipiantur, niſi venialiter peccaſſe: ſi autem dicis peccata venialia eſſe cauſam ignorantiæ mortalis, dicis venialia eſſe mortalia, ut per ſe patet. Si ad peccatum originale recurris, condemnat te S. Thomas 2. diſt. 30. q. 1. art. 2. dicens: *Ad culpam perſonæ requiritur voluntas perſonæ*. Condemnat te & Alex. VIII. proſcribens hanc propoſitionem: *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum mortale & demeritum ſufficit illa libertas qua voluntarium ac liberum fuit in cauſa ſua, peccato originali & voluntate Adami.*

Prob. 3. Si quælibet ignorantia juris naturæ vincibilis eſt, poterit ergo quiſque ignorantiam ſuam orando vincere? Sed dicant, quæſo, Adverſarii, quantum ſit unicuique orandum pro pellenda omni ignorantia, omnique peccati periculo? quantum perſonæ privatæ, quantum Superiori, quantum Advocato, quantum Judici, quantum Confeſſario, quantum Theologiæ aut Juriſprudentiæ Profeſſori? quo enim homines pluribus exponuntur periculis, eo debent plures orationes fundere. Item quandonam graviter peccetur in hac materia defectu orationis, ut poſſint Confeſſarii & pœnitentes ſe ipſos dirigere? nam ecce omnes orandum clamant, & nullus orationis quantitatem determinat, nullus de defectu orationis in hac materia pœnitentem interrogat, imò nullus de eodem defectu ſe accuſat: quibus oſtendunt, ſe eſſe de numero illorum, qui dicunt & non faciunt. Dico ego in hac materia peccare aliquem, cùm pro repellenda ignorantia advertit eſſe orandum, & tamen negligit: quòd ſi accidat ſæpius, vel eo tempore quo urget actio gravis, de cujus malitia ſuſpicio, peccat graviter, aliàs leviter.

Prob. 4. Debet aliquis intra horam facere contractum, quem probabiliùs credit licitum: ne tamen decipiatur, primo quadrante examinat à fundo rationes pro, & contra, ſecundo conſulit doctiores; tertio ferventer orat; quarto lachrymatur, ſuſpirat, corpus macerat, & tandem contractum, quem adhuc probabilius licitum exiſtimat, exequitur. Ponamus contractum eſſe uſurarium, nunquid ignorantia fuit invincibilis? quid debuit facere, & non fecit? ſi dicas Deum non permiſſurum talem errare, cur ergo permiſit Jacob famulum ſuum & amicum accedere ignoranter ad Liam, cum acceſſus ad non ſuam ſit æquè illicitus: ac contractus uſurarius: undè ſicut non tenetur Deus per providentiam extraordinariam & miraculoſam illuminare hominem, ne incidat ſine ſua culpa in ignorantiam invincibilem facti, ita nec per eandem providentiam efficere, ne labatur in errorem invincibilem juris naturæ.

Confirm. Ideò permiſit Deus Jacob amicum ſuum accedere ad Liam, quia tantùm peccabat materialiter, ſed in noſtro caſu ſolùm etiam eſſet peccatum materiale, cum ignorantia eſſet invincibilis: ergo.

Obj. 1. Hæc Janſenii propoſitio condemnata eſt tanquam hæretica: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis &c. Sunt impoſſibilia;* atqui ſi daretur ignorantia invincibilis aliquorum præceptorum legis naturæ, aliqua præcepta hominibus juſtis eſſent impoſſibilia, cùm eſſent incognoſcibilia: ergo.

Reſp. Diſt. Min. Aliqua præcepta cognita eſſent impoſſibilia: N. incognita: tranſeat; ſed nihil contra nos, quandoquidem dicta Janſenii propoſitio non fuerit condemnata propter præcepta incognita, quorum violatio tantùm eſt peccatum materiale, ſed propter præcepta, quorum violatio eſt peccatum formale, ſeu quia Janſenius per illam imponebat quandam neceſſitatem peccandi formaliter: quod non fit in noſtro caſu.

Obj. 2. Poteſt quis orando vincere omnem concupiſcentiam, ergo & omnem ignorantiam, adeoque nulla eſt invincibilis

Reſp. 1. Argumentum nimium probare, adeoque nihil; cum probet nequidem dari poſſe ignorantiam invincibilem juris divini, imò nec humani: & certè ſi poſſet quis orando obtinere cognitionem omnium præceptorum legis naturæ, quidni & omnium præceptorum legis divinæ? Ideò enim, ſecundùm Adverſarios, dabitur oranti cognitio totius legis naturæ, quia ejus obſervatio neceſſa-

Digitized by Google

neceſſaria eſt ad ſalutem; atqui etiam obſervatio totius legis divinæ eſt, per ſe loquendo, ad ſalutem neceſſaria: ergo.

Reſp. 2. Diſparitatem eſſe, quòd omnia, ad quæ per Concupiſcentiam excitamur, ſint nobis cognita, & ideo, ſi Deus oranti denegaret gratiam ad illa vincenda, homo neceſſitaretur ad peccandum formaliter, cùm autem ea, quæ ignorantur ſint incognita, ſive omittantur, ſive practicentur, nunquam peccatur formaliter, & ideo denegata gratia ad illa cognoſcenda, nulla ſequitur neceſſitas peccandi formaliter, ſicut in primo caſu.

Objic. 3. Deus, qui non deſerit, niſi deſeratur, ut ait Auguſtinus, de Civit. lib. 13. cap. 15. præbet homini juſto, ubi agere debet, lumen ſufficiens, ut ſe dirigat: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Ut ſe dirigat ſine peccato formali: C. ut ſe dirigat ſemper ſine peccato materiali: N. contrarium patet in Jacob. Cur autem Deus homini etiam oranti & aſſiduè petenti deneget cognitionem aliquorum præceprorum legis naturæ. Quis reſpondeat? quis inveſtigavit vias ejus? dixerim tamen conjecturaliter, Deum ſic quandoque agere; quia mavult ut homo peccet materialiter ſine cognitione, quàm formaliter cum cognitione: & certè ſalvantur aliqui ratione ignorantiæ, qui damnarentur ratione ſcientiæ. Præterea nullibi promiſit Deus facturum ſe miracula, vel revelationem adhibendo, vel Angelum mittendo, ut cognoſcat aliquis veritatem, qua etiam ignorata, poteſt ſalvari.

Objic. 4. Deus, ſecundùm nos, dat omnibus gratiam ſufficientem, & præſertim facientibus quod in ſe eſt, ergo &c.

Reſp. Diſt. Ant. Dat omnibus gratiam ſufficientem, qua poſſint ſalvari, ſi velint: C. qua omnem legis veritatem aſſequantur: N. & certè ſi id non teneatur dare Deus Profeſſori, illuminationem cum lachrymis & oratione enixè poſtulanti, ut ritè diſcipulos informet, cur teneretur id concedere particulari, præſertim ubi poteſt peccatum formale vitare: unde Auguſt. lib. 2. de peccator. Meritis c. 19. ait, *Deum bonum, ideo etiam ſanctis ſuis alicujus operibus juſtitiam aliquando non tribuere, vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem, ut cognoſcant, non à ſe ipſis, ſed ab illo ſibi eſſe lucem, qua illuminentur tenebræ eorum.*

ARTICULUS V.

An Ignorantia invincibilis juris naturæ excuſet à peccato?

CONCLUSIO UNICA.

IGnorantia illa excuſat operantem ab omni peccato. Eſt ita communis inter Scholaſticos, ut dixerit Lutherus in cap. 12. Gen. *Scholaſtici dicunt, invincibilem ignorantiam reddere excuſabiles: tanta cæcitas eſt in Papæ ſcholis & Eccleſia.* Eſt etiam contra Janſenium; qui & ipſe ſententiam noſtram communem aſſerit. Lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ, cap. 2. *Generale videtur Scholaſticorum pronuntiatum eſſe*, inquit: *quòd quidquid ex invincibili fit ignorantia, hoc ipſo culpa vacat.* Huic adſtipulantur Eſtius, Heſſelius, Synnichius, & quidam alii, quorum doctrinam, ſicut & ſuam vocat *arcanam & tremendam* Janſenius, *nimis duram* Havermannus.

Prob. 1. Ex Auguſt. lib. de 2. anim. cap. 12. *Dicere peccati reum teneri quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt.* Et lib. 3. de lib. arb. cap. 18. *An tanta fallacia eſt, ut caveri omnino non poſſit? ſi ita eſt, nulla peccata ſunt.* Item cap. 19. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras.* Similiter Epiſt. 41. poſt init. *Certè nullius crimen maculat neſcientem.*

Prob. 2. Authoritate D. Thomæ 1. 2. q. 90. art. 4 ubi ait: *Promulgatio ipſa neceſſaria eſt ad hoc, quòd lex habeat ſuam virtutem:* atqui legis naturæ promulgatio fit per dictamen rationis declarantis quid ſit licitum, quid illicitum: ergo ubi deeſt tale dictamen, deeſt & lex obligans, ſaltem formaliter.

Prob. 3. Ex condemnatione hujus propoſitionis ab Alexan. VIII. *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ, operantem ex ipſa non excuſat à peccato formali*: Quid expreſſius?

Dices cum Van-Roy, velle Papam excuſare quidem ignorantiam invincibilem involuntariam: non tamen invincibilem voluntariam, quæ reperitur in peccatoribus, qui per peccata priora ſe reddiderunt indignos gratia, qua poſſint ignorantiam vincere. Sed

Contra eſt 1. Vel aliquid condemnat Papa, vel nihil: ſi nihil, ad quid ejus cenſura? ſi aliquid: ergo condemnat propoſitionem intellectam de invincibili voluntaria, cùm ſecundùm ſe nulla alia detur invincibilis. 2. Credibile eſt Pontificem condemnaſſe propoſitionem ad ſenſum authoris, qui illam ſuſtinebat ſicut Van-Roy, ut teſtabantur Lovanienſes: & certè ſi author voluiſſet ignorantiam invincibilem involuntariam non excuſare à peccato, ſuſtinuiſſet hæreſim jam dudum in prima Janſenii propoſitione condemnatam, nempe quòd hominibus juſtis ſint aliqua præcepta impoſſibilia, ut per ſe patet. 3. Negamus ignorantiam in peccatoribus eſſe unquam invincibilem ad ſenſum Van-Roy, ita ut nequidem habeant gratiam ſufficientem ad orandum pro obtinenda cognitione neceſſaria: legatur Auguſtinus lib. 3. de lib. arb. cap. 19. *Nulli hominum*, nota, *ablatum eſt ſcire utiliter quærere, quod inutiliter ignorat.* Fruſtra autem excipis peccatores, ubi neminem excipit Auguſtinus. Plura circa hoc vide in Tractatu noſtro De Peccatis: diſp. 1. q. 3. art. 3.

Prob. 4. Concluſio univerſaliter intellecta. Deus impoſſibilia non jubet: ſed ſi non excuſaret ignorantia invincibilis, poſſet dari caſus, ubi homini, etiam juſto, eſſet impoſſibile vitare peccatum: ergo. Prob. Min. nam ſi proles credat bona fide ſe teneri hic & nunc mentiri leviter pro impediendo patris ſupplicio, utrumvis eligat, peccabit: ſi enim mentitur, peccat: ſi non mentitur, etiam peccat, eò quòd agat contra conſcientiam, eſtque ipſi impoſſibile, ut neutrum eligat. Nec habet undè ſe ab hoc labyrintho expediat, aliàs ignorantia eſſet vincibilis, contra ſuppoſitum.

Prob. 5. Vel poteſt vir bonus dubitans in negotio juris naturæ ſequi conſilium ſui Epiſcopi docti & prudentis, vel non poteſt: ſi non poſſit: ergo fruſtra dixit Apoſtolus Epiſcopos eſſe depoſitarios ſcientiæ: ſi poſſit; ergo non peccat caſu quo malè conſulat Epiſcopus: quod tamen fieri poteſt, cùm non ſit in hoc infallibilis.

Prob. 6. Licet ſequi opinionem inter probabiles probabiliſſimam, ut patet ex condemnatione contradictoriæ ab Alexand. VIII. ſed poteſt fieri quòd illa, quæ apparet probabiliſſima, etiam in materia juris naturæ, ſit falſa: ergo

Prob. 7. Vel peccatum proveniens ex ignorantia invincibili eſt originale, vel actuale: ſi originale: ergo ad ejus deletionem reiterari debet Baptiſmus, qui tamen eſt initerabilis; ſi actuale, ubi cognitio? Et conſequenter ubi voluntarium? Plura circa voluntarium ad peccatum neceſſarium vide art. 3. concl. 2.

Prob. 8. Ex oppoſita ſententia ſequitur, quòd nullum poſſet ſine peccato acceptare miniſterium Confeſſarii, præſertim Mercatorum, Judicum, Conſiliariorum, Advocatorum &c. quandoquidem exponatur evidenti periculo, aliquando, imò & ſæpe, malè conſulendi in materia juris naturæ, etiam adhibitis oratione, jejunio, pœnitentia, cùm etiam tunc videat doctiores ſe, & ſanctiores contrarium ſuſtinere: putat quidem, ſe niti rationibus ſolidis; ſed nunquid idem exiſtimant ipſius Adverſarii?

Objic. 1. Orat David Pſal. 24. ut Deus non meminerit ejus ignorantias: non vincibiles, cùm eſſet vir ſecundùm cor Dei: ergo invincibiles, & conſequenter non excuſant à peccato.

Reſp. 1. Juxta D. Hieronymum per *ignorantias* intelligere Prophetam peccata; & ideo juxta Hebraicam Veritatem ſic vertit: *Scelerum meorum ne memineris.* Alii vertunt rebellionum, prævaricationum, tranſgreſſionum &c.

Reſp. 2. Me poſſe eodem paſſu oſtendere ignorantiam invincibilem juris poſitivi non excuſare à peccato, cùm non diſtinguat ibi Pſalmiſta inter hanc & illam.

Reſp. 3. Davidem, qui potuit homicidium & adulterium committere potuiſſe & ignorantias vincibiles habere: erat autem vir ſecundùm cor Dei, quia raò peccavit, & diu pœnitentiam egit. Præterea dictus eſt vir ſecundùm cor Dei, cùm primò ad regnum aſſumeretur; adulterium autem commiſit decimonono Regni ſui anno; dictumque Pſalmum compoſuit anno ætatis 60. & Regni 30.

Objic. 2. Offerebantur in lege Moſaica ſacrificia pro ignorantia populi, & ne putes tantùm fuiſſe oblata pro ignorantia vincibili, additur Num. 15. *Quoniam non ſponte peccaverunt*, ergo.

Reſp. (quamvis dici poſſit, ſecundùm Abulenſem, ſacrificia illa tantùm fuiſſe oblata pro ignorantia populi in præceptis ceremonialibus) potuiſſe offerri pro peccatis materialibus contra legem naturæ ex ignorantia invincibili commiſſis; cùm eſſent de ſe mala: ex quo nihil ſequitur contra Concluſionem.

Objic. 3. Chriſtus Luc. 23. dicit de ſuis interſectoribus: *Non enim ſciunt, quid faciunt.* Et Joan. 16. de iis, qui interfecturi erant Apoſtolos: *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo:* ſed illi peccaverunt: ergo &c.

Reſp. Illos quidem graviter peccaſſe, ſed ex ignorantia vincibili & affectata: quis enim non videat crimen eſſe horrendum interficere innocentes? ſed ſuppoſito, quòd ignorarent Chriſtum eſſe Deum, ipſum & Apoſtolos eſſe innocentes, ignorantia erat juris poſitivi, vel potiùs facti; non autem juris naturæ.

Objic. 4. Luc. 12. Legitur, quòd ſervus, qui peccavit ignorans voluntatem Domini, vapulabit: ergo ſupponitur peccaſſe formaliter, aliàs non vapularet.

Digitized by Google

Reſp. Ignorantiam fuiſſe culpabilem: nam ut ait Theophylactus in hunc locum: *Qui neſcit, quare punitur? eò quòd potuiſſet etiam ipſe diſcere, & noluit, ſed piger fuit, ipſe in cauſa fuit quo minùs didicerit.*

Inſt. Si ignorantia eſſet culpabilis, non vapularet paucis, ut ponitur ibidem, ſed multis.

Reſp. Quòd abſolutè vapulabit multis, utpote graviter culpabilis; paucis verò reſpectivè ad eum, qui peccavit ſciens voluntatem Domini; quia pejus eſt agere contra voluntatem Domini cognitam, quàm contra eandem incognitam, licèt culpabiliter.

Objic. 5. Facilè invenitur Sapientia, ſeu veritatis cognitio ab iis, qui illam quærunt, ut patet variis Scripturæ paſſibus: ergo qui illam non aſſequuntur orando, quærendo, petendo &c. non excuſantur à peccato.

Reſp. Diſt. Ant. Facilè invenitur quoad ea, quæ ſunt de jure naturæ primo & ſecundo modo: C. quoad remotiora: N. & certè cur necdum illam invenerunt Adverſarii noſtri? Cur adhuc dicunt contractum triplicem licitum, cum Sorbona, imò & Sancta Sedes Apoſtolica illum condemnaverit tanquam illicitum, ubi fit ſimul & ſemel cum eadem perſona?

Inſt. *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis.* Matth. 11. ergo totius legis naturæ cognitio poteſt obtineri.

Reſp. Inde ſequi etiam poſſe obtineri orando cognitionem totius legis poſitivæ, ſive divinæ, ſive humanæ, adeoque contra illam ignoranter peccantes, ſemper eſſe inexcuſabiles: quod tamen negant ipſimet Adverſarii: unde poſſunt obtineri *omnia* ad ſalutem neceſſaria aut conducentia; non tamen ſemper *omnia*, ſine quibus non poteſt etiam vitari peccatum materiale: ut evidentiſſimè patet in lege poſitiva.

Objic. 6. Illud Pſal. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine;* id eſt, lex naturæ tanquam radius legis æternæ in cordibus noſtris impreſſa eſt: ergo qui contrà agunt, illam non legunt, ſuntque culpabiles.

Reſp. Quòd licèt ſit nobis impreſſa, illam tamen non legimus, niſi mediante rationis dictamine, quod aliquando, ex quo obſcuratus eſt per lapſum Adami intellectus humanus rem aliter repræſentat, quàm ſit à parte rei.

Objic. 7. Auguſtinum variis locis Epiſt. 154. *Si quis bonum eſſe putaverit quod malum eſt, & fecerit hoc putando, utique peccat.* Lib. 1. Operis imperf. c. 106. *Neceſſe eſt ut peccet à quo ignoratur juſtitia.* Lib. de Spir. & litt. cap. 3. *Neque liberum arbitrium quidquam niſi ad peccandum valet, ſi lateat veritatis via.* Lib. 1. Retract. c. 15. ubi docet neſcienter peccantem nolle quidem peccare, ſed tamen velle factum, quod peccatum eſt.

Reſp. 1. Vel hos, & ſimiles Auguſtini paſſus nihil probare contra nos, vel etiam probare contra Adverſarios ignorantiam juris poſitivi invincibilem non excuſare à peccato; cùm ibidem non diſtinguat inter jus & jus. 2. Vel loqui de ignorantia vincibili; vel ſi de invincibili, tantùm velle peccatum eſſe materiale. 3. Cùm loquatur ibi univerſaliter, ſequeretur eum, qui poſtquam devotus & innocens pueritiam tranſegit, violat jus naturæ ignoranter, non excuſari etiam à peccato: quod apertè falſum eſt; cùm ejus ignorantia & peccatum inde ſequens non poſſint eſſe voluntaria, niſi in peccato Adami; hoc autem voluntarium ad peccatum actuale non ſufficere, decrevit Alexand. VIII. condemnans propoſitionem oppoſitam. 4. Quia Paſſibus illis dubiis opponi poſſunt evidentes probationes 1. allati; imò & ſequens, qui videtur convincens: *Non enim quod naturaliter neſcit*, inquit lib. 3. de lib. arb. cap. 22. *& naturaliter non poteſt, hoc animæ deputatur in reatum; ſed quod ſcire non ſtuduit, & quod dignam facilitati comparandæ ad rectè faciendum operam non dedit*: ubi ſupponens dari poſſe ignorantiam invincibilem juris naturæ, apertiſſimè declarat excuſare à peccato.

Confirmatur mens Auguſtini ex eodem cap. ubi ait: *Quod ergo ignorat* (anima) *quid ſibi agendum ſit, ex eo eſt, quod nondum accepit: ſed hoc quoque accipiet, ſi hoc quod accepit, benè uſa fuerit. Accepit autem ut piè & diligenter quærat, ſi volet.* Ex quo infero, Auguſtinum evidenter admittere ignorantiam invincibilem, ipſamque excuſare operantem à peccato. Nam tempore quo *nondum accepit*, anima, *quid ſibi agendum ſit*, & tamen piè & diligenter quærit ut accipiat, ignorat ſine culpa, ut patet; quia ignorat *ex eo quod nondum* ſcientiam *accepit*, quam tamen petit; & conſequenter pro tunc ignorantia invincibilis eſt & inculpabilis. Ponamus, quòd inter quærendum violet legem naturæ in puncto quod ignorat, ſeu cujus necdum ſcientiam accepit (quid enim implicat? Si enim qui ſemper fuit devotus & innocens poſſit legem cognitam violare, quidni poſſet qui oravit, & nondum obtinuit, legem ignoratam tranſgredi) violatio erit inculpabilis, cum ſit inculpabilis ignorantia, à qua ſola tunc poteſt malitiam accipere, ut per ſe patet.

Objic. 8. Alium Auguſtini paſſum, in quo maximè gloriantur Adverſarii: *Inexcuſabilis eſt omnis peccator vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, ſive qui novit, ſive qui ignorat, ſive qui judicat, ſive qui non judicat; quia & ipſa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt ſine dubitatione peccatum eſt, in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati.* Epiſt. 105. ultra med.

Reſp. 1. S. Doctorem evidentiſſimè loqui de ignorantia juris poſitivi, ſeu de iis qui noluerunt credere Euangelio, ut patet ex contextu, ſicque non plus Adverſariis ibi favet, quàm nobis.

Reſp. 2. Ignorantiam eorum, qui intelligere non potuerunt, ſeu qui invincibiliter ignorarunt, non vocari ibi peccatum, ſed pœnam peccati: quod libenter concedimus; & ideo paſſus ille pro ſententia noſtra concludit. Dicitur quidem poſteà, quòd juſta ſit eorum damnatio, ſed propter alia peccata, à quibus non poſſunt, quamdiu laborant ignorantia Euangelii, liberari. Pro ſolvendis aliis ex Auguſtino objici ſolitis.

Adverte 1. Auguſtinum quandoque vocare peccatum, quod tamen, valde impropriè, peccatum eſt, cùm ſit tantùm effectus aut pœna peccati. Sic habet lib. 3. de lib. arb. c. 19. *Illud quod ignorans quiſque non rectè facit, & quod volens rectè facere non poteſt, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis*, id eſt Adami, *originem ducunt.* Et inferius: *Sic non ſolum peccatum illud dicimus quod propriè vocatur peccatum.. ſed etiam illud, quod jam de hujus ſupplicio conſequatur, neceſſe eſt.*

Adverte 2. hunc paſſum Auguſtini lib. de gratia & lib. arb. c. 3. nobis à Janſenio objectum: *Illa ignorantia, quæ non eſt eorum, qui ſcire nolunt, ſed eorum, qui tanquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat*, non agere de ignorantia juris naturæ, ſed myſteriorum neceſſitate medii credendorum, ſine quorum fide nunquam obtineri poteſt ſalus, ut patet ex verbis immediatè ſequentibus: *Si propterea non credidit, quia non audivit omninò quod crederet.*

Objic. 9. D. Thomam Quodlib. 8. art. 3. *Illud quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc, quod eſt ſecundum conſcientiam.* Item Quodlib. 9. art. 5. *Error quo non creditur eſſe peccatum mortale quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat à toto, licèt fortè à tanto.*

Reſp. In illis paſſibus agi de eo, qui ſequitur conſcientiam, opinionem, & errorem cum ignorantia vincibili; ut patet tum ex eo quòd loquatur univerſaliter, adeoque etiam de eo quod fit contra legem poſitivam, cujus tamen ignorantia invincibilis ſecundùm ipſum excuſat à peccato; tum etiam quia Quodlib. 8. art. 13. argum. ſed contra dicit: *Poteſt eſſe quòd in tali caſu aliquis adhibet diligentiam inquirens an habere plures præbendas ſit licitum, nec invenit aliquid, quod eum moveat ad hoc, quod ſit illicitum. Ergo videtur quòd ſine peccato poſſit plures præbendas habere*; Atqui fieri poteſt, quòd habens plures præbendas violet legem non tantùm poſitivam, ſed etiam naturalem, cùm detur unum beneficium propter officium, ille autem habens plura beneficia recitet unicum officium: ergo.

Objic. 1. cum Vendrochio: ex noſtra ſententia ſequitur fœliciorem eſſe ſortem ignorantis, quàm cognoſcentis, cùm hic poſſit formaliter peccare, ille tantùm materialiter.

Reſp. Neg. Aſſumpt. quia ignorans invincibiliter, ſeu bona fide, ſic eſt habitualiter diſpoſitus, ut ſi cognoſceret, nec formaliter, nec materialiter peccaret. Præterea ſi valeret objectio, melior eſſet conditio dormientis, quàm vigilantis; ebrii, quàm temperantis; ſtulti, quàm ſanæ mentis; cùm illi poſſint tantùm materialiter peccare; hi formaliter.

Objic. 2. Cum Janſenio. Ignorantia juris naturæ eſt pœna peccati originalis; ergo eſt nobis voluntaria adeoque culpabilis, ſicut illud.

Reſp. Inde ſequi motus concupiſcentiæ prævenientes conſenſum voluntatis, imò & ipſi repugnantes eſſe peccata, cùm ſint etiam pœna ejuſdem peccati; & tamen definit Trident. Seſſ. 5. Can. 5. Concupiſcentiam nocere non poſſe, non conſentientibus.

DISPUTATIO III.

De Bonitate, Malitia, & Indifferentia morali actuum humanorum.

CUm ſit difficile, ne dicam impoſſibile, cognoſcere quid ſit Bonitas aut Malitia moralis, niſi cognoſcatur & ipſa moralitas; ideo quæſtionem unicam de moralitate in communi præmittimus.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

In quo conſiſtat moralitas actuum humanorum ?

VArii variè de hac materia loquuntur; ſed cùm in fundo rei de ſolo nomine diſputent, omneſque in re conveniant, ſi bene intelligantur, quæſtionem hanc breviter expediemus. Sed anteà

Adverte 1. Moralitatem non dici à *more* quatenùs conſuetudinem ſignificat; quaſi verò illa actio diceretur moralis, quæ fit ſecundùm morem hominum communem, ſive eo modo quo ſolent homines communiter agere; ſed à *more* à quo homines boni vel mali, laude vel vituperio digni ſunt, aut eſſe poſſunt; & ideo actio moralis dici poteſt illa, quæ, quantùm eſt ex ratione, ſeu modo procedendi, nata eſt eſſe laude vel vituperio, pœna vel præmio digna.

Adverte 2. Diſtingui poſſe dupliciter libertatem, phyſicam unam, moralem alteram. Phyſica eſt, quæ in agente tantùm præſupponit cognitionem boni aut mali in ordine ad naturam aut delectationem: & hanc putant aliqui reperiri in pueris, ubi primò uſum rationis ſunt adepti; cùm tunc non videantur niſi propter naturæ commoditatem agere, comedendo, bibendo, ſe veſtiendo, dormiendo, &c. Moralis eſt, quæ importat in operante cognitionem boni aut mali in ordine ad honeſtatem aut turpitudinem morum ſeu in ratione virtutis aut vitii. His notatis

CONCLUSIO I.

NOn conſiſtit moralitas actuum humanorum in ſola libertate phyſica.

Ratio eſt; quia, etſi libertas illa trahat actum de neceſſario ad liberum, non tamen de genere naturæ ad genus moris, cùm operans ex illa non reſpiciat bonum aut malum, prout conducens ad virtutem aut vitium, à quibus dicuntur homines boni aut mali moraliter; ſed prout conducens ad naturæ commodum aut incommodum.

Confirm. 1. Quia in iis, qui valdè imperfecto uſus rationis dominio utuntur, defectu ætatis aut debitæ organizationis, ſæpè reperitur aliqualis libertas, rarò tamen moralitas, ſeu imputabilitas, ſaltem in actionibus animalibus ex objecto indifferentibus, ut in comeſtione &c. ergo ſignum eſt moralitatem non conſiſtere in illa libertate.

Confir. 2. Quia libertas illa pertinet ad ordinem phyſicum diſtinguitque hominem in eſſe phyſico à brutis. Deinde etſi in actibus nulla eſſet moralitas: adhuc eſſet libertas illa, ut patet.

Objic. 1. Scotus 2 diſt. 40. n. 3. *Actus dicitur moralis*, inquit, *quia libere elicitus:* & Quodlib. 18. n. 10. docet in tantùm imputabilem, adeoque moralem, eſſe actum, in quantùm eſt in poteſtate voluntatis.

Reſp. Scotum non loqui ibi de libertate imperfecta; ſeu phyſica, ſed de perfecta & plena ſeu morali, quæ ſola venit nomine libertatis in hac materia.

Objic. 2. Omnis actus eo ipſo quo eſt phyſicè liber, eſt bonus, vel malus, vel indifferens: ergo moralis.

Reſp. diſt. Ant. Eſt bonus, vel malus vel indifferens in genere naturæ: C. in genere moris: N. quia in pueris, ut dixi, poteſt eſſe actus aliqualiter liber, qui non præſupponat in agente advertentiam ad bonitatem aut malitiam quæ ineſt, aut ineſſe poteſt actui; quod requiritur ad actum moralem.

Inſt. 1. Actus tantùm phyſicè liber poteſt eſſe peccatum veniale: ergo actus moralis. Prob. Ant. quia ſufficit ad tale peccatum libertas imperfecta.

Reſp. Neg. Ant Ad probationem diſt. Aſſump. ſufficit libertas imperfecta, id eſt; quæ ſupponat etiam leviſſimam boni aut mali moralis cognitionem: C. quæ nullam prorſus ſupponat, defectu ætatis, aut debitæ organizationis: N.

Inſt. 2. Non poteſt dari ratio, cur pueri ſint prius ſufficientes in genere naturæ, quàm in genere moris.

Reſp. Neg. Aſſump. quia principia generis naturæ ſunt faciliora, magiſque ſenſibus accomodata, quàm alia.

CONCLUSIO II.

COnſiſtit moralitas actuum humanorum in libertate morali anteà explicata. Eſt formaliſſimè Scoti locis in prima objectione citatis, & Quodlib 18. n. 9. quidquid dicat Maſtrius. Eſtque communiſſima poſt D. Thomam 2. diſt 24. q. 3 art. 2. ubi ait: *Ibi incipit genus moris, ubi primo dominium perfectum, voluntatis invenitur*: undè dominium imperfectum, ſeu libertas tantum phyſica, dici poteſt fundamentum moralitatis, non tamen ipſa moralitas.

Prob. 1. Concl. in eo conſiſtit moralitas, quo poſito, moralis eſt actus formaliter, quo ſecluſo non eſt moralis, ſed hoc accidit poſita, aut ſecluſa libertate morali: ergo. Prob. Min. quia eo ipſo, quo adeſt illa libertas, actus eſt imputabilis moraliter operanti, & illa deficiente, non eſt ſic imputabilis, ſed imputabilitas moralis ſequitur moralitatem, ſicut proprietas eſſentiam formalem: ergo &c.

Prob 2. Quia eo ipſo, quod actus procedit cum libertate morali, extrahitur extra genus naturæ & actus neceſſarii, fitque proximè capax effectionum moralium, ita ut dici poſſit dignus laude, vel vituperio, pœna vel præmio. ergo.

Objic. 1. Poteſt variari moralitas actus, non variata libertate: ergo &c. Prob. Ant. quia comeſtio carnis inchoata die Jovis ante 12. nocturnam, de bona aut indifferenti fiet mala, ſi continuetur poſt mediam noctem, & tamen ante & poſt erit eadem indifferentia ad oppoſitum, adeoque eadem libertas.

Reſp. Diſt. Ant Poteſt variari moralitas non variata libertate phyſica, ſeu mera indifferentia ad oppoſitum: C. non variata libertate morali: N. nam in præfata comeſtione ante mediam noctem erat libertas ſupponens advertentiam ad bonitatem, aut indifferentiam actus; poſt autem ſupponens advertentiam ad malitiam ejuſdem.

Objic. 2. Poſſunt in eodem actu eſſe plures moralitates, & unica libertas: ergo. Prob. Ant. quia unica libertate furatur quis in templo, & tamen reperitur ibi malitia Injuſtitiæ, & Sacrilegii.

Reſp. Ibi etiam reperiri duplicem libertatem moralem, quia libertas ut præſupponens cognitionem injuſtitiæ differt à ſeipſa ut præſupponente cognitionem Sacrilegii. Nec refert; quòd non differant adæquatè, quia ad differentiam, etiam ſpecificam, non requiritur differentia in omnibus, aliàs cùm homo & brutum conveniant in ratione animalis, non differrent inter ſe ſpecificè.

Objic 3. Eadem libertate morali dat quis hodie unum aſſem pauperi, & altera die unum pataconem; ſed non eſt eadem moralitas eleemoſynæ hodiernæ, & eleemoſynæ craſtinæ; cùm hujus bonitas moralis, ſit longè major bonitate illius; ergo.

Reſp. Diſt. Maj. Eadem libertate morali, id eſt; eadem indifferentia moraliter loquendo: C. id eſt, indifferentia importante eundem moraliter reſpectum; N. nam præſupponit cognitionem alterius bonitatis in una eleemoſyna, & alterius in alia.

Objic. 4. Inde ſequitur, quòd tot poſſint eſſe ſpecies libertatis in uno actu, quot ſunt ſpecies moralitatis, & conſequenter una ex objecto, una ex fine, una ex loco, &c quod eſt inauditum.

Reſp. Hoc eſſe inauditum de libertate ſumpta præcisè pro indifferentia ad agendum & non agendum, de qua ſola ordinariè loquuntur Philoſophi & Theologi; non autem de libertate prout conſtitutiva moralitatis; cum enim multiplex ſit moralitas, debet & multiplex eſſe libertas moralis, quæ conſtituitur ex libertate phyſica & cognitione boni aut mali moralis.

Inſt. Saltem libertas phyſica eſt moralitas inadæquatè.

Reſp. Diſt. Illatum: eſt moralitas inadæquatè, quando non importat in operante cognitionem boni aut mali in ordine ad morum honeſtatem aut turpitudinem: N. quando importat: C. quia tunc ſicut ex voluntate & cognitione fit actus voluntarius, ex libertate & cognitione actus liber; ita ex libertate & cognitione boni aut mali præfati fit actus moralis. Ex dictis hac quæſtione

Reſol. 1. Moralitatem non eſſe modum aliquem ab actu & libertate diſtinctum, cùm talis modus ſit omninò ſuperfluus.

Reſol. 2. Moralitatem ſeu libertatem perfectam tantùm ſuperaddere actui phyſicè ſpectato quandam denominationem extrinſecam deſumptam à potentia libera, quæ illum producit cum advertentia ad honeſtatem aut turpitudinē, quæ illi ineſt, aut ineſſe poteſt: & ideò actus phyſicè invariati, v. g. motus primò primi, fieri poſſunt de non moralibus morales, ſicut fiunt de non liberis liberi, ſi nempè ſuperveniat advertentia ſufficiens. Ex quo ſequitur, quod propriè loquendo nulla actio ſit formaliter intrinſecè libera, quia hoc ſignificat libertatem ut formam ei ineſſe, quæ tamen non actioni, ſed potentiæ liberè operanti ineſt.

Reſol. 3. Actus voluntatis neceſſarios non eſſe morales, quantumvis fiant cum advertentia ad bonitatem aut malitiam, idque defectu libertatis.

Reſol. 4. In rigore loquendo, aliquod eſſe diſcrimen inter actum humanum & moralem: nam ad actum humanum ſufficit libertas cum advertentia ad ipſum actum: ad actum verò moralem requiritur ultrà advertentia: ſaltem confuſa, boni aut mali moralis, quod ineſt aut ineſſe poteſt actui: hanc tamen ordinariè habent adulti, & ideo confundimus in illis actum moralem cum humano, licèt diſtingui poſſint in pueris & certis amentibus, ut diximus ſupra.

Reſol. 5. Actum moralem ſic poſſe definiri: *Actus liber importans advertentiam ad honeſtatem aut turpitudinem, quam habet, aut habere poteſt actus.*

QUÆSTIO II.

Quid ſit Bonitas, aut Malitia Moralis?

ADverte 1. Duplicem hic diſtingui bonitatem aut malitiam; unam, quæ ſe tenet ex parte objecti ſecundùm ſe; convenitque præcipuè actui externo, prout eſt objectum actus interioris, ſoletque vocari objectiva, fundamentalis, materialis: ſic bonum eſt Deum amare, parentes honorare &c. malum verò pejerare, fornicari, innocentem occidere. Alteram, quæ tenet ſe ex parte actionis, prout hic & nunc exercetur: & hæc communiter dicitur formalis, actualis &c. convenitque per ſe actui interno; per participationem autem & denominativè, actui externo, ut poſtea magis declarabitur.

Adverte 2. Utramque bonitatem aut malitiam ſpectari poſſe vel abſolutè, vel reſpectivè.

CONCLUSIO I.

BOnitas moralis objectiva, ſi abſolutè ſumatur, eſt integritas eorum quæ debentur objecto, ut poſſit eſſe fundamentum convenientiæ cùm natura rationali: hoc magis patebit ex dicendis. Si autem ſumatur reſpectivè, conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali quatenus tali; non autem in convenientia cum dictamine rectæ rationis.

Prob. 1. Pars; quia eo ipſo, quo res aliqua convenit naturæ rationali, eſt bona; & è contrario mala eſt, quando diſconvenit: ſic quia pauperi ſuccurrere decet naturam rationalem, & ipſum durè excipere, ipſam dedecet, hoc eſt malum, illud bonum: & ita de aliis.

Prob. 2. Pars; quia prius eſt rem eſſe bonam, aut malam in ſe, quàm recta ratio dictet eſſe amplectendam, aut ſugiendam, cùm ideo dictet amplectendam eſſe, quia bona eſt; & fugiendam, quia mala eſt: ergo independenter à dictamine rationis habetur bonitas aut malitia objectiva: & certè, ſi non ideo papyrus eſt alba, corvus niger, homo rationalis, quia tales judicantur, ſed è contra, cur res foret in ſe & objectivè bona, aut mala, quia talis judicaretur?

Dices 1. Si quis bona fide putet, eſſe bonum furari modicum à prædivite, ad ſuccurrendum maximè indigenti, benè operabitur: ergo objectum habebit aliquam bonitatem, ſed non habebit illam à convenientia cum natura rationali, cùm furtum illi diſconveniat: ergo à convenientia cum dictamine rectæ rationis.

Reſp. Diſt. Conſeq. Objectum habebit aliquam bonitatem intrinſecam, & à parte rei, de qua hic loquimur: N. extrinſecam, & æſtimativè, prout nempe ſubeſt intellectui operantis, rem aliter, quàm ſit, bona fide apprehendentis: C. ſed de illa non eſt hic quæſtio.

Dices 2. Meliùs petitur bonitas aut malitia objectiva per reſpectum ad legem præcipientem aut prohibentem: cùm hæc ſit regula morum.

Reſp. neg. aſſumpt. Saltem univerſaliter loquendo, quia neque hæc eſt prima ratio bonitatis aut malitiæ objectivæ, cùm multa ſint intrinſecè bona aut mala; & conſequenter non ideo bona, quia præcepta, aut ideo mala, quia prohibita, ſed è contra. & talia ſunt quæ præcipiuntur aut prohibentur lege naturali.

Nec dicas, antequam intelligantur præcepta, aut prohibita, non eſſe in genere moris formaliter, ſed tantùm fundamentaliter, quia cùm independenter à lege naturæ redderent illa exercentes formaliter bonos, aut malos moraliter, etiam debent eſſe independenter ab illa bona aut mala in genere moris formaliter.

Dixi: *Saltem univerſaliter loquendo*; quia in iis quæ fiunt bona, quia lege poſitiva præcepta, aut mala, quia eadem lege prohibita, admitti poteſt bonitatem, aut malitiam objectivam conſiſtere primariò in convenientia, vel diſconvenientia cum lege; conſecutivè autem, in conformitate cum natura rationali, cui conſentaneum eſt conformare ſe legibus Superiorum.

Dices 3. Sanitas habet convenientiam, & morbus diſconvenientiam cum natura rationali, & tamen illa non habent bonitatem aut malitiam objectivam in genere moris: ergo ſic malè conſtituitur bonitas aut malitia.

Reſp. diſt. ant. Habet convenientiam per modum commoditatis aut utilitatis: C. per modum decentiæ, ſeu honeſtatis moralis, de qua hic eſt ſermo: N.

CONCLUSIO II.

BOnitas moralis formalis, ſi abſolutè ſumatur, conſiſtit in integritate ſeu plenitudine formali eorum omnium quæ debentur actui ſecundùm ſuum eſſe morale ſpectato, v. g. debiti finis, debitarum circumſtantiarum, debitæ quantitatis &c. Si autem ſumatur reſpectivè, conſiſtit in convenientia actu liberi cum prudenti dictamine rationis de honeſtate rei, ſeu cum objecto per tale dictamen propoſito.

Prob. 1. Pars; 1. Ex D. Thoma 1. 2. q. 18. art. 1. ubi explicat præfatam bonitatem per plenitudinem eſſendi. Cui conformis eſt Scotus 1. diſt. 17. q. 3. n. 3. ubi ait, *Bonitas moralis actus*, nempe abſoluta, *eſt quaſi quidam decor illius actus includens aggregationem debitæ proportionis ad omnia, ad quæ debet actus proportionari, puta ad potentiam, ad objectum, ad tempus, ad finem, ad locum, ad modum &c.* Ex D. Dionyſio lib. de divinis Nominibus cap. 4. circa finem, ubi dicit: *bonum ex una integraque cauſa, malum autem ex multis, ſingularibuſque defectibus*: ex quo infertur: malitiam moralem formalem abſolutam conſiſtere in defectu vel unius eorum quæ debentur actui morali, ita ut ſi vel finis, vel circumſtantia ſit mala, vitietur totus actus. 3. Ratione, quia bonitas naturalis abſoluta conſiſtit in integritate & perfectione cujuſque rei in ſuo genere, ut ſupponitur ex Metaphyſica, ſed bonitas moralis abſoluta explicari debet cum quadam proportione ad bonitatem naturalem: &c.

Dices 1. Sicut non benè definiretur corpus hominis dicendo: eſt illud quod habet caput, collum, pedes &c. ita nec benè definiretur bonitas per aggregationem illam.

Reſp. neg. conſeq. Diſparitas eſt, quòd aggregatio illa totum exprimat, quod in bonitate reperitur: definitio autem præfata exprimat quidem materiam corporis, non tamen formam nequidem extrinſecam, & ſic ignoratur an corpus humanum definiatur, an belluinum.

Dices 2. Saltem indè ſequitur bonitatem illam eſſe aggregatum per accidens, nempe ex objecto, fine, circumſtantiis &c.

Reſp. Neg. Illationem; cùm non conſiſtat in aggregatione ſeu integritate ſumpta materialiter, ſed formaliter, ſeu ut loquitur Scotus ſupra, in quodam decore ex aggregatione exurgente: unde ſicut ex partibus corporis ritè diſpoſitis exurgit quædam pulchritudo, ita ex omnibus conditionibus actui debitis exurgit bonitas.

Prob. 2. Pars 1. Authoritate Scoti ſupra, ubi ait: *Conformitas actus ad rationem rectam plenè dictantem de circumſtantiis omnibus debitis illius actus, eſt bonitas moralis actus.* 2. Ratione, quia objectum non communicat ſuam bonitatem aut malitiam actui, niſi mediante dictamine rationis illam voluntati applicante: ergo quòd actus ſit formaliter bonus, aut malus, non habetur ex convenientia aut diſconvenientia cum objecto ſecundùm ſe ſumpto, ſed ut per dictamen rationis repræſentato; & ideo poteſt fieri quòd objectum ſit in ſe malum, & tamen actus circa illud exercitus ſit formaliter bonus, ſi nempe rationis dictamen illud ut bonum repræſentet voluntati: quod accidit in eo, qui putat bona fide ſe teneri leviter mentiri ad ſalvandam vitam proximi.

Confirm. Concluſio, præſertim contra eos, qui dicunt bonitatem præfatam conſiſtere in conformitate cum natura rationali; quia dantur actiones bonæ, aut malæ, quæ non conveniunt, aut diſconveniunt per ſe primò naturæ rationali, ſed tantùm mediante dictamine rationis, ut ſi quis bona fide putet modicum furari à prædivite ad ſuccurrendum pauperi eſſe actionem bonam; & è contra, facere eleemoſynam pauperi peccatori eſſe actionem malam: nam actiones illæ, ac proindè voluntas illas exercendi, non habet bonitatem aut malitiam formalem per reſpectum ad naturam rationalem, niſi quia prius habet per reſpectum ad dictamen rationis dictantis primam actionem eſſe bonam, ſecundam malam: cui dictamini prudenti ſe conformare convenit naturæ rationali; & ideo actiones illæ tantùm dicuntur naturæ rationali conformes aut difformes mediatè & ſecundariò; ita ut prima & immediata actus regula ſit dictamen rationis. Ex dictis

Reſol. 1. Diſcrimen eſſe inter bonitatem formalem & objectivam: nam bonitas objectiva priùs petitur ex convenientia cum natura rationali, quàm ex conformitate cum dictamine rationis: è contra verò bonitas formalis prius petitur ex conformitate ad dictamen rationis, quàm ex convenientia cum natura rationali ſecundùm ſe; cùm hic actus exerceatur conformiter naturæ rationali, quia exercetur conformiter dictamini rationis, & ſic operari eſt operari conformiter tali naturæ.

Reſol. 2. Malitiam formalem conſiſtere in diſconvenientia actus cum prudenti dictamine rationis; quia malitia moralis conſtituenda eſt per ordinem ad eundem terminum, ad quem oppoſita ei bonitas ordinatur, idque oppoſito modo: quod fit in præfata definitione, & ideo

Reſol. 3. Non benè conſtitui malitiam in diſconvenientia cum lege divina, tum quia bonitas non conſiſtit in convenientia cum dicta lege, cùm dentur actus boni nulla lege præcepti, ut in-

Digitized by Google

ut ingredi Religionem, ſervare cœlibatum, aliaque opera ſupererogativa, ſeu conſilii; tum etiam quia perjurio, blaſphemiæ &c. ineſſet vera malitia formalis, etiamſi per impoſſibile nulla lege prohiberentur Fateor quidem omnem actum malum adverſari legi divinæ, ſaltem mediatè, diffiteor tamen, conſiſtere in illa oppoſitione.

QUÆSTIO III.

Quot ſint Species moralitatis, & an tales ſpecies ſint differentiæ eſſentiales actuum humanorum?

BOnitatem & Malitiam eſſe ſpecies moralitatis, non dubitatur in ſcholis, ſed an præterea detur aliqua ſpecies, indifferentia ſcilicet? lis eſt inter Doctores, ad quam dirimendam ſit

CONCLUSIO I.

INdifferentia eſt vera ſpecies moralitatis. Ita Scotus, Medina, Martinez & alii.

Prob 1. ex D. Thoma 1. 2. q. 18. art. 8. ad 1. & alibi, ubi docet bonum & malum in moralibus non opponi immediatè: imò expreſsè ait: *Poteſt eſſe aliquod medium inter bonum & malum*: ergo datur ſpecies media inter bonitatem & malitiam, nempe Indifferentia.

Prob. 2. Libertas involvens advertentiam ad honeſtatem vel turpitudinem quæ actui non ineſt, ſed ineſſe poteſt, eſt aliqua moralitas, ut patet ex definitione moralitatis: ſed non eſt bonitas, aut malitia: ergo indifferentia.

Prob. 3. Dari poteſt actus moralis, qui nec ſic bonus nec malus, ſed indifferens, non tantùm in ſpecie, ſeu ex objecto, ſed etiam in individuo, ut oſtendetur poſtea: ergo indifferentia eſt aliqua ſpecies moralitatis.

Dices 1. Moralitas eſt aliquid poſitivum, nempe libertas moralis, ſeu plena & perfecta libertas: ſed indifferentia eſt mera privatio bonitatis & malitiæ: ergo. Prob. Min. quia per hoc dicitur actus indifferens, quòd nec ſit bonus nec malus.

Reſp Indifferentiam hic non eſſe meram privationem, ſed libertatem importantem advertentiam ad aptitudinem, quam habet actus indifferens, ut ſit bonus vel malus, ſi v. g. fiat propter bonum aut malum finem, quod totum eſt poſitivum: undè quamvis in actu indifferenti ſit abſentia bonitatis & malitiæ, indifferentia tamen, quatenùs eſt ſpecies moralitatis, in illa non conſiſtit.

Dices 2. Vel ratio ſeu advertentia regulat actum vel non: ſi non, nulla eſt moralitas: ſi ſic, eſt convenientia vel diſconvenientia actus cum ratione, adeoque bonitas vel malitia.

Reſp. Semper quidem à ratione regulari actum moralem, non tamen ſemper dictando ipſum eſſe bonum aut malum, ſed vel eſſe bonum aut malum, vel aptum ad utrumlibet, ſi ipſi finis bonus, aut malus præfigeretur.

CONCLUSIO II.

BOnitas, Malitia, & Indifferentia, non ſunt differentiæ eſſentiales actuum humanorum in genere naturæ, id eſt ſecundùm entitatem ſuam phyſicam conſideratorum. Eſt D. Bonavent., Scoti, Valentiæ & aliorum contra quoſdam Thomiſtas.

Prob. 1. Idem actus phyſicè invariatus poteſt de non morali fieri moralis, ut patet in moribus primò primis voluntatis cum inadvertentia inchoatis, & cum advertentia continuatis: ergo bonitas &c. non ſunt differentiæ eſſentiales actus humani phyſicè ſpectati; imò nec ejus proprietates, propter eandem rationem, ſed tantùm ejus accidentia, ſicut album & nigrum reſpectu parietis.

Prob. 2. Unius entis phyſici & naturalis unica eſt differentia eſſentialis, ut patet in homine, bruto, & aliis: ſed poteſt unicus actus phyſicus habere duplicem moralitatem, ſeu duas malitias, imò & quatuor ſpecie diverſas; ut ſi maritatus copulam habeat cum Religioſa ſibi conſanguinea, ubi intercedit malitia fornicationis, adulterii, inceſtus, & ſacrilegii: ergo.

CONCLUSIO III.

BOnitas, Malitia, & Indifferentia ſunt differentiæ eſſentiales actuum humanorum in genere moris ſpectatorum. Eſt Scoti 2. diſt. 37. q. 1. n. 6. dicentis: *Actus non manet ut poſſit alterari ab oppoſito in oppoſitum*. Ubi loquitur de actu in genere moris; quandoquidem quòd lib. 18. n. 16. loquens de actu in genere naturæ dicat, quòd poſſit mutari de bono in malum.

Prob. 1. ratione deſumpta ex D. Subtili. Actus in genere moris non poteſt alterari ab oppoſito in oppoſitum; ſed ſi bonitas, malitia &c. eſſent tantùm accidentia reſpectu actus in genere moris, poſſet idem actus alterari ab oppoſito in oppoſitum; quandoquidem poſſet de bono fieri malus, & è contra, ſicut idem paries de nigro albus: ergo &c.

Prob. 2. Quia nec eſſe, nec concipi poteſt actus moralis exiſtens à parte rei, qui nec ſit bonus, nec malus, nec indifferens: ergo &c. Prob. Ant. quia cùm ſit eſſentialiter moralis ab aliqua moralitate, & non detur alia moralitas præter Bonitatem, Malitiam, aut Indifferentiam, ſequitur neceſſariò unam aut aliam importare.

Dices 1. Poteſt idem actus moralis de bono fieri malus, ſi duret aliquibus inſtantibus, ut ſi Religioſus velit ſuccurrere peſte infecto, & in eadem voluntate continuet, accedente juſta Superioris inhibitione: ergo Bonitas, Malitia &c. non ſunt differentiæ eſſentiales actus moralis.

Reſp. Illum actum fore quidem eundem phyſicè loquendo, non tamen moraliter, quandoquidem varietur genus moris, cùm in primo inſtanti ſit advertentia ad auxilium licitum, adeoque ad honeſtatem actus, in ſecundo autem ad auxilium illicitum, ſeu ad actus turpitudinem.

Dices 2. cum Herinx: Bonitas & Malitia accidunt libertati, per quam conſtituuntur actus in eſſe moris: ergo & accidunt actui ſecundùm eſſe morale ſpectato: quod enim accidit formæ conſtitutivæ actus in eſſe morali, etiam accidit actui ità conſtituto.

Reſp. diſt. ant. Accidunt libertati ſolitariè ſumptæ: C. libertati involventi advertentiam ad honeſtatem aut turpitudinem quæ ineſt, aut ineſſe poteſt actui, in qua conſiſtit moralitas: N. unde Bonitas, Malitia &c. poſſunt quidem accidere libertati ut ſic, adeoque & actui, qui conſtituitur in eſſe liberi præcisè, non tamen actui morali, qui, cùm ultra libertatem, importet advertentiam ad honeſtatem aut malitiam quam habet aut habere poteſt actus, diſtinguitur, rigorosè loquendo, ab actu libero ut ſic: idque ſufficienter patet ex dictis de moralitate in genere.

Dices 3. quamvis omne animal à parte rei ſit vel rationale, vel irrationale; tamen animali ut ſic accidit, quòd ſit rationale: ergo quamvis omnis actus moralis ſit à parte rei vel malus, vel bonus, vel indifferens, accidit tamen actui morali ut ſic, quòd ſit v. g. bonus.

Reſp totum eſſe verum: nec prætendimus actum moralem ut ſic, eſſe vel bonum vel malum, vel indifferentem eſſentialiter, ſed actum moralem, qui de facto exiſtit à parte rei: ſicut omne animal à parte rei eſt eſſentialiter vel rationale vel irrationale. Cujus ratio eſt, quòd omnis actus moralis in individuo procedat cum libertate & advertentia, vel ad honeſtatem quam habet actus, & ſic eſt bonus; vel turpitudinem, & ſic eſt malus, vel ad aptitudinem, quam habet ad alterutram, & ſic eſt indifferens.

QUÆSTIO IV.

An idem actus poſſit eſſe ſimul bonus & malus moraliter?

SEnſus quæſtionis eſt, an ſicut in naturalibus dari poteſt idem ſubjectum, v. g. idem homo, qui ſimul ſit pulcher & difformis ſecundùm diverſas ſui partes, v. g. pulcher quoad faciem & difformis quoad pedes: ità etiam dari poſſit unicus actus in eſſe phyſico, qui ſit multiplex moraliter, ſeu qui duas habeat moralitates, unam ex objecto, putà bonitatem; alteram ex fine operantis, ſeu ex alia circumſtantia, putà malitiam.

CONCLUSIO UNICA.

NUllus actus ſive externus, ſive internus poteſt ſimul eſſe bonus & malus moraliter ex diverſis capitibus; ſed poſito quòd vel unica circumſtantia, vel finis vitietur, totus actus eſt moraliter malus. Ita ſentit Doct. Angelicus pluribi, & D. Subtilis ſuprà, ubi ad bonitatem moralem requirit integritatem omnium quæ debentur actui quatenùs morali. Eſt contra Almaynum, Cajetan de Lorca, Herinx, & alios.

Prob. 1. ex Script. Matt. 6. *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit*. Ubi per *oculum* intelligitur à SS PP intentio finis, quæ, ſi ſit mala, reddit totam actionem tenebroſam, & malam, adinſtar fermenti, quod totam farinæ, cui injicitur, maſſam corrumpit. Præterea: *Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras?* 2. Cor. 6. ſi autem eſſet in eodem actu bonitas & malitia, lux aſſociaretur tenebris, eſſetque participatio bonitatis cum injuſtitia, quæ tamen judicat Apoſtolus incompoſſibilia.

Prob. 2. Exercentes juſtitiam, orantes, jejunantes, ut videantur ab hominibus, ſeu ex vana gloria, *receperunt mercedem ſuam*, Matth. 6. atqui ſi mala intentio non vitiaret ſubſtantiam juſtitiæ, orationis, aut jejunii, poſſent aliam mercedem recipere, ut per ſe patet: ergo

Nec dicas, fieri ibi mentionem hypocriſis mortalis, quæ totam bonitatem aufert ab actu, non autem venialis; nam cùm ibi Scriptura non diſtinguat, nec nos diſtinguere debemus: præſertim cùm, juxta Auguſtinum, ſimpliciter intelligenda ſit Scriptura, ubi inde nulla ſequitur contradictio aut inconvenientia. Imò potiùs loquitur Scriptura de hypocriſi veniali, quàm de mortali; cùm dantes eleemoſynam, aut jejunantes ut videantur ab hominibus, ordinariè tantùm peccent venialiter.

Prob. 3. authoritate D. Th. 2. diſt 38 q 1. art. 4. ubi ait: *Cùm aliquis vult dare eleemoſynam propter vanam gloriam. hic eſt unus actus voluntatis, & hic actus totus malus eſt*. Idem habet alibi.

Prob. 4. ratione deſumpta ex Scoto: impoſſibile eſt eundem actum habere ſimul integritatem & non integritatem omnium quæ debentur actui; ſed ſi unus & idem actus eſſet ſimul bonus & malus, poſſet ſimul habere integritatem, per quam eſſet bonus, & non integritatem, per quam eſſet malus: ergo.

Prob. 5. Actus non eſt bonus, niſi ſit conformis rectæ rationi; ſed recta ratio dictat bonum eſſe bene faciendum, & ex bono motivo: ergo ubi mala eſt circumſtantia, aut malus finis, non eſt actus conformis rectæ rationi, adeoque nec bonus.

Prob 6 Quia licèt dare eleemoſynam ſecundùm ſe ſit objectivè bonum, hoc tamen conjunctum: *Dare eleemoſynam ob vanam gloriam*, nequidem eſt objectivè bonum; adeoque nec dare poteſt actui bonitatem formalem. Cujus ratio eſt, quòd datio eleemoſynæ induat tunc rationem medii ordinati ad malum finem, aſſumaturque tanquam inſtrumentum mali, à quo moraliter loquendo malitiam deſumit, eò quòd ſit diſforme dictamini rectæ rationis ordinare bonum ad malum. Quòd ſi opponas, dantem velle priùs dare eleemoſynam ſecundùm ſe, & poſteà ob vanam gloriam, non ſtat ſuppoſitum quæſtionis, cùm tunc non ſit unicus, ſed duplex actus.

Objic. 1. Vix dari poteſt actus, qui non habeat aliquid imperfectionis, puta, ſuperbiæ, vanæ gloriæ, amoris proprii &c. ergo ſi ſtet noſtra concluſio, vix aut nullus dabitur actus bonus, ſicque miſerrima erit noſtra conditio. Prob Ant. quia Iſaiæ 64. legitur: *Quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ*.

Reſp neg. ant. Ad paſſum Iſaiæ, dico non agi de juſtitia Chriſtianorum, ſed Judæorum, & quidem impiorum, quorum juſtitiæ ſeu purificationes legales (quas juſtificationes appellat D. Paulus Hebr. 9.) erant Deo odioſæ, propter impiam eorum vitam. Malè etiam infertur miſerrimam eſſe conditionem noſtram; nam ſi ſit facilè omnem actionem noſtram in Deum referre, ſaltem virtualiter, ut volunt plurimi, à fortiori infinitè facilius eſt à ſuperbia, aut vana gloria operando abſtinere, cùm ſciamus à nobis ſolis nihil niſi malum, & vituperio dignum procedere.

Objic. 2. D. Gregorium lib. 1. Moral. c. 16. ubi ait: *Bona, quæ nos habere credimus, pura bona nequaquam eſſe poſſunt*: ergo ſupponit actiones noſtras bonas poſſe habere admixtam imperfectionem.

Reſp. diſt conſeq. Supponit poſſe habere admixtam imperfectionem voluntariam: N. involuntariam, ſeu, ut ipſemet paulò ante loquitur, furtim ſe intermiſcentem: C. ſed hæc, utpote non imputabilis, non tollit ab actu bonitatem. Quòd autem non loquatur de imperfectione ſeu impuritate involuntaria, inde manifeſtum eſt; quia ſequeretur, juſtum in omni opere bono peccare, quod eſt hæreſis contra Lutherum & Calvinum damnata in Concil. Trid. Seſſ. 6. can. 25.

Objic. 3. D. Thomam 2. diſt. 36. q. 1. art. 5. ubi ait: *Illa bonitas quæ eſt ... manet in actu, quantùmcumque per alias circumſtantias indebitas deordinetur*. Idem habet alibi.

Reſp. S. Doctorem loqui de bonitate objectiva, non formali, aliàs apertiſſimè ſibi contradiceret: ſeu tantùm vult, quòd dum actus verſatur circa objectum, ſecundùm ſe bonum, etſi finem habeat perverſum, conſervet tamen ratione objecti materiam, quæ aliàs poſſet à ratione approbari, licèt hic & nunc non approbetur ob circumſtantiam malam, nec actus voluntatis ab ea bonitatem formalem deſumat.

Objic. 4. Qui dat eleemoſynam ob vanam gloriam, non agit contra, ſed juxta miſericordiam: ergo non deſtruit bonitatem objecti.

Reſp. diſt. ant. Agit, juxta miſericordiam materialiter, ſeu ponit materiam miſericordiæ: C. agit formaliter, ſeu exercet actum virtutis miſericordiæ: N. Ad conſequentiam nego ſuppoſitum; quia licèt dare eleemoſynam, ſit objectivè bonum, non tamen dare eleemoſynam ob finem pravum, cùm hoc non ſit conforme naturæ rationali, in qua conformitate conſiſtit bonitas objectiva, ut diximus.

Objic. 5. Jejunans ex avaritia, implet præceptum, ergo ipſius actus, in quantùm præcepti impletivus, eſt bonus.

Reſp. neg conſeq quia etſi bonum ſit implere præceptum formaliter, ſeu virtuoſè, non tamen implere materialiter præcisè.

Inſt. 1. Non impletur præceptum, niſi per actum bonum: ergo

Reſp diſt. ant. Impletur niſi per actum bonum, vel materialiter, vel formaliter: C. niſi per actum bonum formaliter: N. univerſaliter loquendo; quia lex præcipiens ſuccurrere proximo, audire ſacrum, jejunare &c tantùm præcipit ſubſtantiam actus; & ideò illam obſervantes ex vana gloria, peccant quidam contra humilitatem, non tamen contrà ipſam legem.

Inſt. 2. Qui jejunat, ut ſatisfaciat præcepto & ſimul ex avaritia, melius fecit quàm ille qui non jejunat, cùm primus impleat præceptum, non ſecundus: ergo actus ejus eſt bonus, ſaltem inadæquatè.

Reſp. 1. neg. ſuppoſitum, quia neuter illo caſu benè facit, & conſequenter nec unus melius altero; quandoquidem comparativum ſupponat poſitivum.

Reſp. 2. Si per *melius facit* intelligatur non ita malè facit verum eſt, cùm peccet tantùm venialiter, alius autem mortaliter; ſed nihil indè contra nos.

Inſt. 3. Jejunans tunc meretur: ergo. Prob. Ant. quia meretur recipiens Euchariſtiam ex fine leviter malo.

Reſp. Neg. Ant. Ad probationem diſt. aſſumpt. meretur ex opere operantis, ſeu quatenus eſt actio ipſius communicantis: N. ex opere operato, ſeu quatenus eſt actio cui Chriſtus annexuit gratiam: C.

Inſt. 4 Non annexuit Chriſtus gratiam ſumptioni Euchariſtiæ, quando finis eſt graviter malus, & annexuit dum eſt leviter malus: ergo ſignum eſt ſumptionem tunc eſſe partialiter bonam.

Reſp. neg. conſeq Quia ratio diſparitatis petitur ex hoc quòd gratia ſit compatibilis cum peccato veniali, non cum mortali.

Inſt. 5. Juxta Trident. ſeſſ. 14. c 4. Sacramentum Pœnitentiæ non confert gratiam ſine bono ſuſcipientium motu: ergo nec Euchariſtia.

Reſp diſt ant Non confert ſine bono motu, id eſt ſine motu, qui ſecundum ſuam ſpeciem ſit bonus: C. qui in individuo exercitus habeat bonitatem moralem: N. Nec plus vult Trid. agit enim contra hæreticos, qui volebant Attritionem ſecundùm ſe eſſe malam, & facere hominem hypocritam; hanc autem declarat Concilium eſſe bonam, licèt poſſit vitiari in individuo ob finem leviter malum: Dico, *leviter malum*, quia graviter malus ipſum deſtrueret.

Inſt 6. Motus ille eſt diſpoſitio ad gratiam: ergo debet habere bonitatem moralem.

Reſp diſt. ant Ad gratiam vel ex opere operato, vel ex opere operantis, vel utroque modo recipiendam: C. neceſſariò ex opere operantis: N. & ſic non eſt abſolutè neceſſaria bonitas illa ad gratiæ receptionem. Cujus ratio eſt, quòd Deus, qui dat gratiam ſuam quomodo vult, quando vult, & quibus vult, voluerit illam annectere actioni, etiam leviter vitiatæ, licèt non moveat Deum ut vitiata, ſed ut diſpoſitio phyſica.

Inſt. 7. Motus ille eſt ſupernaturalis: ergo bonus moraliter.

Reſp. neg. conſeq. Quia ut actus ſit ſupernaturalis ſufficit quòd ſit à principio ſupernaturali, ut autem ſit bonus, debet eſſe conformis dictamini rectæ rationis, & indè habes actum Fidei aut Spei Theologicæ, qui ſunt maximè ſupernaturales etiam eſſe malos moraliter, ſi fiant ex vana gloria: unde ſi alicubi dicat D. Thomas: *Spe attingente Deum nullus poteſt male uti*, loquitur de Spe attingente Deum propter Deum.

Objic. 6. Ex noſtra ſententia ſequitur, jejunantem ex hypocriſi peccare duplici peccato, uno ratione finis, & altero ratione objecti à fine vitiati: quod eſt valdè durum.

Reſp. neg. ſequelam; quia unica eſt malitia utrumque afficiens, nempè finem intrinſecè, & objectum extrinſecè.

Objic. 7. Qui ſubiret Martyrium ex vana gloria, eſſet verè Martyr: ergo exerceret actum fortitudinis, adeoque bonum

Reſp. Etſi talis fortè reciperet gratiam ex opere operato (quod negant aliqui, volentes requiri ad hoc ut patiatur ex motivo Charitatis) quòd non eſſet verus Martyr, nec ut talis ab Eccleſia honoraretur; quia ut ait D. Thom 2. 2. q. 124. art. 3. *Tolerare mortem non eſt laudabile ſecundum ſe, ſed ſolùm ſecundùm quod ordinatur ad aliquod bonum.*

Advertendum tamen, ut vana gloria, aut quid ſimile inficiat actum aliàs futurum bonum, debeat ſe habere vel ut cauſa, vel ut occaſio, vel ut impulſivum, vel ut motivum; aliàs ſi habeat ſe tantùm concomitanter aut conſequenter, non nocet ejus bonitati, nec meritum tollit, quia nullam ei communicat malitiam; & ideo ſi quis martyrium ſubiens, jejunans, dans eleemoſynam &c. propter Deum, admittat inter operandum, aliquem vanæ gloriolæ motum, cum quo, & non ex quo, nec propter quem operatur; actus eius videtur bonus, cùm vana gloria nullatenus influat in ipſum, & ideo non ſit propriè illius circumſtantia: undè illo caſu ſunt duo actus, unus abſolutè & totaliter bonus, & alius ſimpliciter malus.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An idem actus poſſit eſſe ſucceſſivè bonus & malus?

CONCLUSIO UNICA.

POteſt idem actus ſive internus ſive externus, phyſicè invariatus, ſeu idem manens in genere naturæ, eſſe ſucceſſivè bonus & malus moraliter. Eſt communiſſima. De actu externo, res videtur clara; cùm poſſit quis manducationem carnis inchoatam die Jovis ex motivo honeſto, continuare die veneris ex ignorantia culpabili temporis prohibiti.

Prob. 1. de actu interno ex D. Thoma de malo, q 2. art. 4. ad 7. ubi ait: *Si in aliquo actu continuo primò feratur intentio ad bonum, poſteà ad malum, ſequitur quòd ſit idem actus numero ſecundùm ſuam naturam, ſed tamen differt ſpecie ſecundum quod eſt in genere moris*: Cui concordat Scotus Quodlib. 18. num. 16. *poſſet actus prius elici conformiter regulæ rectæ, & idem actus continuatus etiam poſſet elici poſteà non conformiter illi regulæ, & ita eſſet actus pro priori parte rectus, & pro poſteriori non rectus.*

Prob. 2. Bonitas & Malitia ſunt tantùm accidentia reſpectu actus phyſicè conſiderati, ut ſuperiùs dictum eſt, ſed poteſt idem ſubjectum phyſicè invariatum tranſire de uno accidente in aliud, v. g. idem pannus de flavo in rubrum: ergo

Prob. 3. poteſt idem numero actus intellectus, eſſe ſucceſſivè verus & falſus, ex ſola variatione objecti, ut hic: *Joannes currit*, eſt verus ipſo currente; & poſteà falſus ipſo quieſcente: ergo ſimiliter idem actus voluntatis poteſt eſſe ſucceſſivè bonus & malus per moralem objecti mutationem, ſivè quia uno tempore licitum eſt, & alio illicitum; ut, ſi ſacerdos antequàm interdicatur, velit celebrare, & poſt interdictum vincibiliter ignoratum continuet eandem voluntatem.

Prob. 4. Evidentiùs de actibus internis imperatis, quia poteſt idem actus internus imperari primò per actum bonum, adeoque eſſe participativè bonus, & ſecundò per actum malum, & ſic eſſe participativè malus, ut volitio dandi eleemoſynam, imperata primò ex affectu Miſericordiæ, deinde mulieris pervertendæ. Hæc probatio ita convincit certos Authores, ut licèt negent concluſionem intellectam de actibus elicitis, illam tamen approbent intellectam de imperatis.

Dices: in exemplo allato de volitione celebrandi, mutatur objectum: ergo & actus. Prob. ant. quia ante interdictum objectum illius volitionis erat celebratio licita, & poſt interdictum celebratio illicita.

Reſp. Diſt. Ant. Mutatur objectum neceſſariò phyſicè: N. objectum enim illius volitionis eſt celebratio ſecundùm ſe abſtrahendo an ſit licita, necne: mutatur moraliter: C. & ideo etiam mutatur actus in genere moris conſideratus.

Inſt. 1. Aliter proponitur objectum voluntati tempore prohibito, ac tempore licito: ergo mutatur objectum phyſicè.

Reſp. Diſt. Ant. Aliter proponitur objectum in eſſe phyſico: N. In eſſe morali: C. Objectum enim actus voluntatis ſpectari poteſt dupliciter, vel ut dicit bonitatem phyſicam, præſcinditque à regula Prudentiæ, vel ut dicit bonitatem prædictæ regulæ conſonam: prima, quæ terminat habitudinem actus phyſicam, eodem modo proponitur tempore licito & illicito, ſicque nullatenus variat actum in eſſe phyſico; non ſic ſecunda, quæ tempore prohibito proponitur ut diſſona regulis prudentiæ.

Inſt. 2. Tempore licito ferebatur voluntas in objectum ex motivo honeſto; ſed non poteſt tempore prohibito in illud ferri ex motivo honeſto: ergo.

Reſp. Diſt. Min. Non poteſt ferri prudenter: C. Imprudenter: N. poteſt enim ignorans vincibiliter interdictum, ob inquirendi pigritiam, velle celebrare in honorem Dei, ſicut antea, eò quòd periculum interdicti nonniſi leviter ipſum moveat.

Nec indè inferas talem non peccaturum celebrando tempore interdicti; quia licèt non velit expreſsè celebrationem ut prohibitam, vult tamen interpretativè, cùm interius moneatur de interdicto inquirere.

QUÆSTIO VI.

An detur actus indifferens in individuo?

SUppono 1. Actum poſſe dupliciter ſpectari. 1. Secundùm ſpeciem & eſſentiam præcisè, abſtrahendo utrum exiſtat à parte rei, necne. 2. Prout hic & nunc ponitur à parte rei cum omnibus accidentibus, quæ neceſſariò illum comitantur: ſicut poteſt homo conſiderari vel ſecundùm eſſentiam, abſtrahendo ab exiſtentia & non exiſtentia, qua ratione tantùm eſt animal rationale, vel prout hic & nunc exiſtit in rerum natura, qua ratione non ſolùm eſt animal rationale, ſed etiam doctus vel indoctus, Philoſophus, vel Theologus, albus, vel niger &c.

Suppono 2. Dari poſſe actus indifferentes ſecundùm eſſentiam, ſeu, ut alii volunt, ſecundùm ſpeciem, aut ex objecto: & talis eſt comeſtio carnium: nam ideo mala eſt præcisè die Veneris, quia prohibita, & ideo præcisè tunc bona eſt ejus abſtinentia, quia præcepta: ergo ſecundùm ſe, independenter à præcepto, nec bona eſt, nec mala, & conſequenter indifferens. Et in hoc concordat Scotus 2. diſt. 41. cùm D. Thoma, 1. 2. q 18. art. 8. quibus præluxerat Auguſtinus lib. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 18. ubi ait: *Sunt quædam facta media, quæ ignoramus, quo animo fiant, quia & bono & malo fieri poſſunt, de quibus temerarium eſt judicare.*

Suppono 3. Etiam dari actus indifferentes in individuo ad meritum aut demeritum, ut convincunt nos peccatorum & infidelium opera moraliter bona, putà jejunium, eleemoſyna &c. quæ nec meritoria ſunt, cùm deſit merendi principium, nempe gratia ſanctificans, nec demeritoria, cum in illis nulla ſit malitia: undè has Baji propoſitiones meritò condemnavit Urbanus VIII. *Omne quod agit peccator, aut ſervus peccati, peccatum eſt. Omnia opera infidelium ſunt peccata &c.*

Suppono 4. Poſſe dari ſimiliter per accidens actus in individuo indifferentes ad bonitatem aut malitiam moralem, ut, ſi quis fricet barbam ſine relatione ad finem honeſtum, eò quòd probabilius exiſtimet ſe ad id non teneri; vel, ſi putet teneri, hic & nunc de relatione non cogitet; ſed talis actus tantum eſt indifferens per accidens, ſcilicet propter opinionem, aut inadvertentiam operantis. Præcipua ergo difficultas eſt, an, per ſe loquendo, dari poſſit actus in individuo, id eſt hic & nunc exercitus, qui nec ſit bonus, nec malus moraliter, eò quòd non ſit obligatio à parte rei præficiendi omni actui ſuo finem honeſtum? Ad quam diſſolvendam ſit

CONCLUSIO I.

DAri poteſt actus moralis indifferens in individuo. Ita Alenſis, D. Bonaventura, Gabriel, Almaynus, Vaſquez, Ariaga, & Scotus cum ſuis 2 diſt 41 n. 4 ubi tractans ex profeſſo de actu indifferenti ſic ait: *Sunt ergo multi actus indifferentes, non tantum ſecundùm eſſe quod habent in ſpecie naturæ, ſed etiam ſecundum eſſe quod habent in eſſe morali.* Ibique agit de actibus indifferentibus in individuo, ut patet ex contextu: ut autem non putetur agere de actibus tantùm indifferentibus quoad meritum & demeritum, ſubjungit: *Sunt etiam indifferentes ad bonum meritorium, & malum demeritorium*, ubi particula *etiam* ſatis denotat, quòd ibi agat etiam de alia indifferentia, quàm ad meritum & demeritum. Idem ſentit non tantùm quodlib 18. ſed etiam 4. diſt. 6. q 10. n. 16 ubi expreſſiſſimè docet, quod ſicut dantur habitus ad benè agere, & habitus ad malè agere, ita habitus ad agere indifferenter: hocque exemplificat in habitu conſiderandi concluſionem Geometricam, & dicit illum habitum nec eſſe bonum, nec malum, ſicut nec erat actus, à quo generatur. Quid clarius?

Prob 1. Paſſu ordinario D. Hieronymi Epiſt 89 ad Auguſt. poſt med. *Bonum eſt Continentia, malum eſt Luxuria, inter utrumque indifferens ambulare... hoc nec bonum, nec malum eſt*: & ne diceres agere de actibus indifferentibus ſecundum Speciem, ſubjungit: *Sive enim feceris, ſive non feceris, nec juſtitiam habebis, nec injuſtitiam*, quibus verbis ſignificat actus in individuo poſitos, quidquid enim fit, utique fit in individuo, cùm actiones ſint ſingularium, ex 2. Metaph.

Dices 1. S. Doctorem agere quidem de actibus in individuo, ſed tantùm velle illos exercentem nec juſtitiam habere, nec injuſtitiam ex eo præcisè, quòd illos exerceat, licèt juſtitiam habeat, ſi referat in finem honeſtum, & injuſtitiam ſi non referat. Sed

Contra eſt, quòd defectus relationis (ſi hæc foret in præcepto) vitiaret totum opus, ut fatentur Adverſarii, & conſequenter etiam ex eo, quòd illud poneret, injuſtitiam haberet.

Dices 2. Loqui de actibus indifferentibus ad meritum & demeritum, ut denotant hæc verba, *juſtitiam* & *injuſtitiam*.

Reſp. Hoc dato gratis, nihil indè ſequi contra nos: cùm poſſit actus indifferens ad meritum & demeritum, etiam eſſe indifferens ad bonitatem & malitiam moralem: imò actus à D. Hieronymo relatos taliter eſſe indifferentes, apertè inſinuat, cùm dicit ſimpliciter nec bonos eſſe, nec malos; quod foret falſum, ſi bonitatem aut malitiam moralem haberent.

Dixi: *Dato gratis*; quia cùm ibi diſputet more Philoſophorum moralium, dici poteſt per *juſtitiam* intelligere honeſtatem, & per *injuſtitiam* turpitudinem, utique moralem.

Prob. 2 Ex D. Gregorio Nazianz. Orat. 2. contra Julianum

ubi admittit medium inter dignum pœna & laude; quod eſt admittere medium inter bonum & malum morale, adeoque indifferens.

Prob 3. Ratione deducta ex Doct Seraphico: poteſt quis operari propter levem naturæ indigentiam, aut commoditatem, v. g. ſpuere; ſed talis actus nec eſt malus, cum in eo nulla ſit inhoneſtas, nec bonus moraliter, cùm nemo dicat, hominem dignum laude, eò quòd ſpuerit, pulices occiderit &c. ergo eſt indifferens. Fateor quidem, ubi actus conducit notabiliter ad vitæ conſervationem, ut dum quis extendit brachium amputandum, ne perdat totum, aut ſumit medicinam valdè amaram ad expulſionem febris, poſſe dici bonum moraliter, adeoque laude dignum, non tamen ubi tantùm leviter confert, & quaſi nihil.

Prob 4. Dantur actus indifferentes ex objecto: ergo & in individuo, cùm talis ſit actus individualis, quale eſt objectum, à quo ſicut ſumit bonitatem aut malitiam, dum ineſt, ita & indifferentiam.

Prob 5. Omiſſio Officii divini in laico, eſt indifferens, cùm nihil ſit undè vitietur, aut bonificetur: ergo & actus poſitivus quo vult omittere: nam ſi actus dicitur bonus, ubi omiſſio bona eſt, & malus, ubi mala; quidni indifferens, ubi ipſa indifferens eſt?

Prob. 9. Evertendo ſundamentum Adverſariorum volentium nos teneri præfigere cuilibet actioni finem honeſtum, qui ſi adſit, actio bona eſt, ſi deſit, eſt mala Prob. inquam: vel obligatio illa oritur ex lege divina poſitiva, vel ex naturali: non ex poſitiva, quia dum dicit Apoſtolus 1 Corinth 10. *Sive manducatis, ſive bibitis: ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*: & c. 19. *Omnia veſtra in Charitate fiant*, non dat præceptum, ſed conſilium ſaluberrimum, ut benè advertit Doctor Seraphicus: & certè ſi præceptum daret, non tantùm in finem honeſtum, ſed etiam in Deum teneremur omnia referre, quod videtur S. Sedes condemnaſſe in variis propoſitionibus, ut oſtendimus in Tract. noſtro De Virtutibus, Diſp VII Queſt. 8. & ideo dum Auguſtinus, Bernardus, aliique SS. Patres aſſerunt verba Apoſtoli importare præceptum, intelligendi ſunt de præcepto largè ſumpto, ſive prout importat directionem, non obligationem, aliàs non viderentur à cenſura Apoſtolica ſatis immunes. Non etiam ex lege naturali, aliàs quilibet homo in cujus corde ſcripta eſt lex naturalis, obligationem illam ſingulis momentis recurrentem in ſeipſo experiretur, tamen conſulat ſe Thomiſta, conſulat ſe quilibet nobis in hoc adverſarius, & fateri tenebitur ſe nunquam credidiſſe, dubitaſſe, aut etiam ſuſpicionem vel minimam habuiſſe, ſibi ineſſe obligationem, dum ſpueret, purgaret ventrem, nares emungeret, &c actiones illas in finem honeſtum referendi, donec factus Philoſophus moralis, aut Theologus. audivit hanc materiam in ſcholis tractari: undè Ariaga: *Ego de me fateor, quouſque hanc quæſtionem primò agitari audivi, nil de tali obligatione unquam cogitavi.* Sanè mirum eſſet, quòd obligatio tam frequens, tam communis, ipſamque ſequens naturam, ab omnibus etiam ſanctiſſimis, & perſpicaciſſimis, quibus non fuit exterius propoſita, ignoraretur.

Confirm. Quia non poteſt aſſignari quis ſit finis ille honeſtus, quem habere debet homo dum fricat barbam, purgat corpus &c. dicetne ſe velle agere ut homo, ut rationalis non beſtia? ab omnibus meritò explodetur: debebitne dicere, ſe velle illa exequi, ut ſit promptus ad orandum, ſtudendum, negotium peragendum &c. quis Thomiſtarum, quis mortalium id unquam fecit? imò quis dum non fecit, ſeſe in Confeſſione accuſavit? undè praxis timoratorum, etiam Adverſariorum, nullam eſſe obligationem illam ſatis demonſtrat.

Objic. 1. Dum homo agit liberè & advertenter, agere debet ut homo ſeu conformiter ad rectam rationem: ſed recta ratio dictat præfigendum eſſe actualiter aut virtualiter finem honeſtum actionibus noſtris: ergo &c.

Reſp. diſt. Maj. Debet agere conformiter ad rectam rationem, id eſt, nihil debet agere contra: C. id eſt, debet agere ſecundùm; ſubdiſtinguo: debet agere poſitivè vel permiſſivè: C. neceſſariò & ſemper poſitivè: N. Explico: recta ratio aliquos actus præcipit, aliquos prohibet, aliquos permittit, dum præcipit aut prohibet, tenemur poſitivè ſecundùm ipſam agere; aliàs actus noſter eſſet ipſi poſitivè diſconveniens, adeoque malus, quando autem aliquid permittit, id eſt, nec præcipit, nec prohibet, quod accidit in actionibus quæ valdè leviter, aut quaſi nihil conferunt ad vitæ conſervationem, ſatis eſt, ut non peccemus, ſi rectæ rationi conformemur negativè, ſeu nihil contra ipſam agamus: & indè patet quomodo intelligendum ſit illud Scoti 2. diſt. 37 q 2. n. 6. *Voluntas enim libera debitrix eſt, ut omnem actum eliciat conformiter regulæ*, quia nihil debet agere contra.

Inſt. 1. Niſi homo conformet omnem actionem ſuam rectæ rationi poſitivè, præfigendo ipſi finem honeſtum, non aget ut homo, ſed ut animal præcisè.

Prob. Aſſumpt. Quia operabitur propter delectationem, aut naturæ commoditatem, propter quam operantur & bruta.

Reſp. Neg. Aſſumpt. Ad probationem dico, quòd, licèt quandoque homo operetur propter naturæ commoditatem, ſicut & brutum, ab eo tamen multùm differat, non tantùm quia illam appetit liberè, & cum diſcurſu, ſed etiam quia moderatè & ſine exceſſu, ſecundùm regulam à ratione præſcriptam: ejus tamen operatio non dicitur moraliter bona, defectu finis honeſti.

Inſt. 2 Indignum eſt homine ad cœlum nato, quòd agat propter ſolam naturæ commoditatem aut delectationem.

Reſp. Diſt. Aſſumpt. Quòd agat propter ſolam delectationem immoderatam: C. moderatam, ac naturæ fragilitati proportionatam, ſecluſa omni alia malitia & prohibitione: N. nam cum delectabile ſit quoddam bonum in genere naturæ, propter ſe appetibile, & ametur ex naturali propenſione, ut quædam naturæ commoditas, non eſt unde vitietur operatio propter declarationem moderatam.

Inſt. 3. Condemnatæ ſunt propoſitiones ſequentes ab Innoc. XI. prima: *Comedere & bibere uſque ad ſatietatem, ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum &c* Secunda: *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum, omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali*: ergo non licet operari propter ſolam delectationem.

Reſp. Diſt. Conſeq. Non licet operari propter ſolam delectationem, quando delectatio eſt finis à natura intentus: N. quando non eſt, & aſſumitur: C. hoc autem fit in dictis propoſitionibus, cùm voluptas aſſumatur tanquam finis comeſtionis, & operis conjugalis, ut patet ex illis verbis: *ob ſolam, propter ſolam voluptatem.* Certum eſt autem finem comeſtionis & potationis à natura intentum, non eſſe voluptatem, ſed corporis ſuſtentationem: non enim homo vivit, ut comedat & bibat, ſed bibit & comedit ut vivat. Similiter finis operis conjugalis à natura intentus, eſt procreatio prolis, non voluptas. Cùm ergo in illis propoſitionibus ponatur finis, quem nequidem natura intendit, non eſt mirum fuiſſe condemnatas Nos autem, dum aſſerimus licere quandoque operari propter delectationem moderatam, id tantùm volumus, quando delectatio eſt finis à natura intentus, ut recreatio aurium ex muſica, oculorum ex viſione pulchri, narium ex olfactione floris.

Inſt. 4. Agens ob delectationem, prodigus eſt temporis, *ſibi* ad merendum conceſſi: ergo

Reſp 1. Sicut non eſt prodigus temporis, qui paululum quieſcit ab omni actu: ità nec à fortiori qui agit interdum ob moderatam delectationem. 2. Orans ambulando non prodigit tempus, & tamen ambulatio illa non relata in finem honeſtum, cenſetur facta ob delectationem. 3. Homo æquè conſtat corpore ac anima; & conſequenter non eſt temporis prodigus, dum levamen modicum indulget corpori, præſertim cùm non teneatur omni tempore mereri.

Inſt 5. Vituperantur Imperatores illi, quorum unus in condendis lucernis, alter in capiendis muſcis, tempus inſumebat: ergo & vituperabilis homo, ſi in fricanda barba, olfaciendis floribus, audiendis concentibus &c. tempus impendat.

Reſp. Vituperari Imperatores illos. 1. Quia opus faciebant ſua majeſtate indignum. 2. Quia nimium temporis in illis inſumebant; & ideo libenter fateremur etiam vituperabilem eſſe hominem tanquam temporis prodigum, ſi in præfatis nimiùm occupetur: unde excuſarem quidem eum, qui ſemel aut iterum florem olfaceret, non tamen ſi horam in hoc, vel ſimilibus impenderet.

Inſt. 6. Facta ob naturæ commoditatem aut delectationem ſunt otioſa: ergo mala.

Reſp. Diſt Ant. Sunt otioſa in ordine ad vitam æternam: C. & in hoc ſenſu loquitur D. Baſil. dum dicit vanum eſſe & otioſum quod non conducit ad propoſitam in Domino utilitatem: ſunt otioſa abſolutè & ſimpliciter: N. habent enim ſuam neceſſitatem, aut utilitatem naturalem, aut certè aliquod naturæ ſenſitivæ levamen, cui ſuccurrendum eſſe, dictat etiam natura rationalis: & ideo non judicabimur de illis in judicio tanquam de actionibus otioſis, quæ ſupponuntur nullam utilitatem, ſive ſpiritualem, ſive temporalem, habere.

Inſt. 7. Similia non conducunt ad finem ultimum: ergo ſunt ſimpliciter otioſa.

Reſp. Diſt. Ant. Non conducunt ad finem ultimum proximè: C. non conducunt ſaltem remotè: N. conducunt enim ad naturæ utilitatem aut recreationem, quæ recreata, aut ſublevata, faciliùs aſſurgit ad Dei ſervitium, aut amorem, licèt hic & nunc ad illa non advertat homo. Præthereà ut vitet omne peccatum, ſufficit, quòd ejus actio conducat ad finem ultimum vel poſitivè, vel negativè, id eſt, ut, ſi in finem ultimum non ſit ordinata, ab eo tamen non ſit deordinata ſeu recedens.

Inſt.

Inſt. 8. Qui non agit poſitivè propter finem ultimum, ad quem creatus eſt, cenſetur illum aliqualiter contemnere: ergo & peccare.

Reſp Neg. Ant Quia ubi nulla eſt obligatio referendi, ibi nullus eſt in non referendo contemptus, modò nulla apponatur conditio fini ultimo repugnans, poſſitque in ipſum referri remotè: unde in hoc ſtatu diſtractionis & miſeriæ ſufficit homini, ſi abſtineat ab actibus in finem ultimum irreferibilibus, quales ſunt tantùm actus mali.

Objic. 2. Scotum quodlib. 18. nu. 9. ubi dicit actum neutrum ſeu indifferentem eſſe aliquo modo vituperabilem.

Reſp. Doct. ſubtilem ibi per *aliquo modo vituperabilem*, intelligere *non laudabilem*, ut manifeſtè patet ex contextu, idque ob defectum illius *qui potuit*, (nota, non dicit, *qui debuit*) laudabiliter agere.

Objic 3. Omnes omninò actus, qui fiunt ob naturæ commoditatem, aut ſubſidium, ſunt boni: ergo nulli dantur indifferentes. Prob. Ant. quia tales actus ſive neceſſarii, ſive utiles, ſunt conformes rectæ rationi dictanti conſulendum eſſe etiam parti ſenſitivæ & vegetativæ

Reſp. Neg. Ant. Ad probationem Diſt. Aſſumpt. ſunt conformes rectæ rationi dictanti rem eſſe commodam: C. dictanti rem eſſe honeſtam, ſubdiſtinguo: quando notabiliter confert ad vitæ conſervationem, aut naturæ levamen: C. quando nonniſi leviſſimè, aut ferè nihil: N. quia recta ratio non judicat aliquid honeſtum, niſi ſit laude dignum, quale non reputatur fricare manus, barbam ſcalpere, ſpuere &c.

Objic. 4. Si darentur actus indifferentes, darentur & habitus; ſed omnis habitus in voluntate reſidens, vel eſt virtus, vel vitium, juxta Ariſtotelem: ergo.

Mirum eſt quòd Adverſarii nobis hoc objiciant, cùm ipſimet admittentes actus indifferentes ſecundùm ſpeciem, teneantur & admittere habitus indifferentes; quandoquidem habitus fricandi barbam v. g. non generetur ab actu ſecundùm denominationem extrinſecam quam recipit à fine honeſto, quem ipſi præfigit operans, ſed ab actu ſecundùm ſubſtantiam & entitatem conſiderato, qui cùm, ut ſic, ſit indifferens; ità & indifferens eſt habitus: unde ſicut iejunans ſæpius ex motivo charitatis, acquirit habitum temperantiæ & charitatis, ità ſæpius fricans barbam, ob finem honeſtum, acquirit habitum fricandi, & habitum ulteriùs referendi, quorum primus eſt indifferens, ſecundus honeſtus. Ad objectionem

Reſp diſt. Min. Habitus qui eſt alicujus conſiderationis, de quo loquitur Philoſophus, vel eſt virtus vel vitium: C. qui nullius eſt conſiderationis, aut ferè nullius in ordine ad mores componendos, qualis eſt habitus indifferens: N.

Obji. 5. *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum*, ut ait Concil. Arauſicanum II. Can. 22. ergo non poteſt homo elicere actum indifferentem.

Reſp diſt. Ant. Non habet de ſuo niſi peccatum &c. reſpectu materiæ præceptæ: C. quia ſi materiam præceptam non implet, peccat de ſuo? ſi implet, bene facit per auxilium gratiæ; inter autem implere & non implere præceptum, non datur medium. Reſpectu materiæ liberæ: N. poteſt enim habere actionem, quæ nec ſit bona, nec mala. Quòd autem ſic debeat intelligi Concilium, patet ex eo, quòd ageret contra Pelagianos, qui volebant opera præceptorum poſſe impleri ſine gratia Dei.

Objic. 6. Auguſtinum Epiſt. 19. ubi circa med. ſic loquitur: *Cavendum eſt, ne ſicut Philoſophi quædam facta hominum media dicamus inter rectè factum & peccatum*.

Reſp. Illum potiùs nobis ibi favere, quàm nocere; cùm illa verba ſibi objiciat, & poſteà ſolvens dicat, non omnia à Philoſophis dicta eſſe falſa. Præterea loquitur in materia præcepta, quæ, ſi ponatur, actio bona eſt; ſi non, mala: nam agens ibidem de materia libera, ſeu de cæremoniis Judaicis pro tempore, quo nec prohiberentur, nec præciperentur, dicit nec bonas fuiſſe, nec malas.

Objic. 7. Eundem lib. 2. de Peccat. merit. & remiſſ. c. 18. ubi docet voluntatem non poſſe in medio conſiſtere; quia vel juſtitiam diligit, & eſt bona: vel non diligit, eſtque mala, imò peſſima.

Reſp. S. Doctorem non loqui de actu voluntatis, aliàs volens ſpuere ſine relatione ad finem honeſtum, eſſet peſſimus: quod nemo ſanæ mentis dixerit; ſed de ipſamet voluntate, quam dicit eſſe bonam, vel malam habitualiter; quia vel in ſtatu gratiæ, ratione cujus dicitur habitualiter diligere juſtitiam, vel in ſtatu peccati, ratione cujus dicitur illam non diligere. Pro aliis objectionibus

Adverte, quòd quando in Tract. de Charitate q. 8. diximus, Auguſtinum tantùm requirere in operante Charitatem latè ſumptam, ſeu bonam voluntatem, non fuiſſe locutos de operibus bonis, imò & virtuoſis, non autem de indifferentibus, quibus nequidem præfigenda eſt tanquam finis. Charitas latè ſumpta ex mente Auguſtini, cùm ibi Charitatem requirit, ad virtuosè agendum requirat, non autem ad vitandum peccatum; quandoquidem non plus velit quàm Apoſtolus, cujus verba non præceptum continere, ſed conſilium, oſtendimus ſuprà probatione ſexta. Ex dictis

Reſol. 1. quod licèt conſulendum ſit, ut omnes actiones noſtras in finem honeſtum, imò & in Deum referamus, ſufficere tamen ad vitandum omne peccatum, quòd nihil contra Deum, contra honeſtatem, contra rectam rationem faciamus

Reſol. 2. Sententiam oppoſitam ſuſtineri quidem à multis ſpeculativè, à nullo autem, vel à paucis admodùm, practicè; cùm vix ſit ullus, etiam timoratus, qui non referens omnes actiones ſuas in Deum, ſicut non tenetur, referat illas ad finem honeſtum, præſertim ubi ſunt levioris momenti, ut ſpuere, manus fricare &c. Imò nullus eſt, qui circa illas ſcrupulum patiatur, ubi agitur de Confeſſione.

Reſol. 3. Nos in hac quæſtione non citaſſe D. Thomam; quia fateri tenemur eſſe nobis contrarium Unde propter tanti Doctoris authoritatem, ipſius ſententiam in praxi conſulimus. Monemus tamen excuſari à peccato, etiam ab ipſomet D. Thoma, illum, qui inter operandum non advertit ad finem honeſtum.

QUÆSTIO VII.

An actus externus priùs habeat bonitatem aut malitiam quàm actus internus?

STatus quæſtionis eſt, an, quando actus externus conjungitur cum interiori, à quo imperatur, v. g. quando elargitio eleemoſynæ fit ex imperio voluntatis, an, inquam, ipſa elargitio prius habeat bonitatem, quàm volitio, à qua imperatur; Sed ante reſolutionem

Adverte 1. Actus externos (qui ſunt actus ab alia potentia, quàm à voluntate producti) poſſe habere vel rationem objecti, vel rationem effectus, vel rationem actus: habent rationem objecti, quando voluntas illos appetit: habent rationem effectus, dum illos imperat, & habent rationem actus, dum à propriis & immediatis potentiis eliciuntur. Sic locutio quatenus à voluntate appetita, eſt objectum, quatenus imperata, eſt effectus, quatenus ab ore procedens eſt actus.

Adverte 2. Quòd, licèt actus externi in ratione objecti non ſemper habeant bonitatem aut malitiam, cùm multi ſint indifferentes; habere tamen poterunt in ratione effectus, ſi à voluntate ob bonum vel malum finem imperentur: ſic ſcribere eſt indifferens in ratione objecti, ſi tamen ſcriptio imperetur ex affectu convertendi peccatorem, erit bona; ſi ex affectu pervertendi puellam, erit mala, ſcilicet in ratione effectus. Undè patet actum externum deſumere bonitatem aut malitiam ab actu interno. His notatis. Sit

CONCLUSIO I.

QUando actus externus objectivè conſideratus habet aliquam bonitatem aut malitiam, prius ei competit illa bonitas aut malitia (quam objectivam ſeu fundamentalem vocamus) quàm actui interno.

Ratio eſt; quia actus humani deſumunt bonitatem aut malitiam ab objecto, ut poſtea dicetur: ergo actus externus in ratione objecti prius habet bonitatem aut malitiam quàm actus internus; aliàs non poſſet deſumere bonitatem aut malitiam ab illo, cùm eam prius haberet. Præthereà ideo actus ſunt boni vel mali, quia objecta, in quæ feruntur, bona ſunt, vel mala, id eſt, naturæ rationali conformia, vel difformia: ergo priùs habet bonitatem, aut malitiam actus externus objectivè conſideratus, quàm actus internus.

CONCLUSIO II.

ACtus internus primariò & propriè habet bonitatem aut malitiam formalem; externus autem non niſi ſecundariò & participativè in quantùm efficitur ab actu interno.

Prob. 1. Illi actui primariò & propriè competit bonitas aut malitia formalis, cui primariò & propriè competit libertas (definitur enim bonitas formalis, convenientia, & malitia, diſconvenientia actus liberi cum prudenti dictamine rationis &c.) atqui libertas primariò, & propriè competit actui interno, quandoquidem externus non habeat libertatem niſi dependenter ab illo utpotè immediatè neceſſarius, & procedens à principio ad unum determinato: ergo &c.

Prob. 2. Si quis invincibiliter credens bonum eſſe hic & nunc paululum furari à prædivite ad ſubveniendum valdè pauperi, furtum ſibi ipſi imperet, furtum erit formaliter bonum, ſed non aliundè quàm ab actu interno: ergo &c.

Prob.

Prob. 3. Actus externus non eſt aliter bonus, aut malus, quàm ſit humanus, ſed actus externus nonniſi ſecundariò & mediatè eſt humanus: ergo. Prob. Min. actus humanus eſt ille, cujus homo ut homo dominus eſt, ſed homo non eſt dominus actus externi, niſi mediante actu interno: ergo.

Dices 1. Ut actus externus ſit primariò & formaliter bonus aut malus ſufficit quòd ſit liber & voluntarius mediante actu interno, à quo imperatur.

Reſp. Neg. Aſſump. & certe mirum eſſet, quòd libertas, voluntarium, & alia ad bonitatem aut malitiam formalem requiſita tenerent ſe ex parte actus interoi, & tamen actus externus eſſet primariò & formaliter bonus aut malus.

Dices 2. Actus interior eſt bonus vel malus, quia reſpicit actum exteriorem bonum vel malum: ergo bonitas & malitia prius competit actui exteriori, quàm interiori.

Reſp. Diſt. conſequens: bonitas & malitia objectiva, ſeu fundamentalis prius competit actui exteriori, quàm interiori: C. bonitas & malitia formalis: N. unde prius quidem eſt actum exteriorem eſſe objective conſonum aut diſſonum rectæ rationi, quàm ab actu interiori reſpiciatur, non tamen prius eſt, ipſum eſſe conſonum aut diſſonum rectæ rationi formaliter & in actu exercito: quamdiù enim actus externus ab interno non reſpicitor, nec eſt liber, nec voluntarius, nec humanus, & conſequenter nec eſt bonus aut malus, bonitate aot malitia, quæ ſit imputabilis operanti, quam formalem & actualem vocamus.

Neque ex hoc ſequitur ullus circulus vitioſus, aut dependentia mutua quoad idem: nam actus internus & imperans dependet à bonitate aut malitia objectiva actus externi & imperati, & hic è contrà accipit ab interno & imperante bonitatem & malitiam, non quidem objectivam, ſed formalem & actualem.

Dices 3. leges primariò & per ſe reſpiciunt actum externum, quem præcipiunt, aut prohibent: dicitur enim in Decalogo: *Honora patrem tuum*, *non occides*, *non furtum facies*, quæ ſunt actiones externæ: ergo bonitas & malitia formalis primariò competunt actui externo.

Reſp. Diſt. Ant. Leges primario & per ſe reſpiciunt actum exteriorem undè & ſolitariè conſideratum: N. ſic enim non eſt materia præcepti: prout actu interiori informatum: C. Leges ergo prohibent aut præcipiunt actus humanos, certum eſt autem actum exteriorem non eſſe humanum, niſi dependenter ab actu interiori ipſum imperante. undè in lege prohibente aut præcipiente actum externum involvitur intrinſecè prohibitio aut præceptum actus interni, à quo bonitas aut malitia formalis derivatur in actum externum.

Inſt. Si quis dormiens det eleemoſynam, ſatisfacit præcepto eleemoſynæ: ergo non præcipitur actus internus.

Reſp. Diſt. Ant. Satisfacit præcepto materialiter, id eſt, ponit materiam præceptam: C. ſatisfacit formaliter, id eſt ponit actum præceptum: N. quia talis actus non eſt humanus. Ex dictis

Reſol. 1. Actum exteriorem eò majorem vel minorem bonitatem aut malitiam formalem habere, quò actus internus magis aut minus liber eſt, aut extenſus.

Reſol. 2. Actum bonum voluntatis efficacem, cæteris paribus, prævalere ſimplici complacentiæ, quia hæc tantùm eſt bona, quia reſpicit objectum bonum; ille autem reſpicit & objectum bonum, & bonum effectum, ſecluſis impedimentis, ponendum. Idem dic cum proportione de actu efficaci, & ſimplici complacentia circa malum.

QUÆSTIO VIII.

An actus exterior ſuperaddat bonitatem, aut malitiam actus interiori.

QUamvis in hac materia adverſentur Thomiſtæ Scotiſtis, non tamen D. Thomas Scoto: negat quidem Doctor Angelicus 1. 2. q. 20. art. 4. exteriorem actum tollere aliquid de pœna aut de præmio, dum quis volens efficaciter operari, impeditur, ſed loquitur de pœna & præmio eſſentialibus: non accidentalibus, quæ per actum exteriorem augeri, expreſſiſſimè docet 2. diſt. 40. q. 1. a. 3. jam autem, ſi actus exterior aliquid ad præmium & pœnam accidentalem conſerat, aliquid bonitatis aut malitiæ formalis habeat, neceſſe eſt, ut poſtea oſtendemus. Sed ante

Adverte 1. Sæpe diutius continuari actum internum ratione actus externi: nam ſi quis velit furari in ſummitate domus, tempore quo ſcalas quærit, applicat, aſcendit, ejus voluntas aut continuatur, aut renovatur, ſed de additione illius bonitatis, aut malitiæ non eſt quæſtio.

Adverte 2. Nec eſſe quæſtionem, an actus exterior intendat interiorem, quia certum eſt, quòd fornicatio actualis, v. g. ſit ordinariè cauſa vel occaſio cur affectus fornicandi ſit intenſior ſicut eſt oratio intenſior, dum additur genuflectio, manuum elevatio &c. quia, ut inquit Auguſtinus lib. de cura pro mortuis cap. 2. per illos corporis motus, cordis affectus augetur & creſcit, ſed quæritur, an extendat, ſeu an ſit alia bonitas aut malitia formalis actus exterioris, quàm interioris à quo imperatur. Exemplum nobis miniſtrat Tartaretus Scoti mentem explicans: *Volo*, inquit, *dare eleemoſynam pauperi propter Deum*, actus interior eſt *volo* exterior eſt *dare*: illud *volo* quod ſupponitur efficax, eſt bonum, & quæſtio eſt, utrum *dare* ſit bonum alia bonitate, quàm actus interior, qui eſt *volo*; & conſequenter an dans eleemoſynam de facto habeat duplicem bonitatem; & volens efficaciter dare, ſed impeditus, tantùm habeat unicam.

CONCLUSIO I.

ACtus exterior informatus interiori ultra malitiam, aut bonitatem formalem, quam recipit ab ipſo actu interno, habet aliam formalem diſtinctam & ſibi propriam, ita ut plus bonitatis habeat martyrium actuale, quam efficax martyrii voluntas, plus malitiæ fornicatio, quàm voluntas fornicandi. Ita DD. Seraphicus, Angelicus, & Subtilis 2. Diſt. 42. q. 4. §. *quantum ad* 2. & ex profeſſo Quodlib. 18. art. 12. quem ſequuntur omnes veri Scotiſtæ.

Prob. 1. Ex Auguſtino lib. 13. de Trinit. cap. 5. *Mala voluntate vel ſola quiſque miſer efficitur, ſed miſerior poteſtate, qua deſiderium malæ voluntatis impletur.* Cur autem miſerior efficeretur, ſi nullam malæ voluntati malitiam ſuperadderet actus externus? Si dicas ſuperaddere quidem, malitiam actus interni intendendo. modo anteà explicato, non tamen extendendo, non aſſequeris mentem D. Auguſtini, cùm ipſe loquatur univerſaliter, & tamen ſæpè ſæpiùs actus exterior non intendat interiorem, ut cùm peccant homines ex ſolo reſpectu humano, cùm pauper furatur ex mera neceſſitate, cùm virgo permittit uſuram ſui corporis ex metu gravis incommodi, aliàs nō permiſſura &c. tunc enim actum quem ab initio voluerunt cum magna diſplicentia, cum majori ſemper, ac maiori exequuntur: quod ſignum eſt voluntatis remiſſæ, non intenſæ.

Prob. 3. Ex D. Thoma 2. diſt. 40. q. 1. art. 3. *Actus exterior adjungit aliquid ad præmium accidentale*: ſed nihil meretur præmium, etiam accidentale, niſi quod bonum eſt & laudabile: ergo actus exterior, habet ſuam bonitatem & laudabilitatem; & ideo immediatè ante dixerat S. Doctor: *Ad præmium autem accidentale ordinatur per bonitatem quæ eſt ipſius actus exterioris ſecundùm ſe.*

Prob. 3. Ex D. Bonav. 2. d. 40. art. 2. q. 1. ubi etiam docet, actum bonum exteriorem mereri ſupra bonam intentionem & voluntatem, præmium accidentale, imo & eſſentiale de congruo: ergo ſupponit eſſe ſpecialiter bonum, cum non detur ſpeciale præmium niſi ſpeciali bonitati.

Prob. 4. Ratione Scoti ſup. Ubi eſt diverſa convenientia aut diſconvenientia cum recta ratione, ibi eſt diverſa bonitas aut malitia; ſed in actu exteriori informato ab interiori eſt *alia* convenientia aut diſconvenientia cum recta ratione, quàm ſit in actu interiori: ergo. Prob. Min. per largitionem eleemoſynæ juvatur proximus, per furtum læditur, per deſiderium autem illorum, nec jovatur, nec læditur; ſed illud quod de facto juvat aut lædit proximum, videtur habere aliam convenientiam, aut diſconvenientiam ad rectam rationem, quàm illud, quod non juvat, aut non lædit: ergo.

Nec dicas, coovènientiam illam aut diſconvenientiam tantum eſſe objectivam ſeu fundamentalem; nam cum actus exterior actualiter juvet aut lædat proximum, etiam ejus convenientia aut diſconvenientia actualis eſt, & conſequenter formalis.

Prob. 5. Si nullam malitiam formalem habet actus externus, diſtinctam à malitia actus interni, cur in Decalogo prohibentur diverſis præceptis adulterium, & deſiderium adulterii? Cur non dicitur tantùm: *Non concupiſces uxorem proximi tui* relinquēdo *non mœchaberis?* Ideo enim probibentur actus illi, quia mali ſunt: ſi ergo non ſit alia malitia in adulterio actuali, quàm in deſiderio adulterandi, ſuperfluum videtur ſextum præceptum: *Non mœchaberis*.

Dices, prohiberi adulteriom actuale, non quia diſtinctam habet malitiam à deſiderio adulterandi, ſed quia infert nocumentum proximo, quod non infert deſiderium.

Reſp. Inde confirmari concluſionem noſtram: nam ſi adulterium actuale noceat proximo, & non deſiderium, ſequitur habere aliam diſcoovenientiam ad rectam rationem, adeoque & aliam malitiam.

Digitized by Google

Prob 6. Ratione fundamentali: Non ideo actus internus ex objecto bonus aut malus habet bonitatem aut malitiam formalem, quia internus eſt, aut à voluntate procedens, ſed quia advertenter & liberè ponitur. ſed ordinatiè actus externus etiam advertenter & liberè ponitur; ergo. Prob. Min. quia ſicut volitio dandi eleemoſynam, v. g. procedit à voluntate illam cum indifferentia eliciente, ita datio ejuſdem à voluntate illam cum indifferentia imperante, & ſicut voluntas libera denominat actum interiorem liberum, quia liberè elicit, ita & externum denominat liberum, quia liberè imperat.

Si dicas, actum externum eſſe tantùm extrinſecè liberum; idem dicam de actu interno, cum libertas non ſit in actu voluntatis, ſed in voluntate, imò ſit ipſa voluntas.

Obji. 1. Varios Patres, qui voluntatem efficacem boni aut mali faciendi, v. g. eleemoſynæ dandæ, furti patrandi &c. reputant pro facto, ubi non poteſt executioni mandari, fundantque ſe in Script. Gen. 2. ubi voluntas Abrahæ filii immolandi, factum vocatur his verbis: *Quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo &c.*

Reſp. Scripturam & Patres tantùm velle voluntatem efficacem pro facto reputari quoad præmium aut ſupplicium eſſentiale, non tamen quoad accidentale; cùm certum ſit, Martyrem ſolo deſiderio non mereri aureolam, quam meretur realiter martyr, & ideo quando cantat Eccleſia de S. Martino: *Palmam tamen Martyrii non amiſit*, per palmam, inquit D. Bonaven. ſupra, non intelligit aureolam, quod eſt præmium accidentale, ſed auream, quod eſt præmium eſſentiale. Præterea ſi volens efficaciter recipere aliquod Sacramentum, aut lucrari indulgentias, non aſſequatur gratiam ex opere operato, aut fructum indulgentiarum, niſi ſequatur opus externum, quid mirum, ſi volens efficaciter dare eleemoſynam, ſed impeditus, privetur aliquo fructu accidentali?

Inſt. S. Lucia reſpondit Paſchaſio ipſam ad Lupanar trahere volenti: *Si invitam juſſeris violari, Caſtitas mihi duplicabitur ad coronam*: ergo per vim ſtuprata non perdit aureolam virginitatis, & conſequenter nec impeditus à martyrio efficaciter intento, perdit aureolam martyrii.

Reſp. Caſtitatem duplicandam eſſe ad coronam, non quia aureolam de facto recipiet, ſed quia ultra præmium eſſentiale, cuſtoditæ virginitati correſpondens, recipiet pro injuria patienter tolerata aliam coronam, aureolæ virginitati prævalentem.

Obji. 2. Non eſt alia libertas actus externi, ac interni: ergo nec alia bonitas aut malitia; cum hæ in libertate fundentur.

Reſp. Diſt. Ant. Non eſt alia libertas phyſica: C. quia poſito actu interno efficaci, neceſſario ſequitur externus: non eſt alia moralis, ſaltem inadæquatè: N. cùm enim hæc, ultra libertatem phyſicam, importet advertentiam ad bonitatem aut malitiam, ut antea diximus, & alia ſit advertentia, dum ponitur actus externus (volens enim furari, aut dare eleemoſynam, advertit ſe poſſe proximum lædere, aut juvare, illa autem exercens, advertit ſe de facto lædere aut juvare) ſequitur aliam eſſe libertatem moralem inadæquatè, quæ ſufficit ad multiplicandas moralitates, ut patet in furto rei ſacræ, quod propter advertentiam ad malitiam injuſtitiæ, & malitiam ſacrilegii, duplicem habet moralitatem, ſeu malitiam, licèt ſit unica libertas phyſica.

Obji. 3. Ex hac ſententia ſequitur furtum actuale v. g. eſſe duplex peccatum, cùm importet duas malitias, & duo ſubjecta, nempe actum interiorem & exteriorem, in quibus ſubjectantur, adeoque duo concreta.

Reſp. Licèt in rigore ſint duo peccata, unum propriè, aliud impropriè, ut dicemus poſteà, dicuntur tamen unum unitate integritatis, & in ordine ad Confeſſionem, eò quòd ſint ſibi invicem ſubordinata: nam actus externus dependet in ſuo eſſe ab interno, & internus ab externo tanquam objectu & complemento.

Obji. 4. Sicut urina eſt ſana; ita actus exterior bonus; ſed urina non eſt ſana alia ſanitate, quàm ſit in animali: ergo nec actus exterior bonus alia bonitate, quàm ſit in actu interiori.

Reſp. Neg. Ma. Quia urina tantum eſt ſana extrinſecè & figurativè, cùm ſit præcisè indicium ſanitatis; actus autem exterior, licèt ſit bonus extrinſecè, bonitate ſibi ab actu interno communicata, etiam bonus eſt extrinſecè propter convenientiam ad dictamen rectæ rationis ſibi propriam. Idem dic cum proportione de malitia.

Obji. 5. Si malitia aut peccatum eſſet in opere externo os, manus, intellectus &c. decernentur peccare, quod eſt contra communem loquendi uſum.

Reſp. Neg. Aſſumpt. Quia illud dicitur peccare, non quod habet malitiam, ſed quod cauſat malitiam in actu, jam autem cum manus, intellectus &c. non teneantur dare actibus ſuis rectitudinem, ſed voluntas tum ſuis, tum aliarum potentiarum actibus, eo quòd ſit earum domina, aliæ potentiæ dicuntur quidem actus ſuos cauſare; non tamen eorundem malitiam, & conſequenter nec peccare: undè cum ſola voluntas, imperando actum externum, cauſet ejuſdem malitiam, etiam ſola dicitur peccare, & indè habens in ordine ad peccatum aliquando aliud eſſe ſubjectum inhæſionis, aliud denominationis.

CONCLUSIO II.

PRobabilius eſt bonitatem aut malitiam actus externi nihil conferre ad præmium aut ſupplicium eſſentiale, ſed ſolum ad accidentale. Eſt D. Thomæ, & D. Bonav. ſupra, quibus non contrariatur Scotus.

Prob. 1. Authoritate D. Thomæ: *Actus exterior nihil adjungit ad præmium eſſentiale: tantùm enim meretur qui habet perfectam voluntatem aliquod bonum faciendi, quantum ſi faceret illud ... ad præmium autem accidentale, ordinatur per bonitatem, quæ eſt ipſius actus exterioris ſecundùm ſe.*

Prob. 2. Ratione Divi Bonav. quantitas præmii eſſentialis penſatur ex quantitate radicis, quæ eſt bona voluntas: ſed actus exterior ſecundùm ſe non auget bonam voluntatem: ergo nec præmium eſſentiale.

Declaratur magis hæc ratio: meretur quis in ordine ad præmium eſſentiale (quod eſt ſummi boni poſſeſſio) per amorem boni, ſaltem latè ſumptum, ſi alias conditiones habeat, & quantò magis augetur amor ille ſive intenſivè, ſive extenſivè, tantò magis augetur tale meritum, cùm autem actus internus merentis ſit quidam amor ſeu bona voluntas, & non actus externus, ille auget amorem, adeòque præmium eſſentiale, hic non. Similiter demeretur quis in ordine ad ſupplicium eſſentiale (quod eſt ſummi boni privatio, ac pœna ſenſus æterna in Inferno, vel temporalis in Purgatorio, niſi puniat Deus in hoc mundo) per malam voluntatem, quam auget (adeòque & ſupplicium eſſentiale) actus internus demerentis, cùm ſit etiam mala voluntas: quod cùm non competat actui externo, nec voluntatem auget, nec ſupplicium, niſi accidentale propter ſuam turpitudinem, ſicut actus exterior bonus auget præmium accidentale propter ſuam excellentiam & laudabilitatem: undè ut fatetur Boudart, Beati gaudebunt in cœlo, & damnati triſtabuntur in inferno, non tantùm de iis quæ facere voluerunt, & non potuerunt; ſed etiam de iis quę revera fecerunt externis: quod denotat bonitatem aut malitiam actui externo propriam, confirmatque priorem concluſionem.

Prob. 3. Ex Scoto, qui admittens Quodlib. 18. art. 12. Peccatum in actu exteriori, ſatis inſinuat eſſe impropriè dictum, adeòque nihil conferre ad ſupplicium eſſentiale, ad quod confert omne peccatum propriè dictum. Imò 2. diſt. 42. q. 4. n. 2. Loquens de peccato propriè ſumpto, dicit eſſe formaliter in actu voluntatis, in actibus autem aliarum potentiarum tantùm materialiter.

Confirmari poteſt noſtra concluſio ex dictis SS. Patrum, actum internum efficacem facto æquiparantium: undè S. Leo Serm. 4. de jejunio decimi menſis: *Æquatur plerumque merito, quod diſtat impendio; quia poteſt eſſe par animus, etiam ubi diſpar eſt cenſus*. Quod non eſſe verum, ſi actus exterior ad præmium aut ſupplicium eſſentiale conferret.

Objic. 1. Debet actus exterior malus in Confeſſione exprimi, ita ut non ſatisfaciat homicida dicens: habui voluntatem efficacem occidendi: ergo ſignum eſt eſſe peccatum propriè dictum, adeòque dignum ſupplicio eſſentiali.

Reſp. Eſſe exprimendum, non quia dignum ſupplicio eſſentiali, ſed quia ita voluit Chriſtus, eò quòd non rarò actibus externis foret annexa obligatio reſtitutionis, caſus reſervatio, ſcandalum, excommunicatio, irregularitas &c. quæ etſi noſſe poſſent doctiores, non tamen omnes; & ideo ne quis ſibi adularetur voluit, ut quilibet quodlibet peccatum confiteretur

Obi. 2. D. Bernardum Epiſt. 77. circa med. ubi ait, quòd ſi meritum fidei tantùm valeat ad juſtificationem ſine martyrio, ac cum eo, non tamen tantùm valet ad cumulum meriti.

Reſp. Vel loqui de merito præmii accidentalis, quod eſt aureola; vel, ſi præmii eſſentialis, tantùm velle cumulari meritum per accidens, in quantùm occaſione actus exterioris intenditur interior: cùm in eadem Epiſtola dicat, *Quod voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit neceſſitas.*

Obj. 3. Quod eſt contra legem, eſt peccatum propriè ſumptum, adeoque ſupplicio eſſentiali puniendum; ſed mœchia externa eſt contra ſextum Decalogi præceptum: ergo

Reſp. Diſt. Min. Mœchia externa eſt contra ſextum præceptum ſecundùm malitiam quam participat à mœchia interna, à qua informatur: C. ſecundùm malitiam propriam: Subdiſtinguo: principaliter: N. minùs principaliter: C. & ideo tantùm eſt ut ſic peccatum impropriè.

Obji. 4. Minùs demeretur in ordine ad ſupplicium eſſentiale, qui vult unico deſiderio vigeſies adulterari, quàm qui

toties

toties adulteratur : ſed contrarium accidit noſtra ſententia : ergo

Reſp. Etſi difficulter excuſaretur ille à viginti peccatis mortalibus, cùm velit viginti actiones mortales; minùs tamen peccat, etiam in noſtra ſententia, ſecundùm quam unus quidem actus internus efficax æquivalet uni actui externo, non tamen unus viginti externis; cùm in illis poſitis includerentur viginti actus interni; & ideo optans unico actu ſubire centies martyrium, aut exercere omnes actus humilitatis, patientiæ, mortificationis &c. quos tota vita exercuit S. P. Franciſcus, longè minùs mereretur, quàm ſi de facto illa omnia executioni mandarentur.

QUÆSTIO IX.

Quomodo ſe habeat objectum reſpectu actus moralis?

CUm actus moralis reſpicere poſſit tria, nempe objectum, finem extrinſecum, ſeu operantis, & circumſtantias, hic quærimus quid conferat objectum ad actum moralem?

ARTICULUS I.

An actus ſive internus, ſive externus, deſumat bonitatem, aut malitiam ab objecto?

CONCLUSIO I.

ACtus humanus internus deſumit bonitatem aut malitiam ab objecto prout ſubeſt intellectui ipſum in genere moris repræſentanti. Eſt communis.

Prob. 1. ex Script. Oſeæ 9. *Facti ſunt abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt.* Ex quibus verbis patet actuum humanorũ malitiam, ob quam ſit homo Deo abominabilis, derivari ab objectis malis, in quæ tendit, & quibus afficitur : unde Auguſtin. Epiſt. 52. ad Macedon. *Mores noſtri .... ex eo quod quiſque diligit, dijudicari ſolent.*

Prob. 2. In genere naturæ actus ſpecificantur ab objectis, ut habet axioma commune : ergo & in genere moris, cùm ſit par ratio; & conſequenter ſi objectum, in quod tendit actus, ſit bonum, actus erit bonus; ſi malum, malus.

Prob. 3. Motus ad terminum reſpicit ipſum veluti formam à qua determinatur ab eſſe talis vel talis ſpeciei : ſed actus eſt eſſentialiter tendentia in objectum : ergo ipſum reſpicit tanquam ſui ſpecificativum in eſſe boni aut mali, ſi in eo ſit bonitas, aut malitia: unde quia jejunium eſt bonum, & homicidium malum, volitio jejunandi eſt bona, & occidendi eſt mala.

Dixi in Concl. *Ab objecto prout ſubeſt intellectui*; quia poteſt objectum eſſe in ſe malum, & actus circa illud eſſe bonus, ſi objectum repræſentetur intellectui ut bonum, ſine ulla culpa operantis.

Objic. 1. Poteſt dari actus bonus circa objectum indifferens, ut volitio ambulandi honeſtæ recreationis cauſa : ergo actus non deſumit bonitatem aut malitiam ab objecto.

Reſp. Diſt. Conſeq. Non deſumit ſemper : C. non deſumit quando objectum bonum eſt, aut malum, in quo ſenſu intelligitur concluſio: N. Quando autem nulla ineſt objecto bonitas aut malitia, & actus bonus eſt aut malus, bonitatem aut malitiam deſumit à fine, aut circumſtantiis, quæ tunc induunt quodammodo rationem objecti.

Obj. 2. Volitio veſcendi carnibus in Quadrageſima eſt mala, & volitio ab illis tunc abſtinendi eſt bona : ſed prima non habet quòd ſit bona, & ſecunda quòd ſit mala, ex objecto, utpote indifferenti : ergo

Reſp. Diſt. Min. Non habet ex objecto nudè ſumpto : C. ab objecto ut priùs conſtituto in ratione temperantiæ aut intemperantiæ per legem præcipientem aut prohibentem : N.

Obj. 3. Amor proximi mali, eſt actus bonus; ſed proximus malus eſt objectum malum : ergo &c.

Reſp. Diſt. Maj. Amor proximi mali ut mali, eſt actus bonus: N. ut proximi præciſè : C. ſed ut ſic eſt objectum bonum.

Obj. 4. Objectum non habet bonitatem aut malitiam formalem : ergo nec illam dare poteſt actui.

Reſp. Diſt. Ant. Non habet formaliter : C. fundamentaliter: N quia natum eſt illam cauſare in actibus ſibi proportionatis: ſicut ſol licèt non ſit formaliter calidus : natus eſt tamen cauſare calorem in his inferioribus.

Obj. 5. Actus internus dat bonitatem actui externo : ergo non poteſt ab illo (licèt ſit objectum actus interni) bonitatem deſumere.

Reſp. Diſt. Ant. Dat bonitatem formalem ſeu actualem : C. objectivam : N. unde accipit actus internus bonitatem objectivam ab externo, & illi viciſſim formalem communicat, ut diximus anteà.

Objic. 6. Odium, aut contemptus Dei, eſt actus peſſimus: ſed illius objecto, nempe Deo, tantùm ineſt bonitas : ergo

Reſp. Objectum illius actus non eſſe Deum ſimpliciter, ſed Deum apprehenſum vel ut crudelem, vel ut injuſtum, vel ut improvidum &c. certum eſt autem in tali apprehenſione gravem ineſſe malitiam.

CONCLUSIO II.

ACtus externus deſumit etiam bonitatem aut malitiam ab objecto, ubi non eſt indifferens.

Ratio eſt; quia actus externus videtur eodem modo debere ſpecificari ab objecto in genere moris, quàm actus internus : unde quia occiſio nocentis facta authoritate publica, habet objectum bonum, illa occiſio eſt bona; è contra quia occiſio innocentis habet objectum malum, talis occiſio eſt mala : objectum enim primæ occiſionis eſt homo ut præceptus occidi; ſecundæ verò, eſt homo ut occidi prohibitus. Ex quo patet actum externum non ſemper deſumere bonitatem aut malitiam ex objecto nudè ſumpto, (nam eadem pecunia poteſt eſſe objectum Liberalitatis & Avaritiæ, dum cibus objectum Gulæ, & Temperantiæ, eadem mulier nupta objectum adulterii & actus conjugalis) ſed quandoque ex objecto prout ſubeſt legi præcipienti aut prohibenti, quæ cenſetur ſubintrare rationem objecti, quod, licèt de ſe indifferens, reddit actum externum bonum, aut malum: ſic pecunia redditur bona in ordine ad reſtitutionem ratione legis præcipientis, & mala in ordine ad furtum, ratione legis prohibentis.

Petes; an objectum eodem modo ſe habeat reſpectu ſimplicis complacentiæ, ac volitionis efficacis?

Reſp. Neg. Quia reſpectu ſimplicis complacentiæ tantùm habet rationem objecti; reſpectu autem volitionis efficacis, habet rationem & objecti, & effectus ponendi, ſi nihil obſtet; & ideo melior eſt, aut peior volitio efficax, quàm ſimplex complacentia circa idem objectum.

ARTICULUS II.

An eſſentialis & ſpecifica bonitas, aut malitia actus humani deſumatur ex objecto?

CUm bonitas & malitia ſint differentiæ eſſentiales actus moralis ut moralis, quæritur, an quando in actu concurrunt plures malitiæ aut bonitates, nempe una ex objecto, altera ex fine, alia ex circumſtantiis, an, inquam, bonitas *vel* malitia deſumpta ex objecto ſit prima & eſſentialis, alia autem nonniſi ſecundaria & accidentalis?

CONCLUSIO II.

BOnitas aut malitia deſumpta ex objecto eſt prima & eſſentialis. Ità D. Angelicus 1. 2. q. 18. a. 2. ubi poſtquam probaſſet bonitatem actus ex objecto eſſe primam & eſſentialem, ſubdit: *Primum malum in actionibus moralibus eſt, quod eſt ex objecto.* Cui conſonat cum ſuis & aliis communiter Doctor Subtilis Quodlib. 18. n. 6.

Prob. 1. Quod ſpecificat dat ſpecificato differentiam eſſentialem, ut patet de rationali reſpectu hominis & de aliis : ſed objectum ſpecificat actum, etiam in genere moris, ut Quæſt. præced. dictum eſt : ergo

Prob. 2. Quia ſi actus liberè procedens à voluntate abſtrahat ab objecto bono vel malo, non intelligitur determinatus ad bonitatem aut malitiam, ſed indifferens ad utramlibet : ſi autem feratur in objectum bonum, aut malum, ſtatim, ſecluſis quibuſcunque aliis, dicitur bonus vel malus : ergo primam bonitatem aut malitiam deſumit ab objecto, adeoque eſſentialem.

Objic. 1. Bonitas vel malitia deſumitur à convenientia vel diſconvenientia actus cum recta ratione, ut diximus anteà; ſed recta ratio diſtinguitur realiter ab objecto, cùm illa reſpectu actus habeat ſe ut principium, hoc ut terminus: ergo

Reſp. Diſt. Maj. Deſumitur à convenientia cum recta ratione præciſè : N. cum recta ratione objectum proponente : C. unde ſicut recta ratio non ſpecificat actum ratione ſui, ſed ratione objecti quod proponit; ità nec confert primam & eſſentialem bonitatem aut malitiam ratione ſui, ſed ratione objecti per ipſam propoſiti.

Objic. 2. Eſt priùs finis volitus, quàm objectum, cùm hoc velimus propter illum; ſed primò volitum dat primam volitioni bonitatem aut malitiam : ergo

Reſp. Diſt. Maj. Finis intrinſecus eſt priùs volitus, tranſeat.

Digitized by Google

eat. Dico *tranſeat*; quia finis ille eſt ipſummet objectum: finis intrinſecus, ſeu operantis, de quo hic agimus: N.

Obji. 3. Dum quis intendit furari ad ſe inebriandum, ebrietas dat primam malitiam intentioni: ſed ebrietas eſt tantùm finis extrinſecus, & non objectum: ergo

Reſp. Diſt. Min. Eſt tantùm finis extrinſecus reſpectu furti, quod aſſumitur ranquam medium ad ebrietatem: C. reſpectu intentionis furtum ad ebrietatem ordinantis: N. reſpectu enim illius eſt objectum quod primariò intenditur, & ad cujus aſſecutionem ſecundariò furtum, tanquam medium, eligitur.

CONCLUSIO II.

Bonitas aut malitia ex objecto deſumpta non eſt generica, ſed ſpecifica. Ita D. Thomas 1.2. q.18. art.2. cui non contradicit Scotus, ut videbimus infra.

Prob. 1. Eadem eſt bonitas aut malitia actus, dum nullæ ſunt circumſtantiæ, ac quando ſunt; quandoquidem idem reperiatur objectum omninò in ratione objecti invariatum; ſed quando nullæ ſunt circumſtanriæ, bonitas aut malitia actus ex objecto eſt ſpecifica & non generica, ut fatentur Adverſarii: ergo & quando ſunt circumſtantiæ, quæ tantùm conferunt bonitatem aut malitiam accidentalem, & non ſpecificam jam conſtitutam.

Prob. 2. Quia, ut ſupra dictum eſt, actus ſumit ſpeciem, & non genus, ab objecto: ergo ab eodem ſumit bonitatem aut malitiam, non genericam, ſed ſpecificam.

Dices 1. Scotus pluribi vocat bonitatem ex objecto, genericam, & ex circumſtantiis, ſpecificam: ergo

Reſp. Diſt. Ant. Vocat genericam propriè: N. impropriè: C. & eodem modo vocat bonitatem ex circumſtantiis, ſpecificam: unde tantùm vult eſſe genericam per quamdam ſimilitudinem: ſicut enim genus eſt ulteriùs contrahibile per differentias ſpecificas & eſſentiales; ità bonitas ex objecto eſt ulteriùs contrahibilis per differentias accidentales, ſeu per bonitates aut malitias ex circumſtantiis provenientes. Sumit ergo genus pro quodam potentiali, ſeu ulteriùs contrahibili per differentias ſive eſſentiales, ſive accidentales: quo ſenſu homo dici poteſt genus reſpectu hominis albi & nigri. Hanc autem eſſe Scoti mentem patet ex 2. diſt.7. n.11. ubi ait: *Hæc eſt prima bonitas moralis* (nempe ex objecto) *quæ ideo dici poteſt ex genere, quia eſt quaſi materialis reſpectu omnis boni ulterioris in genere moris; nam actus tranſiens ſuper objectum eſt quaſi formabilis per quamcumque aliam circumſtantiam moralem: & ita quaſi potentialis* &c. ubi ly *quaſi* tertio repetitum ſatis denotat quid velit.

Dices 2. Bonitas ex circumſtantiis eſt ſpecifica, dum nullum habet objectum: ergo & quando habet; cùm eodem modo proponatur circumſtantia.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd bonitas primo caſu conſtituat primario actum in eſſe boni: in ſecundo autem præſupponat conſtitutum, ipſique adveniat conſtituto, & ideò ſit accidentalis.

Dices 3. Hi actus: *volo ſervare omnia præcepta*, *volo honeſtè vivere*, ſunt ſingulares ſecundùm ſe, & tamen non poſſunt deſumere bonitatem ab objecto, niſi genericam, cùm ad nullam ſpeciem ſit determinatum: ergo

Reſp. Licèt objectum materiale iſtorum actuum ſit præceptum, aut honeſtum univerſaliter ſumptum, ſeu prout comprehendit quodlibet præceptum aut honeſtum in particulari, formale tamen, ſeu ratio ſub qua attingitur materiale, eſt honeſtas ut ſic, prout abſtrahit ab hac & illa honeſtate particulari, quæ cùm ut ſic habeat ſpecialem eſſentiam per quam diſtinguitur à quibuslibet aliis, etiam ſpecialem communicat actui bonitatem.

ARTICULUS III.

Qualiter actus humanus debeat ferri in bonitatem aut malitiam objecti, ut ſit bonus, vel malus?

CONCLUSIO I.

Ut actus ſit formaliter bonus, debet, ſaltem confuſè & in actu exercito, ferri in bonitatem objecti propter ipſammet tanquam rationem formalem: unde ſi quis reddat alteri quod ſuum eſt ex ſolo metu, facit quidem actum objectivè bonum & honeſtum, non tamen moraliter bonum eò quòd non agat propter ipſam honeſtatem.

Prob. 1. Ex SS. Patribus: Auguſtino in Præf. ad P. 35. *Non valdè attendas quid homo faciat, ſed quid cum facit aſpiciat.* Anſelmo lib. de lib. arb. c.3. ubi docet; *juſtitiam eſſe rectitudinem voluntatis propter ſe ſervatam.* Bernardo Ser. 40. in Cant. ubi poſtquam dixi: *Duo quidam intentione .... neceſſaria requiruntur: res & cauſa, id eſt, quid intendas, & propter quid*, docet utrumque debere eſſe honeſtum.

Prob. 2. Authoritate D. Thomæ 1.2. q.19. art.7. ad 3. *Ad hoc quòd ſit voluntas bona*, inquit, *requiritur, quòd ſit bona ſub ratione boni.*

Prob. 3. Ex Philoſopho 2. Ethic. 4. ubi requirit ad honeſtam actionem, *ut quis agat ſciens & eligens propter ipſa*, id eſt propter honeſtatem virtutis. Et lib. 4. cap 2. docet commune eſſe omnibus virtutibus, ut earum actus fiant honeſtatis cauſa. Denique lib 6. c.12. dicit aliquos agere juſta, & tamen non juſtè, quia non propter ipſa.

Prob. 4. Ratione: quando amatur honeſtas propter aliud, non tam amatur ipſa honeſtas, quàm aliud ad quod ordinatur: ſic qui vult exercere juſtam mercaturam propter lucrum, non tam amat juſtitiam, quàm lucrum; quod inde patet, quia niſi lucrum ſperaret, mercaturam non exercet. ergo licèt talis velit recta non tamen rectè, & conſequenter, actus ejus non eſt moraliter bonus.

Prob. 5. Motivum voluntatis proſequentis eſt bonitas vel honeſta, vel delectabilis: atqui actus non poteſt dici moraliter bonus, ſeu honeſtus à bonitate delectabilitatis: ergo à bonitate honeſtatis.

Dixi in Concl. *Saltem confuſè & in actu exercito*: quia non requiritur quòd quis in actu ſignato & formaliter dicat: volo jejunare quia honeſtum eſt, ſed ſufficit quòd velit rem honeſtam ſub ea ratione; qua eſt honeſtè amabilis, v. g. jejunium, quia mortificat corpus, eleemoſynam, quia ſublevat pauperes, amorem Dei, quia bonus eſt &c. licèt non cogitet reflexè de honeſtate. Et certè, ſi ad honeſtè operandum ſemper requireretur illa cogitatio reflexa, pauci actus circa objectum bonum eſſent boni, præſertim dum exercerentur ab idiotis & rudibus, qui, dum operantur, ad illas formalitates non reflectunt.

Obj. 1. Jejunium etſi non appetatur propter honeſtatem; eſt conforme rectæ rationi: ergo, & moraliter bonum.

Reſp. Neg. Ant. Quia recta ratio non tantum dictat honeſtum eſſe appetendum, ſed etiam honeſtè; aliàs jejunans ut parceret ſumptibus, vel propter alium finem indifferentem, faceret actum bonum, quod nemo dixerit.

Obj. 2. Ut actus ſit bonus, non debet directè intendi finis ultimus: ergo nec honeſtas.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd honeſtas ſit objectum proximum actus honeſti, finis ultimus autem, nonniſi remotum. Præterea, ſi in omni actu bono deberet expreſsè intendi finis ultimus, omnis actus bonus deberet eſſe actus Charitatis in Deum; ut per ſe patet: ſufficit ergo; quod virtualiter intendatur, ſeu quod actus non veſtiatur aliqua circumſtantia fini ultimo repugnante.

Objic. 3. Ut ponatur actus malus, non debet directè intendi malitia: ergo nec bonitas, ut ponatur bonus.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd malitia non tantùm non ſit appetenda, ſed etiam vitanda; non vitatur autem, ubi etiam tantùm interpretativè intenditur: honeſtas autem, cum ſit per ſe appetibilis, etiam propter ſe eſt appetenda, ubi elicitur actus honeſtus.

CONCLUSIO II.

Ut actus ſit moraliter malus, non requiritur quòd ipſa malitia objecti ſit directè volita & intenta, ſed ſufficit, quòd ſit cognita & volita interpretativè.

Ratio eſt, quia ſi requireretur volitio directa ipſius malitiæ, vix ullus peccaret; cùm ferè omnes peccando vellent abeſſe malitiam ab actu, quem propter delectabilitatem exercent: unde ſufficit ad actum malum, quòd voluntas feratur cum aliqua advertentia in objectum parvum, eo ipſo enim cenſetur velle concomitanter & interpretativè malitiam ipſi adjunctam: licet diſpliceat inefficaciter. Ex dictis

Reſol. Quòd ut actus aliquis habeat plures malitias, v. g. actus venereus malitiam Fornicationis, Inceſtus, Adulterii &c. ſufficiat, quòd voluntas feratur in objectum, in quo cognoſcit multiplicem malitiam: ut autem actus habeat plures bonitates, v. g. jejuuium, bonum Temperantiæ. Religionis, Pœnitentiæ &c. requiritur, quòd ipſæ bonitates ſint volitæ & intentæ propter ſemetipſas, modo anteà explicato.

QUÆSTIO X.

An, & quomodo actus humani ſint boni aut mali ex circumſtantiis.

Ad faciliorem huius quæſtionis intelligentiam & reſolutionem, convenit quædam præmittere, & ideo illam in varios articulos ſecabimus.

ARTI-

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex circumſtantia actus humani?

CONCLUSIO I.

PEr Circumſtantiam, quam Græci Periſtaſim vocant, intelligimus hic illud quod afficit actum humanum in ſuo eſſe ſpecifico morali conſtitutum, aliquid tamen ad ejus bonitatem aut malitiam conſerens.

Dixi 1. ***Quod afficit actum humanum in ſuo eſſe ſpecifico morali conſtitutum***: quia non tribuit actui humano primam ſpeciem, adeoque nec primam bonitatem aut malitiam: Sic abſtinentia à carnibus & unica refectio non ſunt circumſtantiæ reſpectu jejunii Eccleſiaſtici; quia primariò conſtituunt jejunium in ſuo eſſe ſpecifico morali, eique dant primam bonitatem ſpecificam, quandoquidem, illis ſeclusis, non ſtaret jejunium Eccleſiaſticum: quòd autem manducet quis nudum panem, & bibat aquam, eſt circumſtantia reſpectu illius, quia licèt comederet piſces & biberet vinum, adhuc eſſet actus bonus in ratione jejunii. Similiter quia res aliena conſtituit furtum in eſſe ſpecifico furti, & talis vel talis quantitas accidit furto conſtituto, quantitas eſt circumſtantia, non res aliena.

Fatendum tamen eſt, id, quod eſt circumſtantia reſpectu actus ſecundùm unam rationem conſiderati, poſſe eſſe eſſentiale reſpectu ejuſdem ſecundum alteram rationem ſpectati: Sic res ſacra, quæ eſt circumſtantia reſpectu furti præciſè, eſt quid eſſentiale illius, quatenus ſacrilegium eſt. Et idem dicendum eſt de aliis circumſtantiis ſpeciem mutantibus: Ex quibus patet, quòd licèt in genere naturæ una ſpecies non accidat alteri, illud tamen fiat in genere moris: nam in caſu furti rei ſacræ, ſacrilegium, quòd habet malitiam ſpecificam, accidit furto, quod habet malitiam ſpecie diſtinctam.

Advertendum hic, quòd etſi intenſio & duratio actus interni ſint de ſubſtantia actus in individuo ſpectati, ſicut & quantitas reſpectu hujus furti, ſunt tamen veræ circumſtantiæ; quia ſufficit ad hoc, quòd ſint extra eſſentiam ſpecificam actus, licèt ſint de ſubſtantia illius quatenus individuati.

Dixi 2. ***Aliquid ad ejus bonitatem, aut malitiam conferens***; quia ſi nihil conferat, non erit circumſtantia: undè quòd fornicatio facta fuerit manè aut veſperi, pollutio in lecto vel extra; furtum manu vel inſtrumento, homicidium gladio vel ſclopeto, eleemoſyna Petro vel Paulo, non eſt circumſtantia; quia illa omnia impertinenter ſe habent ad malitiam, aut bonitatem moralem.

CONCLUSIO II.

DIviditur circumſtantia in aggravantem & mutantem ſpeciem, de quibus poſtea. Item in formalem & objectivam. Formalis eſt, quæ ſe tenet ex parte actus, ut ſunt intenſio, remiſſio, duratio ipſius actus, major vel minor libertas, facilitas vel difficultas in operando &c. Objectiva eſt, quæ ſe tenet ex parte objecti, ut major vel minor quantitas eleemoſynæ, major vel minor indigentia ſubjecti, circumſtantia loci, temporis, perſonæ &c.

CONCLUSIO III.

SEptem aſſignantur ab Authoribus circumſtantiæ hoc verſu expreſſæ, quibus poteſt bonitas, aut malitia actus vel augeri, vel novam ſpeciem recipere.

Quis, Quid, Ubi, Quibus Auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

Circumſtantia *Quis* non denotat perſonam operantem, ſine qua non poteſt eſſe actus, ſed perſonæ operantis conditionem, v. g. quòd ſit publica vel privata: Religioſa vel ſæcularis: conjugata vel ſoluta: conſanguinea vel affinis. Ad hanc circumſtantiam reducunt aliqui pravam operantis conſuetudinem, quæ tamen nihil confert ad bonitatem aut malitiam operis, ſed benè ut colligere poſſit Confeſſarius, an pœnitens ſit in occaſione proxima vel remota; an habeat verum dolorem & propoſitum, necnè, an ſit ei deneganda, aut differenda abſolutio.

Circumſtantia *Quid*, non ſignificat objectum ſubſtantiale, v. g. rem alienam in furto, rem propriam in eleemoſyna; ſed objecti quantitatem, qualitatem, aut effectum ſecundarium annexum primario. Ad *quantitatem* pertinet, quòd quis det magnam aut tenuem eleemoſynam, quòd parum aut multùm noceat proximo, ſive in fama, ſive in corpore, ſive in bonis fortunæ. Ad *qualitatem*, quòd perſona occiſa, aut percuſſa ſit Pater aut Mater, Sacerdos aut Religioſus. Ad *effectum ſecundarium*, quòd ex homicidio ſequatur paupertas uxoris aut prolium occiſi; ex Adulterio, rixæ &c.

Circumſtantia *Ubi*, denotat locum aliquid conferentem ad bonitatem aut malitiam actus ſecundariam, ut locus ſacer reſpectu furti, homicidii, fornicationis &c. Dico *ſecundariam*; quia ubi tribuit primariam, ut facit locus profanus reſpectu celebrationis Miſſæ, locus ſacer reſpectu judiciorum forenſium, non eſt circumſtantia, ſed primarium ſpecificativum.

Dixi etiam *Aliquid conferentem* &c. quia ubi locus nihil facit ad conſiderationem moralem; ut, quòd eleemoſyna detur in foro aut in templo, quòd adulterium committatur in cubiculo aut granario, non eſt circumſtantia moralis.

Circumſtantia *Quibus Auxiliis*, ſignificat inſtrumenta; ſeu media, ſicut & adjutores, quibus quis utitur in ordine ad finem; ut, ſi Nobilem fuſte percutias, ſi occidas per ſicarios, ſi utaris ope dæmonis ad furandum, fornicandum &c.

Circumſtantia *Cur*, denotat finem extrinſecum operantis; ut ſi quis furetur ad ſe inebriandum.

Dico: *Extrinſecum*; quia intrinſecus habet rationem objecti, adeòque primariò ſpecificavi.

Circumſtantia *Quomodo*, ſignificat modum operationis; ut, quòd quis ex vehementi paſſione aut ex malitia ſe polluerit, vi aut dolo Puellam perverterit, clam vel palam furtum commiſerit, intenſè vel remiſsè proximum amaverit, vel oderit.

Circumſtantia *Quando*, denotat tempus, quo actio perpetrata eſt; ut, ſi in die Dominico, Feſto, Communionis &c. Quandoque (rarò tamen) confert malitiam notabilem & in Confeſſione exprimendam: ut, ſi ludi aut Comediæ Baccanales exercerentur in die Paraſceves; ſi quis ab Altari ad lupanar fornicaturus properaret, quibus annumerari debent conſimilia. Sub hac circumſtantia comprehenditur etiam temporis duratio, ſeu quòd actus diu aut parum duraverit.

Adverte, non incongruè hic omitti particulam *Quoties*; cùm non tam ſit circumſtantia actus, quàm multiplicatio ejuſdem.

ARTICULUS II.

Reſolvitur Quæſtio.

CONCLUSIO I.

ACtus humanus ſive internus, ſive externus, *deſumit* bonitatem aut malitiam ex circumſtantiis. Eſt *communis*.

Prob. 1. Ex Script. Luc. 21. ubi eleemoſyna duorum minutorum facta à perſona paupere & vidua, præfertur magnis divitum eleemoſynis: quod idem videtur dicendum de ejuſdem deſiderio efficaci.

Prob. 2. Ex Trid. Seſſ. 14. cap 5. ubi docet, circumſt*antias* mutantes ſpeciem eſſe clavibus ſubjiciendas, quia non poſſunt peccata ſine illis ſufficienter exprimi; atqui ſi actus humanus non deſumeret malitiam ex circumſtantiis, poſſent peccata ſine illis ſufficienter exprimi, cùm non plus haberent malitiæ cum illis, ac ſine illis; ergo &c. Quòd autem etiam agat Concilium de circumſtantiis actuum internorum, indè patet, quòd ibi velit declaranda eſſe in Confeſſione cum ſuis circumſtantiis peccata etiam maximè occulta, adeòque ſupponit, etiam peccatis internis ineſſe aliquas circumſtantias, à quibus deſumunt malitiam.

Prob. 3. Ratione: ſunt actus alii aliis meliores aut pejores, licèt idem habeant objectum, eumdemque finem tum intrinſecum, tum extrinſecum: ergo neceſſe eſt, ut aliquid bonitatis aut malitiæ deſumant ex circumſtantiis, cùm non poſſint aliundè habere. Prob Ant. quia furatus pataconem in Templo ad ſublevamen inopiæ, magis peccavit, quàm qui tantumdem furatus eſt ob eundem finem in loco profano; cùm, ultra furtum, incurrat ſacrilegium: è contra melius agit dans aureum pauperi Sacerdoti ex compaſſione, quàm dans tantumdem pauperi laico ex eodem motivo; cùm primo actui inſit bonitas Religionis, non ſecundo.

Obj. 1. Vel circumſtantia eſt volita, vel non: ſi non, nullam dare poteſt bonitatem aut malitiam actui: ſi ſic, induit rationem objecti; adeòque confert ipſi primam bonitatem aut malitiam.

Reſp. Quòd etſi omne volitum poſſit dici voluntatis objectum latè loquendo, non tamen ſtrictè: objectum enim ſtrictè ſumptum dicitur id quod primò & per ſe objicitur actui, & ab eo attingitur, non autem quod tantùm ſecundariò, concomitanter, & per modum acceſſorii, quales ſunt circumſtantiæ: & certè furans in Templo, quid primariò reſpicit, an rem, an locum? Remiandè; cùm ab hac, non ab illo, moveatur: & ideo nonniſi malitiam ſecundariam confert locus.

Inſt. Cùm quis furatur rem Sacram, putà calicem, objectum & circumſtantiam ſimul reſpicit: ergo ab utroque ſpecificatur æquè primò.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Diſt. Ant. Simul reſpicit phyſicè: C. moraliter: N. quia cùm morali conſideratione prius ſit furtum eſſe conſtitutum in ratione furti, quàm in ratione furti ſacrilegi, etiam cenſetur moraliter prius reſpici.

Obji. 2. Sæpe circumſtantia eſt actioni humanæ extrinſeca, ut locus, tempus &c. ergo nequit illi dare bonitatem aut malitiam intrinſecam.

Reſp. 1. Retorquendo argumentum de objecto, quod ſemper eſt actui extrinſecum, & tamen confert ipſi intrinſecam bonitatem aut malitiam.

Reſp. 2. Neg. Conſeq. Quia circumſtantia, ſicut & objectum, non conferunt actui bonitatem aut malitiam ipſum informando, ſed ipſum terminando.

Obji. 3. Nihil dat actui bonitatem aut malitiam, niſi ſit volitum: ſed aliquæ circumſtantiæ, ut intenſio & remiſſio actus, non ſunt volitæ: ergo

Reſp. Diſt. Min. Non ſunt volitæ formaliter & in actu ſignato: C. virtualiter & in actu exercito: N. Non dicit quidem ordinariè, operans: volo intenſionem: volo remiſſionem actus; nihilominus ipſum intendendo aut remittendo, exercitè vult ipſum intendi aut remitti, ſicut qui amat, exercitè vult amate, qui vult, exercitè vult velle, undè ſunt volitæ ſicut ipſemet actus voluntatis non imperatus.

Inſt. Tales circumſtantiæ non ſunt cognitæ: ergo nullo modo volitæ, quia nihil volitum, niſi cognitum. Prob. Ant. Quia nullus cognoſcit quot habeat gradus actus quem elicit.

Reſp. Diſt Ant. Non ſunt cognitæ præciſè quoad numerum graduum intenſionis aut remiſſionis: C. quoad magnitudinem vel parvitatem in communi: N. poteſt enim quis ſcire & advertere, quòd actus ſuus fiat cum magno aut parvo fervore, licèt neſciat ad quot gradus intendatur actus.

CONCLUSIO II.

ALiquæ circumſtantiæ augent bonitatem aut malitiam, non addendo ipſi actui novam ſpeciem bonitatis aut malitiæ, ſed tantùm priorem in eadem ſpecie augendo.

Ratio eſt; Quia poteſt fieri, quòd bonitas aut malitia circumſtantiæ actui moraliter ſupervenientis pertineat ad eamdem ſpecie virtutem, aut vitium, ad quam, aut ad quod pertinet bonitas aut malitia objecti; ut patet in furto, & in eleemoſyna, in quibus, cùm quantitas non differat ſpecie ab objecto, eamdem ſpecie virtutem aut vitium conſtituant, neceſſe eſt; & ſic augmentum bonitatis, aut malitiæ, quod addit tunc circumſtantia, eſt ejuſdem ſpeciei cum priori.

CONCLUSIO III.

EX certis circumſtantiis deſumitur bonitas aut malitia ſpecie diſtincta ab ea, quæ deſumitur ex objecto. Eſt certa & communis.

Ratio eſt; quia unde deſumuntur diverſæ ſpecie virtutes aut vitia, inde deſumantur diverſæ ſpecie bonitates aut malitiæ, neceſſe eſt; ut per ſe patet: ſed ex objecto & circumſtantia deſumuntur quandoque diverſæ ſpecie virtutes aut vitia: ergo *Prob.* Min. quia ſi quis velit jejunare ex voto, actus ejus pertinebit ad virtutem Temperantiæ ratione objecti, & ad virtutem Religionis ratione circumſtantiæ voti. Similiter, ſi quis percutiat Patrem aut Matrem committet peccatum injuſtitiæ ratione objecti, & peccatum Pietati oppoſitum ratione circumſtantiæ, ſeu conditionis perſonæ percuſſæ. Prætereà ex Tridentino ſuprà circumſtantiæ peccati mutantes ſunt in Confeſſione aperiendæ: ergo ſupponit tales dari.

ARTICULUS III.

Quædam notatu digna de circumſtantia ſpeciem mutante, aggravante & minuente.

CUm dixerimus Articulo præcedenti quaſdam circumſtantias ſpeciem mutare, quaſdam eamdem ſpeciem tantùm aggravare, neceſſarium eſt cognoſcere, quid ſit circumſtantia ſpeciem mutans, quid tantùm aggravans, imò & quid minuens.

CONCLUSIO I.

CIrcumſtantia ſpeciem mutans, eſt illa, quæ importat novam & ſpecialem convenientiam, aut diſconvenientiam actus cum recta ratione. Ex variis autem capitibus deſumi poteſt illa convenientia aut diſconvenientia.

1. Si actui ex objecto indifferenti præfigatur bonus aut malus finis, ut, ſi quis ambulet ad pervertendam puellam, aut piæ peregrinationis cauſa: prima enim circumſtantia dat actui ſpecificam malitiam, & ſecunda ſpecificam bonitatem.

2. Si actus ex objecto bonus vitietur circumſtantia mala, ut ſi quis jejunet ex Avaritia; tunc enim circumſtantia impedit actus bonitatem, ipſique confert primam malitiam, adeòque ſpecificam.

3. Quando circumſtantia conſtituit actum bonum in alia ſpecie virtutis, aut malum in alia ſpecie vitii: unde quia jejunium, quod ex objecto pertinet ad Temperantiam, ſuſceptum ad punitionem peccatorum, etiam pertinet ad Pœnitentiam, circumſtantia addit novam ſpecie bonitatem; è contra, quia ſimplex fornicatio pertinet ad luxuriam, & facta cum Moniali, ad ſacrilegium, circumſtantia addit novam ſpecie malitiam.

4. Quando actus ratione circumſtantiæ pertinet quidem ad eamdem virtutem, aut ad idem vitium, ad quam, vel ad quod pertinet ratione objecti, ſed modo notabiliter diverſo; & ideo, ſi quis ſit avarus pauperibus, ut ſit prodigus in meretrices, incurrit duplex ſpecie peccatum; nam licèt Avaritia & Prodigalitas eidem liberalitati opponantur, quia tamen Avaritia opponitur per defectum & Prodigalitas per exceſſum, qui ſunt modi notabiliter diverſi; Prodigalitas addit novam ſpecie malitiam: ſicut votum addit, propter eamdem rationem, novam ſpecie bonitatem auditioni Miſſæ; licèt utrumque pertineat ad Religionem.

5. Si actus & circumſtantia opponantur quidem eidem virtuti, aut vitio, ſed unum contrariè, & aliud privativè; & ideo reus eſt duplicis ſpecie peccati, qui non vult ſervare Caſtitatem ex odio Caſtitatis, ſicut & ille qui non vult amare Deum ex odio Dei. Imo idem accidit quando quis fornicatur v. g. ex odio Caſtitatis; quia etſi fornicatio & odium Caſtitatis opponantur contrariè Caſtitati, modo tamen notabiliter diverſo.

6. Quando circumſtantia facit, ut peccatum veniale ſit mortale, aut è contra; quia etſi plerumque non differant phyſicè, niſi ſecundùm plus & minus differant tamen ſpecie morali.

CONCLUSIO II.

CIrcumſtantia aggravans eſt illa, quæ tantùm auget priorem bonitatem aut malitiam in eadem ſpecie, ſeu non addendo ipſi ſpecie diſtinctam; ut, major quantitas in eleemoſyna, & furto: duratio, vel intenſio in actu. Eſt autem duplex, nempe notabiliter, & leviter aggravans. Notabiliter aggravat, vel dum circumſtantia ab actu ſeparata, eſt de ſe ſufficiens ad mortale, ut, ſi quis ultra 24. aſſes, qui ſufficiunt ad mortale, ſurripiat alios 24. aut plures; vel dum actio excedit graviter modum operandi ordinarium, vel intenſione, vel in duratione, vel in executione. Leviter autem aggravat, quando neutrum aſſignatorum occurrit.

CONCLUSIO III.

CIrcumſtantia minuens eſt illa, quæ impedit quominùs actio habeat tantam bonitatem aut malitiam, quantam haberet illa ſecluſa, ut dum quis peccat ex metu, ex ſemi-advertentia &c. Item dum quis bene agit, ſed cum aliquo torpore. Item circumſtantia minuens eſt, dum actus vix durat, aut vix intenditur.

Dices: Vel hæ circumſtantiæ addunt aliquam bonitatem aut malitiam actui ſimpliciter conſiderato, vel nullam: ſi nullam, non ſunt circumſtantiæ: ſi aliquam, non ſunt minuentes, ſed aggravantes.

Reſp. Augere quidem bonitatem aut malitiam deſumptam ex objecto, ſed ità leviter, ut actus non habeat tantam, quantam ordinariè habet in ſimilibus caſibus; & ideo non dicuntur minuentes ratione bonitatis aut malitiæ deſumptæ ex objecto, ſed ratione ejus quæ ſolet ineſſe.

ARTICULUS IV.

Qualiter ſingulæ ſeptem circumſtantiæ prius aſſignatæ conferant actui bonitatem, aut malitiam?

CONCLUSIO I.

CIrcumſtantia *Quis* frequenter ſpeciem mutat, aliquando notabiliter aggravat, ſed non ità ſæpè.

Prob. 1. Pars: quia ſi ſuperior peccet publicè, ſæpiùs illius peccato erit annexum ſcandalum, quàm peccato perſonæ privatæ. Item qui vovit Caſtitatem, reus erit Luxuriæ & Sacrilegii, ſi affectu vel effectu illam læſerit. Similiter ultra Charitatem violabit Juſtitiam, qui permiſerit furta, homicidia &c. quæ tenebatur ex officio impedire.

Prob. 2. pars; quia licèt gradus conſanguinitatis nec inter ſe, nec à gradibus affinitatis differant ſpecie, ut ex D. Thom. 2. 2.

q. 154.

q 154. ar: 9. ad 2. docuimus Tract. in Decal. Diſp. 2. q. 3. notabiliùs tamen peccat, teneturque Circumſtantiam in Confeſſione exprimere, qui potiùs copulatur Matri quàm ſorori; ſorori quàm cognatæ. Itẽ qui potiùs novercæ quàm ſorori uxoris &c. è contra major eſt notabiliter humilitas Regis oſculantis pedes ruſtici, quàm ruſtici oſculantis pedes Regis.

Prob. 3. pars; quia reſpectu orationis, jejunii &c. ſicut reſpectu mendacii, furti &c. non videtur qualitas perſonæ, v.g quòd quis ſit Rex, Epiſcopus, Prælatus, Religioſus, &c. notabiliter conferre; ſi nempe nullum ſequatur ſcandalum; quamvis ratione majoris cognitionis aut ingratitudinis aliquid conferatur: unde S. Iſidorus lib 2. Sentent. cap. 18. *Peccata*, inquit, *quæ incipientibus levia ſunt, perfectis viris gravia reputantur*, id eſt graviora; non tamen ita, ut ſemper debeat qualitas perſonæ perfectioris, aut dignioris in Confeſſione exprimi.

CONCLUSIO II.

Circumſtantia *Quid*, (quæ etiam aliquando *circa quid* vocatur, quia importat quantitatem & qualitatem materiæ, ſicut & qualitatem perſonæ, circa quam opus exercetur) mutat aliquando ſpeciem, aliquando aggravat.

Prob. 1. pars; quia ſi Patrem aut Matrem quis percutiat, occidat, injuriis, maledictionibus, derractionibus &c. afficiat, irrideat, ſubſanner, peccat ſpecialiter contra Pietatem ratione perſonæ circa quam verſatur. Item ſi cognoſcat carnaliter Deo dicatam, uxoratam, aut conſanguineam, ultrà fornicationem, reus eſt Sacrilegii in primo caſu, Adulterii in ſecũdo, Inceſtus in tertio. Si autem quis dat eleemoſynam Religioſo pauperi ex motivo Religionis, motivum ſuperaddit bonitati Miſericordiæ, bonitatem Religionis.

Prob. 2. pars; quia contumeliæ, quibus afficitur proximus, non differunt inter ſe ſpecie, ubi nullam includunt detractionem, & tamen dantur aliæ aliis majores. Item per reſpectum ad perſonam, cui obſequium impenditur, major eſt humilitas lavantis pedes pauperis leproſi, quàm nobilis bene habentis.

CONCLUSIO III.

Circumſtantia *Ubi* luterdum ſpeciem aggravat, ſæpiùs mutat.

Prob. 1. pars; quia pejor eſt actio occidentis hominem in domo propria, quàm in platea.

Prob. 2 pars; quia effuſio ſanguinis aut ſeminis in loco ſacro, ſicut & voluntas effundendi ibidem, ultra malitiam ſibi propriam, contrahunt malitiam Sacrilegii: ſicut & furtum rei ſacræ, aut non ſacræ, modò ſit in loco ſacro velut ſub illius poteſtate ratione cuſtodiæ, pignoris, commodati, aut depoſiti; quia cap *Quiſquis* 17. q. 4. Sacrilegium committi dicitur, dum aufertur ſacrum de ſacro, vel ſacrum de non ſacro, vel non ſacrum de ſacro.

Sed, quid dicendum de aliis peccatis, quæ nec locum ſacrum polluunt, nec ibidem ab Eccleſia fieri prohibentur?

Reſpondet noſter Poncius diſt. 84. n. 84. annexum eſſe omnibus peccatis mortalibus mortale, & venialibus veniale, ſi in Eccleſia committantur, idque ex jure naturæ prohibente ne quis utatur domo Dei ad offendendum ipſum Deum. Alii autem volunt tactus valde impudicos eſſe graviter Sacrilegos, ſicut & percuſſionem gravem ſine ſanguinis effuſione, non tamen alia peccata.

Nos verò ſententiæ communi adhærentes credimus nullum peccatum (ſi ſaltem Blaſphemiam, Perjurium, & Idololatriam exceperis) eſſe moraliter ſacrilegum, niſi ſpecialiter ab Eccleſia prohibeatur in loco ſacro fieri, adeoque nec detractiones, nec cogitationes venereas, nec turpiloquium, nec voluntatem extra locum ſacrum ſe polluendi &c. eſſe ſacrilegia mortalia: & certè ſi talia eſſent, cur ſpecialiter prohiberet Eccleſia homicidium, fornicationem, furtum &c.? Fateor tamen ſacrilegio veniali ſubjacere, præſertim ubi peccata ſunt externa, tum quia aliqualiter repugnant ſanctitati loci, tum quia reprehenduntur ibidem tantùm garrientes.

Dixi: *Si ſaltem blaſphemiam &c. exceperis*; quia videtur horribile quòd creatura Creatorem ſuum atrocibus injuriis immediatè appetat in Templo ſuo.

CONCLUSIO IV.

Circumſtantia *Quibus auxiliis*, addit bonitatem aut malitiam ſpecie diſtinctam, ubi media ad finem ſunt ſpecialiter bona aut mala, ut pater in eo qui orat, ut ſit caſtus, qui jejunat ut ſuccurrat pauperibus; & in eo qui furatur ut ſe inebriet, aut ſe inebriat ut fornicetur. Tantùm verò auget præjacentem malitiam aut bonitatem, quando media ſunt ejuſdem ſpeciei cum fine, ut cùm quis fugit conſortia impudicorum ut ſit pudicus, aut furatur ſcalas, ut aliud furetur in cubiculo.

De Circumſtantia *Cur*, agetur poſteà.

CONCLUSIO V.

Circumſtantia *Quomodo*, mutat ſpeciem, ubi modus operationis differt ſpecie ab ipſa operatione, ut dum quis peccat ex contemptu legis, aut Legiſlatoris. Item dum quis violenter deflorat virginem, furatur, cadaver humanum repercutit, aut diſſecat: in primo enim, ultrà malitiam operis, eſt ſtuprum; in ſecùndo, rapina; in tertio, feritas: ubi autem modus eſt ejuſdem rationis, ut eſt actus intenſio, tantùm auget bonitatem aut malitiam in eadem ſpecie.

CONCLUSIO VI.

Circumſtantia *Quando*, addit bonitatem aut malitiam: ejuſdem ſpeciei, dum importat temporis quantitatem; quò enim diutiùs durat actus, eò melior eſt, aut pejor: addit verò ſpecie diſtinctam, ſed raro, dum temporis qualitatem denotat, ut, ſi Confeſſarius inter confitendum, aut immediatè poſt, ſollicitet pœnitentem ad peccatum: tunc enim ob irriverèntiam Sacramento factam, ſacrilegus eſt, ſicut & in duobus caſibus Art. 1. Concl. 3. relatis.

Dixi: *Sed raro*, licèt enim peccatum die Dominico aut Feſto commiſſum inferat aliqualem diei ſanctitati irriverentiam, non tamen ſufficientem, ut debeat in Confeſſione exprimi. Vide dicta in Tract. ſuper Decal. Diſp. 3. q. 4. art. 1. Concl. 3.

QUÆSTIO XI.

Quid dicendum de fine extrinſeco reſpectu actus?

Dixi. *De fine extrinſeco*, ad quem ſcilicet opus, non ex ſe ſed tantùm ex operantis ordinatione dirigitur, ut dum quis orat, ut credatur juſtus, dum furatur, ut ſe inebriet: nam de fine intrinſeco, ad quem opus ex natura ſua tendit, independenter ab operantis intentione; ut, in jejunio mortificatio corporis, in eleemoſyna, ſublevatio pauperis, diximus agentes de objecto; quandoquidem hic finis cum illo coincidat.

ARTICULUS I.

An actus deſumat bonitatem aut malitiam à fine extrinſeco?

Septem modis referri poteſt actus ad finem extrinſecum. 1. Actus indifferens ex objecto, referri poteſt in finem bonum. 2. In finem malum. 3. Actus ex objecto bonus in finem bonum. 4. In finem malum. 5. In finem indifferentem, ad quem etiam referri poteſt actus malus. 6. Actus ex objecto malus in finem malum. 7. In finem bonum. De ſex primis hic agimus, de ſeptimo acturi Articulo ſequenti.

CONCLUSIO I.

Si actus ex objecto indifferens referatur in finem bonum, actus erit bonus; ſi in malum, erit malus. Eſt certa.

Ratio eſt; quia tunc actus deſumit bonitatem aut malitiam, & quidem primam & ſpecificam, ab ipſo fine, qui tali caſu non tam habet rationem finis, quàm objecti propter rationes ſuperiùs dictas: undè ſtudium ob vanitatem eſt opus vanæ gloriæ: ob lucrum animarum, eſt opus charitatis.

CONCLUSIO II.

Actus ex objecto bonus poteſt deſumere novam ſpecie bonitatem à fine extrinſeco.

Ratio eſt; nam ideò actus deſumit bonitatem ab objecto quia in illud fertur; ſed non minùs, imò magis fertur in finem extrinſecum, quàm in objectum, cùm hoc velit propter illud: ergo. Undè jejunans daturus eleemoſynam, ultrà bonitatem Temperantiæ, habet bonitatem Miſericordiæ, ſicut abſtinens à venereis ex voto, habet bonitatem Religionis, ultrà bonitatem caſtitatis.

Dices: in noſtro caſu actus deſumit quidem bonitatem à fine extrinſeco, non tamen ab objecto, quod induit rationem medii: ergo falſum eſt, quòd accedat bonitas bonitati. Prob. Ant. Quia dum quis jejunat ut ſit caſtus, non fertur in jejunium ut honeſtum, ſed ut utile ad Caſtitatem; ut autem actus ſit bonus, debet intendi ipſa honeſtas, ut dictum eſt autem.

Reſp. Neg. Ant. & ejus probationem; quia poteſt aliquid appeti ut in ſe honeſtum, & ut utile ad aliud, imò hic non appe-

titur

titur jejunium ut utile ad caſtitatem, niſi quia appetitur ut in ſe honeſtum, cùm ejus honeſtas ſit fundamentum utilitatis: imò ſi actus bonus relatus in finem bonum tantùm haberet bonitatem emendicatam à fine, & non propriam, ut vult Vaſquez, eligens martyrium ex charitate, non plus haberet bonitatis aut meriti, quàm eligens diſciplinam ex eodem motivo: quod eſt incredibile: unde falſum eſt, & gratis fictum, quòd honeſtas non tribuat actui bonitatem, niſi appetatur propter ſe ultimatè.

CONCLUSIO III.

Actus ex objecto bonus relatus in finem malum, eſt ſimpliciter malus. Patet ex ſuperius dictis, ubi oſtendimus non poſſe dari actum unum, qui partim ſit bonus, partim malus ex diverſo capite: Illo tamen caſu finis extrinſecus non habet rationem circumſtantiæ, ſed objecti; cùm det actui primam malitiam.

Dices: Finis extrinſecus advenit actui bono: ergo &c. Prob. Ant. Advenit actui conſtituto in genere moris, non per aliud, quàm per bonitatem: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Advenit actui bono, ideſt actui qui fuiſſet bonus, niſi adveniſſet ipſi finis malus: C. actui qui de facto eſt bonus: N. unde nec propriè advenit actui morali: cum moralis conſtituatur à parte rei per malitiam ipſius finis.

Quæri poſſet hic, an ſit pejus dare eleemoſynam ad pervertendam puellam, quam velle ſimpliciter pervertere? Idem eſt in ſimilibus.

Reſp. Affirm. Quia, ultrà malitiam utrique actui communem, quæ eſt perverſio puellæ, primus aliam incurrit, cùm faciat bonum ex motivo malo, quod eſt contra rectam rationem: hæc tamen malitia non videtur tanta, ut ſit in Confeſſione exprimenda.

CONCLUSIO IV.

Actus ex objecto bonus relatus in finem indifferentem; non eſt bonus, ſed potius malus: malus autem, non mutatur.

Prob. 1. pars; Quia operans ob finem indifferentem, non cenſetur intendere bonitatem ipſius medii: quæ tamen niſi intendatur, non dat bonitatem actui, ut antè diximus.

Dices: Ordinans actum bonum ad finem bonum intendit bonitatem medii: ergo & eundem ordinans ad finem indifferentem.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd cum non intendatur medium, niſi prout conducens ad finem, in primo autem caſu non conducat niſi ut honeſtum, ut diximus; in ſecundo autem, non conducat ut honeſtum, ſed præciſè ut utile: hinc eſt, quòd in primo intendatur honeſtas medii, non in ſecundo: & certè jejuninans præciſè ut parcat ſumptibus, non curat an jejunium ſuum ſit honeſtum, necne, modo conducat ad ſuum intentum.

Dixi in concluſione: *Sed potius malus*, quia videtur inſinuare recta ratio bonum, non tantùm eſſe bene faciendum, ſed etiam propter bonum.

Prob. 2. pars; Quia licèt fortius moveatur operans à fine quàm à medio; vult tamen ipſum medium; adeoque & malitiam ipſi annexam.

CONCLUSIO V.

Actus ex objecto malus deſumit novam ſpecie aut numero malitiam à fine malo, ſi hic ſpecie aut numero differat ab objecto.

Ratio eſt; quia talis redundat malitia in actum, qualis reperitur in fine, cùm, utpotè magis intentus, malitiam ſuam non minus, imo magis communicet actui, quàm objectum, ut fatentur omnes, & ideo ſi fureris gladium, ut hominem interficias, reus eris duplicis ſpecie peccati, furti nempe & homicidii, ſi autem fureris clavem, ut fureris poſtea veſtes aut aliud in cubiculo, committis duplex numero furtum.

Dico: *Ut fureris poſtea*; quia ſi eodem tempore moraliter fureris ab eodem utrumque, unicum eſt numero furtum, licèt gravius. Aliud eſſet, ſi à diverſis perſonis quia diverſam numero inferres injuriam, etiam eodem tempore.

Advertendum tamen 1. ſi medium mortale dirigas ad finem leviter malum, ut furtum gladii ad oſtentationem, & è contrà medium veniale ad finem graviter malum; ut furtum cultri ad homicidium, tibi ſatis eſſe in primo caſu confiteri furtum gladii, & in ſecundo homicidium, eò quòd alia tantùm importent & tribuant malitiam venialem, quàm non teneris confiteri.

Advertendum 2. Ubi furaris ad te inebriandum, ſufficere, ſi declares in Confeſſione furtum & ebrietatem, etiamſi non declares relationem medii ad finem, quia malitia, quam deſumit medium à fine, tantùm eſt extrinſeca & denominationis: ubi tamen poteſt malitia finis & medii ſufficienter exprimi ſine dicta relatione, eſſet aperienda.

ARTICULUS II.

An per finem honeſtum tollatur aut minuatur malitia actus ex objecto mali?

Senſus quæſtionis eſt: an, dum quis mentitur v. g. ad ſalvandam vitam proximi, conſervatio vitæ proximi intenta, quæ eſt finis honeſtus, tollat aut minuat malitiam mendacii, ita ut tunc non peccet, aut minus peccet, quàm ſi mentiretur ſimpliciter?

CONCLUSIO I.

Finis honeſtus non tollit integrè malitiam actus. Eſt communis contra paucos volentes licitum eſſe mendacium ob gravem cauſam.

Prob. 1. Ex Scriptura 1. Regum 15. ubi damnatur Saul, eò quòd reſervaſſet quædam ſpolia contra Dei præceptum, licèt ad ſacrificandum. Item Eccleſiaſtici 34. dicitur: *Immolantis ex iniquo, oblatio eſt maculata*: undè Apoſtolus ad Rom. 3. Aſſerit juſtè damnari eos, qui dicunt: *Faciamus mala, ut veniant bona*.

Prob. 2. Ratione; quia, ut diximus, ad malitiam moralem ſufficit quòd deſit vel unicum eorum quæ debentur actui; quia *malum ex quolibet defectu*: ergo ubi medium eſt malum, malus eſt ſimpliciter actus: undè ſicut in naturalibus facies hominis v. g. dicitur turpis, ſi habeat naſum oblongum, os valdè apertum, quamvis alia ſint juſtæ proportionis, ita actus dicitur malus in moralibus, ſi ex aliqua ſui parte, & præſertim notabili, quale eſt medium, ſit talis.

Objic. 1. Illud Matth 6. *Si oculus tuus*, id eſt, intentio tua, fuerit ſimplex, *totum corpus tuum*, id eſt, totum opus tuum, *lucidum erit*, id eſt bonum: unde Ambroſius lib 1. Officiorum cap. 30. *Affectus tuus nomen imponit operi tuo*. Et Auguſtinus Præfatione in Pſal. 31. *Bonum opus intentio facit & intentionem Fides dirigit*.

Reſp. nec ex Scriptura, nec ex Patribus ſequi quidquam contra nos; nam in caſu noſtro, oculus non eſt ſimplex; id eſt, intentio non eſt recta; quandoquidem, ut ſit talis, non tantùm debeat intendi finis bonus, ſed etiam bene intendi, id eſt, per media licita.

Objic. 2. Ex duobus malis minus eligendum: ergo ſi vel mentiendum ſit, vel debeat perire proximus, poteſt eligi mendacium ad ſervandum proximum

Reſp. neg. conſeq. Quia non eſt malum reſpectu tui quod pereat proximua, ubi non potes ipſum ſalvare niſi mentiendo, & ſic non proponuntur tibi duo mala. Idem dic in ſimilibus. In quo autem ſenſu debeat intelligi regula præfata? dicemus agendo de Conſcientia.

Objic. 3. Mentiti ſunt Abraham, Jacob, Judith, & Obſtetrices Ægyptiæ. Item Sampſon occidit ſeipſum, & Moyſes Ægyptium, & tamen excuſantur omnes, quia id fecerunt ob finem bonum: primus quidem, ut ſervaret vitam ſuam; ſecundus, ut haberet benedictionem paternam; tertia, ad ſalutem populi ſui; Aliæ ne morerentur parvuli Hebræorum; quintus, ut ſimul occideret Philiſtinos populi Dei inimicos; ſextus ut liberaret proximum.

Reſp. Abraham dicendo Saram uxorem ſuam, eſſe ſibi ſororem, veritatem dixiſſe, cùm talis eſſet ex parte Patris. Vide Interpretes. Idem fecit Jacob, cùm ſe dixit Eſau; quia talis erat, non quidem perſona, ſed jure, ob vendita ſibi primogenita; ſicut Joannes erat Elias, non perſona, ſed ſpiritu. Judith verò dicitur ab aliquibus uſa amphibologiis, non mendaciis: pro quo Vide Tract. in Decalog. Diſp 2. q. 2. art. 9. ubi agitur de reſtrictionibus.

Obſtetrices autem non excuſantur à mendacio: unde compenſantur à Deo, non quia mentitæ ſunt, ſed quia Hebræorum parvulis pepercerunt. Sampſon illud fecit inſpiratus à Deo, & fortè etiam Moyſes, aliàs non eſt excuſandus.

CONCLUSIO II.

Minuitur malitia actus, ubi ad finem bonum dirigitur. Eſt communis inter Doctores, de Lorca & paucis aliis contradicentibus.

Prob. 1. Ex Auguſt. lib. contra mendacium cap. 8. ubi ait: *In ſuo genere aliis ejuſdem generis peccatis leviora ſunt quæ bo-*

no animo videntur admitti. Cui conformis eſt D. Thomas 2.2. q 110 art. 2. *Quantò bonum intentum*, inquit, *eſt melius*, *tantò magis minuitur culpa mendacii*.

Prob. 2. Ex univerſali etiam Plebeiorum ſenſu, qui certò credunt ſe potius venia dignos, adeoque minus reos, ſi furentur ut ſuccurrant pauperibus, quàm ut indè ditentur: unde Auguſtinus ſupra. *Pejor eſt qui concupiſcendo, quàm qui miſerando furatur*. Idem ſentiunt, ubi mentiuntur, grave nocumentum impedituri.

Prob. 3. Ubi minor affectus ad objectum malum, ibi minus peccatum, ſed ubi ordinatur actus malus ad finem bonum, minor eſt affectus ad malitiam objecti: ergo Prob. Min. Quia tantùm illam admittit operans ut habet quandam apparentiam boni honeſti, vel certè utilis ad bonum honeſtum.

Objic. 1. Auguſtinum lib. 50 Homiliarum 7. Ubi ſic loquitur: *Nam etiamſi, fur, totum tribuat*, pauperibus, *quod abſtulerit, addit potiùs peccata, quàm minuit*.

Reſp. Addere peccata, non quia dat eleemoſynam præcisè, ſed quia dando non habet amplius unde reſtituat: & ideo ſi, data eleemoſyna, poſſet ablatum aliunde reſtituere, non graviùs, ſed leviùs peccaret, ut patet ex eodem Doctore ſupra. Dici etiam poteſt Auguſtinum agentem ibi contra Hæreticos volentes bonum eſſe furari ad ſubveniendum pauperibus, tantùm velle quòd parum abſit, ut eleemoſyna ex alieno, peccata priora minuat (ſicut eleemoſyna ex proprio dicitur purgare peccata Tobiæ 12.) ut è contra augeat, addendo nempe novum prioribus.

Objic. 2. Si finis bonus minuat malitiam operis, finis optimus totam auferet.

Reſp Neg. Aſſumpt. Quia nunquam auferetur, quòd tendat in medium malum; & ideo dicendum eſt cum Maſtrio, non tolli malitiam per partes æquales, quaſi verò unus gradus honeſtatis finis tolleret unum gradum malitiæ actus, ſed per partes proportionales, ſeu ſic, ut nullus gradus determinatus auferatur.

Objic. 3. Si actus mali relati in finem bonum minueretur malitia, etiam minueretur relati in finem malum. Prob. Aſſump. Quia ideo minueretur in primo caſu, quia medium non eſſet tam volitum propter ſe, quàm propter finem: ſed hoc etiam fieret in ſecundo, cum ille qui furatur ad fornicandum, magis velit fornicationem quàm furtum: ergo.

Reſp. Neg. Aſſumpt. Et ejus probationem; quia ratio præcipua, cur minuatur, non eſt præfata, ſed quia apprehenditur actus ſub ratione alicujus honeſti apparentis, vel utilis ad honeſtatem, quod non accidit ubi refertur in finem malum.

Objic. 4. Dirigentis actum malum in finem bonum intentio non eſt recta, ut dictum eſt Concluſione præcedenti: ergo non poteſt minuere malitiam actus.

Reſp. Diſt. Ant. Intentio non eſt recta in individuo: C. ſecundùm ſpeciem & ex objecto: N. Diſtinguo etiam conſeq. Non poteſt &c. dando ipſi aliquid bonitatis: C. quia nullam habet formalem: non poteſt, faciendo ut operans minus apprehendat malitiam: N.

Objic. 5. Dum quis vult actum bonum ob malum finem, non minuitur malitia intentionis. ergo nec minuitur malitia electionis, dum vult actum malum ob bonum finem

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd intentio moveat ad electionem, & ſic ubi illa bona eſt, facit ut hæc appareat minus mala, electio autem, non movet ad intentionem, & ſic quamvis ſit bona, non poteſt facere ut intentio appareat minus mala.

QUÆSTIO XII.

An & qualiter debeat voluntas in ſuis actibus conformis eſſe voluntati Divinæ?

CUm actus humanus, qui conformatur dictamini rationis, etiam conformetur voluntati Divinæ; ideo huic Tractatui finem impoſituri, pauca de conformitate voluntatis humanæ cum Divina dicemus.

Advertendum 1. Poſſe voluntatem humanam conformari Divinæ tribus modis. 1. Executivè ſeu in genere cauſæ efficientis, id eſt, volendo aut efficiendo id quod Deus vult illam velle aut efficere. 2. In volito materiali, ſeu volendo idem quod Deus vult. 3. In volito formali, ſeu volendo objectum aliquod ob eandem rationem, ob quam Deus illam vult. Addunt aliqui quartum modum, cum ſcilicet homo vult omnia propter Deum, ſicut Deus vult omnia propter ſeipſum.

Advertendum 2. Voluntatem humanam Divinæ conformari, vel poſitivè, volendo ſcilicet idem quod Deus, vel ſub eadem ratione: vel quaſi negativè, non reprobando id quod Deus vult, vel rationem ſub qua aliquid vult, licèt actu poſitivo non approbet.

CONCLUSIO I.

TEnetur voluntas humana eſſe conformis Divinæ, ſecundùm rationem cauſæ efficientis: ſeu, quod Deus vult abſolutè à nobis fieri, idipſum debemus velle & efficere. Eſt certa.

Ratio eſt; quia Deus habet dominium eſſentiale in omnem creaturam, ac in omnes ejus actus, & quælibet creatura ſubjectionem eſſentialem ad Deum: ergo quotieſcumque innoteſcit nobis voluntas Dei abſoluta circa aliquid volendum aut efficiendum, ſive præcepto exteriori, ſive revelatione, ſive alio modo, tenemur nos ei conformare Unde D. Thomas 2.2. q. 104. art. 4. ad 3. *Etſi non ſemper teneatur homo velle quod Deus vult, ſemper tamen tenetur velle, quod Deus vult eum velle*.

Dixi: *Quod Deus vult abſolutè*; quia ſi tantùm conſulat, non eſt obligatorium, licèt ſit laudabile ſe ei conformare; quandoquidem conſulendo relinquat nobis liberum velle & nolle, implere & non implere, ut patet in conſiliis Euangelicis.

CONCLUSIO II.

NOn eſt præcepti ſe conformare poſitivè Divinæ voluntati in volito materiali, ubi non eſt manifeſta, eſt tamen conſilii.

Prob. 1. Pars 1. Ex Scriptura, ubi Abraham & David laudantur eò quòd primus voluerit immolare filium, & ſecundus ædificare Templum, & tamen neutrum volebat Deus. 2. Ex Auguſtino Enchiridii c. 101. ubi ait: *Aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult... tanquam ſi bonus filius Patrem velit vivere, quem Deus bona voluntate vult mori*. 3. Ex D. Thoma 1.2. q. 19. art. 10. *Voluntas humana*, inquit, *tenetur conformari Divinæ voluntati in volito formaliter... ſed non materialiter*. 4. Ratione à priori; quia cùm eadem res poſſit eſſe *bona* ſub una ratione, & mala ſub altera, poteſt Deus tanquàm proviſor univerſalis velle aliquid ut conducens ad bonum commune, cui homo licitè repugnat tanquam contrario bono particulari, ad quod habet inclinationem naturalem, & quidem ſibi à Deo inditam: hocque patet in exemplo S. Auguſtini ſuprà: unde poteſt quis orare, ut Deus avertat à nobis flagella belli, famis, peſtis; poſſumus ſumere pharmaca ne moriamur; conari ignem è cœlo miſſum extinguere, & quælibet mala *tum à* nobis, tum ab aliis avertere, & quidem voluntate efficaci, quia licèt forte Deus illa abſolutè velit, ignoramus tamen & præſumere poſſumus tantùm velle illa conditionatè, niſi, ſcilicet homines orando, laborando, aut mores corrigendo ſimilia declinent.

Dixi: *Ubi non eſt manifeſta*; quia ubi de illa conſtat, non poſſumus ſine horribili impietate contrarium velle, ſaltem voluntate efficaci; quia vellemus facere Deum mutabilem: unde graviter peccaret qui oraret, ut nunquam moreretur, nunquam reſurgeret, nunquam ad Cœlum aut Infernum iret, ut damnatus ſalvaretur, ut peccator ſine ulla diſpoſitione juſtificaretur &c. quia Deus tria prima vult abſolutè, duo alia abſolutè non vult.

Hæc tamen intelliguntur de voluntate, quam Deus habere dignoſcitur independenter ab arbitrio hominis, unde ſi cui revelata eſſet ſua damnatio, aut lapſus in peccatum ſicut revelata fuit Petro trina Chriſti negatio, deberet fortiter adlaborare, ut peccatum, aut damnationem ſuam impediret; quia voluntas damnandi, aut peccatum permittendi in Deo foret poſterior, non tempore, ſed natura, ipſo peccato, in quantùm dependeret à voluntate hominis peccantis, qui, etiam poſt revelationem, poteſt peccatum vitare ſicut ante; cùm revelatio non tollat ab ipſo bene operandi potentiam: unde poſſet conari, ut voluntas Dei concurrendi ad materiale peccati non poneretur; quia cùm illa voluntas ſit tantùm conſequens, & ex ſuppoſito quòd velit peccare, deberet ſe conformare voluntati antecedenti peccatum prohibenti.

Dices 1. Primo Reg. 16. Deus increpat Samuelem lugentem Saul, quem à regno projecerat; ſed tantùm diſcrepabat Samuel à Deo, in volitu materiali: ergo.

Reſp. Non eſſe ibi increpationem, ſed inſtructionem de abſoluta Saulis rejectione, adeoque ceſſandum eſſe à luctu nihil profuturo.

Objic. 2. Chriſtus noverat eſſe voluntatem Patris ut moreretur, & tamen dicebat Matth. 26. *Pater mi, ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte*: ergo &c.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Diſt. Ant. Dicebat voluntate efficaci & abſoluta: N. dicebat affectu ſimplici, & quidem ſecundùm inclinationem naturalem totius ſuppoſiti, cui contraria erat voluntas efficax & ſuperior, ut patet ex verbis ſequentibus: *Verumtamen non ſicut ego volo: ſed ſicut tu*: C.

Objic. 3. In oratione Dominica dicitur: *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra*; ſed Beati in cœlo ſunt conformes Deo, etiam in volito materiali: ergo

Reſp. Nos petere etiam illam conformitatem, non quia ſemper eſt obligatoria, ſed quia ſemper ſaluti proficua, ut jam diximus.

Objic. 4. Tenemur velle quod juſtum eſt; ſed volitum Dei, etiam materiale, eſt juſtiſſimum: ergo

Reſp. Diſt. Maj. Tenemur velle quod juſtum eſt, ubi accedit præceptum: C. ubi non accedit: N. nam juſtum eſt manere in cœlibatu, & tamen non eſt obligatorium.

Prob. 2. pars. Nempe quòd ſit conſilii ſe conformare Divinæ voluntati in volito materiali, ſaltem ſub motivo, quo Deus illud vult; quia in eo præcipuè conſiſtit Chriſtiana perfectio: nam cùm Dei voluntas ſit prima ſanctitatis regula, quò magis illi unimur, eò magis ſanctificamur: unde B. Virgo, teſte D. Bonaventura, in 1. quæſt. ult. in fine, voluit mortem Filii ſui, quia illam decreverat Deus ad generis humani redemptionem.

Dixi: *Saltem ſub eo motivo, quo Deus illud vult*: quia ſub alio motivo ſæpè illicitum eſt, eò quòd occurrat nonnunquam ratio particularis, ad quam tenemur advertere, ne ſcandalum aut nocumentum proximo inferamus, licèt Deus illam negligat, quia aliud poſtulat bonum commune. Hinc

Reſol. 1. Peccaſſe Judæos volentes Chriſti mortem, licèt illam voluerit Deus: quia illi volebant ex odio, Deus ex generis humani compaſſione.

Reſol. 2. Volentem proximi miſerias, Patris mortem, fratris damnationem &c. præcisè quia à Deo volita ſunt, non peccare, ſed multùm mereri, modò aliunde diſpliceant, quia ipſis nociva. Ratio eſt, quia nihil eſt aliud quàm approbare Dei voluntatem. Cavendum tamen, ne ſe immiſceat affectus inordinatus, & ne magis quæramus nobis ſatisfacere, quàm Deo placere.

Reſol. 3. Peccatorem volentem privationem gratiæ, quamdiu non reſurgit à peccato, & hoc tanquam pœnam ſui peccati, non eſſe reum novæ culpæ; quia etſi non poſſit illam velle, ut in ea perſeveret, poteſt tamen ut pœnam velle, quamdiu perſeverat; cùm Deo conformetur in volito materiali & formali.

CONCLUSIO III.

ETſi non teneamur ſemper eſſe conformes poſitivè voluntati Divinæ in omni volito formali, tenemur tamen ſemper eſſe conformes negativè, ſeu non poteſt nobis diſplicere.

Prob. 1. pars. Quia Deus vult omnia propter ſe: ſed non tenemur omnia velle propter Deum, ut patet ex dictis in Tract. de Virtute Charitatis: ergo. Præterea non tenemur velle omnia quæ Deus vult: ergo nec ex eodem motivo, quo vult.

Dixi: *In omni volito formali*; quia ſi velimus bene agere, debemus convenire ſaltem in aliquo motivo generali, quod eſt honeſtas, cùm voluntas humana non ſit bona, niſi intendat honeſtatem.

Prob. 2. pars. Quia omne volitum formale in Deo eſt honeſtum, cùm nonniſi honeſtum poſſit velle; ſed honeſtum non poteſt nobis diſplicere, cùm objectum diſplicentiæ ſit malum: ergo.

Dices: Deus vult pœnam ut nobis malam, ſed nolumus illam ut nobis malam: ergo

Reſp. Neg. Maj. Quia vult pœnam, ut eſt ſatisfactio peccatorum noſtrorum, adeoque ut nobis bonam; & conſequenter ut ſic non poteſt nobis diſplicere.

TRACTATUS II.

DE CONSCIENTIA.

EO melior eſt hæc materia, quò immediatiùs ad regulandos mores dirigitur: ſubminiſtrat enim quædam principia toti humanæ vitæ moraliter traducendæ neceſſaria, quibus, & nos, & alios regulare poſſimus: unde D. Thomas docet, Conſcientiam eſſe actionum noſtrarum regulam proximam, ad diſtinctionem legis, etiam naturalis, quæ quidem eſt regula actuum humanorum, ſed remota, & per Conſcientiam applicanda; ac ideo antequam de Legibus diſſeramus, de Conſcientia quædam pro modulo noſtro dicemus.

Porrò dupliciter ſpectari poteſt Conſcientia, nempe quatenùs ſequitur actiones noſtras, & quatenùs præcedit: quatenùs ſequitur vel accuſando tanquam malefacta, & dicitur *Remorſus Conſcientiæ*; vel commendando tanquam benefacta, & dicitur *Teſtimonium Conſcientiæ noſtræ*: 2. Corinth 1. Quatenùs autem illos præcedit, dictat eſſe bonas vel malas; & ideo dicitur inſtigare, retrahere. Licèt autem ſub utroque reſpectu rectè appelletur Conſcientia; tamen præſertim ſumitur ſecundo modo, id eſt, prout actiones noſtras antecedit, ſaltem ordine naturæ: agimus enim de illa prout influit tanquam regula proxima in actionem faciendam vel omittendam: priori modo accepta, eſt actus ſpeculativus: poſteriori, actus practicus.

DISPUTATIO I.

De Conſcientia ſecundùm ſe, & quibuſdam ejus membris.

VAriè à variis accipitur nomen Conſcientiæ: aliqui enim illam confundunt cum lege naturæ, alii cum ratione naturali, alii cum Syndereſi, alii cum actu voluntatis ad bonum impellentis, & à malo retrahentis, alii aliter loquuntur; ſed nos ſumimus illam pro actu intellectus modo jam explicando.

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex Conſcientia?

CONCLUSIO I.

COnſcientia (quæ eſt ſcientia ſecum) eſt actus intellectus practici dictantis licita eſſe vel illicita, quæ hic & nunc agenda ſunt vel omittenda.

Dicitur 1. *Actus intellectus*: unde quando Hebræor. 9. dicitur: *Emundabit Conſcientiam noſtram*; Conſcientia ſumitur ibi impropriè, ſcilicet pro voluntate, quæ coinquinatur per peccatum: vel etiam dici poteſt quòd accipiatur pro peccatis in ea latentibus; quo ſenſu dicimur *Examinare Conſcientiam*, *explicare Conſcientiam Confeſſario*: Quòd autem ſit actus intellectus, ſatis inſinuarunt Patres: nam vocatur ab Origine in Epiſt. ad Rom. cap. 3. circa med. *Spiritus, corrector*; à Baſilio Homil. in princip. Proverb. circa med. *Naturale Judicium*: à Damaſceno lib. 4. Orthodox. fide cap. 23. *Lex mentis noſtræ*: à Bernardo lib. de Conſcient. cap. 7. *Quaſi cordis ſcientia*.

Dices: Conſcientia dicitur bona vel mala; ſed eſſe bonum aut malum competit voluntati: ergo.

Reſp. diſt. Maj. Conſcientia dicitur bona vel mala formaliter: N. regulativè, in quantùm diligit opera bona vel mala: C.

Dicitur 2. *Intellectus practici*; quia Conſcientia verſatur circa actiones humanas, non tantum ut eas cognoſcat, ſed etiam ut illas regulet & dirigat.

Dicitur 3. *Dictantis eſſe licita vel illicita quæ hic & nunc* &c. ut diſtinguatur à Syndereſi, quæ eſt etiam de agendis, ſed non de agendis hìc & nunc; & ideo vocatur Conſcientia *judicium practicè practicum*; Syndereſis autem, *ſpeculativè practicum*.

Porrò totum diſcrimen inter Conſcientiam & Syndereſim in hoc conſiſtit. 1. Quòd Syndereſis non ſit actus ſicut Conſcientia, ſed habitus, quamquam etiam ſumi poſſit pro actu à tali habitu procedente.

2. Quòd Syndereſis verſetur quidem circa principia practica, ſed univerſalia & indeterminata; ut, quòd virtus ſit amplectenda, vitium fugiendum, Deus colendus, parentes honorandi, nemo lædendus, jus ſuum cuique tribuendum &c. ſicque non poteſt proximè & immediatè actus noſtros regulare. At Conſcientia applicat illa principia ad materiam determinatam, hocque mediante Syllogiſmo, in quo infert concluſionem, v. g. hoc modo: *Virtus eſt practicanda: ſed Caſtitas eſt Virtus; ergo Caſtitas eſt hic & nunc practicanda*. E contra; *vitium eſt vitandum; ſed luxuria eſt vitium: ergo luxuria hic & nunc eſt vitanda*, ubi Syndereſis facit Majorem, ratio, ſeu potentia ratiocinans Minorem, & Conſcientia concluſionem.

3. Quòd Syndereſis ſit quidem regula intrinſeca actuum humanorum, ſicut Conſcientia, ſed magis remota, cùm nonniſi in univerſali nobis legem proponat; Conſcientia verò, licèt ſit regula ſecundaria, quatenùs à Syndereſi dependet, eſt tamen proxima & immediata, cùm in particulari nobis legem applicet.

5. Quòd Synderefis ſit regula infallibilis, ut advertit Scotus 2. Diſt. 49. §. *Ad Quæſtiones*; quia nempe verſatur circa univerſaliſſima principia agendorum, quæ ſunt per ſe nota; Conſcientia verò regula fallibilis, ut patet in eo, qui credit ſibi licere mentiri ad ſalvandam vitam proximi. Cujus ratio eſt, quòd potentia ratiocinans, & Conſcientia ab informatione erronea deluſa, aut rationibus apparentibus præventa, malè applicent principia univerſalia: undè ſi tam execrandi errores in hominum mentes irrepſerint, ut etiam Jovem adulterum, Bacchum ebrioſum, Venerem impudicam pro Diis haberent; illi errores non ex Synderefi, cujus judicium eſt immutabile, cujus principia ſunt per ſe nota, ſed ex Conſcientia rationibus ſpecioſis cauterjata provenerunt.

CONCLUSIO II.

SExtuplex diſtingui poteſt Conſcientia. *Vera*, *Erronea*, *Certa*, *Dubia*, *Scrupuloſa*, & *Probabilis*.

Conſcientia *vera*, quæ & recta dicitur, eſt dictamen intellectus judicantis licitum aut illicitum, quod tale eſt à parte rei.

Conſcientia *erronea* eſt, quæ ex principio falſo deducta, judicat licitum quod eſt illicitum, aut è contra. Dividitur ſicut Ignorantia in Vincibilem & Invincibilem: Vincibilis in craſſam, affectatam &c. Vide dicta de Ignorantia. Ad hanc Conſcientiam reduci poſſunt *Conſcientia Phariſaica*, quæ magna parvi & parva magni facit, *culicem excolans, camelum autem glutiens*, Matth. 23. *Cauteriata*, quæ ita obduruit ut vulnus ſuum non ſentiat, qualem habent nonnunquam conſuetudinarii. *Laxa*, quæ gravia crimina parvi, & culpas veniales nihili facit. Et *Hypocondriaca*, quæ ex principiis ſtultis & ridiculis eruitur, & ideò dicitur delirium partiale.

Conſcientia *certa*, quæ ad licitè operandum requiritur & ſufficit, eſt illa, quæ deducitur ex principiis certis, ſaltem moraliter adeoque excludentibus rationabilem formidinem de oppoſito.

Conſcientia *dubia* eſt hæſitatio ſeu ſuſpenſio intellectus inter utramque contradictionis partem, ita ut neutri detur aſſenſus aut diſſenſus, ſicque patet, non eſſe propriè Conſcientiam, cum hæc eſſentialiter importet actum. Hoc autem accidere poteſt ex duplici capite, vel quia ex neutra parte apparent rationes, & tunc dicitur dubia negativè, vel quia ex utraque parte apparent rationes æquales, & dicitur dubia poſitivè.

Conſcientia *ſcrupuloſa* (ſic dicta à ſcrupulo, qui eſt lapillus crucians pedes itinerantium) eſt illa quæ formatur ex principiis futilibus, & infundatis: ordinariè tamen non eſt judicium, ſed tantùm apprehenſio mali mirabiliter excrucians mentem ſcrupuloſi.

Conſcientia *probabilis*, aliter opinans, ſeu opinoſa, eſt illa, quæ deducitur ex principiis tantùm probabilibus, ſivè intrinſecis, id eſt rationibus alicujus momenti, ſivè extrinſecis, id eſt gravi Doctorum authoritate, & ideò annexam habet formidinem de oppoſito, ſaltem virtualem. Ex dictis

Reſol. *Scientiam* hic eſſe judicium moraliter certum de re aliqua, excludens omnem formidinem. *Dubium* eſſe fluctuationem intellectus inter utramque partem. *Errorem*, judicium falſum putans bonum aut malum, præceptum aut prohibitum &c. quod revera non eſt. *Opinionem*, judicium ſaltem virtualiter formidoloſum. *Scrupulum*, infundatam apprehenſionem ac formidinem de peccato, ubi non eſt.

QUÆSTIO III.

An ſemper obligemur ſequi Conſcientiam, ſive veram, ſive erroneam?

CONCLUSIO I.

SEmper tenemur ſequi Conſcientiam veram ſeu rectam, quando aliquid præcipit aut prohibet.

Ratio eſt, quia tenetur voluntas operans ſequi ſuam regulam; atqui Conſcientia rectè præcipiens aut prohibens: eſt regula proxima voluntatis operantis, & moventis alias potentias ad operandum: ergo peccat voluntas, & conſequenter homo, niſi Conſcientiam rectè præcipientem aut prohibentem in operando ſequatur.

CONCLUSIO II.

TEnemur etiam ſequi Conſcientiam errantem invincibiliter, quando dictat aliquid eſſe hic & nunc præceptum, aut prohibitum. Eſt communis & certa.

Prob. 1. Quia tenemur ſequi Conſcientiam veram in tali caſu, ſed non poſſumus diſtinguere Conſcientiam invincibiliter errantem à vera, cùm de errore nullatenùs ſuſpicemur (hoc enim ſonat invincibiliter errare) ergo & tenemur ſequi invincibiliter errantem.

Prob. 2. ex D. Thoma 1. 2. q. 91. art. 3. ad 3. ubi ait: *Non oportet quòd omnis menſura ſit omninò infallibilis, & certa, ſed ſecundum quod eſt poſſibile in genere ſuo*: ergo licèt Conſcientia quandoque erret, præſertim invincibiliter, non deſinit eſſe actionum noſtrarum regula.

Objic. 1. Sequendo illam Conſcientiam, non vitamus peccatum ergo non licet illam ſequi. Prob. ant. ut operans vitet peccatum, debet ſequi Conſcientiam certam; ſed Conſcientia errans, etiam invincibiliter, non eſt certa: ergo.

Reſp. Neg. Ant. Ad probationem diſt. Maj. debet ſequi Conſcientiam ſemper omnimodè certam, id eſt tam ſpeculativè, quàm practicè: N. certam practicè, qualis eſt errans invincibiliter: C. eſt autem Conſcientia: ſpeculativè & practicè certa, quando ſequitur ex principiis directè veris, ut hic *poſſum vendere rem meam; hæc domus eſt mea* (ſuppono quod ſit) *poſſum illam hic & nunc vendere*. Tantùm verò practicè certa eſt, dum quidem ex principiis directis eſt falſa, ut hic: *poſſum accedere ad uxorem meam, hæc eſt mea uxor* (ſuppono quod credatur invincibiliter talis, & tamen non ſit) *ergo poſſum accedere ad illam*; ubi Conſcientia eſt ſpeculativè falſa, propter falſitatem Minoris, nihilominùs ex principiis reflexis eſt vera, hoc modo: *poteſt quis accedere ad eam, quam credit invincibiliter eſſe ſuam; hanc credo invincibiliter meam*: ergo &c. ubi Conſcientia ſequitur ex duabus veris, adeoque & ipſa vera eſt & certa.

Nec requiritur, quòd quis ita expreſsè ſyllogizet; ſed ſufficit, quòd id faciat virtualiter & implicitè: quòd cenſetur fieri, dum quis credit bona fide actionem ſuam eſſe licitam.

Objic. 2. Tenemur ſequi legem æternam operando, ſed Conſcientia erronea eſt ipſi contraria: ergo

Reſp. Diſt. Maj. Tenemur ſequi legem æternam non applicatam per Conſcientiam: N. applicatam: C. ſed ut ſic nunquam eſt Conſcientiæ contraria: undè lex æterna, ſicut & quælibet alia tantùm eſt actionum noſtrarum regula mediata, immediatè per Conſcientiam applicanda.

Objic. 3. Deus prohibet furtum v. g. ergo quando Conſcientia invincibiliter errans, dictat eſſe furandum à prædivite; *ut* ſuccurratur graviter indigenti, non poſſumus illam ſequi. Prob. conſeq. Quia violaretur Dei præceptum.

Reſp. Neg. Conſeq. Ad Prob. Aſſump. Violaretur &c. formaliter: N. quia ſic tantùm violatur, quando repræſentatur per Conſcientiam ut obligans: violaretur materialiter: C.

Inſt. Non poſſumus obligari ad materialiter peccandum: ergo &c.

Reſp. Diſt. Ant. Non poſſumus obligari directè: C. indirectè, in quantum tenemur obedire Conſcientiæ illud præcipienti. N. Nec magis mirum videri debet quòd Deus præcipiat indirectè materiale peccati, ſuppoſito defectu erroris invincibilis, quàm quod ipſemet ad materiale peccati concurrat, ſuppoſito defectu creaturæ rationalis.

Objic. 4. Non tenemur ad legem niſi prout promulgata eſt à Legislatore; ſed Conſcientia errans illam nobis aliter proponit: ergo

Reſp. Diſt. Ant. Non tenemur per ſe loquendo: C. per accidens, quando ſic per Conſcientiam proponitur: N. Deus ergo voluit ut obediremus legi, non nudè ſumptæ, ſed ut nobis per Conſcientiam applicatæ, maluitque ut hæc aliquando deficeret materialiter, quàm non eſſet nobis regula conſtans & firma: nec immeritò: nam cùm ignorare poſſimus quid præcipiat aut vetet lex æterna, quid poſitiva ſive Divina, ſive humana; non poſſimus autem ignorare quid nobis innuat circa illas dictamen rationis; melius fuit nos ad Conſcientiam noſtram remittere, tanquam regulam & judicem domeſticum; ut omnis excuſationis prætextus concluderetur.

Objic. 5. Si dum Conſcientia in certis circumſtantiis dictat mentiendum, non mentiamur, nullam violamus legem: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Nullam violamus legem realem, tranſeat. Exiſtimatam: N. ſicut ergo tenemur ſequi Conſcientiam proponentem legem aliter, quàm ſit, ità etiam proponentem legem, ubi non eſt, propter eandem rationem.

Dixi; *Tranſeat*, quia etiam realem tranſgredimur, nempe illam, quæ nobis præcipit, ut ſequamur in omnibus ductum Conſcientiæ.

CONCLUSIO III.

TEnemur etiam ſequi Conſcientiam vincibiliter errantem, ſi error non deponatur. Ita communiter Theologi.

Prob. 1. Ex Scriptura Rom. 14. *Omne quod non eſt ex fide*, id eſt, ex credulitate quòd ſit licitum, ut exponunt Patres, &

Inter-

Digitized by Google

Interpretes, *peccatum eſt*: ſed ubi non ſequimur Conſcientiam aliquid præcipientem aut prohibentem, licèt erroneè, non habemus fidem quòd actio aut omiſſio ſit licita: imò fidem habemus, ſtante errore, quòd ſit illicita: ergo. Unde Apoſtolus ibidem oſtendit Judæos noviter converſos peccaturos, ſi ederent ex cibis gentilium putantes eſſe illicitos, quia immundos, etſi forent reverà liciti & mundi? quia nempe agerent contra dictamen conſcientiæ.

Prob. 2. Contraveniens legi peccat: ergo à fortiori contraveniens Conſcientiæ aliquid præcipienti aut prohibenti, cùm hæc magis obliget ad ſui ſequelam, quàm illa, imò lex non obliget actu, niſi ut per Conſcientiam applicata.

Prob. 3. Non agere ſecundum Conſcientiam aliquid præcipientem aut prohibentem, eſt agere contra, cum non detur medium; atqui nullo caſu licet agere contra Conſcientiam, etiam errantem: ergo. Prob. Min. quia taliter operans vult interpretativè malum, cùm vel id ponat quod credit prohibitum, vel id omittat quod credit præceptum: unde non minus tunc afficitur voluntas circa malitiam, quàm ſi de facto mala eſſet actio aut omiſſio à parte rei; malitia ſiquidem, non ut in ſe eſt, ſed prout ſubeſt intellectui, voluntatem afficit.

Objic. 1. Non poſſumus obligari ad actionem malam; ſed talem quandoque præcipit Conſcientia errans, ut dum præcipit furtum eleemoſynæ cauſa: ergo. Reſp. Diſt. Maj. Non poſſumus obligari ad actionem malam, propoſitam ut malam: C. propoſitam per dictamen rationis ut bonam: N. ſimiliter diſt. Min.

Inſt. 1. Sequendo dictamen rationis peccamus, ſed nihil poteſt nos obligare ad peccandum: ergo.

Reſp. Diſt. Maj. Peccamus, præcisè quia dictamen ſequimur: N. quia aliunde actio quàm ponimus mala eſt, ac ejus malitia non abſterguur ab opere, eò quòd error ſit voluntarius: C.

Inſt. 2. Saltem, non depoſito errore, obligat nos dictamen ad peccandum, cùm obliget nos, v. g. ad furandum.

Reſp. Diſt Aſſumpt. Obligat directè: N. indirectè, in quantùm obligat nos ut ipſi obediamus in eo, quod non poteſt poni ſine peccato: C. ſed talis obligatio oritur ex malitia noſtra, & ex ſuppoſitione nobis libera, quòd errorem, quem vincere poſſumus & debemus, non deponamus: unde ſequendo dictamen peccamus, non ex neceſſitate, ſed quia volumus.

Inſt 3. Dicit expreſsè Conſcientia: teneris furari, ut des eleemoſynam, mentiri ut ſalves proximum &c. ergo directè obligat ad peccandum.

Reſp. Diſt Ant. Dicit Conſcientia: teneris furari, prout furtum creditur bonum, & obligatorium ad ſalutem proximi: C. prout malum eſt, & difforme legi naturali: N. unde Conſcientia præcipit actum apprehenſum ut bonum, licèt in ſe ſit malus, ejuſque malitia imputetur operanti, non quia ſequitur Conſcientiam, ſed quia errat vincibiliter & voluntariè.

Inſt. 4. In caſu allato præcipit operationem, ſed quidquid faciat homo, peccabit operando: ergo.

Reſp. Diſt. Maj. Præcipit operationem, in ſuppoſito quòd non deponatur error: C. abſolutè: N. nam, depoſito errore, non amplius obligat ad furandum.

Inſt. 5. Si vincibiliter errans furetur, peccat contra præceptum non furandi, ſi non furetur, peccat contra Conſcientiam, ſed nullus poteſt poni in illa perplexitate, ut ſive agat, ſive non agat, peccet: ergo &c.

Reſp Diſt. Min. Nullus poteſt poni in illa perplexitate &c. Ubi nullum occurrit medium, quo evadat: C. ubi occurrit, ſicut hic errorem deponere, ſicque à furto abſtinere: N. & ideo ſi tunc neceſſitatur homo ad peccandum, neceſſitas eſt ipſi voluntaria, oriturque ex eo quòd non dignetur vel doctiores conſulere, vel rem magis examinare, ut errorem vincat.

Inſt. 6. Poteſt fieri quòd non ſuppetat tempus, vel ad conſulendum, vel ad examinandum.

Reſp. Tunc non peccaturum, ſed error ex vincibili fiet invincibilis, cùm in tali circumſtantia nou poſſit plus facere ut errorem deponat, & aliunde ſupponatur ita diſpoſitus, ut ſi tempus afforet, rem magis diſcuteret.

Objic. 2. Non eſt obligatorium inferioris præceptum, ubi opponitur præcepto ſuperioris, ſed Conſcientia erronea aliquid præcipiens opponitur præcepto Dei idipſum prohibentis: ergo.

Reſp. Diſt. Maj. Non eſt obligatorium &c. Ubi ſcitur eſſe contrarium præcepto ſuperioris: C. ubi creditur eſſe ipſummet ſuperioris præceptum, ut in noſtro caſu: N.

Objic. 3. Caſus concluſionis eſt omnino chymericus: ergo fruſtra proponitur. Prob. Ant. Quia nou poteſt fieri, ut quis credat ſe teneri ad mentiendum in aliquo caſu, & ſimul dubitet aut ſuſpicetur mendacium eſſe malum in eodem caſu.

Reſp Neg Ant. Ad probationem Diſt. Aſſumpt non poteſt fieri, ut credat prudenter: C. imprudenter: N. unde nolumus Conſcientiam in tali caſu eſſe judicium prudens, aliàs operans excuſaretur ab omni peccato, ſed imprudens deductum ex principio, de cujus veritate dubitat, aut ſuſpicatur. Ex dictis

Reſol 1. Nunquam licitum eſſe agere contra Conſcientiam, non ſolùm veram, ſed etiam erroneam, & quidem vincibiliter: nam ſi teneamur ipſam ſequi, etiam errantem vincibiliter, dum error non deponitur: clarum eſt, non licere contra illam agere.

Reſol. 2. Hanc eſſe diſparitatem inter Conſcientiam errantem vincibiliter, & Conſcientiam errantem invincibiliter, quòd operans ex illa, tantum peccet in ordine ad peccatum mortale, aut veniale, quantum peccaret ſecluſo errore: peccans autem ex invincibili, non plus peccet, quàm credit peccare, adeoque tantùm venialiter; ubi tantùm peccatum veniale apprehendit, licèt in ſe ſit mortale, cujus ratio eſt, quòd error non excuſet priorem, eò quòd ſit ipſi voluntarius, excuſet autem poſteriorem, cui eſt involuntarius.

QUÆSTIO III.

Quale ſit peccatum, & cujus ſpeciei, agere contra Conſcientiam erroneam, & an ſit pejus agere contra, quàm ſecundùm illam?

SUppono 1. Conſcientiam non habere rationem legis habitualis, ſed actualis in actuali dictamine conſiſtentis, ità ut tantum obliget, quantum dictat actualiter, & non tantum, quantum aliàs dictavit, ita ut ſi quod aliàs dictavit veniale, jam dictet mortale, obliget ſub mortali ad ſui ſequelam, ſi verò quod dictavit mortale, jam dictet veniale, obliget tantùm ſub veniali, niſi major obligatio aliunde petatur, v. g. quia intervenit error vincibilis.

Suppono 2. Operantem contra Conſcientiam, ſive veram, ſive erroneam, violare jus naturæ, quod ſicut dictat parendum eſſe juſtis ſuperiorum mandatis, ita & Conſcientiæ actionum noſtrarum regulæ & pædagogo: unde ita intrinſecè malum eſt non obedire Conſcientiæ aliquid præcipienti aut prohibenti, licèt erroneè, ut nequidem Deus poſſit in hoc diſpenſare, cùm non obedire ſit velle interpretativè malum. His Suppoſitis

CONCLUSIO I.

SI Conſcientia erronea dictet aliquid eſſe faciendum, aut omittendum ſub peccato mortali, mortale eſt ipſi contravenire: ſi ſub veniali, eſt veniale; ſive interim actio aut omiſſio ſit in ſe bona, ſive mala, ſive mala graviter, ſive leviter

Ratio eſt; quia, ut diximus, formalis obligatio, & obligationis quantitas, non petitur à lege, aut ab objecto nudè ſumptis, ſed prout ſubjacent intellectui ipſorum, obligationem aliquando aggravanti, aliquando minuenti: ſicque fieri debuit; nam, cùm voluntas, utpote potentia cœca, non attingat objectum, niſi illuminatum, debuit ab eodem ut illuminato formalis obligatio, & obligationis quantitas derivari in actum, ſicut derivatur bonitas aut malitia: & ideò ſi putes jejunium die Dominica eſſe mortale, mortaliter peccas jejunando; ſi veniale, venialiter, ſicut actio tua ſit in ſe bona. E contrà, ſi credas tantùm venialiter peccare furando aureum à divite ut ſuccurras pauperi, tantùm venialiter peccas, per hoc quòd contravenias Conſcientiæ, licèt aliunde non excuſeris à mortali, ubi error vincibilis eſt.

CONCLUSIO II.

QUando dubitatur, an aliquid ſit mortale, aut veniale, & tamen exercetur, peccatur mortaliter.

Ratio eſt; quia operans cum tali dubio, videtur ita diſpoſitus, ut illud facturus eſſet, quamvis ſciret eſſe mortale.

CONCLUSIO III.

QUando Conſcientia erronea dictat aliquid eſſe malum in communi, abſtrahendo à mortali & veniali, ſi illud fiat, volunt aliqui tantùm eſſe veniale, quia nuda & ſimplex voluntas peccati ut ſic, non eſt per ſe mortalis: è contra cenſent alii eſſe mortale; quia taliter operans exponit ſe periculo mortaliter peccandi: ſed melius videtur diſtinguendum: vel vel enim materia, circa quam verſatur Conſcientia, proponitur per rationem ut gravis, ſaltem confuſè, & tunc peccatur mortaliter: vel proponitur ut levis, nec apparet periculum rei gravioris, & peccatur venialiter; niſi fortè quis in actu exercito ità ſit diſpoſitus: ut vellet facere, ſive res ſit gravis, ſive non: tunc enim peccaret mortaliter, ſicut & quando voluntas non fertur circa objectũ aliquod ſpeciale, ſed in genere vult malũ, ut docet

Sayrus, Aſorius, & alii. Si tamen fieri poſſet, ut nullo modo quis ad gravitatem aut levitatem materiæ adverteret, ſed præcisè ad peccatum ut ſic, dici poſſet cum noſtro Marchantio & aliis, gravitatem aut levitatem peccati debere deſumi ex ipſa materia in quam fertur voluntas, ſi ſit determinata, ita ut ſi quis eum tali Conſcientia jocosè mentiatur, peccet venialiter, mortaliter verò, ſi non jejunet in aliqua vigilia.

CONCLUSIO IV.

ORdinariè loquendo non eſt ſpeciale peccatum agere contra Conſcientiam erroneam, adeoque non eſt ſemper idem ſpecie, dum ei contravenitur in qualibet materia, ſed eſt peccatum illius ſpeciei, ſub qua apprehenditur, ſeu cuius eſſe putatur ab ipſo operante, & ideo ſi putet actionem ſuam eſſe furtum, peccat peccato furti, ſi detractionem, peccato detractionis, licèt non ſit talis à parte rei; unde neceſſe eſt hoc ſpecialiter in Confeſſione explicare, ità ut non ſatisfaciat dicens: egi contra Conſcientiam in re gravi.

Ratio concluſionis eſt; quia cùm opus non ſit ex ſe malum, ſed tantùm ſit malum, quia cenſetur tale ab operante, neceſſe eſt, ut ſicut accipit rationem genericam mali ab opinione operantis; ità & ſpecificam accipiat ab eodem principio.

Dixi: *Ordinariè loquendo:* quia ſi quis agat contra conſcientiam ut paulatim illam extinguat, ſicque impediat ipſius remorſum, ut traditur feciſſe Lutherum per decem circiter annos, licèt fuerit ipſe fruſtratus, tunc ultra peccatum contra virtutem Caſtitatis, legem jejunii &c. peccat ſpecialiter contra obedientiam, ſuæ conſcientiæ tanquam honeſtatum actionum Regulæ debitam: & certè ſi agens contra Superioris præceptum, ut illum contemnat, peccet ſpeciali peccato; quidni & agens contra Conſcientiam omnis honeſtatis menſuram, ut illam extinguat & deſtruat?

CONCLUSIO V.

CÆteris paribus videtur gravius peccatum agere contra conſcientiam errantem culpabiliter, quàm ſecundùm eandem.

Ratio eſt; quia gravius eſt peccatum procedens ex ſcientia, quàm procedens ex ignorantia, licèt culpabili; cùm hæc aliqualiter minuat malitiam actus; ſed agens contra conſcientiam errantem agit ex ſcientia, ut patet; agens autem ſecundùm illam, agit ex ignorantia: ergo

Dixi: *Cæteris paribus*, quia in materiis diſparibus poteſt quis ſequendo conſcientiam erroneam graviùs peccare, quàm ei contraveniendo. Profero bina exempla totam concluſionem explanantia: Joannes putat ex ignorantia vincibili ſe teneri ad mendacium, ne Socius mentiatur, pejus facit tacendo quàm mentiendo, propter rationem concluſionis. E contra, ſi ex eadem ignorantia exiſtimet ſibi furandum eſſe aureum, ut citiùs debita ſolvat, pejus facit furando, adeoque Conſcientiam ſequendo, quàm ſi à furto abſtineret; quia minus eſt debitorum ſolutionem differre, quàm furari.

QUÆSTIO IV.

Qualiter debeat pœnitens laborans Conſcientia erronea agere cum Confeſſario, & qualiter Confeſſarius cum illo?

SUppono 1. Penitentem laborantem Conſcientia erronea, teneri, etiam contra præceptum Confeſſarii, imò & Superioris, ſequi talem Conſcientiam, ſi errorem non deponat; quia nunquam poteſt eſſe licitum, ut quis feratur affectu in id quod judicat eſſe malum.

Suppono 2. Confeſſarium teneri monere penitentem de ſua conſcientia erronea, ſi ſit culpabilis; ſive interim ſit contra jus Divinum, ſive contra humanum, ſive in præjudicium tertii, ſive non; quia debet Confeſſarius tanquam medicus præcavere lapſus ſui pœnitentis: unde ſecundum membrum quæſtionis potiſſimùm procedit de pœnitente, Conſcientia invincibiliter erronea laborante. His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

TEnetur ordinariè pœnitens, neglecto dictamine ſuæ conſcientiæ, quam erroneam dicit Confeſſarius prudens & doctus, ſequi ſententiam oppoſitam.

Ratio eſt; quia adhærendo ſententiæ propriæ, exponitur ſæpiſſimè variis peccandi periculis: rarò autem, aut nunquam ſubjiciendo ſe humiliter Directori probo, & intelligenti: unde, ut notarunt animarum Directores, multi miſerabiliter perierunt ſibi obſtinatè adhærendo, qui feliciter vitam finiiſſent Directori ſimpliciter credendo.

Dixi: *Ordinariè*; quia ſi pœnitens ſit timoratæ conſcientiæ, & aliunde noverit ſe in materia Theologiæ non inferiorem Confeſſario, non tenetur, imò non poteſt ſententiam illico mutare: ſed debet ſtudendo & conſulendo rem magis examinare: & interim actionem, de qua agitur, ſuſpendere.

CONCLUSIO II.

TEnetur Confeſſarius inſtruere pœnitentem, quem advertit ex conſcientia erronea credere quædam eſſe peccata, quæ non ſunt, aut mortalia quæ non ſunt niſi venialia.

Prob. Quia debet Confeſſarius, quantùm in ſe eſt, avertere occaſiones peccandi à ſuo pœnitente; atqui talis conſcientia eſt verè pœnitenti occaſio vel peccandi, ubi non peccaret, vel committendi mortale, ubi foret tantùm veniale: ergo Unde errant graviter Confeſſarii, qui ex pietate apparenti, aut potiùs ex magna indiſcretione relinquunt pœnitentes in ſuis erroribus, ne, ſi contrarium inſinuent, abſtineant à certis operibus pietatis, v.g. Ruſticus à Veſperis audiendis; Bertha à Benedictione Vener. Sacramenti, Monialis non obligata, à recitandis Horis Canonicis: Religioſus à ſervando ſilentio, aut jejunio Regulari &c. meliùs eſt enim, ut centies, imò millies, peccent venialiter illa omittendo, quàm vel ſemel mortaliter, conſcientiæ erroneæ contraveniendo.

CONCLUSIO III.

NOn eſt monendus pœnitens, ſi ex conſcientia invincibiliter errante, committat peccatum, à quo creditur non emendandus: aliud eſſet, ſi fructus ſperaretur, aut error bono publico noceret.

Prob. 1. Ex illo quod dicitur Auguſtini lib. 50. homiliarum hom 41. *Si ſcirem tibi non poſſe prodeſſe, non te admonerem, non te terrerem.* Ibi tamen non reperitur.

Prob. 2. Non eſt adhibenda, ſecluſo aliorum ſcandalo, correctio fraterna, ubi creditur non profutura; ſed in noſtro caſu non eſt profutura, ſed obfutura, cùm jam peccans materialiter, ſit peccaturus formaliter: ergo. Caveat ergo Confeſſarius *monere* maritatum cum impedimento dirimente, de nullitate Matrimonii, ſi prudenter exiſtimet non relicturum uxorem putativam, ſuamque inſtructionem vertendam ipſi in laqueum, & cauſam ruinæ ſpiritualis: Sicut enim Medicus abſtinet quandoque à medicinis & potionibus præſcribendis, non quia de ſe nocivæ ſunt, ſed quia nocerent in illis circumſtantiis ob indiſpoſitionem infirmi illas ſuſtinere non valentis; ità etiam Confeſſarius, qui eſt Paſtor & Medicus, debet interdum abſtinere ab inſtructione, non quia de ſe ordinatur in malum pœnitentis, ſed quia pœnitens ob animi imbecillitatem, aut aliis de cauſis, verteret ſibi in damnationem, quod fuiſſet ordinatum ad ejus ſalutem.

Doctrina præfata applicanda eſt caſibus ſimilibus; ubi ſaltem tantùm intervenit ignorantia facti; quod addo; quia ubi ignorantia eſt juris, & in rebus ad legem naturæ pertinentibus, non idem facilè dixerim; quia etſi ignorantia illa ſit hodie invincibilis, brevi fiet vincibilis ob dubium, aut ſuſpicionem malitiæ, quam ex ſe facilè ingerit actio per ſe mala: unde Adoleſcentem repertum in ignorantia invincibili circa pollutionem (ſi fieri poſſit) ſtatim admonerem, etſi inveterata habitudo mihi ſpem exiguam emendationis ſuggereret. Cujus ratio ulterior eſt, quòd non monitus, ſuſpicionem de malitia, quæ brevi ſuborietur, facilè ſit contempturus, ſicque facilè peccaturus formaliter, nequidem talia confitendo, ut ſatis oſtendit experientia; monitus autem, ultra quod ſit aliqualis ſpes, licèt exigua, emendationis integræ, rariùs peccabit, Conſcientiæ remorſu agitatus, peccati horrore perterritus, & à Confeſſariis in tribunali pœnitentiæ reprehenſus.

Dixi in Concluſione: *Aliud eſſet ſi fructus ſperaretur*; quia tunc, etiam ubi ignorantia tantùm eſt facti, teneretur Confeſſarius ex officio, pœnitenti errorem manifeſtare, cùm debeat tanquam Doctor ſic illum inſtruere, ut etiam poſſit peccata materialia vitare: unde in caſu allato de nullitate Matrimonii, ſi poſſit Confeſſarius facile diſpenſationem obtinere, & ſine gravi incommodo conjugibus perſuadere, ut iterum occultè contrahant, deberet in id incumbere; caveat tamen priùs pœnitentem monere, quàm diſpenſationem obtinuerit.

Dixi 2. *Aut error noceat bono publico*: ut ſi in noſtro caſu publica eſſet Matrimonii nullitas; & ideo ſcandaloſa cohabitatio; aut ſi quis invalidè ordinatus celebraret, aut alia Sacramenta miniſtraret; tunc enim neceſſariò eſſet de errore monendus, quantumcunque eſſet inde turbandus, & gravioris peccati occaſionem ſumpturus.

Sed

Sed quid agendum Confeſſario, dum aliqua credens invincibiliter ſe eſſe validè maritatam, cùm tamen reverà non ſit, non vult accedere ad maritum ex ira, aut ex alia paſſione, & tamen non expedit ei Matrimonii nullitatem declarare?

Reſp. 1. Non poſſe illam impellere, ut petat debitum; quia impelleret ad fornicationem, ſaltem materialiter peccaminoſam: unde licèt hoc diſſimulari poſſit, non tamen ſuaderi.

Reſp. 2. Juxta Conink, Sanchez, & Henriquez, poſſe ipſi præcipere, ut reddat debitum; quia tunc non præcipitur peccatum, nequidem materiale: cùm ut aliquid ſit peccatum materiale debeat poſſe vitari: unde ſicut illa, quæ per vim opprimitur, nequidem materialiter peccat, ità nec uxor putativa in noſtro caſu reddendo debitum; cùm non poſſit ſine peccato illud negare: unde niſi velit reddere, non eſt abſolvenda, cùm ſit in ſtatu peccati ratione credulitatis.

Dices cum Bonacina & Sylvio: non tenetur illa reddere debitum: ergo reddendo peccat materialiter.

Reſp. Diſt. Ant. Non tenetur &c abſolutè loquendo: C. ſuppoſita conſcientia invincibiliter errante, in qua debet relinqui: N. adeoque poteſt hoc à Confeſſario præcipi, cùm non præcipiat rem malam, ſed debitam, ſuppoſitis circumſtantiis concurrentibus.

CONCLUSIO IV.

TEnetur Confeſſarius dicere veritatem pœnitenti interroganti de aliquo, an ſit peccatum, necne, licèt prævideat commiſſurum illud peccatum.

Ratio eſt; quia tunc præſumi debet pœnitentem laborare ignorantia vincibili ratione ſui dubii.

CONCLUSIO V.

OBligatur denique Confeſſarius monere pœnitentem, qui ex conſcientia, etiam invincibiliter errante, credit aliqua non eſſe abſolutè neceſſaria ad ſalutem, quæ tamen revera ſunt, ut, ſi credat, ſe poſſe juſtificari extra Sacramentum ſine contritione; in Sacramento ſine ullo dolore, ſine propoſito ſeſe emendandi, aut fugiendi occaſiones proximas; ſe poſſe ſalvari ſine Fide Dei unius, Trini, & Incarnati: Item etiam monere debet, ſi ex eadem conſcientia putet ſe non teneri ſcire ea, quæ tantùm ex præcepto credenda ſunt.

Ratio eſt, quia etſi id muneris non competat ipſi ut judici, competit tamen ut Doctori, qui debet pœnitentem errantem de ſuo errore informare. Quænam autem ſint ſcitu neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, quænam neceſſitate præcepti, & quomodo procedere debeat Confeſſarius cum illis, qui ſimilia ignorant? fusè diximus in Tractatu *de Virtutibus*, agendo de Fide.

QUÆSTIO V.

Variæ Quæſtiunculæ de Conſcientia erronea.

PEtes 1. An unico actui poſſit ineſſe duplex ſpecie malitia ratione conſcientiæ culpabiliter erroneæ?

Reſp. Affirm quia ſi quis deneget eleemoſynam Sacerdoti in extrema neceſſitate conſtituto, putans ſe per hoc violare Religionem, & non Charitatem, utramque violat: Religionem quidem, ob conſcientiam erroneam: Charitatem verò, quia ipſi opponitur omiſſio eleemoſynæ, cujus malitiam non abſtergit error culpabilis.

Petes 2. An ſit licita complacentia de actu malo poſito ex conſcientia invincibiliter dictante eſſe bonum aut indifferentē.

Reſp. 1. Licitam eſſe, ſi in hoc præciſe conſiſtat quòd actus poſitus fuerit ſine ulla prorſus cognitione malitiæ, adeoque ſine peccato; quia licitum eſt, imo honeſtum, gaudere de non commiſſo peccato.

Reſp. 2. Si actus ſit intrinſecè malus, complacentia de illo erit etiam mala, vel graviter, vel leviter, juxta malitiam actus. Ratio eſt, quia objectum in quod fertur eſt de ſe malum.

Reſp. 3. Si actus ſit de ſe indifferens, & tantùm malus quia prohibitus per legem poſitivam, ut comeſtio carnium in Vigilia S. Laurentii; complacentia de illo non erit mala, quia objectum non eſt malum, ſed indifferens: eſſet tamen peccaminoſa, ſi tenderet in illam comeſtionem ut factam die prohibita; quia delectatio haberet pro objecto tranſgreſſionem præcepti; quod eſt inordinatum.

Petes 3. Quomodo ſe debeat gerere credens ſe peccaturum, quidquid agat in certis circumſtantiis; v. g. putat infirmus ſe teneri comedere carnes in Quadrageſima, ut conſervet vitam, & aliundè putat ſe violare per comeſtionem præceptum Eccleſiæ.

Reſp. Si conſcientiam errantem non poſſit corrigere, vel doctiores conſulendo, vel rem accuratiùs perpendendo: ipſi eligendum eſſe id, quod credit minùs peccaminoſum, quod eſt comeſtio carnium in propoſito, eò quòd in tali circumſtantia & perplexitate non cenſeatur Eccleſia graviter obligare, imò non obligat, & ideo comeſtio tunc non eſt in ſe peccaminoſa. Ratio reſponſi eſt, quia, ut habet axioma commune, *Ex duobus malis minus eligendum*, & ideò illud eligendo non peccat defectu libertatis, non quidem reſpectu comeſtionis, cùm poſſit phyſicè loquendo non comedere, ſed reſpectu peccati vitandi, eò quòd ſive comedat, ſive non, ſit peccaturus. Si autem id, quod credit majus malum, amplectatur, peccabit non quidem tota malitia, quæ apparet in actione, ſed juxta exceſſum malitiæ ſupra malitiam minoris mali, adeoque moraliter, aut venialiter, prout exceſſum crediderit gravem aut levem.

Dices: Talis etiam eligendo minus malum, agit contrà Conſcientiam dictantem eſſe peccatum, quod facit: ergo peccat.

Reſp. Neg. Ant. Quia Conſcientia tunc non eſt judicium, quo actionem ſuam putat eſſe malam, cùm judicium illud ſit ſpeculativum, & incapax dirigendi voluntatem, ut poſſit hic & nunc vitare peccatum; ſed eſt judicium practicum, quo dicit in actu exercito, *Cùm ex his duobus malis ſit unum neceſſariò eligendum, præſtat eligere minus*, vel (quando mala ſunt æqualia) *parum refert quodnam eligam*: hoc autem judicium eſt verum & conformerationi ex ſuppoſito dictæ perplexitatis.

Petes 4. Undè colliget quis ſibi ineſſe Conſcientiam vincibiliter erroneam?

Reſp. Si dubitet aut ſuſpicetur de malitia ſuæ actionis aut omiſſionis, & tamen ſine ſufficienti fundamento ſe reſolvat eſſe licitam; aut etiam ſi interius moneatur de rei veritate accuratius examinanda: tunc enim timere debet, ne conſcientia ſit vincibiliter erronea, & ideo nec ſtatim debet ponere actum quem ipſa præcipit, nec ſtatim omittere quem prohibet, ſed ſi ſit ſufficiens, debet rem diligentiùs diſcutere, ſi inſufficiens, doctiores interrogare.

Petes 5. Quomodo ſit deponenda conſcientia erronea?

Reſp. Sufficere ſolam voluntatem, ubi ſola voluntate ſine ullo fundamento concepta eſt: ſi autem in aliquo fundetur, etiam ſine ullo fundamento deponi poſſe affirmant Cajetanus & quidam alii, quibus non adhæreo: cùm enim illa conſcientia non cœperit obligare pro arbitrio voluntatis, ſed ex aliquo fundamento apparenter vero, ut deſinat illa obligatio, debet etiam rationis vel authoritatis fundamentum intervenire, quo prudenter contrarium judicetur: *Rationis* quidem, ubi poteſt quis ſtudendo, examinando, libros revolvendo, ac ſimul humiliter orando, veritatem obtinere: *Authoritatis* verò, doctiores ac præſertim Parochum aut Directorem, virum utique probum, prudentem & doctum, conſulendo: quod facere debent illiterati & maximè ſcrupuloſi.

DISPUTATIO II.

De Conſcientia dubia, & ſcrupuloſa.

LIcèt conſcientia dubia non ſit propriè conſcientia, cùm non ſit judicium, ſed ſuſpenſio judicii, ut ante diximus, nihilominus eò quòd interveniat, ubi deberet adeſſe conſcientia, ſeu judicium adhærens uni parti contradictionis, de ea ſolet hic tractari.

QUÆSTIO I.

Quotuplex ſit dubium?

CONCLUSIO I.

SIcut conſcientia dicitur vera à veritate, erronea ab errore, etiam dicitur dubia à dubio, cujus deſcriptionem anteà dedimus.

Celebris eſt diviſio dubii in ſpeculativum & practicum, *Speculativum* eſt, quod vel non reſpicit actionem humanam, & dicitur *Purè ſpeculativum*, vel non ut hic & nunc ponendam, & dicitur *Practicè ſpeculativum*: Exemplum primi eſt, ſi dubitetur an Rex ſit Pariſiis, utrum Angeli moveant cœlos &c. Secundi, ſi dubitetur an liceat baptizare cum aqua roſacea, celebrare in Sabbatho ſancto, miniſtrare Euchariſtiam benè habenti poſt meridiem &c. *Practicum*, quod ab aliis dicitur *Practicè practicum*, eſt quod reſpicit actionem ut hic & nunc ponendam, ut, ſi dubitem, an poſſim hic & nunc operari ſerviliter, comedere carnes, abſtinere à Miſſa audienda &c. Ex quibus

Reſol. In dubio ſpeculativo non importari practicè practicum, & ideò poſſe primum eſſe ſine ſecundo: practicum è con-

contra ſemper & neceſſariò includere ſpeculativum: dubitans enim an hic & nunc poſſit dare Puellæ oſculum dubitat an oſculum ſit aliquando licitum, imo ex dubio ſpeculativo oritur practicum, nam origo, cur dubitet Parochus, an puer ab Obſtetrice baptizatus, non ſit hic & nunc rebaptizandus, eſt quia dubitat, an habuerit intentionem requiſitam, debitè pronuntiaverit formam &c. Similiter ratio cur dubitet, an debeat hic & nunc reſtituere, eſt quia dubitat, an non habeat alienum.

CONCLUSIO II.

DIviditur etiam ab aliquibus dubium in *Poſitivum* & *Negativum. Poſitivum eſt*, dum occurrunt intellectui rationes, vel authoritates æquales pro utraque parte, inter quas hæret, & velut in æquilibrio conſtitutus judicium ſuſpendit. *Negativum* eſt, dum quis ideò manet ſuſpenſus, quia nullas habet rationes vel authoritates pro, aut contra: ſed talis diviſio videtur impropria, ut rectè advertit Gonzalez in ſuo Tractatu de recto uſu opinionum probabilium, cùm dubium negativum non ſit dubium, ſed mera neſcientia & ignorantia: Ego, inquit Author citatus, non dubito an aſtra ſint paria; nec, an Turca ſaliet aut dormiat, quia pro neutra parte occurrit ratio, ſed penitus neſcio ac ignoro & interroganti an aſtra ſint paria, reſpondere debeo: *neſcio*, & ineptè reſponderem: *dubito*, quia ſi ita reſponderem, poſſet aliquis interrogare: quam rationem habes dubitandi? cui interrogationi nihil poſſem reſpondere. Hæc ille: Undè non datur dubium morale & prudeos, niſi quando interveniunt pro & contrà fundamenta rationis vel authoritatis æqualia ratione quorum manet anceps animus, eò quòd non habeat cur huic parti potiùs adhæreat quàm illi: & ſic patet corruere allatam diviſionem: cùm id quod dicitur dubium negativum, non ſit dubium, & quod dicitur dubium poſitivum, ſit vel ſimpliciter dubium, vel certè, propter negationem aſſenſus circa utramque partem contradictionis, dubium negativum.

CONCLUSIO III.

DUbium denique aliud eſt juris, aliud ſacti. Primum reſpicit jus, legem, aut præceptum, dubitando an ſit lex, necne; vel, ſuppoſito quod ſit, an ſit promulgata, vel etiam an promulgata comprehendat hanc perſonam, vel hunc caſum ſpecialem. Secundum, ſeu facti (ſub quo comprehenditur & dubium de faciendo) eſt dum quis certus de lege, dubitat an fecerit aut facere debeat aliquem actum, ad quem obligat lex, v.g. novit pœnitens adimplendam eſſe pœnitentiam Sacramentalem; dubitat an adimpleverit, & an iterum adimplere teneatur, dubium habet de facto, & de faciendo: ſicut habet Confeſſarius dubitans ao abſolverit pœnitentem, & conſequenter an non teneatur denuò abſolvere.

Porro poteſt, eſſe dubium facti *præteriti*, v.g. an data fuerit eleemoſyna pauperi? *præſentis*, an ſit nunc Miſſa audienda? & *futuri*, an votum ſit adimplendum prima opportunitate, aut pro libitu voventis?

QUÆSTIO II.

An operans cum Conſcientia practicè dubia peccet, & qualiter?

CONCLUSIO I.

SEmper peccat operans cum Conſcientia practicè dubia, adeoque tenetur vel dubium, antequàm agat, vincere, vel partem tutiorem eligere: hoc eſt, vel omittere actionem, de qua dubium eſt an ſit licita, vel ponere actionem, de qua dubitatur an non ſit præcepta. Eſt communis inter Doctores.

Prob. 1. Ex illo Eccleſiaſtici 3. *Qui amat periculam, in illo peribit*: ſed qui agit practicè dubius an actio ſua, aut omiſſio, ſit licita, necne, exponit ſe manifeſto peccandi periculo, cùm fortè ſit licita, fortè illicita. ergo.

Præterea non agit ex fide ſeu præſuaſione quòd actio ſua aut omiſſio liceat; jam autem, *quod non eſt ex fide, peccatum eſt*. Rom. 14.

Prob. 2. Quia taliter operans cenſetur velle interpretativè malum; cùm velit abſolutè ponere opus ſive bonum ſit, ſive malum, cùm de utroque dubitet. Accedit, quòd ad licitam operationem requiratur judicium, moraliter certum de licentia actionis: ille autem, nequidem habeat probabile.

Dices: Dubitans an actio ſua ſit bona aut mala, non benè agit, licèt fortè ſit bona è parte rei: ergo nec agit malè, licèt fortè ſit in ſe mala.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd ad rectè operandum debeat repræſentari objectum ex omni parte bonum; quia bonum ex integra cauſa, dubius autem, habeat objectum prout ſubjacet intellectui, fortè bonum, fortè malum: ad male autem operandum, ſufficiat ineſſe objecto ut intellectui repræſentato, aliquam malitiam, aut ejuſdem periculum, quia malum ex quolibet defectu.

CONCLUSIO II.

OPerans cum Conſcieotia practicè dubia peccat mortaliter, ſi dubitet an id quod facit vel omittit ſit mortale: venialiter autem, ſi dubitet an ſit veniale.

Ratio clara eſt; quia in tantùm peccat, in quantùm peccatum, cujus periculo ſe exponit, grave eſt, aut leve.

CONCLUSIO III.

OPerans cum Conſcientia practicè dubia, committit peccatum illius ſpeciei, de cujus malitia dubitat, ſeu cujus periculo ſe exponit.

Ratio eſt; quia obligatio Conſcientiæ dubiæ ſequitur ejus dictamen; ſi ergo dictamen inſerat dubietatem peierandi, erit perjurium; ſi detrahendi, detractio; ſi mentiendi, mendacium, & ſic de aliis.

QUÆSTIO III.

An liceat operari cum Conſcientia ſpeculativè dubia.

CONCLUSIO I.

EJuſdem gravitatis & ſpeciei peccatum committit agens cum Conſcientia ſpeculativè dubia, ac agens cum Conſcientia practicè dubia, ſi dubium ſpeculativum ſit vincibile, vel rem examinando, vel Doctores conſulendo.

Prob. Non poteſt quis licitè operari, niſi ſit practicè certus de licentia ſuæ actioois; ſed impoſſibile eſt, ut dubitans, an liceat ſua actio, necne, formet judicium practicum ipſam licere, ubi non variatur per aliquam circumſtantiam dubium ſpeculativum: ergo. Prob. Min. quia dubium de aliqua propoſitione oniverſali redundat in omnem particularem ſub ea contentam, & conſequenter ſi dubites, an liceat oſculari amaſiam, etiam dubitare debes an liceat tibi hic & nunc oſculari tuam. Niſi igitur dubio tuo ſpeculativo ſuccedat notitia, quòd res liceat, præſupponens ſufficientem veritatis inquiſitionem, talis erit tua praxis, qualis ſpeculatio, adeòque ſi hæc ſit dubia, erit & illa.

Porrò, ut quis prudenter deponat dubium ſpeculativum, debet inquiſitio eſſe proportionata rei de qua dubitatur, id eſt, debet eſſe gravis, ubi agitur de gravi peccato vitando. Hanc autem inquiſitionem facere poteſt per ſemetipſum, ſi ſit ſufficiens, vel, ipſo inſufficiente, per alios, qui valeant de re prudenter judicare: unde ſi res illa pertineat ad Theologiam, conſulendi ſunt Theologi; ſi ad Juriſprudentiam, Juriſperiti; ſi ad locorum conſuetudines Conſuetudinarii; ſi ad Medicinam, Medici &c.

CONCLUSIO II.

IMò agens cum Conſcientia invincibiliter dubia ſpeculativè, etiam peccat; adeòque debet vel ab ea actione abſtinere, vel aliunde titulum ſufficientem quærere, per quem formet judicium practicè certum.

Ratio eſt; quia ſicut ex dubio ſpeculativo vincibili non poteſt formari Conſcientia formaliter certa; ita nec formari poteſt ex iovincibili, cùm invincibilitas, ut ita loquar, non detrahat dubium à ratione dubii, & conſequenter dubium ſpeculativum, ſive vincibile, ſive invincibile, generat per ſe loquendo dubium practicum, ubi de actione hic & ounc ponenda agitur: & certè dubitans invincibiliter, an contractus triplex in genere, ſit licitus, id eſt ſic, ut nec ſtudendo, nec conſulendo, nec legendo, poſſit dubium vincere, dubitare debet, an hic contractus triplex in particulari ſibi hic & nunc liceat.

Dixi in concluſione: *Vel debet aliunde titulum ſufficientem quærere*: nam ſpeculativè dubius, præſertim illiteratus, aut non ſatis reſpectu ſui reſolutivus, poteſt reperire titulum, qui vim dubii ſpeculativi elidat, ſicque non impediet quo minus ex titulo formetur prudenter judicium practicum. Exemplum accipe.

Dubitat ægrotus, ao liceat infirmis ſumere juſculum carniom in Quadrageſima, ſtante tali dubio, advenit conſilium viri prudentis & docti aſſerentis id ipſi licitum, talis infirmus poteſt credere quod hic & ounc ſibi liceat talis ſumptio propter dictum illius viri, licèt propter rationes ſuas dubitaret antea utrum eſſet ſibi licita. Dico *antea*; quia alia eſt quæſtio

Google

ſtio utrum, perſeveraute dubio ſpeculativo an ſumptio ſibi liceat poſſit judicium practicum formare, eſſe licitam; an verò debeat prius deponi dubium ſpeculativum? Pro cujus reſolutione ſit

CONCLUSIO III.

PRobabilius eſt in caſu jam allato de infirmo non remanere, cum Conſcientia practicè certa, dubium ſpeculativum, ſcn Infirmum, adhærendo alterius dicto, deponere eo ipſo dubium ſuum.

Prob. Vel enim putat ſuis rationibus prævalere authoritatem dicentis, vel æquivalere: ſi æquivalere, non poteſt formare Conſcientiam; cùm ad hoc non plus moveat authoritas, quàm ſuæ rationes, quæ, ob concurſum aliarum æqualium, teddunt ipſum dubium: ſi prævalere, & ideo formet Conſcientiam: ergo credit, dictum aſſerentis licere, ſumptionem juſculi, eſſe verum, adeòque contradictorium eſſe falſum; quia ſicut cx contradictoriis propoſitionibus neceſſariò una eſt vera, altera falſa; ita neceſſariò ubi una creditur vera, credi debet ab eodem altera falſa, ſicque non poteſt amplius eſſe dubius inter utramque.

QUÆSTIO IV.

Quinam ſunt tituli ſufficientes ad deponendam Conſcientiam ſpeculativè dubiam, & formandam moraliter certam?

VArii aſſignantur ab Authoribus; nempe tolerantia rationalis, praxis communis timoratorum, conſilium viri boni & docti, poſſeſſio &c. Sed ante

Adverte 1. Poſſeſſionem eſſe jus detinendi rem velut ſuam jure firmatam: cujus explicationem dedimus in Tractatu de Jure & Juſtitia. Diſp. 2. q. 5.

Adverte 2. Ab aliquibus Authoribus hic diſtingui duplicem poſſeſſorem, tum in materia Juſtitiæ, tum in materia aliarum virtutum, *legem* ſcilicet, & *hominem*. Lex poſſidere dicitur contra hominem, dum reſpectu illius habet vim obligandi: è contra homo dicitur poſſidere contra legem, dum non conſtat, quòd lex obliget vel abſolutè, vel in aliquo caſu particulari.

Adverte 3. Illum propriè dici poſſeſſorem, pro quo ſtat præſumptio veritatis.

CONCLUSIO I.

T*Olerantia rationabilis* eſt titulus ſufficiens ad deponendam Conſcientiam ſpeculativè dubiam, & formandam practicè certam.

Ratio eſt; quia eo ipſo, quo legiſlator humanus (in legibus enim Divinis non habet locum præſumpta tolerantia) cenſetur rationabiliter permittere, ut ſua lex in talibus circumſtantiis, in talibus caſibus, in talibus perſonis, &c non obliget, poteſt quis, non obſtante dubio ſpeculativo, reſolvere, ſe ad illam hic & nunc non teneri; ſi eadem occurrant, ratione quorum com aliis diſſimulat Legiſlator, cùm non ſit pejoris conditionis, quàm alii.

CONCLUSIO II.

ETiam titulus eſt ſufficiens *praxis communis timoratorum*: ſicut & conſilium viri docti & prudentis, præſertim pro ſcrupuloſis & illiteratis.

Prob. 1. Pars; quia poteſt quis prudenter credere, praxim timoratorum communem non eſſe erroneam, &, ſi erronea foret, jam pridem fuiſſe corrigendam; cùm non ſoleant errores diu vigere apud timoratos, quos non permittit Deus communiter errare.

Prob. 2. Pars: quia cùm ſcrupuloſi & illiterati non ſint ordinariè per ſe ſufficientes, ut actus ſuos dirigant, ſaltem in difficilioribus, prudenter agunt, ſi in dubiis ſuis Doctorum judicio acquieſcant.

CONCLUSIO III.

SAtis certum eſt, *poſſeſſionem in materia Juſtitiæ eſſe* titulum ſufficientem, ut ſpeculativè dubitans, an res aliqua ſit ſua, aut aliena, poſſit formare Conſcientiam rectam, quòd licitè poſſis eam retinere. Patet ex dictis in Tractatu de Reſtitutione Diſp. 1. q. 7. art. 1. concl. 2. Ubi certas modificationes poſuimus, quas ibidem conſule. Sed non ita certum eſt, eſſe titulum ſufficientem in materia aliarum virtutum, ut quis formet Conſcientiam moraliter certam, ſe non teneri hic & nunc ad legem, ubi in dubio poſſeſſio ſtat pro libertate.

Dicunt autem ſuſtinentes illam ſententiam, poſſeſſionem ſtare pro libertate, cùm dubitatur de eo; per quod intrat legis obligatio: è contra poſſeſſionem ſtare pro lege contra libertatem, quando dubitatur de eo, per quod tollitur legis obligatio; ſicque volunt dubitantem, an lex aliqua ſit promulgata v. g. non teneri ad legem; quia promulgatio eſt id per quod intrat legis obligatio, dubitantem verò an ſit abrogatio, diſpenſatio, aut excuſatio ſufficiens, aut eximatur à lege, teneri ad eandem; quia per illa tollitur legis obligatio. Hæc opinio præfert aliquam veritatis apparentiam, cùm in dubio dividat obligationem, detque aliquid legi & aliquid libertati. Nihilominus ſi attentè res conſideretur, evidenter apparebit, nunquam in dubio poſſeſſionem ſtare pro libertate extra materiam Juſtitiæ, quod ſic

Prob. 1. Quia licèt antequam eſſet lex, præcipiens v. g. Feſtum in die Sancti Martini, homo haberet jus ad laborandum, vel non laborandum ſerviliter: ad audiendam miſſam, vel non audiendam; eo ipſo tamen, quo dubitat an ſit talis lex, etiam dubitare debet de ſuo jure, adeoque de ſua poſſeſſione, quæ non poteſt in alio conſiſtere, quàm in ipſo jure. Aliud eſt in materia Juſtitiæ, ubi dubium non eſt de poſſeſſione, cùm ſit certa, ſed de rei poſſeſſæ dominio.

Prob. 2. Dubius de lege, dubius eſt de legis obligatione: ſed dubius de legis obligatione, dubius eſt de ſua poſſeſſione, cùm per legis obligationem tollatur poſſeſſio, ſeu jus ad ponendum vel non ponendum ſine peccato id quod præcipit: ergo. Prob. Maj. dubius, an ſit res, dubius eſt, an ſit illius proprietas, ſic videns moveri aliquid, de quo dubitat, an ſit animal rationale, dubitat an ſit riſibile, quia proprietas eſt inſeparabilis à re cojus eſt: ſed obligatio eſt proprietas legis, & ita proprietas, ut lex non ſit lex, ſed conſilium, ſi non obliget: ergo dubius de lege, dubius de legis obligatione, adeòque de ſua poſſeſſione.

Prob. 3. Dubius, an actio aliqua non ſit peccaminoſa, dubius eſt, an habeat libertatem ad illam ponendam ſine peccato: ſed dubius, an ſit hodie lex prohibens comeſtionem carnium, dubitat, an illa comeſtio non ſit hodie peccaminoſa, cùm dubitet, an ſit forma, aut quaſi forma, per quam redditur de indifferenti peccaminoſa: ergo

Dices 1. Obligatio legi dependet à Legiſlatore, qui præſumitur nolle obligare dubitantem de ſua lege; & conſequenter ubi lex dubia eſt, non eſt dubia poſſeſſio, ſed certa.

Reſp 1. Argumentum illud nimium probare, adeoque nihil: probat enim nequidem teneri ad legem, dubitantem, an lex ſit abrogata, ſublata &c. quod negant ipſimet Adverſarii.

Reſp 2. Præſumptionem illam eſſe malè fundatam, cùm nec in Scriptura, nec in Patribus, nec in Conciliis, nec in Pontificum decretis, imò nec in Jure Canonico, aut Civili reperiatur vel minimum illius fundamentum; imò quid exigant Legiſlatores in dubio, ſatis inſinuant; dum in tot locis clamant, tutiorem partem eſſe eligendam. Sed de hoc fuſiùs poſteà.

Dices 2. Non tollitur certum per incertum: ſed antequam lex ſic ſufficienter promulgata, poſſeſſio libertatis eſt certa: ergo per legem, de qua dubitatur an ſit ſufficienter promulgata, non tollitur poſſeſſio libertatis.

Reſp. Diſt. Ma. Non tollitur certum totaliter, id eſt ſic, ut conſtet non amplius eſſe id, quod dicitur certum: C. quia non conſtat, tunc non eſſe amplius libertatem à parte rei. Non tollitur aliqua ex parte: N: quia poſſeſſio, quæ erat certa, ſit dubia reſpectu operantis.

Dices 3. Si dubius de lege non retineat poſſeſſionem certam libertatis, ſequitur ipſum æquè teneri ad legem, ac ſi certus eſſet de illa: quod non videtur rationabile.

Reſp. æquè teneri, non vi legis dubiæ præciſè, ſed vi legis naturæ non ſolùm recipientis, ut obediamus juſtis Superiorum legibus, ſed etiam ut non exponamus nos evidenti periculo illas tranſgrediendi, cui periculo ſe exponere dubius de lege, ſi illam non ſervaret.

Quamvis hæc videantur nobis certa; cùm plurimi tamen ſuſtineant ſtare poſſe in dubio poſſeſſionem pro libertate, etiam extra materiam Juſtitiæ, quæſtionem aliam inſtituemus, an in hoc ſuppoſito, poſſeſſio illa ſufficiat ſpeculativè dubitanti, ut formet conſcientiam moraliter certam, ſe non teneri ad legem.

QUÆSTIO V.

An poſſeſſio extra materiam Juſtitiæ ſit titulus ſufficiens ut deponatur Conſcientia dubia, & formetur certa, & an detur alius titulus?

SUppono 1. Quando verè dubium eſt, pro qua parte ſtet poſſeſſio, an pro lege, an pro homine, tunc amplectendam eſſe par-

partem tutiorem, ſeu illam in cujus electione nullum eſt periculum peccati; cùm, fatentibus omnibus, tunc locum habeat hæc Regula juris: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*. Cap. *Ad audientiam 12 de Homicidio*.

Suppono 2. Legem naturalem, ſicut & Divinam poſitivam, ſemper eſſe in poſſeſſione contra dubitantem, adeoque ſemper in dubio eſſe pro illa judicandum.

Ratio eſt; quia legum illarum Legiſlator immutabilis, eſt Deus, contra quem creatura non poſſidet: & certè quis non videat, inquit Vaſquez, ridiculum eſſe allegare poſſeſſionem libertatis contra Deum, quaſi verò poſſit quis imaginari Deum litigare nobiſcum de poſſeſſione; & ideo ſi quis dubitet, an debeat aliquando peccata confiteri, ſumere Euchariſtiam, an parentes vitioſi ſint honorandi, debet, ſtante dubio, præfata exequi: unde ſtatus quæſtionis reſpicit tantùm leges humanas.

CONCLUSIO I.

Quamquam materiis legum humanarum poſſeſſio in dubio ſtaret pro libertate (quod fieri poſſe negavimus) non eſſet titulus ſufficiens ad deponendam conſcientiam dubiam, & formandam certam faventem libertati. Ità Vaſquez, Aſorius, Sayrus, Gonet, & generaliter omnes, qui docent in concurſu duarum opinionum æque probabilium, eligendam eſſe tutiorem.

Prob. 1. Ex dubio ſpeculativo neceſſariò reſultat practicum, niſi ſuperveniat novus titulus, ſeu nova ratio, ut antea diximus ex ſententia communi; & ideo qui dubitat, an liceat aliquando mendacium, dubitare debet, an hìc & nunc poſſit mentiri: ſed poſſeſſio libertatis non eſt novus titulus ſuperveniens dubio ſpeculativo, cùm in ipſo dubio ſit imbibitus libertatis titulus: ergo. Prob. Min. quia non dubitat homo, an ſine poſſeſſione ſit licitus talis vel talis contractus, ſed an liceat, etiam cum poſſeſſione libertatis.

Prob. 2. Ratione fundamentali: ideo in materia Juſtitiæ poſſeſſio in dubio favet poſſeſſori, quia facit præſumptionem, quòd poſſeſſor ſit verus dominus rei poſſeſſæ, cùm ordinariè qui poſſidet, rem ſuam & jus ſuum poſſideat, eò quòd res non ſoleat tradi & relinqui niſi vero domino; licèt contrarium fieri poſſit: atqui in materia aliarum virtutum poſſeſſio regulariter (ſi detur) non facit præſumptionem de veritate pro parte quæ poſſidet: ergo &c. Prob Min. qui dubitat v.g. an ſonuerit duodecima nocturna inter diem Jovis & diem Veneris, ex quo oritur dubium, an poſſit adhuc comedere carnes, quamvis ſit in poſſeſſione ſuæ libertatis, illa tamen poſſeſſio non dat illi præſumptionem de rei veritate, id eſt, quòd potiùs non ſonuerit duodecima, quàm ſonuerit; & conſequenter quòd potiùs poſſit comedere carnes, quàm non comedere. Idem patet in eo qui dubitat, an hodie ſit jejunium, Feſtum &c. Ille enim ex poſſeſſione ſuæ libertatis nullo modo poteſt præſumere, quòd hodie potiùs non ſit Feſtum, quàm Feſtum; potiùs non jejunium, quàm jejunium; cùm libertatis poſſeſſio ſit circumſtantia merè impertinens ad majorem aut minorem veritatis agnitionem; & certè tamquam ſtultus & ridiculus exploderetur ab omnibus, qui interrogatus, cur jam crederet, potiùs non eſſe jejunium, potiùs non ſonuiſſe duodecimam, quàm antè, reſponderet, quia reflexi me poſſidere libertatem.

Dices: Reflexio ad poſſeſſionem libertatis non dat quidem præſumptionem de veritate remota, v.g. quòd potiùs non ſit jejunium, quàm jejunium, ſed de veritate proxima, id eſt, quòd potiùs non teneat hic & nunc jejunare, quàm jejunare. Sed

Contra eſt, quòd non poſſit dare præſumptionem de veritate proxima, niſi etiam det de veritate remota; cùm nullus poſſit prudenter credere, ſe non teneri hìc & nunc jejunare, niſi credat priùs non eſſe jejunium.

Accedit, quòd poſſeſſio in materia Juſtitiæ (ad cujus normam metiuntur Adverſarii poſſeſſionem in materia aliarum virtutum) non det præſumptionem de veritate proxima, nempe quòd poſſimus hìc & nunc rem poſſeſſam retinere, niſi quia dat præſumptionem de veritate remota, nempe quòd res ſit potiùs mea, quàm aliena; eò quòd homines ſua poſſidere avidi, non ſoleant apud extraneum illa tamdiu relinquere, ut non extet memoria cujus ſint.

Prob. 3. Contra eos, qui volunt tunc poſſeſſorem excuſari operando, quia cenſetur invincibiliter ignorare: Probatur, inquam: quia dubium etiam ſpeculativum, ingerit aliquam cognitionem oppoſiti; nullam autem ignorantia invincibilis. Prætereà dubitans, dum poſſeſſio ſtat pro lege, non ignorat invincibiliter: ergo nec taliter ignorat, dum poſſeſſio ſtat pro libertate; cùm poſſeſſio libertatis non tollat aut minuat cognitionem objecti.

Obji. 1. Quando in dubio poſseſſio ſtat pro lege, tenemur illam ſequi, ſic qui dubitat, an ſonuerit duodecima inter Sabbathum & Dominicam, non poteſt comedere carnes, quia lex diei Sabbathi eſt in poſſeſſione. ergo ſimiliter dum poſseſſio ſtat pro libertate, poſſumus eximi à lege, adeòque dubii, an ſonuerit duodecima inter diem Jovis & diem Veneris, poſſumus manducare carnes, quia die Jovis libertas poſſidet.

Reſp. Diſt. Ant. Tenemur ſequi legem præcisè, qua poſſidet: N. Quia non poſſumus nos exponere periculo peccati; vel quia præſumptio veritatis ſtat pro illa: C. unde ſi ſtaret poſseſſio pro lege, & præſumptio veritatis pro libertate, non teneremur ad legem: quod videtur poſſe accidere hoc caſu: Dubitat quis ità remotus à populo, ut non poſſit inquirere, an jejunium Vigiliæ S. Laurentii ſit translatum in Sabbathum proximum, an verò ſit hodie obſervandum: poſseſſio ſtat pro lege; quia dubitatur de eo per quod tollitur hodie jejunii obligatio; ſi tamen longè probabiliùs credat, ſe fuiſſe monendum per nuntium, aut per litteras, ſi translatio illa facta non fuiſſet, poteſt, non obſtante legis poſseſſione, non jejunare; quia ſtat pro ipſo veritatis præſumptio, nempè quòd ſit facta jejunii tranſlatio.

Obji. 2. Sicut æquitas poſtulat, ne poſseſſor in materia Juſtitiæ ſpolietur ſua poſseſſione, quamdiu de rei dominio dubitat, ità etiam ne operans in aliis materiis, illa ſpolietur, quamdiu dubitat de legis obligatione.

Reſp. Neg Conſeq Ratio enim, cur in priori non debeat poſſeſſor ſpoliari ſua poſseſſione, eſt, quia res, quam poſſidet, præſumitur potiùs illius, quàm alterius, ut dictum eſt: in poſteriori autem, non poteſt præſumi, quòd potiùs lex non obliget, quàm obliget, & ſic debet ſpoliari ſua libertate: quia in dubiis tutior pars eligenda.

Obji. 3. Duplex jus prævalet uni: atqui homo, pro quo ſtat poſſeſſio, habet duplex jus, & lex unicum: ergo &c. Prob. Min. quia homo præter jus dubium utrinque æquale, habet jus certum poſseſſionis.

Reſp. Neg. Min. Ad probationem dico, jus poſseſſionis, quod non dat ullam præſumptionem de rei veritate, nihil hic facere ad rem.

Objic. 4. In materia legis naturæ, poſseſſio eſt titulus ſufficiens dubitanti, ut formet conſcientiam faventem libertati: ergo à fortiori in materia legis humanæ. Prob. Ant quia, Eccleſia ſic ordinante, tenetur uxor dubitans de Matrimonii valore, reddere debitum comparti petenti: ſed illa ordinatio fundatur in poſseſſione dubitantis: ergo

Reſp. Neg. Ant. & Minorem probationis; quia ſi ordinatio illa fundaretur in poſseſſione dubitantis, non tantùm poſſet debitum reddere, quod præcipit Eccleſia, ſed etiam exigere, quod prohibet. Accedit, quòd etiam decernat Eccleſia, ut dubitans reddat debitum, dum poſseſſio ſtat pro lege contra ipſum, ut, ſi mala fide contraxit Matrimonium; modo alter perſeveret in bona fide, & non expediat ipſum de dubio monere. Ratio igitur cur debeat reddere debitum eſt, quia ex duobus malis minus eſt eligendum, cùm enim non expediat dubium ſuum aperire comparti, debet vel denegare debitum cum periculo injuſtitiæ, quia forte validum eſt Matrimonium; vel concedere cum periculo luxuriæ, quia fortè eſt invalidum; eligendo autem reddere, elegit minus malum, cùm minus ſit Caſtitatem violare, quàm Juſtitiam, eò quòd hæc ſit virtus nobilior illa, imò, juxtà D. Thomam, omnium virtutum moralium nobiliſſima. Jam verò eligendo in tali perplexitate minus malum, eligit partem tutiorem, adeoque non peccat.

Inſt. Dubitans de valore Matrimonii, quia dubitat de morte prioris conjugis, debet ſecundo conjugi poſtulanti, debitum reddere: ſed reddendo exponit ſe duplici peccato, & negando, uni tantùm: ergo quòd poſſit reddere, oritur ex poſseſſione, & non ex præfatis. Prob. Min. Quia in redditione eſt periculum incontinentiæ & injuſtitię cõtra prius Matrimonium, & in negatione tantùm eſt periculum injuſtitiæ contrà poſterius.

Reſp. Negantem, ſe quidem unico peccato exponere, ſed maritum variis exponit peccatis formalibus, putà, iræ, blaſphemiæ, pollutionis, commixtionis cum alia &c. quæ pericula ſimul ſumpta, cenſentur gravius malum, quàm illud quod oriri poteſt ex redditione; & ideò tunc eligens reddere debitum, eligit minus malum adeoque partem tutiorem, & ideò excuſatur à peccato. Ex dictis

Reſol. 1. Dubitantem, an inchoaverit annum vigeſimum ſecundum, non poſſe ſuſcipere ſacros Ordines: An habeat annum vigeſimum primum completum, debere jejunare: An comederit poſt mediam noctem, non poſſe communicare: An ſonuerit duodecima nocturna, non poſſe comedere carnes, ſi dies præcedens aut ſequens ſit dies abſtinentiæ? An legerit Horas Canonicas, teneri recitare. An audierit Sacrum in die Domi-

oico,

Google

nico, aut feſto, obligari audire, quia in illis omnibus, ſive dicatur poſſeſſio ſtare pro libertate, ſive pro lege, nullam tamen dat præſumptionem de rei veritate. & ſic pars tutior eſt eligenda.

Reſol. 2. Dubitantem de aliquo facto, propter quod excommunicatio aut Irregularitas incurritur, v. gr. an percuſſerit clericum, an aliquem occiderit, debere partem tutiorem eligere, adeòque ſe ut excommunicatum, aut irregularem gerere, ſivè in foro interiori, ſivè exteriori, conſequenter ab hominum communione & à celebratione abſtinere, ſaltem ſi ſit fama publica, quòd talis facti ſit reus. Ita Paludanus, Sayrus, Gonet & alii plurimi. Patet ex cap. *Ad audientiam* 12. *De Homicidio*, ubi expreſsè decernitur, ut dubitans de Homicidio à ſe commiſſo, cenſeatur irregularis. Item ex cap. *illud.* De Clerico excommunicato, ubi Innocentius III. graviter reprehendit quemdam, qui dubitans an eſset excommunicatus, divinis tamen fungitur, Quæ omnia ſtatuuntur ex hoc fundamento: *in dubiis tutior pars eſt eligenda*, ut illa Capita inſpicientibus patebit: undè non ſatis rectè exiſtimant aliqui, conſtitutiones illas non eſſe extendendas ad alia dubia facti, cui annexa eſt irregularitas, aut excommunicatio, quandoquidem Pontifex in illis textibus, non afferat Regulam prælatam tanquam noviter impoſitam, ſed ſupponens tanquam veram, in jure naturæ fundatam, inde eruat in dubiis eligendam eſse partem tutiorem.

Adverte tamen 1. in dubio facti, juxta Angelum, Sylveſtrum, & alios, non eſse puniendum aliquem pœna ordinaria talis delicti: & ita quamvis in dubio homicidii cenſeri debeat irregularis, ut abſtineat à Celebratione, ab Ordinibus ſuſcipiendis, aut adminiſtrandis, non tamen, ut ſit privatus beneficio, aut puniatur alia ordinaria homicidii: quia præſumitur, non velle Eccleſiam punire crimina incerta pœnis certis, niſi aliter ſtatuat, ut fecit de Irregularitate, Excommunicatione, & aliis cenſuris; de aliis pœnis nihil ſtatuens, quod & debuiſſet facere.

Adverte 2. Non eſse habendum pro excommunicato ab aliis eum, qui fecit actum, de quo dubitatur, an propterea ſit excommunicatus; quia poſt Conſtitut. Conc. Baſileenſis Seſs. 20. & Martini V. quæ incipit *Ad evitanda ſcandala*, tantùm vitandus eſt excommunicatus denunciatus, aut notorius Clerici percuſſor.

CONCLUSIO II.

QUando præſumptio veritatis ſtat pro libertate, eſt titulus verus & ſufficiens ad deponendam Conſcientiam dubiam in qualibet materia, quia cùm non poſſimus in omnibus omnimodam veritatem aſſequi, ille prudenter agit, qui in dubiis occurrentibus, illam partem amplectitur, pro qua ſincerè exiſtimat ſtare præſumptionem veritatis, aliàs eſſet onus intolerabile, ſi ubique & omnibus pars tutior eſſet eligenda, Hinc

Reſol. 1. Dubitantem an voverit, necne, non teneri ad votum, ſi habeat experientiam de ſeipſo, quod non facilè obliviſcatur rerum, quas maturo conſilio & plena deliberatione fecit quia poteſt formare hunc diſcurſum: ſi emiſiſſem votum, meminiſſem modò me illud emiſiſſe, ſicut reminiſci ſoleo aliarum rerum, quas maturè deliberavi: at non memini: ergo non emiſi. Ità ferè Pater Gonzalez. Si tamen quis certus de voto; dubitet de quantitate, v. g. an voverit quatuor aut ſex Miſſas audiendas, tenetur ad tutius, quia non poteſt prudenter præſumere, quòd potiùs quatuor quàm ſex voverit. Aliud eſſet, ſi ex circumſtantiis poſſet haberi præſumptio veritatis pro parte mitiori: ſic Frater Minor certus, quod voverit Roſarium, dubius autem, an ſeptem aut quindecim dedacum, ſatisfacit recitando Roſarium ſeptem dedacum, quia ſolet ordinariè tale Roſario recitare.

Reſol. 2. Dubitantem, an lex aliqua ſit lata, promulgata, abrogata, an in ea ſit diſpenſatum, an comprehendat hanc vel illam materiam, an ſe extendat ad hunc vel illum caſum an detur ratio ſufficiens ſe eximendi à lege, poſſe partem mitiorem amplecti, ſi adhibita ſufficienti diligentia pro indaganda rei veritate, prudenter exiſtimet præſumptionem veritatis ſtare pro libertate. Aliàs ſi præſumptio veritatis ſtet pro lege, vel pro neutra parte, tutius eſt eligendum; quamvis poſſeſſio videatur ſtare pro libertate; quia ubi non facit præſumptionem de rei veritate, hæc pro nihilo reputatur.

QUÆSTIO VI.

Quid agendum dubitanti, an Matrimonium ſit validum, Bellum juſtum, & præceptum Superioris licitum.

CONCLUSIO I.

DUbitanti de valore Matrimonii nunquam licitum eſt debitum exigere, licitum eſt tamen, imò & obligatorium petenti non recuſare: idque tam in foro interno, quàm externo; ſive Matrimonium bona fide contraxerit, ſive mala, ſive examen præceſſerit de rei veritate, ſive non, ſi adſint certæ modificationes. Eſt contra Adrianum, qui vult reddendum quidem eſſe debitum in foro exteriori, in foro tamen interiori, nec licitum eſſe petere, nec reddere. Eſt contra Petrum Ledeſma Veracrux, & quoſdam alios, quibus conſentire videtur P. Herinx, qui docent ante inquiſitionem poſſe reddere debitum, poſt autem, poſſe & reddere & petere, ſi Matrimonium bona fide contraxit.

Ratio concluſionis eſt: quia ità ſtatuit Eccleſia in Cap. *Dominus.* De ſecundis nuptiis; & cap. *Inquiſitioni tuæ* 44. De ſententia Excommunicationis: in quorum primo agit quidem de Matrimonio mala fide contracto; in ſecundo autem, de eo quod bona fide contractum eſt: nec fit ulla mentio an inquiſitio præceſſerit, necne. Quod autem Concluſio noſtra intelligi debeat pro foro Conſcientiæ, patet ex eo, quòd Lucius Papa III. in Cap. *Dominus*, non ſcribat ad Judices fori exterioris, ſed ad Chriſtianos captivos, inſtruens eos quid debeant facere in tali dubio. Cur autem liceat potius debitum reddere, quàm petere, provenit ex eo quòd petendo exponat ſe periculo peccandi, non ſic reddendo, ut patet ex dictis quæſtione præcedenti.

Dixi: *Si adſint certæ modificationes*; nam 1. debet Conjux eſſe verè dubius; nam ſi ſit certus de impedimento, nec debitum petere poteſt, nec reddere, etiamſi per ſententiam Excommunicationis compellatur, quam debet potius humiliter ſuſtinere, quàm commercium carnale exercere, ut dicitur Cap. *Inquiſitioni tuæ* ſup.

2. Intelligitur concluſio, quando tantùm unus conjugum dubitat, ſi enim dubitet uterque, nullus poteſt reddere; quia nullus habet jus exigendi. Ratio autem, cur dubitans tenetur reddere, eſt quia alter, propter bonam fidem, habet jus petendi, & ideo injuſtè denegaretur.

3. Quando dubitans non debet dubium alteri parti manifeſtare, vel quia nulla eſt ſpes quòd alter conjux abſtinebit ab uſu Matrimonii, vel quia eſt periculum notabile gravis ſcandali, &c.

4. Quando dubium eſt de valore Matrimonii, antequam conſumetur, poteſt & debet dubitans tempore primi bimeſtris, etiam petenti, debitum denegare, quamdiu Matrimonium non eſt conſummatum, quia nullam facit injuriam alteri parti, cùm ſit cuilibet Matrimonium ineunti liberum reddere, aut negare debitum in illo tempore: hocque ex ordinatione Eccleſiæ, ut quilibet perpendere poſſit an in Matrimonio permanere, vel ad Religionem tranſvolare velit. Bimeſtri autem tranſacto, debet vel conjugem monere de dubio, ſi expediat; vel petenti debitum reddere, ſi non expediat, propter rationes antea dictas.

CONCLUSIO II.

ILlicitū eſt movere Bellū offenſivum dubitanti an ſit licitum.

Ratio eſt; quia cum Bellum tanto particularium detrimento, tantis incommodis, tantæque ſanguinis effuſioni ſit obnoxium, illud movens exponeret ſe manifeſto multarum injuriarum periculo. unde relinquendus eſt in poſſeſſione poſſeſſor pacificus: qui autem ſecus fecerit, ultra innumera peccata, quibus ob periculum evidens exponitur, tenetur ad reſtitutionem non ſolùm Provinciæ, Urbis, Caſtri &c. quibus poſſeſſorem ſpoliavit, ſed etiam expenſarum, quas fecit aggreſſus, & totius damni ipſius ſubditis illati.

Sed quid ſi dubitent milites inferioris ordinis, qui non admittuntur ad conſilium bellicum?

Per ſe loquendo tenentur dubium deponere ex credulitate, quòd eorum Princeps habeat juſtas cauſas, quas ipſi non prævident; imò quas non tenentur examinare; quia milites ſunt tantùm executores ſententiæ Principis, ſicut lictor ſententiæ judicis: hic autem non tenetur examinare cauſam partium, & conſequenter nec illi: unde Can. *quod culpatur* 25. q 1. c. 4. dicitur licitum eſſe viro juſto bellare ex præcepto Regis, etiam ſacrilegi, quando dubius eſt, an bellum ſit licitum.

Dixi: *per ſe loquendo*: quia ſi Princeps ſoleat movere bella injuſta, nec in hoc appareat juſtitia, non poſſunt militare: quod à fortiori dicendum eſt de illis, qui pro libitu militant: unde non excuſantur à mortali, qui in quolibet bello, qualecunque fuerit, parati ſunt pro ſtipendio militare.

CONCLUSIO III.

SUbdito dubitanti an præceptum Superioris ſit de re licita, non eſt licitum obedire, ſi dubium non deponat; poteſt tamen deponere, imò tenetur, ſi Superior ſit vir probus, doctus, & diſcretus, nec limites ſuæ poteſtatis excedat.

Prob. 1. Pars; quia agere cum Conſcientia practicè dubia, eſt intrinſecè malum, adeòque nullo Superioris præcepto poteſt cohoneſtari.

Prob.

Prob. 2. pars; quia illo caſu poteſt inferior facilè præſumere quòd res, de qua dubitat an ſit licita, necne, ſit verè in ſe licita propter rationes ad quas hic & nunc non advertit; cùm non ſit veriſimile Superiorem bonum, doctum & prudentem, rem illicitam præcepturum: quod facilius facere poſſunt non ita periti.

Advertendum hìc cum D. Thoma non eſſe inferioris inquirere, an res præcepta liceat, ſed rem præceptam promptè exequi, dum non conſtat ei eſſe illicitam; quia inquiſitio illa, ſæpe ex ſuperba ſui opiniune proveniens, Obedientiæ perfectioni contrariatur, quæ, ut docent SS. Patres, & myſtici Doctores, debet eſſe cœca.

Prob. 3. Pars; ubi nullum imminet peccati periculum in executione præcepti Superioris, debet inferior illud exequi; ſed poteſt inferior dubium deponere ut obediat præcepto Superioris, ut jam diximus: ergo tenetur.

Dixi: *Nec limites ſuæ poteſtatis excedat*; quia ubi dubitat inferior an habeat juriſdictionem ad miniſtranda ſæcularibus certa Sacramenta, aut licentiam Papæ ad legendos libros prohibitos, nec debet, nec poteſt Superiori illa præcipienti obedire, cùm hic non poſſit ſuo præcepto inſufficientiam juriſdictionis, aut poteſtatis (ſi deſit) ſupplere: poſſet tamen inferior, ubi rationes Superioris crederet ſuis fortiores, acquieſcere, ubi non agitur de valore Sacramenti, imò tunc teneretur obedire.

CONCLUSIO IV.

QUando, omnibus ſpectatis, & ſecundum Deum examinatis, dubitat ſubditus ex cauſa rationabili, an præceptum Superioris ſit de re injuſta, non ſemper tenetur obedire, ſed debet partem tutiorem amplecti. Ita Sotus, Clavis-regia, Medina & alii.

Ratio eſt; quia extra materiam juſtitiæ, in dubiis ſemita tutior eſt eligenda: unde dubitans an Superior juſtè mihi præcipiat, ut revelem crimen fratris occultum, ex cujus manifeſtatione imminet fratri carcer perpetuus, aut famæ læſio notabilis, non poſſum obedire: ſicut nec poſſum parere judici, de cujus interrogationis juſtitia dubito, dum me impellit ut feram teſtimonium contra reum privati criminis, ſi hoc non vergat in detrimentum boni publici. Ratio eſt; quia præſtat non obedire, quàm proximi famam aut vitam perdere. Excipe tamen niſi Superior aut Judex eſſet me doctior, &, expoſita dubitandi ratione, adhuc urgeret. E contra in caſibus allatis teneor obedire, ſi crimen vergat in damnum publicum, ut proditio civitatis, crimen læſæ Majeſtatis, hæreſis &c. quia præſtat ut privatus infametur, aut pereat, quàm Reſpublica Civilis aut Eccleſiaſtica graviter damnificetur; cùm pars, præſertim nocens, ſit poſtponenda toti corpori.

QUÆSTIO VII.

An liceat agere contra Conſcientiam ſcrupuloſam; Quænam ejus cauſæ, quæ remedia, & qualiter cum ſcrupuloſis agendum?

SUppono 1. Immeritò pro ſcrupuloſis haberi illos, qui ex timore filiali omnia mortalia & venialia, etiam minima, imò & eorum ſuſpicionem ſtudent vitare, ne ſupremam Dei bonitatem offendant: illi enim non ſcrupuloſi, ſed timorati vocandi ſunt. Similiter nec ſunt inter ſcrupuloſos reputandi, qui, redeunte mentis ſerenitate, ſunt ſalutis incurii, in bonis pigri, ad exteriora profuſi, vagabundi &c. Sicut nec anxii ob peccata præterita indebitè confeſſa; tales enim ut peccatores ſunt tractandi, ſerióque monendi, ut ſaluti invigilent. Illi ergo ſoli propriè cenſendi ſunt ſcrupuloſi, qui contra judicium Doctorum, imò & proprium, dictans actionem aut omiſſionem aliquam eſſe licitam, inquieti ſunt & anxii ne fortè ſit illicita, ob rationes vanas & futiles: undè trepidant timore ubi non eſt timor.

Suppono 2. Poſſe aliquem colligere ex ſignis ſequentibus, an ſit ſcrupuloſus, necne: 1. Si cùm ſit ſalutis ſuæ valdè curioſus, ſæpè tamen dubitat & alios interrogat vel in una, vel in multis materiis. 2. Si advertat ſe frequenter angi in illis rebus, in quibus ſapientes & probi nullum timent peccatum. 3. Si Prælati, Confeſſarii, aut Directoris prudentis reſolutiones nonniſi cum timore & anxietate amplectatur. 4. Si circa Confeſſiones præteritas cum morali diligentia factas ſæpius angatur, illas vel ex toto, vel ex parte repetendo. Si nimium hæreat ſuis reflexionibus, & poſtquam certo vel probabilius judicavit aliquid non eſſe peccatum, adhuc formidet, ne agat cum Conſcientia practicè dubia. 6. Si cùm ſit bonæ vitæ, inquietaretur cogitationibus luxuriæ, hæreſis, blaſphemiæ, à quibus tamen, cùm advertit, abhorret. Denique ſi ſcrupuloſus exiſtimetur à viro docto & prudenti: tunc enim, relictis ſignis, indiciis, argumentis, rationibus, poteſt ſe ut ſcrupuloſum gerere. His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

NUnquam licitum eſt agere contra Conſcientiam ſcrupuloſam, ſi per illam intelligatur judicium, quo quis ex rationibus, licèt vanis, futilibus, & frivolis, exiſtimat actionem aut omiſſionem eſſe ſibi hic & nunc illicitam.

Ratio eſt; quia talis Conſcientia, eſt vera Conſcientia, contra quam agere ſemper intrinſecè malum eſt. Fatendum tamen impropriiſſimè vocari Conſcientiam ſcrupuloſam, cùm ſit de facto Conſcientia erronea, à qua ſemper diſtinxerunt Theologi Conſcientiam ſtrictè ſcrupuloſam, per quam intellexerunt quandam anxietatem & formidinem ortam ex futilibus fundamentis, ne fortè ſit illicita actio, junctam cum judicio practico dictante hic & nunc eſſe licitam. Dico: *judicio*, nam ſi formido degeneret in verum dubium, ita ut non amplius judicet ſcrupuloſus, ſed dubitet an actio ſua aut omiſſio ſit hic & nunc licita, non habet Conſcientiam ſcrupuloſam, ſed dubiam, & ideo valdè periculoſus eſt ſcrupulus: nihilominus non eſt facilè credendum vero ſcrupuloſo dicenti ſe cum dubio egiſſe, ut dicemus poſtea.

CONCLUSIO II.

SEmper licitum eſt ſcrupuloſo, plerumque conſultum, imo quandoque obligatorium, agere contra Conſcientiam ſtrictè ſcrupuloſam, ſeu, quod idem eſt, contra ſcrupulos Conſcientiæ annexos.

Prob. 1. pars. Quia Conſcientia ſtrictè ſcrupuloſa tantum habet umbram Conſcientiæ, cùm ſit tantùm timor & apprehenſio mali, quibus non obſtantibus perſeverare cenſetur judicium practicum de licentia actionis, ſaltem fundatum ſuper principia extrinſeca, v. g. ſuper prudentis Confeſſarii reſolutionem: unde tunc, ut ait P. Herinck, non operatur ſcrupuloſus contra Conſcientiam, ſed contra Conſcientiæ inanem formidinem.

Confirmatur; quia ſi non liceret ſcrupuloſo agere contra Conſcientiam ſcrupuloſam, multis foret ſalus impoſſibilis, cùm vix aliquid facere poſſint, vel omittere, niſi trementes ne fortè ſit illicitum.

Prob. 2. pars, quia illud eſt conſultum, quod eſt melius, ſed melius eſt ſcrupuloſum agere contra ſcrupulos, quàm illis adhærere: ergo. Prob. Min. Quia illis adhærendo, totum ferè tempus in nugis & frivolis conſumitur, illos autem ſpernendo, tempus, ut Deo, ſaluti, & obligationibus vacemus, reperimus, imò & ſic facilius mentis ſerenitatem & conſolationem recuperamus.

Prob. 3. pars; quia ex ſcrupulorum fomite, notabile damnū obvenire poteſt ſaluti, ſcrupuloſi ſiquidem caput lædendo & ſpiritu nihil proficiendo, exponunt ſe gravibus tentationibus deſperationis, blaſphemiæ, infidelitatis: item periculo negligendi obligationes, & frænum laxandi omnibus vitiis, in quibus periculis culpa, etiam mortalis, poteſt reperiri.

CONCLUSIO III.

SEquentes ſcrupulorum cauſæ & radices aſſignantur à Doctoribus: 1. Artificium dæmonis Conſcientiam teneram & ſtrictam magis arctare ſatagentis, ut hominem vehementer ſcrupulis exagitatum & excruciatum, à Deo tanquam exactore duriſſimo alienet & retrahat; maximè autem ſcrupuloſum agitat, vel cùm horæ ſunt recitandæ, vel Miſſa celebranda, vel ſacra Synaxis ſumenda. 2. Permiſſio Dei, vel ut puniat delicta præterita, vel ut augeat præmia futura. 3. Nimiæ auſteritates, quibus interdum caput ità infirmatur; ut animus turbetur. 4. Immoderata peccandi formido. 5. Scrupuloſorum conſortium. 6. Abundantia proprii judicii, quo ſcrupuloſus, relictis aliorum conſiliis, capitis ſui viſionibus adhæret. 7. Subtilitas ingenii rationes dubitandi invenire capacis, ſolvere incapacis. 8. Defectus judicii tentationem à conſenſu, peccatum mortale à veniali, dubium ſpeculativum à practico diſcernere non valentis. 9. Animi irreſolutio. 10. Complexio frigida, melancholica, formidoloſa.

CONCLUSIO IV.

VArii varia referunt ſcrupuloſorum remedia. Ac 1. mitigandæ ſunt auſteritates immoderatæ per ciborum ſufficientiam, per ſomnum longiorem; imò, ſi timeatur amentia, obligandus eſt ſcrupuloſus ut abſtineat à jejunio, etiam quando

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſia, aut Regula illud præcipit. Item ab exercitiis ſpiritualibus, in quibus imaginatione & intellectu diſcurſu agendum eſt.

2. Conſortium ſcrupuloſorum omninò vitandum.

3. Contra nimiam formidinem conſiderandum eſt Deum non ſolùm eſſe judicem juſtum, ſed etiam Patrem miſericordem, benignum, & placabilem; nec plus exigere à nobis, quàm exigat ab aliis, quos etiam timoratos videmus ſine ſcrupulo, ſine anxietate, actiones illas exercere vultu hilari, in quibus peccatum ſine cauſa formidamus.

4. Humor pravus, & melancholicus medicinis purgandus eſt, & interim honeſtæ recreationi vacandum: quòd ſi advertat Confeſſarius ex rationibus, diſcurſibus, aut aliis actionibus ipſius melancholici, humore pravo cauſare delirium partiale reſolvat adaucter, ipſum non peccare in ea materia, in qua mania laborat, hocque defectu uſus rationis ſufficientis.

5. Scrupuloſo ſæpiùs eſt agendum contra ſcrupulos, ut illos paulatim vincat, & totaliter contemnat; & ideo caveat argumentis ex illis conſurgentibus reſpondere, aut cogitationes circa illos advenientes fovere; quò enim magis cogitationibus illis indulgetur, eò magis imprimuntur & radicantur. Caveat inſuper pro repellendis ſcrupulis uti certis ſignis exterioribus, quaſi dicat: *non conſentio*; illud enim & aliis riſum movet, & ſcrupuloſo nihil utilitatis adfert.

6. Excludendus eſt ſcrupulis aditus per ſerias & continuas occupationes.

7. Frequens ad Deum recurſus per actus amoris, reſignationis Divinæ voluntati, & humiliationis, exiſtimando ſe propter peccata, & in Dei ſervitio pigritiam, & tepiditatem, tales pœnas fuiſſe meritum, eaſque Deo offerendo in ſatisfactionem peccatorum, cum ſpe tranquillitatis reddendæ. Si ſcrupuloſus ſit vir doctus, advertat quænam remedia aliis præberet contra ſcrupulos, & ipſe ſibi illa applicet, cùm non ad plus teneatur, quàm alii.

8. Sequendum eſt in omnibus ſine examine, ſine vacillatione, ſine reſpectu ad proprias ratiunculas, ſed modo cæco, conſilium Directoris ſpiritualis, qui habetur vir doctus & timoratus; ità ut omnia, quæ contra ejus conſilia & reſolutiones occurrunt, negligantur tanquam ſcrupuli, & tanquam dæmonum tentationes repellantur. Dominus enim non plus exigit à ſcrupuloſo, licèt contingeret Directorem errare: unde quidam mortuus, ut refert Aſorius l. 2. c. 2. apparens amico ſcrupuloſo, hoc ei remedium præbuit, ſcil. ut conſuleret bonos & doctos, & eorum conſiliis & monitionibus acquieſceret ad amuſſim. Et certè licèt præfata remedia poſſint dolorem & ingenii tormentum aliqualiter lenire, vix tamen eradicare; unde hoc unum eſſe efficax doctis & indoctis remedium crediderim, ſecluſo ſaltem ſpeciali Dei auxilio.

Cavendum tamen ſcrupuloſo facilè Directorem mutare, vel ſuper reſolutiones ab eo datas alios conſulere, aut etiam poſtquam à Directore contentus diſceſſit, credere vel quòd Confeſſarius caſum ſuum non intellexerit, vel quòd ipſemet ſufficienter non ſe expreſſerit: hæc enim & ſimilia ſunt verè fomenta ſcrupulorum.

CONCLUSIO V.

Dicite puſillanimis: confortamini & nolite timere, inquit Iſaias cap. 35. verſ. 4. illud & dico Confeſſariis & Directoribus, quibus incumbit è ſcrupuloſorum animis timores vanos & futiles eradicare: poſſunt autem ſcrupuloſi circa res præteritas & futuras timere.

Circa res præteritas, debet Confeſſarius & Director, quando novit ſcrupuloſum eſſe valdè timoratum, id eſt, nunquam, vel raro mortalia externa committere cum advertentia plena & deliberatione ità perfecta, ut non poſſit dubitare, an ſit mortalia, & nihilominùs ferè ſemper formidat, an mortaliter peccaverit, debet, inquam, omnia ejus peccata dubia, præſertim interna, in meliorem partem explicare, adeòque reſolvere quòd cogitationibus impuris, blaſphemiis, & ſimilibus non conſenſerit, ſicut nec judiciis temerariis, quamdiu, an conſenſerit, dubitat; quia non eſt præſumendum quòd ille, qui à tot annis mortalibus externis abſtinet, licèt illa facilè & cum majori delectatione quàm interna poſſit committere, voluerit cogitationibus internis conſenſum præbere; unde debet Confeſſarius illa contemnere, nec permittere ſcrupuloſo, ut eas ſubjiciat clavibus, ſed debet ipſum, dum non habet aliam materiam, à ſe repellere, & verbis interdum aſperis ad Euchariſtiam ſumendam, vel ad Miſſam celebrandam cogere: ſicut Chriſtus dixit Matth. 7. verſ. 26. Diſcipulis naufragium timentibus: *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* Id eſt modicæ fiduciæ, ſive confidentiæ; aliàs manebit perpetua cauſa, occaſio & origo ſcrupuloſorum, ſi omnia dubia confiteantur; quinimò debet quandoque ſcrupuloſum deterrere, ipſi oſtendendo poſſe, adhærendo proprio judicio, mortaliter peccare. Item caveat permittere repetitionem Confeſſionum, ubi conſtat moralem diligentiam in illis inſtituendis fuiſſe adhibitam, ſive interim dubitet ſcrupuloſus de integritate, ſive de examinis ſufficientia, ſive de dolore, ſive de propoſito: quia certò moraliter præſumendum eſt, ipſum præcepto Confeſſionis plenè ſatisfeciſſe, cum ſupponatur valdè timoratus, & ſuarum obligationum ſatis, imò nimium ſollicitus. Præterea, ut advertit P. Herinx, non obligatur ad integritatem materialem Confeſſionis, cum gravi detrimento, quod incurrit ſcrupuloſus ſequendo ſcrupulos; quandoquidem non fuerit inſtituta Confeſſio, ut excruciet hominem, ſed ut ejus conſcientiam ſublevet.

Circa res futuras, conſulat ſcrupuloſo, ut non immoretur examini rerum faciendarum: quod ſi primo aſpectu ut illicitæ non appareant, certò & ſine formidine credat eſſe licitas; quinimò poteſt aliquis adeo eſſe ſcrupuloſus, ut hoc conſilium præberi poſſit, quod nihil ut mortale apprehendat, niſi jurare audeat eſſe tale.

Ratio eſt; quia ſcrupuloſus non eſt capax examinandi rationes, cùm leves & frivolæ ut graviſſimæ illi offerantur: & quantò accuratiùs, & intenſiùs examini incumbit, tantò magis implicabitur ſcrupulis, ut docet experientia. Quòd ſi aliquando contingat hunc ſcrupuloſum aliquid illicitum facere (quod raro aut nunquam continget in materia notabili) non eſt illi culpæ tribuendum; cum ex recta intentione ad vitanda graviſſima incommoda proceſſerit, nullo modo facturus, ſi putaſſet eſſe peccatum. Ita Cajetanus & alii communiter.

Item circa horas Canonicas, pœnitentiam ſacramentalem, adimpletionem voti, & ſimilia, monendus eſt ſcrupuloſus, ut nihil repetat, ſed eo ipſo quo dubitat, an Pſalmum, hymnum, antiphonam aut quid ſimile omiſerit, reſolvat ſe non omiſiſſe; quia cùm probabilius ſit talem anxietatem, non ex dubitatione fundata, ſed ex ſcrupulo oriri, etiam probabilius eſt nullam eſſe repetendi obligationem. Pro coronide

Advertat Confeſſarius quod debeat eſſe firmus & conſtans in ſuis reſolutionibus, ne vacillando novos cauſet ſcrupulos. Advertat etiam pœnitenti ſcrupuloſo tales dandas eſſe regulas, ut poſſit ipſemet ſine recurſu continuo ad Directorem, Conſcientiam ſuam formare, aliàs foret nimis odioſus.

DISPUTATIO TERTIA.

De Conſcientia probabili, & opinionum probabilitate.

INcredibile eſt quot errores, quot mendacia, quot depravationes, imò quot flagitia ex opinionum probabilitate in doctrina morali ſcaturierint, & ſcaturirent in poſterum, niſi Apoſtolicæ doctrinæ repagulis coerceatur immoderata opinandi libido. Tot malorum fons eſt probabiliſmus, à centum circiter & viginti annis moralem Theologiam introductus, & anteà Apoſtolis, Patribus, Conciliis, Theologis, imò Philoſophis moralibus omninò incognitus. Initium autem ex eo ſumpſit, quòd certi homines ſupra modum opinionum ſuarum adoratores, *Ad cognoſcendam veritatem cum aliquo impediuntur obſcuro, non ad Propheticas voces, non ad Apoſtolicas litteras, nec ad Evangelicas authoritates, ſed ad ſemetipſos recurrunt: & ideo Magiſtri erroris exiſtunt; quia veritatis Diſcipuli non fuere*, inquit S. Leo Epiſt. 10. ad Flavianum Cap. 1. cùm ergo nullus ferè ſit in tota Theologia caſus, qui non ſit vel deciſus, vel per legitimas conſequentias decidendus ex Scripturis, Conciliis, aut Patribus, non ſatis prudenter prudentiæ ſuæ innititur, qui, hiſce relictis, ad propriam rationem, ſæpè propriæ præſumptionis fumo obumbratam, recurrit, præſertim ubi agitur de ſtabiliendis principiis generalibus, ex quibus caſuum innumerorum reſolutio dependet. Audiatur hic Tertullianus de præſcript. num. 34. *Apoſtolos Domini*, inquit, *habemus authores, qui nec ipſi quidquam ex ſuo arbitrio quod inducerent elegerunt, ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fideliter nationibus aſſignaverunt*. Unde D. Bern. Epiſt. 174. *Nunquid enim Patribus doctiores, aut devotiores ſumus? periculoſe præſumimus quidquid ipſorum in talibus Prudentia præterivit*. Nos igitur in hac Diſputatione tam celebri, tam utili, & neceſſaria Patrum noſtrorum terminos non tranſgredientes, quidquid in hac materia docuerunt, quantùm in nobis erit, aſſequi conabimur.

QUÆSTIO I.

Quid ſit opinio probabilis, probabilior, tutior, communis, & moraliter certa?

SUppono cum Doctore Seraphico 3 diſt. 24. art. 2. q. 2. opinionem ſimpliciter eſſe aſſenſionem unius partis cum formidine alterius. Per ly *aſſenſionem*, excludit dubium. Per *formidinem*, ſcientiam & fidem Divinam; quarum prima nititur motivo evidenti, altera authoritate infallibili Dei revelantis, quæ omnem formidinem ab aſſenſu excluditur.

CONCLUSIO I.

RElictis pluribus opinionis probabilis definitionibus, ſequentem ut bonam & adæquatam proferimus: Opinio probabilis eſt illa, quæ nititur motivo veriſimili intrinſeco aut extrinſeco, quòd tale appareat opinanti circa præventionem poſt ſufficiens veritatis examen.

Dicitur 1. *Quæ nititur motivo veriſimili*, id eſt tali, quod etſi non conſtet omnimodè eſſe verum à parte rei, maximè tamen ad veritatem appropinquare credatur; & ideo ſi motivum ſit minoris momenti, quàm motivum opinionis oppoſitæ, non eſt veriſimile, ſed falſi ſimile, cùm potiùs ad falſitatem, quam ad veritatem credatur appropinquare: ſi autem ſit æqualis ponderis, eſt verè dubium: ex quo proinde non poteſt formari judicium prudens de honeſtate, aut licentia actionis.

Dicitur 2. *Intrinſeco aut extrinſeco*: Undè duplex eſt probabilitas, una intrinſeca, quæ nititur fundamentis ſeu rationibus rei intrinſecis: altera extrinſeca, quæ nititur Doctorum teſtimoniis & authoritate, & ideò etiam duplex eſt opinio probabilis, una intrinſecè, altera extrinſecè talis.

Dicitur 3. *Quod tale appareat opinanti circa præventionem*, Quia ſunt aliqui ita ſuis rationibus præoccupatum habentes intellectum, ut quidquid eis in contrarium, licèt fortiſſimum, proponatur, nullatenùs inde moveantur: ſicut quidam ita afficiuntur ex neſcio qua propenſione erga certos Authores, ut unum at alterum præferant quatuor aut ſex ejuſdem; imò majoris authoritatis.

Dicitur 4. *Poſt ſufficiens veritatis examen*; Quia debet opinans non tantùm rationes ſuæ partis, ſed etiam alterius expendere, imò & ſolvere, adeoque imprudenter agit, ſi, necdum expenſis, & ſolutis alterius partis rationibus, ſtatim pro ſua parte concludat. Ex dictis

Reſol. 1. Non ſufficere ad fundandum opinionem probabilem, quamlibet rationem vel authoritatem, etiam exiguam, ut patet tum ex dictis, tum ex proſcriptione hujus propoſitionis ab Innocentio XI. *Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Item hujus ab Alex. VII. *Si Liber ſit alicujus junioris & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtat rejectam eſſe à Sede Apoſtolica.*

Reſol. 2. Nec ſatis eſſe generaliter loquendo, ut opinio reddatur probabilis, authoritatem alicujus, licentiati, Doctoris, aut Profeſſoris in aliqua Academia; ſed debent inſuper eſſe rei examinandæ, ſtabiliendæ, & propugnandæ capaces, idque de facto, & ex profeſſo feciſſe, ponderando utriuſque partis rationes & fundamenta; aliàs eorum authoritas non poteſt eſſe operanti motivum veriſimile.

Reſol. 3. Poſſe authoritatem Doctoris unici, in quo reperiuntur jam allegata, eſſe fundamentum prudentis judicii, adeòque opinionis verè probabilis, modò tamen ex illis, qui ejus fundamenta librarunt, nulli aut pauci ipſi contradicant. Cui doctrinæ non adverſatur Alexand. VII. condemnans præfatam propoſitionem: *Si liber ſit alicujus junioris &c.* nam eo ipſo quo dicitur *junioris*, datur anſa dubitandi, an præfata omnia præſtiterit; & conſequenter an ejus authoritas ſit ſufficiens ad fundandam veram probabilitatem.

CONCLUSIO II.

OPinio probabilior eſt, quæ, ſpectatis rationum pondere, & authoritatis gravitate, apparet veriſimilior: Dico *authoritatis gravitate*, & non multitudine, quia *neque ex multitudine authorum*, inquit Juſtinianus lib. 1. §. Neque, *quod melius & æquius eſt judicatote, cùm poſſit unius forſitan & deterioris ſententia multos & majores aliqua ex parte ſuperare*. Penſandæ ſunt igitur Authorum opiniones, & quæ fundamentis ſolidioribus ſtabiliuntur, ſunt aliis præponendæ. Ubi tamen rationes apparent æquales pro utraque parte longè communior cenſeri debet probabilior, quia cùm ipſius fundamenta præſumantur à pluribus meliùs conſiderata, præſumuntur & meliora.

Advertendum eſt, 1. opinionem probabiliorem ſpectari poſſe dupliciter, 1. qui quaſi abſolutè; id eſt ſecundum famam quam habet inter Doctores ſine reſpectu ad aliquem particularem. 2. reſpectivè ad aliquem particularem, cui opinio apparet veriſimilior: unde fieri poteſt ut illud, quod eſt probabilius primo modo, non ſit ſecundo, & è contrà. Sic ſatis communiter inter Doſtores ſententia obligans ad confitendas circunſtantias notabiliter aggravantes eſt probabilior, quam oppoſita, licèt contrarium aliquibus in particulari videatur, E contrà ſententia non obligans appatere poteſt alicui probabilior, licèt communiter minùs probabilis reputetur.

Advertendum eſt 2. eo ipſo quo ſententiam aliquam probabiliorem intrinſecè reputamus, nos non debere ſemper (licèt ordinariè ſic fiat) contradictoriam ejus judicare falſam. Ratio eſt, quia cùm judicamus ſententiam aliquam probabiliorem, judicamus quidem abſolutè veriſimilem, ſed non judicamus abſolutè veram, cùm ſciamus motivum cur illi aſſentiamur, eſſe fallibile; & conſequenter quòd in fundo rei ſit fortè falſa, propter rationes quas hic & nunc non videmus, jam autem, ſi non teneamur credere probabiliorem abſolutè veram, nec tenemur credere ejus contradictoriam abſolutè falſam, ſed tantùm falſi ſimilem, ſeu potiùs falſam, quàm veram.

CONCLUSIO III.

OPinio eſt tutior in materia morum, in cujus ſequela minus eſt peccandi periculum: ex qua definitione & ſimul ex definitione ſententiæ probabilioris, patet aliud eſſe opinionem eſſe tutiorem, aliud eſſe probabiliorem; quia primum petitur ex minori peccandi periculo, ſecundum verò ex rationibus ſolidioribus, vel ex authoritate graviori: unde opinio minus probabilis poteſt eſſe tutior, & probabilior minùs tuta, ſic opinio docens eſſe confitendum, aut ſaltem pœnitendum ſtatim à commiſſo peccato, tutior eſt, quia in ejus ſequela nullum eſt peccandi periculum eſt tamen minùs probabilis: quia rationes pro oppoſita ſententia ſunt ſolidiores. Poteſt tamen fieri quòd eadem opinio ſit ſimul tutior & probabilior, & talis eſt opinio docens contractum triplicem non eſſe licitum.

CONCLUSIO IV.

OPinio communis eſt illa, quæ habet pro ſe octo aut decem Authores graves, qui rem, non per tranſennam & perfunctoriè, non præventi aut neceſſitati, ſed ex profeſſo & in fundo rei tractaverunt, librando in ſtatera Domini utriuſque partis fundamenta: undè ſi ſola authoritate ducti ſe invicem ſequantur, ſicut aves aut oves poſteriores ſequuntur priores, non plures, ſed unus cenſendi ſunt. Opinio verò communior eſt illa; quam tenent plures Doctores habentes jamjam requiſita, minùs communis autem, quam ſequuntur pauciores.

CONCLUSIO V.

OPinio moraliter certa eſt illa, quæ ſecundùm communem hominum exiſtimationem reputatur vera, licèt phyſicè loquendo poſſit eſſe falſa. Sic opinio, qua judico ſacerdotem aliquem eſſe Confeſſarium, quia ſic atteſtatur Epiſcopus, eſt moraliter certa, licèt potuerit Epiſcopus, aut ejus ſecretarius atteſtationem falſam effingere: quod quia rarò evenit, cenſetur in moralibus nunquam evenire.

Advertendum tamen morali certitudini competere quandam latitudinem, adeoque poſſe dari unam majorem altera, & ideò non excludit à ſententia oppoſita omnimodam probabilitatem, ſaltem exiguam & tenuem.

Advertendum etiam in hoc convenire opinionem probabiliorem, & moraliter certam, quòd utraque nitatur ratione magni momenti, item quòd neutra adverſetur Sacræ Scripturæ, Conciliorum, aut Pontificum decretis, nec unanimi Doctorum; ac Patrum conſenſui, in hoc tamen diſconvenire, quòd prima tantùm à quibuſdam, ſecunda autem ferè ab omnibus Doctoribus vera exiſtimetur; Item quòd illa admittat formidinem, ſaltem exiguam: hæc verò excludat omnem formidinem rationabilem, cùm excludat omne dubium prudens.

QUÆSTIO II.

An liceat agere cum Conſcientia probabili, aut probabiliori?

SUppono 1. Conſcientiam probabilem eſſe judicium practicum ex principiis tantùm probabilibus, ſive intrinſecis, ſive

Digitized by Google

ſive extrinſecis formarum, cum formidine ſaltem radicali de oppoſito.

Suppono 2. Diſcrimen eſſe inter opinionem probabilem, aut probabiliorem, & Conſcientiam talem, opinio ſiquidem in ſyllogiſmo practico verſatur circa Antecedens, eſtque reſpectu actionum humanarum regula ſolùm remota; Conſcientia autem, verſatur circa conſequens, eſtque regula proxima & immediata.

CONCLUSIO I.

NUnquam licitum eſt agere cum Conſcientia probabili aut probabiliori, adeòque faciens hunc ſyllogiſmum: Probabile eſt licere ſequi ſententiam probabilem, aut probabiliorem: ſed hæc eſt talis: ergo probabile eſt licere mihi illam ſequi: imprudenter agit, ſi dictamen conſequentis aſſumat tanquam regulam proximam ſuæ actionis. Eſt communis contra paucos.

Prob. 1. Ut quis prudenter agat, nullam debet habere formidinem rationabilem de peccato; ſed operans ex principio immediato dictante eſſe probabile, aut probabilius actionem eſſe licitam, debet habere formidinem de peccato; cùm id, quod eſt probabiliter licitum, ſit fortè licitum, fortè illicitum: ergo imprudenter agit, adeòque exponit ſe peccato formali.

Prob. 2. Qui projicit lapidem ſatis grandem ex feneſtra, credens ſolùm probabiliter, aut probabilius neminem tranſire, non eſt tutus in Conſcientia, eò quòd ſe exponat periculo aliquem lædendi: ergo nec tutus eſt in Conſcientia ponens actionem, quam tantùm probabiliter aut probabilius credit licitam, eò quòd ſe exponat periculo Deum offendendi: undè ſicut ille, ut prudenter agat, debet prius eſſe moraliter certus, quòd nemo tranſeat, ita etiam ut hic prudenter operetur, debet eſſe moraliter certus, quòd actio ſua ſibi liceat. Et ideo ſit

CONCLUSIO II.

UT quis licitè & prudenter agat, debet habere Conſcientiam practicè certam, non quidem metaphyſicè ſed moraliter, ita ut nullum peccatum rationabiliter timeat operando. Eſt verior, & in praxi ſequenda.

Ratio eſt, quia omnis regula ad agendum propoſita, debet eſſe infallibilis, ſaltem moraliter, aliàs ſi fallibilis eſſet, non proponeretur tanquam regula, ſed Conſcientia eſt vera & immediata actionum noſtrarum regula: ergo debet eſſe, ſaltem moraliter, infallibilis, adeòque certa: unde dum quis amplectitur ſententiam abſolutè probabilem, debet explicitè vel implicitè hunc ſyllogiſmum efformare, ut eam ſequendo, prudenter operetur: *prudenter agit qui ſequitur ſententiam quam credit abſolutè probabilem, aut probabiliorem in concurſu minus probabilis, ſed hanc credo eſſe talem: ergo prudenter ago illam ſequendo*: ubi vides Conſcientiam moraliter certam, cum ſequatur ex Minori phyſicè certa, & ex Majori certa moraliter, utpotè vix ab uno rejecta.

Dices: Licitum eſt ſequi ſententiam probabiliorem, ut dicemus poſtea: ergo licitum eſt agere cum Conſcientia ſaltem probabiliori.

Reſp. Diſt. Ant. Licitum eſt ſequi ſententiam probabiliorem immediatè, undè, & ſimpliciter, id eſt, ſecluſis quibuſcunque aliis principiis, quibus in operando dirigamur: N. Cum enim principium illud ſit formidoloſum, etiam formidoloſa eſſet Conſcientia, adeòque peccato formali exponeret operantem. Licitum eſt ſequi &c. remotè, & mediantibus quibuſdam principiis practicis, ſeu formando ſyllogiſmum prætatum aut ſimilem: C. Unde quando judico me poſſe hodie operari ſerviliter v.g. Non innitor immediatè huic principio: *quia probabilius eſt non eſſe feſtum*, aliàs tantùm probabilius eſſet me non peccare, ſed hoc præſuppoſito, indè deduco aliud principium practicè certum, cui innitor tanquam regulæ immediatæ, ut dictum eſt in concluſione.

Inſtabis: Non eſt poſſibilis rudibus formatio talis ſyllogiſmi: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Non eſt poſſibilis, ut fiat explicitè, & in actu ſignato, tranſeat. Ut fiat implicitè & in actu exercito: N. Eo enim ipſo quo ſcientes licere ſequi ſententiam probabiliorem, & credentes ſuam eſſe talem, ſine formidine operantur talem ſyllogiſmum formant. Vide dicta de Conſcientia in genere. Ex dictis

Reſol. 1. Majorem probabilitatem alicujus opinionis non conducere ad vitandum ſecuriùs peccatum, niſi in quantùm conducit ut indè formetur aliud principium immediatiùs magis certum, à quo proximè dirigitur operans.

Reſol. 2. Nullatenus eſſe adhærendum in praxi ſententiæ oppoſitæ; quia actio ſequens ex directione immediata judicii tantùm probabilis, aut probabilioris, *non eſt ex fide*, adeòque *peccatum eſt*.

Dices: qui exiſtimat licere ſibi operari ex Conſcientia probabili, aut probabiliori operatur ex Conſcientia practicè certa; quia explicitè, aut implicitè facit hunc ſyllogiſmum: *licitum eſt agere ex Conſcientia probabiliori; ſed habeo talem: ergo licitum eſt mihi hìc & nunc ex ea ponere talem actionem.*

Reſp. Poſſe quidem formare talem Conſcientiam, ſed concluſio noſtra intelligitur dum quis proximè nudè, & ſecluſo judicio reflexo, innititur Conſcientiæ probabili aut probabiliori. Præterea negari poteſt talem Conſcientiam reflexam eſſe practicè certam, cùm ſequatur ex majori ad ſummum probabili.

QUÆSTIO III.

An ſit licitum ſequi ſententiam minus probabilem relicta probabiliori, ubi tantum controvertitur an actio ſit licita, necne?

DIco: *Ubi tantùm controvertitur an actio ſit licita, necne*; quia ſi inſuper ſit controverſia involvens periculum nullitatis ſacramenti, jacturæ bonorum alienorum, famæ, mortis &c. materiam illam hìc non tangimus, de illa acturi poſtea: unde quæſtio procedit, ubi agitur de ſolo peccati periculo, abſque ullo alterius detrimento, aut detrimenti periculo. Sed ante reſolutionem

Suppono 1. Ubi ſententia minus probabilis tutior eſt, licere, imò perfectius eſſe illam amplecti; cùm magis removeat operantem à peccato.

Suppono 2. Non eſſe illicitum inter diſputandum ſuſtinere ſententiam minus probabilem, relicta probabiliori & tutiori, ubi materia merè ſpeculativè agitatur, id eſt, ſolius diſputationis cauſa; quia tantùm eſt ingeniorum ludus & exercitatio. Cavendum tamen ſcandalum, & ne auditores minoris capacitatis ita præoccupentur, rationibus ſpecioſis, ut illam ſint ad praxim redacturi. Audivi ego Conſiliarium quemdam in aliqua Curia ita contra proprium ſentimentum diſputaſſe cum Advocato alicujus partis, ut plures rationum appar ntia capti, ſuffragati ſint illi parti, quam ipſemet Conſiliarius credebat minus habentem.

Suppono 3. Licere ſequi ſententiam probabiliorem minus tutam in concurſu minus probabilis tutioris; quia imponeretur hominibus jugum intolerabile, ſi in omnibus obligarentur amplecti ſententias ſecuriores, imò nunquam poſſent eſſe quieti, quia quando elicuiſſent actum Contritionis in ordine ad Sacramentum, aut juſtificationem, deberent elicere ſecundum, facto ſecundo, elicere tertium, & ſic ſemper; cùm ſit ſecurius facere plures actus Contritionis, quàm unum, qui potuit non eſſe ſufficiens: & ſic in multis materiis: unde cum humano ingenio ſæpe ſit impoſſibile agibilium veritatem aſſequi, tutò & prudenter ille agit, qui amplectitur ſententiam probabiliorem etſi minus tutam, adeòque eligere viam tutiorem, quando opinio minus tuta eſt probabilior, conſilii eſt, non præcepti: *Non ergo ex neceſſitate*, inquit D. Antoninus, *oportet viam tutiorem eligere, quando etiam alia via poteſt eligi tuta: ſicut enim diverſæ viæ tendunt ad unam civitatem, licèt una tutior alia ſit; ſic ad civitatem cæleſtem alius ſic, alius verò ſic vadit & tutè, licet aliquis tutiori modo.* Quæſtio igitur eſt an liceat amplecti ſententiam minus probabilem, minuſque tutam, in concurſu probabilioris?

ARTICULUS I.

Stabilitur ſententia negativa Sacræ Scripturæ teſtimoniis.

PRob. 1. ex Rom. 14. verſ. 23. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*; atqui ſequens opinionem minus probabilem, minuſque tutam in concurſu probabilioris tutioris, non agit ex fide quid actio ſua ſibi liceat: ergo. Prob. Min. Agens cum dubio non agit *ex fide*, ut antea oſtendimus; ſed ſequens opinionem minus probabilem, eſt dubius & pluſquam dubius, cùm non tantùm putet actionem ſuam fortè eſſe licitam, fortè illicitam; ſed putet potius illicitam, quam licitam, cùm credat potius falſam quàm veram, ob rationes fortiores oppoſitæ ſententiæ: ergo

Prob. 2. Ex ſimili Scripturæ teſtimonio: Eccl. 3. verſ. 27. *Qui amat periculum; in illo peribit*. Quis autem magis exponit ſe periculo peccati, quàm qui amplectitur opinionem, quam credit veriſimilius falſam, adeòque veriſimilius peccaminoſam; cùm actio ſit peccaminoſa, quia creditur falſa. Certè ſi ambulans tempore tenebrarum in loco ubi probabiliùs credit eſſe ſoveam, convincatur velle periculum lapſus, quidni convinceretur velle periculum peccati, qui ſequitur id, quod probabiliùs credit eſſe peccaminoſum?

Prob 3.

Digitized by Google

Prob. 3. Ex primæ ad Theſſalon 5. *Omnia autem probate, quod bonum eſt teaete, ab omai ſpecie mala*, vel, ut alii legunt, *mali, abſtaete vos*, id eſt, ut habet noſter Lyranus in hunc locum: *non ſolùm à malo abſtaendum eſt, ſed etiam ab omai eo quod habet apparentiam mali*. Quid autem magis habet ſpeciem ſeu apparentiam mali, quàm id quod potius malum eſt, quàm bonum? Certè ſi id, quod de facto malum eſt, non dicatur habere ſpeciem mali, ſed malitiam; illud dici debet habere ſpeciem mali, quod veriſimiliùs malum eſt.

Prob 4. Meminit Scriptura variis locis ignorantiarum, quæ non excuſant operantem à peccato: Ponamus amplectentem ſententiam minus probabilem faventem libertati fuiſſe deceptum, eò quòd falſa, adeoque illicita eſſet eius opinio à parte rei, an ſe excuſare poterit apud Deum; An dicet ignorantiam ſuam fuiſſe invincibilem, qui de malitia ſuæ actionis non tantùm ſcrupulum, ſuſpicionem, aut formidinem rationabilem habebat, ſed verum dubium, & pluſquam dubium, ſeu falſi ſimilitudinem? Nonnè potius tanquam temerarius & præſumptuoſus condemnabitur ob ignorantiam voluntariam & affectatam? Timeant ſanè, & juſtè timeant Dei judicium illam ſententiam docentes, timeant & practicantes.

Prob. 5. Præceperat Dominus Saul ut percuteret Amalech, & demoliretur univerſa ejus, 1. Reg. 15. Saul benignè & probabiliter interpretatus Dei præceptum; reſervat quædam pecora ad ſacrificium; quis Probabiliſtarum rationem illam inſufficientem crediſſet ad fundandam opinionem, ſaltem minus probabilem, cum non proprium intereſſe, ſed Dei gloriam intenderet? Et tamen dicit ei Dominus per os Samuelis: *Numquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini... pro eo ergo quod abjeciſti ſermonem Domini, abjecit te Dominus ne ſis Rex*, v. 22.

Prob. 6. Matth. 6. via quæ ducit ad vitam, dicitur *arcta & anguſta*: ſi autem licitum ſit amplecti ſententiam minus probabilem faventem libertati; ubi viæ arctitudo, ubi anguſtia, ubi difficultas? Cùm vix ſit uſura, vix ſimonia, vix eleemoſyna danda, vix jejunandum, vix ſacrum audiendum, vix Horæ Canonicæ recitandæ, &, ut verbo dicam, vix ſit præceptum, præſertim Eccleſiaſticum, quod non elidat luxurians in omni materia Probabiliſmus Lege unum Authorem, & videbis fornicationem & pollutionem non eſſe illicitas jure naturali, ſed divino, quod cùm non ſoleat obligare cum periculo vitæ, poteris, ne moriaris, fornicari, aut te polluere. Lege alterum, eximet te à ſacro, ne perdas tres florenos. Volve hunc Caſuiſtam, excuſabit te à jejunio, ſi quatuor leucas conſeceris equitando. Volve iſtum, & te voluntariè diſtractum tempore totius Miſſæ, aut Officii divini abſolvet à penſo Eccleſiaſtico. Sed quid de uſura? Nihil ibi timendum: vel das pecuniam tuam mercatori, & excuſaris per contractum triplicem; vel alteri, & tutus es ratione lucri ceſſantis, quod reciperes dando mercatori, & ſic tibi impoſſibilis eſt uſura. Quid de ſimonia in beneficiis Eccleſiaſticis? Plumbei ſunt ingenii qui illam committunt: cùm mille reperti ſint modi illam vitandi. Quid de eleemoſyna? Cùm vix, aut nunquam ſimul concurrant ſtatus ſuperfluitas, & extrema pauperis neceſſitas, vix, aut nunquam ad illam teneris; & ſic reperis viam cœli, quam Veritas ipſa dixit arctam & anguſtam, latam, facilem, & ſpatioſam. Tibi igitur gaudendum quod tot reperias Agnos Dei, tollentes peccata mundi: *Ergo Eccleſia Catholica*, inquit Caramuel in Theol Reg. diſp 6. *fœlicior dici debet quod exuberet ſanctiſſimis & doctiſſimis viris, qui introduxerunt benignas opiniones; quia damnarentur plurimi, quos ſenteatiæ probabilitas ſalvat*. Et alibi aſſerit Dianam centena abſtuliſſe à mundo peccata, quia centenas propoſitiones fecit probabiles.

Dices 1. Dixit Chriſtus Matth. 11. ℣. 30. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*: ergo non ſunt ſpernendi, ſed laudandi viam cœli facilitantes.

Reſp. Chriſti jugum dici ſuave, non quia nulla ſit difficultas in adimplendis ejus præceptis, cùm ſit difficile peccata confiteri, inimicos diligere, pro calumniantibus orare &c. ſed quia Chriſti gratia facit, ut, quod naturæ ſibi relictæ aſperum foret & grave, ſuave fiat & leve; unde Auguſt. ſerm. 47. de diverſis cap. 1. *Quidquid durum eſt in præceptis, ut ſit leve Charitas facit*. Non eſt ergo leve ſenſu Caramuelis dicentis ex Baſſæo loco citato: *Ea opiaioaum varietate jugum Chriſti ſuaviter ſuſtinetur*; quaſi verò poſſet ſalutis via dilatari, & poſſemus, mediante probabiliſmo, Chriſtum tacere mendacem, qui dixit ſuprà arctam eſſe cœli viam: *Etenim qui vitæ hominis conſtituit terminos, qui præteriri noa poterunt, ipſi conſtituit viæ cœli terminos, qui dilatari non poterunt*, inquit Author modernus.

ARTICULUS II.

Coaſirmatur hæc doctrina ex Patribus.

PAuci ſunt quidem SS. Patres, qui terminis expreſſis ſententiam noſtræ oppoſitam damnaverint: nec mirum; quia hæc doctrina ſexdecim primis ſæculis fuit Patribus incognita: nam, ſi exceperis Accademicos ſæculo quinto florentes, ac probabiliſmum defendentes, quorum doctrinam refert & refutat Auguſtinus, ut dicemus poſteà, ne unum quidem Authorem reperies, qui legatur ante finem ſæculi decimi ſexti probabiliſmum tenuiſſe, docuiſſe, aut typis mandaſſe. Nihilominùs ex dicendis, quàm aliena fuerit mens SS. Patrum à Probabiliſtarum opinione, ſatis patebit.

Prob. 1. Ex Auguſt. lib. 3. contra Accademicos c. 16. ubi arguens hoc Accademicorum Axioma & principium: *Cùm agit quiſque quod ei probabile videtur, aoa peccat, nec errat*, ſic habet *Illud eſt capitale, illud formidoloſum, illud optimo cuique metuendum, quos nefas omne, ſi hæc ratio probabilis erat, cùm probabile cuiquam viſum fuerit eſſe faciendum... non ſolùm ſine ſceleris, ſed etiam ſine erroris vituperatione committatur*. Quid pro noſtra ſententia fortius, quid expreſſius? Et tamen hoc Axioma à tot ſæculis extinctum novi recenteſque Probabiliſtæ ſuſcitaverunt.

Prob. 2. Ex eodem Auguſt. Epiſt 154. *Si quis bonum putaverit eſſe quod malum eſt, & fecerit hoc putando, utique peccat*. Sed quid dicturum fuiſſe putas S. Doctorem de eo, qui non putat bonum, ſed veriſimiliùs malum id quod facit? certè longè à fortiori peccati condemnaſſet.

Dices, illius putantis bonum eſſe, quod malum eſt, ignorantiam eſſe vincibilem, & ideo ab Auguſt. damnari: Sed Nunquid invincibilis eſt putantis eſſe veriſimilius malum? An non, ut quis dicatur ignorare invincibiliter, debet omnem conatum, omne ſtudium, omnem induſtriam moraliter adhibuiſſe, ut inveniret & amplecteretur veritatem? Hoc autem quis dicat de ſequente ſententiam minùs probabilem, cùm amplectatur id, quod, poſt veritatis inquiſitionem, apparet probabilius falſum?

Prob 3. ex D. Chryſoſt. Hom. 44. in Matth. oper. imperf. *Si veſtimenta empturus*, inquit, *unum gyras mercatorem & alterum, & ubi meliores veſtes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas: quomodo non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere ubi ſincera veritas Chriſti venumdatur, & ubi corrupta, & omnium confeſſioaes cognoſcere, & veriorem eligere pluſquam veſtimentum*? Quid ad hæc Probabiliſta? Dicet ſanè hoc eſſe conſilii, non præcepti; ſed obeſt quod anteà docuerat inexcuſabiles eſſe in ſuis erroribus, qui talem vivendi modum non amplectuntur.

Prob. 4. Ex S. Gregor. 5. Moral. c. 6. *Unde Sancti viri, cùm mala ſuperaat, ſua etiam bene geſta formidaat, ae cùm bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur, ne peſtifera tabes putredinis ſub boni ſpecie lateat coloris*. Quanta inter Sanctos & Probabiliſtarum ſequaces differentia! Ecce illi cum ea, quæ bona exiſtimant, amplectuntur, formidant ne decipiantur: hi autem cum ea, quæ probabiliùs mala judicant, ſequuntur, ſe ab omni peccato ſecuros arbitrantur: ſed unde illa ſecuritas? an ab authoritate? ecce univerſa ſexdecim ſæculorum authoritas tibi contraria eſt: ecce etiam ex illis, qui à 40. annis ſcripta ſua typis mandarunt, decem aſſeruntur adverſarii, contra unicum patronum: tibi igitur non favet authoritas: &, ſi paucæ ſæculi proximè elapſi reliquiæ tibi hæreant, verè de illis dici poteſt illud Auguſt. Hom. 11. c. 5. *Ecce dat tibi ſecuritatem procurator, quid tibi prodeſt ſi Pater-familias non acceptet*? An à ratione? quomodo dubium & pluſquam dubium cauſabit certitudinem moralem? quomodo formidoloſum tollet omnem formidinem rationabilem, incertum incertitudinem? nec ergo favet ratio: unde, vis ſecurus eſſe? crede Patribus, crede Antiquitati, crede ſaniori, & majori Doctorum modernorum multitudini.

Prob. Denique ex S. Bernardo lib. de Præcept. & Diſpenſ. cap 14. colum. 17. Ubi ſic habet: *Ut interior oculus verè ſit ſimplex, duo illi eſſe arbitror neceſſaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem: nam ſi bonum quidem diligat, ſed verum non eligat, habet quidem zelum Dei, ſed non ſecundùm ſcientiam*. Ubi autem erit ſimplicitas, ubi potiùs quæritur falſitas quàm veritas?

Unicum pro ſe adferre ſolent Adverſarii S. Leonem, qui Epiſt. ad Ruſticum ultimis verbis prologi præſcribit, *Ut in dubiis vel obſcuris id noverimus ſequendum, quod nec præceptis Euangelicis, nec decretis SS. Patrum invenitur adverſum*. Sed per hoc ſententiæ ſuæ everſionem evidenter proferunt; cùm hæc & adverſetur SS. Patrum teſtimoniis, ut jam oſtendimus;

& ad-

& adverſetur ipſimet Evangelio præcipienti , ut ſervemus mandata , inter quæ eſt illud naturale : *Declina à malo , & fac bonum* , quod ſanè non facit probabiliſta relinquens probabilius bonum , & eligens probabilius malum .

ARTICULUS III.

Solidatur hæc veritas authoritate Doctorum Angelici , Seraphici , Subtilis , & Irrefragabilis .

POſtquam Magiſter Sententiarum Theologiam modo Scholaſtico tradidit , non defuerunt Viri ſanctiſſimi ſimul & doctiſſimi, qui quatuor ejus libros commentariis illuſtrarunt: inter quos Noſter Alenſis Doctor Irrefragabilis ac Sanctorum Thomæ & Bonaventuræ præceptor , ut etiam nunc refert Morery Dict. Hiſt. D. Thomas Doctor Angelicus , Noſter D. Bonaventura Doctor Seraphicus , Noſter Scotus Doctor ſubtilis ; qui omnes ſententiæ noſtræ evidenter adhæſerunt .

Prob. 1 Ex D. Tho. Quodlib. 8. art. 13. *Qui non habet Conſcientiam de contrario, ſed certitudinem , ſed tamen in quamdam dubitationem inducitur contrarietate opinionum : & ſic , ſi manente dubitatione plures Præbendas habet , periculo ſe committit , & ſic procul dubio peccat ut magis amans beneficium temporale, quàm propriam ſalutem ;* atqui ſequens opinionem minùs probabilem faventem libertati contra legem , non poteſt non induci in dubitationem , & formidinem de rei veritate , cùm habeat rationes fortiores pro falſitate , quàm pro veritate, quas non deſtruit judicium reflexum , ut poſteà oſtendemus : ergo ex mente D. Thomæ exponit ſe peccati periculo . Item Quolibet 9. art. 15. docet hanc queſtionem, an ſit licitum habere plures Præbendas, *periculosè determinari, quia ambigua eſt*, ob Theologorum, & juriſtarum diverſas opiniones : certè ſi ſententiam Adverſariorum tenuiſſet, non dixiſſet *periculosè determinare*; cùm , ſecundùm ipſos liceat quamlibet amplecti ſine peccati periculo .

Prob. 2. Ex D. Bonav. in Opuſc. de proceſſu Relig. Proceſſu 5. ubi ſic loquitur : *voluntas bona & plena , via regia & ſecura debet incedere , & relictis dubietatum diverticulis quaſi ſuſpectis latronum ſemitis , apertos & tutos juſtorum calles ambulare* , ubi per *dubietates* intelligit quaſdam probabilitates minores , ut ſatis patet ex his verbis paulo ante præcedentibus : *maximè cum tales opiniones quandoque perículoſiores ſint quam apertæ tranſgreſſiones , quia ubi ſcit homo ſe delinquere , indè facilè corrigitur , ubi autem neſcit ſe peccare, & inſuper credit ſibi licere , indè nec in morte purè convertitur propter falſam ſpem , quòd fortè licuerit , vel minùs in eo peccaverit, baculo arundineo & confracto innitens .* Væ , verè baculo arundineo & confracto innititur , qui id amplectitur , quod potius malum credit , quàm bonum . Legatur S. Doctor ibidem , & patebit quantum ab ipſius mente diſtent illi , qui ob legis interpretationem dubiam aut pluſquàm dubiam , ſeu minùs probabilem, reſolvunt audacter talem caſum , talem materiam , talem actionem , talem perſonam non comprehendi ſub lege .

Prob. 3. Ex Scoto in fine quæſt. 2. prolog. ſententiarum: Multa , inquit , *in actibus humanis ſunt dubia utrum ſint peccata mortalia , etiam ſuppoſitis omnibus doctrinis Doctorum & Expoſitorum , tamen non eſt dubia via ſalutis , quia à talibus tanquam periculoſis , debet homo ſibi cavere & ſe cuſtodire , ne dum ſe exponit periculo incidat in peccatum :* atqui ſi credidiſſet Scotus licere ſequi ſententiam minùs probabilem , relicta probabiliori & tutiori , non dixiſſet *multa eſſe dubia an ſint peccata mortalia , etiam ſuppoſitis omnibus Doctrinis Doctorum & Expoſitorum ;* quandoquidem illis ſuppoſitis , illa quæ dicit dubia , propter Authorum ſuorum authoritatem & rationes , ſint probabilia, adeoque eſſent licita : unde dixit eſſe dubia , quia credidit , quòd quando circa rem aliquam ſunt opiniones æquè probabiles , quarum una dicit illam eſſe licitam , altera illicitam, oriatur dubium an ſit licita necne ; adeòque tunc amplectendam eſſe partem tutiorem : quod à fortiori faciendum eſt , ubi concurrit opinio minùs probabilis pro parte minùs tuta . Hancque eſſe Scoti mentem teſtatur Faber, Corduba, Cardinalis Laurea , & alii .

Prob. 4. Ex Alexandro Alenſi, qui juſſu Innocentii IV. teſte Bellarmino compoſuit Theologiam egregiam & copioſiſſimam : *Quæritur de illo*, loquit Parte 2. q. 112. de ignorantia 8. caſu , *qui dubitat de aliquo contractu, utrum ſit ſimoniacus, necne; eo quòd quidam Authores dicant eſſe ſimoniacum , & quidam negant : quid ergo ſit facturus, cùm ignoret? Reſpondetur ei abſtinendum eſſe ab hoc contractu , ne ſe committat diſcrimini : melius eſt enimut incidat in damnum temporale , quàm in ſpirituale .* Et tamen vult Probabiliſta non ſolùm quando rationes ſunt æquales pro utraque parte , ſed etiam quando ſunt fortiores pro lege prohibente , poſſe contractum fieri .

His adjungo authoritatem SS Antonini Ordinis Prædicatorum , & Bernardini Ord. Minor. quorum primus parte 1. tit. 3. c. 10. §. 10. ſic habet : *Poteſt quis tenere unam partem alicujus opinionis , & ſecundùm eam operari .... dummodo talis opinio non ſit contra authoritatem expreſſam S. Scripturæ , nec contra determinationem Eccleſiæ Catholicæ , & quòd etiam ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum , ſed bonam ſibi Conſcientiam & credulitatem formet de eo quòd credit tanquam de PROBABILIORI parte* . Secundus autem Tom. 1. Serm. 3. Fer. 2. poſt Quinquageſimam art. 3. c. 1. in fin. *Secundùm Scotum & Oſtienſem , quando ſunt diverſa jura & opiniones , quæ tamen non ſunt contra Deum & bonos mores , cæteris paribus humanior præferenda eſt* , ergo dum opiniones Deum & bonos mores reſpiciunt , non humanior , ſed tutior eſt eligenda , niſi minùs tuta eſſet probabilior tutiori .

ARTICULUS IV.

Eadem doctrina roboratur Authoritate Cardinalium S. Romanæ Eccleſiæ .

COnſultò hunc Articulum aggredior verbis Eminentiſſimi Cardinalis de Aguirre in Prologo ad Tomos Conciliorum Hiſpaniæ „ Prolixus eſſem , inquit , ſi omnes Do-
„ minos Cardinales probabiliſmi illius laxi inimicos , & tu-
„ tiorum aut ſaltem palàm probabiliorum ſententiarum te-
„ naces tam factis , quàm ſcriptis , jam vita functos , nomi-
„ nare vellem . Inter tam multos eorundem , qui uſque mo-
„ du ſanctitate aut doctrina inſigni floruerunt , vix , credo , in-
„ venietur aliquis qui aliter ſenſerit , aut docuerit . Imò ex
„ iis , qui modo ſuperſtites ſunt tam intrà , quàm extrà Ur-
„ bem , præſtanti pietate & eruditione conſpicuis , ac toti or-
„ bi Chriſtiano notis , quorum judicia ac ſententiæ mihi fre-
„ quenter colloquio , ac variis congreſſibus innoteſcunt , ne-
„ mo eſt , quantum capio , qui tam in theoria , quàm in praxi
„ non cenſeat ſequendam omninò eſſe ſententiam tutiorem ,
„ vel ſaltem longè veriorem , ac probabiliorem .... in ſacris
„ hiſcè Congregationibus quotidiè occurrunt innumeræ cau-
„ ſæ , quarum deciſio ex ſacris Conciliorum canonibus pen-
„ det : ubi autem variæ Authorum occurrunt ſententiæ , illa
„ omninò præfertur , quæ , omnibus hinc inde conſideratis, tu-
„ tior videtur , aut juri & æquitati conformior .

Ecce Romana Eccleſia , caput & norma aliarum Eccleſiarum credit ſe obligatam ad ſequendam in omnibus ſententiam aut tutiorem, aut probabiliorem , quis igitur audeat contrà ſapientiſſimæ Matris ſuæ & ſentimentum & praxim minùs tutam, minuſque probabilem amplecti ? ceſſent igitur Probabiliſtæ pro defendendo Probabiliſmo inſufficientem legis promulgationem , ac ideò non obligationem jactare : nullus enim melius novit legum Eccleſiæ vim, ac obligationem, quàm ipſa Eccleſia, cujus aliquot purpuratos Præſules lubet audire .

Prob. 1. Ex Bellarmini ſupplemento tomi ſeptimi in Prologo admonitionis ad Nepotem ſuum, ubi ſic legitur : *Si res certitudo non poſſit ad liquidum apparere , debet omninò operans tutiorem partem ſequi , & nulla ratione , nullius imperio , nulla temporali utilitate propoſita ad minus tutam partem declinare* , & , ut dixerat paulò antè , *non reſpicere quid multi hoc tempore dicant , aut faciant*, ſi ergo ubi non poteſt haberi certitudo moralis de licentia & honeſtate actionis dicat nos obligari ad partem tutiorem, à fortiori inſinuat nos ad id teneri , ubi dubium eſt & pluſquàm dubium eſt an pars minùs tuta ſit licita .

Prob. 2. Ex Cajetano in ſua ſumma verbo *Opinioni uti* , ubi ait : *in operandis niſi partem tutiorem eligendo , non licet opinionem cujuſcumque aſſumere ut regulam operis ... & hæc intellige de opinione propriè dicta, quæ eſt cum formidine alterius partis* . Ubi autem debet eſſe major formido alterius partis, quàm in amplectente partem , quam judicat probabilius falſam ?

Prob. 3. Ex Pallavicino, qui poſtquàm ſententiã nimis benignam tenuerat, imò & typis vulgaverat, ſententia oppoſita accuratius examinata , ac ejus rationum convincentium pondere convictus , teſtatus eſt Patri Nicolao Mariæ Societatis Jeſu , olim in Collegio Romano ſtudiorum præfecto Generali , Pœnitentiariæ Theologo , Epiſcoporum Examinatori ac S. Officii Qualificatori, ſe mutaſſe ſententiam , & *ſibi fixum eſſe relinquere poſt ſe ſcripturam, in qua retractare intendebat ea, quæ ſcripſerat in libro de Actibus humanis, nempè poſſe quempiam practicè ſequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam , relicta probabiliori* . Hæc ſunt ipſiſſima verba, quibus præfatus P. Nicolaus uſus eſt in teſtimonio , quod manu propria dedit hac de re R. Admodum P. Gonzales ejuſdem Societatis Præpoſito Generali . Imò ipſemet Pallavicinus doctrinam noſtram tenuit & docuit in variis epiſtolis , teſte eodem Gonzales .

Prob. 4. Ex Cardinali de Aguirre loco cit. nu. 31 qui poſtquam dixiſſet ſe anteà adhæſiſſe Probabiliſmo in ſua Theologia

Salmanticæ impreſſa anno 1667. ſubdit: *Cœpi itaque rem maturius examinare ab anno circiter 1671. uſque modo... deprehendi verò ingens periculum ſalutis inſectando aut conſulendo aliis Probabiliſmo, ſive ſui cujuslibet opinionis minùs probabilis faventis libertati, in concurſu alterius probabilioris, adhærentis præcepto. Idem mihi alte inſedit ubi utraque apparet probabilis æque aut circiter; manet enim adhuc res verè dubia, & incertum omninò, an actio vel omiſſio ſit contraria Legi æternæ, necne.*

Hic advertendum obiter, plurimos Authores ſcientia & authoritate præſtantiſſimos de Probabiliſmo ad Probabilioriſmum tranſiiſſe, ne unum autem de Probabilioriſmo ad probabiliſmum: quod non parum confirmat ſententiæ noſtræ veritatem.

Prob. 5. Ex noſtro Lauræa To. 2. diſp. 11. art. 4. §. 3. *Quando aliquid agibile, non eſt à lege determinatum, ſed eſt ſub opinione, tunc in concurſu opinionis probabilis pro una parte, & probabilioris pro alia, prudentia dictat ſolam probabiliorem eſſe eligendã; nunquam verò minùs probabilem.* Idem repetit probatione 4.

Probari etiam poſſet ſententia noſtra authoritate omnium ferè Epiſcoporum, & Univerſitatum totius orbis Chriſtiani, qui eo majori impetu Probabiliſmum deſerunt, quo eidem à ſæculo circiter adhæſerunt plurimi apparentia delusi. unde vix hoc tempore ex 20. Theologis, unum reperies qui doceat aut teneat ſententiam noſtræ oppoſitam: & indè certò concludat Probabiliſta nullatenus ſibi favere Authoritatem, quod ſi adferat pro ſe Authores ſæculi præteriti opponam ipſi Authores ſexdecim circiter ſæculorum, ex quibus ne unum reperiet ſibi faventem. Imò poſſem ex ſæculo præterito pluſquam centum Authores graves nobis adhærentes in medium proferre, quod hic omitto, ne fiam prolixior, & ut oſtendam evidenter; ut ſpero, iis, quibus non favet authoritas, minus rationem favere.

ARTICULUS V.

Perſuadetur ſententia noſtra rationibus convincentibus.

Dico: *convincentibus*, quia intellectui probabiliſmi, apparentiis non præoccupato, non poſſunt non apparere evidentes. Mitto hic argumenta, quæ de dubio, & peccati formalis periculo deduxi. Art. 1. ex Scriptura Sacra.

Prob. 1. Qui facit actionem, quam credit hic & nunc probabilius peccaminoſam, peccat, ſecundùm omnes, ſed hoc facit ſequens ſententiam minùs probabilem in concurſu probabilioris & tutioris: ergo. Prob. Min. quia faciens contractum v.g. quem credit hic & nunc probabilius uſurarium, facit id quod credit hic & nunc probabilius peccaminoſum, cùm ſicut omne uſurarium eſt intrinſecè peccaminoſum, ita omne probabilius uſurarium, eſt probabilius intrinſecè peccaminoſum.

Dices operantem non inniti immediatè iſti judicio directo, ſed alteri reflexu, quòd ſit licitum ſequi ſententiam minùs probabilem. Sed

Contrà eſt, quòd ex illo principio, utpotè maximè incerto, non poſſit formari Conſcientia niſi incerta, & pluſquam incerta, ut dicemus poſteà. Præterea, quod maximè urget Adverſarios, vel illa reflexio mutat judicium quo credit contractum eſſe probabilius uſurarium, vel non mutat: ſi non ergo, non obſtante reflexione, credit adhuc probabilius uſurarium, adeoque probabilius peccaminoſum eſſe hic & nunc contractum. Si dicis mutare; oſtende quomodo id fiat, cùm ſit nobis inconceptibile. Et certè tanquam ridiculus haberetur ab omnibus, ſi diceret, antè reflexionem credebam hunc contractum eſſe probabilius uſurarium, ſed poſtquam reflexi licere ſequi ſententiam minùs probabilem, credo probabilius non eſſe uſurarium: haberetur, inquam, ut ridiculus: quandoquidem dicta reflexio non poſſit mutare judicium illud, niſi deſtruat rationes, propter quas credebatur contractus probabilius uſurarius, quod certè nec facit, nec facere poteſt reflexio illa, ut per ſe patet.

Prob. 2. Dictat ratio ut veritatem ſequamur, dum illa nobis innoteſcit: ergo dictat ratio ut id ſequamur, quod magis ad veritatem appropinquare credimus, dum illa non ſatis nobis innoteſcit; unde non poſſumus non magis à veritate elongare; quàm ſit nobis ignota; ſequens autem ſententiam minus probabilem elongat ſe voluntariè à veritate, ut amplectatur veriſimilius falſitatem.

Prob. 3. Ut quis agat licitè; debet agere prudenter; ſive cum prudentia; ſed prudentia nunquam inclinat ad falſum, ſed ſemper ad verum, ut habet Philoſophus 6. Ethic. cap. 3. ergo ſequens id quod credit potius falſum, quàm verum, non agit prudenter, ſed poſitivè imprudenter & temerariè.

Prob. 4. Stultè ageret, ſecundum omnium exiſtimationem, qui in bivio conſtitutus ſequeretur viam, quam duo aut tres dicerent conducere Inſulas, quo tendit, ſi quatuor aut quinque alii, quos ſciret ejuſdem omninò fidei, affirmarent eſſe alteram: ergo ſtultè agit ponens actionem quam duo aut tres Authores dicunt licitam, ſi quatuor aut quinque æquè graves dicant eſſe illicitam, ubi ſola authoritate nititur operando. Idem dic de rationibus ejuſdem ponderis, ubi plures militant contra pauciores.

Prob. 5. Ut quis prudenter operetur, debet habere Conſcientiam moraliter certam ſeu excludentem omnem formidinem rationabilem: ſed homo rationabilis non poteſt non formidare ponens actionem, quam hic & nunc, potius judicat malam quàm bonam: ergo.

Prob. 6. Convincitur ille non ſincerè diligere amicum, qui facit id, quod credit probabilius ipſi diſplicere: ergo convincitur ille non amare Deum, ut debet, qui facit actionem, per quam probabilius judicat Deum offendi.

Prob. 7. Debet peregrinus ex præcepto prudentiæ eligere viam ſecuriorem, ægrotus medicinas ſalubriores, Mercator contractus ſolidiores, miles arma aptiora. Diſcipulus Præceptores doctiores, artifex inſtrumenta magis proportionata &c. ergo à fortiori debet Chriſtianus in negotio ſuæ ſalutis (quod omnium maximum eſt) ſententias, ſi non ſemper ſecuriores, ſaltem veriſimiliores amplecti: & certè ſi tanta prudentia in rebus corporeis & temporalibus adhibeatur, quidni prudentia æqualis ſalvandis animabus adhiberetur? an potiora ſunt corporis, quàm animæ jura? an minus animæ, quàm corporis periculum?

Prob. 8. In materia fidei non licet ſequi ſententiam minùs &c. ut aſſerunt communiter Doctores. ergo nec in materia morum: quandoquidem unuſquiſque debeat rectè vivere, ſicut debet rectè credere.

Prob. 9. Si ſtaret oppoſita ſententia, poſſet Theologiæ Profeſſor docere ſententias, quas credit minùs probabiles: ſed, fatentibus Adverſariis, tenetur docere illas, quas ſecundùm Deum credidit probabiliores: ergo. Prob. Ma. Quia licet id docere, quod licet omnibus practicare, cùm per hoc nulli fiat injuria, quod magis verum eſt, ubi doctrina tantùm ordinatur ad praxim, ſicut Theologia moralis.

Prob. 10. Ex Adverſariorum doctrina ſequitur, poſſe aliquem (ubi ſunt rationes pro & contra circa valorem teſtamenti) hæreditatem adire, ſequendo ſententiam faventem valori teſtamenti, & tamen legata non ſolvere, ſequendo ſententiam faventem ejuſdem nullitati: ſed hoc eſt humano convictu indignum: ergo.

Dices: Qui ex aliqua ſententia ſentit commodum, debet & ſentire incommodum ergo ſi ex ſententia minùs probabili adeat hæreditatem, debet & legata ſolvere.

Reſp. Diſt. Ant. Debet ſentire incommodum, ubi non adeſt alia ſententia eximens ab illo onere: Conc. ubi adeſt alia probabilior eximens: Nego. Et certè ſi Theologus conſultus poſſit uni dicere ut ſe gerat quaſi teſtamentum eſſet validum, & alteri quaſi idem teſtamentum eſſet nullum, ut volunt Adverſarii, dum ſunt rationes pro & contra æquè aut ferè æquè fortes, quidni idem poſſet ſibi ipſi conſulere ſecundùm unam, & ſecundùm alteram ſententiam? Si hoc autem admittatur, corruptelis omnibus panditur janua latiſſima.

ARTICULUS VI.

Ampliùs ſtabilitur doctrina noſtra deſtruendo ultimum refugium Adverſariorum.

Licèt plurimi quotidiè veritate convicti ſententiam noſtræ oppoſitam deſerant, & quidem eo numero, ut opinio, quæ jam à 50. annis ferè univerſam Theologorum multitudinem prævenerat, vix jam aliquid habeat probabilitatis extrinſecæ, reſtant tamen aliqui ita ſuæ opinioni tenaciter adhærentes, ut habentes amplius unde ſibi conſulant, ad hanc ultimam arcem confugiant, dicentes nempe quoties adſunt rationes arguentes partem minùs tutam, minuſque probabilem eſſe licitam, legem non eſſe ſufficienter promulgatam, adeòque non obligare; ſed quàm debile ſit ſubterfugium illud

Prob. 1. Quia innumeri ſunt caſus, ubi ratio illa nequit locum habere; nam 1. ſi quis die jovis minùs probabiliter judicet necdum eſſe auditam duodecimam nocturnam, à qua incipit dies veneris, non poteſt recurrere ad inſufficientem legis promulgationem, ut carnes manducet, aliàs pluſquam ridiculus haberetur. 2. Nec ad eandem recurrere poteſt, ut ſe à jejunio eximat, qui ſciens eſſe jejunium in Vigilia S. Laurentii, minùs probabiliter exiſtimat non eſſe hodie talem vigiliam. 3. Putans minùs probabiliter contractum triplicem non eſſe uſurarium, non poteſt dicere ſine temeritate (ut contractum illum celebret) legem uſurarum non eſſe ſufficienter promulgatam.

Prob. 2. Quia ſi ſtaret Adverſariorum regula, poſſet quilibet, eo ipſo quo ſciret diverſas eſſe opiniones circa materiam

aliquam

Digitized by Google

aliquam inter Doctores non reprobatos, ſtatim ſine examine, ſine ſcrupulo quamlibet amplecti, dicendo legem non eſſe ſufficienter promulgatam: & ſic cùm vix ſit aliqua lex, circa quam non ſit controverſia, vix aliqua obligaret.

Prob. 3. Quia ſufficientia promulgationis non dependet ab eo, quòd ſubditi de legis obligatione ita vel ita opinentur; aliàs poſſet lex aliqua uno tempore eſſe ſufficienter promulgata, alio inſufficienter, & iterum altero ſufficienter ſine ullo actu Legiſlatoris, quod eſt apertè falſum. Probatur ſequela, nam duodecim primis ſeculis cùm nullus dubitaret an ars pingendi eſſet ſervilis, lex prohibens picturam die Dominico & Feſto, erat ſufficienter promulgata, poſteà autem aliquibus ſcriptoribus dubitare incipientibus, an ars illa eſſet ſervilis, fuit inſufficienter promulgata, ſi credamus Adverſariis; & caſu quo jam convenirent omnes eſſe ſervilem, fieret iterū ſufficienter promulgata.

Prob 4. Quia, juxta Adverſarios, ſequens opinionem minus probabilem, peccat materialiter, ſi à parte rei ſit falſa: ergo ſupponunt legem obligare, adeòque ſufficienter eſſe promulgatam, cùm lex non obligans nequidem inducere poſſit vinculum peccati materialis.

Prob. 5. Si in caſu noſtro poſſet dici lex non ſufficienter promulgata, eſſet vel propter authoritatem tenentium opinionem minus probabilem, vel propter eorum rationes: non primum, quia tunc etiſ eorum ſententiam judicarem abſolutè falſam, poſſem tamen illam amplecti: non etiam ſecundum, nam rationes quibus probant contractum aliquem non eſſe ſimoniacum v.g. non probant legem prohibentem ſimoniam non eſſe ſufficienter promulgatam.

Prob. 6. Specialiter de lege divina: vel Deus legem condens voluit efficaciter illam promulgare vel non: ſi non: ad quid condidit? Si ſic, quidni factum eſſet? cùm ſit omnipotens: ergo non poteſt dici dari legem Divinam non ſufficienter promulgatam.

Prob. 7. Quia in illo ſuppoſito ridiculi eſſent Doctores nobis oppoſiti, dum in ſuis libris dicunt aliquid eſſe peccatum, ſeu illicitum, quod ſciunt ab aliis ſuſtineri tanquam licitum, quandoquidem tunc, juxta eorum principia, lex illud prohibens non ſit ſufficienter promulgata, adeoque non poſſit inducere peccatum.

Prob. 8. Ut lex aliqua ſit ſufficienter promulgata ſecundùm omne quod præcipit, aut prohibet, vel debent omnes caſus, omneſque materiæ, quas reſpicit, eſſe promulgatæ, vel non: ſi non, cur dum ſententia minus probabilis aſſerit caſum aliquem, aut materiam non comprehendi ſub lege, diceretur lex inſufficienter promulgata? Si ſic: ergo nulla datur lex divina, aut humana ſufficienter promulgata, cùm nulla ſit promulgata ſecundùm omnes materias particulares quas reſpicit, aut non reſpicit, ut conſideranti patebit.

Prob. denique, quia non poteſt quis prudenter judicare legem non eſſe ſufficienter promulgatam, dum credit veriſimiliùs eſſe ſufficienter promulgatam, ut per ſe patet; ſed talem illam credit putans veriſimiliùs eſſe illicitum, quod illa prohibet: ergo.

Dices 1. Lex non promulgatur aliter quàm intenderit Legiſlator obligare: ſed non intendit obligare in materiis inter Doctores controverſis: ergo quoad materias illas non cenſetur lex ſufficienter promulgata.

Prob. Min. Quia ſi voluiſſet obligare ad illas materias, id expreſſiſſet, ne exponeret ſubditos periculo errandi.

Reſp. Neg Min. & ejus Prob. Quia inde ſequitur Eccleſiam Romanam indirectè approbare omnes omninò opiniones circa ſua præcepta libertati faventes, quas necdum abſolutè condemnavit, nam ſi indicens novum Feſtum, aut jejunium non cenſeatur obligare ad materias controverſas, quia id non exprimit, ita nec cenſeri debet ad illas obligare, dum Feſta, aut jejunia antiqua continuat indicere, niſi id exprimat, cùm non aliter obliget, ſecundùm omnes, in jejuniis antiquis, ac in novis. Eccleſiam autem opiniones illas non approbare, indè evidenter patet quòd proſcribens aliquas propoſitiones circa Feſtorum, jejuniorum &c. obſervationem, expreſsè dicat ſe non intendere alias, etiam ad examen appoſitas, approbare. Unde Eccleſia legem inſtituendo, aut inſtitutam continuando nihil circa controverſa approbat, aut reprobat, ſed intendit in omnibus obligare, à quibus rationes, non minùs probabiles, ſed probabiliores, aut probabiliſſimæ non eximunt, ut millies verbo & facto declararunt Pontifices

Dices 2. Si quis neſciat an poſſit ſpuere, poteſt ſe reſolvere poſſe, dicendo ſe neſcire aliquam legem id prohibentem: ergo ſi dubitet an debeat hodie jejunare, quia id aliqui affirmant, alii negant, poteſt eodem modo ſe reſolvere. Prob. Conſeq Quia dubitans eodem modo ſe habet ac neſciens; cùm authoritas aut rationes negantium elidant authoritatē aut rationes affirmantiū.

Reſp. 1. Argumentum illud non habere locum, ubi ſunt fortiora motiva authoritatis, aut rationis pro lege, ut hic ſupponimus, ſed dato quòd ſint æqualia

Reſp. 2. Diſt. Ant. Poteſt ſe ſolvere &c præcisè quia neſcit eſſe legem: Nego. Nam ſi neſcitet an poſſet mentiri, poſſet ſine examine ſe ſolvere poſſe, ſi neſciret eſſe legem illud prohibentem: quod apertè falſum eſt. Poteſt ſe reſolvere, quia neſcit eſſe legem, & quia inſuper ſpuere, circa quod verſatur neſcientia, ipſum admonet ſe eſſe prohibitionis incapacem: Conc. Abſtinentia autem à carnibus, & unica in die refectio non dicunt dubitanti ſe eſſe præcepti incapaces, imò potius inſinuant contrarium, cùm poſſint corporis ac paſſionum petulantiam refrœnare, & ſic imprudenter reſolveret quia ſe non debere jejunare, præcisè quia neſcit eſſe legem jejunium præcipientem.

ARTICULUS VII.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies 1. Qui ſequitur opinionem minùs probabilem, minuſque tutam, poteſt, antequam operetur, formare Conſcientiam formaliter certam hoc Syllogiſmo: *Qui exiſtimat probabiliter licere, relicta ſententia probabiliori, ſequi minùs probabilem, poteſt in praxi facere quod ſententia minùs probabilis dictat eſſe licitum, ſed ego exiſtimo probabiliter licere, relicta ſententia probabiliori, ſequi minùs probabilem: ergo.*

Reſp. Neg. aſſumpt Quia nullus poteſt formare Conſcientiam moraliter certam, niſi utraque præmiſſa ſyllogiſmi ſit moraliter certa; quandoquidem nonniſi ex moraliter certo ſequatur moraliter certum, ſicut non niſi ex neceſſario ſequitur neceſſarium, & ex contingenti contingens: Major autem præfati ſyllogiſmi eſt impoſſibilis, adeoque & Minor falſa: nam *exiſtimare probabiliter*, eſt exiſtimare prudenter; exiſtimans autem licere ſequi ſententiam minùs probabilem, imprudenter, imò & temerariè id exiſtimat; cùm exiſtimet, licere id ſequi quod judicat veriſimiliùs falſum.

Inſtabis 1 Principium hoc: *qui ſequitur ſententiam probabilem, ubi tantùm agitur de peccato vitando, prudenter agit*, eſt moraliter certum: ergo & major ſyllogiſmi præfati ſuper hoc fundata eſt moraliter certa.

Reſp. Diſt. Ant. Hoc principium eſt moraliter certum, quando ſententia probabilis non concurrit cum probabiliori & tutiori, aut æquè probabili, tranſeat. Quando concurrit: N. Unde quando quis habet ſententiam verè probabilem, nec ipſi, poſt ſinceram & diligentem veritatis inquiſitionem, apparet alia probabilior, aut æque probabilis, videtur moraliter certum quòd prudenter agat illam ſequendo; cùm habeat pro ſua ſententia præſumptionem veritatis; non eſt autem moraliter certum, imò abſolutè falſum eſt, prudenter agere eum, qui ſequitur ſententiam minùs probabilem, minuſque tutam, in concurſu probabilioris, & tutioris, ut ſatis patet ex dictis.

Inſt. 2. Sententia minus probabilis in concurſu probabilioris, eſt verè probabilis, ergo prudenter agit qui illam ſequitur.

Reſp. Diſt. Ant. Eſt verè probabilis apud Authores qui illam defendunt, tranſeat: Apud illum, cui contradictoria apparet longè probabilior: nego, & conſequenter illam ſequens imprudenter agit.

Inſt. 3. Illa ſententia eſt minùs probabilis reſpectu illius, cui contradictoria apparet probabilior: ergo eſt ſimpliciter probabilis; quandoquidem comparativum ſupponat poſitivum.

Reſp. ly *minùs* non ſumi comparativè, ſed, practicè loquendo, adverſativè; ità ut propter rationes quas hic & nunc habet, appareat illi improbabilis, cùm videatur ipſi falſiſimilior: hocque patet in hac regula juris: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*, ubi ly *tutior* ſumitur adverſativè, prout opponitur parti non tutæ, ſeu periculoſæ; non autem comparativè, quaſi altera pars eſſet tuta; aliàs cùm ſemper liceat amplecti tutum, falſa eſſet illa regula juris. Etiam adverſativè ſumitur *melius* 1. Corinth. 7. ubi legitur: *Melius eſt nubere quàm uri*, quandoquidem non ſit bonum *uri*, ſed malum.

Obji. 2. Licitum eſt ſequi ſententiam probabiliorem; ſed ſententiam, quæ dicit licere ſequi ſententiam minùs probabilem, eſt probabilior: cùm habeat pro ſe omnes, aut ferè omnes Authores ſæculi præteriti: ergo.

Reſp. 1. Ex illo ſyllogiſmo in rigore non ſequi licere amplecti ſententiam, quæ eſt in ſe minùs probabilis, ſed ſententiam, quæ dicit licere ſequi ſententiam minùs probabilem, ideſt, illam ſpeculativè tenere, quæ toto cœlo differunt: vel certè ſi loquantur Adverſarii in conſequente de ſententia in ſe minùs probabili, ſunt quatuor termini, ut patet conſideranti.

Reſp. 2. Neg Min quia ſi agitur de probabilioritate intrinſeca, noſtram eſſe infinitè, ut ità loquar, probabiliorem evidentiſſimè patet ex dictis. ſi de extrinſeca, Authoribus alterius ſæculi, qui ſeipſos in hoc ſecuti ſunt tanquam aves aut oves, potiùs multitudine, quàm ratione tracti, opponi poſſent S. Scri-

ptura, SS. Patres, Summi Pontifices, Primaria Scholæ capita, omnes ſexdecim ſæculorum Theologi; imò à 30. annis ferè tot Authores ſententiæ noſtræ adhæſeruot, quot illi contradixerunt toto illo ſæculo; cùm maxima horum pars doceret licitum eſſe uſum ſententiæ minùs probabilis, non quæ minùs probabilis appareret operanti, ſed quæ talis haberetur communiter.

Reſp. 3. Diſt. Ma. licitum eſſe ſequi probabiliorem probabilioritate directa, ideſt, ſententiam, quæ judicatur in ſe probabilior: C. probabilioritate tantùm reflexa, ideſt, quæ in ſe judicatur minùs probabilis, & eſt tantùm extrinſecè probabilior à reflexione, quòd ſit probabiliùs licere ſequi ſententiam minùs probabilem: N. Imò reflexio illa nihil facit ad rem: nam cùm non tollat malitiam ab actione, debet poſt reflexionem apparere veriſimilius illicitum, quod tale videbatur ante illam.

Obji. 3. Si non liceat uſus ſententiæ minùs probabilis propter periculum peccati; nec licebit uſus probabilioris, propter idem periculum.

Reſp. Neg. Sequel. Quia in ſecundo caſu, cùm ſupponatur feciſſe operans totum quod in ſe erat, ut veritatem aſſequeretur, ejus ignorantia, ſi quæ ſit, eſt invincibilis, adeòque tantùm ſe exponit periculo peccati materialis. In primo autem, cùm noo laboret ut vetitatem agnoſcat, imò videatur ipſam ſpernere ſequendo opioionem, quam veriſimiliùs judicat falſam, exponit ſe periculo peccati formalis.

Inferes: Ergo omnes qui ſententiam illam practicaverunt, & à fortiori qui docuerunt; peccarunt mortaliter.

Reſp. Nos neminem condemnare: imò excuſamus Doctores illos, ſicut & eorum ſequaces, quibus ſua ſententia, adhibito ſufficienti ſtudio, & examine, viſa eſt ſecundùm Deum probabilior. Difficulter tamen excuſarem illos, qui etiam hoc tempore, viſis rationibus urgentiſſimis, ac ſortè convincentibus ſententiæ noſtræ, quas Viri doctrina & zelo animarum conſpicui à tempore Alexandri VII. in medium protulerunt, contradictoriam tamen docent, & ſuſtinent; cùm vix rem à fundo, accuratè, & ſine præventione examinantibus, poſſit apparere probabilis. Interim, ut dixi, neminem condemnamus.

Obji. 4. Sententia probabilior non eſt regula neceſſaria actionis humanæ, cùm ſit incerta, & forte falſa.

Reſp. Diſt. Aſſumpt. Non eſt regula neceſſaria abſolutè loquendo: C. poſſumus enim, relicta ſententia probabiliori, ſequi tutiorem minùs probabilem. Non eſt regula neceſſaria, quando vel probabilior tutior, vel minùs probabilis ſimul minùs tuta neceſſariò eligenda eſt: nego.

Obji. 5. Sententia, quæ hodie apparet mihi probabilior, forſan cras apparebit minùs probabilis, imò & fortè falſa; quia, juxta Philoſophum, multa falſa ſunt probabiliora veris.

Reſp. Quid, cùm ſit mihi hodie agendum, & non craſtina die, debeo hodie illud aſpicere, quod prudentia dictat amplectendum. dictat autem quod, ubi veritatem aſſequi non poſſum, ſaltem illud amplectar, quod veriſimilius exiſtimo.

Obji. 6. Licitum eſt ſequi ſententiam communem: ſed ſententia concluſionis contradictoria eſt communis, & pluſquam communis, cùm habeat pro ſe pluſquam centum Authores, ut teſtatur Teryllus: ergo.

Reſp. Diſſimulata Ma. Neg. Min. quia licèt ſententia illa habeat, aut potiùs habuerit multos patronos (nam ſi hodiè viverent, omnes aut ferè omnes illam retractarent, ut fecerunt plurimi) non plures, ſed quaſi unus reputandi ſunt; cùm non ex ratione ſolida, ſed ex præventione magna ſibi adhæſerint: Jam autem, ut monet Durandus in Præfat. Commentariorum in libros Sententiar. num. 22. *in opinionibus ſequendis, magis debemus inniti rationi, quàm authoritati cujuſque Doctoris, quantumcumque celebris vel ſolemnis; & parvipendenda eſt omnis humana authoritas, quando per rationem elucesſcit contraria veritas.*

Obji. 7. Sententia noſtræ oppoſita habet pro ſe poſſeſſionem ſæculi integri: ergo debet in ea relinqui.

Reſp. Vel poſſeſſio illa aliquid obtinuit contra legem, vel nihil: ſi nihil, quid ad rem? Si aliquid, vel contra legem Divinam poſitivam, aut naturalem, vel contra humanam: non contra Divinam; quia ridiculum eſt aſſerere hominem contra Deum poſſidere; quaſi verò Deus litigaret nobiſcum pro ſuarum legum obſervatione: non etiam contra humanam; cùm, teſte Fagnano utriuſque Signaturæ Referendario, & in Curiæ Romanæ negotiis verſatiſſimo, Romæ toto illo tempore pars tutior, aut probabilior eligeretur tum in Rota, tum in ſacra Congregatione Concilii: quod & fecerunt Summi Pontifices in ſuis reſponſis & diſpenſationibus; ſicque patet poſſeſſionem illam non fuiſſe pacificam, ſed perturbatam. Quòd ſi aliqui Papæ ſententiam minùs probabilem, minuſque tutam amplexati ſint, hoc fecerunt, vel in caſu neceſſitatis, vel quia ipſis apparebat probabilior; aut certè ſi minùs probabilem credebant, reddent rationem Domino Deo; quandoquidem *propter* eorum *facilitatem tribunalis excelſi judicio derogatur; cui illa ſunt rata, quæ pia, quæ vera, quæ juſta*, inquit Felix III. Epiſt. 7. in initio.

Obji. 8. Si ſtaret concluſio noſtra, Deus per ſæculum integrum deſeruiſſet Eccleſiam ſuam, permittendo, ut Doctores, imò & ipſi Eccleſiæ Prælati, docerent fideles ſententiam falſam, totque peccatis expoſitam.

Reſp. Neg. Sequel. Quamvis enim tunc communiter doceretur licere ſequi ſententiam minùs probabilem, minuſque tutam; plurimi tamen Doctores tantùm volebaot licere ſequi ſententiam, non quæ apparebat ipſi operanti minùs probabilis, ſed quæ communiter minùs probabilis cenſebatur. Præterea nunquid toto illo tempore docebat cootrarium S. Scriptura? nunquid SS. Patres? nunquid ipſa ratio? nunquid præcipua Theologiæ lumina S. Thomas, & Scotus in ſuis libris? Nunquid Alexander de Ales? S. Bonaventura, S. Antoninus, Gerſon, Adrianus, & reliqui Scholaſtici? Deinde nunquid melius eſt aſſerere Deum per unicum ſæculum Eccleſiam ſuam deſeruiſſe, (quod tamen abſolutè negamus) quàm per 16. ferè ſæcula, permittendo ut Patres, & Theologi imponerent ſuper capita hominum grave onus, quod Deus ipſe non impoſuerat; ſicque ipſos exponendo per illam ſeveritatem innumeris peccatis, quæ facilè vitaſſent, ſi ſciviſſent uſum ſententiæ minùs probabilis, minuſque tutæ eſſe licitum. Accedit quòd ſexdecim primis ſæculis non habebant fideles, Theologos, aut Doctores, per quos ab opinione ſevera removerentur; cùm omnes omninò illi adhærerent: habebant autem ſæculo præterito omnium Antiquorum doctrinam, per quam poterant ab opinione nimiùm benigna dimoveri.

ARTICULUS VIII.

Solutio aliarum objectionum.

OBji. 1. S. Auguſtinus cap. *Solis* diſt. 9. docet ex rationibus probabilibus poſſe formari judicium prudens.

Reſp. Ipſum loqui de rationibus probabilibus ſimpliciter, ideſt, abſque concurſu probabiliorum, aut æquè probabilium; quia, ut dicemus poſteà, æquè probabiles, à fortiori probabiliores eiiduot vim aliarum æquè, vel minùs probabilium.

Obji. 2. S. Leo Epiſt. ad Ruſticum ultimis verbis prologi præſcribit ut in iis, *quæ vel dubia fuerint, vel obſcura, id noverimus ſequendum, quod nec præceptis Euangelicis, nec decretis Sanctorum Patrum invenitur adverſum*: ſed opinio benigna non eſt illis adverſa: ergo

Reſp. Neg. Min. Quandoquidem ſit contra Auguſtinum, Chryſoſtomum, & alios Patres anteà citatos, imò & contrà Euangelium præcipiens ut ſervemus mandata, inter quæ eſt illud: *Declina à malo, & fac bonum*: quod non facit Probabiliſta; cùm declinet ad id, quod veriſimiliùs credit malum: unde ex illo textu D. Leonis tantùm abeſt ut liceat amplecti ſententiam minùs probabilem; minuſque tutam, ut è contra inculcetur tenendam eſſe tutiorem, aut probabiliorem.

Obji. 3. Poteſt dari bellum utrinque formaliter juſtum: ſed hoc inde oritur quòd liceat uni ſequi ſententiam probabiliorem, alteri minùs probabilem: ergo

Reſp. Neg. Min. Sed inde provenit quòd uni & alteri ratio bellandi appareat probabilior: ſicut nonnunquam una ſententia apparet huic authori probabilior, licèt contradictoria probabilior videatur adverſario.

Obji. 4. Licèt intellectus probabiliùs exiſtimet Petrum v. g. eſſe malum, poteſt voluntas ipſi prudeoter imperare ut judicet bonum: ergo ſimiliter ut judicet actionem licitam, quam probabiliùs exiſtimat illicitam.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt quòd in primo caſu inveniatur ratio rectificans illud imperium, nempè quòd proximus ſit habendus bonus, ubi non probatur malus; ſi indè nullum detrimentum timeatur, in ſecundo autem nihil ipſum rectificet, imò aliquid ipſum vitiet, ſcilicet periculum proximum ponendi actionem illicitam.

Obji. 5. Poteſt voluntas prudenter appetere minus bonum, relicto meliori: ergo & intellectus prudenter aſſentiri minùs probabiliter vero, relicto probabiliori.

Reſp. Diſſimulato Ant. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt quòd minùs bonum ſit equidem in ſe certò bonum, minùs autem probabiliter verum, non ſit certò verum, ſed probabilius falſum: undè ſicut voluntas imprudenter appeteret id, quod probabiliùs malum eſt; ità & intellectus imprudenter aſſentiretur probabiliùs falſo.

Obji.

Obji. 6. Sequentis opinionem verè, etſi minùs ſolidè, probabilem, ignorantia eſt invincibilis: ergo ſi fortè malum ſit quod eligit, excuſabitur à peccato.

Reſp. Neg. Ant. Ille enim dicitur ignorare invincibiliter, qui, ut veritatem aſſequeretur, nihil omiſit inquirendo, legendo, examinando, proportionatè ad rei gravitatem, ſequens autem ſententiam minus probabilem, voluntariè & proprio motu veritatem negligit, cùm id amplectatur, quod veriſimilius credit falſum.

Obji. 7. Poteſt ſubditus, accedente Superioris mandato, ponere actionem, quam probabiliùs credit illicitam, adeòque ſequi ſententiam, quam credit minùs probabilem minuſque tutam, ſed ſi id poſſit, accedente Superioris mandato, idem poterit ipſo ſecluſo; cùm illud præceptum non variet ipſius judicium circà illam actionem: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Poteſt ſubditus &c. Quamdiu retinet judicium quòd actio ſua ſit probabiliùs illicita; Nego. Si enim non poſſit obedire ſtante dubio an ſit licita, necnè, ut probavimus Diſp. Præced. q. 6 Concl. 3. nec poteſt à fortiori, ubi credit probabiliùs illicitam. Poteſt &c. deponendo proprium judicium, ſicut tunc tenetur, ſupponendo Superiorem meliùs & accuratiùs rem examinaſſe, aut doctiores conſuluiſſe; Conc. ſed tunc ſequitur ſententiam probabiliorem; imò moraliter certam dicentem eſſe illo caſu Superiori obediendum.

QUÆSTIO IV.

An ſit licitum amplecti quamlibet duarum opinionum circà eandem rem æquè probabilium?

NOnnulli rationibus allatis convicti, deſeruerunt, & condemnarunt uſum ſententiæ minùs probabilis faventis libertati, quando exceſſus probabilioris faventis legi eſt notabilis; volunt tamen uſum illum adhuc licitum eſſe, dum tantùm levis eſt exceſſus; quia cùm in moralibus, ut ajunt, parum reputetur pro nihilo, exceſſus ille levis pro nullo habetur; ſicque manent ſententiæ oppoſitæ æquè probabiles; ſed nec per hoc effugiunt, ut jam patebit.

CONCLUSIO UNICA.

QUando ſunt duæ opiniones æquè probabiles, quarum una dicit rem licitam, alia illicitam, non eſt liberum operanti quamlibet amplecti; ſed tenetur ſequi tutiorem. Ità omnes Doctores nobis Quæſt. præcedenti faventes, eſtque communis inter Canoniſtas.

Prob. 1. Authoritate Scoti Quæſt. 2. Prologi: *Multa*, inquit, *in actibus humanis ſunt dubia, an ſint peccata mortalia, etiam ſuppoſitis omnibus doctrinis Doctorum & Expoſitorum, tamen non eſt dubia via ſalutis; quia à talibus tanquàm periculoſis debet homo ſibi cavere.* Huic conformis eſt Alexander Alenſis parte 2. q. 12. caſu 8. ubi ait: *Quæritur de illo qui dubitat de aliquo contractu, utrum ſit ſimoniacus, necne, eo quod quidam DD. dicunt eſſe talem, & quidam negant: quid ergo ſit facturus, cum ignoret? Reſpondetur ei abſtinendum eſſe ab hoc contractu, ne ſe committat diſcrimini: melius eſt enim ut incidat in damnum temporale, quàm in ſpirituale.* Quid eſt expreſſius pro noſtra ſententia? Quid magis contrarium Probabiliſtis? Ecce hi audacter reſolvunt: poteſt contractum illum facere, amplectendo partem ſibi faventem, & ecce ipſi Scholarum Coriphæi expreſsè dicunt cum D. Angelico priùs citato, debet ab illo contractu ſibi cavere, debet abſtinere.

Prob. 2. Ratione. In dubiis extrà materiam juſtitiæ, tutior pars eſt eligenda, ut diximus Diſp. præced. ſed ille, cui proponuntur duæ opiniones æquè probabiles circà eandem rē, eſt verè dubius an res ſit licita, vel illicita. ergo &c. Prob. Min. ille eſt dubius, an res ſit licita, vel illicita, qui judicat rem eſſe fortè licitam, & fortè illicitam: ſed in concurſu duarum opinionum æquè probabilium, judicatur res fortè licita: propter unam rationem; & fortè illicita propter alteram æquè fortem: ergo, Prob. eadem Min. ſi eſſent duo homines æqualis fidei, quorum unus diceret mihi Regem eſſe Pariſiis: alter non eſſe; eſſem verè dubius an Rex eſſet Pariſiis, necnè: ſed idem accidit in noſtro caſu: ergo. Undè D. Thomas Quodlib. 8. art. 13. *In quamdam dubitationem inducitur homo ex contrarietate opinionum.*

Dices hanc Regulam juris: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*, non eſſe præcepti, ſed conſilii. Sed

Contrà eſt, ſi tantùm foret conſilii, cur Clemens V. in Concil. Viennenſi (& habetur in Clementinis lib. 5. tit. 12. de verb. ſignif. cap. 11.) Fratribus Minoribus dubitantibus an ſub peccato mortali obligarentur ad ea, quæ in Regula, verbo imperativi modi negativè vel affirmativè continentur; reſpondet ut ſequitur: *In iis, quæ ſalutem animæ reſpiciunt, ad evitandos graves remorſus conſcientiæ, pars ſecurior eſt eligenda?* Ubi enim nullum præceptum, ibi nullus conſcientiæ remorſui locus. Cur in cap. *Juvenis* lib. 4. Decretal tit. 1 dicitur: *In his, quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus.* Et cap. *ad audientiam*; lib. 5. Decretal. tit. 12. *In dubiis, ſemitam debemus eligere tutiorem.* Ubi verbum *debemus* apertè denotat præceptum, aliàs ſi ſolùm eſſe conſilium, videtur quòd fuiſſet poſitum, *bonum eſt*, *Convenit*, *Congruit*, &c. Præterea ſi præceptum inſinuare voluiſſent ſummi Pontifices, quibus aliis verbis uſi fuiſſent, quam *Debemus*, *Tenemur*, *Eligendum eſt?* Imò ridiculi eſſent trahentes ex præfata regula ſuas reſolutiones, v. g. debere aliquem ſe gerere ut irregularem, ut excommunicatum &c. Si credidiſſent non eſſe præceptivam, ſed tantùm conſiliativam; cum ex mero conſilio nulla ſequatur obligatio. Continet ergo præceptum rigoroſum juris naturalis; ne quis ſcilicet exponatur periculo agendi contrà legem.

Replicant alii præfatam Regulam tantùm habere locum in dubiis facti, non juris. Sed

Contrà eſt, quòd illa utatur Clemens V. in reſponſione ad Fratres Min. circa Regulam ſuam dubitantes, & conſequenter circà materiam juris, & quidem humani, in quo eſt Regula noſtra. Deindè, ut ait Vaſquez, quæ umbra differentiæ inter utrumque dubium juris & facti eſſe poteſt? cur in dubio facti certior via tenenda eſt; niſi quia aliter periculum eſſet committendi actionem prohibitam, vel omittendi actionem imperatam? nonne eadem omninò ratio eſt in dubio juris, cur ergo ad vanam iſtam diſtinctionem recurremus?

Volunt alii Regulam illam tantùm eſſe pro quibuſdam caſibus, v. g pro dubio de homicido, nec eſſe ad alios caſus extendendam. Sed

Contrà eſt, quòd manifeſtè Pontifices declarent habere locum in omni materia, in qua eſt periculum peccati mortalis, ut evidenter patebit legentibus cap. *ſignificaſti* de homicidio, lib. 5. Decret. tit. 12. Cap. *Juvenis* de ſponſalibus, ibid. & cap. *illud* de Clerico excommunicato; ibid. tit. 27. quia non præcipiunt ibi noviter ut pars ſecurior eligatur ſed ſupponendo Regulam illam obligatoriam univerſaliter, inde caſus ſuos reſolvunt.

Denique docet Cardenas dictam Regulam habere locum in dubio negativo, non autem in poſitivo: quia in hoc dubio res non eſt dubia, ſed utrinque probabilis. Sed

Contra eſt quòd vel locum habere debeat in dubio poſitivo, vel in nullo habeat; cùm, ut diximus Diſp. præced. dubium negativum non ſit dubium, ſed mera neſcientia. Præterea quid plus habet ille, cui proponuntur rationes utrinque æquales, ſibi circa eandem rem contradicentes, quàm ille qui dubitat ſine ratione pro & contra? Nihil prorſus, nam ſi antè propoſitas rationes dubitabat, etiam illis propoſitis debet eſſe dubius, vel potius neſcius ut patet ex probatione 2.

Prob. 3. Concluſio: non poſſumus ex duabus opinionibus æquè probabilibus unam præ alia amplecti, niſi ipſi aſſentiator intellectus, ut conveniunt omnes, ſed impoſſibile eſt intellectū, etiam ex imperio voluntatis, aſſentiri uni præ alia; ergo. Prob. Min quia ſicut non poteſt voluntas, etiam ſibi imperans, appetere objectum, quod apparet ſibi indifferens ad bonum & malum, quia ſolum bonum, eſt objectum voluntatis appetentis, ita nec poteſt intellectus aſſentiri objecto ſibi indifferenter propoſito ad verum & falſum, quia ſolum verum, eſt objectum intellectus aſſentientis; jam autem, ubi propoſitio oſtenditur fortè vera propter unam rationem, & fortè falſa propter aliam æqualem, proponitur intellectui ut indifferens ad veritatem & falſitatem.

Confirm. Non poteſt intellectus aſſentiri uni parti, niſi credat ipſam veram, adeòque contradictoriam falſam, ſed nulla ipſi occurrit ratio cur judicet hanc potius falſam, quàm illam, cùm habeat rationes æquales pro utraque parte: ergo cùm non poſſit hanc credere falſam, non poteſt contradictoriam judicare veram.

Obji 1. Cap *Laudabilem* de frigid. & malefic. lib. 4. tit. 15. permittit Pontifex dubitanti de valore ſui Matrimonii propter impotentiam, tentare copulam maritalem per triennium, atqui tunc non ſequitur ſententiam tutiorem, cum ſit tutius ut conjuges ſeparentur: ergo.

Reſp. Neg. Min. Tutius eſt enim, ut ſimul habitent cum periculo fornicationis materialis, quàm ſeparentur, & tranſvolent ad alias nuptias cum periculo Adulterii, cùm prius Matrimonium ſit fortè validum. Ut autem ſimul vivant tanquam frater & ſoror, conſulere poteſt Pontifex, non præcipere; quandoquidem conjux copulæ capax, habeat jus ineundi Matrimonium, adeoque vel perſeverandi in præſenti, vel tranſvolandi ad aliud. Tutius eſt autem primum, quàm ſecundum, donec ſaltem ſufficienter conſtet de impotentia compartis.

Obji. 2. Licitum eſt ſaltem amplecti ſententiam verè & ſolidè probabilem; atqui dari poteſt ſententia verè & ſolidè probabilis, licèt ejus contradictoria ſit æquè probabilis: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Licitum eſt &c. non impeditam: C. impeditam: N. in noſtro autem caſu, probabilitas unius ſententiæ impeditur per probabilitatem alterius reſpectu ipſius operantis; cùm rationes pro una elidant rationes pro altera; ſicque fit, quòd licèt illæ ſententiæ ſint apud ſuos Authores verè probabiles: ipſi tamen operanti non ſit ſolidè probabile, rem eſſe licitam, ſed dubium.

Inſt. 1. Etſi rationes pro una parte elidant alteras, hoc ſenſu, quòd una pars non præemineat ſuæ contradictoriæ; non tamen hoc ſenſu, quòd deſinant ſollicitare intellectum ad aſſensū.

Reſp. Si tunc rationes adhuc ſollicitent intellectum ad aſſenſum, ſollicitare inefficaciter; quia in quantum trahitur à rationibus unius partis, in tantùm retrahitur à rationibus oppoſitis, ſicque neceſſe eſt, ut maneat ſuſpenſus.

Inſt. 2. Quando eſt authoritas æqualis pro utraque parte, utralibet ſollicitat efficaciter intellectum ad aſſenſum: ergo idem præſtant rationes in noſtro caſu; cùm ſit par ratio. Prob. Ant. Quia ridiculum eſt aſſerere opinionem D. Auguſtini non manere prudenter credibilem propter ejus authoritatem, eo quòd occurrat authoritas D. Ambroſii contradicentis, cùm non minùs ſit ideò fide dignus.

Reſp. Neg. Ant. Ad Probationem dico magnam quidem eſſe D. Auguſtini authoritatem, & ſufficientem ſe ſola determinare intellectum, ubi alia æqualis non concurrit, non tamen ubi concurrit: nam ſi teſtimonium appareat veriſimiliter verum propter ſapientiam & virtutem Auguſtini affirmantis, etiam apparet veriſimiliter falſum propter ſapientiam & æqualem virtutem D. Ambroſii contradicentis.

Obji. 3. Cæteris paribus ſententia benignior eſt præferenda: ergo, ubi duæ æqualis ponderis concurrunt circa eandem rem, præferenda eſt illa quæ favet libertati. Prob. Ant. ex Honorio III. c. *ex parte tua* de Tranſactionibus lib. 1. Decr. tit. 36. ubi ait: *In his ſuper quibus jus non invenitur expreſſum, procedes, æquitate ſervata, in humaniorem partem declinando.* Item ex l. *Benignus* ff. de legibus, ubi dicitur; opinio benignior & ſuavior præferri debet.

Reſp. Diſt. Ant. Opinio benignior, ideſt, rationabilior, præferri debet: Conc. ideſt magis ſavens libertati, quàm legi: nego. Hæc enim non benigna, ſed laxa vocari debet, cùm magis quærat ſatisfacere carni, ſanguini, ac hominum cupiditati, quàm Dei & Eccleſiæ præceptis. In jure autem tum Canonico, tum Civili per ſententiam *benigniorem, humaniorem, magis favorabilem*, vel intelligitur illa, quæ favet peregrinis, viduis, egenis, pupillis, ut interpretantur plurimi; vel illa quæ favet teſtamento, Religioni, Matrimonio, ut vult Sylveſter; vel certè, ſi intelligatur quandoque mitior, tantùm habet locum in dubiis facti, & quidem quando agitur de pœnis infligendis; quia tunc eligendo partem mitiorem, eligitur tutior, cùm tutius ſit in pœnis infligendis ſequi mitius, quàm durius: ſequens enim partem mitiorem exponit ſe tantùm periculo abſolvendi nocentem, vel ipſum benignis tractandi, quàm mereatur ejus delictum, ſequens autem partem rigidiorem, exponit ſe periculo vel condemnandi innocentem, vel crudeliùs ipſum puniendi. Condemnare autem innocentem, vel crudeliùs ipſum punire, eſt intrinſecè malum; & ideò non valet in Deum cadere: favere autem delinquenti, non eſt ex ſe malum; & ideò Deus paſſim delinquentibus & peccatoribus parcit.

Sed eſto permitterent alicubi ſummi Pontifices in concurſu opinionum æquè probabilium, amplecti faventem libertati, quod falſum eſt, an ideò poſſet hæc Regula omnibus materiis applicari? an iis, quæ ſunt de jure divino, aut naturali, in quibus nihil ipſis conceſſit Deus? minimè. Et ſic etiam in illo alio ſuppoſito malè ſtatuunt Adverſarii hanc regulam tanquam generalem.

Obji. 4. Melius eſt exponere homines periculo peccati materialis, quàm formalis; ſed dicendo licere ſequi quamlibet ex duabus ſententiis probabilibus, tantùm exponuntur periculo peccati materialis, formalis verò, obligando ad ſequelam tutioris: ergo.

Reſp. 1. Inde ſequi melius eſſe nullam condere legem, quia tunc homines nec formali, nec materiali peccato exponerentur.

Reſp. 2. Diſt. Ma. Melius eſt &c. ubi liberum eſt alicui exponere peccato formali aut materiali: C. ubi non eſt liberum, ſed debet declarare obligationem talem, qualis eſt à parte rei: Nego. Unde ſicut non eſt melius alicui dicere non eſſe legem, ubi eſt, ne exponantur homines peccato formali, ita nec melius eſt, ne eidem periculo exponantur, dicere non eſſe obligationem ſequendi partem tutiorem, ubi hanc ſequendam eſſe declarat ratio naturalis, ut vitetur periculum evidens tranſgrediendi legem. Et ideò nullatenùs nobis adverſatur Gerſon parte 2. lib. de vita ſpirit. lect. 4. corollar XI. ubi ait: *Theologi non debent eſſe faciles ad aſſerendum aliquas actiones, vel omiſſiones eſſe peccata.... ubi non ſunt certiſſimi de re: nam per hujuſmodi aſſertiones rigidas &c. nequaquam eruuntur homines à luto peccatorum, ſed in illud profundiùs demerguntur.* Qua maximè certi ſumus ex Scriptura amantem periculum, ſicut amat amplectens id, quod judicat fortè bonum, & fortè malum, perire in illo.

Objiciunt etiam Adverſarii, in dubio quandoque poſſeſſionem ſtare pro libertate; ſed hoc verum eſt, ubi dat præſumptionem de rei veritate, ſicut in materia ſolius juſtitiæ, quod fusè proſecuti ſumus Diſp. præced. illuc recurre. Ad illud quod dicunt legem tunc non cenſeri ſufficienter promulgatam, Reſpondimus Articulo 6. Quæſtionis 3.

QUÆSTIO V.

Quam ſententiam probabilem liceat amplecti, & quænam Regulæ prudentis actionis?

CONCLUSIO I.

EXtra caſus Quæſt. 7. aſſignandos, licitum eſt ſequi omnem omninò ſententiam verè & ſolidè probabilem, licèt minus tutam, ſi omnibus penſatis & conſideratis, appareat talis operanti. Eſt communis DD.

Ratio eſt; quia Deus non plus exigit ab homine, quàm ut humano modo operetur; cenſetur autem, homo humano modo operari, quando ſequitur ſententiam, quam judicat verè probabilem, ideſt, quando exercet actum, quem ea gravi motivo credit ſibi licitum, nec ſeriò cogitanti occurrit quidquam adverſum, vel ſaltem nihil, quod ſincerè examinanti non videatur ſolutum. Et certè nunquid ſummi Pontifices in diſpenſationibus, nunquid Reges in adminiſtrandis regni negotiis; nunquid judices tum Eccleſiaſtici, tum Civiles, in dirimendis litium nodis ſententia probabili utuntur? Unde prudenter agit, qui talem ſententiam amplectitur; quia poteſt habere certitudinem moralem, quod ſua actio ſit ſibi licita, licèt fortè à parte rei foret mala.

Dixi: *Si omnibus penſatis appareat talis operanti*: quod fit, dum non occurrit ipſi alia probabilior, æque probabilis, aut ferè æquè probabilis.

CONCLUSIO II.

UT quis prudenter operetur amplectendo ſententiam minus tutam faventem libertati, non eſt opus ut inquirat, *an* illa ſit in ſe abſolutè probabilior, tum intrinſecè, tum extrinſecè; aliàs non ſolùm deberet utriuſque partis fundamenta expendere, ſed etiam omnium DD. multitudinem, doctrinam, ſanctitatem, diligentiam in expendendis & ſolvendis oppoſitæ ſententiæ argumentis, ſicut & eorum voluntatem, an ſcilicèt ex ſolo deſiderio veritatis reperiendæ & fidelibus manifeſtandæ, typis ſua ſcripta mandaverint; hoc autem eſſet onus nimium grave, & multis intolerabile, ſed ſufficit, ſi poſito pro negotii qualitate, & temporis opportunitate ſufficienti examine, quòd quiſque pro ſuo modulo, vel rationes utriuſque partis diſcutiendo, vel doctiores conſulendo, adhibere conabitur, ſententia appareat ipſi operanti ſenſibiliter probabilior, vel ſimpliciter probabilis non impedita Quod, ut facilius percipiatur, pono ſequentis Regulas.

REGULA I.

Pro viro illiterato.

VIr illiteratus, qui non poteſt per ſeipſum de bonitate aut malitia actionis judicium ferre, prudenter agit ſequendo conſilium ſui Parochi, Confeſſarii, aut viri docti, modò tamen careant morali ſuſpicione malè ſuadendi ex pigritia, præſumptione, aut ex nimia laxitate: unde ſi unus ex illis dixerit actionem aliquam eſſe illicitam, debet ab ea abſtinere; ſi licitam, poteſt facere: quòd ſi duos conſuluerit, & unus dicat licitam, & alter illicitam, debet tutiorem partem eligere, ſi illi duo ſint apud ipſum ejuſdem aut ferè ejuſdem authoritatis, niſi alios doctos & pios interrogando reperiat, ut urgentiora motiva ad credendum potius licitam eſſe actionem, quàm illicitam.

Advertendum tamen poſſe excuſari plebejum aut ruſticum conſulentem Parochum in rebus obviis & facilibus, non tamen Advocatum, Judicem, Mercatorem &c. eundem conſulendo in rebus difficilibus, & intricatis: niſi certè eſſet vir maximè in Theologia verſatus.

Digitized by Google

REGULA II.

Pro Viro Docto.

VIr Doctus, qui per ſe ſufficiens eſt, ut judicet de bonitate aut malitia actionis, poteſt & debet (ſi ſit tutius) illam ſententiam amplecti, & aliis conſulere, quam, expenſis ſine paſſione, præventione, & nimia præcipitatione, utriuſque partis fundamentis, judicaverit probabiliorem.

REGULA III.

Pro Confeſſario non ita Docto.

COnfeſſarius non ita Doctus, ideſt, qui non poteſt ex principiis intrinſecis, ſeu ex rationibus cognoſcere quænam ſententia ſit probabilior, interroget virum prudentem, expertum, in Theologia verſatum, nec ſuſpectum de laxitate; & quod ille, poſt diligentem rei diſcuſſionem, conſulerit, teneat, & pœnitentibus practicandum proponat. Quòd, ſi ad libros confugiat illam ſententiam ſequatur, quam Doctores magni nominis ſuſtinent, nulla facta mentione opinionis oppoſitæ, aut, ſi de ea loquantur, nonniſi eam ut falſam, aut improbabilem reputando. Si autem incidat in librum Authoris docentis opinionem faventem libertati, & dicentem faventem legi eſſe communiorem, imprudenter illi adhærebit, cùm ſola authoritas, quam majorem intelligit pro altera parte, ſit ipſi eligendi regula. Quòd ſi Doctor magnæ eruditionis, ac integritatis aſſerat duas ſententias contradictorias ejuſdem eſſe probabilitatis, partem tutiorem ſequatur, ſi autem dicat unam eſſe altera probabiliorem, debet illam amplecti, ſi ſit tutior, poteſt illam amplecti, ſi ſit minus tuta. Ex quibus

Patet quàm immeritò nobis imponant Adverſarii, nos fidelium Conſcientias torquere, & ſcrupulis agitare, jugum Chriſti, quod ſuave eſt, aggravando; cùm ſententiæ noſtræ ſint maximè rationi conformes, & apertiſſimæ ſanæ rationis ſequelæ; imò & ſint principia 16. circiter ſæculorum. Fateantur ergo oportet, vel omnes Theologos & PP. qui has materias tractaverunt per 16. ſæcula, Chriſti jugum aggravaſſe, vel nos non aggravare, ſi non aggravaverint; cùm nihil docuerimus, quod ipſi priùs non docuerint, & quidem ſeverius. Videant potiùs illi & timeant, ne dilatare volentes viam Cœli, quam Veritas ipſa arctam eſſe docet, imponant ſibi & ſuis ſequacibus in altera vita onus æternum & horribile. Unicuique igitur *ambulandum in virtutis doctrina via Regia, ut nec ſtrictius fiat Dei mandatum nec latius quàm ipſe mandaverat.* Inquit Gerſon parte 2. in Reg. Moral. litt. D. poſt prolog.

QUÆSTIO VI.

Quid debeat vir doctus in opinionum concurſu reſpondere conſulenti, & quid Confeſſarius pœnitenti ejus opinioni reluctanti.

CONCLUSIO I.

SI agatur de reſtitutione facienda, aut de contractu celebrando, non prudenter agit Doctor conſultus, ſi illatim reſpondeat reſtitutionem eſſe faciendam, aut eſſe à contractu abſtinendum, eo quòd taliter opinetur; ſi ſciat ab Authoribus, aut ab aliis magni nominis & eruditionis Viris ſententiam oppoſitam ſuſtineri, & quidem ſatis communiter: quod addo, quia ſi aliorum ſententia reputetur ſingularis & improbabilis non eſt curanda: ſicut nec ſi habeatur ſatis communiter minùs probabilis.

Ratio concluſionis eſt; quia etſi conſulens ſequatur viam tutiorem reſtituendo, aut à contractu abſtinendo; gravem tamen injuriam facit conſulenti conſultus, ſi ſit in cauſa cur reſtituat non reſtituendum, aut abſtineat à contractu licito: & ideò reſpondere debet, ſe quidem ità tenere ob tales vel tales rationes; nihilominùs non deeſſe viros authoritate & eruditione graves, qui contra ſentiant ob rationes ſatis ſolidas, quos ideò poteſt etiam conſulere, ut, perpenſis in ſtatera Domini utriuſque partis rationibus, amplectatur illam, quam crediderit probabiliorem.

CONCLUSIO II.

NOn poteſt vir doctus reſpondere ſimpliciter ſecundùm ſententiam, quam judicat minùs probabilem.

Ratio eſt; quia affirmaret abſolutè licitum, quod crederet veriſimilius illicitum, & impelleret conſulentem ad id exequendum, quod credit, aut credere debet eſſe ſibi nefas exequi; hoc autem adverſatur rationi.

Nec dicas quòd ſententia aliorum minùs probabilis, ſit verè probabilis; quia licèt ſit talis apud ſuos Authores, & omnes alios, qui illam veram exiſtimant, qui ideò poſſunt ſecundùm illam operari, & conſilium dare; nihilominùs non apparet talis Doctori interrogato; & ideò non poteſt ſimpliciter ſecundùm illam reſolvere.

CONCLUSIO III.

NOn ſemper debet Confeſſarius opinioni pœnitentis ſe conformare, nec ſemper pœnitentem ſuæ opinioni reluctantem inabſolutum dimittere, ſed debet quandoque ejus ſententias tolerare, quandoque reprobare.

Prob. 1. Pars. Quia cùm in hoc Tribunali Confeſſarius ſit judex, & pœnitens reus, videtur inordinatum quòd Confeſſarius ſemper ſequatur ſententiam ſui pœnitentis: cùm potiùs debeat reus ſequi ſententiam judicis, quàm judex ſententiam Rei: unde illis non ſubſcribo, qui pœnitentium cupiditatibus nimium indulgentes, Confeſſarios adſtringunt ad ſequendam ſuorum pœnitentium opinionem, quotieſcumque aliqua probabilitatis ſpecie veſtitur.

Prob. 2. Pars; quia, ut optimè notat Adrianus Tract. de Confeſſ. q. 5. dub. 7. non adeò de ſe præſumere debet Confeſſarius, ut totum velit in ſuam opinionem, quæ fortè erronea eſt, concludere, ſeu coarctare; quaſi ipſe ſolus videat, & ſcientia cum eo ſit obitura: & certè quis ferat quòd nolit unquam Confeſſarius pœnitentis opinioni ſeſe accommodare, licèt ſciat ſententiam plurimorum & timoratorum? An reliqui omnes damnabuntur, quia illius ſententiæ non acquieſcunt? Errant ſanè Confeſſarii, qui omnes ſuas opiniones tanquam regulas infallibiles, aliorum autem fallibiles pœnitentibus proponunt.

Prob. 3. Pars: Quia poteſt pœnitens aliquando rationabiliter, aliquando irrationabiliter ſuæ ſententiæ adhærere. Unde debet prudens Confeſſarius omnia in ſtatera Domini librare; &, ſi videat pœnitentis ſententiam in Doctorum gravium & timoratorum authoritate fundari, illi acquieſcat, ſi talis ſententia reputetur communiter verè probabilis cum fundamento, quòd ſi illius ſententia careat fundamento legitimo, illam reprobet. Pro cujus clariori intelligentia ſit

REGULA GENERALIS.

QUotieſcumque pœnitens ſequitur ſententiam, quam ſine pravo affectu & paſſione, ſincerè & coram Deo credit probabiliorem, vel propter authoritatem, vel propter rationes judicioſè expenſas, debet illi acquieſcere Confeſſarius, licèt credat ejus ſententiam minùs probabilem. Quotieſcumque autem pœnitens tenet ſententiam, quam ipſemet credit minùs probabilem, non debet illi acquieſcere, licèt dicat ſe fundari ſupra ſententiam DD. aſſerentium licere ſequi ſententiam minùs probabilem, relicta probabiliori, & tutiori. Hæc omnia ſequuntur ex ſuperioribus. Ex dictis

Reſol. 1. Non poſſe abſolvere pœnitentem, qui non vult relinquere certam occaſionem peccandi, quia credit tantum eſſe remotam, ſi Confeſſarius ipſo doctior credat proximam; quia tunc tenetur potiùs Confeſſario, quàm ſibi credere: imò idem dicendum exiſtimo, etiamſi doctrina æquivaleat Confeſſario; quia timere debet ne rationem ejus obnubilet affectus inordinatus.

Reſol. 2. Nec eſſe abſolvendum eum, qui credit, etiam probabiliùs, ſe non teneri ad reſtitutionem, ſi Confeſſarius videat ipſum decipi, niſi certè pœnitens ſententiam mutet. Ratio eſt; quia non debet Confeſſarius reputare pœnitentis ſententiam probabiliorem, dum videt probabilitatem, non ex fundamento ſolido, ſed ex errore provenire. Volunt quidem aliqui eſſe cum eo diſſimulandum, ſi dubitetur an ſit reſtitutionem facturus, ſed immeritò; quia non poteſt abſolvi pœnitens, niſi credatur diſpoſitus, qualis non poteſt judicari ille, qui ita eſt lucro affixus, ut meritò dubitetur, ſi ſciret eſſe reſtituendum; an eſſet reſtituturus.

Reſol. 3. Si ſententia Confeſſarii ſit paucorum, & pœnitentis multorum æquè gravium, poſſe, ordinariè loquendo pœnitentem abſolutum in ſua ſententia probabiliori credita relinquere; quia præſumere poteſt pœnitentem ex fundamento ſufficienti conſcientiam formaſſe.

Dixi: *Ordinariè loquendo*; quia ſi appareat Doctores illos, licèt plures & graves, magis præventione, quàm ratione fuiſſe occupatus, ut accidit in iis, qui tenuerunt licitum eſſe uſum ſententiæ minùs probabilis in concurſu probabilioris, & tutioris non poteſt pœnitenti acquieſcere.

Reſol. 4. Diſcrimen eſſe inter judicem in foro ſori, & judicem in foro ſacramentali, quòd primus nunquam poſſit ferre ſententiam juxta opinionem litigantis, contra opinionem propriam; quia cùm ſit inſtitutus medius inter litigantes, ut quod ſibi, & non litiganti æquius viſum fuerit, exponat, clarum eſt facere injuriam uni litigantium, ſi, relicta opinione propria, adhæreat alteri litiganti. Secundus verò; cùm ſit inſtitutus ut abſolvat à peccatis præteritis, & impediat futura, pœnitens autem poſſit à futuris præcavere ſequendo ſententiam, quam coram Deo credit probabiliorem, hinc eſt, quòd poſſit illi acquieſcere. Imò poteſt dari caſus, ubi pœnitens non poſſit adhærere ſententiæ Confeſſarii, ſine peccato; ſi nempe judicet ipſam minùs probabilem minùſque tutam, ut ſi Confeſſarius volens prodeſſe pupillis velit obligare Tutorem ad ineundum, in eorum favorem, contractum triplicem, quem Tutor probabiliùs credit illicitum, & Confeſſarius è contrà.

QUÆSTIO ULTIMA.

Qualiter debeant ſe gerere in opinionum concurſu Sacramenti Miniſter, Scientiæ Profeſſor, Medicus, Judex, Advocatus?

Licèt ſententia probabilior appareat veritati propinquior, non eſt tamen licitum in omni caſu illam amplecti, ſi ſit minus tuta, ſed tantùm quando eſt probabilioritas juris præcisè, ſeu quando probabilius eſt Jus, præceptum, aut legem non obligare, unde ſi probabilitas, aut probabilioritas ſit rei, ſive facti, ideſt, ſi verſetur circa ſubſtantiam, qualitatem, aut conditionem rei, ſeu facti, ſæpè erit illicitum amplecti ſententiam probabiliorem, propter periculum nullitatis rei, aut alicui nocendi; & ideò ponimus ſequentes Concluſiones.

CONCLUSIO I.

IN adminiſtrandis Sacramentis non eſt licitum Miniſtro, extra caſum neceſſitatis, uti ſententia probabili, relicta tutiore, ſaltem ſi agatur de valore Sacramenti.

Prob. 1. Ex condemnatione hujus propoſitionis ab Innocent. XI. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi* &c.

Prob. 2. Ille imprudenter agit, qui ſine neceſſitate rationabili exponit Sacramentum periculo nullitatis; ſed qui ſequitur ſententiam probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, exponit Sacramentum periculo nullitatis: ergo. Prob. Min. quia valor Sacramenti non dependet ab opinione DD. probabili, imò nec probabiliori, nec probabiliſſima, ſed ab eo, quod Chriſtus realiter ad ejus ſubſtantiam requiſivit. Unde, ſi illud deſit, quidquid opinentur homines, Sacramentum erit invalidum, ſicque manifeſtè patet ſequentem ſententiam probabilem, relicta tutiore, exponere Sacramentum periculo nullitatis.

Dixi 1. *Extra caſum neceſſitatis*; quia in tali caſu poteſt, & debet Miniſter ex charitate, immo ex juſtitia, ſi jus habeat ſuſcipiens ut ſibi ab illo Sacramentum adminiſtretur, uti materia, forma, & juriſdictione, non tantum probabili, ſed etiam dubia, ſi alia non ſuppetat.

Ratio eſt; quia cùm Sacramenta propter hominum ſalutem ſint inſtituta, melius eſt, ut periculo nullitatis exponantur, quàm ut homo illis abſolutè privetur, prodeſſe ſiquidem poterunt, nocere non poterunt, irreverentia autem, quæ aliàs ſubeſſe poſſet, abſtergitur tum ratione neceſſitatis, tum ratione intentionis conditionatæ, quàm in tali caſu habere debet Miniſter.

Dixi 2. *Sententia probabili*, ſub qua comprehendo & probabiliorem: propter eandem rationem, non tamen *moraliter certam*; undè ſi aliqua ſententia aſſerens aliquid ſufficere ad valorem ſacramenti ità communiter habeatur vera, ut oppoſita, licet tutior, vix habeat aliquid probabilitatis ſive ab intrinſeco, ſive ab extrinſeco, licitum erit illam amplecti.

Dixi 3. *De valore Sacramenti*; quia licitum eſt amplecti ſententiam probabiliorem in Sacramentis conferendis aut ſuſcipiendis, ſi eorum valor & efficacia non periclitetur: unde Confeſſarius licitè abſolvit pœnitentem reticentem peccatum, quod probabilius judicat aut non eſſe mortale, aut non eſſe commiſſum, aut aliàs fuiſſe confeſſum, ſicut & illum, qui non aperit aliquod peccatum, ne aperiat complicem: ſi probabilius judicet eſſe illicitum aperire peccatum cum gravi detrimento complicis.

Ratio eſt, quia confeſſio, quam requirit Chriſtus, non debet eſſe neceſſariò integra materialiter, ideſt, omnium omninò mortalium nondum confeſſorum, ſed ſufficit integra formaliter, ſeu moraliter, ideſt illorum peccatorum, quæ quis facto ſufficienti examine, tenetur declarare, jam autem quando probabilius exiſtimat aliquid, aut non eſſe peccatum mortale, aut non eſſe commiſſum, aut fuiſſe confeſſum, non tenetur illud confiteri: & conſequenter, illo non expreſſo, poteſt eſſe confeſſio moraliter integra, adeoque ſufficiens ad valorem Sacramenti, licèt illud, quod omittitur, coram Deo ſit peccatum mortale nondum confeſſum. Hanc ſententiam tenent Doctores paſſim, cujus ratio ulterior eſt, quod confeſſionis integritas indirectè pendeat ab opinionibus Doctorum fundatis tamen. Ex dictis

Reſol. Teneri Miniſtrum Sacramenti eligere vias certas & tutas, quantum fieri poteſt, adeoque ſi, relictis tutioribus, tantùm probabiles, aut probabiliores eligat, peccare contra Religionem Sacramentum irreverenter tractando; contra dilectionem proximo debitam, imò juſtitiam, reſpectu perſonæ, cui tenetur ex juſtitia Sacramentum miniſtrare.

CONCLUSIO II.

PRofeſſor cujuslibet ſcientiæ, & præſertim Scripturæ Sacræ, Theologiæ, Medicinæ, Juriſprudentiæ, tenetur tradere ſuis Diſcipulis ſententias, quas credit veras, aut ſaltem veriſimiliores; & ideò, ſecluſa omni præventione, paſſione, præcipitatione, diligenter ad laborare, ut veritatem poſſit aſſequi: quòd ſi ſecus fecerit, peccat graviter, vel leviter, juxta periculum detrimenti, cui & Diſcipulos & plebem exponit: ex Scholæ ſiquidem erroribus multa deinceps & magna præjudicia in mores, Leges, Patriam, Religionem & Fidem derivantur. Hinc

Reſol. 1. Coram Deo excuſationem legitimam non habituros Profeſſores illos, qui ſententias laxas tradunt, quia vel ſine ſufficiēti ſtudio in rebus graviſſimis ſententiā proferunt, vel nimio affectu placendi hominibus in eas ſententias abeunt, quas gratiores fore, & majori cum applauſu excipiendas arbitrantur.

Reſol. 2 Etiam peccare illos, qui gloriantur tradere ſententias rigidiores, licèt minùs probabiles exiſtiment.

Ratio eſt, quia imponunt hominibus onera gravia, quæ Deum ipſum, nec mediatè, nec immediatè impoſuiſſe veriſimilius arbitrantur, volenteſque ſine cauſa ſufficienti præcepta multiplicare, multiplicant & peccata: unde reprehendit Chriſtus Scribas & Phariſæos, non tantùm quia irritum feciſſent mandatum Dei propter Traditiones & opiniones ſuas, ſed etiā quia alligarent onera gravia & importabilia, imponerentque in humeros hominum quod ipſi digito ſuo nollent movere, cùm tamen in Deuteronomio æqualiter præſcribatur ne aliquid addatur, aut detrahatur de mandato Dei.

Reſol. 3. Errare Doctores, qui opiniones ſuæ ſectæ ſequuntur, non ut rationi magis conſentaneas, ſed quia nati ſunt, *aut* enutriti in ſecta illius doctrinæ. Item & illos, qui docent certa pro incertis, non examinata pro exploratis: produnt enim Scholas, produnt Juventutem, produnt Rempublicam.

CONCLUSIO III.

TEnetur Medicus certiori modo quo poteſt, providere Infirmo; adeoque debet omiſſis remediis dubiis, probabilibus, imò probabilioribus, adhibere certa, ſi adſint. Ratio eſt; quia poſtulat charitas, imò & juſtitia, ſi Medicus mercedem accipiat, ut eodem modo provideat infirmo, quo vellet ſibi in tali caſu provideri; certum eſt autem, quòd ille, relictis remediis incertis, certa vellet ſibi adhiberi: unde ſi aliter faciat, exponit ſe periculo homicidii.

Dixi: *ſi adſint*; quia deficientibus remediis certis, adhiberi debent probabilia, imò & dubia; ideſt, illa de quibus quidem moraliter certum eſt non nocitura, ſaltem graviter; dubitatur autem, an ſint profutura. Ratio eſt, quia per illa remedia poteſt prodeſſe infirmo, nocere non poteſt, ſaltem notabiliter; imò, ſi vita infirmi ſit moraliter deſperata, poteſt illa remedia præbere, de quibus, propter rationes hinc inde militantes, dubitatur an ſint profutura, an potiùs nocitura, quidquid dicant aliqui; quia licèt forte talia remedia mortem ſint acceleratura; tamen fortè ſanitatem reſtituent; videtur autem prævalere ſanitas fortè recuperanda periculo mortis, per unum aut alterum diem accelerandæ.

Nunquam tamen licet Medico, ſecundum communem ſententiam, præbere medicinam, cujus virtutem penitùs ignorat, ideſt, de qua nullam habet rationem ex Medicinæ regulis, aut experientiis, an profutura ſit infirmo vel non; quia tunc tutius eſt Deo & ejus Providentiæ infirmum in periculo naturali conſtitutum relinquere, quàm ipſum exponere novo periculo medicamenti: undè peccant Medici, qui, ut aliquod medicamentum experiantur, illud abſque ratione aliqua ſufficienti ægroto tribuunt. Aliqui tamen excipiunt caſum, quo

in

Digitized by Google

in id expreſsè conſentiret infirmus totaliter deſperatus. eo quòd aliqualis ſpes ſanitatis recuperandæ videatur anteponenda periculo mortis accelerandæ. Ex dictis

Reſol. 1. Graviter errare medicos, qui illam exercent abſque ſufficienti capacitate ad diſcernendum quænam media ſint certa, quænam probabilia, & quænam dubia.

Reſol. 2. Non minùs peccare illos, qui dum curant milites aut egenos, audacter interficiunt, ideſt, medicamenta periculoſa tribuunt potiùs ut doctiores in ſua arte evadant, quàm ut infirmis provideant: quibus certiori modo poſſent conſulere.

Reſol. 3. Etiam peccare infirmarium, ideſt, infirmorum curam gerentem, ſi Medici præſcripta violet, alia remedia, alium victum, aut potum tribuendo infirmis, quàm ordinaverit Medicus, niſi certè doctior eſſet Medico, ſaltem experimentaliter.

Reſol. 4. Etiam delinquere ægrotum, qui, ſpretis Medicorum conſiliis, & remediis, pro libitu ſibi remedia procurat; quandoquidem tunc vitæ ſuæ non conſulat, quantum poteſt & debet. Crederem tamen poſſe infirmum diù & graviter ægrotantem ſumere aliquod remedium periculoſum, ſi à Medicis ſit derelictus, & aliundè ſit ſpes aliqua ſanitatis, quia non tenetur homo ſe ſervare cum tantis doloribus unde non cenſetur tunc, niſi indirectè, morti ſuæ cooperari.

An autem infirmus ad mortem, poſſit omne remedium aut medicamentum reſpuere? negat Diana, excipit tamen Leſſius cum aliis fœminam, præſertim virginem, quam dicit non teneri permittere, licèt poſſit, curationem à viro in partibus ſecretioribus, propter verecundiam, motus inhoneſtos &c. Cui non aſſentior.

Agendum hic foret de Judice, & Advocato, quomodo ſcilicet ſe gerere debeant in opinronibus probabilibus facti & juris, ſed quoniam de illis egimus in Appendice immediatè ſequenti Tractatum de jure & juſtitia, illuc lectorem remittimus.

TRACTATUS III.

DE LEGIBUS.

ISidorus lib. 2. Etymolog. cap. 10. vult Legem à *legendo* dictam eſſe, eo quòd ſubditi in ea ſcripta legant, quæ practicare, & à quibus abſtinere debeant. Cicero autem lib. 1. de Legibus, ab *eligendo*, eo quòd oſtendat quid ſit homini eligendum. Alii verò, & communius à *ligando*, quia ſubditi per eam ligantur, ſeu potius obligantur ad ejus obſervantiam, & ideo quandoque Leges vocantur jugum, vincula, ligamina, &c.

Porro Lex & varia ſortitur nomina, ut jus, ſanctio, ſtatutum, conſtitutio: & varia eodem nomine ſignificat: ac 1. *Regulam* aliquid faciendi, qua ratione regulæ Dialectices Leges dicuntur. 2. *Religaagem* quandam, ſic dicitur Lex Chriſtianorum, Judæorum, &c. 3. *Inclinationem naturalem* appetitus ſenſitivi ad malum, quam Apoſtolus Rom. 7. vocat Legem peccati. 4. Id in quo ſcripta eſt Lex. 5. Id quod Lex præcipit, ſic dicuntur facere Legem, qui adimplent ea quæ injungit. De illis Legis acceptionibus non agimus; ſed de ea quatenus eſt regula & menſura externa actuum humanorum: quæ cum varia ſit, antequam ſpecies ejus ſingulas aggrediamur, Quæſtionem unicam veluti proœmialem de ea in communi præmittemus.

QUÆSTIO PROOEMIALIS.

Quid ſit Lex, quotuplex, & in quo actu conſiſtat ejus eſſentia?

CONCLUSIO I.

OMiſſis variis Legis definitionibus; hanc maximè claram & adæquatam proponimus, ſcilicet: Præceptum commune, juſtum, utile ac perpetuum, ab eo, qui curam habet communitatis, ſufficienter promulgatum.

Dicitur 1. *Præceptum commune*, ideſt, reſpiciens integram communitatem, non autem perſonam privatam. Cujus ratio eſt, quòd Lex debeat eſſe perpetua, nulla autem perſona privata ſecundùm præſentem conſtitutionem, poteſt eſſe perpetua; benè tamen communitas, quæ durat per continuam membrorum ſucceſſionem.

Dices 1. Feruntur Leges pro ſolis pupillis, Minoribus &c. ergo Lex non reſpicit totam communitatem.

Reſp. Diſt. Conſeq. Non reſpicit totam communitatem eorum, pro quibus fertur: nego. Pro quibus non fertur: Conc. Explico: quando dicitur quòd Lex debeat eſſe communis, non eſt ſenſus quòd neceſſariò debeat reſpicere omnes omninò perſonas alicujus Regni, Provinciæ, aut Diœceſis: ſed omnes perſonas illius ſtatus, conditionis, ſexus, ætatis &c. pro quibus fertur: ſic quòd Lex pro pupillis, reſpiciat omnes pupillos, pro Minoribus, omnes Minores &c.

Dices 2. Poteſt ferri Lex pro ſolo Prætore alicujus loci: ergo &c.

Reſp. Diſt. Ant. Pro ſolo Prætore, ſic ut ejus excludat ſucceſſores: nego. Sic ut includat: tranſeat, quia dici poteſt quòd Prætor actualis cum ſuis ſucceſſoribus aliqualem communitatem conſtituat: & ita explicandum venit Jus tum Canonicum, tum Civile, cùm dividit Legem in privatam & communem, quia per legem privatam intelligitur Lex data quidem uni perſonæ, ſic tamen ut comprehendat illius ſucceſſores: & certè ſi ſucceſſores excludat, impropriè tamen *præceptum*, quod uni tantùm imponitur; vel, ſi pluribus, tantùm ad tempus.

Dicitur 2. *Juſtum*, quia, ut dicit Auguſt. lib. 1. de lib. arb. cap. 5. *Lex eſſe non videtur quæ juſta non fuerit*: unde Legiſlator ferendo Legem, debet ſervare juſtitiam legalem, conſervando bonum commune: juſtitiam commutativam, exigendo præcisè id, ad quod jus habet, & juſtitiam diſtributivam, opera & præmia diſpenſando cum æqualitate proportionata cujuſque viribus ac meritis. Item debet eſſe juſta hoc ſenſu, quòd ſit accommodata humanæ fragilitati, ſpectatis circumſtantiis perſonarum, patriæ, loci, temporis: unde inhumanus eſſet legiſlator, ſi Leges ferret obſervatu moraliter impoſſibiles: *Hujuſmodi enim potius ſunt violentiæ, quàm Leges*, inquit D. Thomas 1. 2. q. 46. art. 4. in concl. nec obligant in Conſcientia, niſi fortè propter ſcandalum vitandum.

Dicitur 3. *Utile*; ſcilicèt bono communi, quia finis Legis licèt fortè non ſit legiſlatoris, eſt bonum & utilitas, Reipublicæ, ut bene advertit Cicero lib. 1. de Legibus dicens, *conſtituendas eſſe Leges publicæ ſalutis cauſa*: & certè cùm Supremorum poteſtas in ordine ad condendas Leges non ſit niſi propter bonum communitatis, manifeſtè patet quòd & ipſæ idem bonum debeant reſpicere, aliàs ſunt Leges adulterinæ, imò & invalidæ.

Dices 1. Sunt aliquæ Leges, quæ nihil utilitatis adferunt Reip. v. g. quòd plebei non ferant gladium, & ſimiles.

Reſp. Quòd licèt ferre gladium ſit de ſe indifferens: attamen propter finem Reipublicæ maximè utilem prohibentur, ut ſcilicèt vitentur pugnæ, duella, rebelliones, homicidia, &c.

Dices 2. Aliquæ Leges permittunt fornicationem, uſuram, & olim apud Lacedemonios permittebantur parva furta, ſed hoc eſt contra bonum communitatis: ergo.

Reſp. 1. Legem permiſſivam ut permiſſivam non eſſe Legem, cùm non obliget ad id quod permittitur, licèt aliunde dici poſſit Lex, in quantum obligat juſtitiæ Miniſtros, ne talia impediant.

Reſp. 2. Etiam tales Leges poſſe cedere in bonum Reipublicæ, quæ cùm non poſſit, ob effrœnatam hominum malitiam, omnia vitia impedire, permittit minora ut vitentur majora, v. g. fornicationes, ut vitentur adulteria, ſodomiæ &c uſuras & minora furta, ut impediantur majora:

Dices 3. Lex exigens vectigalia eſt Lex, & tamen non reſpicit bonum communitatis ſed Principis.

Reſp. Diſt. Aſſump. Non reſpicit bonum communitatis immediatè: Conc. mediatè: Nego: Princeps enim per collectionem tributorum theſauros accumulat, ut ſubditos, quando opus fuerit, à nocentibus defendat.

Nec replices etiam intendi Principis delectationem, ſuſtentationem &c. quia bonum Reipublicæ exigit, ut caput debitè ſuſtentetur. Quòd ſi verò Princeps aliquis præcisè ſuam, & non populi utilitatem quæreret, potius dicendus foret tyrannus, quàm Princeps: *In hoc ſiquidem differt tyrannus à Rege, quòd ille ſua ipſius quomodocumque, & undecumque reſpicit & tuetur; hic ſubditis conſulere tantùm quærit*, inquit D. Baſilius homil. 12. In principium Proverbiorum colum. 2.

Dices 4. Datur Lex præcipiens ut quandoque eliciamus actus Fidei, Spei, & Charitatis, ut ſingulis annis peccata confiteamur, ut circa Feſtum Paſchæ Euchariſtiam ſumamus &c. ſed Leges illæ non reſpiciunt bonum commune, ſed privatum: ergo.

Reſp. Diſt. Min. Reſpiciunt bonum privatum immediatè; Conc. ultimatè: Nego; quia per illas intenditur ultimatè cultus & honor Dei, à quo boni communis pax & conſervatio expectatur.

Dices 5. Privilegia ſunt Leges; ſed conceduntur perſonis particularibus, v. g. Clericis, Religioſis, militibus: ergo.

Reſp. Quidquid ſit de Majore, quam aliqui negant; privilegia etiam indirectè bonum communitatis reſpicere, in quantum remu-

Digitized by Google

munerando eos, qui pro Republica ſtrenuè laborant, aut laborarunt, accenduntur alii ad ſimilia præſtanda.

Dicitur 4 *Perpetuum*, quia Lex debet eſſe permanens ac ſtabilis, non quidem poſitivè, quaſi verò nunquam poſſet abrogari, ſed negativè, ut quamdiu à Principe aut conſuetudine non revocatur, ſemper obliget, etiam legislatore defuncto, in quo differt à præcepto ſimplici, quod expirat expirante præcipiente. Hanc autem Legum perpetuitatem poſtulat bonum communitatis, quia varia Legum mutatio poſſet ipſi graviter nocere, ſubditos turbando, inquietando, ac quandoque ad rebellionem excitando: unde cùm ſtabilis ſit communitas, etiam poſtulat per Leges ſtabiles gubernari.

Dices 1. Legislatores moriuntur: ergo & eorum Leges: cùm ab ipſis totam vim ſuam habeant.

Reſp. Neg. Conſ. Quia licèt immediatè vim ſuam accipiant à Legislatore, mediatè tamen ab aliquo, qui non moritur: Lex ſcilicet Eccleſiaſtica à Chriſto, & Civilis à Rebus publicis, quæ jus ſuum in Legislatores tranſtulerunt.

Dicitur 5. *Ab eo qui curam habet communitatis*, quia ipſius eſt aliquid ad bonum communitatis ordinare, cujus eſt communitatem regere: unde ubi Monarchicum eſt imperium, unicus poteſt Legem condere; ubi verò Democraticum, id eſt, regitur à multis, ab illis ſimul poſſunt Leges ferri.

Nec refert, quòd poſſit quidem Pater familias prolibus, Herus domeſticis præcepta dare, non tamen Leges ferre, quia familia non venit nomine communitatis, & ideo licèt habeant in ſuos poteſtatem privatam, non tamen publicam, quæ requiritur ad Leges ferendas.

Dicitur denique: *Sufficienter promulgatum*; quia promulgatio requiritur: ut Lex pariat obligationem, quæ eſt primarius & immediatus Legis effectus: unde, ut bene advertit P. Herinx, quamdiu Lex non promulgatur, potius habet rationem propoſiti efficacis, quàm Legis, & ideo ex juris diſpoſitione Leges primò inſtituuntur, quando promulgantur.

CONCLUSIO II.

LEx, alia æterna, alia temporalis: prima eſt ordinatio quædam Divinæ voluntatis ab æterno fixè determinantis quę ſint agenda, vel cavenda à creatura rationali, ut debitum finem aſſequatur. Secunda eſt, quæ in tempore condita eſt: in hoc autem differunt, quòd illa ſit increata, hæc creata: illa in Deo, hæc extra Deum.

Dividitur Lex temporalis in naturalem, de qua poſtea, & in poſitivam, quæ ab aliquo legislatore poſitivo, ſive Deo, ſive homine, condita eſt.

Lex poſitiva rurſum diſtribuitur in Divinam & humanam: Divina eſt illa, quæ vim habet quatenus à Deo proficiſcitur: duplex eſt, vetus ſeu Moſaica, à Deo per Angelos Moyſi, & per Moyſen Iſraelitis tradita, & nova, ſeu Evangelica, à Chriſto lata, & partim per ipſum, partim per Apoſtolos publicata.

Hic tamen advertendum, quòd Lex Divina idem pręcipiens ac Lex naturalis, dicatur Divina naturalis, præcipiens autem aliquid, quod non eſt Lege naturæ ſancitum, v.g. quòd reus peccati mortalis debeat præmittere ſumptioni Euchariſtiæ Confeſſionem, dicatur Divina poſitiva.

Lex humana, quæ ab homine fertur alia eſt Eccleſiaſtica ſeu Canonica, alia ſæcularis ſeu politica, aut Civilis. Prima emanat à poteſtate Eccleſiaſtica. Secunda à Civili. Prima, lata à Summo Pontifice aut Concilio generali legitimo, dicitur generalis, à Concilio nationali, nationalis, ab Epiſcopo, diœceſana, ſuoſque reſpectivè ſubditos obligat. Secunda aliquandò dicitur Imperatoria, aliquando Regalis, aliquando Reipublicæ, reſpectivè ad eos, a quibus fertur.

Denique dividitur Lex in affirmativam, & negativam. Prima actum præcipit, ſecunda vetat.

CONCLUSIO III.

RAtio Legis conſiſtit formaliter in actu voluntatis; Eſt Scoti 1. diſt. 44. num. 3. contra quoſdam Thomiſtas.

Prob. 1. Ex Scriptura, ubi Lex ſæpè vocatur *voluntas*, ut 2. Machab. 1. Verſ. 3. *det vobis cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem*, id eſt, Legem. Item Pſal. 142. Verſ. 10. *Doce me facere voluntatem tuam*. Similiter Pſ. 102. *Notas fecit vias ſuas Moyſi; filiis Iſrael voluntates ſuas*, id eſt, Leges & præcepta.

Prob. 2. Quia Aug. l. 4. de Civit Dei, cap. 6. vocat Legem *Arbitrium Principum*; Ariſtoteles in Rhetorica ad Alex. cap. 1. *Civitatis conſenſum*; Cicero l. 1. de Legibus, vult Legem dictam eſſe ab electione; denique l. 1. ff. de Conſtitutionibus Principum tit. 4. l. 1. dicitur: *Quod Principi placuit, Legis habet vigorem*; ſed certum eſt arbitrium, conſenſum, placitum, &c. eſſe actus voluntatis: ergo

Prob. 3. ratione. Ad Legem pertinet imperare; ſed imperare ſolius eſt voluntatis, ut fusè probavimus, etiam ex D. Thoma in Tract. de Actibus humanis: ergo

Prob. 4. Lex eſt regula actuum humanorum; ſed regulare actus humanos pertinet ad voluntatem, ut fatetur D. Tho. 2. 2. 105. Ubi docet voluntatem Dei eſſe primam regulam, Superiorum verò ſecundam, qua actiones humanæ debent regulari: ergo. Prætereà munus Legis eſt movere & impellere ad rectè operandum, quod pertinet ad voluntatem, ut ait D. Angelicus p. 1. q. 9. art. 1.

Dices 1. Lex Dei in Scriptura dicitur *lumen, lucerna, lux, illuminans oculos*; ſed intellectus eſt illuminare: ergo

Reſp. diſt. Ma. Dicitur lumen &c. formaliter: N. præſuppoſitivè, in quantùm præſupponit in Legislatore judicium, quo judicat bono communitatis congruere ſubditis hanc, vel illam obligationem imponere, antequam de facto per actum voluntatis imperantis imponat. conc. Prætereà etiam dici poteſt, quòd Superioris voluntas illuminet ſubditos, in quantum objectivè propoſita, oſtendit quid facere, & quid omittere debeant: unde voluntas Dei, inquit D. Anſelmus de voluntate Dei c. 4. eſt magiſtra humanæ voluntatis, quatenùs objectivè propoſita creaturis ratione utentibus, monſtrat eis quid ipſorum voluntas amplecti, quidve refugere debeat, non ſecùs ac manus ſtatuę in via monſtrat quò eundum eſt.

Dices 2. Lex naturæ, ut dicetur poſteà, non eſt actus voluntatis: ergo &c. Reſp. diſt. Ant. Non eſt actus voluntatis, prout eſt in homine præcisè: tranſeat, de quo poſteà. Prout eſt actus Legislatoris ipſam ferentis: nego. Sic enim eſt ordinatio Divinæ voluntatis nobis à Deo manifeſtata, quatenus eſt Author & rector naturæ. Jam autem, quando dicimus rationem Legis conſiſtere in actu voluntatis, loquimur de illa prout eſt actus Legislatoris illam conſtituentis.

DISPUTATIO PRIMA.

De Lege naturali.

QUÆSTIO I.

An detur Lex naturæ, quid ſit, & quotuplex?

CONCLUSIO I.

DAri Legem naturæ ita clarum eſt, ut ſolus amens negare poſſit.

Prob 1. Ex Scriptura ad Rom. 2. Verſ. 15. *Qui oſtendunt opus Legis*, ſcil. naturalis *ſcriptum in cordibus ſuis*. Et Verſ 14. *Gentes, quæ Legem, non habent*, nempe Moſaicam, aut Evangelicam, *naturaliter ea quæ Legis ſunt, faciunt*.

Prob. 2. Ex SS. Patribus, Ambroſio lib. 9. Epiſt. 71. *Ea Lex*, ſcilicet naturalis, *non inſcribitur, ſed innaſcitur, nec aliquid percipitur lectione, ſed profluo quodam naturæ fonte in ſingulis exprimitur*. Auguſtino lib 2 de ſerm. Dom. in monte c 9. circa med. *Quis Legem naturalem in cordibus hominum ſcribit, niſi Deus?* Ex lib 2. Confeſſ. c. 4. *Lex tua Domine, in cordibus hominum ſcripta eſt*. Bernardo lib. de diligendo Deo: *homo innatam, nec ignotam ſibi Legem habet*.

Prob. 3. Ratione: Deus non minùs homini providit, quàm aliis animalibus; ſed aliis animalibus vires, & inclinationes indidit, ſecundùm quas ad ſuum finem dirigantur: ergo à fortiori dedit homini quamdam legem, ſecundùm quam ad ſuum finem ſe dirigerent: hæc autem, Lex naturalis dicitur.

Dices: Si daretur Lex naturæ prohibens v. g. adulterium, furtum &c. Deus per Legem poſitivam, illa non prohibuiſſet; cùm nihil faciat fruſtrà: ergo ſignum eſt quòd non detur.

Reſp. Ex Auguſt. in Pſalm. 57. initio: *Scriptum eſſe in tabulis, quòd homines in cordibus non legebant: non enim*, inquit ibid. *ſcriptum non habebant, ſed legere nolebant: appoſitum eſt oculis eorum, quod in Conſcientia videre cogerentur, & quaſi forinſecus admota voce Dei, ad ſua interiora compulſus eſt homo*.

CONCLUSIO II.

LEx naturalis eſt regula obligans creaturam rationalem ad practicandum ea, quæ ex ſe neceſſariò conveniunt naturę rationali, & omittendum ea, quæ eidem diſconveniunt. In quo autem conſiſtat illa regula? Dicetur quæſt. ſeq.

CON-

CONCLUSIO III.

DIviditur 1. Lex naturalis per ordinem ad intellectum cognoſcentem, in per ſe notam omnibus, in per ſe notam ferè omnibus, & in ignotam pluribus. Ad primam ſpectant hæc prima & univerſaliſſima principia: *Bonum eſt faciendum, malum vitandum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Ad quæ reduci poſſunt quædam præcepta Decalogi, ut quòd Deus ſit colendus, Parentes honorandi: illa etenim ità nota ſunt, ut omni habenti uſum rationis ſtatim appareant; & ideo hæc Lex naturalis dicitur eadem in omnibus, ejuſque notitia eſt veluti proprietas conſequens naturam rationalem, non tantùm alicujus individui, ſed ſpecificam.

Ad ſecundam ſpectant, non eſſe mentiendum, furandum, occidendum, mœchandum; illa etenim deducuntur ex primis principiis ſine ullo, vel modico labore, vel ſine ullo ferè diſcurſu; ſicque facilè ab omnibus ferè cognoſcuntur; imò nullus poteſt ea ad longum tempus ignorare, ſi ſecundùm ſe conſiderentur, & abſtrahendo à circumſtantiis particularibus, quibus quandoque cohoneſtari poſſunt.

Ad tertiam pertinet, non eſſe aliquid recipiendum ultra ſortem præcisè vi mutui. Item in ſententia Doctoris Seraph. Non eſſe condemnandum innocentem exteriùs probatum reum &c. Quæ cùm difficulter à primis principiis eruantur, à multis ignorari poſſunt, De his vide dicta ſuperiùs de Ignorantia.

Dividitur 2. Per ordinem ad perſonas, circa quas verſatur, in eam quæ reſpicit Deum, ut præcepta Decalogi primæ tabulæ: in eam quæ reſpicit proximum, ut præcepta ſecundæ tabulæ; & in eam quæ reſpicit noſmetipſos, ut, quòd vita propria ſit conſervanda, nefanda carnis peccata vitanda, ut beſtialitas, mollities. Totum hoc amplexus eſt Apoſtolus ad Tit. 2. Verſ. 12. ubi dicit: *Sobriè, juſtè & piè vivamus*: ſobriè quoad nos, juſtè quoad proximum; & piè quoad Deum. Licèt enim pietas etiam reſpiciat parentes & patriam, cùm tamen Deus ſit Pater noſter principalis, ipſum primariò reſpicit.

Dividitur 3. Lex naturalis in eam, quæ reſpicit naturam ſecundùm ſuum ſtatum naturalem conſideratam: & in eam quæ eandem reſpicit prout elevatam ad ſtatum ſupernaturalem, & Fidei lumine illuſtratam. Ratio eſt; quia cùm Lex naturæ oſtendat amplectendum eſſe id omne, quòd naturam rationalem ad ſuum finem conducere debet; natura autem rationalis non tantùm ad finem ab Authore naturæ præfixum (qui dicitur naturalis) ſed etiam ad finem ab eodem ut Authore gratiæ determinatum (qui dicitur ſupernaturalis) conduci debeat, ſequitur quòd Lex naturæ doceat etiam ea eſſe facienda, quibus finis ſupernaturalis obtineri poſſit; & conſequenter, poſita Sacramentorum inſtitutione, Lex naturæ dictat Sacramenta non eſſe irreverenter tractanda, indignè recipienda, aut adminiſtranda: quamvis autem hæc & ſimilia præcepta quandoque dicantur ſupernaturalia, ſunt tamen connaturalia naturæ, non ſibi relictæ, ſed ad finem ſupernaturalem ordinatæ: ſuntque diſtincta præcepta à præceptis poſitivis; quia recta ratio fide illuminata dictat, etiam ſecluſis quibuſcumque ordinationibus, nullam irreverentiam Sacramentis eſſe faciendam.

Dividitur 4. Lex naturalis in concernentem hominem ut ſolitarium; & concernentem eundem ut ſociabilem, illa inſtruit hominem ut honeſtos mores amplectatur, bonum practicando, malum fugiendo: hæc eundem dirigit ut condecenter & honeſtè cum aliis converſetur, ut conjuges ſeſe invicem amore & fidelitate proſequantur, ut filii Parentibus, famuli Heris, cives Magiſtratui honorem & reverentiam exhibeant: & è contra Parentes filiis, Heri famulis, Magiſtratus civibus conſervationem, protectionem, educationem &c. procurent.

QUÆSTIO II.

In quo conſiſtat Lex naturalis, & in quo differat à jure gentium?

DAri Legem naturalem conveniunt omnes, in quo autem conſiſtat, diſconveniunt plurimi: aliqui enim, ut Aleuſis &c. volunt conſiſtere in ipſa vi diſcernendi bona & mala moraliter. Alii in ipſa natura rationali, prout ipſi ratione ſuæ eſſentiæ aliqui actus conveniunt, diſconveniunt aliqui, ut Vaſquez, Mœratius. Alii, ut Gabriel, Almainus, in dictamine rationis præcisè oſtendentis quid conveniat, aut diſconveniat naturæ rationali. Alii, ut quidam Thomiſtæ in dictamine quidem rationis, ſed non tantùm bonum aut malum oſtendentis, ſed bonum præcipientis, & malum prohibentis. Alii aliter ſentiunt. Nos tamen in nullo illorum credimus conſiſtere formaliter: unde Legem naturalem nihil aliud eſſe, quàm Legem æternam nobis per dictamen rationis promulgatam oſtendemus: & quamvis prima fronte videatur illa ſententia particularis, eſt tamen multorum, qui à nobis tantùm in modo explicandi differunt; ſed antequam rei probationem aggrediamur,

Advertendum hanc Legis æternæ deſcriptionem ab Auguſtino allatam l. 1. de lib. arb. tom. 1. cap. 5. nempe: *Ratio in mente Dei exiſtens, qua res omnes per congrua media in ſuos fines ordinantur & diriguntur*, non eſſe definitionem Legis æternæ, prout participat veram eſſentiam Legis. Ratio eſt; quia ultra quod non definiatur per actum voluntatis, reſpicit omnes creaturas, etiam irrationales & inanimatas; creaturas autem irrationales, eſſe veræ Legis incapaces, quis dubitat? cùm ſint incapaces obligationis moralis. unde potiùs eſt deſcriptio cujuſdam providentiæ, ſeu principii gubernationis: nec mentem ejus extorquemus; cùm ipſemet qu. 66. in Levitic. aſſerat irrationabilia eſſe incapacia Legis propriè dictæ. Quando ergo Scriptura, aut Patres, aut Theologi dicunt Legem æternam reſpectu creaturarum irrationabilium eſſe Legem, loquuntur de illa tantùm metaphoricè & impropriè ſumpta; adeoque Lex æterna prout ſortitur verè rationem Legis, tantùm reſpicit creaturas rationales, debetque per ordinem ad ipſas tantum definiri, ut fecimus in Quæſt. Prœmiali.

CONCLUSIO I.

LEx naturalis eſt ipſamet Lex æterna nobis per dictamina rationis veluti promulgatores manifeſtata; adeoq; ipſa dictamina non ſunt lex naturæ formaliter, ſed ſigna oſtenſiva Legis æternæ, quæ quatenùs ſic promulgata, ſeu manifeſtata, Lex naturæ dicitur. Hæc doctrina eſt D. Thomæ 1. 2. quæſt. 91. art. 2. *Lex naturalis*, inquit, *nihil aliud eſt, quam participatio Legis æternæ in rationali creatura*. Et paulò ſuperiùs: *In ipſa*, ſcilicet creatura rationali, *participatur ratio æterna, per quam habet naturalem inclinationem ad debitum actum, & finem*.

Prob. 1. Concluſio ex Auguſt. tom. 4. lib. 2. in Exod. qu. 67. *Lex Dei ſempiterna eſt, quam conſulunt omnes piæ mentes, ut quòd in ea invenerint, vel faciant, vel jubeant, vel vetent, ſecundùm quod illa incommutabili veritate perceperint:* ſed Lex quam conſulunt piæ mentes &c. eſt illa, quæ ipſis loquitur, ipſoſque dirigit in operando & imperando ut bonum faciant, malum vitent: bonum imperent, malum prohibeant; Lex autem illa eſt naturalis, ut patet: ergo non differt Lex naturalis ab æterna, niſi quòd illa importet intimationem per dictamina rationis, hæc non: undè Damaſc. l. 4. de fide, c. 23. *Adveniens*, ait, *Dei Lex menti noſtræ*, ſcilicet per lumen rationis, *attrahit ipſam ad ſe & ſtimulat noſtram conſcientiam*, ut nempè convenientia creaturæ rationali faciat, & diſconvenientia fugiat.

Prob. 2. Ratione: diverſitas Legum oritur ad ſummum vel ex diverſitate legislatorum, vel ex diverſitate materiæ præceptæ, aut vetitæ, vel ex diverſitate utriuſque: ſed hic nihil horum reperitur: ergo Prob. Min. quia Legis æternæ & naturalis idem eſt legislator, nempè Deus, eademque materia. cùm Lex æterna ea præcipiat quæ neceſſaria ſunt, ut creatura rationalis debitum finem aſſequatur, & ea prohibeat, quæ eandem ab illo fine retrahunt; quid autem aliud facit Lex naturæ obligans creaturam rationalem ad faciendum ea, quæ ipſius naturæ conveniunt, & fugiendum ea, quæ eidem diſconveniunt? quandoquidem convenientia naturæ rationali ſint media, per quæ ad ſuum finem perducatur, & diſconvenientia ſint obices, quibus à ſuo fine retrahatur.

Prob. 3. Lex omnis eſt juſſio aut prohibitio, ſed nec natura rationalis, nec uſus diſcernendi, nec dictamen rationis ſunt juſſio, aut prohibitio; cùm hæc ſint actus voluntatis, illa non: ergo. Præterea Lex naturalis dicitur ſcripta, impreſſa, ſignata in cordibus noſtris: quod accommodè dici poteſt de Lege æterna; difficulter autem de natura rationali, aut de vi diſcernendi, aut de dictamine rationis, ut ſatis patet.

Prob. 4. Quia ſi lex naturalis conſiſteret in dictamine rationis, ut vult communior ſententia, Deus non deberet potiùs dici illius legislator, quàm Legis humanæ; ſed hoc eſt falſum: ergo. Minor clara eſt; quia ſi non eſſet aliter legislator Legis naturæ, quàm humanæ, eſſemus veri legislatores Legis naturæ, ſicut homo verus eſt legislator Legis humanæ, nemo autem eſt ſibi ipſi propriè legislator, ſicut nec ſibi ipſi ſuperior. Prob. Ma, Quia tunc eſſet legislator Legis naturæ; In quantùm dictamen illud rationis nobiſcum coefficeret, atqui etiam Legem humanam coefficit cum ipſo legislatore, ergo &c.

Nec dicas dictamen illud rationis procedere à Deo, in quantùm indidit naturæ rationali vim illud eliciendi, quia etiam indidit homini Superiori poteſtatem Legem ferendi, & tamen

non cenſetur Lex humana à Deo tanquam legiſlatore, immediatè procedere.

Prob. denique Deus nihil facit fruſtrà, ſed Lex æterna nobis ſufficienter oſtendit per dictamen rationis, quidquid nobis oſtenderetur per Legem naturalem diſtinctam, ergo Prob. Min. quia Lex naturalis ſivè diſtincta, ſivè indiſtincta à Lege æterna, præcisè oſtendit eſſe faciendum id, quod naturæ rationali convenit & fugiendum id quod eidem diſconvenit. Hoc autem facit Lex æterna per dictamen rationis veluti promulgata.

Obj. 1. Ambroſius l. 1. Epiſt. 17. dicit Legem naturæ eſſe nobis innatam. Idem docet D. Bern. qu. præc. cit. ſed Lex æterna non eſt nobis innata: ergo.

Reſp. SS Patres ità loqui, nonquòd in 1. inſtanti noſtræ nativitatis in nobis naſcatur Lex naturæ, ſed quia dum 1. inſtanti naſcitur in nobis lumen rationis, innaſcitur & notitia Legis naturalis, ſeu æternæ.

Objic. 2. Legem naturæ cognoſcimus, ſed non cognoſcimus Legem æternam, quia *Quæ Dei ſunt, nemo cognovit niſi ſpiritus Dei*: 1. Cor 2. v. 11. ergo.

Reſp. Diſt. Min. Non cognoſcimus Legem æternam, inquantùm eſt actus Dei præcisè: tranſeat. Dico *tranſeat*; quia etſi non cognoſcamus comprehenſivè, quia ſolus Dei ſpiritus ea quæ Dei ſunt, comprehendit, nec intuitivè ſicut Beati, cognoſcimus tamen abſtractivè, ſicut agnoſcimus ejus omnipotentiam, Bonitatem &c. Non cognoſcimus Legem æternam ex parte termini, ſeu eorum quæ præcipiuntur, aut prohibentur: nego. Nec alio modo cognoſcimus Legem naturalem. Ex his patet quòd non poſſimus quidem de Lege æterna judicare, ut ait Auguſt. libro de vera Relig. cap. 3. Sed tunc ſumitur Lex æterna ex parte principii, ſeu actus Dei, non ex parte termini.

Obji. 3. Lex æterna ſemper fuit; ſed naturalis non ſemper fuit, cùm ſit temporalis: ergo. Reſp. Diſt. Mi. Lex naturalis non ſemper fuit ex parte legiſlatoris: nego. Cùm enim Deus ſit immotabilis, nihilque poſſit ipſi de novo accidere, verè & propriè ab æterno per actum ſuæ voluntatis Legem naturalem indidit. Ex parte ſubditorum & obligationis; conc. Quia cùm in tempore tantùm fuerint ſubditi, etiam tantùm in tempore cœpit ipſis manifeſtari, ipſoſque obligare: & ex hac parte dicitur temporalis.

Obji. 4. Promulgatio eſt de Eſſentia Legis; ſed Lex naturalis tantùm fuit promulgata in tempore: ergo tantum cœpit eſſe propriè Lex in tempore, & conſequenter diſtinguitur à Lege æterna.

Reſp. Diſt. Ma. Promulgatio eſt de Eſſentia Legis obligantis in actu 2. Tranſeat. Dico *tranſeat*; quia potius eſt conditio ſine qua non. Obligantis in actu 1. Nego. Et ſic fuit ab æterno Lex naturalis potens obligare, licet non obligaverit antequàm promulgaretur in tempore per dictamina rationis. Et idem eſt de Lege æterna, cum qua coincidit: unde ſicut non fuit Lex æterna obligans ab æterno, ſed in tempore, quo ſenſu dici poteſt temporalis, ita & Lex naturæ.

Obj. 5. Etiamſi non foret Lex æterna, furtum, mendacium, &c. eſſent peccata, adeòque alicui Legi oppoſita; ſed non eſſent oppoſita Legi poſitivæ: ergo naturali & conſequenter diſtinguitur ab æterna.

Reſp. Diſt. Mai. Eſſent peccata impropriè, in quantum ſunt intrinſecè mala; & homini diſconvenientia; conc. Propriè; Nego. Nam ut ait Auguſt. lib. 2. de peccator. Meritis c. 16. *Neque peccatum erit, ſi quid erit, ſi non divinitùs jubeatur ut non ſit*. Cui conformis eſt Scotus 4. diſt. 50. q. 2. n. 9. ubi ſic habet: *Quodcumque peccatum, ideò eſt peccatum, quia eſt contrà præceptum Divinum*.

Obji. 6. Lex naturalis dictat bonum faciendum? ſed hoc facit dictamen rationis: ergo in ipſo conſiſtit.

Reſp. D. Min. Hoc facit dictamen rationis, præcipiendo: nego. Legem manifeſtando, conc. & N. conſ. undè ſicut charta impreſſa dicens v. g. eſſe jejunandum, non eſt Lex jejunii, ſed ſignum Legis manifeſtativum; ita dictamen rationis dictans bonum faciendum &c. eſt ſignum manifeſtativum, & veluti promulgativum Legis naturalis, non autem ipſa Lex.

Objic. 7. Non potuit non eſſe Lex naturalis; ſed potuit non eſſe Lex æterna, cùm ſit opus Dei ad extrà, adeòque ipſi liberum: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Non potuit non eſſe Lex naturalis; exiſtente creatura rationali: conc. non exiſtente: nego. Similiter diſt. Mi. Potuit non eſſe Lex æterna abſolutè loquendo: conc. ex hypotheſi quòd Deus vellet creaturas rationales creare, eaſque regere, nego. Suppoſita enim illa voluntate: neceſſitatur illas ſapienter gubernare, & curare ut actiones ſuas conforment ſuę naturæ. Hoc autem non poſſet, niſi actiones fini creaturæ rationalis contrarias prohibendo, & neceſſarias præcipiendo.

Obj. 8. Lex naturalis, utpotè ſcripta in cordibus hominum, manet in ebrio, dormiente &c. ſed non manet in ipſis Lex æterna. ergo.

Reſp. Diſt. Mai. Manet in ebrio actualiter; nego. Habitualiter, aut quaſi habitualiter, hoc ſenſu, quòd redeunte lumine, naturali, & data occaſione, facilè ipſi innoteſcat, conc. & ſic etiam manet Lex æterna; Hoc autem ſufficit ut dicatur ſcripta moraliter in cordibus noſtris ſicut quidam homines dicunt certa facta memoriæ ſuæ impreſſa; eò quòd ſæpè & facilè ipſis occurrant. Ex dictis

Reſol. 1. Quòd ſicut ab æterno fuit Lex æterna ſecundùm actum legiſlatoris, & obligationem in actu 1. ita & naturalis, ſicut autem tantùm obligavit actualiter in tempore Lex naturalis, ita & æterna.

Reſol. 2. Diſcrimen eſſe inter Legem æternam ſeu naturalem, Syndereſim, & Conſcientiam: quòd 1. ſit ipſa divinę voluntatis ordinatio nobis per dictamen rationis veluti promulgata. 2. Ipſummet dictamen rationis ordinationem illam manifeſtans univerſaliter, & abſque ullo diſcurſu; 3. verò, dictamen ex ſynderesi deductum, reſpiciens particulare.

CONCLUSIO II.

IN hoc differt Lex naturalis à jure gentium, quòd Lex naturæ dirigat hominem, præſertim ſolitariè ſpectatum; jus autem gentium, præcisè illum dirigat ot in aliorum conſortio commorantem; imò ità in regulandis hominibus ſimul conviventibus occupatur, ut ejus diſpoſitiones concernant univerſalem hominum ſocietatem: & in hoc differt à jure Civili, quod aliquando unicum Regnum, imò & unicam Civitatem reſpicit. Cujus ratio eſt; quòd juris gentium ordinationes ſequantur quaſi naturaliter ex ipſa hominum conviventium natura independentes à particularibus particularium locorum diſpoſitionibus, geniis, moribus. juris autem civilis determinationes; aptentur hominibus ſic diſpoſitis, ſic viventibus: & hinc oritur quòd quęlibet civitas ſpeciales habeat Leges.

Porro ex jure gentium (quod ſic vocatur, eò quòd omnes, aut ferè omnes gentes illo utantur) *introducta bella, diſcretæ gentes, Regna condita, dominia diſtincta, Agris termini poſiti, ædificia collata, commercia, emptiones, venditiones, locutiones, conductiones, obligationes inſtitutæ, exceptis quibuſdam, quæ à jur. civili introductæ ſunt*, inquit Hermogenianus lib. 1. ff. de Lege *ex hoc Jure*.

QUÆSTIO III.

Quæ ſit materia Legis naturæ, & qualiter ad illam ponendam obligemur?

CONCLUSIO I.

OMnia, quæ in Decalogi præceptis continentur, ſi tertium quoad determinationem temporis excipias, ſunt materia legis naturæ, ita Scot. 3. diſt. 37. q. 1.

Prob. 1. Pars, illa omnia ſunt materia legis naturalis, quæ, ſecluſa quacumque lege poſitiva, neceſſariò conveniunt, aut diſconveniunt naturæ rationali; ſed omnia, quæ ſunt in Decalogi præceptis, ſunt talia, ut patet per ſingula diſcurrendo: quis enim mentis compos non videat debere creaturam rationalem, ex vi ſolius rationis naturalis, Deum colere, Parentes honorare, abſtinere à perjurio, blaſphemia, furto, homicidio, adulterio &c. unde quando *L. bona fides ff. depoſiti* dicitur, quòd multa, quæ pertinent ad præcepta Decalogi, ſint materia juris gentium; non ſumitur jus gentium ſtrictè, prout eſt aliquid à gentibus inſtitutum, ſed largè, prout eſt ab omnibus gentibus obſervatum: quod in idem redit cùm lege naturali.

Prob. 2. Pars; quia licèt natura præſcribat Deum tanquam ipſius Principium & finem colere, non tamen potius die Sabbathi, quàm alio die, & ſic quantùm ad determinationem Sabbathi eſt juris divini poſitivi, quod, abrogata lege veteri, antiquatum eſt per legem Evangelicam, in qua tranſtulit Eccleſia obligationem illam à die Sabbati in diem Dominicam.

CONCLUSIO II.

MUlta virtutum opera ſunt materia legis naturæ, non tamen omnia.

Prob. 1. Pars; quia lex naturæ præcipit ſuo tempore actus Charitatis, Juſtitiæ, Religionis, Temperantiæ &c. ex ſolo enim lumine naturali cognoſcimus proximo indigenti ſubveniendum, unicuique quod ſuum eſt tribuendum, Deum & Parentes honorandos, temperatè vivendum &c.

Prob. 2. Pars; quia multa virtutum opera non ſunt de præcepto, ſed de conſilio: Lex enim naturæ non præcipit virgini-

ta-

Digitized by Google

tatem colere, diſciplinam ſumere, nudis pedibus incedere, nunquam carnes comedere, illa autem eſſe virtutum opera, dubitat nemo.

Dices: homo ſecundùm naturam ſuam tenetur virtuosè agere; ergo omnes actus virtutum genericè ſpectati, ſeu in quantùm ſunt virtuoſi, ſunt materia legis naturæ.

Reſp. Diſt. Ant. Tenetur virtuosè agere, id eſt, ponere actus virtutis; Conc. id eſt, ad operandum propter ipſam virtutis honeſtatem: nego. Qui enim propter finem indifferentem alteri, quod ſuum eſt tribuit, extremè indigenti ſuccurrit, temperatè vivit &c. Legem naturæ adimplet, quæ nihil aliud præcipit, imò poteſt lex naturæ impleri per actum malo fine vitiatum: ſic qui dat eleemoſynam puellæ extremè indigenti, ut ipſam pervertat, ſatisfacit præcepto naturali de ſubveniendo extremè indigenti, licèt delinquat contra aliud naturæ præceptum, vetans fornicationem, & ideo nunquam lex naturalis integrè adimpletur per actum malum, cum ipſa dictet ſemper malum fugiendum.

CONCLUSIO III.

MAteria legis naturæ debet poni ſcienter, & liberè, non tamen ut præcepta, aut ex motivo Charitatis.

Prob. 1. Pars; lex ſolos regulat actus humanos, ipſos præcipiendo, prohibendo, aut permittendo, atqui ſoli actus, qui fiunt ſcienter & liberè ſunt humani: ergo ſola materia ſcienter & liberè ponenda, eſt materia legis naturæ. Hinc dormiens aut ebrius non propriè ſatisfacit præcepto, alienum reddendo, aut indigenti ſuccurrendo, cùm actus illi non ſint humani, licèt poſtea ad nihil obligetur; cùm materia remota Legis naturæ ſit ſublata, mendico non amplius indigente, & altero quod ſuum eſt poſſidente.

Prob. 2. Pars; quia nihil aliud præcipit Lex, quàm ut ejus materia ponatur humano modo; ſed poteſt taliter poni, etiamſi non ponatur ut præcepta, ut per ſe patet: ergo. Et ideo liberè tribuens eleemoſynam alicui, quem neſcit extremè indigentem, ſatisfacit præcepto naturali ſuccurrendi extremè indigenti, nec poſtea ad aliud tenetur; ubi extremam ejus paupertatem noverit.

Prob. 3. Pars; quia ſi centum Legis naturæ præcepta uno die adimplerentur, teneremur, centies uno die Deum diligere; ſed nullus hoc dixerit: ergo. Unde cum præceptum de dilectione Dei ſit affirmativum, obligat tantùm certo tempore, non autem quoties operamur.

QUÆSTIO IV.

Quoſnam obliget Lex naturalis?

CONCLUSIO I.

DEUS non obligatur Lege naturali. Ratio eſt; quia Lex tantùm reſpicit illos, qui poſſunt à recta via, quę ad õnem conducit, deviare: quod nullatenus Deo poteſt competere; cùm ſit eſſentialiter indefectibilis.

CONCLUSIO II.

ANgeli (idem eſt de hominibus Beatis) ſubduntur Legi naturæ. Ratio eſt, quia licèt, moraliter loquendo, non poſſint peccare, propter ſpecialem manutenentiam, poſſunt tamen phyſicè loquẽdo; cùm ſint ab intrinſeco & ex natura ſua peccabiles, utpote habentes eandem naturam facti Beati, quam dum eſſent viatores: unde Rupertus lib. 5. in cap. 5. Jo. Verſ. 19. loquens de Angelis ait: *Hoc in remunerationem acceperunt, ut deinceps malum facere non poſſint; quia, cùm poſſent facere, noluerunt; verum hoc non eſt per ipſorum naturæ potentiam, ſed per divinæ voluntatis remunerantem gratiam.*

CONCLUSIO III.

OMnis homo tenetur Legi naturali obedire. Eſt certa.

Prob. 1. ex Script. ad Rom. 2. v. 12. ubi dicitur: *Quicunque ſine Lege*, utique ſcripta, *peccaverunt; ſine Lege peribunt*; at non perirent niſi peccatores forent; nec propriè peccatores eſſent, niſi Legi naturali, quam violarunt, ſubjicerentur: ergo.

Prob. 2. Lex naturalis eſt proxima regula honeſtatis moralis; ſed tenetur quilibet homo honeſtè vivere, ut finem ſuum aſſequatur; ergo.

QUÆSTIO V.

An poſſit cadere diſpenſatio in Legem naturæ?

SUppono 1. Quæſtionem eſſe de Lege naturæ propriè, id eſt, aliquid præcipiente, aut prohibente; nam ſi tantùm permiſſivè ſe habeat, nec jubendo, nec prohibendo, quo ſenſu impropriè dicitur Lex naturæ, extra dubium eſt, poſſe mutari, adeoque poſſe in ea aliqualiter diſpenſari, jure ſiquidem naturali permiſſivo omnes homines erant liberi, omnia bona communia, carnium comeſtio licita omni tempore, quæ tamen ſunt mutata.

Suppono 2. Epikeiam, quæ eſt *emendatio Legis ex ea parte qua deficit propter univerſale*, ſeu quia præcipit univerſaliter, non poſſe cadere in Legem naturæ, cùm non præcipiat aut prohibeat univerſaliter, ſicut Lex poſitiva, ſed particulariter, & deſcendendo ad caſus & circumſtantias particulares: unde non dicit univerſaliter: *Reddes alienum, Non occides quemquam*, ſicut dicit Lex poſitiva v. g. *Die Dominico audies Sacrum*, *Sumes Euchariſtiam ſingulis annis*, *Non manducabis carnes tali die*: ſed *Reddes alienum iſto caſu, non illo*, v. g. *Reddes gladium Domino, quando non erit illo uſurus in ſui, aut alterius detrimentum, aliàs Non*. Item *Non occides reum authoritate privata, poteris authoritate publica*, & ſic de aliis: & hinc oritur, quòd nunquam requiratur Legis emendatio in caſibus particularibus; cum in ipſis etiam ut circumſtantionatis, declaret quid ſit faciendum, vel omittendum: quod non facit Lex poſitiva, non enim dicit: *jejunabis quando eris ſanus, non jejunabis quando eris infirmus, graviter defatigatus* &c. ſed ſimpliciter & abſolutè: *jejunabis*, & ideo debet in certis caſibus emendari, ne ſit injuſta, aut moraliter impoſſibilis.

Suppono 3. Contra Ochamum & quoſdam alios non poſſe Deum totam legem naturalem abrogare, niſi certè deſtruat creaturam rationalem; quia ſicut, poſita voluntate creandi & regendi naturam rationalem, neceſſariò debuit Legem naturæ condere, ut illam rectè gubernaret, ita & neceſſario debet hanc conſervare, ut illam conſervet, & debitè regat.

Suppono 4. Legem naturalem poſſe mutari, ſaltem indirectè, per ampliationem, quia quoties cumque homines legem aliquam ferunt, indirectè ejus materia ampliatur: in quantùm lex naturæ præcipiens, ut obediamus juſtis Superiorum legibus, imperat, ut & huic particulari obediamus: quod ante legem conditam non faciebat, ſicque indirectè ampliatur.

Supp. 5. Aliud eſſe Epikeiam, Interpretationem, Abrogationem, Derogationem, & Diſpenſationem. *EpiKeia* ſiquidem eſt declaratio quòd lex Superioris univerſaliter lata non obliget in aliquo caſu particulari, quia præſumitur quòd ſi legislator adeſſet, tali caſu legem non ferret. *Interpretatio* eſt alicujus verbi aut ſententiæ obſcuræ circa legem, per aliud manifeſtatio: ita interpretatio verba legislatoris, & Epikeia ipſius mentem reſpiciunt. *Abrogatio*, eſt totius legis abolitio. *Derogatio*, tantùm alicujus partis: unde Gloſſa ad Cap. *in iſtis* Diſt. 4. ſic habet: *Abrogare eſt in totum legem tollere, derogare autem eſt pro parte detrahere Legi*. *Diſpenſatio* autem eſt relaxatio obligationis legis in particulari caſu, aut perſona, permanente eadem materia, ac iiſdem circumſtantiis objectivis cum quibus, ſecluſa illa relaxatione, lex ſubditos omnes obligaret. Et de Diſpenſatione ſic ſumpta procedit quæſtio.

ARTICULUS I.

An Papa, aut ſaltem Deus diſpenſare poſſit in Lege naturali?

CONCLUSIO I.

PApa non poteſt diſpenſare in iis, quæ ſunt de jure naturæ Ità DD. communiter contra paucos; C.

Prob. Non poteſt inferior diſpenſare in Lege Superioris, niſi ſit ei ſpecialiter conceſſum; ſed nec legitur, nec ſufficienter probatur conceſsum eſse à Deo Summo Pontifici diſpenſare in iis quæ ſunt de jure naturæ; ergo.

Dices 1. Matt. 16. Verſ. 19. dicitur Petro: *Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*: ergo etiam vincula naturalia poteſt diſſolvere.

Reſp. Si argumentum quidquam probaret, etiam probaret poſſe diſpenſare in mendacio, perjurio, blaſphemia, cùm propoſitio ſit univerſalis: hoc autem apertè falſum eſt; cùm nequidem id poſſit Deus; unde poteſtas ibidem conceſſa Petro non reſpicit omnem materiam, ſed tantùm illi ſubjectam, de qua alibi.

Dices 2. Papa diſpenſat in Votis, Juramento, Matrimonio ra-

rato, & in reſidentia Epiſcoporum; ſed illa obligant jure naturæ: ergo

Reſp. 1. Papam diſpenſando in Votis, & juramentis, non diſpenſare in jure naturæ; non enim facit ut vovens, ſtante & durante voto, aut juramento, poſſit ei contravenire, quod eſſet verè diſpenſare in vinculo naturali, ſed nomine Dei, cui votum factum eſt, remittit jus, quod ex tali promiſſione acquiſitum eſt; ſicut ergo Petrus non diſpenſat cum Paulo in jure naturæ, remittendo illi jus ad centum aureos, licèt Paulus, tali jure remanente, teneretur ex Lege naturali ſolvere; ità etiam in noſtro caſu: unde licèt Papa tunc utatur verbo, *diſpenſo*, non eſt tamen rigoroſa diſpenſatio. Nec eſt ſemper declaratio ſimplex, quòd votum aut juramentum, propter juſtas rationes, deſinat obligare (aliàs quilibet vir prudens juris interpretandi capax poſſet illa ſolvere, cùm ad jus interpretandum non requiratur juriſdictio, ſed ſufficiat prudentia & ſcientia) ſed eſt remiſſio, ſeu condonatio facta parti debenti.

Reſp. 2. Pontifices, qui in Matrimonio raró diſpenſarunt, ſecutos eſſe ſententiam vel eorum qui volunt Matrimonii rati indiſſolubilitatem provenire ex Jure Eccleſiaſtico, ſaltem in Lege nova: vel eorum, qui docent provenire quidem ex Jure Divino poſitivo, ſed Deum propter bonum Eccleſiæ, conceſſiſſe Vicario ſuo poteſtatem in eo diſpenſandi; non tamen ſecuti ſunt ſententiam Scoti, & aliorum; qui volunt illam indiſſolubilitatem oriri ex jure naturæ, aliàs non potuiſſent diſpenſare.

Reſp. 3. Nunquam Summos Pontifices diſpenſare in Reſidentia cum Epiſcopis, quando abſolutè neceſſaria eſt gregi Jure Divino naturali, propter inſtructionem, Sacramentorum adminiſtrationem, peccatorum correctionem &c. ſed tantùm quando ad reſidendum obligantur jure tantùm Eccleſiaſtico, ut dum, illis per aliquod tempus abſentibus, æquè utiliter poteſt per alios ovibus provideri. Hinc ſi quando permittatur, ut abſint, quando eorum reſidentia videtur neceſſaria gregi, tantùm ſit in illis caſibus, in quibus, ob majorem Eccleſiæ neceſſitatem, videtur præceptum naturale de reſidendo non obligare. Circa hoc vide Trid. Seſſ. 23. c. 1. *de Reformatione*, ubi licèt videatur inculcare obligari Paſtores ad reſidendum jure Divino naturali; non tamen inde colligitur teneri jure Divino, aut naturali ad reſidendum omni tempore & caſu.

CONCLUSIO II.

NEquidem Deus diſpenſare poteſt, etiam impropriè, in præceptis, ſaltem negativis, primæ tabulæ, nec in iis quę eo reducuntur. Eſt Scoti, 3. diſt. 37. nu. 8. cui, quantùm ad hoc, ſubſcribunt Thomiſtæ.

Prob. Non poteſt Deus facere, ut malum perſeverans malum poſſit licitè fieri; ſed ſi poſſet in præfatis diſpenſare, hoc facere poſſet: ergo. Ma. clara eſt.

Probatur Min. Quia facere poſſet, ut quis licitè Deum odio haberet, irreverenter tractaret, pejeraret, blaſphemaret, Idola coleret, quæ ità ſunt ex ſuis intrinſecis mala, ut, velit, nolit Deus, ſemper maneant mala; cùm ſint talia independenter ab ejus voluntate. Præterea implicat, ut Deus ſeipſum odio habeat, alterum ut Deum colat: ergo, implicat, ut hoc alteri permittat; quia unum non minùs ipſi repugnat, quàm alterum.

Dixi: *In præceptis ſaltem negativis?* quia dubitat Scotus, an non poſſit Deus diſpenſare in 3. pręcepto, quatenùs eſt affirmativum, i. e. prout præcipit cultum Dei: ait enim n. 7. *Sed an ſit de Lege naturæ ſtrictè hoc præceptum, quantùm ad cultum pro aliquo tempore exhibendum dubium eſt.*

Dubitando autem an ſit de Lege naturæ ſtrictè, dubitat an Deus poſſit in eo diſpenſare; quia abſolutè reſolvit, quòd non poſſit cadere diſpenſatio in ea, quæ ſunt de jure naturali ſtrictè.

ARTICULUS II.

An ſaltem diſpenſare poſſit Deus in præceptis Decalogi ſecundæ tabulæ?

MIrum eſt, quòd tam parva meræ ſpeculationis ſcintilla tantùm injuſtiſſimæ obmurmurationis excitaverit incendium: mirum eſt, inquam, etiam in Theologia quaſi Magiſtros me tanquam in materia morum Caſuiſtam laxiorem accuſaverint dictis & ſcriptis in quæſtione, ubi ne minima quidem apparet aut moralitatis, aut caſus, aut laxitatis umbra. An laxior Caſuiſta, qui docet Deum poſſe facere ens rationis? propoſitionem rides D. Licentiate: rideas teipſum, qui me Caſuiſtam laxiorem ubique ventilas, quia docui poſſe Deum in certis Decalogi præceptis diſpenſare; cùm non magìs agatur de moribus in ſecundo quàm in primo. Ut autem convincaris, attende ad hoc dilemma: *vel Deus aliquando diſpenſabit in dictis pręceptis, vel nunquam*: ſi primum, *confirmabit doctrinam meam*, ſi ſecundum, *nihil prorſus licebit contra illa præcepta, adeoque nihil contra mores.*

Ubi, quæſo, laxitas, ubi morum corruptela, ubi non agitur de moribus; ſed de ſola Dei potentia? patet igitur, quàm ridiculè mihi ſcripſeris reſolutionem meam, *Apparuiſſe etiam laxioribus horribilem & abominabilem.*

Sed numquid magis ridiculus Concionator ille clamoroſus, qui poſtridie Pentecoſtes in Eccleſia Cathedrali Tornacenſi aerem verberans, totis viſceribus inclamabat: ſed quid dicam de Caſuiſtis relaxatis, qui docent poſſe Deum in certis Decalogi præceptis diſpenſare? *ſententia abominabilis! ſententia exterminanda!* Narrabat ſanè fabulationes in Cathedra veritatis, dum Caſuiſtam fingebat laxiorem in re merè ſpeculativa. Hanc fabulam meliùs collocaſſet in ſua Theſi 17. Aſt quis horum finis? *Parturient montes, naſcitur ridiculus mus*: Trophæum erigebant ſibi carthaceum, & ecce ipſos ſecuta eſt confuſio ænea, credebant doctrinam meam eſſe ab Epiſcopis cenſurandam, & ecce in variis Seminariis commendatur, explicatur; certè Epiſcopos faciebant chymęricos, dum in chymęram in materia morali fulmina expectabant Epiſcopalia. Aſt audio D. Licentiatum reponentem mihi inter propoſitiones chriſtianæ moralis relaxativas condemnatas eſſe ab Innoc. XI. 48. & 49. meæ doctrinæ, *ſi non omninò ſimiles, admodùm tamen germanas.* Non ſic, D. Licentiate, non ſic: tantùm abeſt, ut ſint admodùm germanæ, ut nequidem ſint affines in milleſimo gradu. Diſtantiam accipe: ex 48. & 49. propoſitionibus (in quibus docetur jure tantùm Divino poſitivo illicitas eſſe fornicationem & pollutionem) formari poſſet hoc argumentum: *Lex Divina poſitiva non obligat cum præjudicio Legis naturæ; ſed teneor ex Lege naturæ vitam meam conſervare: ergo poſſum ſemen, ubi vitæ meæ inſidiatur, expellere, cùm ejus expulſio ſolùm Lege Divina poſitiva prohibeatur.* Et certè legitimum foret argumentum, adeoque in materia morum maximè perniciofum & ſcandaloſum; & ideò juſtiſſimè proſcriptæ ſunt propoſitiones illæ. Ex hac autem propoſitione: *Deus diſpenſare poteſt in certis Decalogi præceptis*, quis formare, imò quis imaginari poteſt argumentum moribus adverſum? fallor; formavit Erudititiſſimus D. Licentiatus: *Deus diſpenſare poteſt in illis præceptis: ergo poteſt in illis dari EpiKeia.* Bella conſequentia: *in eam enim Legem*, inquit, *in quam cadere poteſt diſpenſatio, quomodo cadere non poſſit EpiKeia, haud ſatis video.* Aperi oculos & vide paupertatem argumenti tui: admittunt omnes poſſe Deum diſpenſare in matrimonio fidelium conſummato; & nullus admittit Epikeiam in illo. Diſpenſavit Deus in veteri lege, ut vir haberet plures uxores, & nullus unquam ex Epikeia poteſt accipere plures, vides nullam eſſe conſequentiam, & ideò licèt hic Divinam diſpenſationem admittamus, Epikeiam tamen negamus; imò impoſſibilem eſſe in Lege naturæ, tibi evidenter in procemio hujus quæſtionis oſtenderamus. Alias objectiunculas in ſcriptis tuis obtrudis, ſed in corpore quæſtionis in fumum evaneſcent.

CONCLUSIO I.

POteſt Deus propriè diſpenſare in omnibus pręceptis ſecundæ Tabulæ, ſi excipias præceptum prohibens falſum teſtimonium. Ità D. Bernardus Doctor mellifluus, D. Bonaventura Doctor Seraphicus, Scotus Doctor Subtilis, Gerſon per Excellentiam Doctor Sorbonicus, Ocham Princeps Nominalium, quibus annumeramus D. Thomam Doctorem Angelic. cum ſexcentis aliis tum domeſticis, tum extraneis. Si me laxum ideò arbitraris, laxa dic eximia illa ſcholæ & Eccleſię lumina. Ante Probationes

Adverte quòd etſi Deus diſpenſare poſſit in ſexto præcepto, non tamen in omni materia ad illud reducibili, v. g. ut quis copuletur beſtiæ, aut alteri ejuſdem ſexus; quia illa, ſuppoſita diſpenſatione, adhuc ſui horrorem ingerunt: tum propter indecentiam execrabilem, tum propter omnimodam naturæ ſubverſionem; tum etiam quia nullo fine poſſunt cohoneſtari.

Prob. 1. Concl. ex D. Bern. lib. de diſpenſ. & præceptis columna 3. ubi ait: *Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, & reliqua illius tabulæ legiſcita, quæ etſi nullam prorſus humanam diſpenſationem admittant; nec cuiquam hominum ex his aliquo modo ſolvere aut licuit, aut licebit; Dominus tamen horum quod voluit, & quando voluit, ſolvit.*

Replicant Adverſarii D. Bernardum loqui de diſpenſatione impropria; ſed ſi de propria ageret, quomodo aliter loqueretur? quomodo aliter mentem ſuam exprimeret? Deinde numquid agit in illo libro de diſpenſatione propriè dicta? numquid expreſſiſſimè dicit Deum poſſe diſpenſare in præfatis, ea diſpenſatione, qua non poteſt homo? hominem autem poſſe diſpenſa-

Digitized by Google

ſare impropriè, materiam ſcil. aut circumſtantias mutando, nullus etiam adverſariorum dubitavit.

Fallor, dubitavit D. Licentiatus, imò expreſsè ſuſtinet in ſecunda Epiſtola non poſſe hominem in illis diſpenſare etiam impropriè, ſeu per mutationem materiæ: Sed numquid poteſt dominus villæ authoritate privata permittere alicui, ut horreum ſine injuſtitia comburat? ut oves ſine injuſtitia auferat? Per quid autem? niſi per materiæ mutationem: unde ſicut dicitur Deus diſpenſare impropriè in furto; transferendo dominium rei à Domino in ſurripientem; ità & dominus villæ transferendo dominium horrei ſui in comburentem, oves ſuas in auferentem.

Saltem nunquam probabitur (loquitur D. Licentiatus) poſſe homines impropriè diſpenſare in 6. præcepto. Sed quomodo diſpenſavit Deus impropriè cum Oſea & ejus comparte, niſi faciendo, ut quæ non erat Oſeæ fieret Oſeæ per matrimonium formale, juxta D. Licentiatum; aut virtuale, ſecundum alios; ſed Joanna, quę non erat Petri, poteſt facere per matrimonium, ut ſit Petri: ergo, ſi per hoc dicatur Deus impropriè diſpenſare, dicetur & homo.

Si dicas hoc non mereri nomen diſpenſationis, facilè tibi concedam; ſed teneberis viciſſim mihi concedere, cùm juxta D. Bernardum, Deus diſpenſare poſſit, poſſe diſpenſare propriè.

Prob. 2. Ex D. Th. 1. 2. qu. 94. art. 5. ubi ſic de Lege naturali loquitur: *Poteſt tamen mutari, & in aliquo particulari & in paucioribus*, quid clarius? & ad 2. *ad quamcumque mulierem aliquis accedat ex mandato Divino, non eſt adulterium, nec fornicatio.*

Et rationem adſert 2. 2. qu. 154. art. 2. ad 2. *Quod fornicatio dicitur eſſe peccatum, in quantum eſt contrà rationem rectam. Ratio autem hominis recta eſt ſecundùm quod regulatur voluntate Divina; quæ eſt prima & ſumma regula, & ideò quod homo facit ex voluntate Dei, ejus præcepto obediens, non eſt contrà rationem rectam, quamvis videatur eſſe contrà communem ordinem rationis .... & ideò ſicut Abraham non peccavit, filium innocentem volendo occidere, propter hoc, quòd obedivit Deo: quamvis hoc ſecundùm ſe conſideratum, ſit communiter contrà rectitudinem rationis humanæ: ità etiam Oſee non peccavit fornicando ex præcepto Divino*; ergo ſupponit poſſe Deum ſuo mandato, adeòque ſua diſpenſatione, tollere malitiam ab homicidio, & fornicatione. Nec dicas mulierem ratione mandati Divini fieri accedenti propriam, nam ſi Deus mandet Petro ut accedat una vice ad uxorem Pauli, hæc non fiet Petro propria, ut patet.

Confirm. Dicit Doctor ibidem, quod actus Oſeæ *fornicatio nominetur, referendo ad curſum communem*, ſed falſum eſt acceſſum ad propriam dici *fornicationem* ſecundùm curſum communem: ergo ſupponit mulierem non fuiſſe Oſeæ propriam, adeoque nec maritatam.

Aſſerit quidem ibidem: *Nec talis concubitus propriè fornicatio debet dici*; ſed quia non habet malitiam quam haberet ſecluſo præcepto Divino. Unde fatendum eſt S. Doctorem formaliſſimum eſſe pro ſententia noſtra cui non contradicit q. 100. ar. 1. 2. § 8. ubi docet præcepta Decalogi non eſſe diſpenſabilia, quia tantùm vult, non eſſe diſpenſabilia ab homine, ut evidenter patebit legenti.

Prob. 3. Ex D. Bonav. 1. d. 47. art. unico qu. 4. *Deus in præceptis ſecundæ tabulæ diſpenſat, & diſpenſare poteſt & contra illa poteſt præcipere ratione prædicta. Nec ex hoc ſequitur, quod præcipiat contraria, quia mandatum ſpeciale abſolvit à communi*: & antea dixerat: *Hinc habet ortum, quod dicit Bernardus in lib. de diſpenſatione & præcepto, quod Deus poteſt diſpenſare in pręceptis 2. tabulæ, & non 1.*

Prob. 4. Ex Scoto 3. d. 37. q unica n 3. *Quæro an ſtantibus omnibus circumſtantiis eiſdem in iſto actu, qui eſt occidere hominem, variata ſola circumſtantia prohibiti & non prohibiti, poſſet Deus facere, quod ille actus, qui cum talibus circumſtantiis, aliis eſt aliquando prohibitus, aliis eſſet non prohibitus, ſed licitus ſi ſic, igitur ſimpliciter poteſt diſpenſare*. Et tandem concludit ita diſpenſatum eſſe cum Abraham reſpectu filii ſui.

Prob. 5. Deus diſpenſavit in illis præceptis: ergo diſpenſare poteſt: ab actu enim, ad potentiam valet argumentum. Prob. Ant. quia 1. diſpenſavit cum Oſea, ut ſeſe mulieri fornicariæ commiſceret. Nec dicas præceſſiſſe conſenſum matrimonialem, quia hoc gratis fingitur; imò contrarium inſinuat ipſamet Scriptura Oſeæ 1. ubi Prophetæ dicit Deus: *Fac tibi filios fornicationum*, quomodo enim filios fornicationum faceret cùm ſua legitimè maritatus? Pręterea nullum fuiſſe inter eos Matrimonium, expreſsè ſupponit Bernardus ſup. ubi docet eorum commixtionem futuram fuiſſe flagitium, *ſi non excuſaſſet factum auctoritas imperantis*.

Si autem aſſeris Deum imperando, ipſos legitimè conjunxiſſe, aſſeris poſſe rem ſine ſui eſſentia ſubſiſtere, id eſt, contractum ſine contrahentium conſenſu, quod implicat.

2. Diſpenſavit cum Abraham, ut filium ſuum occideret. Scio velle Adverſarios mutatam eſſe materiam, in quantùm voluit Deus, ut id faceret authoritate publica, quod non poterat privata. Sed etiam Scio, ſi id aſſeratur, nullam ampliùs fore in Legibus diſpenſationem, quia dicam agentem contra Legem; v. g. ex ſuperioris licentia non jejunantem, in die Feſto laborantem &c. id facere authoritate publica, quod non poterat privata. Accedit quòd præceperit Abrahamo occiſionem filii in iis circumſtantiis, in quibus omnes aliæ occiſiones, ſecluſo præcepto, eſſent prohibitæ: hoc autem eſt propriiſſimè diſpenſare, & non tantùm materiam mutare. Deindè etſi potuerit materiam mutare, non eſt tamen præſumendum feciſse: nam ſi Princeps aliquis Legem tuliſset, ne quis civium aſcenderet mœnia civitatis tempore obſidionis, alicui autem particulari id permitteret, diceretur in ſua Lege diſpenſare propriè, quamvis poſset fieri quòd mutaſset materiam præcepti, qua prohibebatur talis aſcenſus authoritate privata, non publica: ergo quamvis poſſit fieri, quòd Deus materiam in noſtro caſu mutaverit, quamdiu de eo non conſtat, dici debet propriè diſpenſaſſe.

Obj. 1. Lex naturalis, ſecundùm nos, eſt lex æterna, ſed Deus non poteſt diſpenſare in Lege æterna: ergo nec in Lege naturę. Prob Min. tum ex Auguſt. tom. 1. l. 1. de lib. arb. c. 6. ubi dicit Legi æternæ ſemper eſſe obtemperandum & illam eſſe immutabilem. Item eodem tom. lib. de vera Relig. c. 31. *Neque Pater de æterna Lege judicare poteſt*. Tum etiam ratione, quia ſi mutaretur Lex æterna, mutaretur & Deus.

Reſp. Neg. Min. Ad Auguſtinum dico vel loqui de iis tantùm quæ ſunt de jure naturæ ſtricto modo, vel ſi loquatur univerſaliter, intelligi debet, quod non poſſit mutari, de potentia ordinaria, non autem extraordinaria. Ad aliud dico Deum non indè mutandum; qui non prohibuit præfata abſolutè, ſed tantum conditionatè, id eſt, quamdiù non diſpenſaret.

Obji 2. Deus non poteſt facere licita ea, quæ prohibentur in præceptis ſecundæ tabulæ: ergo non poteſt in iis diſpenſare. Prob. Ant. Deus non poteſt variare naturas rerum, ſed ut prohibita in præceptis ſecundæ tabulæ fiant licita, debet eorum naturas variare, cùm ſint ex ſuis intrinſecis mala, & naturæ rationali diſſona: ergo &c.

Reſp. Neg. Ant. Ad Minorem probationis dico illa quidem eſſe mala, & naturæ rationali diſſona, quando non adeſt præceptum Dei in contrarium, aut diſpenſatio, non tamen quando adeſt, quia etſi lumen naturæ dictet non eſſe furandum; occidendum &c. illud tamen non dictat quando adeſt præceptum Dei contrarium jubentis, aut permittentis: ſicut licèt dictet lumen naturæ obediendum eſſe Superiori, non tamen ubi diſpenſat in ſua Lege: undè tunc non variat naturas rerum, quia indecentia, malitia, aut diſſonantia naturæ rationali, quæ ineſt actibus prohibitis in ſecunda tabula non eſt ipſis intrinſeca, hoc ſenſu, quod ſit de eorum eſsentia, aut proprietas ab ipſis inſeparabilis; ſed hoc ſenſit, quòd naturæ rationali ſtatim appareant diſconvenientes, quando non intervenit Dei diſpenſatio, ſecùs ſi interveniat.

Inſt. 1. Actus illi independenter à Deo ſunt mali: ergo diſpenſet Deus, non diſpenſet, remanent mali.

Reſp diſt. Ant. Actus illi independenter à Deo ſunt mali, ſicut etiamſi non prohiberentur, eſsent mali; C. ſicut nunquam poſſit eorum malitia tolli; nego.

Inſt. 2. Prohibitio non facit ut ſint mali, quandoquidem non ſint mali quia prohibiti, ſed è contra prohibiti, quia mali; ergo nec facit diſpenſatio ut deſinant eſse mali.

Reſp. Neg. conſ. Diſparitas eſt quòd ante omnem prohibitionem diſconveniant rectæ rationi, non diſconveniant autem poſita Dei diſpenſatione, quia *rectæ hominis ratio eſt*, inquit D. Th. 2. 2. q 154. art. 2. ad 2. *ſecundum quod regulatur voluntate divina, quæ eſt prima & ſumma regula: & ideò quod homo facit ex voluntate Dei ejus præcepto obediens, non eſt contra communem ordinem rationis*.

Inſt. 3. Diſpenſatio reſpectu illorum actuum eſt extrinſeca: ergo non poteſt tollere eorum malitiam.

Reſ. diſt. Ant. Eſt extrinſeca reſpectu actuum in ſe: conc. Reſpectu actuum, prout intellectui ſubjacentium: nego. Ut ſic enim repræſentantur ut quodammodo informata illa diſpenſatione, ratione cujus de diſconvenientibus apparent rectæ rationi convenientes. Pro majori horum intelligentia

Adverte malitiam dici ipſis intrinſecam, non quia ipſis eſſentialis eſt, ſed quia illam non habent ab extrinſeco ſicut prohibita per ſolam Legem poſitivam, undè phyſicè ſpectati nec ſunt eſſentialiter mali, nec eſſentialiter boni; nec eſſentaliter indifferentes, quia moralitates tantùm conveniunt actui phyſicè conſiderato accidentaliter, ut ſuo loco diximus. Et ſic non eſt mirum quod ſine diſpenſatione ſint mali,

&

& ipſa accedente; poſſunt eſse boni, aut ſaltem indifferentes.

Inſt. 4. Nec eſſe, nec concipi poteſt Adulterium, homicidium &c. ſine malitia: ergo eſt de illorum eſſentia.

Reſp. N. Ant. Concipitur enim adulterium, dum concipitur concubitus cum uxore aliena, & homicidium, dum concipitur vitæ innocentis ablatio, ubi nulla concipitur malitia, licèt illam habeant annexam, ubi nulla intervenit diſpenſatio.

Obj. 3. Deus non poteſt legem naturæ abrogare: ſed ſi poſſet in præſatis diſpenſare, poſſet illam abrogare. ergo &c. Prob. Min. Si enim poſſit in iis diſpenſare cum una perſona; quidni cum omnibus? diſpenſare autem quoad omnes eſt verè legem abrogare.

Reſp. Quidquid dicant aliqui: Neg Min. & ejus probationem, ſuppoſito quòd velit Deus creaturam rationalem debitè gubernare, quia diſpenſando cum omnibus in omni caſu, reſpectu omnium, eſſet quoddam chaos in natura, cùm poſſet quilibet quamlibet uxorem accipere, quemlibet innocentem occidere, &c quod non accideret, ubi eſſet diſpenſatio, tantùm in caſu & perſona particulari.

Obj. 4. Aug. lib 22. contra Fauſtum c. 80. ubi inſinuat fuiſſe conjugium inter Oſee & mulierem fornicariam: ergo &c.

Reſp. Diſſimulato antecedente, Neg Conſ. Quia etſi diſpenſaſſet Deus cum Oſea, non ſequitur non poſſe diſpenſare. Dixi: *Diſſim. Ant.* quia tantùm vult fuiſse conjugium æquivalenter, in quantùm, ratione mandati Divini, poterant ſine peccato facere, quod faciunt veri conjuges: nec plus requirebatur ad refutandos, circa hoc Fauſti errores, ut textus legentem convincet.

Hanc eſse Aug. mentem, ſufficienter declarant D. Bernardus & Thomas ſupra: primus quidem, dum aſſerit quòd inter Oſee & mulierem fuiſset flagitium *Si non excuſaſſet factum authoritas imperantis*, actus autem maritatorum non eſt flagitioſus, ſed licitus: ſecundus verò, cùm docet inter ipſos fuiſse actum, qui *ſecundùm curſum communem dicitur fornicatio*, qualis non dicitur actus conjugum.

Obj. 5. S. Th. 1. 2. q. 100. art. 8. videtur in illis præceptis tantùm admittere diſpenſationem Dei impropriam.

Reſp. Solùm velle non poſse diſpenſare Deum in furto, homicidio & adulterio, retinentibus malitiam furti, homicidii & adulterii; quia non poteſt facere ut malum remanens malum ſit licitum; non negat tamen poſse diſpenſare auferendo ſolam circumſtantiam prohibiti; adeòque malitiam: quod eſt propriè diſpenſare.

Unde quando aſſerit ibidem Oſee acceſſiſse ad ſuam, intelligit *ſuam* æquivalenter, ſicut diximus ad Aug. aliàs ſibi contradiceret, cùm accedens ad ſuam formaliter, non faciat actum, qui *Secundùm curſum communem dicitur fornicatio*.

Inſt. Expreſsè docet illic ſolùm poſse diſpenſare, faciendo, ut adulterium V. G. non ſit amplius adulterium, quod eſt diſpenſare impropriè, non autem in adulterio remanente adulterio: quod eſt diſpenſare propriè.

Reſ. Diſt. Aſsumpt. Faciendo ut adulterium non ſit amplius adulterium in ratione actus peccaminoſi C. in ratione acceſsus ad mulierem. N. aliàs quomodo actus Oſeæ diceretur *Fornicatio ſecundum curſum communem?*

Obj. D. Licent. (poſtquam dixit meam concluſionem admodum probroſam, contra expreſsam Innoc. XI in virtute obedientiæ inhibitionem) duo exempla à me allata in prima editione, nempe quòd poſſit Deus diſpenſare in adulterio cum Principe, ut habeat ſucceſsorem regni, aliàs in hæreſim prolapſuri. Item cum viro Eccleſiæ ſummè neceſsario, ut ejiceret ſemen, mortem vitaturus.

Reſ. Si poſſit diſpenſare Deus cum aliquo in 6. præcepto, id eſt, in mœchia ſeu adulterio, ut probavimus, quidni cum illo Principe? ſi accedere ex mandato Divino ad quamcumque mulierem non ſit peccaminoſum, ut docet S. Th. ſup cur peccaminoſum eſset illi Principi ex Dei diſpenſatione ad mulierem accedenti? ſi permiſit Deus, imò mandavit, Oſeæ accedere ad non ſuam, quidni permittere poſset Regi? an Deus minoris poteſtatis in novo teſtamento, quàm in veteri?

Ad 2 Dico, mirum eſse, quòd ille, qui eſt vitæ & mortis Dominus, & qui poteſt diſpenſare, ut homo occidat hominem, ut tenent præcipua Scholæ capita, non poſset diſpenſare, ut ſemen vitæ inſidians ejiceretur. An plus eſt ſemen, quàm homo? an plus homo à longè in fieri, quàm homo in facto eſse? Præterea poteſt Deus ſua virtute ſemen homini nocivum expellere, quidni virtute alterius? Deberet tamen abeſse ab expellente animus libidinoſus, ut docet D. Bonav. ſup. vides me non nova, ut ais, ſed vetera, imò multò magis modificata docere, quàm docuerint PP. noſtri.

Objic. etiam præfatus Concionator; ergo poteſt Deus diſpenſare, ut ſim impurus, fur, homicida? Certè mente Excathedraticus erat, dum fabulam illam populo in Cathedra proponebat.

Reſp. Neg Illat. Quia non dicitur quis fur, homicida &c. niſi ab actione peccaminoſa, qualis non eſt facta ex Dei mandato, aut diſpenſatione. Ex dictis

Reſol. 1. Quanto ſcandalo plebem inquinaverint, qui ex Divina in hæc præcepta diſpenſatione, quam admittunt DD. ſexcenti, intulerunt publicè Epikeiam in illa, quam nullus ſexcentorum agnovit: unde ſub prætextu chymericæ laxitatis arguendæ, laxitatem realem intruſerunt, ac ſequelas horribiles, quas vix reparabunt, qui cauſarunt.

Reſol. 2. Concionatorem & alium peccaſse mortaliter contra decretum Innoc. XI.

Reſol. 3. Quam fundati ſint in Theologia, qui cenſoribus illis, quaſi laxitatis deſtructoribus, applauſerunt.

CONCLUSIO II.

NOn poteſt Deus diſpenſare in præcepto prohibente falſum teſtimonium. Eſt communis inter DD.

Prob. Quia non poteſt Deus à mendacio malitiam auferre; cùm adhuc poſita diſpenſatione, opponatur veritati, ut patet. Non eſt idem de adulterio, homicidio &c. Quia poſita diſpenſatione, non opponitur adulterium Caſtitati, & homicidium Juſtitiæ, tantùm enim opponitur Caſtitati uſus venereorum illicitus, quale non eſt adulterium à Deo permiſsum, ſicut nec juſtitiæ opponitur innocentis occiſio, niſi ſit injuſta, qualis non eſt facta ex Dei diſpenſatione.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Lege Divina poſitiva.

LEx Divina poſitiva dividitur in Moſaicam, ſeu veteris teſtamenti, & Evangelicam, ſeu novi teſtamenti, quam aliqui Legem fidei, alii Legem gratiæ vocant.

QUÆSTIO I.

Quiſnam Legem veterem condidit, quis promulgavit?

ETſi lex Moſaica dicatur ab aliquibus prima poſitiva à *Deo* inſtituta; fuerunt tamen in lege naturæ quædam præcepta poſitiva; præceptum fuit ſiquidem remedium peccati originalis. Item præcepta fuit abſtinentia à carne cum ſanguine, Gen. 9. Etiam præcepta fuit Circumciſio familiæ Abrahæ. Erant inſuper tunc eliciendi actus Fidei, Spei & Charitatis.

CONCLUSIO I.

LEx vetus condita fuit à Deo ipſo. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex Script. Exod. 20. *Locutus eſt Dominus cunctos ſermones hos.* Ex Malachiæ 4. *Mementote Legis Moyſis ſervi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Iſrael.* Idem probat Apoſt. ad Rom. & ad Heb. c. 1.

Prob. 2. Ex Conc. Toletano in confeſſione fidei, ubi dicitur; *Si quis dixerit, aut crediderit alterum eſſe Deum priſcæ Legis; alterum Evangeliorum; Anathema ſit.* Et ex Trid. Seſs. 4. Ubi definit unum Deum utriusque Teſtamenti, veteris ſcilicet & novi, eſse Authorem.

Dices 1. Eccle. 3. dicitur: *Didici quòd omnia opera quæ fecit Deus, perſeverent in æternum*; ſed lex Moſaica non perſeverat amplius, ergo non eſt à Deo.

Reſ. Diſt. Ma. Opera Dei ad intra perſeverant in æternum: C. Quia non diſtinguuntur ab ipſo Deo. Omnia opera ad extra: nego. Multa enim fecit.

Dices 2. Deus non fecit Legem contrariam legi æternæ, ſed lex vetus eſt talis; convertit enim ad temporalia, à quibus lex æterna avertit: ergo.

Reſp. Legem veterem convertere ad temporalia, non tamen propter temporalia, ſed propter æterna, ut ex dono moveret creaturas ad amorem donantis.

CONCLUSIO III.

LEx vetus per Moyſen fuit promulgata, non inſtituta.

Prob. Ex Deuter. 6. v. 1. *Hæc ſunt præcepta &c. quæ mandavit Dominus Deus veſter, ut docerem vos.* Ubi clarè oſtenditur Moyſen tantùm eſſe promulgatorem; Deum verò Authorem; unde ubi dicitur lex Moyſis, dicitur & lex Domini, vel à Domino tradita.

Dices 1. Chriſtus Matt. 19. v. 8. ait: *Moyſes ad duritiam cordis ve-*

veſtri, permiſit vobis dimittere uxores veſtras: ergo Moyſes fuit inſtitutor ſaltem præcepti de libello repudii.

Reſp. Neg. Conſ. Cùm enim ſolus Deus poſſit Matrimonium diſſolvere, juxta illud Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Per libellum autem repudii, juxta Scotum, permitteretur diſſolutio prioris Matrimonii, liquet pręceptum illud non fuiſſe à Moyſe.

Dices 2. Clemens Romanus, aliique Patres dicunt Moyſen fuiſſe legis veteris Legiſlatorem.

Reſp. Quòd ſicut ex jure dicuntur leges primò inſtitui, dum promulgantur, ità hoc ſenſu dici poteſt Moyſes legiſlator & inſtitutor, quia promulgator.

Petes 1. Ubi lex vetus data fuerit?

Reſp. In monte Sinai: unde Levit. 26. *Sunt judicia atque pręcepta, & Leges quas dedit Dominus.... in monte Sinai*. Nec nocet quod ſæpe in Scripturis dicitur data in monte Oreb; quia, ut docet D. Hieron in locis Hebraicis, verbo Oreb, unus & idem mons, modò Sinai, modò Oreb nuncupatur.

Petes 2. Quænam contigerint tempore quo lex vetus ferebatur.

Reſp. Quòd antequam Angelus præcepta Decalogi clamore buccinæ perſtreperet, cœperint, ut habetur Exod. 19. v. 16. *Audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem..... totus autem Mons Sinai fumabat*, & ità igne ardebat, ut *aſcenderet fumus ex eo, quaſi de fornace, eratque omnis mons terribilis*. Porro Angelus cum buccina, quam æream dicunt Interpretes, duplicem edebat ſonum, confuſum unum quo diſtantes Iſraelitæ ad montis pedem vocabantur, Decalogum audituri, & alterum diſtinctum, quo Decalogi præcepta proclamabantur.

QUÆSTIO II.

An Lex Moſaica fuerit imperfecta?

ADverte aliquid dici poſſe imperfectum abſolutè, & reſpectivè. Abſolutè imperfectum dicitur, quod caret perfectionibus ſuo ſtatui debitis; imperfectum verò reſpectivè, quod, licèt habeat omnia ſuæ perfectioni debita, alteri tamen perfectiori comparatum, dicitur imperfectum, ſeu minus perfectum.

CONCLUSIO I.

LEx Moſaica non fuit abſolutè imperfecta. Eſt communis & certa.

Prob. Quia habebat omnia ſuo ſtatui requiſita; cùm, ſpectato tempore, & Judæorum conditione, non plus ei deberetur. Unde Pſal. 18. dicitur *Immaculata*. Ad Rom. 7. *Sancta*, 1. ad Timoth. 1. *bona*. Ad Galat. 3. *Pædagogus*. Præterea illius author, ut diximus, eſt Deus; *Dei* autem *perfecta ſunt opera*. Et certè ſi lex illa fuiſſet imperfecta, voluiſſetne Chriſtus illum adimplere?

Dices 1. *Nihil ad perfectum adduxit lex*. Hebr. 7. v. 19. ergo non erat perfecta.

Reſp. Diſt. Conſ. Ergò non erat perfecta hoc ſenſu, quòd conferret gratiam ſanctificantem: C. continebat enim ſolam literam non vivificantem ſpiritum, & habebat Sacramenta vacua & egena, quæ gratiam præfigurabant, ſed dare non poterant, ſi ſaltem Circumciſionem & remedium naturæ exceperis. Erat imperfecta abſolutè loquendo: N. Collatio enim gratiæ, quam figurabat, non ipſi debebatur, ſed Legi Euangelicæ reſervabatur.

Dices 2. Sacrificia Legis Moſaicæ Deo diſplicebant: ait enim Iſa. 1. *Quo mihi multitudo victimarum veſtrarum? plenus ſum.... incenſum abominatio eſt mihi*: ergo Lex illa inſtituens, non erat perfecta.

Reſp. Non ſacrificia, ſed Sacrificatores Deo diſplicuiſse, eò quòd illa in ſtatu peccati offerrent.

Dices 3. Lex vetus erat obſervatu impoſſibilis, cùm dicat Petrus Act. 15. v. 10. *Quid tentatis imponere jugum ſuper cervicem Diſcipulorum, quod neque nos, neque Patres noſtri portare potuimus?* Ergo &c.

Reſp. Tantùm ibi inſinuari fuiſse difficilem; quia præcepta erant multa, gratia parca, & pœnæ rudes; non autem impoſſibilem; cùm dicat Deus Deut. 30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non eſt ſupra te*: unde etſi Lex non daret gratiam ex propriis, ſed ex Chriſti venturi meritis; non deerat tamen ſufficiens ad Legis impletionem, cùm illam multi adimpleverint.

Dices 4. Apoſtolus Hebr. 8. dicit Legem veterem non vacaſſe culpa: ergo &c.

Reſp. Ità loqui, non quia Lex eſſet in ſe culpabilis; ſed, quia, cùm non daret virtutem ad purganda commiſſa, homines in culpis relinquebat.

Dices 5. Lex fuit nociva: ergo imperfecta, Prob. Ant. *Sine Lege peccatum erat mortuum . . . . ſed cum veniſſet mandatum, peccatum revixit*, ad Rom. 7. v. 8. *Lex iram operatur*, cap. 4. v. 15. *Lex ſubintravit, ut abundaret delictum*, cap. 5. v. 20. *Littera occidit . . . . eſt miniſtratio mortis*, 2. Cor. 3. v. 6.

Reſp. diſt. Ant. Fuit nociva effectivè: N. Illa enim nec iram, nec peccatum, nec mortem, nec concupiſcentiam cauſavit. Conſecutivè, ſeu occaſionaliter, in quantùm homines, data lege, graviùs & ſæpiùs peccaverunt: C. unde licèt per legem magis concupiſcentia creverit, eò quòd prohibita magis concupiſcimus, quàm licita: *Non tamen ob id Deus Legem dedit, ut concupiſcentiam illam accenderet, ſed ut extingueret*, inquit Chryſ. ſerm. 12. in Ep. ad Rom. Pro aliis objectionibus

Adverte quòd Lex Moſaica dicatur *non bona, infirma, egena, inutilis*, non quidem abſolutè, ſed reſpectivè ad Legem Euangelicam, ſicut homo magnus dicitur parvus reſpectu gigantis. Et ideò ſit

CONCLUSIO II.

LEx vetus reſpectivè ad Euangelicam, eſt imperfecta, ſeu minus perfecta.

Prob. Ex utriuſque comparatione. 1. Lex Euangelica habuit Deum authorem, & Deum hominem promulgatorem Moſaica verò habuit quidem Deum Authorem, ſed Moyſen promulgatorem: unde Jo. 1. v. 17. *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum*.

2. Lex nova lata eſt pro univerſo genere humano: *Euntes docete omnes gentes*. Matt. 28. Vetus autem, ſolis Judæis data eſt, ut patet ex Levitico, Exod. & Deuter. unde etſi gentiles tenerentur obſervare præcepta moralia, in quantùm erant Legis naturæ, non tamen in quantùm erant Legis Moſaicæ. Erat nihilominùs liberum gentibus ad Judaiſmum per Circumciſionem tranſire, illiuſque Legem obſervare, imò circumciſi ad illam tenebantur: qui autem Judaiſmum amplectebantur, dicebantur Proſelyti.

3. Lex vetus fuit ſcripta in lapidibus per Angelos: nova in hominum cordibus Dei digito, ſeu Spiritu S. Legem quidem novam ſcripſerunt Apoſtoli, & Euangeliſtæ quoad regulas & præcepta bene operandi; gratia autem ſeu charitas, quæ primariò & principaliter in Lege nova continetur, non fuit ſcripto mandata, *ſed diffuſa in cordibus per Spiritum S. qui datus eſt nobis*.

4. Lex nova lata eſt in perpetuum, uſque ad conſummationem ſæculi: unde, ut ait Apoſt. ſempiternum habet Sacerdotium, nec unquam abrogabitur. Vetus autem, ad tempus, donec Chriſtus veniret.

5. Ad Legem novam pertinet gratiarum poſſeſſio, quæ gratiarum omnium fontem poſſidet, ſcil. Chriſtum Redemptorem; & inſuper Sacramenta, virtutem, & Paſſionem illius continentia; Lex verò Moſaica, ex ſuo ſtatu gratiam non habebat, ſed illam per fidem in Chriſtum ex Lege nova veluti mendicabat; & ideo quotquot in Lege veteri Deo placuerunt, quantùm ad hoc, ad Legem Euangelicam pertinuerunt.

6. Lex vetus ſola terræ bona promittebat: *Si audieritis me, bona terræ comedetis*, Iſa. 1. v. 19. Lex nova ipſum Dei regnum: *Pœnitentiam agite*, inquit Jo Bapt. Matt. 3. v. 2. *Appropinquabit enim regnum cœlorum*

7. Lex vetus tantùm cohibebat manum, Lex nova etiam animum.

8. Lex nova cœlum aperit, non vetus.

9. In Lege veteri Trinitas, Incarnatio, Redemptio erant obſcurè cognita; in nova clarè & expreſsè revelata

10. Lex vetus fuit umbra & figura novæ; nova autem veteris perfectio & complementum.

Denique breviſſima, & apertiſſima duorum teſtamentorum differentia, inquit Auguſt. lib. contra Adimant. cap. 17. *Timor & amor*; unde Lex vetus cum cauſis timoris, tonitru ſcilicet & fulgure lata eſt; nova verò cum ſignis amoris, ſeu linguis igneis: illa pœnarum temporalium minis, & terroribus ad ſui obſervantiam cogebat; hæc amore & ſuavitate: illa ſervis, hæc filiis data eſt; Illius jugum durum & importabile; hujus jugum ſuave & leve; & ideo Aug. ſerm. 22. de verbis Apoſtoli. *Hæc ſarcina*, inquit, *non eſt pondus onerati, ſed alæ volaturi*.

QUÆSTIO III.

An de facto Lex Moſaica deſierit, & quandonam?

CONCLUSIO I.

LEx Moſaica deſiit & abrogata eſt. Eſt de fide contra Cherintum, Ebionem, ac eorum ſequaces, qui volebant legem vetere unà cum Euangelica ſemper eſſe obſervandam, contra quos Innoc. IV. cap. *Majores* de Baptiſmo; *Abſit*, inquit, *ut in illam damnatam hæreſim incidamus, quæ perperam affirmat Legem cum Evangelio, & Circumciſionem cum Baptiſmo ſervandam*.

Prob. 1. ex Scrip ad Rom. 6. v. 14. *Non enim ſub Lege eſtis, ſed ſub gratea*. Item c. 10. v. 30. *Finis Legis Chriſtus*. Ad Hebr. 8. v. 13. *Dicendo novum, veteravit prius*. Et ibid. c. 7. v 12. *Tranſlato Sacerdocio*, quod in Lege veteri erat Aaronicum, & in nova Chriſti, *neceſſe eſt, ut & Legis Tranſlatio fiat*, id eſt, ut Lex Moſaica in Euangelicam transferatur.

Prob. 2. ratione: Lex vetus fuit umbra & figura Legis novę; ſed, veniente Sole, evaneſcit umbra, &, apparente Veritate, deſinit figura: ergo, &c. Unde D. Bern. hom. 1 ſuper *Miſſus: Veritate apparente in carne, figura pertranſit*.

Dices 1. Chriſtus non venit Legem ſolvere, ſed adimplere: ergo Lex verus adhuc ſubſiſtit.

Reſ. Diſt. Ant. Non venit Legem ſolvere, id eſt, violare; C. illam etenim, quandiu viguit, obſervavit. Non venit ſolvere id eſt, abrogare: N. vel ſubdiſt. Non venit abrogare formaliter, id eſt, quatenùs ſub ratione Legis Moſaicæ obligabat: N. Materialiter, id eſt, ſaltem quoad totam materiam: C. Nam præcepta moralia, in quantùm ſunt Legis naturæ, non ſunt abrogata, ſed pleniùs & perfectiùs expoſita.

Dices 2. Lex vetus dicitur in Script. Teſtamentum, fœdus, pactum ſempiternum: ergo non deſiit.

Reſp. Dici ſempiternam, non quia ſemper, ſed quia longiſſimo tempore erat duratura. Ex dictis

Reſol. 1. Præcepta Decalogi non ampliùs obligare ut præcepta Legis Moſaicæ, ſed ut præcepta Legis naturæ, quæ inſtauravit Chriſtus jubens, ot Deum ex toto corde diligamus. & proximum ſicut noſmetipſos.

Reſol. 2. Si Eccleſia, aot Princeps ſupremus ſtatueret aliqua, quæ erant in Lege Moyſi, obligattura eſſe ſubditos, non authoritate Legis veteris, ſed Eccleſiæ, aut Principis illa ſtatuentis. *Sicut*, inquit Scot. 4. d. 3. q. 4. n. 19. *licet ant Rex in regno ſuo ſtatuere Legem, quæ eſt in alio regno; ſed illa non ligat ibi, quia eſt Lex alterius regni, ſed quia inſtituta hic ab iſto Rege*.

CONCLUSIO II.

L. Ex Moſaica non expiravit antequam expiraret Chriſtus. Eſt communis inter DD.

Prob. 1. Quia Chriſtus ad mortem uſque Legem illam & ſtudioſè ſervavit, & ſæpiùs ſervandam mandavit, ut patet ex Matt 5. v. 17. ubi ait: *Non veni ſolvere*, nempe Legem, *ſed adimplere*. Et c. 23. v. 2. *Saper Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite*: unde voluit, ut leproſus mundatus Sacerdotem conveniret, eique munus, ſecundùm legem, offerret.

Prob. 2. Quia Lex antiqua nodas, & ſimplices myſteriorum novæ Legis figuras continebat, ſed non fuit conſommata illorum myſteriorum veritas, antequam exclamaret Chriſtus moriens: *Conſummatum eſt*: ergo figuræ illæ non debuerunt anteà ceſſare.

Dices 1. Cæremonialia, quæ Chriſti Nativitatem, miracula, & doctrinam præfigurabant, ante ejus mortem erant impleta: ergo ſaltem quoad illa ceſſaverat.

Reſp. Neg. conſ. Illa enim debebunt obſervari, non quidem tanquam ſigna futurorum, ſed ſimpliciter tanquam figuræ Chriſti.

Dices a. *Lex & Prophetæ uſque ad Joanem*, Luc 16. v. 16. Ergo ante Chriſti mortem expiravit, cùm hanc præceſſerit Joannis prædicatio.

Reſp. Senſum eſſe, non quòd Lex tantùm duraverit uſque ad Joannem, ſed quòd Lex & Prophetiæ de Meſſia venturo tantùm ceſſaverint tempore Joannis, qui ipſum præſentem demonſtravit, ut patet ex Matt. 11. v. 13. *Omnes enim Prophetę & lex uſque ad Joannem prophetaverunt*.

Dices 3. Fundamentum obligationis Legis Moſaicæ, nempe Circumciſio, ceſſavit in Baptiſmi inſtitutione; adeòque ante Chriſti mortem: ergo & ipſa Lex.

Reſp. diſt. Ant. Ceſſavit abſolutè: N. Quia etiam expirante Domino, non expiravit, ut dicemus. Ceſſavit obligare: ſubdiſt. Tamqoam aliquid neceſſarium neceſſitate medii, C. neceſſitate præcepti: N. Obligabat ergo Circumciſio poſt Baptiſmi inſtitutionem ex Dei præcepto, in quantùm ſignum diſtinctivum eorum, qui Legem illam profitebantur; non obligabat tamen neceſſario in quantùm ſignum deletivum peccati originalis, quia poterat deleri per Baptiſmum, quia tunc, ut ait Scotus n. 11. erat ſub conſilio: non ſub præcepto; & ideo liberum erat, ad deletionem originalis, uti Baptiſmo, vel Circumciſione.

CONCLUSIO III.

NEc expiravit Lex vetus, Chriſto expirante, ſed in die Pentecoſtes Jeroſolymis, & in aliis locis ſocceſſu temporis. Ità D. Sobtilis ſup. D. Seraphicus 4 d. 3. q. 2. art. 3. D. Mellifluus Ep. 77. ad Hugonem, colum 4. ubi ait: *Satis apparet quod damnatio non baptizatorum & fruſtratio circumciſorum, & evacuatio ſacrificiorum, quæ fortè contra originale peccatum ritus obſervabat antiquus, generaliter jam tunc minimè cœperit, quando Nicodemo dictum eſt: niſi quis renatus fuerit ex aqua &c. ſed nec quando Apoſtolis palàm injunctum eſt: ite, & docete omnes gentes, baptizantes eos &c. Sed ex eo tempore tantùm cuique cœpit antiqua obſervatio non valere, & non baptizatus quiſque novi præcepti reus eſſe, ex quo præceptum ipſum inexcuſabiliter ad ejus potuit notitiam pervenire*. Hæc ille.

Prob. 1 Ratione ipſiuſmet D Bernardi; quia durum eſt credere Deum ſummè bonum, ſummè miſericordem, pueros aliquandiu reliquiſſe ſine remedio peccati originalis; ſed hæc feciſſet ſi Lex Moſaica in Chriſti morte expiraſſet: ergo. Prob. Min. quia tunc non valuiſſet ipſis Circumciſio, utpotè abrogata: nec Baptiſmus juvare potuiſſet, utpotè incognitus.

Prob. 2. Non deſit Lex vetus obligare, niſi quando cœpit obligare nova, aliàs fuiſſet populus Dei ſine Lege divina poſitiva, quod non eſt credibile, ſed non cœpit obligare Lex nova ante Pentecoſten: ergo. Prob. Min. quia ante illud tempus non erat promulgata: *Nam uſque ad illum diem*, ut ait Scotus ibi, Apoſtoli non prædicaverunt publicè, juxta illud verbum Chriſti Luc. 24. v. 49. *Vos autem ſedete in civitate donec induamini virtute ex alto*.

Obj. 1. *Tranſlato Sacerdotio neceſſe eſt ut & Legis tranſlatio fiat*. Ad Hebr. 7. v 12. atqui dum Chriſtus per mortem, in ara crucis ſeipſum novi teſtamenti hoſtiam obtulit deſiit ſacerdotium antiquum: ergo.

Reſp. Diſt. Min. deſiit ſacerdotium antiquum radicaliter & inchoatè, ſicut & ipſa Lex verus: C. quia tunc radicaliter, inchoatè, ſicut & ipſa Lex Euangelica; in quantùm mors Chriſti confirmavit Legem illam poſteà promulgandam. Deſiit formaliter & completè, N. Quia Lex antiqua cum ejus Sacerdotio completè deſiit, quando nova completè cœpit, ſcil. poſita ſufficienti promulgatione.

Obj. 2. Tunc vetus teſtamentum expiravit, quando Chriſtus exclamavit: *Conſummatum eſt*: ergo.

Reſp. cum Scoto n. 11. quòd illud conſummatum intelligitur de iis quę ſcripta ſunt de Filio hominis, juxta illud Luc. 18. v. 31. *Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis*: vel certè, ſi intelligatur de Lege veteri, dicendum eſt fuiſſe conſummatum inchoatè, ſicut declaratum eſt. Similiter inchoatè Sciſſam eſſe ejus obligationem, quando Velum Templi Sciſſum eſt; ſic que patet ſolutio ad hunc Auguſtini paſſum & ſimiles: *Velum Templi ſcinditur, quia Synagoga honore nudatur, obſervatio antiqua diſſolvitur*.

Obj. 3. Lex Euangelica fuit ab ipſo Chriſto Apoſtolis publicata ipſomet Reſurrectionis die, quando ipſis dixit: *Euntes docete omnes gentes &c.* ergo tunc obligare cœpit, & conſequenter antiqua obligare deſiit.

Reſp. Diſt. Ant. Fuit publicata ſolemniter & publicè; nego. Privatim & particulariter, vel potiùs intimata & declarata Apoſtolis, à quibus erat ſuo tempore promulganda: C. Sed hoc non ſufficit, ut Lex obliget.

QUÆSTIO IV.

An detur Lex nova, & quænam contineat præcepta?

CONCLUSIO I.

DE facto datur Lex Euangelica. Eſt definitum in Concil. Trid. ſeſſ. 6. can 21. *Si quis dixerit Chriſtum Jeſum à Deo hominibus datum fuiſſe ut redemptorem, cui credant & non etiam ut Legiſlatorem, cui obediant, Anathema ſit*. Eſt contrà Calvinum, Lutherum, Herbrandum, & alios hujus temporis Sectarios, qui volunt Euangelium conſolationem quidē annuntiare, gra-

Digitized by Google

gratiam & gloriam promittere, ſed ad nullam Legem obligare, niſi ad fidem; quia Chriſtus à Lege veteri nos liberavit, nec novam inſtituit.

Prob. concl. ex Scripr. Iſaiæ 2. v. 3. *Docebit nos vias ſuas, ambulabimus in ſemitis ejus, quia de Sion exibit Lex & verbum Domini de Jeruſalem.* Textus autem, ſatis oſtendit ibi fieri mentionem Chriſti, & illius Legis. Item 1. ad Cor. 9. v. 20. *Iis, qui ſine Lege erant, factus ſum tamquàm ſine Lege eſſem, cùm ſine Lege Dei non eſſem, ſed in Lege eſſem Chriſti.* Ad Rom. 2. *Factores Legis juſtificabuntur.* Et alibi.

Dices 1. ad Rom. 3. lex Euangelica, dicitur lex fidei, & Moſaica, lex factorum: ergo Euangelica ſolam fidem præcipit.

Reſp. Si locus ille ad doctrinam utriuſque legis referatur, denominationem eſſe factam à potiori, ſiquidem in lege veteri præſertim facta & cæremoniæ quaſi innumeræ præcipiuntur; in nova autem, præſertim inculcatur fides, & cultus internus.

Dices 2. *Lex juſto non eſt poſita* 1. ad Timoth. 1. v. 9. ergo nec aliis.

Reſ. Diſt. Ant. Non eſt poſita juſto quoad vim obligativam; nego. Quia omnes ſine diſtinctione legi ſubjiciuntur. Quoad vim coactivam: ſubdiſt. in actu 1. nego. Quia Lex habet in actu 1. vim cogendi juſtos ad obedientiam. In actu 2. conc. quia in actu 2. vim illam nunquam in eos exercet, juſti ſiquidem hoc ipſo quo juſti ſunt, legem non violant.

Dices 3. *Non eſtis ſub Lege, ſed ſub gratia*, Ad Rom. 6. v. 14. ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Non eſtis ſub lege Moſaica: C. ſub Evangelica, quæ Jo. 1. *gratia* dicitur: N.

Dices 4. Euangelium ex vi nominis ſignificat bonum nuntium? ergo nulla fert præcepta.

Reſp. Ferre bonum nuntium; cùm nobis promittat vitam æternam, mediantibus aliquibus præceptis, cum Dei gratia obſervatu facillimis.

CONCLUSIO II.

IN Lege nova, præter fidem, dantur alia præcepta. Eſt de fide in Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 19

CONCLUSIO III.

LEx nova, ultrà conſilia, continet præcepta Sacramentalia, fidei, & moralia.

Concluſio patet ex Scrip. ubi de præceptis Sacramentalibus dicitur: *Niſi quis renatus fuerit* &c. Jo. 3. v. 3. *Niſi manducaveris carnem filii hominis* &c. Jo 6. v. 55. De præceptis verò fidei: *Si non credideritis quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro*, Jo 8. v. 24. *Qui non crediderit, condemnabitur*, Marc. 16. v. 16. De præceptis denique moralibus: *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata*, Matt. 19. v. 17. quibus verbis innovavit Chriſtus præcepta Decalogi, de quibus tunc loquebatur, ſecundùm Interpretes. Varia etiam hinc indè reperiuntur in Scriptura, quibus docet nos Chriſtus qualiter Deus ſit colendus, amandus, timendus, orandus: qualiter agere debeamus cum proximo, quantùm ad ejus inſtructionem, emendationem, ſolatium, obſequium; & qualiter denique agere debeamus nobiſcum.

Dixi: *Ultra conſilia*, quæ; ut docet D. Th. 1. 2. q. 108. art. 4. ad hæc tria præcipuè revocantur, ad Caſtitatem perpetuam, voluntariam Paupertatem, & Obedientiam integram. ex quibus ipſe Religionis ſtatus potiſſimùm conſtat.

QUÆSTIO V.

An in Legem Evangelicam poſſit cadere diſpenſatio & Epikeia?

CONCLUSIO I.

NUlla poteſtas humana poteſt Legem Evangelicam abrogare, aut in ea diſpenſare.

Ratio eſt; quia nullibi legitur talis poteſtas conceſſa homini, qualiſcunque ſit. Dixit quidem Chriſtus Matt. 16. v. 19. *Quodcunque ſolveris* &c. ſed hoc non magis probat poſſe in Lege divina, quam in Lege naturali, in qua tamen non poſſe diſpenſare, oſtendimus ſuperiùs: undè poteſtas per hoc Eccleſiæ tradita reſpicit tantùm materiam ipſi ſubjectam, de qua alibi.

CONCLUSIO II.

LIcèt Deus ex hypotheſi, quòd Legem Evangelicam tulerit uſque ad finem mundi duraturam, ut re vera tulit, non poſſit eam abrogare quia mutaretur; poteſt tamen abſolute loquendo.

Henno Tomus I.

Ratio eſt; quia per quaſcumque cauſas res naſcitur, per eaſdem diſſolvitur. Præterea non eſt minoris poteſtatis in legem novam, quàm in veterem, ſed hanc abrogavit: ergo poteſt & illam, cùm utraque ſit Divina poſitiva.

CONCLUSIO III.

IN Legem Evangelicam cadere poteſt Epikeia. Ita Noſter Marchantius, Baſſæus, & alii, contrà Herinx.

Prob. 1. Ex facto Machabæorum, qui, cùm viderent quamplures Judæos fuiſſe ab hoſtibus Sabbatho trucidatos, eò quod tali die non repugnaſſent contra hoſtes aggredientes, interpretati ſunt legem de ſervando ſabbatho non obligare in tali caſu.

Prob. 2. Non teoemur ad Confeſſionis integritatem quando inde contingeret vel pœnitenti, vel Confeſſario, vel tertiæ perſonæ damnum notabile in bonis vitæ, famæ, aut fortunæ, ut docetur in Tract. de Pœnitentia, ſed ideo non tenemur, quia interpretamur legem integritatis confeſſionis non comprehendere ſimiles caſus. ergo &c.

Prob. 3. Quia Deus, cujus jugum ſuave eſt, & onus leve non cenſetur nos velle obligare ad moraliter impoſſibile: ergo ubi occurrit gravis admodum difficultas in legis obſervatione, credere poſſumus non eſſe ejus intentionem nos obligare.

QUÆSTIO VI.

An in Lege Evangelica aliquando licita fuerint legalia?

SUppono ex dictis legem Evangelicam incompletè & radicaliter cœpiſſe in Chriſti morte, completè verò, in die Pentecoſtes: & ideo quæri poteſt an legalia fuerint licita, non tantùm in nova lege inchoata, id eſt, tempore illo, quod inter Chriſti mortem & legis promulgationem interceſſit, ſed etiam in nova lege adæquatè & completè inſtituta, adeòque poſt illius promulgationem

CONCLUSIO I.

IN lege nova inchoata uſus legalium fuit licitus, imò præceptus, excepta ſaltem Circumciſione, quantùm ad delendum originale.

Prob. Quia, ut diximus, lex vetus obligavit uſque ad ſufficientem legis novę obligationem. ergo ante illam uſus legalium quem lex Moſaica præcipiebar, erat licitus præceptus.

Dices Hieronymus & Auguſtinus in Epiſtolis, quas ſibi invicem de legalibus ſcripſerunt, docent cæremonias legales ſtatim à morte & Reſurrectione Chriſti fuiſſe mortuas, id eſt, vim obligandi amiſiſſe. Imò Hieronymus non tantùm mortuas, ſed etiam mortiferas & prohibitas fuiſſe ſuperaddit, cui, quantùm ad hoc, contradicit Auguſtinus.

Reſp. Quidquid ſit de Hieronymo Auguſtinum illud non aſſerere; quia, etſi doceat aliquo tempore poſt veteris Legis ceſſationem licitum fuiſſe uſum legalium, non tamen præceptum; nihilominus non dicit Legem antiquam adęquatè ceſſaſſe in morte & Reſurrectione Chriſti; & ſic potuit inter Chriſti mortem, & adæquatam Legis veteris ceſſationem, licitè eſſe præceptus uſus legalium, licèt poſtea nunquam fuerit præceptus: unde in tota Ep 19. quam ſcribit Auguſtinus ad Hieronymum, ut ipſi oſtendat legalia aliquo tempore fuiſſe licita, & non ſemper poſt Chriſti mortem prohibita, ſeu mortifera, in tota, inquam, illa Epiſtola, in qua fundant ſe adverſarii, ne vel ſemel reperies Auguſtinum dicentem, ſtatim, vel immediatè, à Chriſti morte legalia non fuiſſe neceſſaria, ſed ad ſummum *poſt Chriſti mortem*, tempus non determinando, ſicque non videtur nobis nocere Auguſtinus; quandoquidem ſano ſenſu dicatur fieri poſt Chriſti mortem, quod fit uno aut altero menſe poſt. Jam autem, in die Pentecoſtes deſierunt legalia eſſe neceſſaria, ſeu præcepta, quia tunc Lex vetus adæquatè abrogata eſt, ſaltem Jeroſolymis.

Dixi: *Excepta ſaltem Circumciſione quantum &c.* quia tunc erat quidem licita, & utilis, non tamen præcepta: cùm enim aliquamdiu ante Chriſti mortem non eſſet ſub præcepto, ratione baptiſmi qui conſulebatur, nec erat à fortiori poſt illam.

CONCLUSIO II.

IN Lege nova adęquatè conſtituta fuit aliquando licitus uſus legalium, nunquam tamen præceptus. Ita Aug. quem ſequuntur multi Scholaſtici, inter quos Scot. 4. d. 3. q. 4. n. 17. ubi ait: *Paulus licitè inter judæos ſervavit legalia, etiam multo tempore poſt tertium Conc & hoc fuit licitum, dum tamen ipſe non poneret in eis ſpem, licèt non eſſet utile nec neceſſarium.*

Prob. 1. Pars exemplo Apoſtolorum, qui aliquando hujuſmodi cæremoniis uſi ſunt, imò & alios uti poſſe docuerunt poſt Legis promulgationem: Paulus ſiquidem Timotheum, cujus pater erat Gentilis, & mater Judæa, circumcidit, Act. 16. Ipſemet caput ſuum more Nazareorum ex aliorum Apoſtolorum conſilio totondit in Cenchris, ſeque in Templo purificavit, Act. 18. verſ. 18. D. Jacobus conſilium dedit ut Paulus & quatuor alii, qui ſe voto obſtrinxerant, purificarentur, ne Judæi paterentur ſcandalum: quis autem ſibi perſuadeat Apoſtolos in hoc erraſſe?

Prob. 2. Ex Auguſt. Epiſt. 19. ubi ait, quòd quamvis legalia legentibus impoſita non eſſent, non tamen ſic debuiſſe auferri à conſuetudine Judæorum tanquam deteſtanda, quod non dixiſſet, ſi fuiſſent illicita.

Prob. 3. Quia conveniebat, ut mortua Mater Synagoga, cum honore ſepeliretur, ideſt, ut ritus illi, quibus ita afficiebantur Judæi, non ſubitò, ſed paulatim ex eorum manibus eriperentur, ne alioquin viderentur ab Eccleſia reprobari, ſicut ritus gentiles.

Prob 2. Pars; quia cùm tunc nova lex in ſuo vigore eſſet, non erat ratio cur antiqua fuiſſet adhuc neceſſaria: unde Apoſtolus ad Gal. 5. v. 2. alloquens eos, qui etiam in lege nova exiſtimabant Circumciſionem eſſe neceſſariò obſervandam: *Si circumcidamini*, inquit, *Christus vobis, nihil proderit*, ideſt, ſi ſuſcipiatis Circumciſionem cum opinione illius neceſſitatis ad ſalutem, aut juſtificationem, nihil vobis proderit gratia Chriſti: ſicque patebit legalia fuiſſe aliquandiu licita poſt Legis promulgationem, non tamen neceſſaria ſeu præcepta.

Obji. 1. Contra 1. Partem: Paulus noluit circumcidere Titum: ergo.

Reſp. Noluiſſe ipſum circumcidere, non quia illicitum erat, ſed ne videretur approbare errorem volentium Circumciſionem neceſſariam eſſe ad ſalutem: quod non militabat ubi Timotheum circumcidit: undè magna prudentia indiguere Apoſtoli, ut oſtenderent cæremonias illas nec ut neceſſarias debere practicari, nec ut mortiferas debere contemni.

Obji. 2. Paulus ad Gal. 2. v. 11. Reprehendit Petrum Judaizantem: ergo.

Reſp Diſt. Ant. Reprehendit Judaizantem præcisè: nego. Judaizantem imprudenter, ſeu in iis circumſtantiis, in quibus poterat eſſe ſcandalo gentibus & Judæis fortè Circumciſionem neceſſariam credituris: Conc. unde ejus imprudentia in judaizando, non judaizatio, damnatur peccati venialis ab Auguſtino, & aliis.

Obji. 3. Tantùm ſimulatoriè cæremoniis judaicis utebantur Apoſtoli, ut docuit Hieronymus variis in locis: ergo malè inde infertur fuiſſe licitas.

Reſp. Sic quidem tenuiſſe Hieronymum, ſed ab Auguſtino de contrario tandem perſuaſum, mutaſſe ſententiam, ut patet ex Epiſt. 260. Auguſtini, quæ eſt ad Oceanum: undè quando Paulus ad Gal. 2. v. 13. vocat judaizationem Petri *ſimulationem*, non vult quòd ſimulatè voluerit agere Petrus, ſed quòd ejus actio, licèt ex parte agentis ſincera, erat ſimulatio aſtantibus, qui indè putabant cæremonias judaicas eſſe neceſſarias ad ſalutem, cùm non eſſent.

Obji. 4. Obſervationes illarum cæremoniarum erant mendacia, cùm figurarent venturum quod venerat.

Reſp. Neg. Ant. Quia cæremoniæ illæ obſervabantur præcisè quatenus Meſſiam ac ejus myſteria ſignificabant, abſtrahendo utrùm præterita forent, præſentia, vel futura.

CONCLUSIO III.

EUangelio ſatis divulgato, lex Moſaica fuit mortifera: de hoc non dubitatur, ſed quo præcisè tempore cœperit eſſe? Res eſt incerta. Quantùm ad gentes noviter converſas, docet Scotus ſup. o. 12. Circumciſionem fuiſſe adhuc illis licitam poſt 3. Concilium Jeroſolymis celebratum anno 14 aut 15. poſt Chriſti Paſſionem. An autem idem ſit de aliis cæremoniis, nihil determinat, ſed quidquid ſit, dicimus cum pleriſque Theologis legem Moſaicam fuiſſe mortiferam tum gentibus, tum Judæis, tum aliis circa annum 40. aut circiter à morte Chriſti, poſtquam Templum Jeroſolymitanum, unà cum ſtatu Reipublicæ Judaicæ à Romanis Imperatoribus everſum eſt: unde poſteà fuerunt legalia ab omnibus irreparabiliter deſerenda, ita ut nequidem materialiter ſpectata poſſint ab Eccleſia reaſſumi, ſaltem quoad principaliora, & veluti ſubſtantialia: nam quantum ad leges judiciales, poſſent à Principibus ſupremis, ſicut & quædam cæremoniæ leviores materialiter ſpectatæ, ab Eccleſia reſtaurari, ubi id exigeret gravis utilitas.

Petes. Cùm circa legalia Epiſtolis pugnaverint Auguſtinus & Hieronymus, in quibus diſcrepaverint?

Reſp. In hoc diſcrepaſſe, 1. quòd Hieronymus ſtatim à morte Chriſti crederet ea mortifera, ubi ad Deum colendum adhiberentur, Auguſtinus verò, crederet quidem poſt Chriſti mortem fuiſſe mortua, ideſt, nullam efficaciam habuiſſe, non tamen mortifera, etiam ad Dei cultum adhibita. 2. Quòd primus doceret Apoſtolos tantùm ſimulatoriè illis uſos fuiſſe, ideſt, ſine animo Deum colendi, ſed præcisè ex intentione ſcandalum impediendi, quo ſenſu volebat, fuiſſe licita, & ideò excuſat ab omni culpa, non ſolùm alios Apoſtolos, ſed & Petrum Antiochiæ Judaizantem: Secundus autem vult & Petrum & alios Apoſtolos non ſimulatè, ſed ſincerè, ſeu ad Dei cultum, illa exhibuiſſe, nec tamen ideò peccaſſe: nam ſi Petrum culpabilem fuiſſe aſſerit, non quia judaizavit, ſed quia imprudenter id fecit, ut dictum eſt ante. 3. Quòd ille vellet Petrum à Paulo tantùm ſimulatoriè fuiſſe reprehenſum, ad Gal. 2. Hic verò & Petrum verè reprehenſibilem, & verè reprehenſum affirmaret, quia alias, ut ait Epiſt. citata, mentitus fuiſſet Paulus, reprehendendo ipſum ut reum, quem ſciret non eſſe.

DISPUTATIO III.

De Lege Humana.

CUm aliqui homines, etiam in Lege amoris, debeant cogi pœnarum metu, ut vitia fugiant & virtutem amplectantur, neceſſe fuit Legi Divinæ & naturali Leges humanas ſuperaddere, quæ defectuoſis pœnas intentarent, ut ſic perversè agere deſinentes, & ſibi conſulerent, & alios tranquillos relinquerent. Lex ſiquidem naturæ nullam pœnam, Lex autem Divina nonniſi in altera vita ſubeundam minatur; quæ, cùm ſit ab humanis ſenſibus remota, nonniſi leviter homines terreſtres & carnales concutit; ideò pœna præſens & ſenſibilis fuit ipſis per leges humanas imponenda. Quid ſit autem lex humana? dictum eſt Diſp. 1. hujus Tractatus, ubi eam dividimus in Civilem & Eccleſiaſticam: quarum prima bonum politicum externum & temporale communitatis reſpicit. Secunda regimen Spirituale in ordine ad Religionem promovendam: illa jus Civile, hæc jus Canonicum nuncupatur.

QUÆSTIO I.

Quid contineat jus Canonicum, quid jus Civile, & quomodo ſoleant citari?

ADvertendum 1. Jus (cujus tria ſunt principia univerſalia, nempè honeſtè vivere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere) à Juriſperitis definiri artem boni & juſti, ſeu ordinantem bonum & juſtum.

Advertendum 2. Sex ad juris Canonici integritatem ſeu corpus concurrere. Nempè Scripturam Sacram, Apoſtolorum traditiones, eorum Canones, quibus non eſt tanta authoritas, quanta Traditionibus; Summorum Pontificum & Conciliorum generalium Decreta, concilia particularia ab ipſo Eccleſiæ capite confirmata, denique Summorum Pontificum Epiſtolas Decretales.

Advertendum 3. Jus Civile, ſeu commune, aut Cæſareum, vel etiam Romanum, ex mandato Juſtiniani Imperatoris fuiſſe collectum & editum; Juſtinianus enim videns corpus juris civilis ex innumeris ferè Legibus coaleſcere, ordinavit, ut ſuperfluæ ſupprimerentur, & retinerentur neceſſariæ, ut ſic totum corpus juris, certis & paucioribus limitibus concluderetur. His notatis

CONCLUSIO I.

JUs Canonicum integratur ex Decreto, Decretalibus, Sexto Decretalium, Clementinis, & Extravagantibus.

Decretum (quod Gratianus S. Benedicti Religioſus anno circiter 1150. collegit & ordinavit, Eugenius III. confirmavit, & Gregorius XIII. corrigi & imprimi curavit) ex tribus partibus componitur. Prima coaleſcit ex 101. Diſtinctionibus, in quibus per capita ſeu Canones agitur de jure Divino, & humano; ac etiam de Perſonis Eccleſiaſticis. Loca ex hac parte deſumpta citantur hoc modo: Can. vel C. *Jus generale*, vel *Conſuetudo*, vel *ſi Mulier*, prout incipit primum verbum Capitis vel Canonis, Diſt. 1. vel 2. vel 3.

Secunda pars continet cauſas 36. & quælibet cauſa in quæſtiones, & quælibet quæſtio in capita diſtribuitur: quæ autem deſumuntur ex hac parte, in qua de materia & forma judiciorum Eccleſiaſticorum, citantur taliter: Can. vel C. *gratia*, vel *Presbyter*, vel *Benedictio*, 1. q. 1. ideſt cauſa prima, quæſtione prima,

Digitized by Google

ma, ità ut numerus ante Q. denotet quota ſit cauſa, & poſt Q. quota ſit quæſtio.

Inſeritur autem cauſæ trigeſimæ tertiæ de Matrimonio agenti, Tractatus de Pœnit. in quæſt. 3. quæ dividitur in 7. diſtinctiones ſubdiviſas per capita. Deſumpta ex hoc Tract. ſic allegantur: Can. vel C. *pernicioſè*, vel *divortium* de Pœnit. Diſt. 2. vel 2.

Tertia pars, quæ agit de conſecratione Eccleſiarum, celebratione Miſſarum, de Sacramentis Baptiſmi, Confirmationis, Euchariſtiæ, de Feſtis, Eccleſiaſticis cæremoniis & jejuniis, complectitur 4. diſtinctiones, & quælibet Diſt. varia cap ſic ſunt citationes: Can. vel C. *veſtimenta* de conſecrat. Diſt. 1. vel 2. vel 3.

Decretales (taliter dictæ, quia magis ex Summorum Pontificum Conſtitutionibus & Epiſtolis Decretalibus coaleſcunt, quàm ex Conciliorum decretis; Decretum autem Gratiani è contra) compilatæ fuerunt juſſu Greg. IX. per Raymundum de Pennafort Ord. Prædicator. & diviſæ ſunt in 5. lib. quorum materiam exprimit hic verſus

Judex, Judicium, Clerus, Sponſalia, Crimen.

Solent autem citari ſimpliciter & ſine adjecto, nulla facta mentione diſtinctionis aut cauſæ, ut fit in Decreto, hoc ſcil. modo: cap. *Cæterum* de Judiciis; cap. *Conſtitutus* de Tranſactionib. ubi ſubintelliguntur hi libri: vel etiam aliquando, ſuppreſſa voce initiali capitis, citatur illius numerus, v.g. c. 3 de Probationib. vel c. 6. de Clericis peregrinis.

Advertendum tamen in antiquioribus Authoribus aliter citari, addendo ſcilicet *Extra*, hoc modo: v.g. Extrà *de Reſcriptis*, C. *ſicut*, ubi per verbum *extrà* intelligunt Decretales, quæ ideo *extrà* vocabantur, quia erant extrà corpus Canonicum Gratiani, quod anteà erat editum; ſed cùm jam corpus juris Canonici ingrediantur, illud *extrà* in citationibus relinquitur.

Sextus Decretalium, ſic dictus, quia quinq; libris Decretalium Greg. IX. additus eſt, à Bonifacio VIII. fuit collectus & in volumina V. diviſus, conſtatque iiſdem Titulis, non tamen omnibus, quibus conſtant Decretales, & ideo eodem modo citantur, excepto quòd addatur *in ſexto*, ſic v.g. cap. *cum in tua*, de conſuetudine in ſexto. In hoc autem libro quædam in Decretalibus relata corriguntur, & quædam adduntur.

Clementinæ, à Clem. V. ſic dictæ, complectuntur conſtitutiones tum ejuſdem Pontificis, tum Concilii Viennenſis, cui ipſe præfuit. Has abſolvit & publicavit Jo: XXII. Clemente, antequam ederentur, è vivis ſublato: hoc modo citantur. Clem. id eſt, Clementinam *Multorum* de pœnis, vel *Attendentes*, de ſtatu Monachorum &c.

Extravagantes (ſic appellatæ, quia extra corpus juris Canonici anteà quaſi vagabantur, licèt nunc eidem inſertæ, idem nomen retineant) partim à Jo. XXII. partim ab aliis Pontificibus prodierunt, & ideo aliquæ, Extravagantes Jo. XXII. nuncupantur, aliæ communes. Solent autem citari ut ſequitur. Extravag. *Ad Conditorem*, id eſt, conſtitutione Extravaganti, titulo ad conditorem.

CONCLUSIO II.

Corpus Juris civilis conſtat ex 50. libris digeſtorum, Codice, 4. libris Inſtitutionum, & uno libro Novellarum.

Digeſta, ſeu Pandectæ (quod idem eſt ac totum capio, quia univerſa Juris prudentiæ ſcientia in 2000 libris anteà diſperſa, jam in 50. comprehenditur) citantur hoc modo l. *ſi aliena* D. vel: ff. *de uſucapione*, ubi l. ſignificat Legem, *ſi aliena*, primum verbum Legis, D. vel ff. Digeſtis, *de Uſucapione*, titulum; & ideo quæri debet Lex taliter incipiens ſub titulo de uſucapione, vel breviùs in Indice, ſi habeatur. Legendo autem, pronuntiandum eſt: Lege *ſi aliena*, Digeſtis *de Uſucapione*. Eodem modo citatur Codex, de quo jam, excepto quòd loco D. vel ff. ponatur C. & legatur Codice, loco Digeſtis.

Juſtinianus tertio Imperii ſui anno, confecit Codicem unum (quem ſuo nomine nuncupavit) ex tribus aliis Codicibus, quorum unus dicebatur Gregorianus, alter Hermogenianus, & alius Theodoſianus, in quibus Imperatorum præcedentium Leges & Conſtitutiones continebantur; ſed, cùm Codex ille non eſſet ſatis correctus, emendatiorem edidit ſexto anno poſt prioris editionem: & hunc codicem 12. libris concluſum, vocavit codicem repetitæ lectionis.

Quatuor Libri Inſtitutionum, continentes juris elementa & principia, ab eodem Juſtiniano prodierunt in favorem juventutis, ut ſic paulatim & faciliùs ad ampliſſimam juris ſcientiam pateret aditus; ità citantur, Inſtit. vel Inſtitut. id eſt, in libris Inſtitutionum, *de rerum diviſione*, id eſt, ſub hoc titulo, vel alio. Quando autem ſub eodem titulo varii ſunt Paragraphi, additur §. cum illius voce initiali, ſic v.g. Inſt. *de Uſucapione*, § *Furtivè*.

Novellæ, aliter Authenticæ, continent varias conſtitutiones, quas Imperii ſui tempore promulgavit idem Imperator; ſic ſic illarum citatio: Novella 66. § *igitur etiam*, vel, Auth. id eſt, Authentica *ut factæ novæ Conſtitutiones* 66. inter Nov. Juſtin. id eſt, ſexageſima ſexta inter novellas Juſtiniani.

Hæc omnia habent plenariam juris authoritatem, ità ut, tamen propter novitatem, prævaleant Novellæ codici, codex Inſtitutionibus, Inſtitutiones Digeſtis, ſaltem ſecundùm aliquos; quia non deſunt qui volunt Digeſta prævalere inſtitutionibus. Circa hanc materiam, plura vide apud Herinx.

QUÆSTIO II.

An ſit conceſſum hominibus ferre leges?

Negarunt olim Waldenſes, quibus adhæſerunt poſteà Wicleſus, & Joannes Hus, de hoc condemnati in Concil. Conſtant. primus quidem ſeſſ. 6. & ſecundus ſeſſ. 15. Horum errorem jam pridem ſepultum ſuſcitarunt Lutherus, & Calvinus: Ille etenim in Commentario Epiſt. ad Gal. ſic loquitur: *Sola fides neceſſaria eſt, ut juſti ſimus, cætera omnia liberrima, neque præcepta amplius, neque prohibita*. Et in lib. de libertate chriſtiana; *Nullo opere, nulla Lege homini Chriſtiano opus eſt, cum per fidem ſit liber ab omni Lege*. Hic autem lib. 4. Inſt. cap. 10. n. 5. dicit Leges humanas, ſive ab Eccleſia, ſive à Magiſtratu ferantur, non obligare per ſe in conſcientia: & nu. 8 non licere hominibus aſſumere ſibi poteſtatem legiſlativam, quæ ſoli Deo competit, quorũ Hæreſim ut refutemus, diſtinguenda eſt apud homines duplex politia, ſpiritualis una, civilis altera: illa ad ſanctè vivendum, hæc ad pacificè convivendum: & de utraque inſtituitur quæſtio, ad quam dirimendam ſit

ARTICULUS I.

An ſit in Politia ſpiritualis poteſtas legiſlativa, & apud quod reſideat?

Quærimus hìc de Politia Eccleſiæ chriſtianæ; nam fuiſſe olim apud Judæos, ſive in Lege veteri, poteſtatem condendi Leges, clariſſimè oſtenditur, tum ex Judith ultimo, Eſther 9. 1. Machab. 4. ubi nova Feſta fuerunt inſtituta in perpetuum ſervanda, tum ex eo quòd Sap. 6. dicatur: *Audite Reges .... quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis*; unde 1. Reg. 30 David inſtituit, ut eſſet æqualis portio deſcendentium ad prælium, & remanentium ad ſarcinas. Quæſtio igitur noſtra reſpicit Chriſti Eccleſiam.

CONCLUSIO I.

Datur in politia ſpirituali, ſeu Chriſti Eccleſia, poteſtas cõdendi Leges ſuo ſtatui & fini proportionatas. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex Scripr. Act. 15. v. 29. ubi præceperunt Apoſtoli gentibus noviter converſis abſtinentiam à ſuffocato & immolatis Simulacrorum: &, ne diceres cum Melancthone non fuiſſe præcepta, ſed directiones, ſubditur ibidem v. 41. de Paulo: *Perambulabat.... præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & ſeniorum*. Item Paulus ipſemet 1. ad Tim. 3. Legem tulit ne Bigami aut Neophyti conſecrarentur Epiſcopi. Deinde ab Apoſtolis deſcendit obligatio ſumendi Euchariſtiam jejunè, ut docet Aug. Epiſt. ad Januarium. Unde hanc poteſtatem in ſeipſis agnoverunt continua ſucceſſione Pontif. Romani, cui pluribus ſæculis à nemine contradictum eſt.

Prob. 2. Ex Conc. Chalcedonenſi Act 15. Toletano can. 1. Conſtantienſi ſeſſ. 8. Viennenſi Clem. *ad noſtrum* de Hæreticis. Florentino in unione Armenorum. Trid. Seſſ. 6. can. 20. ubi legitur: *Si quis hominem juſtificatum, & quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad obſervantiam mandatorum Dei, & Eccleſiæ..... Anathema ſit*.

Prob. 3. Ratione; quia ſicut bonum regni poſtulat, ut ſit in eo poteſtas condendi Leges, ad pacem & tranquillitatem communitatis conſervandam, ut dicemus art. ſeq. Ità etiam bonum Eccleſiæ exigit, ut ſit in ea poteſtas ferendi Leges ad Religionem conſervandam, mores componendos &c.

Objic. 1. Iſaiæ 33. Verſ. 22. dicitur: *Dominus legifer noſter*; ergo

Reſp. Solum quidem Deum eſſe legiſerum principalem, ſed dari alios minùs principales à Principaliori dependentes, tanquam ejus Vicarios & Miniſtros.

Obj. 2 Illud Deut. c. 12. v. 32. *Quod præcipio tibi, hæc tantùm facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas*: ergo non poſſunt ſuperaddi Leges humanæ.

Reſp. Diſt. conſeq. Non poſſunt ſuperaddi Leges humanæ Divinis contrariæ: C. & hoc, juxta Interpretes, intendit

Scriptura. Non contrariæ, ſed potiùs Divinarum impletionem ſollicitantes: N. Præterea eſto hoc fuiſſet prohibitum Judæis, quod ſalſum eſſe, initio quæſt. oſtendimus, non ſequitur prohibitum eſſe Chriſtianis.

Obj. 3. 1. Corinth. 7. Verſ. 23. dicitur: *Nolite fieri ſervi hominum:* ergo ſi non teneamur ipſis obedire, non poſſunt Leges ferre.

Reſ. Diſt. Ant. Nolite fieri ſervi hominum, id eſt, Superiorum juſſa negligite: Nam ipſemet Apoſtolus Epheſ. 6. v. 5. ait: *Servi obedite Dominis carnalibus*, id eſt, Dei ſervitium, hominum ſervitio præponite, ſeu nolite ſervire hominibus cum præjudicio ſervitii Divini: C.

Obj. 4. *Vos in libertatem vocati eſtis*, ad Gal. 5. v. 13. ergo non poſſumus ligari humanis Legibus.

Reſp. Diſt. Ant. In libertatem à peccato, à ſervitute diaboli, ab onere Legis Moſaicæ: C. in libertatem à Superiorum Legibus & mandatis; nego, aliàs non dixiſſet Paulus ad Hebr. 13. v. 17. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis*.

Obj. 5. Chriſtum Matt. 7. v. 7. dicentem: *In vanum me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum*.

Reſp. Chriſtum non condemnare Leges humanas, ſed reprehendere Phariſæos, qui, relictis Dei præceptis, vana quędam & inutilia obſervabant, ut baptiſmata urceorum & calicum.

Obj. 6. Suavis eſt Lex Euangelica: ergo excludit gravia Legum humanarum onera.

Reſp. Dici ſuavem, non quia Leges illas excludit, ſed quia ad omnium Legum obſervantiam gratias abundantes ſubminiſtrat.

Obj. 7. Vel Chriſtus ſufficienter providit Eccleſiæ ſuæ, vel non: ſi non, eſt imprudens: ſi ſic, ſuperfluunt Lege humanæ.

Reſ. Sufficienter providiſſe, & condendo Leges tunc neceſſarias, & relinquendo Eccleſiæ poteſtatem alias condendi, ubi, attentis perſonarum, temporum & locorum circumſtantiis, judicaret expe tire pro bono fidelium regimine: nec hoc arguit in Chriſto defectum amoris, ſed magnam, ergà dilectam ſponſam, oſtenſionem honoris.

Obj. 8. Indè ſequitur inſufficientes eſſe, Legem & Divinam & Naturalem.

Reſp. Diſt. Sequel. Indè ſequitur inſufficientes eſſe ad ſalutem ſimpliciter; N. Quia poſſet quis ſalvari ſine Lege humana: inſufficientes eſſe ad ſalutem cum omnimoda ſecuritate conſequendam: tranſeant. Unde reddunt Leges humanæ viam ſalutis ſecuriorem, & Legis naturalis executionem facilitando, & Divinæ, quoad aliqua, indeterminationem determinando; ſic per jejunia facilitatur Caſtitatis obſervantia, & per Legem confeſſionis & Communionis annuæ, determinatur pręceptum Chriſti, quoad tempus, indeterminatum.

CONCLUSIO II.

Poteſtas ferendi Leges Eccleſiaſticas competit Papæ, & Concilio generali ipſius authoritate congregato & confirmato, idque pro tota Eccleſia. Legatis autem Sedis Apoſtolicę, Epiſcopis, Conciliis Provincialibus, Abbatibus exemptis, & aliis juriſdictione Epiſcopali gaudentibus: ſicut & Generalibus, & Provincialibus Regularium capitulis, competit pro ſuis reſpectivè ſubditis.

Prob. de Papa: quia Chriſtus Jo. 21. v. 17. dixit Petro & in illius perſona ejus Succeſſoribus: *Paſce oves meas:* quomodo autem debitè paſceret ſi non poſſet legibus opportunis oves ſubmiſſas in Eccleſiæ paſcuis retinere, & errantes ad paſcua revocare? Undè hanc poteſtatem in ſeipſo agnovit 2. ſæculò Victor Papa, diem Paſchatis celebrari determinando: agnovit & Stephanus I. 3. ſæculo prohibens baptizatos ab hæreticis, rebaptizari. Agnoverunt & alii, jejunia, Feſta, aliaque plurima inſtituendo, quorum leges ſemper venerata eſt pia fidelium praxis.

Prob. De Conc. Generali, quia repræſentat totam Eccleſiam, in qua eſſe poteſtatem ferendi leges, ſufficienter probatum eſt concl. 1.

Prob. De Legatis ſeu Nuntiis Apoſtolicis ex cap. *Nemini de officio Legati*, ubi decernitur eorum leges ac ſtatuta quæ ferunt pro legationis ſuæ Provincia: non eſſe revocabilia, etiam ipſis expirantibus, vel amotis, niſi à Papa, aut ab alio æqualem poteſtatem habentes; An autem eorum poteſtas ſit delegata, vel ordinaria? ſub judice lis eſt.

Prob. De Epiſcopis; tum ex Script. Act. 20. v. 28. ubi dicitur poſitos eſſe Epiſcopos à Spiritu S. ad regendam Dei Eccleſiam tum ex praxi, tum etiam ex jure Canonico c. 2. *de majorit & obedientia*, ubi oſtenditur id etiam poſſe extrà Synodum, quamvis, ſi agatur de præjudicio Cleri, requiratur illius conſenſus, ſicut requiritur & Cleri & Populi, ad inſtituenda nova Feſta, niſi conſuetudo aliud introduxerit.

Sed quid de Capitulo Cathedrali Sede vacante? concedunt ei aliqui eamdem poteſtatem ac Epiſcopis & ideò volunt, & poſſe leges Epiſcoporum defunctorum abrogare & novas inſtituere, quia ſuccedit in juriſdictionem Epiſcopi: Alii tamen id ipſi negant; quia jus Canonicum inhibuit *ne Sede vacante aliquid innovetur*. Res videtur incerta: & ideo forte non ſolent capitula Cathedralia illa poteſtate uti.

Prob. De Abbatibus exemptis, & aliis juriſdictione quaſi Epiſcopali gaudentibus; quia id poſſunt circa ſuos quoad regimen, quod poſſunt locorum Ordinarii circa Diœceſanos.

Prob. De Conciliis Provincialibus (idem eſt de Nationalibus) ex praxi univerſalis Eccleſiæ, quam jura plurima approbant.

Prob. De capitulis generalibus & Provincialibus Regularium, ex uſu recepto, & ab Eccleſia approbato. Sed quid de Generali aut Provinciali extra capitulum? In certis Religionibus id poteſt Generalis ſine capitulo, quod poteſt cum illo Sed quidquid ſit de aliis, certum eſt in Ordine Seraphico & Generalibus & Provincialibus ademptam eſſe poteſtatem legiſlativam.

Quæri poſſet hic, an Declarationes, ſeu interpretationes Congreg. Cardinalium vim legis obtineant?

Reſp. Ex Decreto Urbani VIII. Die 11. Auguſt. 1632. nullius eſſe vigoris, niſi ſint authenticæ, & niſi Cardinalis Prefes, ac ejuſdem Congregationis Secretarius pro tempore exiſtentes ſubſcribant, & ſigillum ſolitum apponant. Imò; ut vim Legum obtineant, debet adeſſe mandatum Papale, & promulgatio ſufficiens.

ARTICULUS II.

An ſit in politia Civili poteſtas legiſlativa, & quibus competat.

Hanc poteſtatem conceſſit Wicleſus Principibus bonis, ſed negavit malis, ut patet ex ejus art. 15. in Conc. Conſtantienſi ſeſſ. 8. proſcripto, Sed, vel poſt peccatum remanent ſupremi, vel non: ſi non, cur totus Iſrael, imò tota terra Dauidem, Salomonem, alioſque plures pro Regibus habuerunt poſt patrata peccata? Cur Daniel dixit Nabuchodonoſori peccatori, *Tu es Rex*, c. 2. v. 29. ſi ſic, cur privarentur poteſtate regię dignitati annexa, & neceſſaria, & quaſi intrinſeca? *cum hæc non* fundetur in bonis moribus, vita chriſtiana &c. ſed in eo quòd ſint aliorum caput morale.

CONCLUSIO I.

Datur poteſtas legiſlativa in politia civili; ſive interim *ejus* Princeps ſit bonus, ſive malus; ſive Catholicus, ſive *hæreticus*; ſive fidelis, ſive Ethnicus.

Prob. 1. Ex Scrip. ad Tit. v. 1. *Admone illos Principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe*. Ad Rom. 13. v. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*. Et 1. Pet. 2. v. 13. *Subjecti igitur eſtote.... ſivè Regi quaſi præcellenti, ſivè Ducibus tanquàm à Deo miſſis*: cùm Scriptura non diſtinguat inter Principes bonos aut malos, nec nos diſtinguere debemus. Imo expreſsè inſinuatur 1. Pet. 2. etiam malis obediendum: *Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis*, v. 8.

Prob. 2. Chriſti exemplo, qui poteſtatem illam in Principibus agnovit, dum illis tributum ſolvit, & alios ſolvere juſſit.

Prob. 3. Ratione: quia experientia quotidiana convincimur quędam in communitatibus evenire, quę pro conſervanda communi tranquillitate, expedit regulares, ut quod non omnes deferant arma: quòd certæ conditionis perſonæ excludantur à Magiſtratu, &c. & ideò poteſtatem legiſlativam tanquàm neceſſariam in ſeipſis agnoſcunt Nationes omnes, agnoſcunt & ipſimet Hæretici, cùm nonnunquàm Leges ferant ſeveriores, quàm Principes Catholici, ſeveriùſque puniant delinquentes.

CONCLUSIO II.

Poteſtas ferēdi leges civiles competit communitati, aut illius curam gerenti, ita tamen, ut communitati immediatè & jure naturæ, illius autem curam gerenti; mediatè; & jure humano.

Prob. 1. Pars 1. Illius eſt Leges condere, cujus eſt primariò bonum Communitatis procurare, promovere & conſervare, ſed hoc eſt Communitatis, aut illius curam gerentis; ergo. Maior clara eſt. Prob. Min. quia ſicut quilibet particularis debet ſibi particulati proſpicere; ita Communitas, aut illius curam gerens proſpicere Communitati.

Prob. 2. Non eſt ratio, cur poteſtas legiſlativa potius competat uni particulari, quàm alteri; ergo, cùm alicui competat, ut concl. præced. oſtendimus debet competere Communitati, vel certè illi, in quem jus ſuum tranſtulit Communitas.

Prob. 2. Pars, nempe poteſtatem illam immediatè Communitati, & mediatè competere Principi, quia ideo Princeps pote-

Le-

Digitized by Google

Leges condere, qaia eſt caput morale Communitatis: ſed quòd talis ſit, hoc non habet à ſe, ſed à communitate, quæ ipſum elegit, vel immediatè, ut dum Rex eſt electivus; vel mediatè, ut dum eſt hæreditarius, ſeu quando Communitas unum aſſumpſit pro ſe, & ſuis hæredibus: ergo.

Dices 1. Omnis poteſtas à Deo eſt: ergo Deus, & non communitas, illam confert Principi.

Reſp. Diſt Ant. Omnis poteſtas à Deo eſt mediatè vel immediatè: C. Semper immediatè: nego. Poteſt quidem Deus immediatè conſerre alicui poteſtatem ferendi Leges Civiles, ſicut dedit immediate ſummo Pontifici ferendi Leges Eccleſiaſticas, ut patet ex Jo. 21. ubi Chriſtus, dixit immediatè Petro, & ejus ſucceſſoribus: *Paſce oves meas*. Et ex cap. Novit. *de Judiciis*, Ubi ſic loquitur Pontifex: *Poteſtas noſtra, non ex homine; ſed ex Deo eſt*, ordinariè tamen id non facit.

Dices 2. Poteſtas legislativa competit Superiori, ſed Communitas non eſt ſibi ipſi ſuperior: ergo immediatè competit Regi, & non Communitati.

Reſp. Diſt. Min. Non eſt &c. omnimodè: C aliquo ſenſu: N. Communitas ſiquidem quatenus conſideratur per modum corporis unius moralis, eſt ſuperior ſibi conſideratæ in ſingulis membris. Ex dictis

Reſol. 1. Imperatorem poſſe ferre Leges pro Regnis & Provinciis ſibi ſubditis, non tamen pro toto orbe, ut videtur aſſerere Bartolus, dicens, Imperatorem eſſe Dominum totius orbis; quia tantùm poteſt ligare ſibi ſubditos, quales non ſunt Galli v. g. Perſæ, Japonienſes &c. unde cap. *Super ſpecula* de Privilegiis dicitur: *in Francia, & nonnullis Provinciis, laici Romanorum Imperatorum Legibus non utuntur*; quamvis poſſint uti Legibus Cæſareis ubi deficiunt Propriæ.

Reſol. 2. Idem poſſe Reginas ac Reges in ferendis Legibus ubi jure hæreditario, vel alio titulo competit ipſis Regni Dominium; quia poteſtas legislativa ſequitur jus, & Dominium Regni: unde Maritus Reginæ, qui dicitur Rex, non de jure, ſed titulariter, non poteſt Legem ferre, niſi ipſa conſentiat, quia etſi maritus ſit caput uxoris, quantùm ad œconomicam familiæ adminiſtrationem, poteſt tamen uxor eſſe caput viri, ſicut & totius Regni, quantùm ad politicam adminiſtrationem.

QUÆSTIO III.

Quæ ſit materia per Legem humanam præceptibilis?

SUppono 1. Legem humanam ſolos actus humanos præcipere, cùm illorum, & non aliorum, ſit regula.

Suppono 2. Non poſſe præcipere actus malos, ſive externi ſint, ſive interni, quidquid dicant impiis Machiavelliſtæ, volentes licitum eſſe pro conſervando Regni ſtatu, mala præcipere. Ratio eſt; quia nullus poteſt obligari ad peccandum: obligaretur autem, ſi teneremur præcepta mala adimplere.

Suppono 3. Præcipere poſſe, aut prohibere actus externos indifferentes, v. g. geſtationem armorum de nocte, & ſimilia, cùm poſſint interdum bono communi expedire, interdum adverſari: de hoc non eſt difficultas, ſed an poſſit etiam præcipere actus merè internos, bonos aut indifferentes; diſputatur. Ante reſolutionem

Adverte 1. Per actus internos hic tantum intelligi illos, qui procedunt à potentiis internis, ut intellectio, volitio: qui dicuntur actus occulti per ſe, ad diſtinctionem occultorum per accidens, qui ſunt actus externi, nemine præſente patrati, quos Legibus humanis poſſe præcipi, aut prohiberi, non dubitamus; cùm ſint ex natura ſua cognoſcibiles; unde quando cap. *tua nos* de Simonia, dicitur Eccleſia non judicare de occultis, agitur de occultis per ſe, eò quòd non ſint cognoſcibiles ratione ſui, cùm nullo modo ſubjaceant ſenſibus, & ideo ſi quis habuiſſet voluntatem non communicandi in Paſchate, non poſſet ab Eccleſia puniri, licèt id noſſet ex confeſſione delinquentis, modò tamen, mutata voluntate, verè communicaſſet. E contra, ſi occultè non communicaſſet, & ex loquacitate id exterius aperuiſſet, poſſet puniri.

Adverte 2. Actum internum tripliciter ſpectari poſſe, 1. ut nullatenus connectitur cum actu externo, v. g. mera voluntas jejunandi; 2. ut connectitur per accidens, v. g. voluntas jejunandi ad obtinendam pluviam. 3. ut connectitur per ſe, quod fieri poteſt tribus modis, 1. Quatenùs requiritur ut actus externus ſit moralis 2. Non tantùm ut ſit moralis, ſed etiam talis ſpeciei. 3. Ut ſit moralis, talis ſpeciei, & debitè fiat. Hoc totum declaratur in exemplo: Eccleſia præcipiendo recitationem Horarum, non tantùm vult, ut quis ſcienter & liberè legat, quod eſt actus moralis, qui poteſt fieri ex curioſitate, vel ſtudii cauſa; ſed etiam ut ea fiat intentione orandi, ut actus ille ponatur in ſpecie orationis, & inſuper, ut fiat cum devotione, ſcilicèt interna, ut non ſit orationis larva, ſed vera oratio. His notatis

CONCLUSIO I.

POteſt Lex humana tum Civilis, tum Eccleſiaſtica præcipere aut prohibere actus internos per ſe externis connexos, ſive illos, ſine quibus non poteſt eſſe actus externus debitè poſitus. Eſt communior & probabilior.

Prob. 1. Qui poteſt unum præcipere; poteſt & aliud, ſine quo illud non poteſt eſſe: ſed poteſtas Civilis, & Eccleſiaſtica poteſt præcipere in certis occaſionibus verum contractum, verum juramentum: ergo & actus internos, id eſt, voluntatem contrahendi, jurandi, ſine qua contractus & juramentum non poſſunt ſubſiſtere. Minorem authorizat praxis; Majorem verò qui negaret, ſtatim affirmaret poteſtatem illam præcipiendi eſſe chimericam; cùm poſſe præcipere finem, & non media, ſine quibus non poteſt haberi finis, idem ſit ac non poſſe præcipere.

Prob. 2. De Lege Eccleſiaſtica: Eccleſia præcipiens Officium Divinum, præcipit orationem, ut concedunt omnes Adverſarii: ſed niſi quis legendo Horas intendat orare, & interius attentè oret, non ponit orationem: ergo. Prob. 1. Pars Min. quia cum lectio Pſalmorum ſit indifferens ad ſtudium, curioſitatem, aut orationem, debet ad hanc determinari per intentionem orandi. Prob. 2. Pars; quia voluntarius defectus attentionis internæ tollit intentionem orandi; cùm volens habere mentem depreſſam ad creaturas, non velit ipſam habere elevatam in Deum, in quo conſiſtit oratio. Plura vide in Tract. noſtro ſuper Decalogum, ubi de Horis Canonicis.

Prob. 3. Hanc propoſitionem condemnavit Alex. VII. *Qui facit Confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.* Et hanc Innoc. XI. *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem*; ergo ſupponunt Eccleſiam poſſe præcipere confeſſionem validam, & Communionem ſanctam, quæ non poſſunt eſſe ſine actibus internis.

Obj. 1. Finis proprius Poteſtatis Civilis, eſt pax & conſervatio Communitatis; ſed ille obtineri poteſt per ſolos actus externos: ergo.

Reſp diſt. Min. Obtineri poteſt aliquando, ut dum exigitur ſolutio tributorum; reparatio viarum: C. quia etiamſi ſolvens, aut reparans dicat millies, nolo ſolvere, nolo reparare, ſi tamen exterius ſolvat aut reparet, ſatisfacit Legi. Poteſt obtineri ſemper: N. contrarium paret, ubi exigitur juramentum, quod non ſtat ſine intentione jurandi.

Obj. 2. Modus rei præceptæ non cadit ſub præceptum: ergo non poteſt præcipere Eccleſia orationem cum devotione interna, Communionem in gratia &c.

Reſp. diſt. Ant. Modus rei præceptæ extrinſecus: tranſeat: ſic non præcipit Eccleſia, ut quis jejunet ſine vana gloria. Modus intrinſecus, & à re præcepta inſeparabilis: N. Jam autem, non ſubſiſtit oratio ſine devotione ſeu attentione interna, ut probatione 2. oſtendimus, nec vera Communio, quæ eſt ſpiritualis animæ refectio, niſi quis ſit in gratia.

Inſt. Poteſt quis ſatisfacere præcepto ſuſcipiendi baptiſmum per ſuſceptionem indignam; ergo & præcepto Communionis.

Reſp. Diſparitatem eſſe, quòd cùm Baptiſmus ſit initerabilis, neceſſariò debeat ſatisfieri per primam ſuſceptionem, ſive ſit digna, ſive indigna: non eſt idem de ſuſceptione Euchariſtiæ aut Pœnitentiæ, cùm ſit iterabilis. Prætérea, ubi quis debitè pœnituerit, effectum ſuum ſortietur Baptiſmus indignè ſuſceptus, non ſic Euchariſtia, aut Pœnitentia, quæ nunquam reviviſcunt.

CONCLUSIO II.

QUamquam poteſtas Civilis non poſſit præcipere aut prohibere actus merè internos, aut ſaltem per accidens externis annexos; probabilius eſt tamen id poſſe Eccleſiam quoad vim directivam. Ita Adrianus, Medina, Albertus Pighius, Summa Roſela; Steyart & plurimi alii tum recentiores, tum antiquiores, quibus non contradicit S Thomas.

Prob. 1. Pars; Quia poteſtas civilis propriè & proximè ordinantur ad Communitatis tranquillitatem, quæ cum obtineri poſſit ſine actibus merè internis, aut tantùm per accidens exterioribus annexis, ad illos non ſe extendit. Accedit, quòd Legiſlator civilis poteſtatem ſuam ſortiatur immediatè à Communitate, quæ, cùm poteſtatem non habeat in actus merè internos, nec poteſt illam alteri conferre.

Prob. 2. Pars primò Potuit Chriſtus Eccleſiæ ſuæ præfatam poteſtatem concedere: ergo de facto conceſſit. Prob. Ant. quia poteſt Chriſtus mediante altero præcipere, quod poteſt per ſe ipſum immediatè, cùm idipſum faciant Reges: ſed præcipit Chriſtus actus merè internos, nempe Fidei, Spei, & Charitatis, ſicut & peccatorum internorum Confeſſionem: ergo poteſtatem illam poteſt Eccleſiæ conferre, reſervando ſibi de illis actibus judicare, ac pœnam infligere. Prob. Conſ. Quia Chriſtus dedit Eccleſiæ ſuæ poteſtatem Legiſlativam in ordine ad ani-

marum ſalutem promovendam: ſed nihil magis ad eam conducit, aut ab ea retrahit, quàm poſitio, aut non poſitio actus interni: ergo.

Prob 2. Quia poteſtatem illam in ſeipſa agnovit Eccleſia in variis Conciliis, ut in Toletano I. ubi in aſſertione fidei dicitur: *Si quis dixerit, vel crediderit alterum Deum eſſe priſcæ Legis & Euangeliorum, Anathema ſit*, ubi anathematizantur aliter credentes. In Tridentino Seſſ. 6. in cujus proœmio legitur: *Diſtrictius inhibendo, ne deinceps audeat quiſquam aliter credere, prædicare, aut docere*, ubi tanquam diſtincta prohibet *aliter credere*, quod ſolum eſt animi, & *aliter docere & prædicare*, quod eſt operis externi. In Concilio Conſtantienſi, ubi Martinus V præcipit Fidei Inquiſitoribus, ut de Hæreſi ſuſpectos interrogent, an pro Sanctis habuerint Wiclefum, Joannem Hus, & Hieronymum de Praga? An pro ipſis oraverint? An credant legitimè ab Eccleſia condemnatos &c. ut, ſi Rei fuerint, puniantur. Ubi vides Hæreſim internam non tantùm prohiberi, ſed & puniri ab Eccleſia.

Dices Tridentinum quantum ad *credere*, illud inhibere, non legislatoriè, ſed monitoriè, & declarando aliter credentes eſſe Hæreticos, ſicut facit Toletanum dicendo eſſe anathema. Sed

Contra eſt, quòd Trident. eodem modo prohibeat *aliter credere*, ac *aliter prædicare*, aut *docere*, cùm eodem verbo utatur: ſed hæc prohibet legislatoriè, ut fatentur Adverſarii: ergo & illud. Ad Toletanum dico, non eſſe ibi declarationem hæreticitatis, ſed lationem excommunicationis, cùm utatur verbo imperativo, *ſit*.

Prob. 3. Ex Bulla Clementis XI. Papæ moderni data in Auguſto 1708. ubi declarat, Obedientiæ, quæ debetur Innocentii X. & Alexandri VII. Conſtitutionibus circa factum Janſenii, minimè latisfieri obſequioſo ſilentio, ſed damnatum in quinque propoſitionibus Janſeniani libri ſenſum, non ore ſolùm, ſed & *corde* rejiciendo & damnando: nec alia mente, animo, aut credulitare formulæ ſubſcribi licitè poſſe; additque quoad hæc omnia aliter *ſentientes* omnibus pœnis & cenſuris dictarum Conſtitutionum ſubjacere. Quid clarius pro nobis?

Prob 4. Ex variis Religionum Regulis & Statutis, ac præſertim noſtris Barchinonenſibus ab Urbano VIII. authoritate Apoſtolica approbatis & confirmatis, quibus oratio mentalis, ſeu meditatio, quæ in actibus internis conſiſtit, præcipitur certis diei temporibus.

Nec dicas ſtatuta illa non obligare in conſcientia, quia equidem obligant Superiores, ut delinquentibus pœnam infligant; quod ſufficit, ut ſint veræ leges, ut dicemus poſteà.

Nec replices hoc poſſe præcipere Superiores, non vi poteſtatis legislativæ, ſed vi voti Obedientiæ; quia undecunque proveniat illa poteſtas, ſemper humanum eſt eorum præceptum, & conſequenter ſemper verum eſt poſſe actus merè internos Legibus humanis præcipi.

Obji. 1. D. Thomam 12. q. 91. art. 4. *De his*, inquit, *poteſt homo Legem ferre, de quibus poteſt judicare: judicium autem hominis, non poteſt eſſe de interioribus motibus qui latent, ſed ſolùm de exterioribus actibus qui apparent: & ideo Lex humana non potuit cohibere & ordinare ſufficienter interiores actus.*

Reſp. D. Thomam non loqui de Lege ſecundùm vim directivam, ſeu quatenùs præcisè poteſt actus noſtros dirigere, & regulare; cùm adhoc non requiratur, ut poſſit legislator de illis judicare, ſeu ſententiam ferre; ſed de Lege ſecundùm vim coactivam, ſeu quatenùs debet legislator delinquentes corrigere, & ad Legis executionem urgere: ad quod requiritur ut poſſit de actibus ſubditorum judicare; ſaltem ut ferat pœnam in particulares; quia ſi velit pœnam generalem omnibus prævaricatoribus imponere, nequidem tale Judicium requiritur; & ideò poteſt Legem de actibus internis ſtatuendo, pœnam excommunicationis omnibus tranſgreſſoribus infligere.

Inſt. 1. Poſſe cognoſcere & judicare, eſt proprietas poteſtatis legislativæ, ex Philoſopho.

Reſp. Ariſtotelem, ex quo fundamentum ſuum deſumpſit D. Thomas, non loqui de Lege ſibi incognita, qualis eſt Eccleſiaſtica, ſed de cogita, ſeu Civili, quæ cùm certò reſpiciat ſolos actus externos, adeoque ſenſibiles, ſemper obligat ſecundùm vim directivam & coactivam ſimul; & ſic non eſt mirum, quòd poſſe cognoſcere, quod eſt requiſitum ad vim coactivam, dicatur proprietas poteſtatis legislativæ: unde aliter fuiſſet locutus Philoſophus, ſi de Lege ordinata ad animarum ſalutem, quæ præſertim actibus internis obtinetur, fuiſſet locutus.

Inſt. 2. Lex, quæ non poteſt cogere ad actum, quem præcipit, eſt inutilis: ergo vel obligat Lex Eccleſiaſtica ſecundùm vim coactivam, vel non eſt Lex.

Reſp. Diſt Ant. Quæ non poteſt cogere per ſententiam generalem aut particularem: tranſeat. Quæ non poteſt per particularem, ſed poteſt per generalem, v. g. prævaricatores omnes cenſura afficiendo: N.

Inſt. 3. Eccleſia nequidem poteſt per ſententiam generalem cogere ad actus internos: ergo. Prob. Ant. quia nulla fertur ſententia niſi præceſſerit cognitio.

Reſp. Ant. Ad prob. diſt. nulla fertur ſententia in particularem, & poſt crimen, niſi præceſſerit cognitio: C. in omnes tranſgreſſores, & ante crimen, ſi illud patraverint: N.

Inſt. 4. *Cogitationis pœnam nemo patitur*, Can. *Cogitationis* de Pœnit. diſt. 1. & ideò Can. 202. q. 5. legitur: *Incognita illi ſunt relinquenda, qui ſolus novit corda filiorum hominum*. ergo nequidem in omnes prævaricatores ante crimen poteſt fieri ſententia.

Reſp. Diſt. Ant. Cogitationis pœnam nemo patitur in foro externo & contentioſo: C. in foro interno & conſcientiæ: N. Nec aliud volunt Textus allegati, cùm primus ſit deſumptus ex jure Civili, & ſecundus paulò ante requirat ad punitionem, vel Rei confeſſionem, vel teſtium probationem.

Obji. 2. Ideò dicitur poſſe ab Eccleſia præcipi actus internos, quia poteſtas ejus legislativa ordinatur ad animarum ſalutem: ſed animarum ſalus tantùm eſt finis mediatus & remotus illius poteſtatis, cùm proximus & immediatus ſit bonum ſenſibile pertinens ad Hierarchiam ſenſibilem: ergo

Reſp. Sive ſalus animarum ſit finis mediatus, ſive immediatus, ſufficit; quòd ſit per ſe intentus, imò & principaliter intentus: ad quid enim præceptum de jejunando, de ſumenda ſingulis annis Euchariſtia, de confitendis peccatis, de audienda Miſſa certis diebus, de recitandis etiam privatim Horis Canonicis, niſi ut fideles, illis mediantibus, ad finem, ad quem creati ſunt, perducantur? Cùm ergo poteſtas ad finem includat poteſtatem ad media, & maximè actibus internis poſſit finis obtineri, ſequitur actus internos poſſe ab Eccleſia præcipi.

Obji 3. Eccleſia non cognoſcit in ſe poteſtatem illam, cùm nulli actus interni ſint ab ea præcepti, aut prohibiti.

Reſp. N. Aſſumpt. quia ultra Hæreſim internam, de qua in probationibus, prohibet etiam voluntatem merè internam non jejunandi, non audiendi Miſſam, non communicandi &c tempore ordinato; quia præcipiens jejunium, Miſſam, Communionem &c. eo ipſo prohibet voluntatem contrariam.

Nec dicas prohibitionem illam oriri ex Lege naturæ, ſtatuente, ut obediamus juſtis Superiorum mandatis; quia ſicut, non obſtante illo ſtatuto, non dicitur Lex naturæ præcipere jejunium, ſaltem immediatè, ità nec dici debet prohibere immediatè voluntatem oppoſitam, & inde eruitur egregia Concluſionis noſtræ confirmatio.

Obji. 4. Homo non ſubditur homini ſecundùm animam, *ſed* ſecundùm corpus, ut egregiè notavit Seneca 3. de Beneficiis, ubi ait: *Corpora obnoxia ſunt, & adſcripta Dominis, mens ſui juris eſt:* ergo &c.

Reſp. Diſt. Ant. Homo non ſubditur homini in his quæ pertinent ad ſalutem: N. in aliis: C. & de illis loquitur Seneca.

Obji. 5. Jejunans ut parcat ſumptibus, ſatisfacit præcepto jejunii impoſito ad obtinendam pluviam: ergo non præcipit Eccleſia actus internos.

Reſp. Diſt. Conſeq. Non præcipit omnes: Conc. aliquos; quod ſufficit ad veritatem noſtræ concluſionis: N. De hoc fuſiùs quæſtione ſequenti.

Obji. 6. Juriſdictio Eccleſiaſtica fundatur in ſocietate fidelium ſenſibili & viſibili: ergo tantùm ſe extendit ad actus ſenſibiles ſeu externos.

Reſp. Diſt. Ant. Fundatur in ſocietate fidelium viſibili, ibi ſiſtendo: N. In ſocietate viſibili perducenda ad finem inviſibilem, quod præſertim fit actibus internis: C. Unde ſocietas fidelium prout inter ſe communicantium regitur actibus externis, cùm nonniſi actibus illis poſſint inter ſe communicare, prout autem ſocietas illa ad Beatitudinem ordinata eſt, etiam actibus internis regulatur.

QUÆSTIO IV.

Qualiter ſit ponenda materia præcepta?

ADverte Legem aliam eſſe affirmativam, qua præcipitur aliquid fieri, v. g. Confeſſionem annuam: aliam negativam, qua prohibetur aliquid fieri; ut comeſtionem carnium in die Veneris.

CONCLUSIO I.

NOn requiritur, ut id, quod Lex negativa prohibet, omittatur ſcienter aut liberè.

Ratio eſt; quia per hoc præcisè impletur Lex negativa, quòd

non

non ponatur actus prohibitus; & ideò ſatisfacit Legi prohibenti carnes die Veneris, qui dormit toto die. Deinceps de ſola Lege affirmativa

CONCLUSIO II.

Materia præcepta debet poni ſcienter & liberè.

Ratio eſt; quia poſitio materiæ præceptæ debet eſſe actus humanus, cùm ille ſolus à Lege reguletur; & ideò recitans Horas in ſomno aut ebrietate, non ſatisfacit, ſicut nec audiens Sacrum per vim coactus. Aliud eſſet, ſi tantùm metu pœnæ compelleretur, ut quotidie cum pueris agitur; quia quæ fiunt ex metu, ſunt ſimpliciter voluntaria in ratione liberi, licèt ſint involuntaria ſecundùm quid.

CONCLUSIO III.

Ut ſatisfiat Legi humanæ, requiritur & ſufficit, ordinariè loquendo, ut poſitio materiæ præceptæ ſit actus ex ſua ſpecie honeſtus.

Prob. 1. Pars; Quia licèt poſſit Lex præcipere rem de ſe indifferentem, eo ipſo tamen quo præcipitur, ſtatuitur materia virtutis, v.g. abſtinentia à carnibus, materia Temperantiæ; & conſequenter ejus poſitio debet eſſe actus honeſtus ex ſua ſpecie, ſeu ex objecto, quod anteà indifferens ad honeſtatem & turpitudinem, conſtituitur honeſtum per Legem.

Prob. 2. Pars; quia eo ipſo, quo ponitur actus ex ſua ſpecie honeſtus, ponitur totum quod Lex præcipit, cùm non præcipiat actum omnibus circumſtantiis ad bonitatem moralem requiſitis circumſtantionatum; aliàs audiens Sacrum, aut communicans ex vana gloriola, non ſatisfaceret præcepto: quod nemo dixerit: unde præcipit quidem actum directivum ad ſalutem, non tamen actualiter dirigentem, niſi id exprimat, declarando ſe non tantùm ſubſtantiam actus, ſed etiam modum, quo fiat ſine peccato, præcipere.

Dixi: *Ut ſatisfiat Legi humanæ*; quia cùm Lex naturæ dictet honeſtum honeſtè eſſe faciendum, in hanc legem impingit, qui actum ex ſpecie ſua honeſtum vitiat mala circumſtantia. Ex dictis

Reſol. 1. Non requiri, ut actus præceptus ponatur ex intentione obtinendi habitum virtutis; quia licèt præceptum eò tendat, ut homines virtuoſos efficiat, finis tamen ille non eſt de eſſentia actus ſpecificè conſiderati; & conſequenter non cadit ſub præceptum, ſicut non cadit ſub præceptum pugnandi victoria, licèt ſit finis pugnæ.

Reſol. 2. Nec debere poni ex motivo Charitatis; quia ſine relatione actionis in Deum poteſt poni totum quod præcipit Lex.

Reſol. 3. Nec opus eſſe, ut fiat ex intentione Legislatoris, ſeu ex fine Legis extrinſeco, niſi id expreſsè mandet Legislator.

Ratio eſt; quia non cenſetur legislator ad finem illum extrinſecum obligare; quandoquidem praxis communis fidelium, etiam timoratorum, quæ eſt optima Legum interpres, ſit talis, ut exiſtiment ſe præcepto ſatisfacere, jejunando v. g. licèt non intendant per hoc pacem, aut aliud, quod eſt finis Legislatoris.

Dixi tamen: *Niſi id expreſsè mandet*; quia cùm poſſit Legislator Eccleſiaſticus præcipere actus internos, ut diximus, ſi id præciperet, obediendum eſſet: & ideò non plenè ſatisfaceret, qui jejunaret ex alio motivo, etiam honeſto.

Reſol. 4. Non eſſe etiam ponendum actum præceptum, ex notitia Legis; quia ignorans Legem poteſt ponere moraliter actum in ſpecie præcepta, ſi illum ponat liberè & ex cognitione operis; & ideò qui ignorans eſſe Feſtum, audivit Miſſam, ſatisfecit ſuæ obligationi.

Reſol. 5. Nec requiri ut ponens materiam præceptam, intendat per hanc poſitionem ſatisfacere præcepto; quia Lex nihil aliud præcipit, quàm quòd materia præcepta ponatur humano modo: quod fieri poteſt, ſive illam ponens intendat ſatisfacere præcepto, ſive non; modò tamen habeat intentionem neceſſariam, ut ponatur actus in ſpecie morali præcepta, nec velit ulteriùs obligationem ſuam transferre. Cujus ratio ulterior eſt, quòd, ut quis obediat Legi, non requiratur ut dicat: volo obedire, ſed ſufficiat quòd reipſa obediat, ponendo id quod Lex præcipit: unde quando dicitur: nemo implet Legem, niſi velit, debet intelligi, niſi velit ponere opus præceptum; non autem, niſi velit per illud ſatisfacere.

Reſol. 6. Non tamen ſatisfacere ſuæ obligationi eum, qui poſitivè intendit non ſatisfacere præcepto, v.g. qui communicans die Jovis ſancto, dicit: *Nolo per hanc Communionem ſatisfacere præcepto Paſchali, ſatisfaciam die Dominico*. Ratio eſt, quia homo non minùs eſt Dominus ſuarum actionum liberarum, quam ſuorum bonorum: ſed ſi daret gratis mille aureos ei, cui totidem debet ex juſtitia; non ſatisfacere debito: ergo nec ſatisfacit præcepto, ubi Communionem merè liberaliter offert Deo.

Dices diſparitatem eſſe, quòd ſicut obligatio juſtitiæ vim habet ex hominis voluntate, ita poteſt ex eadem continuari; non ſic obligatio Legis, quæ quia non à ſubdito, ſed à Superiore vim habet, & initium, non poteſt facere ſubditus, ut, poſito opere præcepto, adhuc obliget Lex: & ſic ubi duas Miſſas audit die Dominica, velit nolit, ſatisfacit per primam nec poteſt obligationem transferre uſque ad ſecundam. Sed

Contrà eſt 1. Quòd obligatio mille aureorum in primo caſu, non ideò perſeveret, quia homo vult ut perſeveret, cùm poſſit non reflectere ad debitum, ſed quia mille aurei, dati ſunt gratis, ſeu quia fuerunt materia donationis, & non ſolutionis; ſed etiam in noſtro caſu Primam Communionem aut primam Miſſam offert gratis: ergo.

Contrà eſt 2. Quòd materia præcepta non ſit auditio Miſſæ, aut Communio gratis oblata, ſed auditio Miſſæ, aut Communio debita, & ſic audiens primam, nolendo per hanc ſatisfacere, ſed B. Virginem v.g honorare, non ponit materiam præceptam.

Dices, auditionem Miſſæ eſſe debitam materialiter, non formaliter, ſeu non debere poni ut debitā, ſed ſatis eſſe ſi ponatur.

Reſp. Ubi gratis datur, nequidem poni debitam materialiter: & certè ſi dans gratis 100. libras non ſatisfaciat debito juſtitiæ materialiter; cur dans gratis Miſſam, ſatisfacere debito præcepti materialiter? Si dicas Eccleſiam tantùm præcipere auditionem Miſſæ ſive gratis detur, ſive non: dicam ego tantùm præcipere auditionem Miſſæ ſive debeatur ex voto, ſive non: ſecundum falſum eſt: ergo & primum.

Contra eſt 3. quòd homo non poſſet quidquam dare gratis Deo, ubi adeſſet præceptum; quia vellet, nollet, ſolveret debitum ex præcepto, & nihil indebitum Deo concederet.

Contra eſt 4. Quòd vovens die Dominico primam Miſſam, v.g. in honorem B. V. non ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ per illam: ergo nec illi ſatisfacit per primam, ſi illam gratis offerat in honorem Virginis, aut alterius ſancti; cum ſit æquè liber ad gratis dandum; ac ad promittendum & aliundè non obligaverit ipſum Eccleſia, ut potius ſatisfaciat præcepto per primam, quàm per ſecundam, aliàs etiam audiendo Miſſam ex voto debitam, ſatisfaceret præcepto: quod nemo dixerit.

Si dicas, voluiſſe Eccleſiam, ut ſatisfaceremus præcepto per primam, ubi non eſſet aliundè debita, dicam, ego voluiſſe ut ſatisfaceremus per primam quando non eſſet aliundè gratis oblata; ſi replices, tantum præcipere actum virtutis, quem ponit etiam liberaliter donans: Reſpondebo audientem Miſſam ex voto debitam, etiam ponere actum virtutis, & conſequenter, ſi hoc ſtet, ſatisfacere per illam præcepto Eccleſiæ: unde concludendum eſt, vel audientem Miſſam ex voto debitam etiam ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, vel audientem gratuitò, non ſatisfacere.

Dices, inde ſequi audientem Miſſam in die Feſto, quod ignorat, non ſatisfacere, præcepto Eccleſiæ, cùm intendat illam dare gratis: hoc autem adverſatur reſolutioni priori.

Reſp. Neg. Sequelam; quia cenſetur quilibet ita diſpoſitus habitualiter, ut velit, operando, obligationi ſuæ ſatisfacere, ſi quæ ſit, ſicque non cenſetur tunc vel gratis Miſſam offerre.

QUÆSTIO V.

An, qualiter, & ubi debeat promulgari Lex humana, & quando promulgata obliget?

CONCLUSIO V.

Lex humana debet promulgari, & quidem publicè & ſolemniter.

Prob. 1. Pars; Quia Lex eſt regula quædam obligans ſubditos ad ſui ſequelam; ſed non poſſunt ſubditi illam ſequi, niſi ipſis innoteſcat: ergo debet exterius manifeſtari ſeu promulgari.

Prob. 2. Pars; quia Lex non fertur pro uno aut altero, ſed pro Communitate: ergo debet, non privatim, ſed publicè & communiter promulgari. Perindè eſt autem quonam modo fiat illa promulgatio, ſive voce, ſive ſcripto; ſive aliter, modò juxtà Patriæ conſuetudinem reputetur ſolemnis. Ex dictis

Reſol. 1. A Lege neminem ligari, etſi omnia communitatis membra ſcirent legem eſſe conditam, imò ſcriptam, imò ſigillo publico munitam, ſi illud tantùm noverint via privata: adeòque antè promulgationem poſſunt eodem modo ſe gerere, ac ſi nulla lex foret condita; & ideò poſſet Mercator ex juſtitia merces ſuas, aut pecuniam juxtà pretium currens cuilibet diſtribuere, etſi ipſemet interfuiſſet & concurriſſet ad conſtituendam legem: quæ mercium aut pecuniæ valorem minueret, modò tamen in poſtulanda aut condenda tali Lege, nulla fraus aut dolus ex parte ipſius intervenerit.

Dixi: *Ex juſtitia*; quia videtur Charitas poſtulare, ut merces aut pecuniam non uni tantùm aut alteri dividat, ſed pluribus

bus

Digitized by Google

bùs proportionatè, imò ſibi retineat, ſi emptores, aut debitores ſint pauperes, ipſe valdè dives.

Reſolv. 2. Habilem ad quædam officia aut Beneficia, ad Sacramentorum adminiſtrationem, aut ſuſceptionem, poſſe licitè antè promulgationem ſolemnem legis ad prædicta inhabilitantis, illa officia aut Beneficia recipere, Sacramenta conferre aut ſuſcipere, licèt Lex condita, & promulganda ipſi innoteſcat. Similiter poteſt quis modo ſolito contrahere antè publicam irritationem contractum, ſicut & uti privilegiis, aut lucrari Indulgentias ante ſolemnem earum revocationem. Ita Azorius, Vaſquez, Lorca, Tannerus: Præpoſitus contrà Medinam & quoſdam alios, quorum ſententiam conſulimus in Sacramentorum adminiſtratione & ſuſceptione, imò illam ſequimini in praxi ubi agitur de valore Sacramentorum.

Reſol. 3. Non eſſe idem dicendum de lege revocatoria oneris: illa etenim eo ipſo, quo exteriùs declaratur, etiam uni perſonæ, abſolvit ſubditos id reſcientes ab illo onere; quia eo ipſo cenſetur Legislator non velle amplius ad illud obligare; niſi aliud exprimat. Non eſt tamen credibile à præfato onere abſolvi ſubditos, antequam potuerit revocationis notitia pervenire, quia revocans cenſetur humano modo velle agere.

CONCLUSIO II.

ATtento jure poſitivo, Lex Imperialis debet promulgari in ſingulis Provinciis; Regia independens, in Curia ipſius Regis.

Prob. 1. Pars ex Authent. *ut factæ novæ conſtitutiones*, quæ eſt 66. inter Novellas Juſtiniani, in qua ſtatuitur, ut novæ conſtitutiones non obligent, niſi promulgentur in ſingulis Imperii Provinciis, ſeu earum Metropoli: quod & ſervare debent Regna jure Cæſareo utentia. Licèt autem tantùm fiat ibi mentio de Legibus teſtamentorum, Gloſſa tamen id ad omnes Leges extendit: nec ſine ratione, cùm eadem ratio ubique militet? undè idipſum jam authorizavit praxis; & ideò Pius IV. in Bulla ſuper declaratione temporis obſervationis Concilii Trid. Authenticam illam, de qua facit mentionem, generaliter latam eſſe inſinuat: ut examinanti patebit.

Prob. 2. Pars; quia nec jus naturæ, nec jus poſitivum, nec conditio Legis plus exigit, quàm ut promulgetur in Curia Principis: cùm inde, propter frequentes ad Curiam acceſſus, & receſſus, facilè poſſit ad ſubditorum notitiam pervenire: & ideò etiam Lex Imperialis ſic promulgata obligaret, niſi promulgationem in ſingulis Provinciis poſtulaſſet.

Hoc tamen intelligendum eſt; ſecluſo privilegio & conſuetudine contraria, quæ jam variis in locis invaluit: undè non obligant Leges in Gallia, niſi à Parlamentis receptæ, in eiſdem promulgentur: in Hiſpania verò, Leges publicatæ Madriti, non habent vim in aliis Regnis Regi Hiſpaniarum ſubditis: niſi in ſingulorum Metropoli promulgentur, tum quia plura Regna, etſi eidem Regi ſubdita, non cenſentur in unum corpus coaleſcere, tum quia id introduxit conſuetudo, ratione cujus debent etiam in Belgio in omnium Provinciarum Metropolibus promulgari: & hinc oritur, quòd aliquando Lex obliget in una Provincia, & non in altera.

CONCLUSIO II.

PRobabilius eſt Leges Pontificias ſtatuentes jus novum debere in ſingulis Provinciis promulgari, ſaltem virtualiter, niſi aliud exprimat Pontifex, declarando v.g. quòd Romæ publicatæ, ubique obligent, ſine ulteriori promulgatione; ſuppoſita tamen ſufficienti promulgationis divulgatione. Ita expreſsè Scotus 4. diſt. 3. q. 4. cum pluribus aliis.

Prob. Concluſio 1. noluit Chriſtus, ut Lex nova obligaret omnes Nationes virtute promulgationis factæ Jeroſolymis in die Pentecoſtes, ſed voluit, ut ab Apoſtolis tanquam authenticis Dei præconibus, ubique terrarum promulgaretur, ut docet Scotus ſupra, & colligitur ex Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes ... ſervare omnia quæcumque mandavi vobis:* ſed non eſt credibile, quòd Chriſti Vicarius velit aliter ad Leges ſuas obligare, ubi contrarium non exprimit: ergo.

Prob. 2. Præſumere poſſumus modernos Pontifices Majorum ſuorum veſtigiis inhærere, niſi contradicant: ſed olim curabant Pontifices decreta ſua in ſingulis Provinciis promulgari: ergo. Prob. Min. quia Stephanus Papa, teſte Cypriano Epiſt. ad Pompejum, decretum ſuum de non rebaptizandis ab Hæretico baptizatis, ad omnes Orientis & Occidentis Provincias direxit. Zephyrinus, aut refert Tertull. lib. de pudicitia cap. 1. Conſtitutionem ſuam, qua Adulteros poſt pœnitentiam divinis Officiis adeſſe permittebat, in Provinciarum Eccleſiis affigi, & legi voluit. Leo Magnus Concilii Chalcedonenſis decreta ad omnes Epiſcopos tranſmiſit, ut teſtatur ipſemet Epiſt. 61. Innocentius III. cap. 22. Concil. Lateran. ſtatuit, ut decretum, quo tenentur Medici perículosè ægrotos monere, ut Confeſſionem Sacramentalem inſtituant, per locorum Ordinarios publicaretur. Item Canones Nicæni, ſicut & Sardicenſes, ſi Authoribus credimus, fuerunt in omnem terram Chriſtianam tranſmiſſi.

Prob. 3. Si ſufficiat ſola promulgatio Romana, cur plurimæ Pontificum conſtitutiones obligant in uno loco, non in alio? Cur Bulla Cœnæ obligat in Hiſpania, in Belgio &c. non in Gallia, non in Polonia? Cur Matrimonia clandeſtina ſunt adhuc in aliquibus locis valida? cur etiam nunc in Francia, in Germania ſuperiore, & alibi necdum viget Bulla Pii IV. *Sicut ad Sacrorum*, per quam declarat decreta Conc. Trid. Fidem, mores, & diſciplinæ reformationem concernentia, ubique obligare? ſi dicas, quia non fuerunt ibi recepta; equidem non evadis, cùm, ut dicemus poſtea, non requiratur, ut Lex obliget, acceptatio populi.

Prob. 4. Vel volunt Pontifices efficaciter obligare ſuos ſubditos, dum Leges ferunt, vel non: ſi non, ad quid illæ Leges? ſi ſic; cur non declarant omnes omninò ſuas Leges præteritas, præſentes, & futuras obligare, ubi tantùm Romæ ſunt promulgatæ? cùm, ſciant, aut ſcire debeant plurimas ex ſuis conſtitutionibus non obſervari in variis mundi partibus, hujus declarationis defectu.

Prob. 5. Ideò Leges Imperiales debent in ſingulis Provinciis promulgari, quia, propter vaſtam Imperii extenſionem, prudenter judicarunt Legislatores unicam promulgationem non ſufficere: ſed Imperium ſummi Pontificis, quoad juriſdictionem ſpiritualem, longè latius patet, cùm totum orbem Chriſtianum complectatur: ergo.

Dixi in Concluſione: *Niſi aliud exprimat Pontifex*, quia cùm ex natura rei ſufficiat unica promulgatio, modo ſufficienter divulgetur; poteſt Papa pro libitu unicam requirere, cui nullus hominum ideò contradicere poteſt, cùm ejus poteſtas ipſi à Chriſto immediatè conceſſa ſit ſupra omne jus & Civile & Eccleſiaſticum: unde Bulla Sixti V. anno 1588. contra malè promoventes & promotos ad Ordines: Clementis VIII. 1601. contra Miſſam celebrantes aut à peccatis abſolventes ſine Presbyteratus Ordine. Alexandri VII. 1666. 7. Maji, & Innocentii XI. 1680. ex ſpeciali præfatorum Pontificum ordinatione, ubique obligant poſt promulgationem Romanam.

Dixi etiam: *Statuentes jus novum*; quia ubi Pontifex tanquam caput & Doctor Eccleſiæ univerſalis explicat, aut condemnat praxim aliquam, librum, aut propoſitionem, quia continet errorem juri Divino aut naturali adverſantem, ſicut & dum Articulum aliquem definit eſſe fidei, non opus eſt promulgatione, modo conſtet ita eſſe ab Eccleſia declaratum: unde *im*meritò dicunt aliqui Bullam condemnantem certas propoſitiones, aut librum propter ſuos errores, non eſſe publicatam, aut receptam, cujus ratio eſt, quòd tunc nulla ſtatuatur Lex; ſed ille, ad quem pertinet, Legem naturalem aut Divinam jam ſatis promulgatam explicet, vel declaret. Quod benè notandum pro praxi.

Obji. 1. Contra concluſionem, Sextus Decretalium, Clementinæ, Extravagantes ubique obligant, & tamen nonniſi Romæ fuerunt publicatæ.

Reſp. Diſt. Aſſumpt. Nonniſi Romæ fuerunt publicatæ formaliter: tranſeat. Virtualiter: nego. Cùm enim ubique in Academiis legantur, explicentur, propugnentur, etiam ex authoritate Principum, cenſentur fuiſſe virtualiter, adeòque ſufficienter, promulgatæ; quandoquidem in concluſione virtualem promulgationem ſufficere diximus. unde quando aliqua Bulla aut Conſtitutione Apoſtolica communiter utuntur alicujus Provinciæ fideles, uſus ille tenet locum promulgationis, cùm praxis & uſus firmet legem: & hoc modo vim obligandi obtinuit Bulla Cœnæ in variis mundi partibus.

Obji. 2. Pius IV. Bulla ſua *Sicut ad Sacrorum* data 1564. ſtatuit, ut decreta Concilii Trid. Reformationem & jus poſitivum concernentia, obligare inciperent à prima Maii, licèt illa tantùm confirmaſſet ſub finem Januarii præcedentis; ſed non potuerunt trium menſium ſpatio ubique terrarum promulgari, v.g. in Indiis, in Japonia, in Regno Peruano &c. ergo ſignum eſt ſufficere promulgationem Romanam.

Reſp. Diſt. Ant. Statuit, ut tunc obligare inciperent, ubi formaliter, aut virtualiter promulgata forent: C. alibi: N. imò ſi argumentum aliquid probaret, probaret antea obligaſſe, quàm potuiſſet decretorum illorum notitia ad Singulas Provincias pervenire, ut per ſe patet, quod non eſt admittendum: unde ipſamet Bulla *Sicut Sacrorum*, nequidem nunc, defectu promulgationis, obligat in Gallia & alibi, ut ex Authoribus Gallis antea diximus.

Obji. 3. Nec jus naturale, nec Divinum, nec aliud poſitivum, aliam promulgationem requirit, quàm Romæ factam: ergo.

Prob.

Prob. Ant. non jus naturale, quia ex natura rei, ut dictum eſt, ſufficit promulgatio in Curia Principis: non Divinum, quia nullibi quidquam circa hoc ſtatuit: non etiam aliud poſitivum, quia etſi jus Civile aliquid ſtatuat, hoc tamen non reſpicit Leges Eccleſiaſticas, in quas nullam vim habet.

Reſp. Aliam requiſiſſe antiquos Pontifices, ut probavimus, & cùm jam non conſtet nobis de contraria Pontificum modernorum voluntate; imò ex eorum ſuper hac re ſilentio, & ex eo quòd quandoque ponant in ſuis Bullis, *ut publicatæ Romæ, cenſeantur alibi publicatæ*, aliquando non; fundatè præſumimus aliam requirere.

Obji. 4. Praxim & Stylum Curiæ Romanæ lites decidentis ſecundùm promulgationem Romanam, nec inquirentis, an ſint alibi publicatæ: ergò ſignum eſt non requiri aliam promulgationem, ut Leges alibi obligent.

Reſp Diſt. Conſeq. Ut Leges alibi obligent ſecundùm forum externum Romanum: tranſeat. Etſic ordinatum eſt ne Conſiliarii & Judices Romani tenerentur cum difficultate moraliter inſuperabili de omnium Regnorum, Nationum, Provinciarum, imò & Diœceſum conſuetudinibus inquirere. Ut alibi obligent in foro conſcientiæ: N. alias non poſſent ſummi Pontifices cauſas Romam evocatas, ad Archiepiſcopos, aut alios remittere, cùm ſciant ibidem decidi non ſecundùm leges Romæ tantùm promulgatas, ſed prout fuerunt in illis locis promulgatæ, aut non promulgatæ. Præterea licèt plurimæ Conſtitutiones Pontificiæ in certis Provinciis non ſint uſu receptæ, & conſequenter non peccet populus illis non adhærens, nihilominus deciduntur lites Romæ, ubi illuc transferuntur, ſecundùm promulgationem Romanam: ergo ex illa praxi malè infertur. Leges alibi obligare in conſcientia, præſertim cùm obligatio fori externi ſit ab obligatione conſcientiæ ſeparabilis. Imò extra ditionem Romanam nec obligant Leges in Provinciis non promulgatæ, in foro externo.

Petes an, ut obligent Leges Papales in Belgio, requiratur placitum Regium?

Affirmat univerſaliter Bertrandus Loth, cum quibuſdam aliis: quod tamen reſtringitur à Zipæo ad proviſiones beneficiales, quæ ex quadam conventione inter ſummos Pontifices, & Belgarum Principes, non poſſunt ad executionem deduci ſine præfato placito: imò ſine illo non ſolent Tribunalia ſæcularia pœnas in Bullis Papalibus contentas, executioni mandare.

CONCLUSIO IV.

LEx Epiſcopalis promulgari debet in Matrice Eccleſia, Lex Concilii particularis in loco Concilii.

Ratio eſt; quia prudentia naturalis non videtur plus, aut minus exigere.

CONCLUSIO V.

LEx omnis, ſive Eccleſiaſtica, ſive Civilis, excepta Imperiali, ſtatim à promulgatione obligat, ſaltem in loco promulgationis.

Ratio eſt; quia jus naturæ dictat ſervandam eſſe Legem, quæ ſufficienter cognoſcitur, niſi aliud requirant legislatores, ſicut requirit Authentica præſata duos menſes à promulgatione, antequam Lex Imperialis obliget.

Dixi: *Saltem in loco promulgationis*; quia extra illum non incipit obligare in actu 2. priuſquam ad ſubditos moraliter pervenire potuerit notitia Legis promulgatæ; quia non videtur bono communi conveniens, ut Lex eodem die, quo promulgatur Pariſiis, obliget nos Duaci, imò nec rationabile apparet: unde *cap. 1. de conceſſione præbendæ* dicitur, quòd Lex & mandatum nullos adſtringant, niſi poſtquam ad eorum notitiam pervenerint, aut niſi poſt tempus intra quod minimè ignorari debuiſſent.

Quod ſi, poſita ſufficienti promulgatione & divulgatione, ignorent aliqui invincibiliter Legem, excuſabuntur à peccato, non tamen ab omnibus Legis effectibus, quia ſunt aliqui à Legis notitia independentes: unde Spurius & Bigamus ſunt irregulares; licèt ignorent Legem ipſos irregularizantem: ſimiliter Matrimonium Affinis cum Affine eſt invalidum, licèt adſit ignorantia Legis illud invalidantis. Item inhabilitatus ad officium per Legem quam ignorat, tenetur illud reddere: ſicut qui vendidit merces, aut tradidit pecuniam, juxta pretium altius, quàm Lege ignorata taxatum ſit, debet augmentum reſtituere.

Petes in quo differant prumulgatio & divulgatio?

Reſp. In hoc, quòd promulgatio ſit prima Legis intimatio ſic facta, ut moraliter loquendo poſſit ſubditis innoteſcere, divulgatio autem, illius primæ intimationis extenſio ad omnes ſubditos, aut majorem illorum partem.

QUÆSTIO VI.

An populus debeat Legem acceptare, adhoc ut obliget?

CONCLUSIO I.

OBligatio Legis ex natura rei non dependet ab acceptatione populi.

Prob. 1. Obligatio Legis provenit ab eo qui Legem condidit; ſed populus, cùm ſit ſubditus, non condidit Legem: ergo independenter ab ipſo obligat. Minor certa eſt. Prob. Ma. Quia vis obligandi in præcepto particulari oritur præcisè ex voluntate præcipientis: ergo & vis obligandi in Lege, à voluntate ſolius Legislatoris.

Prob. 2. Poteſt Legislator tum Civilis, tum Eccleſiaſticus urgere populum, etiam propoſitis gravibus pœnis, ad Legis obſervantiam; ſed hoc injuſtè faceret, ſi ex natura rei requireretur conſenſus populi: ergo. Prob. Min. quia urgeret ad ſervandam Legem non obligantem defectu acceptionis.

CONCLUSIO II.

SPectatis præſentibus rerum conſtitutionibus, obligatio Legis non dependet etiam à conſenſu populi, ſi Legislator abſolutè velit, ut Lex ſua, quæ ſupponitur juſta, obliget ſubditos, etiam repugnantes. Ità Doctores communiter contra quoſdã.

Prob. 1. Debet *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus eſſe ſubdita*, ut dicitur Rom. 13. verſ. 1. ſed ſi poſſet populus pro libitu leges Superiorum acceptare, aut reſpuere, non haberetur illa ſubjectio: ergo.

Prob. 2. Quia ſi in caſu concluſionis neceſſaria eſſet Legis acceptatio, Lex magis eſſet à ſubditis, quàm à ſuperioribus; imò major eſſet authoritas ſubditorum, quàm Legislatorum; quandoquidem major reputetur authoritas Legem confirmantis, quàm inſtituentis. Adde quòd ſæpè ſuperflua eſſet poteſtas Legislatoris: cùm ipſius Legibus acquieſcerent ſubditi, quando ipſis placeret: & ſic obligatio obediendi non proveniret ex authoritate Superiorum, ſed ex voluntate Subditorum: quæ ſententia (ſi forte aliquid probabilitatis habeat in Legibus Civilibus) valdè periculoſa eſt in Legibus Pontificiis: imò, tuta fide teneri non poſſe, aſſerit Suarez lib. 4. de Legib. c. 16. eo quòd dederit Chriſtus immediatè Petro, ejuſque Succeſſoribus, poteſtatem ferendi Leges, nulla facta mentione conſenſus fidelium, cum dixit: *Paſces oves meas*, *Quodcumque ligaveris* &c. Imò alibi dicit, quòd ſi fideles Eccleſiam non audierint, habeantur tanquam Ethnici & Publicani.

CONCLUSIO III.

QUando lex fertur, nulla facta mentione conſenſus aut diſſenſus populi, probabilis eſt, quòd obliget, etiamſi à populo non acceptetur. Hæc ſententia eſt contra plurimos Doctores, qui volunt Legem in tali caſu non obligare, eo quòd ex benigna interpretatione voluntatis ſuperioris cenſeatur fieri ſub tacita conditione, *ſi populus acceptet*.

Prob. 1. Quando Superior, Dominus, aut Paterfamilias aliquid præcipit, non cenſetur ferre mandatum ſub illa conditione, ſi inferior, famulus, aut filius aliquid acceptet: ergo nec quando legislator fert aliquam Legem.

Prob. 2. Quia cùm homines, præſertim his temporibus corruptis, ſint maximè ſuæ libertatis tenaces: ſi eorum conſenſus requiratur, vix ulla Lex eorum paſſionibus & cupiditatibus effrænatis frænum imponens acceptabitur, in magnum Communitatis detrimentum.

Dixi in concluſione: *Nulla facta mentione conſenſus*; quia, ſi legislator ferendo Leges inſinuet ſe nolle obligare, niſi Lex acceptetur, tunc ante acceptationem non obligabit, ſicut non obligat in iis Provinciis, quibus ex privilegio aut conſuetudine legitima id fortè conceſſum eſt: unde potuerunt illi Legem vel penitùs acceptare, vel penitùs rejicere; acceptare quoad totum, vel quoad partem; quoad culpam, vel quoad pœnam; quoad ſæculares, non quoad Regulares aut Clericos; vel è contra.

Dices 1. contra Concluſionem: Gratianus cap. *in iſtis* diſt. 4. dicit: *Leges inſtituuntur, quando promulgantur; firmantur, cum moribus utentium approbantur*, & L. *de quibus* ff. de legibus dicitur, quòd *Leges nulla alia ex cauſa nos tenent, quàm quod judicio populi receptæ ſunt*.

Reſp. Gratianum non dicere Leges nullam vim obligandi habere ſine populi acceptatione, ſed per uſum firmari: quod verum eſt; quia per eum removentur à periculo abrogationis, quod ſubeſſet, non obſervarentur. Quando autem dicitur Leges non alia ex cauſa &c. hoc non de legibus ſupremæ authoritati

Regum

Regum intelligitur, ſed de ſententiis politicorum hominum, quæ in Leges uſurpabantur, ut patet ex toto titulo de Legibus in Digeſtis. Dum verò Ariſtoteles dicit Legem non habere vim, ut ſibi pareatur, niſi ex more, non vult legem vim obligandi ſumere ex populi conſenſu, ſed non habere vim, ut ſibi faciliè pareatur, niſi ex more, ideſt, ex repetitis actibus Lege præceptis.

Dices 2. Non eſt juſtum, ut Legiſlator, ſaltem civilis, obliget populum ad obſervationem Legis, antequam illam acceptet; cùm ipſemet ab ipſo populo poteſtatē Legiſlativam acceperit.

Reſp. Diſt. Aſſumpt. Non eſt juſtum &c. quando populus ſub illa conditione poteſtatem ſuam tranſtulit, ſicut fecerunt initio Romani: C. quando tranſtulit abſolutè & ſimpliciter, ut fit ordinariè: Nego.

Dices 3. Poteſt Lex obligans deſinere obligare ex conſuetudine: ergo à fortiori incipere non obligare ex non acceptatione.

Reſp. Diſt. Ant. Interveniente conſenſu Superioris tacito, vel in jure declarato: C. non interveniente: N. Hic autem non reperitur ordinariè talis conſenſus, cùm Legiſlatores ſæpiſſimè tali praxi reſiſtant.

Dices 4. Lex non acceptata à majori parte populi, repugnat bono communi, in quantum eſt cauſa tumultus & rebellionum: ergo

Reſp. Diſt. Ant. Repugnat &c. quamdiu reclamat populus: tranſeat. Sed hoc oritur ex ipſius malitia, abſolutè: N. Poteſt enim (ſuppreſſo injuſto populi murmure, quod aliquando non eſt curandum, ne faciliè poteſtas Legiſlativa contemnatur) eſſe valdè utilis & neceſſaria. Fatendum tamen, quòd ſi prævideat Princeps ex malitia populi majora incommoda, quàm commoda inde eventura, prudentius eſſe, ut Legem relaxet. Caveat tamen, ne ſuam poteſtatem ità enervet, ut poſteà ſubditos gubernare non poſſit.

Dices 5. Expedit aliquando, ut populus Legem non recipiat: ergo non obligat independenter ab ejus acceptatione. Prob. Ant. quia ex Lege recepta oriri poſſunt gravia incommoda, & ſcandala; cùm Papa, aut Rex ferens Legem pro tota Eccleſia, aut Regno, ignoret ſæpè mores ſingularum Provinciarum, quibus Lex aliquando potiùs eſt nociva, quàm utilis.

Reſp. 1. Superiores non ſolere Legibus univerſalibus ligare ſubditos, niſi per ſe, vel per alios inquiſierint, quid populorum moribus conveniat, aut diſconveniat.

Reſp. 2. cum Layman, ubi advertit Rector Communitatis, Leges potiùs fore ſubditis in laqueum & ruinam, quàm in profectum & utilitatem, poterit, donec reſponſum habeat à Superiore, cui rationes in contrarium expoſuerit, Legem ſuſpendere: ſi tamen Superior, examinatis rationibus, in ſententia perſiſtat, erat acceptanda, niſi foret injuſta.

Advertendum 1. pro coronide, quòd etſi major pars Communitatis (cujus nomine non tantùm intelligitur tota Eccleſia, aut totum Regnum, ſed etiam Provincia, Diœceſis, Civitas, imò quælibet multitudo corpus aliquod politicum ſeorſim conficiens, quale conficiunt Regulares independenter à ſæcularibus, aut è contra) peccaverit initio Legem nec acceptando, nec obſervando; poſſit tamen ſine peccato legem poſteà negligere, ſi nempè Legiſlator conſcius Legis neglectæ, diſſimulet cum tranſgreſſoribus, quos faciliè reprehendere poteſt, & punire: tunc enim reputatur legem auferre: ad quod videntur ſufficere quatuor aut quinque tranſgreſſiones ſatis communes, impunitæ.

Advertendum 2. Etiam Legiſlatore inſcio Legis à majori parte populi neglectæ, legem non ampliùs obligaturam, decurſo legitimæ præſcriptionis tempore, quod, ſecundùm Authores, eſt decem annorum pro Lege Civili, & quadraginta pro Eccleſiaſtica. Interim ſi pauci hactenus Legem obſervaverunt, poterunt, etiam necdum tranſacto præſcriptionis ſpatio, ſe aliis conformare, ex præſumpta Legiſlatoris voluntate, ſi nempè non credatur lex recipienda, & aliunde ſit ipſis difficile Legem obſervando, cum tranſgreſſoribus convivere: modò ſint parati, ubi contrariam Legiſlatoris intentionem noverint, ei parere.

Advertendum 3. Non ſatis reverenter de Eccleſiaſtica poteſtate ſentire Juenin, dum illam poſtponit Civili, volendo Leges Civiles obligare independenter à conſenſu populi, licèt poteſtas ſæcularis data ſit Regibus dependenter à Communitate: Leges verò Eccleſiaſticas non obligare, niſi recipiantur ab eis, qui ſaniorem Eccleſiarum particularium partem conſtituunt; cùm tamen poteſtas Papalis ſit à Deo ſine reſtrictione, ſine dependentia, ſine conditione, ſit ſupra omnem Clerum, omnem populum, omnes homines. imò, ſi velit præfatus Author poſſe legem à ſaniori parte rejici, etiam ſine juſta cauſa, damnatus eſt ab Alexandro VII. proſcribente hanc propoſitionem: *Populus non peccat, etiamſi abſque juſta cauſa non recipiat Legem à Principe promulgatam.*

QUÆSTIO VII.

Quinam obligentur Legibus humanis?

HÆc Quæſtio varias admodum reſolutiones requirit; & ideò hanc in aliquot Articulos dividemus.

ARTICULUS I.

An Legiſlator teneatur ſuis Legibus?

CONCLUSIO UNICA.

LEgiſlator ſingularis & abſolutus non tenetur ſuis legibus quoad vim coactivam, tenetur tamen quoad vim directivam, ſi poſſit decenter illas obſervare.

Prob. 1. Pars; quia nec ſeipſum cogere, nec ab alio cogi & condemnari poteſt ad pœnam, ſi legem non obſervet, cùm Superiorem, à quo poſſit cogi, non agnoſcat. Hinc Papa percutiens Clericum, non excommunicatur; imò manens Papa, nullas poteſt incurrere cenſuras.

Prob. 2. Pars 1. ex D. Ambroſio Epiſt. 32 ad Valentinianum Imperatorem: *Quodcumque præſcripſiſti aliis, præſcripſiſti etiam tibi; Leges enim Imperator fert, quas primus ipſe cuſtodiat.*

Prob. 2. ratione; quia naturalis æquitas poſtulat, ut caput conformet ſe membris, & quod quiſque juris in alterum ſtatuit, ipſo eo utatur, ut ſic inferiores libentiùs, & promptiùs Legibus obtemperent: magis enim exempla movent, quàm verba, & Princeps creatur, non tantùm ut præſit, ſed magis ut proſit. Hanc obligationem in ſeipſis agnoverunt Theodoſius & Valētinianus Imperatores, cum dixerunt: *Digna vox Regnantis Legibus obligatum Principem ſe confiteri*, ut refert L. *Digna* cap. *de Legibus Principum*. Imò illam videtur docuiſſe Chriſtus Matt. 23 dum Phariſæis dixit: *Qui dicunt & non faciunt*, cumque ipſos reprehendit, quòd aliis gravia onera imponerent, digito autem ſuo nollent ea movere. Et certè ut ait Auguſtinus l. 3. Confeſſ. cap. 8. *Turpis eſt omnis pars*, & præſertim caput, *univerſo ſuo non congruens.*

Quia tamen illa obligatio non oritur immediatè ex efficacia ipſius Legis, cùm nemo ſibi ipſi ſubjiciatur, ſibi ipſi præcipiat, in ſeipſum poteſtatem exerceat; ſed oriatur ex honeſtate & decentia naturali, dicunt plurimi Legiſlatorem tantùm obligari ſub veniali, ad ſuas leges; adeoque Papam non jejunantem, non audientem Miſſam, non communicantem in Paſchate, non peccare mortaliter, ſecluſo ſcandalo, licèt Suarez, Clavis regia, Vaſquez, Malderus, & quidam alii velint obligari ſub mortali; ſed, quidquid ſit, obligantur ſaltem ſub mortali ad illas Leges, quibus non ſervatis, fieret ſubditis gravis injuria, ut accidere poſſet in certis contractibus, in pretiis rerum taxatis &c.

Dixi 1. *Legiſlator ſingularis*; quia quando plures ferunt Legem per modum unius corporis, ſinguli ſubduntur quoad vim coactivam & directivam. Ratio eſt; quia licèt omnes collectivè ſumpti ſint ipſa communitas, v.g. Senatus, Capitulum; diſtributivè tamen conſiderati, ſunt communitatis inferiores, ipſamque Superiorem agnoſcunt.

Dixi 2. *Et abſolutus*, ideſt, qui ſolus Legem communitati ferre poteſt, qualis eſt Papa, Rex, Epiſcopus: nam ſi Solus non poſſit, ſed debeat cum aliis legem ferre, tenebitur illis legibus quoad vim coactivam & directivam; quia etſi tanquam caput primas obtineat, poſſitque primus ſuffragari, habet tamen Communitatem ſupra ſe, cui verè ſubditur, & talis eſt Metropolitanus inter Coepiſcopos, Prælatus in Capitulo, Dux Venetorum inter Senatores.

Dixi 3. *Si poſſit decenter illas obſervare*; nam ſi non congruant, ad illas nullo modo tenebitur: ſic non tenetur Rex ad Leges præſcribentes modum in conviviis, in veſtibus, ſicut nec ad Legem prohibentem ferre gladium.

Dices 1. *Princeps Legibus ſolutus eſt* L. *Princeps*, ff. de Legibus.

Reſp. hoc eſſe verum quoad vim coactivam, non directivam, ad quam indirectè ſe obligare poteſt.

Dices 2. Lex fertur pro ſubditis, ſed Legiſlator non eſt ſubditus: ergo.

Reſp. Legem per ſe & directè ferri pro ſubditis; indirectè tamen: ſecundariò, & conſecutivè etiam pro Legiſlatore, in quantum poſita Lege inferiores obligante, debet ex Lege naturali & ex prudentia ſeſe aliis conformare: undè, niſi fecerit, virtutem prudentiæ violat: non tamen temperantiam violaret Papa, ſi die Sabbathi carnes comederet; cùm abſtinentia à carnibus ponatur ſub virtute temperantiæ vi legis humanæ, ad quam non obligatur vi talis Legis.

Dices 3. Poteſt Legiſlator alium à ſua lege eximere: ergo & ſeipſum.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Etiam poſſe ſe ipſum, ſi velit Legem ſuam abrogare; ipſa tamen ſtante, licèt poſſit ſubditum, non poteſt ſe ipſum, quia tunc tenetur vi Legis naturæ, quam non poteſt tulliere, etſi poſſit tollere Legem, ratione cujus obligatur ſubditus.

ARTICULUS II.

An infideles & uſu rationis privati ſubjiciantur Legibus humanis, & quandonam pueri.

ADverte uſu rationis privatos duplicis eſſe generis alios qui nunquam illo uſi ſunt, ut infantes, & perpetuò amentes, alios, qui illo uſi, ſed hic & nunc eodem deſtituuntur, ut ebrii, dormientes, ad breve tempus delirantes. Hoc notato

CONCLUSIO I.

INfideles non ſubduntur Legibus Eccleſiaſticis. Ratio eſt, quia defectu Baptiſmi, non ſubduntur Eccleſiæ: ergo nec ejus Legibus.

CONCLUSIO II.

PRivati uſu rationis 1. modo non tenentur Legibus humanis, privati autem 2. modo, licèt defectu libertatis excuſentur à Legis tranſgreſſione, verè ſubduntur.

Ratio utriuſque Partis eſt, quòd primi non poſſint Legem cognoſcere, adeoque non poſſit eſſe ipſis regula, alii autem, etſi actu non cognoſcant, ſunt tamen capaces cognoſcendi, & quidem proximè, cùm ratio in ipſis ſit tantùm ſopita. Hinc

Reſolv. 1. Infantes, perpetuò Amentes, ſicut & infideles, poſſe veſci carnibus in Quadrageſima, imò poſſe illis præberi non minùs ac infirmis, cùm ſit cooperari rei licitæ & nullo modo prohibitæ; non poſſit tamen præberi dormientibus aut ebriis, quia eſſet cooperari Legis tranſgreſſioni, ſaltem materiali, quod eſt illicitum. Amentibus verò ad tempus, poſſet quidem dari, non quòd non ſubdantur Legibus, ſed quia amentia eſt morbus ſufficiens, ut excuſentur ab illa Lege, ut ajunt Sanchez, Layman & alii.

Reſol. 2. Poſſe infantes maſculos intromitti in Clauſuram Monialium: ſicut & puellulas ante uſum rationis, in Clauſuram virorum. Cave tamen idem dicere de perpetuò amentibus, aut infidelibus adultis, propter inconvenientia.

Petes, an liceat perpetuò amentes provocare ad iram, libidinem, blaſphemiam?

Reſp. Neg. Quia etſi non teneantur Legibus humanis, tenentur tamen Legi naturali ipſis innatæ, contrà quam præfati militant, quamquam, ob defectum libertatis, non niſi materialiter peccent.

Reſol. 3. Infantes & Amentes non poſſe propriè puniri propter commiſſa, quandoquidem omnis pœna propriè dicta ſupponat culpam formalem. Hinc ſive occidant, ſive mutilent, non incurrunt irregularitatem: ſicut nec incurrit dormiens, ut declaravit Clemens V. in Clem. *Si furioſus* de homicidio.

Dixi: *Propriè puniri*; nam ſi amentes verberent, aut abſurda loquantur, poſſunt & debent caſtigari, ut perterriti perinde ac beſtiæ, à talibus abſtineant.

Reſol. 4. Amentem, qui ante amentiam crimen commiſit, non poſſe, illa durante, puniri morte, aut mutilatione, quamvis ante amentiam damnatus fuiſſet; poſſet tamen puniri in ære.

CONCLUSIO III.

PUeri ſtatim ab uſu rationis (qui ſecundùm aliquos in dubio cenſetur adeſſe ſeptennio completo) tenentur Legibus humanis; non tamen omnibus.

Prob. 1. Pars; quia tunc Leges poſſunt eorum mores dirigere; expeditque, ut tunc obligentur, ne poſtea in habitibus contrariis inveterati, difficulter Legibus aſſueſcant: unde debent à carnibus abſtinere, Miſſam audire, peccata declarare, &c. tempore præſcripto.

Prob. 2. Pars; quia ante annum 21. completum non tenentur jejunare, nec ante undecimum, aut duodecimum circiter communicare, niſi antea incidant in morbum periculoſum: tunc enim ex præcepto Divino, ſi ſint capaces, obligantur. Similiter ſecundùm Dominicum Soto & quoſdam alios, ante annum decimum cum dimidio, quando dicuntur pubertati proximi, nullas cenſuras incurrunt; quia videtur, quòd Eccleſia non debeat eſſe minus benigna, quam poteſtas ſæcularis, quæ pueros pro delictis, ante illam ætatem commiſſis non punit, ut patet ex jure civili variis locis. Communior tamen ſententia eſt ante dictam ætatem incurrere excommunicationem latam contra percuſſores clericorum, imò & irregularitatem, ſi homicidium committant: quamvis propter dictam cenſuram, & alias, quas ante annos pubertatis fortè incurrerunt, non ſint ad Sedem Apoſtolicam remittendi, ſed ad ſuum Epiſcopũ.

Præterea reſervatio caſuum, quorum abſolutio jure communi Epiſcopis reſervatur, non afficit peccata impuberum: ne tamen idem dixeris de peccatis, quæ pro ſuis Diœceſibus reſervarunt Epiſcopi, niſi id expreſſerint: undè declaravit nuper Epiſcopus Atrebatenſis, quòd ſub peccatis in ſua Diœceſi reſervatis, non comprehendat crimina puerorum, qui necdum annum 12. expleverunt.

ARTICULUS III.

An Clerici ſubjiciantur Legibus Principum ſæcularium?

CONCLUSIO I.

NOn ſubjiciuntur Clerici Legibus Principum ſæcularium in cauſis Eccleſiaſticis, v. g. in controverſiis de Sacramentis, de Fide, de Ordinibus Eccleſiaſticis &c.

Ratio eſt, quia illorum eſt aliquid in cauſis Eccleſiaſticis ſtatuere, quorum eſt Eccleſiam regere: ſed Eccleſiæ regimen non Principibus ſæcularibus; ſed Apoſtolis, & maximè Petro, à Chriſto commiſſum eſt: ergo.

CONCLUSIO II.

NEc tenentur Clerici Legibus tributa aut alia onera ſive realia, ſive perſonalia, imponentibus, niſi in certis caſibus ſæcularibus, aut niſi idipſum conceſſerit Principibus ſæcularibus Summus Pontifex.

Prob. Ex Jure Canonico cap. 3. *de Immunitate Eccleſiarum* In 6. Ubi Bonifacius VIII. excommunicat tum Eccleſiaſticos ſolventes, tum Laicos exigentes Tallias, vel collectas abſque ſummi Pontificis licentia. Item ex jure Civili L. *Caſſia* & L. *Sancimus* Cod. *de ſacroſanctis Eccleſiis*, ſicut & ex decreto Concilii Lateran. relato in Decretalibus *de immunitate Eccleſiarum.*

Confir. Quia illa exemptio non tantùm quorundam Principum ſæcularium, ſed etiam totius orbis conſenſu ſtabilita eſt, ac poteſtate Pontificia confirmata: undè non poſſunt Principes ſæculares illam annullare, cùm eorum Prædeceſſores in hoc juri ſuo ceſſerint, vel potius per modum cujuſdam remunerationis illam Eccleſiæ conceſſerint: quod autem Eccleſiæ ſimpliciter conceſſum eſt, irrevocabiliter conceſſum eſt, non minùs ac illud, quod Regno aut Imperio conceditur.

Dixi 1. *Niſi in certis caſibus*; ac 1. poteſt aliquid exigi de bonis Eccleſiaſticis, ſi antequam Eccleſiæ aut Eccleſiaſticis concederentur, eſſent obligata Principi ſæculari; quia tunc tranſeunt cum ſuo onere. Cap. *de litteris* de pignoribus. 2. Si fiant Clerici non animo in Clericatu perſeverandi, ſed vectigalia fraudandi. 3. Si negotiationem exerceant; quia tunc debent tam emendo quàm vendendo lucri cauſa, Taxas ſolvere; cùm in hoc nullo jure ſint exempti. 4. Debent participare de expenſis, quæ tam in eorum, quam laicorum privatam utilitatem fieri debent: ut ſi ad impediendos fures faciendæ ſint excubiæ, vel faciendi ſint aggeres, ne agri laicorum & clericorum aquis ſubmergantur &c.

Dixi 2. *Aut niſi idipſum* &c. quia poteſt Pontifex ex juſta cauſa id Principibus ſupremis permittere, & ideò ubi à Clericis tempore belli, vel alterius neceſſitatis Principi notæ, exiguntur certa tributa, vel potius ſubſidia, præſumere debent id ex conceſſione Papali fieri.

CONCLUSIO III.

ECcleſiaſtici obligantur quoad vim directivam Legibus, Clericis & Laicis Communibus, ſi tamen Sacris Canonibus, aut ſtatui Eccleſiaſtico, non repugnent.

Prob. Quia cùm Eccleſiaſticis ſint veri cives & membra communitatis, ratio poſtulat, ut leges illas obſervent, quarum obſervatio nata eſt bonum commune procurare & fovere: & certè ſi communibus Reipublicæ commodis & privilegiis fruantur, quidni certis obligationibus ligarentur, ubi bonum commune & pax communitatis id exigit? Unde tenentur ſervare Legem prohibentem, ne quis noctu incedat armatus, aut ſine lumine.

Item Leges præſcribentes pretia rebus, modum ædificiis, formam teſtamentis, contractibus &c. quod ſi ſecus fecerint, non minus peccant, ac ſæculares, tenenturque ad reſtitutionem, ubi ex legum violatione detrimentum evenit proximo.

Dixi: *Quoad vim directivam*, non coactivam, quia Sacri Canones penitùs interdicunt Principibus Sæcularibus poteſtatem judicandi aut puniendi perſonas Eccleſiaſticas, ut patet

ex

ex Cap *Qualiter & quando* de judiciis: unde Caius Papa in Epiſt. ad Felicem Epiſcopum: *Nemo*, inquit, *Epiſcopum*, *aut Clericos alios apud judicem ſæcularem accuſare præſumat*. Idem patet ex Bulla Cœnæ. Fatendum tamen legem Canonicam hac in parte non eſſe ubique receptam, ſaltem in cauſis criminalibus.

Dices 1. Si non poſſint Clerici violantes leges Civiles puniri à poteſtate ſæculari, fruſtra poterit ipſis aliquid præcipere.

Reſp. Neg. Sequel. Quia licèt non poſſint judices ſæculares Clericos delinquentes punire; id tamen poſſunt & debent judices Eccleſiaſtici, vel pœnam lege civili taxatam imponendo, vel aliam pro libitu: ad quod Principes ſæculares inſtigare poſſunt rogando, non tamen cum injuria ſtatus Eccleſiaſtici obligando.

Dices 2. Poſſunt Principes ſæculares auferre à Clericis arma, triticum, pecuniam &c ſi, contra leges, illa extra Provinciam deferant: ergo poſſunt punire.

Reſp. Diſt. Ant. Poſſunt auferre, ut legis ſuæ tranſgreſſionem impediant; Conc. ut puniant: nego.

Quærunt hic aliqui, an Clerici teneantur legibus communibus quoad vim directivam ex vi legum ſæcularium directè? Affirmant aliqui; quia non minus ſunt cives, quàm laici. Negant autem alii, quia Cap. *Eccleſia* de conſtitutionibus legitur, quod laicis ſuper perſonis Eccleſiaſticis, & Eccleſiis, nulla ſit attributa facultas imperandi, ac ideò volunt tantùm obligari indirectè, in quantum æquitas naturalis poſtulat, ut conforment ſe reliquis Reipublicæ membris, ſitque inter cives pax, & tranquillitas conſervetur. Sed, quidquid ſit, certum eſt Eccleſiam potuiſſe & voluiſſe Clericos ſervare hujuſmodi leges; imò & ſecundum ipſas in foro Eccleſiaſtico judicari, ubi Canones deficerent, ut conſtat ex cap. *innotuit* & alibi.

ARTICULUS VI.

An incolæ alicujus loci teneantur Legibus proprii territorii, dum alibi verſantur?

CONCLUSIO I.

INcolæ alicujus loci non tenentur ordinariè legibus ſui territorii, dum extra illud verſantur. Ita DD. communiter.

Prob. 1. Ex cap. 1. *de Conſtitutionibus*, ubi declarat Bonifacius VIII. ſtatutum Epiſcopi, quo excommunicantur latrones, non obligare ſubditos extra Diœceſim furantes.

Prob. 2. Ex Aug. Epiſt. 86. ad Caſulanum in fine. Ubi Matri interroganti an Mediolani ſervare deberet jejunium ſui territorii, dedit hoc D. Ambroſii à ſe conſulti reſponſum: *Quando hic ſum, non jejuno Sabbato, quando Romæ ſum, jejuno Sabbato, & ad quamcumque Eccleſiam veneritis, ejus morem ſervate.* Unde prodierunt hi duo verſus:

Cum fueris Romæ, Romano vivito more:
Cum fueris alibi, vivito ſicut ibi.

Prob. 3. Ratione; quia feruntur leges pro convenienti territorii regimine, adeoque cenſentur ſolum illos, qui territorium actualiter inhabitant, reſpicere: & in hoc lex differt à præcepto, quòd hoc proximè in ſubditos tendat, eorumque oſſibus, ut dici ſolet, adhæreat, ubicumque terrarum fuerint; lex verò immediatè & primario reſpiciat locum, & indè tranſeat ad incolas. Hinc.

Reſol. 1. Exiſtentem in loco, ubi non eſt Feſtum aut jejunium, poſſe ibidem, non audita Miſſa, laborare, aut carnes comedere, licèt in ejus territorio Feſtum, aut jejunium celebretur.

Reſol. 2. Committentem alibi delictum non incurrere cenſuram tali delicto in propria Diœceſi annexam.

Reſol. 3. Labentem in peccatum reſervatum in propria Diœceſi, poſſe abſolvi à communi Confeſſario loci illius, in quo peccavit; ſi ibidem caſus ille non ſit reſervatus.

An autem rediens ad locum proprium, poſſit etiam abſolvi à communi confeſſario? Affirmant aliqui, negant alii; ſed, cùm de valore Sacramenti agatur, pars tutior eſt tenenda.

Reſol. 4. Alibi verſantem non teneri etiam Legibus Eccleſiæ communibus, ſi ibidem non vigeant, adeòque exiſtentem in loco, ubi Sabbatho juſculum carnium, aut inteſtina animalium comeduntur, poſſe incolis ſe conformare; ſicut exiſtens Mediolani poteſt quatuor primis diebus Quadrageſimæ non jejunare, & verſans in aliquo Regno aut Provincia, ubi Tridentinum non eſt receptum, poteſt ibidem validè, licèt non licitè, ſine Parocho, & teſtibus, Matrimonium contrahere

Reſol. 5. Nec teneri Legibus proprii territorii exiſtentem in loco localiter exempto, licet ſit intra territorium; quia talis locus eodem modo reputatur, ac ſi eſſet extra territorium: unde ſubditus Diœceſis Atrebatenſis non tenetur Picecurti, propè Monaſterium Aquicinctinum, Legibus Diœceſis Atrebatenſis, licèt Picecurtum Abbati Aquicinctino ſubjectum, ſit intra præfatam Diœceſim Dictum eſt: *In loco localiter exempto*; nam ſi locus non ſit ſecundùm ſe exemptus, ſed tantùm ratione perſonarum ibi degentium, ut ſunt Monaſteria Religioſorum exemptorum, ibidem exiſtentes non eximuntur à Legibus territorii, ut bene notarunt Suarez, Præpoſitus, Herinx, & alii.

Dixi in Concluſione: *Ordinariè;* quia convenit, imò neceſſarium eſt, quaſdam Leges, quæ res, aut commodum territorii reſpiciunt, etiam extra illud exiſtentes obligare: unde ſtatutum præcipiens, ut omnes Clerici certo tempore veniant ad Synodum, Canonici ad Capitulum, Conſiliarii ad Parlamentum, etiam abſentes obligat: ſicut Lex concernens Beneficia, Agros, ædificia, obligat eorum poſſeſſores alibi exiſtentes, ſive tranſeunter, ſive permanenter; adeoque, ſi Legem violent, poſſunt puniri; quia eorum peccata cenſentur in territorio conſummata, & ideò ſi quis extra territorium exiſtens occidat exiſtentem in territorio, incurrit pœnas territorii homicidio annexas.

CONCLUSIO II.

QUi expreſſo eo animo, ut à Lege eximatur, diſcedit à proprio territorio, non cenſetur exemptus. Eſt contra nonnullos, quorum ſententia non videtur ita Chriſtianam pietatem redolere; cùm magis faveat hominum cupiditati & ſenſualitati, quàm rationi

Ratio eſt; quia talis verè agit in fraudem Legis, cùm ex nulla cauſa, nulla ratione, nullo negotio, ſed præcisè ut indulgeat gulæ & ventri, relinquat locum jejunii v. g. & certè vel nunquam poteſt ſubditus agere in fraudem Legis, quod negant Adverſarii, vel tunc agit; cùm non ſit reperibilis caſus, ubi major fraus contra Legem interveniat.

Deinde, fatentibus Adverſariis, expreſsè pergens ad aliam Parochiam, ut alteri Parocho confiteatur, agit in fraudem, declinando proprium Parochum: ergo pergens ad aliam Diœceſim, eo præcisè animo, ut comedat carnes v. g. fraudulenter agit, declinando jejunium proprii territorii.

Confirm. Ex eo, quòd exeuntes feſtis diebus ex ſuo oppido, præcisè ne feſta ſervare cogantur, ſoleant puniri, ut refert Layman lib. 1. Tract. 4 cap. 11. n. 9.

Dices 1. Non agit in fraudem jejunii, qui jure ſuo utitur, ut patet ex Regula 55. ff. *de Regulis juris:* ſed qui, relicto proprio territorio, ad aliud pergit, utitur jure ſuo: cum jus habeat ambulandi: ergo.

Reſp Neg. Min. Et dico habere quidem jus ambulandi, *ſed* non ambulandi eo tantùm fine, ut eximatur à lege, ſicut non habet jus ambulandi, ut alteri Parocho confiteatur.

Dices 2. Poteſt quis domicilium mutare, ut eximat ſe à difficilioribus territorii legibus: ergo ſimiliter.

Reſp. Neg. Conſeq Diſparitas eſt, quòd in primo nulla fraus reperiatur, cùm ſit unicuique liberum in hoc vel illo territorio degere, adeòque his vel illis legibus ſe ſubjicere: in ſecundo autem, reperiatur; quandoquidem manens alicujus loci incola, velit illius loci leges ſubterfugere, merè ut indulgeat, aut ventri carnes comedendo, aut indevotioni Miſſam non audiendo &c.

Ut igitur quis diſcedens in alium locum eximatur à legibus domicilii, requiritur & ſufficit, quòd exeat ex aliqua cauſa, quæ non debet eſſe magna, modò non intendat exemptionem à lege, licèt prævideat quòd ſit ab ea eximendus.

ARTICULUS V.

An extra territorium verſantes teneantur Legibus loci ubi exiſtunt?

QUæſtio non procedit de omni caſu; nam certum eſt quandoque per accidens obligari, ut ſi ex lege non obſervata orietur perturbatio, aut ſcandalum: intelligi debet igitur per ſe loquendo. Similiter non procedit de legibus communibus, quia extra dubium eſt, leges Eccleſiæ communes obligare ſubditos ubicunque ſint, cùm ſemper Eccleſiæ juriſdictioni ſubjaceant. Quod etiam verum eſt, licèt in loco domicilii legibus illis derogatum ſit, cùm alibi exiſtentes deſinant frui privilegio, aut quaſi privilegio domicilii, quod eſt merè locale: unde civis Mediolanenſis quatuor primis diebus Quadrageſimæ jejunare debet; Diœceſanus Tornacenſis in Sabbathis inter Nativitatem Domini & Feſtum Purificationis à carnibus abſtinere, ſicut & quidam alii à juſculo carnium, aut inteſtinis animalium, ſi verſentur in loco, ubi viget jus commune, licèt id ipſis liceret in proprio territorio. Procedit ergo quæſtio de particularibus locorum Legibus: ſed antequam huic ſatisfaciam.

Advertendum poſſe homines in certo loco exiſtere quadrupliciter 1. Ità ut fruantur ibi domicilio, id eſt, incœperint habitare cum intentione ſemper habitandi. 2. Ità ut acquirant ibi quaſi domicilium: commorando ſcilicet per majorem anni partem,

ſine

ſine intentione habitandi; ſic verſantur Scholaſtici in Academiis, Mercatores in Emporiis, Principes in Aulis Regum. ſicut autem primo die habitationis acquiritur domicilium, ſi adſit animus perpetuò manendi; ità & quaſi domicilium, ſi adſit voluntas manendi per majorem anni partem. 3. Sicut nullibi domicilium aut quaſi domicilium fixerint, ut ſunt vagi. 4. Ut alibi domicilium habentes, ibi quaſi per tranſennam & breviter commorentur, ut peregrini. Hoc notato

CONCLUSIO I.

EOdem inſtanti quo quis fixit alicubi domicilium, tenetur Legibus talis loci.

Ratio eſt; quia eo ipſo fit illius loci incola, & membrum Communitatis, adeòque non minùs ac alii tenetur Legibus. Quòd ſi duobus in locis domicilium elegerit, ut, ſi hyeme habitet in urbe, & æſtate in pago, idque ex intentione ſemper ità continuandi, tunc obligatur ad Leges illius loci, ubi præſens fuerit, & conſequenter quandoque Legibus pagi, quandoque Legibus urbis. Dum autem dubitat quis, an habuerit voluntatem perpetuò manendi in aliquo loco, ex habitatione decennali colligitur habuiſſe. Certum eſt tamen non competere domicilium illi, qui etſi ad alium locum tranſierit cum animo manendi, nondum tamen ibidem habitationem fixit, utpote qui necdum familia, & mobilia tranſtulit, necdum ibi domum apertam habet, aut Officinam; & ideò non eximitur ab oneribus omnibus primi domicilii.

Dico: *Omnibus*: quia cùm teneatur Legibus hujus territorii quaſi eſſet peregrinus, non tenetur Legibus alterius territorii, ut dicemus poſteà.

Similiter nec domicilium acquirere cenſetur, qui aliò migravit cum ſua familia & mobilibus ſine animo ibi manendi: unde natus in civitate, ubi parentes aderant cum voluntate, non habitandi, ſed negotiandi, v.g. non cenſetur habere ibi domicilium originis, ſed in loco ubi parentes habebant domicilium fixum tempore illius nativitatis, ut patet ex L. *cives*. C. *de incolis*.

CONCLUSIO II.

SImiliter tenetur quis, etiam primo die habitationis, Legibus territorii in quo habet quaſi domicilium.

Ratio eſt; quia talis eo ipſo illius loci forum ſortitur, ideſt, juriſdictioni tum Civili, tum Eccleſiaſticæ ſubjicitur: unde ibidem acquirit Parochiam, fitque Parocho quoad omnia Eccleſiaſtica ſubditus, non minùs ac cives: unde poteſt illic Matrimonium contrahere, ab Epiſcopo Confirmationem recipere, ſicut & abſolutionem à caſibus reſervatis, ac diſpenſationem in certis votis; non tamen ab illo ordinari, niſi adſit licentia proprii Epiſcopi, jure communi ſic diſponente.

CONCLUSIO III.

VAgi tenentur Legibus locorum, per quæ tranſeunt. Ità DD. communiùs & probabiliùs.

Ratio eſt; quia aliàs ab omni Lege locali tum Eccleſiaſtica, tum Civili eximerentur: ſicque fierent quaſi Exleges, ſine Superiore, & ſine regimine, ſaltem particulari, quod non eſt credibile: unde uſu receptum eſt, ut vagi delinquentes puniantur, ubi reperiuntur, etiamſi alibi deliquerint: quod non leviter incidat locorum juriſdictioni eſſe ſubditos.

CONCLUSIO IV.

PRobabilius eſt etiam alibi domicilium habentes teneri Legibus locorum per quæ tranſeunt, ſi moram trahant præcepto ſervando proportionatam. Ità Suarez, Leſſius, Malderus, Gonet, Herinx & alii communiter contra D. Antoninum & alios graves Canoniſtas, qui tamen volunt peregrinantes ſemper teneri Legibus proprii territorii.

Prob. 1. Rationabile eſt, ut qui ſentit commodum, ſentiat & incommodum; ſed peregrini eximuntur à Legibus proprii territorii: ergo ſubduntur Legibus alieni, dum ibi verſantur: aliàs ab omni lege locali eſſent exempti, quandiu peregrinarentur, quod de vagis negavimus.

Prob. 2. Quia expedit, ut omnes ſint *unius moris in domo*; aliàs hominum ſocietas violaretur, eſſentque omnia plena confuſione, ſi in aliqua ſocietate omnes Advenæ hujus loci conſuetudines reſpuerent, ut ſuis Legibus particularibus uterentur.

Prob. 3. Efficaciùs; quia non deeſt poteſtas & voluntas in Legislatore ad obligandum peregrinos: ergo ipſos obligat. Conſequentia eſt evidens. Prob. 1. Pars Ant. quia ſi peregrini delinquant contra jus naturæ, poſſunt, non minùs ac cives, à Principe puniri. Item poſſunt ab ipſo compelli ad Leges contractuum, & formas in judiciis ſervandas, ut fatentur communiter DD. ergo non deeſt illi in peregrinos poteſtas.

Prob. 2. Pars Ant. quia cùm Princeps ſit quaſi pater populi, cenſetur id omne velle, quod bono communi expedit, niſi contrarium appareat; ſed bonum commune exigit, ut peregrini civibus conformentur in Legum obſervatione; quandoquidem agendi & vivendi diverſitas nata ſit Communitatem turbare, & ſcandalum generare: ergo

Dices 1. Leo IX. adverſus præſumptiones Michaelis Conſtantinopolitani c. 29. vult liberum eſſe unicuique Patriæ ſuæ morem ſervare, licèt alibi exiſtat: ergo

Reſp. Pontificem nihil aliud velle, quàm quòd in Miſſa celebranda poſſit Latinus in Græcia ſuos ritus ſervare, ſicut & Græcus in Eccleſia Latina, licèt poſſit etiam ritibus Eccleſiæ, ubi fuerit, ſe conformare. Ex aliqua autem conceſſione particulari id exigente, ne Sacerdotes cum nimia difficultate tenerentur ritus ſuos mutare, non rectè deducitur argumentum ad alias leges.

Dices 2. Epiſcopus non poteſt diſpenſare in votis peregrinorum: ergo nec illos ſuis Legibus obligare.

Reſp. Diſſimulato Ant. quod ab aliquibus negatur, Neg. Conſeq. quia licèt non poſſit in hoc ipſis favere, non ſequitur, quòd non poſſit illos ſuis legibus obligare; cùm hoc ad pacificum Diœceſis regimen contribuat, non illud.

Dices 3. Nemo fit ſubditus alteri, niſi ratione vel domicilii, vel quaſi domicilii, vel delicti, vel originis, vel rei poſſeſſæ; ſed poteſt fieri, quòd peregrinus ex nullo illorum capite ſubdatur Principi loci: ergo

Reſp. Diſt. Ma. Nemo fit ſubditus permanenter, niſi &c C. tranſeunter: N. Sicut enim ſufficit brevis abſentia, ut eximatur quis à ſubjectione Legum proprii territorii, ità ſufficit brevis præſentia, ut ſubjiciatur Legibus alterius loci: unde ille acquirit ibi forum tranſiens, non permanens.

Dixi in concluſione: ***Si moram trahant præcepto ſervando proportionatam;*** quia non ſufficit quælibet mora, ut patebit ex reſolutionibus ex hac & præcedenti quæſtione deducendis.

Reſol. 1. Accedentem circa prandium ad locum jejunii, poſſe ibi prandere, licèt manè ſumpſerit jentaculum in loco, ubi non erat jejunium; non poteſt tamen veſci carnibus. Ratio eſt; quia poteſt ibidem ſe aliis conformare, qui tunc ſumunt prandium, non carnes.

Reſol. 2. Diſcedentem à loco jejunii non poſſe anteà ſumere jentaculum, ſicut nec accedentem ſub veſperam ad locum jejunii ſumere cœnam, ſed tantùm collationem. Ratio eſt; quia poteſt facilè partem illam jejunii ſervare, qui autem non poteſt totam Legem ſervare, tenetur ad partem ipſi moraliter poſſibilem.

Reſol. 3. Eum, qui jejunavit Tornaci in vigilia Feſti S. Laurentii Dominica præcedenti celebrati, teneri adhuc jejunare Attrebati, ſi ibidem exiſtat proprio die Vigiliæ, id eſt, 9. Auguſti. Ratio eſt; quia poteſt fieri, quòd alio anno non teneatur jejunare, ſi nempè ſit Attrebati, dum jejunium eſt Tornaci, & Tornaci, dum jejunium eſt Attrebati; qui autem poteſt ſentire commodum, debet & ſentire incommodum. Nec dicas non præcipere Eccleſiam, ut bis jejunemus pro S. Laurentio; dicam enim ego nec eximere in dicta Vigilia à jejunio: ſicut ergo per accidens ratione locorum particularium poteſt quis uno anno excuſari à jejunio; ità per accidens poteſt alio anno obligari ad duplex jejunium.

Reſol. 4. Eum, qui ex Anglia (ubi necdum abſoluta eſt Quadrageſima ob ſervatum veterem ſtylum) venit in Galliam, ubi abſoluta eſt, poſſe cum aliis non jejunare, & carnes comedere: ſicut è contra teneretur adhuc jejunare, ſi, abſoluta Pariſiis Quadrageſima, pergeret Londinum, ubi non eſſet abſoluta: idque ob rationem Reſolutione præcedenti allegatam.

Reſol. 5. Diſcedentem à loco domicilii, ubi eſt Feſtum, teneri anteà Miſſam audire. Eſt contra nonnullos, qui volunt non teneri, ſi prævideat ſe fore in loco exemptionis ante Miſſam ultimam in ſuo oppido celebrandam; quia ibidem manens non tenebatur ante illud tempus Sacro intereſſe. Ratio tamen noſtra eſt, quia prævidens ſe non impleturum poſteà legem, tenetur prævenire: & certè ſi prævidens ſe hora X. laboraturum febri, obligetur anteà Miſſam audire, aut Horas Canonicas recitare, quidni teneretur diſcedens ſimiliter prævenire? Si dicas hunc non prævidere impedimentum, ſed exemptionem à Leges quod non accidit alteri: dicam ego omnimodam eſſe paritatem cùm tam ſit exemptus à Miſſa audienda, febri acuta laborans quàm exiſtens in loco exemptionis.

Reſol. 6. Eum, qui ſacrum audivit in ſua Parochia, ubi non erat Feſtum, non teneri ad aliud, dum accedit ad aliam Parochiam, ubi Feſtum Patroni celebratur; quia etſi Miſſam audierit, quando necdum urgebat illius obligatio; uſus tamen apud fideles invaluit, ut qui unam Miſſam audivit, non teneatur ad aliam,

aliam, ad quemcunque locum perrexerit. Imò uſus invaluit, ut poſſit etiam in Feſto Patroni extra parochiam propriam obligationi ſuæ ſatisfacere, v.g. ſi audiat Miſſam in aliquo monaſterio in Parochia vicina ſituato.

Reſol. a. Peregrinum, qui ſtatuit diſcedere hora V. non teneri expectare horam IX. ut audiat Sacrum, ubi audit Feſtum eſſe in loco hoſpitii. Ratio eſt; quia licèt teneatur ſatisfacere legi, ubi trahit moram ejus executioni proportionatam, non tenetur tamen, ut legi ſatisfaciat, moram, ſaltem longiorem trahere. Aliud eſt de incola loci, qui ſecundùm Communem exiſtimationem ad plus tenetur, quàm alter.

Reſol. 8. Quanquam non poſſit aliquis è loco domicilii, ubi feſtum agitur, diſcedere eo præcisè animo, ut alibi laboret; ſi tamen ſolebat ſingulis diebus in alia Parochia laborare, poterit, audita Miſſa, ad officinam ſuam pergere laboraturus. Ratio eſt; quia hic non agit in fraudem legis, ſicut ille; cùm non diſcedat præcisè ut excutiat à ſe obligationem Legis, ſed quia in Officina ſua, ubi quotidie laborat, licitum eſt laborare.

Reſol. 9. Similiter non poſſe quidem Petrum aliò pergere præcisè ut comedat carnes, quas non poteſt domi comedere; poſſe tamen, ſi invitetur ad prandium carnium, illud acceptare, ſi etiam erat acceptaturus, ſi non fuiſſet in loco domicilii jejunium. Ratio eſt; quia nulla hìc cenſetur fraus intervenire.

Reſol. 10. Belgam pergentem in Angliam, ubi non eſt receptum Trid. ut ibi clandeſtinè contrahat Matrimonium, illicitè contrahere quidem, ratione fraudis, non tamen invalidè; cùm ervet formam contractus Matrimonialis ibi ſervari ſolitam.

QUÆSTIO VIII.

An Legislator humanus obligare poſſit in conſcientia, an ſub peccato gravi, & quandonam cenſeatur taliter obligare?

VOluit quidem Gerſon Cancellarius Pariſienſis Leges humanas, præſertim Eccleſiaſticas, habere vim obligandi; ſed negavit vim illam ipſis competere ab homine, ſed tantùm à Deo. Contra quem ſit

CONCLUSIO I.

LEgislator tum Civilis, tum Eccleſiaſtica poteſt obligare in conſcientia. Eſt communis.

Prob. 1. Pars ex Script ad Rom. 13. v. 5. *Neceſſitate ſubditi eſtote*, ſcilicèt Legislatori civili, *non ſolùm propter iram ſed etiam propter conſcientiam*. Et. v. 2. *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt*. Ubi nomine *damnationis*, intelligitur damnatio apud Deum ut Chryſoſtomus & alii interpretes aſſerunt: undè licèt poteſtas Civilis ſit mere temporalis, hoc ſenſu, quòd non niſi res & actiones temporales reſpiciat: dici tamen poteſt ſpiritualis in ſuo effectu, ideſt in obligatione quam parit. Sicut contractus, licèt civilis; inducit vinculum ſpirituale, ſive obligationem in conſcientia ad illius executionem.

Fateor non poſſe quidem Legislatorem Civilem, pęnam, ſub qua obligat, infligere, cùm Dei ſolius ſit pœnam alterius vitæ, quam quævis culpa incurrit, infligere: undè tamen non ſequitur quòd non poſſit ad illam pœnam obligare; quia poteſt Legislator inferior obligare ad pœnam quam poteſt ſolus Superior infligere, dum à Superiore id faciendi poteſtatem accepit, ut in noſtro caſu: ſicut poteſt vinculum inducere? quod non poteſt ſolvere: obligare in foro, in quo nullam habet poteſtatem.

Malè tamen inde inferres; quòd à ſolo Deo proveniat obligatio in Conſcientia, quæ licèt proveniat ab ipſo ut cauſa prima obligandi, tamen etiam provenit à Legislatore tanquàm à principio proximo, cui non tantùm dedit Deus poteſtatem declarandi obligationem conſcientiæ impoſitam, ſed eam imponendi, ubi judicaret expedire. Quod etiam locum habet in Principibus Ethnicis, qui licèt non intendant formaliter imponere obligationem in conſcientia, fortè ipſis incognitam, intendunt tamen virtualiter & in cauſa, eo ipſo quo utuntur poteſtate Legislativa à Deo derivata, & conſequenter, licèt obligationem ignorent, illam tamen imponunt.

Prob. 2. Pars (quam eſſe de fide patet ex Concil. Conſtantienſi & Trid ſup q. 1.) ex Script. Luc. 10. v. 16. *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit*, ergo qui non audit legislatores Eccleſiaſticos, non audit Chriſtum, & cenſetur eum ſpernere, adeoque peccat. Item Matth. 18. v. 17. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*: ergo offendit in conſcientia.

Præterea nunquid dedit Chriſtus Petro poteſtatem ligandi homines, etiam in cęlis, ideſt, in cęleſti judicio, quod eſt judicium conſcientiæ? quod autem illa obligatio etiam procedat à legiſlatoribus humanis patet ex Act. 15. v. 28. ubi ſic loquuntur Apoſtoli Legislatores. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis nihil ultra imponere vobis oneris*. Et ex 1. Corinth. 7. v. 12. ubi Paulus ait. *Cæteris ego dico, non Dominus*.

Confir. utraque Pars: quia Lex naturæ dictat inordinatum eſſe, adeoque peccatum, non obedire juſtis Superiorum Legibus; legislator tum Civilis, tum Eccleſiaſticus, eſt verè Superior, poteſtque Leges condere, ut patet ex q. 1. ergo. Unde D. Bernardus Tract. de præcepto & diſpenſ. cap. 12. *Juſta*, inquit, *ſine culpa non negliguntur, ſine crimine non contemnuntur, ubique enim eſt culpabilis neglectus, & contemptus damnabilis*.

CONCLUSIO II.

POteſt Legislator tum Eccleſiaſticus, tum Civilis obligare ſub mortali.

Prob. Poteſt obligare ſub peccato veniali, quando materia eſt levis, cùm poſſit ad omnem ſuam Legem obligare ſub peccato ſeu in conſcientia, ut diximus: ergo poteſt obligare ſub mortali, quando materia eſt gravis; quandoquidem nec ratio, nec Scriptura vetet proportionatam materię obligationem imponere: imò idipſum inſinuat ipſamet Scriptura, dum reſiſtentes Superiorum poteſtati, damnationem ſibi acquirere aſſerit, quæ nonniſi ob peccatum mortale incurritur,: undè D. Auguſtinus Epiſt. 50. ad Bonifacium comitem: *Quicunque*, inquit, *Legibus Imperatorum, quæ pro Dei veritate feruntur, non vult obtemperare, acquirit grande ſupplicium*, ſcilicet apud Deum, quod ſoli graviter peccanti infligitur.

Confir. Quia conducere poteſt ad bonum commune inducere gravem obligationem: imò ſine tali obligatione leges ſæpe eſſent inutiles: ergo poteſtas illa non eſt Legislatori deneganda.

Nec refert, quòd D. Bernardus lib. de præcep. & diſpenſ. dicat *Nulla eſt lethaliter criminalis*, ſcilicet inobedientia, *niſi quæ contemptum ſuperbiæ non cvitat*: nam tantùm loquitur de tranſgreſſione præceptorum in Religione, quæ ſæpe non obligant ſub peccato, aut nonniſi ſub veniali.

CONCLUSIO III.

QUando Legislator præcipit aut prohibet rem, quæ, omnibus ſpectatis, reputatur gravis; graviter obligare cenſendus eſt, niſi aliter exprimat.

Prob. Quia tunc cenſetur obligationem materiæ capacitati proportionatam imponere; ut habet receptiſſima tum Superiorum, tum Inferiorum praxis. Porro quia non ſemper ita conſtat de materiæ gravitate ſufficienti ad obligationem ſub mortali, ut hoc faciliùs innoteſcat, pono ſequentes Regulas.

REGULA I.

QUando conſuetudo bene fundata Legem aliquam ſub gravi obligatione recepit, cenſeri debet graviter obligare, etiamſi in alia Provincia aut Regno, obliget tantùm venialiter, aut etiam non obliget. Cujus ratio eſt, quòd conſuetudo vim Legis habere poſſit; undè Regula à S.P.N S. Franciſco data Fratribus Minoribus, certis in punctis obligat & ſub mortali, & fere eadem data ab eodem Pauperibus Clariſſis, *non* obligat, ſaltem graviter.

REGULA II.

QUando Legislator Legi ſuę inſerit certas præcipiendi aut prohibendi formulas graviter comminatorias, ut ſi dicat: ſub indignatione Dei, & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ſub interminatione Divini judicii, ſub pœna maledictionis, in virtute ſanctæ obedientiæ, obligat graviter.

REGULA III.

SImiliter obligat; quando Lex imponit gravem pęnam tranſgreſſoribus, ut ſi in ſpiritualibus decreta ſit pœna Excommunicationis Majoris, ſive latæ, ſive ferendæ ſententiæ, depoſitionis, degradationis, privationis Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Item ſuſpenſionis abſolutæ, interdicti, & irregularitatis, quando ob delictum infligitur. In temporalibus autem, ſi apponatur pœna mortis, mutilationis, perpetui carceris, infamiæ, confiſcationis bonorum &c. quia non cenſetur Legislator tam gravem pœnam infligere, niſi propter gravem culpam.

REGULA IV.

QUando in Lege habentur verba *Mandamus, jubemus, præcipimus*, *imperamus*, *&c. interdicimus*, *inhibemus*, *vetamus*, ordinariè loquendo, obligat ſub mortali, quando materia

gravis

gravis eſt. Dico *Ordinariè*: nam in variis Religioonibus, ubi raró præcipitur aliquid, aut prohibetur ſub mortali, talia verba non ſufficiuot, oiſi addatur. *Per Obedientiam*, *Sub Excommunicatione*: & ita declarant Statuta noſtra generalia cap. 8. de Conſtitutionibus circa obligationem eorundem Statutorũ.

Quando autem in Lege ponũntur, *Caveant, audeant, dicant, faciant, abſtinete, facite, oportet*, volunt aliqui in materia gravi inducere obligationem ſub mortali, alii tamen negant, ſed dicendum eſt eſſe ambigua, & pro ratione circumſtantiarum aliquando per modum directionis, aliquando per modum præcepti accipi.

REGULA V.

QUando omnibus penſatis & maturè conſideratis, judicaverit vir doctus & prudens Legis obligationem eſſe gravem, graviter obligare præſumendum eſt, ſi levem, leviter.

CONCLUSIO IV.

NUlla eſt Lex, quæ non obliget in Conſcientia.

Ratio eſt; quia eo ipſo quo Lex deſinit obligare in conſcientia, deſinit eſſe Lex, ſortiturque potius rationem conſilii, cùm relinquat materiam, quam præcipit, liberam.

Dices: multæ Leges dicuntur non obligare in conſcientia, ut Conſtitutiones Dominicanorum, Statuta generalia FF. Minorum, Regulæ Societatis, & multæ aliæ Leges tum Eccleſiaſticæ, tum Civiles.

Reſp. Diſt. Aſſumpt. Dicuntor non obligare in conſcientia ad ponendum vel omittendum actum, quem Lex præcipit, aut prohibet: transeat. Nullo modo obligare: nego; quia licèt non obligent in conſcientia ad actum, obligant tamen ad pœnam, quam vel tenetur Superior tranſgreſſori infligere, vel tranſgreſſor in ſeipſo exequi, aut ſuſtinere.

QUÆSTIO IX.

An poſſit Legiſlator rem levem ſub gravi obligatione, aut gravem ſub levi præcipere?

CONCLUSIO I.

NOn poteſt Legiſlator præcipere rem undequaque levem ſub gravi culpa. Eſt communis & certa.

Prob. 1. Non poteſt Legiſlator ferre Legem injuſtam; ſed ubi præcipit Lex rem levem ſub gravi culpa, eſt injuſta, cùm obligatio excedat materiæ capacitatem: ergo. Et certè ſi Lex prohibens rem levem ſub pena capitis ſit injuſta propter exceſſum, nunquid à fortiori illa, quæ vetat rem levem ſub pœna damnationis æternæ à Deo infligendæ?

Prob. 2. Quia non poteſt Legiſlator excedere ſuam poteſtatem, ſed nec Legiſlator Eccleſiaſticus à Deo, nec civilis à populo, accepit poteſtatem præcipiendi aut prohibendi rem levem ſub gravi culpa: ergo. Prob. Min. non quidem à Deo, quia hoc nullibi exprimit Deus, nec ipſemet tali poteſtate uſus eſt, imò nec uti poteſt, ſi Tannero, Becano, Hachero, & aliis eredimus: unde comeſtio fructus, quam Deus Adamo prohibuit ſub gravi culpa, erat quidem in ſe levis, ſed gravis attentis circumſtantiis, quia petebatur abſtinentia à tali comeſtione tanquam homagium in recogoitionem ſubjectionis humanæ ad ſupremum Dei dominium. Nec etiam à populo; quia non eſt credibile conſenſiſſe, ut ſibi onus illud iotolerabile imponeretur.

Dices: in quibuſdam Religionibus prohibetur res levis ſub peccato mortali: ergo

Reſp. Diſt. Ant. Res levis in ſe: C. Attento fine ob quem prohibetur: Nego. Unde rei gravitas non ſemper petitur ab ipſa materia nudè ſpectata; cùm poſſit materia in ſe gravis quandoque reputari levis, eò quòd tantùm conducat ad finem levem, aut, ſi ad gravem, nonoiſi leviter: & è contra io ſe levis, ratione circumſtantiarum, poſſit eſſe gravis, v. g. ad conſervandam pacem, diſciplinam, bonam famam, ad vitanda ſcandala &c. Et ideo caveas ſuggillare præcepta Magiſtratuum, Belli Ducum, Epiſcoporum, Prælatorum Regularium, eò quòd prohibeant graviter res in ſe leves, v. g. furta minuta, geſtationem armorum, ingreſſum certæ domus, conſortium certæ perſonæ, præſertim alterius ſexus, conventiones puellarum cum juvenibus in tabernis &c. Cùm hæc conducere poſſint ad finem gravem.

CONCLUSIO II.

POteſt Legiſlator rem gravem præcipere aut prohibere ſub peccato levi, ideſt, ſic ut non aliter obliget ſubditos, licèt poſſit ipſe graviter peccare, obligationem graviorem non imponendo. Eſt ſatis communis, licèt ipſi contradicant quidam recentiores.

Prob. 1. Ex D. Bernardo lib. de præcep & diſpenſ. ubi ait: *Majora, minoraque mandata dixerim, ſecundùm quod majus, minuſque velle conſtiterit ipſum, qui præcipit, ſive hominem, ſive Deum*. Ubi majoritatem aut minoritatem præceptorum refundit in velle ipſius Legiſlatoris: quod tamen falſum eſſet, ſi, ut volunt adverſarii, quantitatem obligationis regularet materiæ quantitas, quandoquidem vellet, nollet, Legiſlator, eadem lex graviter obligaret, ubi gravis eſſet materia.

Dices cum Vanroy S. Doctorem tantùm velle gravitatem aut levitatem præcepti deſumi à voluntate Legiſlatoris, non nudè ſumpta, ſed ut terminata ad materiam majorem aut minorem. Sed

Contra eſt, quòd ibi oullam prorſus faciat mentionem materiæ & certè qui ſoli Legiſlatoris voluotati quantitatem obligationis adſcribere vellet, non poſſet meliùs & clariùs ſe exprimere.

Deinde, ſecundùm Adverſarios, terminatur quidem voluntas Legiſlatoris ad rem præcepram aut prohibitam, non tamen quatenus gravem aut levem; quia ſi præciperet rem, quam crederet levem, equidem lex graviter obligaret, ſi foret io ſe gravis.

Prob. 2. Quia Eccleſia prohibet communicationem in humanis cum excommunicato, ſub veniali, quam prohibere potuiſſet ſub mortali: & è contra prohibet ſub mortali celebrationem cum Alba & Amictu non benedictis, quam prohibere potuiſſet tantùm ſub veniali.

Prob. 3. Quia in aliquibus Religionibus ſunt Conſtitutiones, quæ tantùm obligant leviter in re gravi, v. g. in jejunio tempore Adventus ſervando.

Dices cum eodem Vanroy, jejunium eſſe quidem quid grave materialiter, non tamen ſemper formaliter, cùm una aut altera comeſtio carnium in Adventu poſſit quandoque tantùm leviter ad finem à Legiſlatore intentum conducere, v. g. ad perfectionem Religioſam. Sed

Contra eſt, quòd non magis conferat ad perfectionem Religioſam apud Recollectos jejunium, quàm apud Auguſtinianos, ſed illos obligat graviter in Adventu, hos ad ſummum leviter: ergo non inde petitur diverſitas illarum obligationum, ſed ex diverſa Fundatoris voluntate.

Prob. 4. Ab eodem provenit Legis obligatio, à quo provenit Lex; ſed Lex eſt à Legiſlatore: ergo & ejus obligatio: ſubſumo, atqui actus agentium non operantur ultra intentionem eorum: ergo, ſi Legiſlator velit, ut lex tantùm leviter obliget, tantùm leviter obligabit.

Objic. 1. Eſſe quidem in poteſtate Legiſlatoris rem præcipere, aut non præcipere, non tamen ut præcepta graviter aut leviter obliget; cùm hoc ſequatur ex natura rei.

Reſp Neg. Aſſump. Qoia ſicut eſt Legiſlatoris rem non neceſſariam, neceſſariam facere, ita & rem neceſſariam in tali vel tali grado obligationis conſtituere. Sequitur qoidem obligatio ex natura rei, hoc ſenſu, quòd ubi Legiſlator nihil determinat, obligatio ſit gravis aut levis, juxta materiæ proportionem; non tamen hoc ſenſu, quod obliget independenter à Legiſlatoris voluntate.

Objic. 2. Non poteſt qois vovere rem gravem ſub obligatione levi: ergo nec Legiſlator præcipere rem gravem ſub peccato levi.

Reſp Neg. Ant. Cùm enim votum ſit lex quædam particularis, ſequitur naturam legis communis, & vovens conditionem Legiſlatoris. Plura vide in Tract. noſtro ſuper Decalogum, Diſput. 2.

Objic. 3. Non poteſt Legiſlator rem levem ſub gravi peccato præcipere, aut prohibere: ergo nec gravem ſub levi.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd materia levis non ſit capax gravis obligationis, utpote ipſi improportionata; materia aotem gravis, cùm ſit capax gravis obligationis, eſt etiam capax minoris, cujus capacitatem non tenetur Legiſlator adæquare.

Objic. 4. Condens legem non poteſt impedire, quominus obliget: ergo condens in materia gravi, non poteſt impedire quominus obliget graviter.

Reſp. Neg Conſeq. Diſparitas eſt, quòd obligatio in genere ſit proprietas à lege inſeparabilis, ita ut ubi deſioit lex obligare, deſinat & eſſe lex, obligatio autem tanta aut tanta, ſit legi ut ſic accidentalis, adeoque per Legiſlatorem impedibilis.

Objic. 5. Peccaret Legiſlator, ſi in materia gravi, & ad bonum commone graviter conducente, tantùm obligaret leviter: ergo id non poteſt.

Reſp. Diſt. Conſeq. Ergo id non poteſt tunc ſine peccato: C. peccando: N. Sicut ergo tunc non poteſt ſine peccato

non ferre legem, eò quòd id exigat bonum Reipublicæ, quod tenetur promovere, ita nec poteſt tunc ſine peccato, tantùm leviter obligare. Sed ſicut tunc non ferendo legem, non obligarentur ſubditi, ita & ferendo ſub obligatione levi, tantùm obligarentur leviter, licèt ipſe reus eſset gravis peccati, ſi inde graviſſimum pateretur Communitas detrimentum. Sufficit ergo ad veritatem noſtræ concluſionis, quòd poſſint ſubditi non obligari graviter in re gravi, ſive interim peccet Legislator id faciendo, ſive non.

Objic. 6. cum Du Paſquier: quando res graviter ſervit, aut nocet bono communi, omiſſio aut commiſſio actus graviter diſſonat à recta ratione: ergo debet graviter obligare.

Reſp. Diſt. Ant. Omiſſio vel commiſſio actus graviter diſſonat &c. ſi ſit graviter præcepta aut prohibita: C. ſi leviter: N. Cùm enim ſupponatur de ſe quid liberum, non magis opponitur rectæ rationi, quàm præcipiatur aut prohibeatur.

QUÆSTIO X.

An Leges humanæ obligent cum periculo vitæ, aut alterius damni notabilis?

NOn quærimus hic, an liceat tranſgredi legem; cum aliàs eſset moriendum; quia tranſgreſſio legis ſemper eſt peccatum; jam autem potius eſt millies moriendum, quam vel unicum peccatum veniale admittere. Sed quærimus, an quando moriendum eſset, ſi lex obſervaretur, an tunc deſinat obligare ad ſui obſervantiam, ſeu, an deſinat eſse lex in tali caſu?

CONCLUSIO I.

LEx humana non obligat cum periculo vitæ, famæ, membri mutilandi, amiſſionis integræ aut notabilis bonorum, aut gravis alterius mali, extra caſus concluſione ſequenti recenſendos.

Prob. Lex non obligat, imò obligare non poteſt ad moraliter impoſſibile, ſed obſervatio legis, ubi vita, fama, &c. periclitatur, eſt moraliter impoſſibilis, cùm ſit valdè difficilis, ac ſuperans moraliter hominis fragilitatem: ergo. Unde deeſt in illo caſu in Legislatore poteſtas ad taliter obligandum; cùm non poſſit de fama, vita, aut bonis ſubditorum diſponere, niſi id exigat extrema, vel gravis Reipublicæ neceſſitas. Et in hoc differt Legislator humanus à Divino, quòd divinus, cùm ſit omnium Dominus, poſſit abſolutè ad ſuarum legum obſervantiam cum quovis periculo nos adſtringere, non ſic humanus; & ideo quòd lex Divina non obliger in tali caſu, non oritur ex defectu poteſtatis in Legislatore, ſicut in humauis, ſed ex mera ipſius benignitate; quam benignitatem oſtendit Chriſtus Matth. 12. dum approbat factum Davidis, qui panes propoſitionis, quorum eſus aliis, quàm Sacerdotibus, jure Divino interdicebatur, fame urgente, comedit. Similiter cùm ibidem excuſat Diſcipulos, qui propter neceſſitatem ſpicas Sabbato vellebant. Ex quibus formatur ſecunda concluſionis probatio: nam ſi lex Divina non ſemper obliget cum periculo vitæ, nec à fortiori lex humana. Ex dictis

Reſol. 1. Chartuſianum, cui eſus carnium eſt interdictus, poſſe, imò ex lege naturali debere, ne ſit ſuicida, comedere carnes, cùm aliis cibis deficientibus, fame periturus eſset, poteſt tamen & debet in qualibet infirmitate, quando alii cibi adſunt, juxta laudabilem Ordinis ſui conſuetudinem, à carnibus abſtinere, etſi ex earum comeſtione vitam prolongaret, quia non tenetur quis vitam carnibus prolongare, quando majus & publicum virtutis ac regularis obſervantiæ bonum id impedit.

Reſol. 2. Poſſe Sacerdotem metu mortis coactum, celebrare ſine lumine, ſive veſtibus ſacris, poſſe Catholicum comedere carnes die veneris, non audire Sacrum die Dominico, non communicare in Paſchate &c. quia non cenſetur benigna Mater Eccleſia in tanto diſcrimine ad ſuas Leges obligare. Et certè ſi tunc poſſit Sacerdos ſacrificium mutilare, Pœnitens Confeſſionem dimidiare, quæ ſunt juris Divini; quidni licerent & præfata? Excipe tamen, niſi id peteretur in contemptum Religiouis, propter dicenda Concl. ſeq.

Reſol. 3. Ad conſervandam vitam, famam &c. licitum eſſe cenſura Eccleſiaſtica ligato, in omnibus, etiam ſacris ſive conferendis, ſive recipiendis communicare cum Fidelibus; quia cenſetur tunc prohibitio Eccleſiaſtica ceſſare.

Reſol. 4. Similiter poſſe aliquem, ad vitandam mortem, communicare cum excommunicato; quia dum Innocen. III. cap. *Sacris* de his quæ vi, metuſve cauſa fiunt, docet, non eſſe communicandum cum excommunicato propter metum, vel loquitur de metu levi: vel, ſi de gravi, tantùm vult non eſſe communicandum in crimine excommunicati.

Advertendum hic pro confirmatione concluſionis, nequidem in periculo mortis, obligare Legem naturalem poſitivam; & ideo non debet quis illo caſu ſecretum ſervare, votum implere, extremè indigenti ſuccurrere, quæ ſunt juris naturalis poſitivi; quia omnibus illis prævalet vita propria. Sed in rigore non ſunt præſata de Lege naturæ in illis circumſtantiis.

Dixi: *Legem naturalem poſitivam*; negativam enim etiam tunc obligare, eò quòd intrinſecè mala, adeoque nunquam cohoneſtabilia, prohibeat, extra dubium eſt, & ideo teneretur quis mortem potiùs eligere, quàm fornicari, adulterare, ſe polluere &c.

CONCLUSIO II.

LEx humana obligat cum periculo vitæ, ubi id exigit bonum commune, aut quando Legis violatio cederet in contemptum Dei, Religionis, Fidei, aut poteſtatis Legislativæ. Ita DD. communiter, licèt aliqui contradicant quoad primam partem.

Prob. 1. pars; quia bonum commune prævalet privato, ſicut totum corpus prævalet uni membro. Hinc præcipere poteſt Epiſcopus Confeſſariis, & Magiſtratus Medicis, ut maneant in civitate tempore peſtis: illi, ut animabus, hi, ut corporibus conſulant. Item tenetur miles cum periculo vitæ hoſtes aggredi, muros civitatis conſcendere, in ſtatione manere, propter bonum exercitus. Porrò cenſetur bonum publicum id exigere, quando, omnibus ſpectatis, & ſecundùm Deum conſideratis, majus eſt bonum Communitati, quòd Lex ſervetur, quàm vita aliquorum particularium: nam ſi illorum vitæ conſervatio plus proſit Communitati, quàm obſervatio Legis, non tenentur cum periculo vitæ legẽ obſervare, ut per ſe patet.

Prob. 2. pars: quia, quod petitur in contemptum Fidei, Religionis, aut Eccleſiaſticæ poteſtatis, petitur in contemptum Dei, quem poſitivè inhonorare, ſemper intrinſecè malum eſt. Hinc ſi in contemptum Fidei, aut Eccleſiæ cogaris in loco profano celebrare, veſci carnibus in Quadrageſima, die Dominica laborare &c. tibi potiùs moriendum eſt, quàm obtemperare. Etiam cum periculo vitæ Legem humanam obligare, quando, ipſa non obſervata, graviter admodum ſcandalizarentur infirmi, videtur inſinuare Auguſt. lib. de Bono conjugii, cap. 16. ubi ait: *Satius eſt ſame mori, quàm idolothytis veſci*: & ideo Eleazarus, ne Adoleſcentes ſcandalizaret, potiùs mortem elegit, quàm ſimulare ſe carnes Lege prohibitas comediſſe. Crediderim tamen ſcandalum debere eſſe tale, ut inde grande malum Communitati, aut Religioni eveniat.

Dice;: tenemur ex lege naturæ vitam conſervare: ergo nulla lex poſitiva, ſaltem humana, poteſt contrarium præcipere.

Reſp. In dictis caſibus obligationem ſervandi Legem cum periculo vitæ, non orir: poſitivè ex Lege poſitiva; nam in primo caſu includitur aliquid juris naturalis; cùm jus naturale dictet, ut membra ſeſe exponant pro conſervatione totius; quia tamen illa obligatio ſæpè eſt indeterminata ad hoc vel illud membrum, lex poſitiva aliquando determinat; & ideo obligatio determinata, eſt partim legis naturæ, partim legis humanæ. In ſecundo autem caſu, tota obligatio oritur ex lege naturæ legem poſitivam præſupponente; quia vult lex naturæ, ut potiùs ſervetur lex poſitiva cum diſpendio vitæ, quàm Deus inhonoretur; ſicut enim debemus Deum ſuper omnia diligere, ità & potiùs omnia tolerare, quàm ipſum inhonorare, aut contemnere: unde fatendum eſt, legem poſitivam obligare quidem in præfatis caſibus, ſed in quantùm aſſiſtit ipſi lex naturalis.

QUÆSTIO XI.

An poſſit quis pluribus actibus eodem tempore exercitis, & unico aEtx diverſis obligationibus ſatisfacere?

CONCLUSIO I.

NOn poteſt quis diverſis obligationibus ſeu præceptis ſatisfacere per actus diverſos ſimul exercitos, ſi poſitio unius impediat poſitionem alterius: ſecùs, ſi non impediat.

Prob. 1. pars; quia tunc non ponuntur actus tales, quales requirunt ſingula præcepta; cùm ad minimum requirant actus in ſua ſpecie perfectos. Hinc qui debet ex obedientia pingere, non poteſt pingendo, præcepto Miſſam audiendi, aut Horas Canonicas recitandi, ſatisfacere; quandoquidem attentio & applicatio ad picturam tollat attentionem requiſitam ad auditionem Miſſæ & recitationem Horarum.

Prob. 2. pars; quia poteſt quis peregrinans ex voto, in itinere ſatisfactionem Sacramentalem implere, aut Officium Divinum perſolvere: ſicut audiens Miſſam die Dominico, poteſt

preces

preces illas tecitare, ad quas tenetur vel ex voto, vel ex pœnitentia, vel ex præcepto; quia, ut diverſis illis obligationibus ſatisfacias, ſufficit unica ad Deum attentio, quam preces ſub Miſſa tecitatæ non tollunt, ſed potiùs fovent; & ideo ſolent fideles tempore Sacri Coronam B. Virginis aut alias preces tecitare.

CONCLUSIO II.

POteſt quis pet unicum actum divetſis præceptis ſatisfacere, quando ſingula præcepra eandem prorſus materiam præcipiunt; quia parum teſert, an unico actu, vel duobus materia præcepta ponatur; modò totum id, quod divetſis Legibus præcipitur, debitè ponatur: Hinc Frater Minor Subdiaconus unica Horarum lectione ſatisfacit, & præcepto Regulæ, & præcepto Eccleſiæ. Idem eſt de Sacerdote beneficium poſſidente. Imò quandoque non poſſumus aliter, quàm unico actu diverſis obligationibus ſatisfacere, ut ſi Vigilia alicujus Sancti incidat in Feriam quartam, aut ſextam quatuor Temporum.

Nec refert quòd duobus debitis centum aureorum non ſatisfiat, ſolvendo ſemel centum aureos; quia in actibus juſtitiæ commutativæ attenditur æqualitas rei ad rem; & ſic, ut duobus debitis centum aureorum ſatisfiat, requiruntur duæ ſolutiones centum aureorum, vel unica ducentorum. In adimpletione autem Legis ſpectatur intentio Superiorum, qui poſſunt per diverſas Leges unicum actum intendere.

Quando autem Lex nova priori ſuperveniens præcipiat eundem actum, quando diverſum? Colligendum eſt ex tenore Legis, conſuetudine, aut circumſtantiis. In dubio autem, judicandum eſt præcipete diverſum actum, quia ſic accidit communiter: & ideo ſi quis voverit audire Miſſam die feriato, aut ad id teneatur ex præcepro, ut in die Feſto, tenetur duas Miſſas audire, ſi ipſi eodem die pro pœnitentia Sacramentali, auditio Miſſæ imponatur; ſicut ſi Confeſſarius impoſuiſſet ipſi jejunare uno die Sabbathi indeterminatè, non poſſet primo die Sabbathi, quo voverat jejunare, utrique obligationi ſatisfacere. Aliud eſſet, ſi imponeret ipſi jejunium in Quadrageſima; quia tunc neceſſariò debet pet unicum actum utrique obligationi ſatisfacere.

Advertendum tamen, quòd ſi voviſti quotidie audire Sacrum per aliquod tempus (idem eſt ſi tibi in Sacramento Pœnitentię fuerit impoſitum) non teneris diebus Dominicis & Feſtis duas Miſſas audire, ut docent Sanchez, Bonacina, & alii, quia ex benigna interpretatione cenſeris ad unicam Miſſam obligatus, niſi aliud conſtet ex tua, vel Confeſſarii mente.

QUÆSTIO XII.

An teneatur quis impedientia Legis executionem tollere, & an qui non poteſt totam Legem, debeat partem implere?

CONCLUSIO I.

NOn tenetur quis omnia Legis humanæ executionem impedientia tollere; tenetur tamen aliqua.

Prob. 1. pars; quia non eſt credibile voluiſſe Legiſlatorem ad illa omnia obligare; imò noluiſſe, ex communi fidelium ſenſu colligitur. Hinc

Reſol. 1. Poſſe aliquem ad honeſtam recreationem venari, itinerari, ſicut & divitem laborare, licèt prævideant ſe inde à jejunio eximendos; modò tamen non fiat in fraudem Legis, ideſt, ex intentione præcisè ab obligatione Legis ſe liberandi. Ratio eſt, quia talis eſt fidelium ſenſus & praxis.

Reſol. 2. Non eſſe obligandum excommunicatum cum gravi onere, v. g. cum itinere 10. aut 12. Leucarum, ad ſibi procurandam abſolutionem, ut poſſit die Dominico Sacrum audire, vel ſuo tempore Communionem Paſchalem ſumere, ſi prævideat ſe brevi ſine illo onere abſolvendum.

Reſol. 3. Poſſe aliquem die Veneris, aut Sabbathi ſummo mane ex oppido diſcedere, licèt die Dominico non ſit habiturus occaſionem Miſſam audiendi; modò habeat aliquam cauſam, ſaltem honeſtam: nam violaret præceptum Miſſæ audiendæ, qui die Veneris ſe inebriaret prævidens ſe inde Miſſam non auditurum die Dominico, quidquid dicant aliqui: quia in primo caſu facilè præſumitur talem eſſe mentem Legiſlatoris, non in ſecundo.

Prob. 2. pars: quia extra dubium eſt, quòd obligemur illa impedimenta tollere, aut non ponere, quæ vel ex natura rei, vel proximè moraliter, Legis executionem impediunt; quia præcipiens finem, cenſetur ad minimùm media ad finem vel ex natura rei, vel proximè moraliter neceſſaria præcipere. Unde peccant qui ſtudium, lectum, aut ludum non deſerunt, ubi urget Officium Divinum recitandum; peccant qui die Sabbathi ſub veſperam, aut die Dominico diſcedunt ad loca, ubi non erit commoditas Miſſæ audiendæ. Peccant contra præceptum jejunii, qui ex ſua culpa incidunt in infirmitatem, ex qua prævident ſe à jejunio impediendos.

Dixi in Concluſ. *Legis humanæ*; quia non dubitatur, quòd teneamur omnia illa impedire, quæ per ſe legis naturalis executionem impediunt, ſive remotè, ſive proximè; quia, cùm lex naturæ obliget omni caſu, omni loco, omni tempore, etiam obligat omni tempore & omni caſu ut fugiamus, aut tollamus ea, quæ eius adimpletioni opponerentur: unde peccant Profeſſor Theologiæ, Confeſſarius, Advocatus, Medicus &c. qui ponunt, aut non tollunt ea, quæ obſunt eorum officiis debitè exercendis. Paveant igitur ignorantes, qui ignorantiæ tenebras amovere negligunt.

CONCLUSIO II.

QUi non poteſt totam legem implere, tenetur ad partem, ſi poſſit poni, & lex non ſit indiviſibilis.

Ratio eſt; quia in tantùm excuſatur quis à lege, in quantùm non poteſt illam implere: ergo, ſi non poſſit totam, poſſit tamen partem, ad illam tenebitur: unde qui defectu Breviarii non poteſt recitare Matutinum cum Laudibus, tenetur ad alias Horas, ut declaravit Innocentius XI. condemnans hanc Propoſitionem: *Qui non poteſt recitare Matutinum & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur &c.* Item: qui non poteſt abſtinere à carnibus, poteſt autem à pluribus refectionibus, non poteſt duas integras ſumere, quia hic reperitur duplex præceptum, ſaltem virtuale, & abſtinendi à carnibus, & ſumendi unicam refectionem. An autem qui poteſt ex juſta cauſa duas integras refectiones ſumere, poſſit pro libitu tres aut quatuor? Negativam tenuimus in materia de jejunio Tom. 3.

QUÆSTIO XIII.

Quid Legis interpretatio, & quis poſſit Legem interpretari?

CONCLUSIO I.

LEgis interpretatio eſt verbi aut ſententiæ obſcuræ per aliud declaratio quoad ſenſum à Legiſlatore intentum. Differt ab Epikeja, quòd hæc non circa verba obſcura aut ambigua verſetur; ſed circa mentem Legiſlatoris, licèt verba legis ſint clara.

CONCLUSIO II.

TRiplex eſt legis interpretatio, Authentica, Uſualis, & Doctrinalis. Authentica eſt, quæ fit ab eo, qui poteſt Legem condere, obtinetque vim legis, ſi debitè promulgetur.

Uſualis eſt, quam ſuo modo facit uſus ipſe, ſeu conſuetudo in hac vel illa Communitate recepta: poteſt etiam vim legis obtinere. Doctrinalis verò, ſeu ſcholaſtica eſt illa, quæ fit à viris peritis, rem attentè & maturè conſiderantibus: hæc licèt obligationem non inducat, eam tamen aperit, eſtque magni ponderis, præſertim cùm plurimi graves Doctores in eundem Legis ſenſum conſpirant. Undè licitum eſt illam ſequi, modò non adſit altera probabilior, aut æque probabilis; conformiter ad ea quæ diximus de opinione probabili.

CONCLUSIO III.

AD Legiſlatorem aut ejus ſucceſsorem pertinet, Legem authenticè interpretari.

Ratio eſt, quia illius eſt legem authenticè interpretari, cujus eſt illam condere: quandoquidem interpretatio authentica obtineat vim legis. Poteſt autem Succeſsor legem prædeceſsoris authenticè interpretari cum majori facilitate & libertate, quàm poſset privatus doctrinaliter; quia licet Princeps legem anteriorem interpretando, ejus ſenſum non aſsequatur, authoritas tamen interpretantis defectum ſupplet Legis interpretatæ, ſiquidem Lex interpretans, non minus obligat quàm Lex interpretata.

CONCLUSIO IV.

POteſt etiam conſuetudo, non tantùm, Eccleſiæ univerſalis, aut Regni integri, ſed etiam alicujus civitatis particularis, Legem interpretari. Patet ex L. 36. ff. de Legibus, ubi dicitur: *Si de interpretatione quæratur, in primis inſpiciendum eſt, quo jure civitas retrò in ejuſmodi caſibus ſua fuit: optima enim eſt legum interpres conſuetudo.*

CONCLUSIO V.

POſſunt Legem doctrinaliter interpretari non tantùm illi, qui ſunt ex profeſſo aut judices, aut Doctores, aut anima-

rum Paſtores, ſed omnes illi, quibus ineſt prudentia & ſcientia ſufficiens, imò in neceſſitate poteſt illam interpretari de bono & æquo Plebejus, aut Ruſticus.

Prob. 1. pars; quia, dum non ſatis patet, ratione alicuius verbi aut ſententiæ obſcuræ, quid ſua Lege præcipere aut prohibere voluerit Legiſlator, nec facilis eſt ad ipſum recurſus, debent poſſe aliqui Legem ejus interpretari, ut tollatur ſubditorum perplexitas, aut dubietas, cumque interpretandi facultas non uni potiùs legatur conceſſa, quàm alteri, meritò infertur cuilibet viro docto & prudenti competere.

Prob. 2. pars; quia Lex naturæ dictat, ut quilibet in perplexitate, dum hic & nunc eſt agendum, nec patet ad doctiores recurſus, lumen rationis conſulat & ſequatur. Ad debitam autem Legis interpretationem, ſervandæ ſunt ſequentes Regulæ.

REGULA I.

DEbet interpretans magis curare; ut aſſequatur mentem Legiſlatoris, quàm verba Legis. Ratio eſt, quia mens Legiſlatoris eſt veluti ſpiritus & anima legis, ex qua per verba tanquam inſtrumenta omnis obligatio procedit. unde L. 16. ff de Legibus: *Scire Leges non eſt earum verba teneri, ſed vim ac poteſtatem*. Poteſt autem mens Legiſlatoris cognoſci partim ex materia, partim ex motivo legis condendæ, partim ex verbis præcedentibus aut ſequentibus, partim ex aliis legibus iiſdem verbis conceptis, partim ex inconvenientibus, aut abſurdis aliàs ſecuturis.

REGULA II.

DEbet, quantùm fieri poteſt, verborum ſignificationem vulgarem retinere, niſi aliud conſtet ex mente Legiſlatoris.

Ratio eſt, quia præſumendum eſt Legiſlatorem fuiſſe propriè locutum, & ad captum populi, niſi ex lege ſic intellecta ſequatur abſurditas, v. g. quod eſſet injuſta, moraliter impoſſibilis, nugatoria, inutilis, alterius legis abrogatoria, quam conſtaret neceſſario eſſe obſervandam. Porrò cùm verba legis duplicem habere poſſint ſignificationem, naturalem ex communi uſu, & civilem ex juris impoſitione juxta ſignificationem naturalem ſunt intelligenda, ſi aliam non habeant; juxta verò civilem, ſi aliter intellecta Lex inutilis eſſet & ridicula: quòd ſi habeant ſignificationem & naturalem & civilem, naturalis, per ſe loquendo; eſt præferenda, utpote humano convictui magis accommodata; ſicut quando ſignificatio naturalis duplex eſt, præferri debet magis uſitata, niſi aliud innoteſcat.

REGULA III.

LEx favorabilis nulli præjudicium ferens, eſt amplianda, odioſa verò reſtringenda, modo propria verborum ſignificatio retineatur, & mens Legiſlatoris ignoretur; quia, ut habet regula juris 16. in 6. *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari*: Undè quando Lex conſtituit aliquid circa filios, comprehendit etiam adoptivos, ſi ſit favorabilis; non comprehendit, ſi ſit odioſa: ſicut Lex circa Clericos comprehendit Religioſos in favorabilibus, non tamen in odioſis.

REGULA IV.

NUllus privatus extra judicia, ſaltem externa debet ordinariè legem, etiam favorabilem, ob eandem, parem, aut majorem rationem, extendere ad ſimiles caſus, aut perſonas, ultrà verborum proprietatem. Ratio eſt; quia licèt eadem, par, aut major ratio ad id movere potuerit Legiſlatorem, potuit tamen etiam non movere, cùm ſit liber, & præſertim cùm poſſit habere rationem nobis ignotam, cur pro ſimilibus caſibus, aut perſonis legem tulerit, non pro aliis: unde in iis quæ dependent à voluntate; non eſt argumentandum à pari.

Dixi 1. *Extra judicia ſaltem externa*; quia in illis, ſi non ſuppetat Lex controverſiæ deciſiva, à ſimilibus ad ſimilia proceditur, modò Lex ſimilis corpori juris ſit inſerta: Patet ex L. ult. *de Legibus*.

Dixi 2. *Ordinariè*; quia excipiuntur certi caſus: 1. Quando ex Lege non extenſa ad ſimiles caſus ſequeretur abſurditas. 2. In correlativis: unde quod ſtatuitur pro marito, ſtatuitur & pro uxore, niſi aliud exprimatur alibi. 3. In iis quæ jure aut conſuetudine æquiparantur, ut exequens & mandans: quia quod quis per alium facit, per ſeipſum facere cenſetur. 4. Quando materia ſubordinatur materiæ præceptæ, aut prohibitæ tanquam imperfectum ſub perfecto, & ideo qui poteſt facere teſtamentum, poteſt & Codicillum, qui poteſt comedere carnes, poteſt & ova, non tamen è contra.

QUÆSTIO XIV.

An ſit aliquando licitum uti EpiKeja?

EPikeja (quam Ariſtoteles definit 5. Ethic. 10. emendationem Legis ex ea parte qua deficit, propter univerſale) clariùs ſic poteſt deſcribi: *Benigna interpretatio, quòd caſus aliquis particularis, ob circumſtantias ſuas, in Lege univerſaliter lata non ſit comprehenſus*. Ex quo ſequitur illud particulare fieri poſſe, vel omitti ſine formali Legis tranſgreſſione.

CONCLUSIO I.

ORdinariè non licet uti Epikeja in Legibus irritantibus, ſeu infirmantibus contractus.

Ratio eſt; quia per illas Leges præſcribitur forma contractus: res autem non poteſt ſine ſua forma ſubſiſtere. Hinc teſtamentum factum ſine Notario, ubi requiritur: Matrimonium contractum ſine Parocho & teſtibus, ubi receptum eſt Tridentinum, ſunt invalida, etiamſi, ratione peſtis, Belli, aut alterius occurrentiæ, non potuerint haberi, imò etſi ad evitandam mortem taliter facta fuiſſent.

Nec refert, quòd indè poſſit oriri grave damnum contrahentibus, quia bonum notabile, quod ex illarum Legum obſervatione provenit Reipublicæ, prævalere debet particulari aliquorum incommodo: & certè ſi hoc eſſet, quot fraudes, quot concubinatus exercerentur?

CONCLUSIO II.

LIcitum eſt quandoque uti Epikeja in Legibus ad actionem vel omiſſionem obligantibus.

Ratio eſt; quia, cùm leges humanæ univerſaliter ferantur, nec caſus particulares quandoque excipiendos excipiant, ne in immenſum creſcant, neceſſe eſt interdum contra aperta legis verba (non tamen contra mentem Legiſlatoris, qui, ut ſupponitur, ſi adeſſet, conſentiret) aliquid facere vel omittere, ne alioqui Lex in certis caſibus reddatur moraliter impoſſibilis, & quandoque injuſta.

Porro in Legem humanam cadit Epikeja: 1. Quando legis obſervatio foret nimium rigoroſa, difficilis, aut incommoda, non Chriſtiano pigro, delicato, & in iis quæ ſalutem concernunt inerti, ſed timorato, & conſcientioſo: unde ſi quis jejunando, Miſſam audiendo, exponat ſe periculo gravis damni in vita, fama, fortuna, bonis acquiſitis, aut acquirendis, poteſt uti Epikeja, quia meritò præſumi poteſt noluiſſe Legiſlatorem cum tanto gravamine obligare.

Dixi: *Gravis damni*; quia non aſſentior Authoribus illis accommodis, qui, ut foveant inordinatam Mercatorum cupiditatem, ipſos à Miſſa eximunt, ne perdant lucrum trium aut quatuor florenorum; quia omne lucrum diebus Dominicis aut feſtis faciendum ex venditione aut emptione, cedere debet ſervitio divino, & diei Sanctificationi, quæ tales contractus interdicit.

2. Quando Legis obſervatio repugnaret Legi naturali, divinæ, aut etiam humanæ ſuperiori; ſive quando ex aliqua loci, perſonæ, aut temporis circumſtantia redderetur iniqua.

3. Quando foret bono communi pernicioſa: hinc licèt Princeps prohibuiſſet Civibus geſtare arma ad impedienda homicidia, duella &c. poſſent tamen ex Epikeja illa ſumere contra hoſtes, civitatem invadere conantes.

4. Dum, omnibus prudenter, maturè, & ſecundùm Deum conſideratis, probabiliùs judicari poteſt non fuiſſe mentem Legiſlatoris, talem caſum comprehendere; modò tamen non poſſit conveniri; ſi enim facilè conveniri poſſit, non licet, omiſſa via certa, ex conjecturis probabilibus operari. In dubio autem, an voluerit, aut noluerit talem caſum comprehendere, illa pars eſt tenenda, pro qua ſtat præſumptio veritatis: quòd ſi pro neutra parte ſtet, via tutior eſt eligenda. Cavendum tamen Judicibus ita facile in exercendis judiciis uti Epikeja: quia in illis rarè præſumi poteſt noluiſſe Principem caſum particularem comprehendere; cùm inde facilè aperiri poſſet janua fraudibus.

QUÆSTIO XV.

An Lex poſſit mutari?

SI naturam Legis ſpectemus, immutabilis eſt, cùm ſit perpetua: ſi materiam, quam præcipit, ſubjectos quos afficit, cauſas ob quas fertur, inſpiciamus, mutari, ideſt, ejus obligationem tolli poſſe videbimus, & quidem veluti ab intrinſeco, deſinente ſcilicet cauſa totali, ob quam condita eſt; ab extrinſeco

ſeco autem, per abrogationem, diſpenſationem, conſuetudinem contrariam &c. de quibus Articulis ſequentibus agemus.

ARTICULUS I.

An Lex deſinat, deſinente cauſa finali?

Certum eſt Legem deſinere deſinente cauſa finali contrariè, ideſt, adveniente ratione, an fine contrario fini, ob quem lata eſt; ſed an etiam deſinat, deſinente cauſa finali, negativè, ſeu contradictoriè, ideſt, quando præcisè finis Legis deſinit ſubſiſtere? Diſtinctione utendum eſt. Sed ante reſolutionem

Adverte 1. Finem Legis aliquando ceſſare, aut quaſi ceſſare poſſe reſpectu perſonæ & caſus particularis, & aliquando reſpectu totius Communitatis, & in omni caſu.

Adverte 2. Legem aliquando ferri ob diverſos fines. Sic imponi poteſt Lex tributaria ad reparanda mœnia civitatis, ad alendos milites &c.

Adverte 3. Legem aliquando rem indiviſibilem, aliquando diviſibilem, imò & plura ſpecie diſtincta præcipere aut prohibere: ſic Lex non ferendi gladium v. g. prohibet rem indiviſibilem, nempe illius geſtationem. Lex autem recitandi Horas Canonicas, rem diviſibilem præcipit, ut patet. Lex verò jejunii plura ſpecie diſtincta, nempe abſtinentiam à carnibus, & unicam refectionem. His notatis

CONCLUSIO I.

Deſinente ſimpliciter cauſa finali reſpectu totius Communitatis, deſinit etiam ipſa Lex, quæ rem indiviſibilem præcipit ob unicum finem.

Prob. Lex ab initio non ſubſiſtit, quæ ſine ratione fertur, utpote bono communi inutilis: ergo, propter eandem rationem, ſubſiſtere deſinit, deſinente ratione ob quam condita eſt. Colligitur ex cap. *Cum ceſſante* de appellationibus, ubi habetur: *Ceſſante cauſa, ceſſat effectus*. Hinc ſi Magiſtratus præcepiſſet civibus, ut excubias agerent, præcisè ob diruta civitatis mœnia, illis reparstis, ceſſaret obligatio excubias agendi.

Porro Concluſio intelligi debet, non tantùm quando lex præcipit rem de ſe indifferentem, ut geſtationem armorum, ſed etiam quando præcipit actum de ſe bonum, ut jejunium, quidquid contradicat Suarez; quia, cum Legiſlator rem bonam, ſicut & indifferentem non præceperit, niſi propter rationem, quæ ad idipſum impulit, illa ratione totaliter ceſſante, cenſetur non velle amplius obligare.

Dixi 1. In Concluſione: *Deſinente ſimpliciter*; quia ſi cauſa finalis tantùm ad aliquod tempus deſinat, lex non deſinit abſolutè, ſed manet pro illo tempore ſopita, eo ipſo expergefacienda, quo cauſa finalis revixerit, ſine alia formalitate.

Dixi 2. *Qui rem indiviſibilem præcipit*; quia ſi præcipiat rem continentem plures partes à ſe invicem ſeparabiles, aut etiam plura diſparata, tunc, ceſſante ratione, propter quam una pars præcepta eſt, aut unum diſparatorum, remanet lex quoad alteram partem.

Dixi 3. *Ob unicum finem*; quia ſi ob varios fines, uno fine deſinente, non deſinit lex, ſi alii fines ſint adhuc ſufficientes: unde ſi Epiſcopus jejunium indixiſſet ad pacem, ſerenitatem, & fertilitatem obtinendam, obtenta pace, adhuc eſſet jejunandum; in mero autem dubio, an reſtet cauſa ſufficiens, ut lex obligare perſeveret, tutius eſt amplectendum.

CONCLUSIO I.

Quando cauſa finalis in aliquo tantùm caſu & perſona particulari videtur deſinere, non deſinit lex obligare reſpectu illius. Eſt communis inter DD. contra paucos, quorum ſententiam nullo modo probabilem eſſe aſſerunt Bonacina, & Præpoſitus.

Prob. 1. Quia licèt tunc videatur ceſſare cauſa finalis, revera tamen non ceſſat: ergo &c. Prob. Ant. Non ideo lex actionem præcipit aut prohibet, quia actualiter aut bonum Communitatis promovet, aut damnum ab ea avertit, ſed quia nata eſt ordinariè & communiter illud facere, atqui actio præcepta aut prohibita, licèt fortè in caſu concluſionis, aut bonum Communitatis non promoveat, aut damna ab ea non avertat, nata eſt tamen ordinariè & communiter illud facere: ergo.

Declaratur in exemplo: Prohibitum eſt in Diœceſi Tornacenſi, ne juvenes ſimul cum puellis conveniant in popinis, non quia conventiones illæ ſemper generent ſcandalum; cùm poſſint ibidem honeſtè converſari; ſed quia natæ ſunt communiter illud cauſare: ergo licèt tibi abblandiaris ex ſimili conventione non generari hic & nunc ſcandalum, credere tamen non potes, non eſſe natam illud generare: & ſic remanet verè finis legis.

Prob. 2. Quia intereſt boni publici, ut leges communes ab omnibus communiter ſerventur, tum ut ſit uniformitas in membris, tum ut finis legis efficaciùs obtineatur, qui aliàs vix poſſet obtineri, quia plurimi ſibi faciiè perſuaderent finem legis ceſſare, ubi revera non ceſſaret. Sic ſi Princeps prohibeat armorum geſtationem, ut vitentur duella, homicidia, vulnera, nunquid unus dicet ſe eſſe ſenem, alter nullum habere inimicum, hic eſſe pacificæ indolis, ille rixas & pugnas abhorrere? & ſic ferè nullus ad legem teneretur: unde, ut illa vitentur, quæ legem bono communi ferè inutilem redderent, jure merito vult Legiſlator, ut lex ab omnibus, etiam in caſu concluſionis, obſervetur.

Prob. 3. Ex praxi fidelium, qui etſi nullo modo videant periculum labendi in defectum, propter quem vitandum lex condita eſt, credunt tamen peccare, legi contraveniant: hinc Theologus maximè verſatus credit ſe reum peccati, ſi legat libros Hæreticorum, licèt non timeat perverſionem, ob cujus periculum lectio illa prohibita eſt, & ſic de aliis.

Dices: Lex non tantùm obligat omnes in generali, ſed ſingulos in ſpeciali: ergo ſicut, deficiente ratione apud omnes, manent omnes deobligati; ita deficiente apud unum, manet unus deobligatus.

Reſp. Si poſſet Legis finis totalis & adæquatus deſinere negativè reſpectu perſonæ particularis, ſicut poteſt reſpectu Communitatis, quòd ratio aſſumpta eſſet valida, ſed cùm hoc fieri non poſſit, ut ſatis liquet ex probationibus, negandum eſt ſuppoſitum: unde in concluſione non dixi, quando deſinit cauſa finalis. Sed quando videtur deſinere; quia revera nunquam deſinit, ſaltem adæquata & totalis.

ARTICULUS II.

An & quomodo poſſit Legiſlator Legem abrogare, aut ei derogare.

Legem abrogat Legiſlator, cùm totaliter; derogat verò, cùm partialiter illam tollit: ex quo habes, quòd ſi poſſit Legem abrogare, à fortiori ipſi derogare, qui enim poteſt plus, poteſt & minus ſub eo contentum.

CONCLUSIO I.

Non poteſt Legiſlator abrogare Legem licitè, ubi deeſt cauſa bonum commune reſpiciens, poteſt tamen validè.

Prob. 1. pars; quia ſine legitima cauſa Legem Reipublicæ utilem abrogare, eſt abuti poteſtate & juriſdictione, Leges & Legiſlatores contemptui exponere, & populum Legibus antiquis aſſuetum quandoque perturbare & gravare: unde, ut dicitur L. 2. ff. *de Conſtitutionibus Principum: in rebus novis conſtituendis, evidens utilitas eſſe debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum viſum eſt.*

Cenſetur autem eſſe cauſa ſufficiens, ſi, omnibus prudenter conſideratis, credatur Legis abrogatio æquè, aut magis profutura Communitati, quàm ejuſdem conſervatio.

Prob. 2. pars; quia per quaſcunque cauſas res naſcitur, per eaſdem diſſolvitur; ſed Lex naſcitur per voluntatem Legiſlatoris: ergo per eandem poteſt abrogari: unde ſicut potuit ab initio, licèt irrationabiliter, Legem utilem non ferre, ità poteſt deinceps, licèt irrationabiliter, eam tollere; & ità quidem, ut ab omni Legis obligatione eximantur ſubditi.

An autem poſſit abrogare ſuam Legem à Superiore confirmatam, diſtinguendum eſt; vel enim confirmata fuit in favorem Communitatis, vel in favorem Legiſlatoris: ſi primum, non poteſt illam abrogare; quia Superior confirmando, fecit illam quaſi ſuam: ſi ſecundum, poteſt; quia cenſetur tantùm illam confirmaſſe, ut haberet plus ponderis & roboris: & taliter confirmata ſunt variarum Religionum ſtatuta.

CONCLUSIO II.

Poteſt etiam Superior & licitè & validè Legem inferioris abrogare, ubi juſta cauſa ſubeſt, non tamen inferior Legem Superioris.

Prob. 1. pars; quia inferior plenè ſubjicitur poteſtati Superioris, adeoque & omnes Leges ab eo conſtitutæ.

Prob. 2. pars; quia inferior nullam habet poteſtatem in Superiorem, adeoque nec in illius Leges: & ideo nec Epiſcopi, nec Cardinales poſſunt Leges Papales abrogare: ſicut nec Civitatum Rectores, Regias aut Imperiales.

CONCLUSIO III.

Lex recepta tripliciter abrogari poteſt per conſuetudinem contrariam, de qua Art. ſeq. per expreſſam Legiſlatoris revo-

revocationem, & per Legem poſteriorem priori repugnantem. Res eſt in terminis clara.

Advertendum tamen, quòd Lex poſterior univerſalis abroget quidem priorem, etiam univerſalem, cui repugnat; non tamen ſpecialem (ſub qua comprehenduntur ſpeciales locorum conſuetudines, ſtatuta, & privilegia) etiamſi in Lege univerſali ponatur clauſula derogatoria generalis, id eſt, *Non obſtante quacunque conſuetudine, &c.* niſi legis ſpecialis fiat mentio expreſſa, vel aliunde conſtet, talem eſſe mentem Legislatoris, ut expreſsè decidit Bonifacius VIII. cap. 1. *de Conſtitutionibus* in 6.

Ratio eſt; quia, ut habet Regula juris 34. in 6. *Generi per ſpeciem derogatur*, id eſt, ſpecies, ſeu Lex ſpecialis prior deroget generi, id eſt, Legi generali poſteriori, ut Gloſſa, & omnes alii intelligunt. Idem eſt de Lege juramento firmata; quia præſumitur noluiſſe Legislatorem cum perjurio Legi derogare.

ARTICULUS III.

An conſuetudo poſſit Legem introducere aut abrogare?

ADvertendum eſt, conſuetudinem aliam eſſe facti, aliam juris. Prima eſt frequentia actuum ſimilium à majori parte Communitatis exercitorum. Secunda, quæ naſcitur ex prima, tanquam effectus ex cauſa, eſt jus quoddam moribus inſtitutum, quod cauſa eſt quòd pro Lege ſuſcipitur: dicitur ab aliquibus jus non ſcriptum, ad differentiam Legis ſcribi ſolitæ.

Porrò conſuetudo facti, alia eſt ſecundùm Legem, alia præter, alia contra. Prima ſupponit Legem humanam conſtitutam ſibi conformem, & de illa hic non agimus. Secunda nullam præſupponit ſibi contrariam, & de illa quæritur, an poſſit introducere Legem. Tertia ſupponit Legem ſibi contrariam, & de illa, quæ potiùs deſuetudo dici debet, quàm conſuetudo, quæſtio eſt, an poſſit Legem abrogare? Hoc poſito

CONCLUSIO I.

POteſt conſuetudo facti Legem novam introducere, ſeu conſuetudinem juris, quæ habeat vim Legis.

Prob. 1. Ex L. 32. ff. *de Legibus*; ubi dicitur: *Inveterata conſuetudo non immeritò pro lege cuſtoditur*: & L. ſequenti: *Diuturna conſuetudo pro jure & lege in his, quæ non ex ſcripto deſcendunt, obſervari ſolet.* Idem docet Auguſt. Epiſt. 86. ad Caſulanum in initio ubi ait: *Mos populi Dei & inſtituta Majorum pro Lege tenenda ſunt*, ſed conſuetudo, de qua jus Civile, & Auguſt. mentionem faciunt, eſt introducta per conſuetudinem facti, ut patet: ergo &c.

Prob. 2. Ratione: quia poteſt illa conſuetudo verſari circa materiam Legi proportionatam, accedente ſaltem tacito Superioris conſenſu, voluntatem ſubditorum factis publicis obligationem ſibi imponere intendentium, approbante; ſed nihil aliud requiritur ad Legem introducendam: ergo poteſt ſucceſſu temporis ſufficientis Legem novam introducere: ex qua probatione erui poſſunt quinque conditiones neceſſariæ, ad hoc, ut conſuetudo Legem introducat.

Prima, ut materia conſuetudinis poſſit eſſe materia legis, adeoque ſit juſta, bono communi utilis, honeſta, rationabilis, attenta natura & conſuetudine Patriæ, ac hominum fragilitate; pro quibus vide dicta Q. 1. Diſp. 1. hujus Tract. Hinc

Reſol. 1. Conſuetudinem contra Legem naturæ non poſſe introducere Legem; quia, cùm Lex naturæ nihil præcipiat niſi honeſtum, ejus materia eſſet inhoneſta, adeoque Legi contraria.

Reſol. 2. Nec conſuetudinem poſſe introduci, ut liceat parentibus proles ſuas exhæredare pro libitu: hoc enim foret nocivum Communitati, cui proles illæ eſſent oneri; poſſet tamen eſſe conſuetudo, ut in familiis nobilibus omnia primogenito relinquerentur cum onere fratribus ac ſororibus providendi.

Secunda, ut accedat conſenſus vel perſonalis, vel juridicus Superioris, id eſt, illius qui poteſt Legem condere: cenſetur autem Superior conſentire perſonaliter, quando vel expreſsè, id eſt, ſigno aliquo expreſſo; vel tacitè, id eſt, connivendo & diſſimulando, conſuetudinem permittit introduci: juridicè verò, quando vel ipſe, vel ejus prædeceſſores tulerunt aliquando Legem, vi cujus talis conſuetudo approbatur. Hinc

Reſol. 1. Quamdiu Superior aliquo modo conſuetudini contradicit, nunquam poſſe Legem introducere.

Reſol. 2. Hanc eſſe differentiam inter conſuetudinem & legem, quòd ad hanc requiratur expreſſus Superioris conſenſus; ad illam autem ſufficiat tacitus, imò & juridicus.

Tertia, ut conſuetudo publicis actibus liberis frequentetur, non quidem à tota Communitate, ſed ſaltem à majori parte Communitatis; quia in perſona ficta, qualis eſt Communitas, conſenſus majoris partis reputatur totius.

Dixi: *actibus publicis*; quia non ſufficienter introducitur conſuetudo per actus occultos, ſed per patentes & manifeſtos, qui teneant locum promulgationis, quam ideo non requirit conſuetudo. Quot autem actus requirantur? Res eſt incerta, videtur tamen quòd tot requirantur, quot opus eſt, ut declaret populus animum obligatorium circa conſuetudinem, ſuppoſito ſufficienti tempore cum aliis requiſitis.

Quarta, ut actus illi fiant animo obligatorio, id eſt, ex voluntate, ſaltem tacita, obligationem inducendi; unde conſuetudines ex ſola populi devotione, aut pio affectu introductæ, non habent vim legis: talis eſt pia conſuetudo ſalutandi Sacerdotes, aut Religioſos, audiendi tres Miſſas in Natali Domini, faciendi ſignum Crucis ad pulſum horæ, ſumendi aquam luſtralem ingrediendo Templum &c. Quòd ſi conſuetudo introducatur ex animo ſeſe obligandi venialiter, ſub culpa veniali obligabit. Horum omnium ratio eſt, quòd illæ conſuetudines in tantùm obligent, in quantum ſeſe obligare intendit populus; quandoquidem Superior non tam obligationem imponat, quàm à populo propoſitam approbet. In dubio autem, an conſuetudo ex devotione, vel ex animo ſe obligandi fuerit introducta, judicandum eſt ex indiciis: unde ſi Superiores ad ejus obſervationem urgeant, & delinquentes corrigant, ſi à viris piis malè ſentiatur de illius tranſgreſſoribus, ſi ordinariè à populo ſervetur, licèt ſit de re gravi, ac ſatis difficili, præſumendum eſt introductam eſſe animo ſe obligandi. Quòd ſi Superiores ordinariè nec ullius obſervationem curent, nec illam ipſi obſervare ſatagant, nec propterea apud timoratos malè audiant, credendum eſt conſuetudinem non obligare.

Quinta, ut conſuetudo introducta via præſcriptionis, tempore longævo (quale decennium reputatur quando Legem tum Civilem, tum Eccleſiaſticam introductura eſt) duraverit. Ita communis ſententia, licèt aliqui 40. annos pro introducenda lege Eccleſiaſtica requirant, pro civili autem decem inter præſentes, & viginti inter abſentes: quod & nos admittimus pro lege abroganda, non tamen pro nova introducenda.

Dixi: *Via præſcriptionis*; quia ſi lex nova introducatur, vel antiqua abrogetur via conniventiæ, nullum tempus determinatum requiritur, ſed ſufficit illud, quod ſpectata Superioris abſentia, vel præſentia, rei gravitate, loci, aut temporis, circumſtantiis, ſatis declarare videtur tacitum conſenſum, vel circa legem novam introducendam, vel circa veterem abrogandam; quod multum à prudenti judicio pendet.

Hic tamen advertendum eſt, quòd quando lex introducitur, aut abrogatur via præſcriptionis, non debeat toto tempore ad præſcribendum requiſito, ullus actus conſuetudini contrarius à majori parte Communitatis exerceri; aliàs tempus præſcriptionis interrumperetur, cenſereturque populus nolle in legem novam introducendam, aut veterem abrogandam conſentire, & ideo eſſet de novo præſcriptio inchoanda.

CONCLUSIO II.

POteſt conſuetudo rationabilis Legem humanam abrogare, etiam irritantem, ubi Superior non contradicit & reperitur bona fides.

Prob. 1. Pars ex utroque jure, nimirum ex cap. ult. *de conſuetudine*, & L. *de quibus*, ff. *de Legibus*, ubi dicitur: *Rectiſſimè illud receptum eſt, ut Leges non ſolum ſuffragio Legislatoris, ſed etiam tacito conſenſu omnium per deſuetudinem abrogentur.* Undè multa ſunt in jure Canonico & Civili per deſuetudinem abrogata, quædam Decimæ, Feſta, jejunia, certis in locis ſublata.

Prob. 2. Pars (quam contra plurimos ſuſtinent Suarez, Sanchez, Herinx, & alii) quia nulla apparet contradictio, aut inconvenientia, quod conſuetudo ita ſe habeat circa Legem irritantem, ac circa aliam; ſed poteſt aliam abrogare: ergo & illam: unde cap. ult. *de conſuetudine* indiſtinctè loquitur; ubi autem jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.

Præterea poteſt conſuetudo legem irritantem introducere, quidni & abrogare? Nec refert, quòd non poſſit ſtare Matrimonium, aut alius contractus ſine eo, quod neceſſario requirit Lex ad illius eſſentiam; quia, etſi hoc requiratur ante elapſum tempus præſcriptionis, & ideo aliter contrahentes invalidè contrahant: non tamen poſt illud; quia tunc conſuetudo declarat, ſicuti faceret Superior, per novam Legem, talem formam non ampliùs requiri ad valorem Matrimonii, aut alterius contractus.

Dixi 1. *Conſuetudo rationabilis*, & hoc expreſsè requirit cap. ult. *de conſuetudine*. Quænam autem conſuetudo dici debeat rationabilis, quænam irrationabilis, ſeu corruptela? non conveniunt DD. Crediderim tamen illam eſſe irrationabilem, quæ vel

vel juri naturali aut Divino adverſatur, vel jure Canonico reprobatur, vel aliundè bono communi nociva eſt; aliàs autem omnes poſſe eſſe rationabiles.

Dixi 2. *Ubi Superior contradicit*: quia non minùs requiritur conſenſus Superioris ad Legem abrogandam, quàm ad introducendam: unde hanc Regulam tradunt Innocentius, & Abbas n. 5. in cap. ult. *de conſuetudine: Conſuetudo contra Legem non valet, ſi Lex reſiſtat*. Porrò cenſetur Superior, aut jus conſuetudinem abrogare, dum illam vocat Nervi diſciplinæ Eccleſiaſticæ diſruptionem, irrationabilem abuſum, pravam conſuetudinem, corruptelam: ſicut vocatur conſuetudo contrahendi Matrimonium inter gradus prohibitos in Cap. *quod ſuper*, de conſanguinitate & affinitate. Item dum utitur illis verbis: *innovamus. reprobamus*; ſi tamen, mutatis circumſtantiis, ob quas conſuetudo reprobata eſt, incipiat fieri rationabilis, poterit contra Legem præſcribere.

Sed quid dicendum, quando in Lege ponitur: *Non obſtante quacunque conſuetudine?*

Reſp. Per illa verba tantùm derogari conſuetudini præteritæ, & quidem generali, ſi non aliud exprimatur; non autem futuræ, ut docent Covarruvas, Herinx, & plures alii.

Dixi 3. *Et reperitur bona fides*; quia ſi ad aliam omnem præſcriptionem bona fides requiratur, quidni ad præſcribendum contra legem? Undè qui peccando formaliter contra legem operantur, nunquam præſcriptionem incipiunt, ſaltem in foro conſcientiæ; benè tamen illi, qui bona fide proſequuntur, quod alii mala fide inceperunt. Hanc ſententiam communem eſſe, aſſerit Rochus, hancque ſequuntur Gloſſa in cap *Non eſt*, de conſuetudine, Abbas, Sylveſter, Suarez, Azorius, Layman, & alii contra nonnullos, quorum ſententiam crediderim veram, quando Princeps tranſgreſſiones ſcit, & tolerat, quia cenſetur obrogationi tacitè conſentire, non tamen quando illas ignorat.

ARTICULUS IV.

Quid dicendum de Legum humanarum diſpenſatione?

CONCLUSIO I.

Diſpenſatio eſt relaxatio obligationis Legis reſpectu caſus aut perſonæ particularis, facta in iis circumſtantiis: in quibus alioqui lex obligaret.

Dixi 1. *Relaxatio obligationis*, quæ ſi in totum auferatur, diſpenſatio dicitur totalis, ſi in partem, v. g. pœna, relicta culpa, aut è contra, dicitur partialis: ſi in ejus loco alia obligatio ſubrogetur, in rigore non eſt diſpenſatio, ſed commutatio.

Dixi 2. *Reſpectu perſonæ particularis*: ſub qua comprehendo Congregationem, Conventum, Religionem, &c. quæ ſunt perſonæ fictæ.

Dixi 3. *Facta in iis circumſtantiis &c.* per quæ differt ab Epicheja, quæ fit in caſu in quo creditur lex non obligare.

CONCLUSIO II.

Poteſt in Legem humanam cadere diſpenſatio. Patet ex unanimi conſenſu omnium tum Legiſlatorum, tum ſubditorum, quorum, illi ſe poſſe diſpenſare, & hi ſecum poſſe diſpenſari tanquam certum & indubitatum ſupponunt, hocque confirmat Tridentinum Seſſ. 25 de Reformat. cap. 18. ubi ſatis oſtendit diſpenſationem quandoque expedire.

CONCLUSIO III.

Jure ordinario diſpenſare poteſt in ſuis Legibus Legiſlator ipſe, ejus Superior, & Succeſſor in juriſdictione. Eſt communis.

Prob. Illius eſt obligationem tollere, cujus eſt imponere; ſed præfatorum eſt imponere obligationem: ergo & tollere. Hinc

Reſol. 1. Poſſe diſpenſare Papam in legibus Conciliorum generalium, Apoſtolorum, imò & D. Petri; quia reſpectu Concilii generalis eſt Caput, reſpectu Petri eſt æqualis, reſpectu aliorum Apoſtolorum, ſicut & Epiſcoporum, eſt Superior.

Reſol. 2. Non poſſe Patriarcham, Primatem, aut Archiepiſcopum, diſpenſare in Legibus ſuorum Epiſcoporum quibus præſunt; quia ſicut non poſſunt pro eorum Diœceſibus leges ferre, ita nec in eorum Legibus diſpenſare; quia in hoc non ſunt Superiores eorum.

CONCLUSIO IV.

Nullius inferior, quacunque dignitate fulgeat, poteſt in Lege Superioris diſpenſare, niſi ei concedatur.

Ratio eſt; quia diſpenſatio præſupponit in diſpenſante juriſdictionem, cum ſit actus illius, ſed inferior non habet juriſdictionem in legem Superioris: ergo; undè Clem. *Ne Romani* de electione, aſſeritur legem ſuperioris non poſſe tolli ab inferiore. Hinc

Reſol. Epiſcopum non poſſe diſpenſare in Legibus ſummi Pontificis, Parochum in Lege Epiſcopi, Provincialem alicujus Religionis in Lege Capituli Provincialis; ſicut nec Generalem in Lege Capituli Generalis; quia reſpectu illorum ſunt verè inferiores, nec plus poſſunt, quàm ipſis permittatur, & ideo

Dixi in concluſione: *Niſi ei concedatur*, quam conceſſionem habent Epiſcopi reſpectu legum Pontificiarum in certis caſibus: 1. quandocunque in illis legibus ponitur *diſpenſari poſſe*: cum enim nullus dubitet ſummum Pontificem in ſuis legibus poſſe diſpenſare, conſequens eſt, ut verba illa Epiſcopos reſpiciant: 2. In materia levi, aut leviter obligante quia non eſt veriſimile quòd velit Papa, ut ad ipſum pro re tantilla recurratur: 3. Saltem ex conſuetudine, in iis quæ frequenter occurrunt, ut in jejuniis, Feſtis, Horis Canonicis, quia id exigit recta ſingularum Diœceſum gubernatio: 4. Quando occurrit neceſſitas, quæ eſt valdè urgens, aut difficilis eſt ad Papam, aut Legatum, aliumvè Privilegiatum recurſus ob paupertatem & ſimilia. Sic poſſunt ante & poſt Matrimonium diſpenſare in impedimentis occultis, ubi id requirit gravis neceſſitas; quia præſumitur eſſe voluntatem Pontificis & fundatè; cum ſciat hoc communiter doceri, & non contradicat: 5. Secundùm aliquos, in dubiis, an caſus egeat diſpenſatione; Sed crediderim recurrendum eſſe ad Sedem Apoſtolicam; quia in dubiis pars tutior eſt tenenda.

Quod diximus de Epiſcopis, dici debet de Prælatis Regularium exemptorum, qui in iis, quæ ſunt meræ juriſdictionis; ſunt veluti Epiſcopi reſpectu ſuorum.

Item diſpenſare poſſunt Parochi in jejunio, in abſtinentia à labore ſervili in diebus Feſtis, & hoc ex conſuetudine, quæ, cùm ſit juri communi contraria, non eſt ulterius extendenda. Similiter Confeſſarii Mendicantium poſſunt diſpenſare ex privilegio in quibuſdam votis ſæcularium, ut ſuo loco diximus.

Advertendum hic, poteſtatem delegatam à jure in perpetuum conceſſam, poſſe dici ordinariam, ſi facultas illa non perſonæ, ſed officio aut dignitati v. g. Epiſcopali, ſit annexa.

CONCLUSIO V.

Ut Legiſlator diſpenſet licitè, requiritur cauſa, non ut validè.

Prob. 1 pars; quia diſpenſans ſine cauſa eſt infidelis diſpenſator poteſtatis quam accepit, non in deſtructionem, ſed in ædificationem & conſervationem boni communis, eſtque potius dicendus crudelis diſſipator, ut benè notat D. Bernardus lib. 3. de diſpenſatione cap. 4. quam fidelis diſpenſator: unde Tridentin. Seſſ. 25. de Reform. c. 18 præcipit, ut non diſpenſetur ſine juſta cauſa eaque urgenti. Præterea nunquid convincitur eſſe perſonarum acceptor, ſi abſque ratione unum eximat à Lege potiùs quàm alterum?

Prob. 2. pars; quia ſicut obligatio Legis dependet à legiſlatore in fieri, ita & in conſervari, ergo ſicut potuit ab initio aliquam perſonam ſua lege non comprehendere, ita & deinceps illam ab ea eximere. Hanc ſententiam docent plurimi DD. contra paucos. Hinc

Reſol. Diſpenſatum ſine cauſa poſſe tuta conſcientia uti ſua diſpenſatione, cùm ſit verè à Lege exemptus; modo tamen vitetur ſcandalum. Quod ſi diſpenſatus diſpenſatorem ad id impuliſſet, reus eſſet, tenereturque efficere, ut diſpenſatio revocaretur.

CONCLUSIO VI.

Invalidè diſpenſat inferior in Lege Superioris ſine juſta cauſa.

Ratio eſt; quia in tantum poteſt inferior diſpenſare in lege ſuperioris, in quantùm ipſi permiſſum eſt, ſed non eſt credibile, quod conceſſerit Superior inferiori facultatem diſpenſandi ſine juſta cauſa: ergo &c. Et ideo invalidè diſpenſat Papa in voto, & in aliis quæ ſunt de jure Divino, ſicut & Epiſcopus in legibus ſummi Pontificis, ſi non adſit cauſa legitima diſpenſandi. Putem nihilominus valere diſpenſationem, ſi bona fide exiſtiment adeſſe cauſam ſufficientem, cùm non ſit, quia præſumitur ſic velle Superiorem

ARTICULUS V.

Variæ quæſtiunculæ valde utiles de diſpenſatione.

PEtes 1. An poſſit quis uti diſpenſatione, quando pro ea obtinenda allegavit cauſam falſam?

Reſp. Neg. Si allegatio falſi fuit diſpenſanti cauſa finalis diſpenſandi, quia cauſa finalis ea dicitur, ob quam ſubſiſtentem intendit diſpenſare Superior, aliàs non: eſtque conditio ſine qua non: unde communiter irrita eſt diſpenſatio in voto, Matrimonii impedimento, & quibuslibet aliis facta ob unicam rationem falſam; quia, cùm Superior non poſſit licitè diſpenſare ſine cauſa, præſumitur diſpenſare ob cauſam allegatam, qua non ſubſiſtente, non cenſetur velle diſpenſare.

Dixi: *Si allegatio falſi ſit cauſa finalis;* nam ſi tantùm ſit cauſa impulſiva, id eſt, non movens abſolutè ad diſpenſandum; ſed ſolùm ad faciliùs diſpenſandum, dicunt aliqui valere diſpenſationem, alii non: primis adhæremus, ſi allegatio falſi proceſſerit ex ſimplicitate, aut ignorantia allegantis, quia tunc præſumitur quòd equidem, ea ſemota, adhuc diſpenſaſſet Pontifex: Adhæremus autem Secundis, ſi allegatio falſi fuerit malitioſa, quia Innocent. III. cap. *ſuper litteris* de Reſcriptis, decrevit reſcriptum, ſeu diſpenſationem non valere, ubi intervenit malitioſa obreptio, aut ſubreptio, licèt forſan fuiſſet adhuc obtenta diſpenſatio, ſi obreptio aut ſubreptio non interveniſſent.

Petes 2. Quid intelligatur per obreptionem, & ſubreptionem?

Reſp. Obreptionem eſſe, ubi allegatur falſum, ſubreptionem, verò ubi ſiletur verum ad rem pertinens, & ideo diſpenſatio: 1. modo obtenta dicitur obreptitia: 2. modo ſubreptitia.

Petes 3. Quid ſi pro diſpenſatione obtinenda allegarentur duæ cauſæ, una vera ſufficiens ad diſpenſandum, & altera falſa?

Reſp. Si cauſa falſa, allegata ſit ſimpliciter, ſeu ignoranter, valere diſpenſationem. Patet ex dictis: ſi autem malitioſè, diſtinguendum eſt: vel enim allegatio illa ad rem facit, & nulla eſt diſpenſatio, ob dicta ſuperius: vel non facit, & eſt valida, quia non cenſetur diſpenſans ullatenus ab ea moveri, & ideo valet diſpenſatio, ſi dixiſti te eſſe Petrum, cum ſis Paulus, Pictorem, cùm ſis Medicus.

Petes 4. An valeat diſpenſatio, quando ſiletur certa qualitas, etiam ignoranter, cujus expreſſionem jura, vel ſtylus Curiæ ſpecialiter requirunt?

Reſp. Neg. Quia omiſſa forma, aut conditione ſine qua non, corruit actus: quod etiam verum eſt, etiamſi, ea cognita, adhuc Superior diſpenſaſſet. Hinc nulla eſt diſpenſatio ſuper impedimento Matrimonii, quando non fuit expreſſa vel copula inceſtuoſa, quæ præceſſit, vel contractum invalidè Matrimonium, vel etiam conſummatum. Item ſi taceatur quòd Matrimonium fuerit contractum aut conſummatum ſub temeraria ſpe diſpenſationis impetrandæ. Similiter nulla eſt impetratio Beneficii, quando impetrans non expreſſit ſe aliud Beneficium habere, licet tenuiſſimum.

Petes 5. Quibus aliis caſibus præterea ſit irrita diſpenſatio?

Reſp. 1. Quando diſſimulatur veritas alicujus ad rem intrinſece pertinentis, qua cognita, Superior non diſpenſaſſet, aut nonniſi cum graviore: & ideo non valet diſpenſatio, ſi duas habens affinitates, quia fornicatus es cum duabus ſororibus tuæ ſponſæ; vel duas conſanguinitates ex parte utriuſque parentis, vel affinitatem & conſanguinitatem ſimul, alleges tantùm unicam.

2. Si cùm ſis dives, facias te pauperem, ne ſolvas mulctam divitum; quia non cenſetur tunc velle Pontifex tecum diſpenſare, ut conſtat ex praxi.

3. Quando in petitione ſecundæ diſpenſationis, non ponitur diſpenſatio antea obtenta, ſi, moraliter loquendo, valdè augeatur inde gravitas diſpenſationis obtinendæ: unde nulla eſt diſpenſatio ſuper impedimento criminis, v. g. uxoricidii, ſi ſimilem diſpenſationem, propter idem crimen, adhuc obtentam non exprimas. Sicut nec ſecunda diſpenſatio non reſidendi in loco Beneficii per aliquod tempus notabile, ſi immediatè antea tempus ſimilis diſpenſationis effluxerit, nec fuerit in petitione expreſſum.

4. Dum in poſtulatione ſcienter vel ignoranter committitur error circa moralem rei ſubſtantiam, ut ſi petas diſpenſationem pro affinitate, & ſit conſanguinitas, aut è contra: ſi pro quarto gradu, cùm ſit tertius: quia etſi diſpenſans æquè facilè, aut faciliùs diſpenſaſſet, rem, ut in ſe eſt, exprimendo, cenſetur tamen id præcisè concedere, quod ab ipſo petitur. Volunt tamen aliqui diſpenſationem pro ſecundo gradu, cùm ſit tertius, aut pro tertio, cùm ſit quartus, eſſe validam; quia diſpenſatio totius, eſt etiam diſpenſatio partis ſub ea contentæ: ſic autem, ut ajunt, continet gradus ſecundus tertium, & tertius quartum.

Petes 6. An ceſſet diſpenſatio per mortem diſpenſatoris?

Reſp. Neg. Si fuit abſolutè conceſſa. Ratio eſt; quia diſpenſatio eſt donatio cujuſdam gratiæ; gratia autem non expirat expirante donante, ut patet cap. *Si ſuper gratia*, de Officio delegati in 6. unde ſi accepiſti diſpenſationem ut Matrimonium ineas cum conſanguinea, mortuo Pontifice, à quo diſpenſatus es, potes cum illa contrahere. Similiter diſpenſatus, ut carnes comedas per totam Quadrageſimam, defuncto initio Quadrageſimæ diſpenſante, potes nihilominus continuare.

Sed quid ſi data fuerit diſpenſatio uſque ad revocationem? Etiam durat, extincto diſpenſante; quia etſi non duret concedentis voluntas, durat tamen conceſſio, donec revocetur ab habente poteſtatem æqualem, aut ſuperiorem.

Petes 7. An ceſſante cauſa diſpenſationis, ceſſet diſpenſatio?

Reſp. 1. Si antequam expediantur litteræ diſpenſatoriæ, deſinat cauſa allegata, diſpenſationem non ſubſiſtere; è contra ſtare, etiamſi cauſa non ſubſiſteret tempore petitionis, ſi ſubſiſtebat tempore diſpenſationis.

Ratio utriuſque partis eſt, quod diſpenſans intendat diſpenſare, *ſi preces veritate nitantur*, non quando ſit petitio, ſed quando ſit diſpenſatio: & ideo ſi ratione prolis petieris diſpenſationem, ut inires Matrimonium cum conſanguinea, non ſtat diſpenſatio, ſi mortua ſit proles, antequam diſpenſatum ſit: è contra ſubſiſtit, ſi inter petitionem & diſpenſationem nata ſit proles, licèt allegando prolem pro cauſa, crederes mentiri, quia neſciebas Amaſiam eſſe gravidam.

Reſp. 2. Si cauſa non ſubſiſtebat tempore diſpenſationis, & paulo poſt incipiat ſubſiſtere, antequam opus diſpenſatum executioni mandatur, equidem diſpenſationem nullam eſſe, quia, cùm tunc non ſubſiſteret motivum diſpenſationis, etiam non ſubſiſtebat voluntas diſpenſandi: unde non poteſt quis contrahere Matrimonium cum Affine, vi diſpenſationis obtentæ ob allegatam paupertatem, licèt jam ſit pauper, ſi tempore diſpenſationis erat dives.

Reſp. 3. Subſiſtere diſpenſationem obtentam (non tamen in omni caſu) etiamſi inter diſpenſationem, & ejuſdem executionem deſinat motivum diſpenſationis, adeoque poſſe Petrum inire Matrimonium cum cognata, licèt poſt diſpenſationem mortua ſit proles, ob quam obtenta eſt diſpenſatio.

Ratio eſt; quia etſi diſpenſatio data ſit dependenter à ſubſiſtentia cauſæ, non tamen dependenter à duratione *ejuſdem*, ut patet ex ſtylo ordinario litterarum diſpenſatoriarum, ubi ponitur quidem, *ſi allegata ſubſiſtant*, non tamen *ſi allegata durent uſque ad executionem diſpenſationis*, & conſequenter cùm Legis obligatio tollatur abſolutè reſpectu diſpenſati, non poteſt reviviſcere, niſi adſit novus actus ſuperioris de novo obligantis. Et certè niſi hoc eſſet, qui diſpenſatus foret in voto Caſtitatis, ut iniret Matrimonium, aut in Irregularitate, ut ſuſciperet ſacros Ordines, ubi voluntatem mutaret, ſtatim fieret iterum irregularis, aut voto ligatus, quod non eſt credibile. *Deſinente* quidem cauſa Legis reſpectu totius Communitatis, deſinit Lex, quia ſine ullo actu Legiſlatoris deſinit obligare, utpote facta inutilis: ut autem deſinat diſpenſatio, ſeu ut reviviſcat obligatio in diſpenſato, requiritur actus Superioris obligationem ablatam reponentis, & ſic non ſufficit deſitio cauſæ, quæ omnino inepta eſt per ſe obligationem extinctam ſuſcitare. Dixi autem: *Non tamen in omni caſu*, & ideo

Petes 8. Quibus caſibus cenſeatur ceſſare diſpenſatio, ceſſante motivo diſpenſationis?

Reſp. In illis omnibus, in quibus motivum diſpenſationis creditur prudenter ſolùm ad tempus duraturum, quia etſi non concedatur diſpenſatio ſub conditione expreſſa motivi duraturi, conceditur tamen ſub tacita; quia non præſumi poteſt velle Superiorem concedere diſpenſationem perpetuam pro cauſa temporanea. Et ideo ſi pro infirmitate conceſſum fuit tibi comedere carnes in Quadrageſima, ceſſante infirmitate, ceſſat diſpenſatio. Si petiiſti diſpenſationem in voto Caſtitatis, ut contraheres cum puella quam defloraſti, ipſa mortua, non potes aliam ducere; quia tua diſpenſatio fuit reſtricta ad illam perſonam. Aliud eſſet, ſi petiiſſes diſpenſationem in voto, ut inires Matrimonium præcisè, tunc enim, mortua prima conjuge, poſſes aſſumere ſecundam, mortua ſecunda, tertiam, & ſic deinceps, quia tunc diſpenſatio ex communi uſu cenſetur perpetua: ſicut cenſetur perpetua, quando ob morum honeſtatem obtinuiſti diſpenſationem ab irregularitate, etſi poſtea mores corrupeis. Unde ad diſcernendum quando diſpenſatio ſit perpetua, quando temporanea, multùm confert advertere ad communem uſum & praxim timoratorum.

Petes 9. Quandonam cenſeatur quis renunciare diſpenſationi?

Reſp. Quando verbis, ſignis, factis, aut ſcriptis id declarat diſpenſatori, renunciationem acceptanti, aliàs non.

Ratio eſt; quia cùm diſpenſator obligationem Legis abſtulerit, & ab ipſo ſolo dependeat, ut reviviſcat obligatio, niſi renun-

Digitized by Google

nuntiationem acceptet, non cenſetur obligatio reviviſcere: unde ſi cum voluntate renuntiandi litteras diſpenſatorias fregeris: ſi contraxeris cum alia, quàm cognata, cui nubendi diſpenſationem acceperas: ſi per decem aut plures annos diſpenſatione non uſus fueris, potes adhuc illa uti, & in 2. caſu, defunctа conjuge, cognatæ nubere, cùm propter illa non cenſeatur diſpenſator voluntatem diſpenſandi revocare, ubi id non manifeſtas. Si tamen obtinuiſſes diſpenſationem à voto, & ei vel ſola mente renuntiares, reviviſceret votum tuum, vel potius implicitè votum novum emitteres. Cujus ratio eſt, quòd voti obligatio dependeat à tua voluntate, non ſic obligatio Legis.

Petes denique: quæ cauſæ requirantur ad diſpenſandum?

Reſp. Tres præſertim à Tridentino aſſignatas cohoneſtare diſpenſationem: nempe neceſſitatem, pietatem, & utilitatem: *Neceſſitatem*, non quidem ita urgentem, ut teneatur Superior diſpenſare, nec tantam, ut poſſit ſubditus ſine diſpenſatione à Lege ſe eximere, ſed talem, ut vir prudens doctus, & expertus judicet diſpenſationem tunc expedire. *Pietatem*, ſic poteſt diſpenſari cum irregulari volente, ut liberius Deo vacet, ſacros ordines ſuſcipere. *Utilitatem*, non tam privatam, quàm communem.

QUÆSTIO XVI.

Quid dicendum ſit de Lege pœnali?

NE Reſpublica privaretur fine, quem Legiſlator leges inſtituendo ſibi propoſuit; juſtum fuit & expediens earum tranſgreſſoribus pœnam ſtatuere, ut quos virtutis amor ad illarum obſervantiam non allicit, aut futuræ pœnæ metus non impellit, præſentis ſaltem pœnæ timor ab illarum violatione deterreret, juxta illud: *Oderunt peccare mali formidine pœnæ*: & ideo dixit Philoſophus 10. Ethic. 9. *Multitudo neceſſitati potius, quàm rationi, & pœnæ, quàm honeſtati paret.*

Porrò varia de Lege illa occurrunt dicenda, quorum jam aliqua diximus, tum in Tractatu ſuper Decalogum cap. 5. tum in Tractatu de Jure, & Juſtitia, in Appendice de Judiciis, & Judice. Alia reſtant hic examinanda.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex Lex pœnalis, & an obliget in conſcientia?

CONCLUSIO I.

LEx pœnalis eſt illa, quæ pœnam imponit illius tranſgreſſoribus. Duplex eſt, purè pœnalis quæ ad pœnam tantùm obligat, non ad culpam: & mixta, quæ obligat ad utranq; Illa autem, quæ tantùm obligat ad culpam, dicitur moralis.

CONCLUSIO II.

DIviditur ulteriùs Lex pœnalis in Eccleſiaſticam, & Civilem; ſed magis famoſa Legis pœnalis diviſio eſt in Legem latæ, & ferendæ ſententiæ. Prima eſt, quæ continet pœnas latas in tranſgreſſores. Secunda quæ continet pœnas ferendas, non latas.

Porrò cenſetur continere pœnas latas, quando in ipſa ponitur, *ipſo facto*, *ipſo jure*, *ex tunc*, ſint excommunicati, ſuſpenſi &c. Item quando utitur verbis præteriti temporis, ut *jam excommunicavimus*, vel præſentis, ut *excommunicamus*. Cenſetur autem continere pœnas ferendas, quando non utitur prælatis verbis *ipſo facto* &c. Item quando pœnam tantùm minatur, dicendo v. g. *excommunicabitur*, *ſuſpendetur*, *reus erit*, *ſubjacebit tali pœnæ*, niſi addatur *ipſo facto*, aut niſi Lex eſſet inutilis, quia non poſſet poſtea pœna infligi, aut quia non imponitur ab homine, ſed à jure. In dubio autem, an Lex ſit latæ aut ferendæ ſententiæ, præſumi poteſt eſſe ferendæ; quia odioſa, quales ſunt pœnæ, convenit reſtringi.

CONCLUSIO III.

VAriæ Leges pœnales tum Eccleſiaſticæ, tum Civiles, obligant in conſcientia; non tamen omnes. Prima pars, quæ eſt communis, manet ſufficienter probata ex dictis Concluſ. 3. q. 8. hujus Diſput. ubi oſtendimus ex impoſitione pœnæ gravis, graviter Legem obligare, ſive ſit Civilis, ſive Eccleſiaſtica.

Prob. 2. pars; 1. de Legibus Eccleſiaſticis; quia in variis Religionibus, ad animarum pericula cavenda, plurimæ fiunt Conſtitutiones, quæ veræ Legis rationem ſortiuntur, & tamen non obligant in conſcientia ad actum ponendum vel omittendum, ſed tantùm ad ſubeundam pœnam, actum ponenti vel omittenti impoſitam, ubi ſaltem de illa fuerit requiſitus culpabilis, ut diximus de Statutis noſtris generalibus, & Jeſuitarum Regulis. Omnis quidem pœna ſupponit culpam, &, ut dicit Auguſt. lib. 1. Retract. cap. 9. *Omnis pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt*; ſed hoc intelligi debet de peccato, ſeu culpa aut Theologica, aut politica; cùm certum ſit plurimos puniri, aut mulctari ſive in Accademiis, ſive in Collegiis, ſive in certis Congregationibus propter actiones, quæ non ſunt Theologicè peccaminoſæ.

Prob. 2. de Legibus Civilibus; quia nonnullæ ſunt, in quibus nec ex verbis Legiſlatoris, nec ex gravitate pœnæ, nec ex materiæ conditione colligi poteſt ipſa obligatio in conſcientia. Quod exemplificat Scotus cum pluribus aliis, in Legibus quæ prohibent, ne vinum, panis, caro, ſal, oleum, &c emantur in loco privilegiato à non privilegiatis: ne quis piſcetur in flumine communi, aut venetur in tali terra; ne pannus, lana, frumentum & ſimilia ex terris hoſtium recipiantur, aut extra Provinciam tranſportentur. Imò volunt nullam Legem Civilem pœnam irrogantem, obligare in conſcientia; quia, inquiunt, ubi Legiſlator facit mentionem pœnæ temporalis, non æternæ, cenſetur ad temporalem, & non ad æternam obligare. Quibus ſanè nec quoad exempla allata, nec quoad principia, univerſaliter ſubſcribo. Et certè ſi hoc eſſet, nullum tributum, nullum vectigal, nulla gabella, nullum pedagium eſſet Regibus in conſcientia ſolvendum; quandoquidem omnis Lex tributaria irroget pœnam tranſgreſſoribus. Hoc autem, non ſolùm adverſatur Sac. Scripturæ Rom. 13. verſ. 7. ubi dicitur; *Cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal*, non ſolùm exemplo Chriſti facientis & dicentis Matth. 22. verſ. 21. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*, ſed etiam juri naturæ dictanti obligationem ineſſe membris Caput fovendi & ſuſtentandi: unde ut hanc difficultatem diſcutiamus concluſione ſeq.

Advertendum eſt, Legem pœnalem tripliciter poſſe ferri. 1. Sub disjunctione, v. g. hoc modò: *vel non tranſportabis frumentum in terras exteras, vel ſolves* 100. *flor.* 2. Copulativè, *non tranſportabis frumentum, &, ſi tranſportaveris, in exilium mitteris*. 3. Uno quaſi actu rem prohibendo, & pœnam tranſgreſſoribus imponendo: v. g. *Prohibemus tranſportationem frumenti ſub pœna confiſcationis bonorum*, vel quod idem redit: *volumus ut ſi frumentum tranſportaveris, tali pœna plectaris*.

CONCLUSIO IV.

PEr ſe loquendo, Lex primo modo lata, non obligat in conſcientia; obligat tamen lata ſecundo & tertio modo.

Prob. 1. pars; quia cenſetur Legiſlator taliter ſe exprimens vel unum, vel aliud velle, id eſt, vel quod frumentum non tranſferatur, vel certè, ſi transferatur, ſolvatur talis mulcta. Quod poteſt facere Princeps ex duplici cauſa, vel ne ità liberè frumentum, aut quid ſimile ex Provincia transferatur, vel ut per mulctam neceſſitatibus publicis ſubveniatur.

Prob. 2. pars; quia Legiſlator apponendo conjunctivè pœnam, non cenſetur obligationem immediatè ante impoſitam tollere, ſed potiùs corroborare, & confirmare. Præthereà ſi præcipiendo aut prohibendo ſimpliciter actum, cenſeatur in conſcientia obligare, quidni ſimiliter obligaret, dum præcepto, aut prohibitioni pœnam adjungit pro tranſgreſſoribus? Cùm appoſitio pœnæ non ſit ablatio culpæ, ſed ſignum evidens, quòd Legiſlator non utcunque velit ad ſuam Legem obligare, ſed velit efficaciſſimè; undè falſum eſt, quòd apponendo pœnam temporalem, cenſeatur æternam excludere: & ideo Cap *Nonne*, de præſcriptione, ubi dicitur quòd unum exprimens & aliud tacens, cenſeatur id quod tacet excludere, intelligitur quando id quod ſiletur, neceſſariò exprimendum eſt, quod non habet locum in Legibus, quæ, niſi Legiſlator contrarium inſinuet, ſemper ſupponuntur obligare in conſcientia, etiamſi de illa obligatione nulla fiat mentio, ut patet evidentiſſimè ex Legibus totam Eccleſiam concernentibus, in quibus nunquam fit mentio pœnæ æternæ, etiamſi omnes obligent in conſcientia.

Prob. 3. pars; quia parum refert, an quis uno actu præcipiat actum, & apponat pœnam, an verò diverſis actibus: unde etſi tertius præcipiendi modus differat à ſecundo juxta verborum formam, non tamen à parte rei.

Fatendum tamen, quoad Leges ſæculares præſertim, maximè attendendum eſſe ad uſum communem, & praxim timoratorum; cùm certum ſit conſuetudinem legitimam, quæ poteſt Legis obligationem quoad culpam & quoad pœnam tollere, poſſe à fortiori, relicta pœna, culpam auferre: unde unuſquiſque Patriæ ſuæ uſum conſulat, & non abuſum.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS II.

An Leges pœnales obligent ad pœnam ante ſententiam Judicis?

ADverte duplicem per Legem ſtatui poſſe pœnam, paſſivam unam, quæ conſiſtit in mera privatione, ut eſt ſuſpenſio, irregularitas, excommunicatio &c. quæ hominem certis bonis privant, nulla ejus actione interveniente; alteram activam, quæ actionem aliquam requirit ex parte Rei, ad ſui executionem. Hoc poſito

CONCLUSIO I.

QUando Lex pœnalis eſt tantùm ferendæ ſententiæ, ſeu tantùm continet pœnas ferendas, non obligat ante ſententiam Judicis condemnatoriam, ſive interim pœna ſit paſſiva, ſive activa.

Ratio clara; quia per talem Legem reus non eſt ad pœnam condemnatus, ſed condemnandus, & conſequenter quamdiu pœna de facto non imponitur, poteſt eodem modo ſe gerere, ac ſi crimen non commiſiſſet: ac proinde qui ob crimen patratum, Beneficio, vel Officio eſt privandus, poteſt licitè ante ſententiam illud acceptare, vel in obtento perſeverare, ac fructus percipere, ſicut & excommunicatus tanquam non excommunicatum ſe gerere; unde Lex illa potiùs afficit Judicem, qui tenetur pœnas Lege taxatas imponere, niſi è Principe ſupremo ejus diſcretioni relinquatur pœnam vel augere vel minuere; & ideo excuſari poſſunt illi, qui ex quadam compaſſione pro reis intercedunt apud Judices; cùm enim ignorent quid poſſint, vel non poſſint circa pœnam imponendam, cenſentur petere ſub tacita conditione, *ſi ipſis liceat*. Caveant tamen Judices & Principes etiam ſupremi, ità facilè cum reis diſpenſare, ut bonum publicum graviter lædatur: ſi enim multò magis profit Communitati quòd crimineſus ad rigorem Legis puniatur, quàm non, peccat Princeps, & à fortiori Judex, ſi cum eo diſpenſet, pœnam vel non imponendo, vel moderando Imò peccant pro eo intercedentes; quandoquidem ad peccandum inducant Judicem aut Principem, qui tenetur ex officio bonum publicum procurare.

CONCLUSIO II.

QUando Lex pœnalis eſt latæ ſententiæ, ſeu continet pœnas latas, poteſt obligare ante omnem Judicis ſententiam ad ſubeundam pœnam, non tantùm paſſivam, ſed etiam activam moderatam.

Prob. 1. Sententia Legis non eſt minoris virtutis, quàm ſit ſententia Judicis; ſed ſententia Judicis obligare poteſt ad præfatam pœnam: ergo & ſententia Legis.

Prob. 2. Valet argumentum ab actu ad potentiam; ſed ſunt aliquæ Legis ſic obligantes, ut dicemus poſteà: ergo &c. Hinc

Reſol. Poſſe Legem obligare Reum ante omnem Judicis ſententiam, ad ſolvendam certam mulctam, ad privatim ſe flagellandum &c.

CONCLUSIO III.

PAucæ Leges, etiam latæ ſententiæ, obligant reum ad pœnam ſubeundam ante omnem Judicis ſententiam; aliquæ tamen obligant.

Prob. 1. pars; quia conſuetudo, quæ eſt optima Legum interpres, ſic varias Leges pœnales recepit, & fortè omnes Civiles, ut benè notat Præpoſitus: unde confiſcatio bonorum, inhabilitas ad hæreditatem ſubeundam, privatio Beneficiorum, Officiorum, vocis activæ, vel paſſivæ, communiter non obligant ante omnem Judicis ſententiam.

Dices: Si hoc eſſet, non eſſet differentia inter Legem ferendæ, & latæ ſententiæ.

Reſp. Neg. Aſſumpt. Quia, ut Lex ferendæ ſententiæ obliget ad luendum pœnam, requiritur ſententia Judicis, non tantùm declaratoria criminis (quòd ſufficit ut obliget Lex latæ ſententiæ) ſed etiam condemnativa, qua poſita, ſtatim tenetur Reus pœnam ſubire. Eſt autem diſcrimen inter ſententiam declaratoriam criminis, & ſententiam condemnatoriam, quòd hæc expreſsè & formaliter injungat pœnam, illa autem tantùm declaret tale crimen à tali homine eſſe patratum, ac ideo incurriſſe pœnam à Lege pro tali crimine taxatam.

Dices 2. Sæpè crimen eſt publicum, antequam interveniat ſententia criminis declaratoria: ergo illa non requiritur, ut reus ad pœnam obligetur.

Reſp. Diſt. Ant. Sæpè crimen eſt publicum facto vel fama, antequam &c. C. jure: N.

Prob. 2. pars; quia excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum, & irregularitas ipſo facto impoſitæ, obligant ante omnem Judicis ſententiam. Item quædam aliæ leges Eccleſiaſticæ, ut lex, quæ obligat Epiſcopos ad reſtituendos fructus perceptos, ſi poſt tres menſes munus conſecrationis non ſuſceperint: lex quæ Parochiali Beneficio privat eum, qui intra annum poſt ſuſceptum Beneficium, non fit Sacerdos: lex quæ fructibus Beneficii privat non recitantem Officium: Item Eccleſia in pœnam criminis reddit certos reos inhabiles ipſo facto ad contrahendum Matrimonium. Similiter obligant leges pœnales ante omnem ſententiam, ſi in eis ponatur criminoſos teneri ipſo facto ad pœna in conſcientia; vel non poſſe abſolvi in foro conſcientiæ, niſi pœnam ſolverint.

Notandum tamen hic reum non teneri ad pœnam, quæ ante omnem ſententiam eſt ſubeunda, ſi non poſſit illam luere, niſi cum periculo infamiæ, aut alterius gravioris mali: unde non tenetur Irregularis abſtinere à Miſſa celebranda, à Sacris Ordinibus ſuſcipiendis, ſi non poſſit abſque gravi infamia. Idem dic cum proportione de excommunicato, ſuſpenſo, inhabili ad Officium &c. quia non cenſentur leges humanæ cum tanto gravamine obligare, ut diximus ſuperius.

Solet hic quæri, an & qualiter leges pœnales obligent reum poſt latam Judicis ſententiam? Sed quoniam fusè de illis egimus tractatu de Jure & Juſtitia in appendice de Judice & Judicio, illuc recurre.

ARTICULUS III.

An ignorans incurrat pœnam Legi humanæ annexam.

CONCLUSIO I.

AGens contrà ſolam legem, quam invincibiliter ignorat, non incurrit pœnam ipſi annexam.

Ratio clara eſt; quia pœna non imponitur, niſi propter culpam; ſed taliter agens non committit culpam: ergo nec incurrit pœnam.

Dixi: *Contrà ſolam Legem humanam*; quia ſi operans noverit factum ſuum prohiberi lege divina aut naturali, licèt ignoret prohiberi lege humana, juxta Scotum 4. diſt. 6. q. 8. n. 1. & alios; incurrit pœnam, ſaltem a cenſura diſtinctam; quia Eccleſia non tantùm ſuæ legis, ſed etiam divinæ aut naturalis tranſgreſſionem punire intendit, & ideò incurritur impedimentum criminis dirimens Matrimonium, ab iis qui legem Eccleſiaſticam circa hoc ignorant.

Addidi tamen: *Saltem à cenſura diſtinctam*, quia communiter receptum eſt, invincibiliter ignorantem legem Eccleſiaſticam, non incurrere cenſuram ipſi annexam, quia non cenſetur contra legem aut præceptũ Eccleſię contumax. Idem eſt de eo, qui ad legem Eccleſiæ nullo modo advertit; aut illius oblitus eſt.

Dices contra concluſionem: *Ignorantia facti excuſat: non juris*, ut habet Regula juris 13. in 6.

Reſp. Id intelligendum eſſe in foro externo, ubi ignorantia communis non præſumitur, niſi probetur, quod cùm ſit factu difficile, ne dicam moraliter impoſſibile, ideò dicitur non dari ordinariè ignorantiam juris. Si quis tamen de facto invincibiliter legem ignoraverit poteſt pœnam ſibi in foro externo, defectu probationis ignorantiæ invincibilis, impoſitam, in foro conſcientiæ declinare: cur autem in foro externo potiùs admittatur ignorantia facti, quàm juris, indè habetur, quòd facta ſint innumera & ferè infinita; jura verò, non ita multa.

CONCLUSIO II.

CUm quis ratione ignorantię non excuſatur à peccato mortali, non excuſatur etiam à pœna ob tale peccatum impoſita, niſi ad pœnam incurrendam requiratur in lege ſcientia, aut dolus.

Ratio eſt; pœna imponitur propter gravem culpam, ſed gravis culpa committitur: ergo pœna incurritur.

Dixi 1. *A peccato mortali*; Nam ſi ignorantia faciat, ut peccatum ſit tantùm veniale, non incurritur pœna gravis, quæ nonniſi ob gravem culpam imponitur: undè judex illo caſu nullam, vel longè mitiorem pœnam debet imponere.

Dixi 2. *Ob tale peccatum impoſita*; nam ſi actio ſit quidem peccaminoſa, non tamen eo peccato propter quod fuit injuncta, pœna non incurritur: ſic qui furatur rem, quam ignorat eſſe ſacram, non incurrit pœnam furto ſacrilego annexam, ſicut injiciens manus violentas in Clericum, quem putat laicum, non excommunicatur;

Dixi 3. *Niſi ad pœnam incurrendam &c.* nam ſi pœna decreta ſit

Digitized by Google

ta ſit contra eos: qui *ſcienter*, *conſulto*, *auſa temerario*, *præſumptione*, peccaverint, illam non incurrunt laborantes ignorantia ipſius legis, etiam craſſa aut ſupina, quæ ſufficiat ad mortale, quia hæc ignorantia directam malitiam aut dolum formalem non continet. Aliud eſt de laborantibus ignorantia affectata, hæc enim in jure ſcientiæ & temeritati æquivalet.

CONCLUSIO III.

QUi cognitam Legem tranſgreditur, pœnam incognitam ipſi Legi annexam incurrit, ſi non ſit cenſura; eſt communis.

Ratio eſt; quia cùm talis ignorantia non tollat cauſam pœnæ, nempe culpam, ita nec tollit ipſius effectum, ſcilicet pœnam.

Dixi: *Si non ſit cenſura*, quia ignorans invincibiliter cenſuram Eccleſiaſticam, licet non ignoret legem, cui eſt annexa, illam non incurrit legem tranſgrediendo, quia nemo cenſuram incurrit, niſi adverſus Eccleſiæ poteſtatem aliquid ſub cenſura præcipientis aut prohibentis, contumacem ſe præbeat. Non autem cenſeri poteſt taliter contumax, ſi cenſuram ignoret. Imò probabilius mihi videtur non incurri cenſuram, etiam ab eo qui eam vincibiliter ignorat, modò tamen ejus ignorantia non ſit craſſa aut ſupina: colligitur ex c. 2. *de Conſtitut. in 6.* ubi habetur: *Ut animarum periculis obvietur, ſententiis per ſtatuta quorumcunque Ordinatiorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia craſſa non ſit, aut ſupina.* Quod cùm ſit favorabile, & retenta verborum proprietate, rectè de cenſuris intelligi poſſit, non eſt ratio, cur etiam de illis non intelligatur. Et licèt ibi tantùm fiat mentio cenſurarum Epiſcopalium, idem tamen videtur dicendum de cenſuris Papalibus, cùm ſit æquè, aut fortè majus animæ periculum, quòd ignorantes ligentur potiùs cenſuris Pontificiis, quàm Epiſcopalibus.

QUÆSTIO ULTIMA.

Quid, & quotuplex Lex irritans, & an omnis Lex prohibens actum, illum irritet, & è contrà;

CONCLUSIO I.

LEx irritans, eſt Lex impediens alicujus actus valorem, quod facere poteſt dupliciter, vel directè impediendo, ſcilicet actum, ut patet in Lege Tridentini, Matrimonia clandeſtina irritanti: vel indirectè, inhabilitando ſcilicet ipſas perſonas ad contrahendum, licèt alioqui ſint habiles, & conſequenter ipſum actum ab ipſis celebratum mediante invalidando: ſic irritatur Matrimonia inter perſonas affines & conſanguineas.

CONCLUSIO II.

LEx irritans, alia eſt quæ inducitur propter culpam ſeu delictum, ut irritatio Matrimonii propter uxoricidium, aut Mariticidium, ut ita loquar; ſicut ob Adulterium vivente conjuge commiſſum cum promiſſione futuri Matrimonii. Alia eſt, quæ inducitur propter bonum publicum, ut annullatio Profeſſionis Religioſæ ante decimum ſextum ætatis annum. Alia, quæ propter utrumque inducitur. Prima dicitur pœnalis, ſecunda non pœnalis, tertia mixta.

Dividitur ulterius Lex irritans in Legem ferendæ & latæ ſententiæ, ſed quandonam ſit latæ, quandonam ferendæ ſententiæ, colliges ex dictis pro Lege pœnali.

Advertendum hic, quod quando Lex irritans, etiam latæ ſententiæ, eſt purè pœnalis, requirat ſententiam declaratoriam criminis, ſicut diximus de Lege pœnali. Excipe tamen, niſi contractus ſit talis naturæ, ut ſemel validus, non poſſit poſtea invalidari: tunc enim quamvis irritetur in pœnam, eſt irritus ab initio, & abſque ulla criminis declaratione, ut patet in contractu Matrimoniali.

CONCLUSIO III.

NOn omnis Lex prohibens actum irritat illum.

Ratio eſt; quia actum prohibere & illum irritare ſunt diverſa, & ab invicem ſeparabilia, & conſequenter male infertur unum ex alio, præſertim in materia odioſa, qualis eſt hæc, adeoque ultra verborum proprietatem non extendenda: unde, ait Innocen. III. *Multa fieri prohibentur, quæ, ſi fuerint facta, obtineat firmitatem*: hocque patet in variis: Nam Matrimonium poſt votum continentiæ celebratum, eſt Lege naturali prohibitum, ſicut & prohibitum eſt à Lege Eccleſiaſtica, ſi celebretur ante publicas denunciationes, aut tempore interdicto; & tamen in illis caſibus eſt validum; imò, ut bene notat P. Herinx, poteſt Eccleſia prohibere Sacerdoti conſecrationem, quam non poteſt invalidare.

Sed quamvis facile ſit oſtendere non omnem Legem, actum prohibentem, eundem irritare, difficile eſt tamen ſcire quandonam Lex prohibens actum illum irritet. Varii varias adſerunt Regulas, ſed illas deficere oſtendit Suarez lib. 5. cap. 27. Unde potius conſulenda eſt conſuetudo, communis acceptio Legis, ejuſdem materia; ac verba Legislatoris; quod etiam inſervire poteſt, ut cognoſcatur, an forma, quam Lex præſcribit, ſit actui ſubſtantialis, an accidentalis: quod bene notandum eſt; nam deficiente forma ſubſtantiali, deficit actus, cùm non poſſit ſubſiſtere ſine forma ſubſtantiali; nam tamen deficit, deficiente forma accidentali.

CONCLUSIO IV.

SIcut non omnis Lex prohibens actum, irritat illum, ita nec omnis Lex irritans actum, prohibet illum.

Prob. Quia ſunt aliquæ Leges, quæ præcisè intendunt reddere actum nullum, caſu quo fiat ſine tali aut tali forma: hocque ut vitentur lites & jurgia: & tales videntur Leges quæ irritant donationes, teſtamenta &c. Si aliter fiant quàm præſcribatur. Imò tales ſunt omnes Leges, quæ formam alicujus actus præſcribendo, non utuntur verbis præceptivis: & aliunde actus invalidè exercitus nullam habet de ſe malitiam, nec ex illo detrimentum evenit proximo.

Fatendum tamen eſt, plurimas Leges actum irritantes, illum prohibere in conſcientia; imò fortè omnes Eccleſiaſticas: & certò omnes illas, quæ præcipiunt, aut prohibent actus, qui invalidè facti, habent quandam inhoneſtatem, ut ſunt invalidus Matrimonii contractus, invalida Profeſſio, Beneficiorum collatio, &c.

Quæres, an quando Lex irritat actum, tantùm illum irritet pro foro externo?

Reſpondet Præpoſitus, Leges Eccleſiaſticas etiam irritare pro foro conſcientiæ; ita ut etiam in illo foro actus ſine forma requiſita nullius ſit valoris: Civiles verò, tantùm irritare quoad forum externum, quando reſpiciunt contractus privatorum, & alia quæ fiunt in eorum commodum; dummodo adſint omnia jure naturali requiſita, nec conſtet de contraria mente Legislatoris: irritare verò pro utroque foro, quando reſpiciunt adminiſtrationem publicam.

Reſpondent alii ſimpliciter omnem Legem humanam irritare actum pro utroque foro, niſi exprimatur, formam tantùm requiri ad probandum in judicio, quorum ſententia videtur communior, ſed, an ſit probabilior? Vide in Tractatu de contractibus gratuitis.

TRACTATUS IV.

De Principiis actuum humanorum.

DUo ſunt actuum humanorum principia, naturale unum, quod eſt liberum arbitrium, ſupernaturale alterum, quod eſt Chriſti gratia. Actus humani, qui tantùm à libero arbitrio proficiſcuntur, dicuntur naturales, ſuntque indifferentes ad juſtificationem, meritum, & gloriam, & ad omne id, quod eſt ſupra naturam. Qui autem à libero arbitrio ſimul & à gratia procedunt, ſupernaturales nuncupantur, ſuntque neceſſarii ad meritum, juſtificationem, & gloriam. De hoc duplici principio hic agimus, & quidem primò de libero Arbitrio.

DISPUTATIO I.

De libero hominis arbitrio.

LIberum hominis arbitrium cum ipſius libertate confundimus; & ideo quotuplicem diſtinxerimus in homine libertatem, quotuplex diſtinctum erit liberum arbitrium; & quod reſolvemus de uno, reſolutum erit de altero.

QUÆSTIO I.

An hic & nunc detur in homine liberum Arbitrium?

DIco *hic & nunc*, id eſt, in ſtatu naturæ lapſæ: nam hominem præditum fuiſſe libero arbitrio ante commiſſum Adæ peccatum, ita clarè deducitur ex hoc Eccl. 15. verſ. 14.

Deus

Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata & præcepta ſua, ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te .... Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi; ita ut Calvinus, qui poſt Adę lapſum liberum arbitrium in homine negavit, propter textum allegatum, illud in homine ante lapſum admiſerit: unde hoc ſuppoſito ſit

CONCLUSIO UNICA.

Datur in homine hic & nunc, ſeu poſt lapſum, liberum arbitrium, non tantùm à coactione, ſed etiam à neceſſitate. Eſt contra Stoicos, Manichæos, & Calviniſtas, quorum primi voluntatem noſtram, ejuſque actus fato, ſeu certæ ſyderum diſpoſitionis virtuti ſubjiciebant. Secundi duas in homine admittebant animas, bonam unam neceſſariò bona, malam alteram neceſſario mala operantem; imò & ipſam animam bonam neceſſariò mala operari fingebant, dum ab anima mala ad id impellebatur. Ultimi volunt in homine lapſo eſſe liberum arbitrium quoad nomen, ſeu titulum, non quoad rem: quibus adhæret Lutherus, non in naturalibus, ſed in iis quæ ſpectant ad pietatem & ſalutem. Sed antequam hanc Fidei veritatem probemus

Advertendum eſt, duplicem diſtingui poſſe libertatem, unam à coactione, alteram à neceſſitate. Libertas à coactione (quam aliqui vocant eſſentialem, alii, & melius ſpontaneitatis, & complacentiæ) eſt facultas, ſeu lubentia voluntatis, qua, præviа cognitione intellectiva, ſeipſam delectabiliter determinat ad actum, quamvis non contingenter. Libertatem autem à neceſſitate (quæ aliter moralis, accidentalis, indifferentiæ, ſeu contingentiæ nuncupatur) definivimus Quæſt. 1 hujus Tomi, ipſamque in libertatem contrarietatis & contradictionibus diviſimus. Illuc recurre

Fere de ſola libertate indifferentiæ hic agimus: nec nomine libertatis intelligitur unquam libertas eſſentialis, niſi hoc ſpecialiter ſignificetur per aliquam particulam reſtringentem. Huic duplici libertati tertiam adjungunt Theologi, ſcilicet à ſervitute, ad quam reducitur libertas à diabolo, à Lege, à peccato, à miſeria, de qua non eſt hic quæſtio. Hoc notato

Prob. 1. Concluſio ex Scriptura Joſue ult. verſ. 15. *Optio vobis datur: eligite hodie quod placet.* Gen 4. v. 7. *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*. Eccl. 31. verſ. 10. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus*. Deuter. 30. verſ. 19. *Teſtes hodie invoco cœlum & terram quod propoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem; elige ergo vitam, ut & tu vivas, & ſemen tuum*. Quibus Textibus non ſatisfaciunt Hæretici volentes intelligendos eſſe de primo parente, & quidem ante lapſum; cùm ſtatim appareat contrarium legentibus contextum.

Prob. 2. Ex definitione Tridentini Seſſ. 6. Can. 5. *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum, amiſſum & extinctum eſſe dixerit .... Anathema ſit*.

Prob. 3. Ex PP. Cypriano lib. 1. Epiſt. 3. ad Cornelium: *In arbitrio proprio conſtitutus*, ſcilicet homo, *ſibi ipſimet vel mortem appetit vel ſalutem*. Hilario in Pſ. 2. *Unicuique noſtrum libertatem vitæ, ſenſumque permiſit, non neceſſitatem alterutrum affigens*. Hieronymo lib. 3. Dialogi contra Pelagium: *In noſtra poſitum eſt poteſtate peccare, vel non peccare*. Auguſtino lib. 5. de Civit. Dei cap. 10. *Nullo modo cogimur, aut, retenta præſcientia Dei tollere voluntatis arbitrium, aut, retento voluntatis arbitrio, negare (quod nefas eſt) Deum præſcium futurorum, ſed utrumque amplectimur, utrumque fideliter, & veraciter confitemur*.

Prob. 4. Ratione: vix eſt ulla natio, etiam barbara, quæ non habeat Leges; ſed inſtitutio Legum ſupponit in ſubditis libertatem ad illas obſervandas, vel non obſervandas: ergo. Prob. Min. quia ſi neceſſariò ſubditi ponerent vel omitterent id, quod Lege præcipitur aut prohibetur, fruſtraneè ad id excitarentur per Leges, cùm equidem ſemper illud facerent vel omitterent, ſive forent Leges; ſive non.

Præterea poteſt homo in ſtatu naturæ lapſæ producere actus meritorios & demeritorios; ſed nulli ſunt actus meritorii aut demeritorii, niſi ſint laude vel vituperio digni: nec ſunt laude vel vituperio digni, niſi ſint liberi, cùm nullus mereatur laudem aut vituperium propter id, quod ita facit, ut non poſſit non facere: ergo &c. Unde hæc veritas ita patet, ut Doctor noſter 1. diſt. 39. n. 13. dicat negantes hanc veritatem tamdiu verberibus eſſe excipiendos, donec fateantur verberantes eſſe liberos ad non verberandum.

Objic. 1. Deus operatur omnia in nobis: ergo non habemus liberum arbitrium.

Reſp. Diſt. Ant. Operatur omnia in nobis ſine nobis: nego. Nobis liberè cooperantibus: C. & N. Conſeq.

Objic. 2. Varia loca Auguſtini, ac 1. lib. de nat. & gratia cap. 67. *Iſta eſt pœna peccati juſtiſſima, ut amittat quiſque quo benè uti noluit, cum bene poſſet uti ſine difficultate, ſi vellet*. Lib. de perfectione juſtitiæ, cap 4. *Victa vitio, in quod cecidit, voluntate, caruit libertate natura.* 3. Enchiridii 30. *Libero arbitrio malè utens homo, & ſe perdidit, & ipſum*, Et ibidem: *Cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato, amiſſum eſt & liberum arbitrium*.

Antequam ad hos & ſimiles paſſus, & ad alios ſibi invicem apparenter contrarios reſpondeamus.

Advertendum eſt, D. Auguſtinum Pelagianis & Manichæis bellum indixiſſe, quorum primi volebant liberum arbitrium eſſe ita potens, ut ſine gratiæ auxilio poſſet benè agere in ordine ad vitam æternam & à peccato abſtinere. Alii verò liberum arbitrium tollebant: & ideo, ut hos & illos refutaret, liberum arbitrium ſumpſit dupliciter: 1. pro facultate naturali, ſeu potentia indifferente ad agendum & non agendum &c. 2. Pro facultate completa & expedita vitandum peccatum, & utiliter in ordine ad ſalutem operandum ſine aliqua voluntatis pia motione. Agens autem contrà Manichæos, dedit liberum arbitrium, nempè primo modo ſumptum, verè reperiri in homine, agens contra Pelagianos, dicit liberum arbitrium, nempè ſecundo modo ſumptum, periiſſe per Adami peccatum; quia talis facultas expedita & completa ad meritoriè operandum & peccatum vitandum, ſine præfata motione, perdita eſt per culpam primi hominis: natura quippe vitiata ut velit, agat, & perſeveret in iis quæ ſpectant ad ſalutem, ultra intellectus illuminationem (qua gratia etiam indigebat natura integra) requirit etiam potentem voluntatis excitationem, quam non requirebat natura integra: & quantùm ad hoc facta eſt deterior, per lapſum Adami, voluntas humana, ſeu liberum arbitrium. Hoc notato

Reſp. Ad paſſus allegatos & ſimiles per peccatum Adami periiſſe liberum arbitrium ſecundo modo ſumptum, non primo modo: & ita apertè ſeſe explicat Auguſtinus lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 2. ubi ait: *Quis noſtrum dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium ab humano genere; libertas quidem periit per peccatum, ſed illa quæ in paradiſo fuit habendi plenam cum immortalitate juſtitiam, propter quod natura humana indiget gratia*. Dici etiam poſt S. Doctorem quandoque loqui de libertate à miſeria: item de libertate à neceſſitate patiendi pravos concupiſcentiæ motus, quam libertatem in nobis eſſe perditam, experientia quotidiana convincimur, ſed utinam nunquam criminaliter.

Objic. 3. Reprobat Auguſtinus libertatem indifferentiæ ut videre eſt in libro Operis imperfecti, contra Julianum, & alibi: ergo &c.

Reſp. Non reprobare ſimpliciter, ſed ad ſenſum Juliani, & aliorum Pelagianorum, qui inter alia volebant hominem lapſum, eſſe æquè liberum & indifferentem circa bonum præſtandum, & malum vitandum, ac hominem integrum; cùm tamen circa illa liberum hominis arbitrium jam ſit viribus attenuatum & inclinatum, ut loquitur Trident. Seſſ. 6. cap. 1. magiſque propendeat, ratione concupiſcentiæ, in bonum delectabile rationi contrarium, quàm in bonum conducens ad vitam æternam.

Objic. 4. Cenſet idem Doctor eſſe in homine lapſo quamdam peccandi neceſſitatem: unde alloquens Julianum: *Multum erras*, inquit, *qui neceſſitatem nullam putas eſſe peccandi*: ergo &c.

Reſp. Diſt. Ant. Cenſet eſſe neceſſitatem peccandi indeterminatè, ſaltem venialiter: C. determinatè, ſeu committendi aliquod peccatum determinatum, ſive mortale, ſive veniale: N. Quia licèt homo non poſſit abſtinere ab omnibus peccatis collectivè, poteſt tamen à ſingulis, etiam venialibus, diviſivè, ut dicemus poſteà.

Quando autem dicit Auguſtinus conſuetudinem peccandi, inducere peccandi neceſſitatem, loquitur de neceſſitate morali, eò quòd aſſuetus certis peccatis, difficulter ab illis abſtineat: nam, ut ait ipſemet 8. Confeſſ. cap. 5. *Dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas*, nempè moralis.

QUÆSTIO II.

Quid ſit Liberum Arbitrium?

CONCLUSIO I.

Liberum arbitrium non eſt actus, neque habitus, ſed potentia, & quidem realiter à voluntate indiſtincta.

Prob. 1. pars; Quia ſi liberum arbitrium eſſet actus, modò eſſet in homine, modò non eſſet: eſſet, cùm actum eliceret,

non

non eſſet, cùm ab illo ceſſaret, imò cùm poſſint, juxta plurimorum opinionem, plures actus ſimul ab eodem homine produci, poſſent eſſe in eodem ſimul plura libera arbitria: quod rejicit ſenſus communis, unicum agnoſcens in homine liberum arbitrium.

Præterea liberum arbitrium eſt homini naturale, non ſic actus, qui naturæ ſuperadditur: undè licèt in rigore ſonet actum, artamen pro actus principio ſumitur, communiter à Patribus, & Theologis, imò & ab ipſis plebeis, qui dicentes hominem eſſe liberi arbitrii, non intelligunt quod hic & nunc liberè agat, ſed quòd poſſit, ſeu quòd habeat in ſe potentiam liberè agendi.

Prob. 2. pars; habitus non ineſt nobis à natura, ſed comparatur per actus, ut qui liberum arbitrium nobis ineſt à natura: ergo &c. Præterea poteſt habitus perire in homine, non liberum arbitrium: poſſumus habere plures habitus volendi, non plura libera arbitria: habitus naturaliter potiùs inclinat ad actum, liberum arbitrium eſt indifferens ad actum & non actum.

Prob. 3. pars; Deber liberum arbitrium in aliquo conſtitui; non in actu aut habitu, ut oſtendimus: ergo in potentia, cum nihil ſit aſſignabile in quo convenientiùs conſtituatur.

Prob. 4. pars; Quæ eſt D. Thomæ, Scoti, quo lib. 18. n. 9. & Theologorum communiter, quibus non contradicit Doctor Seraphicus, ſi benè inſpiciatur, ut rectè notat P. Herinx, Probatur, inquam 1. ex Concilio Arauſic. 11. cap. 13. Ubi oſtenditur liberum arbitrium eſſe ipſammet voluntatem. Item ex Auguſtino lib. 1. de lib. arbit. c. 16. *Niſi fallor*, inquit, *ut ratio tractata monſtravit, id facimus ex libero voluntatis arbitrio*. Idem docet Ambroſius lib 2. de fide, c 3. Imò Damaſcenus l. 3. de fide cap. 14. expreſsè ait: *Patres liberum arbitrium voluntatem eſſe definierunt*, qui omnes fundantur in Scriptura, libertatem per actus voluntatis explicanre, ut videre eſt pluribi.

Prob. 2. ratione: In illa potenria conſiſtit formaliter libertas, quæ habet plenum in ſuos actus dominium, ſed talis eſt voluntas, quæ, poſitis omnibus ad agendum præreqiuſitis, poteſt agere, & non agere, circa hoc vel circa illud: ergo &c.

Prob. 3. Ad meritum & demeritum requiritur libertas ut ſuo loco dicemus, ſed nonniſi voluntate meretur quis, aut demeretur, cùm nonniſi voluntate fiat peccatum, & bene vivatur, ut ait Auguſtinus lib. de duabus animabus cap. 10. ergo ſola voluntas eſt formaliter libera.

Objic. 1. Voluntas aliquando neceſſario agit, ut patet in motibus primò primis: ergo malè in ea conſtituitur liberum arbitrium.

Reſp. Neg. Conſeq. Non enim voluntas dicitur libera, ex eo quòd ſemper liberè agat, ſed ex eo quòd ſola liberè agat.

Objic. 2. Actus intellectus & aliarum potentiarum quandoque dicuntur liberi: ergo & ipſæ potentiæ ſunt liberæ.

Reſp. Diſt. Ant. Dicuntur liberi præcisè, quia procedunt à ſuis potentiis: nego. Quia procedunt ab ipſis ex imperio voluntatis: C. Undè ſunt rantùm liberi extrinſecè remotè; actus autem voluntatis, licèt ſint etiam extrinſecè liberi, cùm libertas *non ſit* in ipſis actibus, ſed in voluntate intranſitivè, ſunt tamen proximè immediatè tales.

Objc. 3. Arbitrari, eſt actus intellectus: ergo male conſtituitur liberum arbitrium in voluntate.

Reſp. Diſt. Ant. Arbitrari pro ut idem eſt ac judicare, eſt actus intellectus: C. Prout idem eſt ac eligere, ſeu agere cum electione: N. Ut ſic enim pertinet ad voluntatem.

Objic. 4. Intellectus verſatur circa actus oppoſitus, v. gr. circa amorem & odium: item circa objecta diverſiſſima: ergo eſt liber.

Reſp. Diſt. Ant. Verſatur circa &c. pro ſuo libitu: nego. Ex imperio voluntatis, aut ab objectis determinatus: conc. & nego conſequentiam.

Objic. 5. Intellectus eſt radix libertatis: ergo in ipſo requiritur liberum arbitrium.

Reſp. Neg. Ant. Licèt enim voluntas non poſſit agere niſi objectum ab intellectu ipſi proponatur, non indè ſequitur quòd intellectus ſit radix libertatis, ſed benè quòd ſit conditio, ſine qua non ageret voluntas, adeoque nec liberè. Præterea ſi eſſet radix libertatis, eſſet vera cauſa voluntatis; quandoquidem radix ſignificet veram cauſam, & libertas in actu primo ſit ipſa voluntas. Hoc autem nemo dixerit. Nec replices eſſe radicem libertatis in actu ſecundo, id eſt, volitionis, & nolitionis; quia tantùm requiritur ad illas tanquam conditio ſine qua non, ut diximus.

Obj. Deniq; cum Cajetano: in appetitu ſenſitivo poteſt repetiri libertas ſufficiens ad peccatum veniale: ergo eſt etiam liber.

Reſp. Neg. Ant. Cum Doctoribus & Patribus communiter aſſerentibus ſola voluntate peccari: unde Trid. Seſſ. 5. Decret. de Orig. definit motus concupiſcentiæ in baptizatis non poſſe nocere non conſentientibus.

CONCLUSIO II.

SIc definiri poteſt liberum arbitrium: Potentia, quæ, poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt agere & non agere, vel agere hoc & ejus oppoſitum: ita ut ad liberum arbitrium generaliter ſumptum ſufficiat libertas contradictionis; & ideo, quamvis Deus non habeat libertatem contrarietatis ad bonum & malum (ſicut habent homines viatores, qui poſſunt non tantùm velle, ſed etiam odiſſe bonum, ſaltem ſub ratione mali apparentis, nec ſolùm fugere, ſed & velle malum ſub ratione boni apprehenſi) habet tamen verè liberum arbitrium; quia poteſt bonum unum decernere, vel omittere, vel ex pluribus bonis unum eligere: unde Auguſtinus lib. 1. Operis imperfecti: *Si liber non eſt, niſi qui duo poteſt velle, id eſt bonum & malum; liber ergo Deus non eſt, qui malum non poteſt velle*. Eridco quando SS. Patres explicant liberum arbitrium per potentiam ad bonum & malum, loquuntur de libero hominis arbitrio, quod in quantum poteſt per actus contrarios, v.g. per amorem & odium, in bonum aut malum tendere, potius involvit imperfectionem, quam perfectionem; cùm perfectius ſit, non poſſe velle malum, quàm è contra.

QUÆSTIO III.

An ad libertatem requiratur indifferentia in ſenſu compoſito prærequiſitorum?

SEnſus quæſtionis eſt, an, ſtātibus & invariatis omnibus prærequiſitis ad reddendam voluntatis potentiam completam & proximè expeditam, neceſſariis, requiratur, ut ſit verè libera, quòd ſit omninò æqualiter indifferens ad non actionem, ac ad actionem; An autem ſufficiat, quòd poſſit quidem proximè, nullo prærequiſitorum variato, ponere actionem, non poſſit tamen proximè, niſi uno prærequiſitorum variato ubſtinere ab actione? Huic quæſtioni occaſionem dedere plurimi Thomiſtæ ponentes inter prærequiſita ad agendum, præmorionem phyſicam, qua ſtante, volunr hominem adhuc eſſe liberum ad non agendum, licèt non poſſir eſſe non actio, niſi in ſenſu diviſo præmotionis, id eſt, ablata præmorione. Ad faciliorem horum intelligentiam & reſolutionem.

Adverte 1. Thomiſtas quamplurimos (non tamen S. Thomam) ut fusè & clarè oſtenderunt varii Authores, & nos etiam in Philoſophia, docere 1. Deum in tempore præmovere, ſeu prædeterminare phyſicè omnes cauſas ſecundas, etiam liberas, ad omnem earum actionem. 2. non eſſe in poteſtate creaturæ, ut præmotionem illam habeat, aut habitam rejiciat. 3. Sine illa impoſſibilem nobis eſſe actionem. 4. Præmotionem illam ita ex ſuis intrinſecis determinare hominem ad agendum, ut impoſſibile ſit non eſſe actionem ad quam eſt præmorio.

Adverte 2 Nos hic triplicem diſtinguere poſſe ſenſum compoſitum & diviſum: 1. Ita ut ſimul ſit actio & non actio & hic ſenſus compoſitus impoſſibilis eſt, cùm involvat contradictionem; & ſic patet definitionem libertatis reſpectu illorum non eſſe intelligendam in ſenſu compoſito, ſed diviſo: unde in definitione liberi arbitrii, particula. *Et* non afficit *non agere*, ſed *poteſt* ſubintellectum; ita ut ſenſus ſit, *poteſt agere & non poteſt agere*, unde ſonat ſimultatem potentiæ ad agere, & non agere, non tamen ſimultatem actionis, & non actionis. 2. Ita ut ſimul & eodem inſtanti eſſe poſſit potentia proximè expedita ad agendum cum potentia proximè expedita ad non agendum ſine ulla ex parte prærequiſitorum mutatione: & hunc poſſibilem eſſe oſtendemus poſtea: ſenſus diviſus huic oppoſitus erit, ſi potentiæ illæ poſſint eſſe ſimul uno prærequiſitorum variato, v.g. ſublata præmorione. 3. Ita ut non tantùm potentiæ iſtæ poſſint eſſe ſimul, ſed etiam cum potentia proximè expedita ad agendum poſſit eſſe non actio, & è contra: Senſus diviſus erir, ſi hæc ſtare poſſint ſimul, facta mutatione circa prærequiſita. His notatis

CONCLUSIO UNICA.

AD veram libertatem requiritur indifferentia ad agendum & non agendum in ſenſu compoſito prærequiſitorum 2. & 3. modo; ita ut cum omnibus ad actionem prærequiſitis ſtantibus, poſſit eſſe non tantùm potentia ad non agendum, ſed etiam non actio.

Prob. 1. Ex Concil. Trident. Seſſ. 6. Can. 4. Ubi definit, liberum arbitrium motum *poſſe diſſentire ſi velit*. ergo poteſt diſſentire, ſeu non agere in ſenſu compoſito motionis quod eſt ultimum ad actionem prærequiſitorum complementum: nam ſi intelligas verba Tridentini in ſenſu diviſo, ſenſus erit quod

liberum

liberum arbitrium non motum, poſſit diſſentire: quod totaliter evertit intentionem Concilii, & adſtruitur id, de quo nullus unquam dubitavit.

Prob. 2. Ex Patribus, qui unanimiter aſſerunt *In noſtra poteſtate eſſe* (verba ſunt Clementis Alexand. lib 2. Strom.) *parere & non parere Deo vocanti*, quod falſum eſſet, ſi tantum poſſemus non parere in ſenſu diviſo vocationis; cùm non ſit in noſtra poteſtate vocationem efficacem, ſeu præmotionem abjicere, ut docent adverſarii.

Prob. 3. Ratione; quia, ut ſit vera libertas, tanta debet eſſe indifferentia ad agendum; quanta ad non agendum; ſed ſi cum potentia proximè expedita ad agendum, tantùm eſſet potentia proximè expedita ad non agendum in ſenſu diviſo, id eſt, ſublata præmotione, non eſſet tanta indifferentia ad unum, quanta ad aliud: ergo. Major clara eſt. Prob. Min. quia potentia ad non agendum, tantùm eſſet remota, impedita, ligata. Et certè ſi in illa ſententia, potentia ad agendum non ſit omninò expedita ſine præmotione; cur potentia ad non agendum eſſet expedita cum præmotione? cùm in eorum opinione non minùs ſit impoſſibilis non actio cùm præmotione, quàm actio ſine præmotione.

Prob. 4. Quia ex ſententia oppoſita ſequitur contra Thomiſtas, Beatos liberè Deum videre, cùm poſſint in ſenſu diviſo luminis gloriæ non videre: ſicut &, ob eandem rationem, ligatum ad palum liberè ſtare.

Prob. 5. Quia in oppoſita ſententia, potentia præmoti ad non agendum, eſt chymerica; cùm ſit ad impoſſibile, nempè ad non actionem incompoſſibilem cum præmotione, quam præmotus non poteſt à ſe abjicere. Plura circa hoc, vide in Philoſophia.

Obj. 1. Unum è prærequiſitis ad agendum eſt præmotio; ſed implicat præmotum non agere: ergo non poteſt eſſe non actio cùm omnibus prærequiſitis. Prob. Min. quia implicat Deum fruſtrari effectu ad quem efficaciter movet.

Reſp. relictis naturalibus, de quibus Philoſophi, diſt. Ma. de ſupernaturalibus: unum è prærequiſitis ad agendum ſupernaturaliter, eſt præmotio phyſica, nego. moralis, C. ſed de hoc fuſiùs in Tractatu de Gratia.

Objic. 2. Unum è prærequiſitis ad creandum mundum eſt æternum Dei decretum, ſed hoc ſtante, Deus non creavit liberè mundum: ergo non debet intelligi definitio libertatis in ſenſu compoſito prærequiſitorum.

Reſp. Neg. Maj. quia æternum illud decretum eſt unum è conrequiſitis, non prærequiſitis; quandoquidem non præcedat voluntatis conſenſum, ſed concomitetur, imò ſit ipſemet conſenſus.

QUÆSTIO IV.

An libertas, quam eſſentialem vocant, ſit vera libertas?

JAnſenius lib. 6. de gratia Chriſti, ut ſententiam ſuam de ſufficientia libertatis eſſentialis ad meritum & demeritum plauſibilis ſuſtineat, & inclinet, conatur variis locis oſtendere libertatem illam eſſe libertatem ſimpliciter dictam, modò præſupponat rationis advertentiam & directionem, quia libertatis eſſentia, ut docet ibidem, dicit quidem immunitatem à coactione, non tamen à neceſſitate: & ideò infert gratiam efficacem, licèt voluntatem ad unum determinet, nempe ad actum, ut etiam ibi ſuſtinet; quia tamen non cogit, libertatem non tollere, nec ſufficientiam ad merendum: quod ut hæreticum damnavit S. Sedes. Præfatam libertatem tanquam veram & eſſentialiter talem ſuſtinuerunt etiam Authores nonnulli, & præſertim Lovanienſes, ut videre eſt in eorum Theſibus, quibus tamen non videtur ratio, & libertatis idea ſuffragari.

CONCLUSIO UNICA.

LIbertas *eſſentialis* dicta, ſeu à coactione, non eſt vera & adæquata libertas. Eſt communis inter Doctores.

Prob. 1. ex D. Thoma, qui p. 1. q. 19. art. 10. docet Deum non eſse liberum circa ſui amorem, quia neceſsariò ſe amat; ſed ſi ad eſsentiam libertatis ſufficeret immunitas à coactione, & non requireretur immunitas à neceſſitate, in Deo eſset vera & adæquata libertas, etiam circa ſui amorem, cùm ad id à nemine cogatur, aut cogi poſſit: ergo. Præterea q. 24. de veritate art. 5. ut probet eſse in Angelis & in Deo circa actiones ad extra libertatem, ſic ait: *Non enim ipſi ex neceſſitate volunt*: ergo ſupponit neceſſitatum, etſi non coactum, non eſse liberum, aliàs ejus probatio nulla eſset.

Prob. 2. ex condemnatione hujus Bajanæ propoſitionis: *Quod voluntariè fit, etſi neceſſitate fiat, liberè tamen fit*. Ex hujus. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali*. Mirum autem eſset, quòd prædictas propoſitiones damnaſsent Summi Pontifices, ſi credidiſsent totam libertatis eſsentiam cùm neceſſitate poſse conſiſtere.

Prob. 3. Ratione: Debemus loqui de libertate in operando ſecundùm communem libertatis ideam, ſed nullus mortalium antequam ſciret hanc quæſtionem in Scholis agitari, concepit, aut credidit hominem eſse liberum, dum neceſſitaretur ad unum: ergo. Undè audito ſolo libertatis nomine, ſtatim concipitur aliqua indifferentia; &, ubi non concipitur indifferentia, non concipitur libertas.

Prob. 4. Non concipitur eſse libertas, ubi non reperitur facultas eligendi; ſed ubi reperitur neceſſitas ad unum, non reperitur facultas eligendi: ergo. Majorem probat ſenſus communis. Minorem D. Thomas 2. 2. q. 13. a. 2. *In his quæ ſunt determinata ad unum*, inquit, *electio locum non habet*.

Prob. 5. Non intelligitur voluntas libera in operando, niſi intelligatur operationum ſuarum Domina; ſed non poteſt intelligi Domina operationis quam ita ponit, ut non poſſit non ponere; quandoquidem tunc potiùs ei dominetur actio, quàm ipſa actioni: ergo. Prob. Ma. ex Scrip. Gen 4. verſ. 7. quæ exprimit hominis libertatem in ſuos actus, per quodam dominium, his verbis: *Sub te erit appetitus ejus & tu dominaberis illius*. Deinde liber in operando habet operationem in ſua poteſtate, ut concedunt Adverſarii, ſed habens aliquid in ſua poteſtate, eſt verè Dominus illius: ergo debet ipſi dominari, & non ad ipſum neceſſitari.

Objic. 1. Nos pluribi ſupponere; imò admittere libertatem eſsentialem: ergo &c.

Reſp. Diſt. Ant. Admittimus libertatem eſsentialem ſub idea libertatis communiter acceptæ, N. ſub idea cujuſdam immunitatis ab aliquo onore: C. undè dupliciter ſumi poteſt *libertas*, 1. prout ſonat exemptionem ab aliquo gravamine; ſic exempti à Gabellis, debitis, ſervitute, &c. dicuntur ab iiſdem liberi, 2. Prout importat poteſtatem ad oppoſita. Primo modo ſumimus libertatem eſsentialem, quia nempe importat immunitatem à coactione: non ſecundo.

Objic. 2. Libertas à coactione dicitur eſsentialis, & libertas à neceſſitate accidentalis: ergo potius illa, quàm hæc, eſt vera libertas.

Reſp. Dici eſsentialem, non quia eſsentialem habet libertatis, ſecundum communem ſenſum intellectæ, ſed quia immunitas, quam importat, eſt quaſi homini eſsentialis, cùm ſit ab eo inſeparabilis per quamlibet potentiam; eò quòd nemine poſſit voluntas in ſuis actibus cogi: è contra libertas à neceſſitate dicitur *accidentalis*, Non quia non habet eſsentiam veræ libertatis, ſed quia accidentaliter ineſt homini, cùm ab eo, ſaltem divinitùs, poſſit ſeparari.

Objic. 3. Habemus veram libertatem reſpectu illius, quod eſt in noſtra poteſtate: ſed actus voluntatis, etiam neceſsarii, ſunt in noſtra poteſtate: ergo. Prob. Min. ex Auguſtino lib 3. de lib. arbit. cap. 3. *Illud nos habere in poteſtate dicimur, quod, cùm volumus; facimus*: ſed voluntatis actus ſpontaneos, ſive neceſsarios facimus cùm volumus: ergo &c.

Reſp. Neg. Min. ad probationem, dico ly *cùm volumus*, ſic eſse intelligendum, *cùm ita volumus, ut poſſimus, non velle*, ut ſatis ſeipſum explicat S. Doctor lib. de ſpir. & litt. c. 31. ubi ait: *Hoc quiſque habere in poteſtate dicitur, quod ſi vult, facit, ſi non vult, non facit*: unde loquitur de volitione indifferenti, & non purè ſpontanea.

Obji 4. Auguſt. lib. de duabus animabus cap. 10. dicit quòd libertas ſit, *Animi motus cogente nullo ad aliquid*. Unde D. Proſper lib. contra Collatorem cap. 18. ſic definit libertatem; *Liberum arbitrium eſt rei ſibi placitæ ſpontaneus appetitus*: Ergo ubi adeſt ſpontaneitas, ſeu non coactio, licèt non reperiatur indifferentia, adeſt libertas.

Reſp. Diſt. Conſeq. Ubi adeſt ſpontaneitas ſtrictè & largè ſumpta, adeſt libertas: C. ubi adeſt ſolùm ſtrictè ſumpta: N. Spontaneitas duplex eſt, una quæ excludit tantùm violentiam phyſicam, altera quæ & phyſicam & moralem: jam autem licèt cum prima non conſiſtat libertas, conſiſtit tamen cum ſecunda, cùm excludendo violentiam, ſeu coactionem moralem, excludit neceſſitatem, quæ ſatis communiter venit nomine coactionis: unde ſi petas à Mercatore, cur in periculo mortis dederit burſam latroni, projecerit merces in mare &c. reſpondebit, *coactus feci*. Ex quibus patet ſolutio ab Aug. & Proſp.

Reſp. 2. Auguſtinum ibi agere contra Manichæos, qui volebant eſse in homine ſubſtantiam duplicem; bonam unam & malam alteram: ab hac autem, voluntatem ad actus malos non neceſſitari, ſed cogi aſſerebant, ut patet ex Fortunato Manichæo, qui diſp. 2. ſic alloquitur Auguſtinum: *Inviti peccamus, & cogimur à contraria, & inimica nobis ſubſtantia*. Contra quos

dicit

Digitized by Google

dicit liberum arbitrium, quod habet homo in ordine ad actus ſuos, eſſe animi motum ſine coactione : quod ſufficiebat, ut eorum errores confunderet; licèt ſit tantùm definitio libertatis inadæquata, cùm adæquata importet immunitatem à coactione, & ſimul à neceſſitate.

Objic. 5. Damaſcenum lib. 3. de fide, cap. 14. ubi ait : *Arbitrii libertas nihil eſt aliud quàm voluntas* : unde Bernardus lib. de lib. arb. & gratia : *Ubi ergo conſenſus, ibi & voluntas : porro ubi voluntas, ibi libertas*. ſed reperitur voluntas in actibus neceſſariis : ergo & libertas.

Reſp. Diſt. Ma. Nihil eſt aliud quàm voluntas, ut natura eſt: N. Ut voluntas eſt : C. Conſiderari ergo poteſt voluntas dupliciter 1. Prout libenter ex inclinatione naturali, & appetitu præciſè ſibi innato fertur in operationem, quod eſt ipſi & aliis potentiis commune, & ſub hoc reſpectu dicitur natura. 2. Prout fertur in actum cum indifferentia, & tunc dicitur voluntas; quia hoc habet, non ut eſt potentia præciſè, ſed ut eſt potentia talis : de potentia ſecundo modo loquuntur Patres, non primo. Quia etſi voluntatem ad actum neceſſitaret Deus, v. gr. per qualitatem præmoventem, adhuc ex inclinatione, in actum tenderet voluntas, non tamen cum arbitrio ſeu indifferentia.

Objic. 6. D. Thomam variis locis, & quidem 3. diſt. 18. art. 2. ad 5. ubi dicit Chriſtum determinatum ad bonum, nempe ad diligendum Deum, libertatem non amittere; quia *In illud non coactè, ſed ſponte tendit, & ita eſt actus ſui Dominus*. Item 2. diſt. 25. q. 1. art. 4. *Liberum arbitrium dicitur ex eo, quòd cogi non poteſt*. Similiter alibi *Liberè voluntas appetit fœlicitatem, licèt neceſſario appetat illam*. Item 1. P. q. 82. art. 1. ad 1. *Neceſſitas naturalis non aufert libertatem voluntatis*. Denique alibi aſſerit, Deum liberè ſeipſum amare, Spiritum Sanctum liberè à Patre procedere.

Reſp. Ad 1. Chriſtum fuiſſe ad dilectionem determinatum moraliter, non phyſicè; cùm Deus etiam clarè viſus non immutet phyſicè voluntatem; & ſic habuit actus ſui dominium ſufficiens ad laudem & meritum.

Ad 2. Dico vel loqui de libero arbitrio inadæquato, vel, ſi de adæquato, vult quòd tale dicatur ex eo, quòd nec phyſicè, nec moraliter cogi poteſt, perſeverante libertate; quia etiam coactio moralis, ſeu neceſſitas, tollit rationem arbitrii.

Ad 3. Dico voluntatem liberè & neceſſariò appetere fœlicitatem, ſed diverſimodè : liberè quidem libertate contradictionis, in quantum poteſt in fœlicitatem tendere, vel non tendere, ſeu abſtinere ab actu; & neceſſariò, in quantùm, ſi velit in ipſam tendere, neceſſariò debet tendere proſequendo, non fugiendo : quod non obeſt Concluſioni.

Ad 4. Reſp. Loqui ibi de neceſſitate naturali tollente indifferentiam ad contraria, non ad contradictoria; quia loquitur de neceſſitate ad bonum, ad quod neceſſitatur voluntas, ſi velit in ipſum tendere actu proſecutionis; quaſi diceret : neceſſitas naturalis ad amandum bonum, ubi vult homo in ipſum tendere, non tollit libertatem, quia poteſt abſtinere ab actu, ſeu ceſſare ab amore.

Ad ultimum, intelligendus eſt S. Doctor de libertate inadæquatè ſumpta, id eſt, prout dicit ſpontaneitatem, ſeu libentiam, & immunitatem à coactione, non de libertate adæquata ſeu arbitrii, quæ etiam excludit neceſſitatem, & quæ ſola venit nomine libertatis propriè ſumptæ.

Quamvis autem hæc quæſtio videatur eſſe de nomine; maximè tamen neceſſaria eſt hoc tempore ejus intelligentia, ne incauti decipiantur à Janſeniſtis, libertatem inadæquatam & impropriam pro adæquata & propria, adeòque, & ſufficienti ad meritum & demeritum intrudere volentibus.

QUÆSTIO V.

An ſit in homine libertas contradictionis & contrarietatis circa bonum & malum?

CONCLUSIO I.

DAtur in homine viatore libertas contradictionis, circa quodlibet bonum & malum, id eſt, poteſt homo viator quodlibet bonum proſequi, vel ab ejus proſecutione ceſſare, & quodlibet malum poſitivè fugere, vel ceſſare ab ejus fuga.

Prob. Quia nullum eſt aſſignabile objectum tantæ bonitatis, ut voluntatem neceſſitet ad ejus proſecutionẽ, aut tanti horroris, ut eam neceſſitet ad poſitivam illius fugam: ergo &c. Unde poteſt homo viator ab amore ſupremi boni & deſiderio Beatitudinis ceſſare; poteſt & infernum non poſitivè fugere.

Dixi : *In homine viatore*; quia Beati neceſſitantur, non quidem phyſicè, (cum etiam clara & aperta Dei viſio non immutet phyſicè eorum potentiam) ſed moraliter ad amorem Dei. Nec tamen indè inferas perfectiorem eſſe libertatem in viatore, quàm in Beatis; quia quòd poſſit viator ceſſare ab amore ſupremi boni; item quòd poſſit malum eligere (quod non poſſunt Beati) non eſt perfectio libertatis, ſed illius defectus : unde Bellarminus Tom. 4. de gratia & lib. arb. lib. 31. cap 6. *Poſſe eligere malum*, inquit, *non eſt virtus liberi arbitrii, ſed defectus : nihil enim aliud eſt, niſi poſſe in agendo falli & errare. Itaque hoc defectu remoto, non perit, ſed fortius liberiuſque efficitur liberum arbitrium Beatorum*. Cui præluxerat D. Thomas q. 22. de verit. art 6. ubi ait : *Velle malum, nec eſt libertas, nec pars libertatis, quamvis ſit libertatis ſignum*.

Et certè ſi propter illa perfectior eſſet libertas viatorum, quàm Beatorum, eſſet etiam perfectior libertate ipſiuſmet Dei, cùm non poſſit malum amplecti, quod poſſunt viatores. Unde perfectio libertatis indifferentiæ non petitur ab eo, quòd ſit indifferens circa omnia objecta & bona & mala, ſed ex eo, quòd ſit omninò indifferens ad illa, quæ non habent neceſſariam connexionem cum ſummo Bono, nec retrahunt ab illo, & ideo ex eo, quòd Beati non poſſint moraliter ceſſare ab amore Dei, & malum eligere, colligere debemus perfectiorem eſſe eorum libertatem, quàm ſit libertas viatorum, qui utrumque poſſunt & phyſicè & moraliter : & certè nunquid res perficitur per conjunctionem ad ſuum principium, & è contra debilitatur & minuitur per receſſum ab illo? Cùm ergo libertas Beatorum magis accedat ad Deum; nec ab illo recedat, ſequitur eorum libertatem eſſe perfectiorem.

CONCLUSIO III.

NOn datur in homine libertas contrarietatis circa bonum aut malum, id eſt, non poteſt homo bonum ut tale repræſentatum amare vel odiſſe pro libitu, & malum ſub ratione mali odiſſe vel amare, ut ſibi placuerit, ſed ſuppoſito, quòd velit agere, neceſſitatur ut bonum eligat, & malum fugiat. Eſt communis contra Nominales, & paucos alios, quibus nullatenus favet Scotus; quia licèt 1. diſt. 1. q. 3. videatur dubius tamen 4. diſt. 49. q. 10. n 8. & 9. expreſsè ſententiam communem amplectitur.

Prob. 1. De Bono; quia, ut habet Axioma commune ab Ariſtotele approbatum 2. Ethic. cap. 1. *Bonum eſt quod omnia appetunt* : ſed ſi poſſet quis bonum ſub ratione boni odiſſe, non omnia bonum appeterent : ergo

Prob. 2. de Malo : quia, ut etiam fere dictum vulgare, *Nemo intendens in malum operatur* : ergo nemo poteſt malum ſub ratione mali appetere; & ideo Dionyſius de divinis Nom. cap. 4. *Nemo, propoſito ſibi malo, facit quæ facit*. Et Auguſtinus lib. de duabus Anim. cap. 12. *Hoc autem aliquid, aut bonum erat, aut bonum putabatur : non enim aliter appeti poſſet*.

Prob. 3. De utroque : ideo aliquid eſt appetibile, quia eſt appetitui conveniens : ſed malum ut malum non eſt appetitui conveniens, aliàs eſſet ipſi bonum : ergo non poteſt appeti. E contra ideo aliquid eſt odibile, quia eſt diſconveniens appetitui : ſed bonum ut ſic non eſt appetitui diſconveniens, aliàs non eſſet malum : ergo non poteſt odio haberi : unde ſi peccatores odio Deum habeant, illum reſpiciunt ut ſibi malum, quia nempe punit eorum peccata, minatur infernum &c. E contra ſi appetant mortem, peccatum, & ſimilia, apprehendunt in illis quandam bonitatem, v. g. in peccato delectationem, in morte finem à miſeriis, & ideo locuti ſumus in Concluſione de bono, aut malo ut ſic.

Objic. 1. Datur hoc diſcrimen inter peccatum ex ignorantia & peccatum ex malitia, quòd primum fiat ratione errante, & ſecundum ratione cognoſcente : ergo in peccatis ex malitia voluntas appetit malum cognitum ut tale.

Reſp. Diſt. Conſeq. Appetit malum cognitum ut malum, ſub ratione ipſius mali : N. Sub ratione alicujus ſibi commodi aut delectabilis : C. Tunc quidem cognoſcit voluntas malum ut malum, illud tamen non fertur, niſi quatenus in ejus appetitu, aut executione apprehendit quamdam delectationem aut commoditatem.

Objic. 2. Poteſt quis velle inimico malum ſub ratione mali, v. g. combuſtionem ipſius domus, quatenus eſt ipſi nociva & ingrata : ergo &c.

Reſp. Diſt. Ant. Sub ratione mali ipſi inimico : C. ſibi : N. Unde tunc operans vult inimico malum ut ſibi bonum in quantum ſumit per hoc de injuria illata vindictam.

Obji. 3. Poſſumus ex duobus malis, quorum unum, aut alterum eſt inevitabile, minus eligere : ſed minus malum eſt verè malum : ergo

Reſp. Diſt. Ma. Poſſumus minus eligere quatenus eſt malum formaliter : N. Quatenus removet majus malum : C. Sed ſub illo reſpectu apprehenditur ut bonum.

Obji. 4.

Objic. 4. Ad id poteſt inclinare potentia, ad quod inclinat habitus: ſed habitus inimicitiæ, v. g. inclinat ad malum ut malum, nempe ad actum odii: ergo

Reſp. Neg. Min. Quia ad id inclinat habitus in quod tendit actus, à quo gigoitur: actus autem inimicitiæ, licèt habeat pro objecto materiali malum inimici, habet tamen pro objecto formali bonum commodum vel delectabile deſiderantis.

Objic. 5. Homo habet libertatem contrarietatis: ergo poteſt pro libitu bonum amare vel odiſſe, & è contra malum odiſſe vel amare.

Reſp. Diſt Aot. Homo habet libertatem contrarietatis circa objectum materiale: C. Circa formale: N. Poteſt quidem Petrum v. g. (qui eſt objectum materiale voluntatis) amare vel odiſſe: ſed ſi amet, debet in illum tendere ſub ratione boni; ſi odio habeat, ſub ratione mali, bonum eſt autem objectum formale voluntatis proſequentis, & malum voluotatis ſugientis.

QUÆSTIO VI.

An Deus poſſit neceſſitare voluatatem ſtante indifferentia judicii?

HUic quæſtioni occaſionem dederunt quidam Thomiſtæ, volentes poſſe libertatem cum præmotione phyſica ſalvari, modò adſit cognitio objectivè indifferens, ideſt, modò cognoſcatur objectum vel cum indifferentia contrarietatis, ſeu ut amabile ſecundùm unam rationem, & ot odibile ſecundum alteram; vel cum indifferentia contradictionis, ſeu cum una ratione alliciente ad actum, & cum altera retraheote ab acto: & ideo docent conſequenter, quòd, ſtante illa indifferentia, poſſit voluntas liberè in objectum tendere, quidquid interim circa illam fiat. Contra quos ſit

CONCLUSIO UNICA.

POteſt Deus, ſtante indifferentia judicii, neceſſitare voluntatem. Eſt commuois extra Scholam Thomiſticam, imò è Thomiſtis nobis favent nonnulli.

Prob. 1. Poteſt Deus, ſtante indifferentia judicii, præmovere phyſicè voluntatem, ot fatentur Adverſarii: ſed voluntas phyſicè præmota eſt determinata ad unum, nempe ad actum, ut etiam volunt ipſimet: ergo, ſtante indifferentia judicii, poteſt neceſſitari.

Prob 2. Vel Deus nunquam poteſt neceſſitare voluntatem, vel id poteſt ſtante indifferentia judicii: primum non admittunt Adverſarii: ergo debent admittere ſecundum. Prob. 2. pars Maj. quia abſentia indifferentiæ judicii nihil poteſt conferre ad neceſſitandam voluntatem, nam ſicut indiffereotia judicii, utpote quid extrinſecum, non poteſt dare voluntati libertatem; ita nec abſentia illius indifferentiæ, utpote etiam quid extrinſecum, poteſt ipſam neceſſitare.

Confirmatur hæc a. pars Majoris: quia nihil poteſt neceſſitare voluntatem, niſi ipſam intrinſecè mutet, cum intrinſecè ſit libera: ſed extrinſecum, quale eſt abſentia indifferentiæ judicii, non poteſt intrinſecè mutare: ergo &c. ex quo ſequitur, ſi Deus poſſit ipſam neceſſitare, debeat poſſe aliunde, ſtante indifferentia judicii, ipſam neceſſitare.

Prob. 3. Concluſio: poteſt voluntas neceſſitari ad non ponendum actum, ſtante indifferentia judicii, ut ſi Deus deneget concurſum: ergo neceſſitari poteſt ad ponendum actum, ſtante eadem indifferentia. Prob. conſeq. quia ſicut oon poteſt facere indifferentia judicii ut oon poſitio actus ſit libera, ubi ad non agendom determinata eſt voluntas; ita nec facere poteſt ut ſit libera poſitio, dum eſt ad agendum prædeterminata.

Prob. 4. Si homo agens ex indifferentia judicii ſemper eſſet liber, male condemnaſſet Eccleſia Lutherum, Calvinum, & alios negantes in homine liberum arbitrium: quandoquidem admitterent omnes hominem operari ex illa indifferentia, & conſequenter ſuſtinerent quoad rem liberum arbitrium, licèt voce-tenus negarent. Dicere autem condemnatos fuiſſe propter ſolam quæſtionem de nomine, nulla eſt veriſimilitudo.

Prob. 5. Quia ſi credidiſſent SS. Patres, poſſe ſalvari libertatem cum illa indifferentia, reſpondiſſent ſanè Hæreticis volentibus hominem ab aſtrorum influentiis, aut aliundè neceſſitari, ſemper remanere in homine indifferentiam judicii, non obſtante quacunque impreſſione; quandoquidem indifferentiam illam non negareot Hærerici: & tamen oullibi legimus reſponſionem illam adeo facilem & obviam uſurpaſſe. Antequam ſolvantur objectiones

Advertendum eſt, nos qoidem prædeterminationem rejicere tanquam libertati contrariam, non tamen tanquam abſolutè impoſſibilem: unde fatemur poſſe Deum de potentia abſoluta prædeterminationem voluntati imprimere; ſed tunc ſuſtinemus uſum libertatis impedire.

Objic. 1. Præmotus ad agendum, eodem modo operatur, ac ſi non eſſet præmotus, cùm præmotionem nullatenus percipiat: ſed, ſecluſa præmotione, liberè agit: ergo etiam illa poſita.

Reſp. Diſt. Ant. Eodem modo operatur exiſtimativè: C. realiter & in fundo rei: N. ot autem quis liberè agat, non ſufficit quòd credat ſe liberè agere, niſi de facto liberè agat.

Objic. 2. Objectum non proponitur illo caſo ut neceſſariò amandum: ergo circa illud non neceſſitatur voluntas.

Reſp. Diſt. Conſeq. Non neceſſitatur voluotas ex parte objecti: C. ex parte modi tendendi, vel principii productivi: N.

Objic. 3. Indifferentia judicii conſtituit hominem liberum. ergo &c.

Reſp. Diſt. Ant. Conſtituit radicaliter: C. Ultimatè: N. Nam præter indifferentiam judicii requiritur inſuper indifferentia ipſius voluntatis, connotans negationem qualitatis, vel alterius cujuſcunque principii ad unum antecedenter determinantis.

QUÆSTIO VII.

An voluntas operando ſit libera, & quid ſuperaddat libertas voluntati?

CONCLUSIO I.

EO inſtanti quo voluntas operatur, eſt libera. Eſt communis contra Ocham, & Gabrielem.

Prob. 1. Eo inſtanti quo voluntas operatur, operatur liberè: ergo eſt libera. Prob. Ant. aliquando voluntas liberè operatur (in hoc enim diſtinguitur ab intellectu, & aliis potentiis neceſſariis) ſed non ante operationem, vel poſt, ut per ſe patet: ergo in inſtanti operationis.

Prob. 2. Actus, dum fit, eſt liber: ergo potentia, dum illum facit, eſt libera; quandoquidem actus dicantur liberi ab ipſa potentia liberè agente, & è contra neceſſarii à potentia neceſſariò agente.

Prob. 3. Quia potueruot Angeli, juxta ſatis communem ſententiam, in primo inſtanti ſuæ creationis mereri aut demereri, adeoque liberè operari: ſed meritum aut demeritum non potuit eſſe liberum inſtanti ante creationem, cùm necdum exiſterent: ergo in inſtanti creationis, adeoque & operationis.

Dices: Quando voluntas operatur, eſt determinata ad operationem: ergo non eſt libera.

Reſp. Diſt. Ant Eſt determinata ab aliquo purè prævio & prærequiſito: N. à ſeipſa: C. ſed talis determinatio non tollit libertatem, ſed illam exercet.

Inſt. 1. Talis determinatio tollit indifferentiam: ergo & libertatem.

Reſp. Neg. Conſeq. Non enim toties, quoties tollitur indifferentia, tollitur libertas; quia dum ipſamet voluntas illam tollit; tantùm abeſt, ot libertatem amittat, ut potius ad actum reducat.

Inſt. 2. Non retinet tunc voluntas poteſtatem ad non actionem: ergo &c.

Reſp. Diſt. Ant. Non retinet in ſenſu compoſito, ideſt, non poteſt ponere actionem & non actionem conjunctim: C. hoc enim involvit implicantiam. Non retinet in ſenſu diviſo, ideſt, eodem inſtanti quo ponit actionem, non potuit abſtinere ab actione: N. Et hoc ſufficit, ut dicatur libere operari, cùm agat ex indifferentia voluntatis, ſeu agat ex voluntate non ab alio determinata.

Fatendum eſt tamen, hanc quæſtionem non eſſe propriè de re, ſed de modo loquendi: nam ſi tantùm velint Adverſarii quòd voluutas io inſtanti operationis quatenus operationis non ſit libera, quia ſufficit ad tollendam libertatem, quòd ſit ad actionem determinata, ſive à ſe, ſive ab alio, damus ipſis manus: unde tantùm ab ipſis diſcrepamus, quia non credimus ſofficere, ut dicatur tolli libertas, quod operans determinetur ad actionem à ſe ipſo, ſed ab alio; eò quòd determinatio à ſeipſo oon ſit amiſſio, ſed exercitium libertatis.

CONCLUSIO II.

LIbertas in actu primo remoto nihil addit voluntati ſecundùm ſe, ſed eſt ipſa entitas voluntatis, ot ex parte ſua potens operari ex indifferentia, ſeu determinare ſe ad utrumlibet oppoſitorum, modo adſint conditiones requiſitæ: in actu autem proximo, ſupra entitatem voluntatis, connotat conditiones

nes

Digitized by Google

nes intrinſecas & extrinſecas, poſitivas & negativas, vl quaram ita hic & nunc intelligitur conſtituta, ut poſſit proximè operari vel non operari pro ſua indifferentia. In actu autem ſecundo, ſuperaddit voluntati operationem poſitivam, vel non actionem pendentem ab illa ſic conſtituta.

Prob. 1. Pars; quia libertas eſt quædam indifferentia: non intellectus aut potentiarum inferiorum; cùm omnes neceſſariò operentur. ergo voluntatis: ſed indifferentia voluntatis nihil eſt aliud, quàm ipſa voluntas de ſe indifferens, ut patet ergo &c. Unde Theologi & SS. Patres confundere ſolent hos modos loquendi, *operari en voluntate*, ſcilicet cum deliberatione, *& operari ex libertate*.

Prob. 2. Pars; quia libertas in actu 1. proximo eſt potentia operandi & non operandi, poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis: ergo, ut cenſeatur voluntas proximè libera, debet omnia prærequiſita connotare

Prob. 3. Pars; quia libertas in actu 2. eſt ipſummet libertatis exercitium: ergo debet importare vel actionem vel ceſſationem ab actione circa quam ſe exercet.

QUÆSTIO XIII.

An concupiſcentia neceſſitet liberum arbitrium?

Suppono 1. Concupiſcentiam, ſeu appetitum ſenſitivum movere voluntatem: unuſquiſque enim movetur, *à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus*, ut dicitur Jac. 1. ſed quomodo hoc fiat? Diſputant Authores: crediderim tamen fieri ſympathiam, ſeu conſenſum appetituum radicatorum in eadem anima, quæ cum per potentias ſenſitivas ſentiat & appetat delectabilia, facilè etiam inclinatur ad illa per voluntatem appetenda: prævia tamen cognitione intellectus, objectum jucundum & delectabile voluntati repræſentantis, cum ipſa non feratur in incognitum.

Suppono 2. Quòd in ſtatu innocentiæ non ita voluntatem attraxiſſet appetitus ſenſitivi delectatio (ſtante etiam perfecta propoſitione intellectiva objecti delectabilis) ſicut nunc attrahitur: tunc enim pars inferior perfectiſſimè & per omnia ſubjiciebatur ſuperiori, nunc autem caro concupiſcit adverſus ſpiritum; & ita concupiſcit, ut ſæpe Eheu! victoriam referat. Sed an præterea voluntatem neceſſitet appetitus ſenſitivus, ſeu concupiſcentia? Declarabimus ſequentibus concluſionibus.

CONCLUSIO I.

Concupiſcentia cauſat difficultatem in voluntate, ideſt, difficillimè vincit concupiſcentiam voluntas.

Prob. 1. Ex Script. Rom. 7. v. 23. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*. Undè Auguſtinus citatus à D. Thoma q 24. de veritate art. 12. ſic ait. *Ad duodecimum cupiditas ... dicitur cogens propter vehementiam inclinationis; cui tamen poteſt reſiſti, licèt cum difficultate*.

Prob. 2. Ex infœlici noſtra experientia, qua aliquando tantam difficultatem ſentimus, ut miſerabiliter ſuccumbamus.

CONCLUSIO II.

Concupiſcentia non neceſſitat abſolutè voluntatem quoad motus deliberatos. Eſt contra Janſenium, qui lib. 4. de gratia Chriſti cap. 3. aſſerit voluntatem noſtram poſt Adami lapſum ita ſubjectam eſſe libidini, ut neceſſariò ſequatur in omnibus delectationem, vel concupiſcentiæ in malum, vel gratiæ in bonum, ita ut, ſi delectatio gratiæ ſit intenſior, quàm delectatio concupiſcentiæ, voluntas neceſſariò eligat bonum, ſi è contra, neceſſariò eligat malum.

Prob 1. Concluſio: Dixit Dominus, non Adæ, ſed Caino, adeoque poſt Adami lapſum: *Sub te erit appetitus ejus*, ideſt peccati, *& tu dominaberis illius*, ut habetur Gen. 4. ſed ſi concupiſcentia neceſſitaret voluntatem, homo non dominaretur appetitui peccati, ſed potiùs eſſet ejus ſervus & mancipium infœlix: ergo &c.

Prob. 2. Homo, qui ſequitur deliberatè inordinatos concupiſcentiæ motus, peccat, ut fatetur Janſenius: ſed peccaret; ſi concupiſcentia neceſſitaret voluntatem: ergo &c. Prob. Min. quia, ut quis peccet etiam in ſtatu naturæ lapſæ, debet habere libertatem indifferentiæ ad peccandum & non peccandum, ut patet tum ex hac propoſitione, *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod neceſſariò facit*, damnata à Pio V. Gregor. XIII. & Urbano VIII. tum ex Bulla Innocentii X. hunc Janſenii articulum tanquam hæreticum proſcribentis: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione*. Tum etiam ex D. Auguſtino, qui lib. 3. de lib. arb. cap. 18. ait: *Quis peccat in eo quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem, caveri igitur poteſt*. Ex lib. de duabus animabus cap. 12. *Si ita coguntur, ut reſiſtendi poteſtas nulla ſit, non peccant*

Dixi: *Quoad motus deliberatos*: nam quoad motus indeliberatos neceſſitat voluntatem; quia ita in illis ligatur & prævenitur ratio, ut, non attenta conditione honeſtatis, tantùm reflectat ad convenientiam naturalem, vel jucunditatem; eamque ſolam voluntati proponat, & ita fortiter proponat, ut voluntas rapiatur. Cùm tamen in motibus illis deſit deliberatio, vel advertentia, non ſunt peccaminoſi.

Objic. 1. Licèt concupiſcentia neceſſitet voluntatem, non tamen illam cogit: ſed ubi non cogitur voluntas, licèt neceſſitetur, manet ſufficienter libera ad peccandum: ergo malè infertur ex eo quòd concupiſcentia neceſſitet voluntatem, illi adhærentem non peccare. Prob. Min. Ubi voluntas non cogitur, licèt neceſſitetur; poteſt agere cum delectatione, ut patet in amore beatifico: ſed ubi voluntas agit cum delectatione, liberè agit, ut patet ex Auguſt. de lib. arb. cap. 3. ubi ait: *Per illud* ſcilicet liberum arbitrium, *peccant maximè omnes, qui cum delectatione peccant*.

Reſp. Neg. Min Ad Prob. Diſt. Min. Ubi voluntas agit cum delectatione, libere agit libertate vel eſſentiali, vel indifferentiæ: C. ſemper libertate indifferentiæ: N. Ad Auguſtinum dico ipſum velle agentem cum delectatione magis liberè peccare quàm agentem ex metu; quia primus, liber eſt ab omni omninò coactione, etiam morali, non ſecundus licèt maneat in utroque libertas ſufficiens ad peccandum.

Objic. 2. Licèt concupiſcentia neceſſitet voluntatem, homo tamen illam ſequitur volens, ſed ut quis peccet, ſufficit quòd velit id quod facit: ergo

Reſp. Diſt. Min. Sufficit quòd velit neceſſariò: N. Quod ita velit, ut poſſit non velle: C. plura vide Quæſtione 4. hujus Diſput.

Inſtabis ex Auguſt. lib. 3. de lib. arb. c. 18. *Sunt enim neceſſitate facta improbanda, ubi vult homo rectè facere, & non poteſt ...* atqui quod improbatur, malum eſt, ergo facta ex neceſſitate poſſunt eſſe mala.

Reſp. Diſt. Min. Malum eſt, vel materialiter vel formaliter: tranſeat. Abſolutè formaliter: N. Poteſt enim improbari quod objectivè & materialiter malum eſt: quod hic facit Auguſtinus, ut patet ex ſequentibus.

DISPUTATIO II.

De Chriſti gratia.

Hic Tractatus valdè difficilis eſt, & periculoſus: ſi enim nimium Gratiæ dederis, libero arbitrio detrahis; ſi è contra liberi arbitrii virtutem nimium dilataveris, illico Gratiæ illiuſque Authori injuriam facis. Utrumque igitur in ſtatera Domini librandum eſt, ut unicuique quod ſuum eſt, præcisè tribuatur.

Porrò poteſt hoc nomen Gratiæ variè accipi. 1. Significat quandam ſermonis elegantiam: unde Pſalm 44. dicitur *Diffuſa eſt Gratia in labiis tuis*. 2. Accipitur pro effectu benevolentiæ, quo ſenſu dicuntur aliqui inveniſſe Gratiam apud Deum, apud Regem, Patrem &c. ſumitur pro certa corporis venuſtate: ſic dicitur Eſther 15. *Facies tua plena eſt Gratiarum*. 4. uſurpatur pro Gratiarum actione, ſed omnes illæ acceptiones nihil ad rem noſtram: unde Gratia magis propriè ſignificat donum merè liberaliter, & ſine ullis meritis, à Patre luminum deſcendens: eſtque hæc acceptio nomini Gratiæ accommodata, nam, ut ait Auguſt. in Pſal. 43. *Gratia meritò nominatur, quia gratis datur.* Quod ante ipſum docuerat Apoſtolus ad Rom. 11. *Si autem Gratia, jam non ex operibus, alioquin Gratia jam non eſt Gratia.*

Gratia hoc ultimo modo conſiderata eſt duplex: Prima latè ſumpta, & ſignificat quodcunque donum à Deo procedens gratuitò, ſive interim contineatur intra naturæ terminos ſive illos tranſgrediatur, quo ſenſu creatio, conſervatio, liberum arbitrium, Angelorum & hominum, ac animarum immortalitas poſſunt dici gratiæ; quia illa ex mera Dei liberalitate recipiuntur. Secunda ſtrictiùs ſumitur, ſignificatque donum ſupernaturale nobis in ordine ad ſalutem gratuitò conceſſum: & de Gratia ſic accepta hic agimus. Sed antequam rem aggrediamur, operæ pretium judicavi quædam per modum Procemii præmittere, ut quinam Gratiam impugnaverint, quinam propugnaverint, nobis innoteſcat.

QUÆSTIO PROOEMIALIS.

De Gratiæ hoſtibus, & defenſoribus.

ARTICULUS I.

Quinam gratiæ bellum indixerint?

VArii varia Chriſti gratiæ indixerunt bella: Alii ita liberum arbitrium extulerunt, ut gratiæ neceſſitatem & efficaciam negaverint: ſed, ut ait Auguſtin lib. 3. contra duas Epiſt. Pelagianorum cap. 14. *Non ſic debemus laudare Creatorem, ut cogamur dicere ſuperfluum Salvatorem.* Et inferiùs: *Quia nos creavit ita ſumus grati, ut non ſimus, quia ſanat, ingrati.* Alii è contra ultra modum gratiæ tribuentes; liberum arbitrium hominibus ademerunt: ſicquè temerariè gratiam Salvatoris nimiùm extollentes, mirandam Creatoris erga homines liberalitatem minuerunt.

Advertendam hic antequam Gratiæ hoſtes recenſeamus, per nomen *hoſtes* nos intelligere non tantùm illos, qui aut ex ſuperbia, aut ex odio Eccleſiæ Romanæ, aut ex motivo inordinato errores de Gratia Chriſti ſparſerunt, ſed etiam illos, qui ex quocunque motivo id fecerunt; ſivè interim bona, aut mala fide, recta, aut perverſa intentione proceſſerint.

CONCLUSIO I.

In qua de erroribus quorundam qui Pelagium præceſſerunt.

ET ſi fortè magis infenſus, non tamen primus fuit Gratiæ hoſtis Pelagius: Simon Magus ſiquidem in ipſo legis Gratiæ exordio, ſic Gratiam efficacem admiſit, ut liberum arbitrium rejecerit, ut teſtatur S. Clemens lib. 3. recognitionum. Succeſſit poſtea Origenes (quem Baſilides, Valentinus, & Marcio præceſſerunt) aſſerens, ſicut & tres præfati, hominem per ſolas liberi arbitrii vires poſſe benè operari, Deumque nobis conferre, ut poſſimus, non autem ut velimus, & agamus.

Nec defuerunt inter Origenem & Pelagium, qui hos errores defenderent, dicti propterea Origenis Diſcipuli, ſeu Origeniſtæ, & Pelagii Præceptores. His annumerantur Didymus, qui Origenis Periarchon annotationibus illuſtravit, cuique obſtitit S. Pachomius prohibens Monachis ſuis Origenis lectionem. Item Evagrius Ponticus, Jovinianus, & præſertim Rufinus Sacerdos Aquilejenſis, qui tranſlatis in latinum Periarchon libris, Apologiam pro Origene primò ab Euſebio Cæſarienſi conſcriptam, & à ſe in latinitatem donatam promulgavit ſub titulo Pamphili Martyris. *Rufinus*, inquit Hieronymus in Dialogo contra Pelagium, *non uni urbi, ſed orbi, blaſphemias Origenis & Periarchon libros, quantùm in ſe fuit, intulit: ita ut Euſebii quoque librum defenſionis Origenis ſub nomine Pamphili Martyris ederet.* Hic miſerabiliter cum prioribus futurum Pelagianiſmum parturivit ac præſignavit: unde interrogatus Cæleſtius Pelagii Diſcipulus à quo doctrinam ſuam accepiſſet, à Rufino accepiſſe teſtatus eſt, ut patet ex actis Concilii Carthaginenſis.

CONCLUSIO II.

In qua de erroribus Pelagianorum.

EX præfatorum Hæreticorum fœce ac cineribus (verba ſunt P. Gonet) Pelagiana Hæreſis, ut virulenta vipera proſilivit, &, obſtetricante manu Diaboli, eductus eſt coluber ille tortuoſus, qui totum Gratiæ Dei ſpiritum morſu venenoſo extinguere conatus eſt, ut colligitur ex D. Hieronymo Epiſt. ad Cteſiphontem, ſic Pelaginm alloquente: *Doctrina tua Origenis ramuſculus eſt.* Floruit Pelagius, quem alii Scotum, alii Hibernum, alii Britonem volunt, circa annum 413. vel 415. eodemque tempore Hæreſim ſuam diſſeminavit publicè in Oriente, quod & poſtea fecit in Occidente opera Cæleſtii & Juliani Epiſcopi. Antea tamen virus ſuum quaſi per cuniculos ſecretos diffuderat propinans illud ignaris quibuſdam Eremitis & mulierculis, ne contradictionem pateretur in divulganda tam horribili blaſphemia. Deinde cœpit dogma ſuum Scriptis vulgare, illud, non ſibi, ſed viris ſanctis attribuendo, ut Pelagianiſmo paulatim conſuleret.

Tandem opera diſcipulorum errores ſuos publicè propoſuit, non aſſerendo, ſed inquirendo, & quaſi dubitando: contra quos Hieronymus in Jerem. lib. 4. Præfat. *Aut bona ſunt quæ docetis, aut mala: ſi bona, defendite liberè, ſi mala, quid occultè miſeros jugulatis errore?*

Porrò errores hujus viri, apparenter ſancti, revera tamen magni hypocritæ, & ventris deliciis multum dediti, ſunt ſequentes. 1. Initio ſuæ hæreſis docuit hominem ſolis liberi arbitrii viribus, ſecluſo quocunque gratiæ auxilio, poſſe peccata declinare, tentationes omnes conſtanter ſuperare, peccatorum remiſſionem aſſequi, quodlibet opus bonum operari, ac tandem promereri gloriam æternam, & ideo ſi quandoque gratia conferebatur, non dabatur ad poſſe, ſed ad facile poſſe. Ex quibus patet in primo ſui erroris ſtatu nullam admiſiſſe Gratiam ad ſalutariter operandum neceſſariam; quandoquidem natura creata, lumen rationis, & liberum arbitrium, quæ Pelagius gratias vocabat, eò quòd eſſent gratis data, non veniant nomine Gratiæ propriè dictæ.

2. Compulſus errores ſuos anathematizare in Synodo Dioſpolitana, ubi aderant 14. Epiſcopi Provinciales, admiſit Gratiam neceſſariam eſſe ad poſſe operandum in ordine ad ſalutem, ſed Patres illos (à quibus incautis, non in materia fidei, ſed in examine perverſi hominis, abſolutus eſt) fefellit ſubdolè, intelligendo per Gratiam, poſſibilitatem arbitrii, ſicut & Legem, doctrinam, revelationem, Scripturam, & exemplum Chriſti: unde Auguſt. lib. 2. de pecc. orig. c. 1. *Fefellit enim judicium Palæſtinum ipſe Pelagius: propterea videtur eſſe ibi purgatus; Romanam verò Eccleſiam, ubi eum eſſe notiſſimum ſcitis, fallere uſquequaque non potuit;* quia Innocentius Papa (cui Acta dictæ Synodi oblata fuerant probanda & confirmanda) reſpondit, ut habet Auguſtinus ibidem: *Non poſſumus illorum Epiſcoporum nec approbare, nec culpare judicium; cùm neſciamus, utrum vera ſint geſta; aut ſi vera ſunt, conſtet magis ſubterfugiſſe, quàm ſe tota veritate purgaſſe.*

Sed nunquid tandem Gratiam internam admiſit Pelagius? Res incerta eſt: hoc tamen certum eſt, non admiſiſſe neceſſitatem Gratiæ ex parte voluntatis; ſed ad ſummum utilitatem.

Adhæſerunt autem Pelagio non pauci ejuſdem farinæ homines, quorum Anteſignanus dici poteſt Cœleſtius, ut patet ex Hieron. Epiſt. ad Cteſiphontem: *Hoc*, inquit, *quod dico non meum eſt argumentum, unus diſcipulorum ejus*, nempe Cœleſtius, *imò jam Magiſter, & totius ductor exercitus &c.* Unde Patres Concilii Carthaginenſis in Epiſt. ad Innoc. Papam, ipſum in hac hæreſi (quam aliquando Pelagianam, aliquando Cœleſtinam vocat Auguſtinus Epiſt. 24.) æquiparant Pelagio: *His ergo lectis, ajunt, Pelagium & Cœleſtium Authores nefarii proſus, & ab omnibus nobis anathematizandi erroris advertimus.*

Eadem hæreſi infectus fuit Julianus Epiſcopus Capuanus, quem D. Proſper in Chronico vocat Attelanenſem vel ex patria, vel quia à prima Sede ob errores expulſus, aliam obtinuit. *Has tempeſtate*, inquit, *Julianus Attelanenſis jactantiſſimus Pelagiani erroris aſſertor &c.* Hic occaſione librorum *de nuptiis, & concupiſcentia*, cœpit Auguſtinum jam ſenem 4. libris, vel potiùs continuis mendaciis exagitare: quibus ab Auguſtino, per ſex libros *ad Julianum* intitulatos, refutatis, 8. alios oppoſuit Julianus, quibus reſpondit S. Doctor per *Opus imperfectum ad Julianum*, quod, ut ajebant, non potuerat morte præventus abſolvere: ſed nunc repertum eſt in vetuſtiſſimis ſcriptis integrum, licèt adhuc citetur ſub nomine *Operis imperfecti.* Duæ autem Epiſtolæ Pelagianorum contra quas 4. libros ſcripſit Auguſtinus, ſunt Epiſtolæ Juliani ubique mentientis.

Aut alios recenſent Pelagianiſmi fautores, quibus annumerant Neſtorianos; ſed hos, utpote in hac hæreſi minùs famoſos, brevitatis cauſa omittimus.

Nec ſiſtit hic Pelagii hæreſis: alios enim errores, ne anathematizaretur, ſubdolè anathematizavit in ſynodo Dioſpolitana. 1. Enim ſuſtinuit, ſemper intendens Gratiam deprimere, aut tollere, quòd Adam etiam non peccans fuiſſet moriturus. 2. Quòd Originale ipſum ſolum læſerit. 3. Quòd nati infantes ſint in eo ſtatu in quo erat Adam ante lapſum. 4. Quòd Adamo moriente, nullus moriatur, nec reſurgat aliquis, Chriſto reſurgente. 5. Quòd infantes non baptizati ſalventur. 6. Quòd divites baptizati nequeant mereri aut ſalvari, niſi relinquant omnia. 7. Quòd detur Gratia, nempe ſanctificans, ex meritis noſtris. 8. Quòd non poſſint dici Filii Dei, niſi ab omni peccato liberi. 9. Quòd liberum arbitrium indigens Dei Gratia, non ſit liberum arbitrium. 10. Quòd victoria noſtra ſit tantùm ex libero arbitrio. 11. Quòd venia non detur pœnitentibus, ex Dei miſericordia, ſed ex eorum meritis.

CONCLUSIO III.

In qua errores Semipelagianorum.

SEmipelagiani (ſic dicti quia errores Pelagii partim rejiciebant, partim retinebant) alii fuerunt Africani, alii Galli. Primus ex Africanis fuit quidam Vitalis Chartaginenſis, qui cùm non poſſet, aut nollet Gratiæ neceſſitatem cum libertate con-

Digitized by Google

conciliare, docuit neceſſariam quidem eſſe Gratiam ad progrediendum & perſeverandum in negotio ſalutis, in quo à Pelagianis diſſentiebat, non tamen ad initium fidei, aut ad inchoationem actus meritorii, ad quæ ſolas liberi arbitrii vires contendebat ſufficere, imò propter hanc liberi arbitrii inchoationem naturalem Gratias neceſſarias diſpenſari volebat, in quo Pelagianos ſequebatur; undè dicebat quòd homo virtute purè naturali credendo, aut credere volendo, orando, pulſando, &c. promereretur ſibi auxilia Gratiæ ſupervenientia quæ ideò aſſerebat non dari gratis. Contra hunc Vitalem ſcripſit Auguſtinus Epiſtolam quæ eſt 107. per quam ſcintillas, quæ Africæ incendium minitabantur, brevi ſuppreſſit.

Ex Gallis, Semipelagianorum Anteſignanus fuit Fauſtus Regienſis Epiſcopus, qui diſtinguens, ſicut Vitalis, inter initium & progreſſum bene operandi, hunc docebat eſſe hominis ſani, & gratia indigere, illud autem eſſe hominis infirmi, nec gratiam exigere, ut patet ex D. Proſpero lib. contra Collatorem Cap. 8. *Doces ergo non poſſe hominem per ſemetipſum apprehendere ſanitatem, ſed habere à ſemetipſo deſiderium ſanitatis*. Contra hunc Semipelagianum varii ſcripſerunt tum in Oriente tum in Occidente, ita ut tandem ab univerſali Eccleſia ejus doctrinæ fuerit contradictum, ut refert Baronius anno 490. Ipſum quidem excuſare, ejuſque ſcriptis Catholicum ſenſum præbere; conantur aliqui, ſed errores in ejus libris diſperſi, ſenſus Eccleſiæ communis, ac odium in Auguſtini doctrinam oſtenſum, contrarium evincunt. Etſi autem doctrinam condemnemus, non tamen perſonam; cùm in Eccleſia Regienſi ut Sanctum haberi & coli referant aliqui, teſte Baronio, & Spondano.

Etiam anno 440. *Joannes Caſſianus* aliquando Chryſoſtomi auditor, ac deinde Maſſiliæ Presbyter, dictus à D. Proſpero *Collator*, eò quòd Patrum collationes ſcripſiſſet, non mediocriter fover Pelagianiſmum, ut patet tum ex ejus libris, tum ex D. Proſpero lib. contra eundem, tum ex communi DD. ſenſu. Unde licet non fuerit hæreticus utpote qui ante Eccleſiæ condemnationem ſcripſerit, ut refert D. Proſper, hæretica tamen fuerunt aliqua ejus ſcripta, quidquid dicant aliqui.

Dico: *Aliqua ejus ſcripta*; nam cætera ejus opera licitè & utiliter legi poſſunt poſt correctionem Romanam, inquit Bellarminus lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Gennadium Maſſiliæ Presbyterum anno circiter 490. cum Caſſiano ejuſdem fuiſſe farinæ, aſſerit Baronius: nec improbabiliter, tum quia, depreſſo D. Proſpero, Caſſianum, & Fauſtum Semipelagianos laudavit, ut refert Bellarminus lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis; tum quia falsò aſſerit in ſuo opere Caſſiani opera probata eſſe ab Eccleſia, tum quia Rufinum de hæreſi Pelagiana infectum præfert Hieronymo; tum quia, teſte Baronio anno 490. fuit unus ex Presbyteris Gallicanis, de quibus, ob Semipelagianiſmum, conqueſti ſunt apud Cæleſtinum Proſper & Hieronymus. Ab errore ſuo tamen emendatus, electus eſt Maſſilienſis Epiſcopus, ut patet ex Epiſt. Adriani Papæ ad Carolum Magum: *Sanctiſſimorum Pontificum hæc oblata ſunt teſtimonia, id eſt, S. Gennadii Maſſilienſis Epiſ. &c.*

Vincentius (non Lirinenſis qui *contra hæreſes* ſcripſit, in quo propter nomen, & cum Caſſiano contemporaneitatem decipiuntur aliqui) ſed Presbyter Gallus, etiam Semipelagianiſmo fuit infectus, propoſuitque 16. Objectiones, quas D. Proſper in opuſculo reſponſionum ad objectiones Vincentinas ſigillatim ſolvit. Sicut etiam ſolvit decem dubia à *Camillo* & *Theodoro* Genuenſibus Presbyteris contra Auguſtini doctrinam propoſita, ac quindecim objectiones quorundam Gallorum Auguſtino adverſantium in opuſculis ad ipſos directis.

D. Joannem Chryſoſtomum ac alios Patres Græcos Semipelagianis annumerat Vaſquez 1. P. diſp. 9 a. cap. 8. his verbis: *Maſſilienſes cum Caſſiano & Græcis Patribus initium primæ Gratiæ & prædeſtinationis ex noſtro libero arbitrio eſſe dixerunt*. Quod ut confirmet, duos ex Chryſoſtomo profert paſſus: primum Homil. 17. in Joan. in medio. *Hinc admoneri poſſumus Deum ſuis in beneficiis noſtras non prævenire voluntates, ſed à nobis incipiendum eſſe: ſed cum nos prompto paratoque animo ad ſuſcipiendam Gratiam exhibemus, tunc multas offert nobis ſalutis occaſiones*. Secundum Homil. 12. ultra medium in Epiſt. ad Hebræos: *Oportet nos quippe eligere primum quæ bona ſunt, & tunc ipſe quæ ſua ſunt introducit: non præcedit voluntates noſtras, ne lædatur arbitrium; cùm autem nos elegerimus; multam tunc nobis affert auxiliationem*.

Sed mirum eſt Authorem Catholicum (etiamſi allata ſubſiſterent) ita Patrum ſuorum turpitudinem revelare; imò futili argumento confirmare, dicendo, ſi Chryſoſtomus non fuiſſet in ea ſententia, nunquam fuiſſet & Caſſianus ejus diſcipulus: quaſi verò plurimorum hæreticorum Præceptores non fuerint in omnibus Catholici, & ipſi hæretici, non ex Præceptorum doctrina, ſed ex proprio genio in opiniones hæreticas deflexerint. Sed ut ipſi ſatisfaciamus,

Dico nullam eſſe veriſimilitudinis apparentiam Patres Græcos, ſi Originem exceperis, Semipelagianiſmo faviſſe; quandoquidem Concilium Arauſicanum Can. 25. Cœleſtinus I. in Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ cap. 1. & Auguſtinus lib. *de prædeſtinatione Sanctorum* cap. 14. appellent Semipelagianorum errorem, *peſtiferam novitatem*, & oppoſitam veritatem, *Antiquorum Patrum Conſtitutionem*: quæ ſanè cùm Vaſquezii ſententia non poſſunt cohærere: unde ſi aliquando videantur libero arbitrio plus juſto favere: id fecerunt ut Manichæos libertatem negantes, magis confunderent.

Ad Chryſoſtomum Reſp. præfatos paſſus non reperiri in Originalibus græcis, ſatiſque probabiliter ab hæreticis, ut ejus ſe pallio tuerentur, fuiſſe inſertos, ut notarunt viri fide digni. Deinde eſto reperirentur; cùm aliundè nobis conſtet de mente Chryſoſtomi: ut homil. 70. in Matth. in medio. *Vocatio & purgatio ipſa ex Gratia ſunt*. Et inferius: *Non quia dignus, ſed quia Gratia tibi largita eſt, vocatus veniſti*; Et homil. 66. in eundem circa med. *ita undiq; eos compellebat in Gratia Dei*, PRIMUM, *deinde, in laboribus propriis omnem ſalutem & gloriæ ſpem reponere*, debent paſſus illi partem catholicam explicari. Undè in primo per ly *Beneficiis*, intelligi gratiam ſanctificantem, aut ſpecialia Gratiæ auxilia, quæ non ſolet Deus conferre, niſi prius inceperit voluntas, non ex propriis viribus ſed Gratia actuali roborata. In Secundo autem, tantum vult Deum non prævenire voluntates ad ſenſum Manichæorum, contra quos ibi diſputat, id eſt, impediendo liberam voluntatis electionem, ſed cùm liberè elegerimus, nempe cum gratia actuali, tunc multam auxiliationem, & quæ ſua ſunt, id eſt, gratiam ſanctificantem, & uberiora ad perſeverandum auxilia introducit.

CONCLUSIO IV.

In qua errores Lutheri.

LUtherus quoad mores obſcœnos ſatis omnibus notus, magis obſcœnam relinquit doctrinam, utpote qui fuerit omnium Hæreſiarcharum, qui ab Eccleſiæ exordio fuerunt, peſtilentiſſimus, quandoquidem quidquid impii, blaſphemi, horrendi, turpis, neſandi, ab aliis excogitatum eſt, quaſi in unum cumulum collegerit circa annum 1517. &c. ut alia omittam, 1. docuit per peccatum originale extinctum eſſe liberum arbitrium, & eſſe merum titulum ſine re; ſaltem in iis quæ ad ſalutem pertinent: unde in opere ad Leonem X. art. 36. *Liberum arbitrium*, inquit, *poſt peccatum res eſt de ſolo titulo*. Quod anathematizat Concilium Trid. ſeſſ. 6. can. 5.

2. In operibus bonis liberum arbitrium nullam habere activitatem, ſed meram paſſionem, adeòque ſolam Gratiam operari. Unde lib. operationum in Pſalmos, Pſal. 5. *Error eſt liberum arbitrium habere activitatem in bono opere*. Quod etiam anathematizatur Can. 4.

3. Hominem indeclinabiliter agi vel concupiſcentia in peccatum, vel Gratia in bonum, ita ut hoc evitare non poſſit. Sic habet de ſervo arbitrio.

4. Poſt lapſum, homini ſive juſtificato, ſive non impoſſibilia eſſe Dei præcepta: unde Philippus ejus Diſcipulus in Epiſt. ad Rom. *Cum mandata Lex Deum diligi, perinde impoſſibilia jubet, atque ſi præcipiat nobis tranſvolare Caucaſum*. Quod ſimiliter anathemate feritur Can. 28.

5. Hominem in omni opere graviter peccare, & tanto gravius quanto magis nititur ad juſtitiam ſe diſponere; quia credebat dilectionem Dei ſuper omnia, quam in omni opere requirebat, eſſe in hac vita impoſſibilem. Hic quoque error condemnatur can. 7.

6. Impietate execranda, & blaſphemia horribili aſſerere non erubuit Deum eſſe Authorem peccati, & mala ſicut bona in nobis operari: *Mala opera*, inquit in Aſſert. art. 36. *in piis operatur Deus*.

CONCLUSIO V.

In qua errores Calvini.

CAlvinus Novioduni in Picardia oriundus, ac ibi Archidiaconus, non minus Deo, ac fidei injurioſus fuit circa annum 1634.

Docuit 1. Tantum eſſe in homine libertatem à coactione: *Si coactioni opponitur libertas*, inquit lib. 2. contra Pighium, *liberum eſſe arbitrium fateor*.

2. Hominem Gratia efficaci motum non poſſe diſſentire unde in cap. 6. Joan. *Pronunciat Chriſtus efficacem eſſe Spiritus S.*

Gratiam, quæ trabuntur ut neceſſario credant. His prorsùs everti- t:r tota arbitrii poteſtas, quam ſibi ſomniant Papiſtæ. Quod anathematizat Trident. Seſſ. 6. can. 4.

3. Docet hominem naturaliter inclinatum eſſe ad malum: *Cor noſtrum*, inquit lib. 2. inſtit. c. 3. n. 9. *in Legis Divinæ rebellionem naturaliter exultat, niſi flectatur.*

4. Legem etiam cum gratia non poſſe ſervari, *Sit extra controverſiam*, inquit. lib. cit. cap. 7. *Impoſſibile eſſe in hac vita Legis implementum.*

5. Blaſphemè docet, ſicut Lutherus, Deum non tantùm permittere, ſed in nobis efficere peccatum: hinc lib. 1. inſtit. c. 18. *Jam ſatis apertè oſtendi Deum vocari omnium eorum* (peccatorum) *Authorem, quæ iſti Cenſores* (Catholici) *volunt otioſo tantum ejus permiſſa contingere.* Imò voluit, ſi Apologiæ Staphyli credimus, Deum, ut homines mala operentur, in eorum cordibus primas cogitationes inſpirare.

Item docuit variis in locis reprobos non creari ut ſalventur, ſed ut ſint vaſa iræ & contumeliæ. Deum nolle, ut omnes homines ſalvi fiant. Impoſſibilitatem non excuſare à peccato. Peccata eſſe, omnia infidelium opera. Motus indeliberatos eſſe peccata; quia ſunt contra præceptum *Non concupiſces*. Denique, ut ait noſter *Le Grand* in ſua Hiſtoria Hæreſiarcharum, adeo erroribus fœcundus eſt, ut vix ad certum numerum valeant redigi, cùm nullus ſit in fidei Symbolo Articulus, nulla in Oratione Dominica petitio, nullum ſive Dei, ſive Eccleſiæ mandatum, nullum Sacramentum, aut Cæremonia Sacramentalis, quam non ipſe aut ejus ſectatores vel exterminaverint, vel mutilarint, vel depravarint.

CONCLUSIO VI.

In qua errores Michaelis Baji.

Michael Bajus Academiæ Lovanienſis Cancellarius varias de Gratia propoſitiones aut imprimi curavit, aut in Scholis dictavit, aut viva voce aſſeruit, quas Pius V. Gregorius XIII. Urbanus VIII. condemnarunt, quia tamen propoſitiones illæ paſſim in Authoribus reperiuntur, ideo brevitatis cauſa, illuc remittimus; monendo tamen, quòd præfatus Bajus, utpotè vir bonus & Catholicus, ut audivit quaſdam ſuas propoſitiones à S. Sede eſſe reprobatas, eaſdem revocaverit, & actu publico damnaverit.

CONCLUSIO VII.

In qua errores Janſenii à S. Sede reprobati.

Janſenius Epiſcopus Iprenſis, Vir alioquin ingenio & moribus egregius, quaſdam Baji propoſitiones reſuſcitavit in ſuo opere, quod *Auguſtinus* intitulavit: Hujus autem libri lectionem & retentionem prohibuit Urbanus VIII. tum propter doctrinam in eo contentam, tum propter Authoris inobedientiam, ſeu quia ſine ſpeciali S. Sedis licentia, de concordia libertatis cum gratia ſcripſerat. Ulterius proceſſit Innocentius X. quinque propoſitiones ex dicto opere decerptas condemnans ut hæreticas.

Prima eſt: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis Gratia, qua poſſibilia fiant.* Proſcripta eſt ut temeraria, impia, blaſphema, anathemate damnata, & hæretica.

Secunda: *Interiori Gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Proſcripta eſt ut hæretica.

Tertia: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* Fuit etiam hæretica declarata.

Quarta: *Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei. & in hoc erant hæretici quòd vellent eam Gratiam talem eſſe cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* Ut falſa & hæretica damnata eſt.

Quinta. *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem fudiſſe.* Hæc ut falſa, temeraria, ſcandaloſa, & intellecta eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute tantùm Prædeſtinatorum mortuus ſit, ut impia, blaſphema, contumelioſa, divinæ Pietati derogans, & hæretica proſcripta eſt.

Cùm verò aſſererent aliqui præfatas propoſitiones eſſe quidem hæreticas, non tamen in Auguſtino Iprenſi reperiri; aut ſaltem non fuiſſe in ſenſu ab Authore intento proſcriptas, Alexander VII. anno 1656. declaravit non tantùm ex libro Janſenii, cui titulus eſt *Auguſtinus*, eſſe decerptas, ſed etiam in ſenſu, ab Authore intento fuiſſe damnatas; quantùm ſcilicet verba in libro expreſſa præſeferunt, attento contextu & circumſtantiis. Denique, cùm Janſeniſtæ necdum acquieſcerent, aliæ circa eandem materiam prodierunt Bullæ, quas vide in Tract. de Fide, ubi de Eccleſiæ infallibilitate in factis dogmaticis.

ARTICULUS II.

Quinam fuerint præcipui Gratiæ Defenſores?

Sicut non defuerunt qui Gratiam impugnarunt, ita non defuerunt qui illam fortiter & generosè propugnarunt; ſed cùm inter illos tanquam ſol inter Sydera reſplendeat magnum illud Eccleſiæ lumen Auguſtinus, ideo brevius concluſione 1. de aliis dicemus, plura de Auguſtino Concluſ 2. dicturi

CONCLUSIO I.

Suprema Dei providentia, ut dilectam ſponſam Eccleſiam contra illius hoſtes defenderet, & conſervaret, ad profligandam Pelagianorum hæreſim duos ſuſcitavit: ſacri belli Duces, Auguſtinum, de quo poſtea, & Hieronymum, qui primus ſuis ad Creſiphontem litteris, & tribus Dialogis, in quibus ſe nomine Attici, & Pelagium nomine Ariſtobuli deſignat, peſtem illam ſtrenuè aggreſſus eſt. Cur autem nomen Pelagii ſuppreſſerit? Inde evenit, quòd nondum Hæreſiarchæ aperta vi bellum indixerant, ſed per fraudes, & quaſi per cuniculos murum Eccleſiæ ſuffodiebant; ita ut Epiſcopos Dioſpolitanæ Synod., à quibus in communionem recepti ſunt, circumvenerint.

Non pigrè etiam pro defendenda Dei Gratia laborarunt DD. Proſper, Fulgentius, & Hilarius cum Patribus Concilii Arauſicani II. in quo Præſidente Cæſario Arelatenſi ſub Fœlice IV. Pontifice Maximo contra Semipelagianos conclamatum eſt anno 529.

Porrò ſcripſit Proſper de gratia duos libros de vocatione gentium, Reſponſiones ad objectiones Gallorum, ad objectiones Vincentianas, ad excerpta Genuenſium, & librum contra Collatorem, ſeu Caſſianum.

Etiam de gratia ſcripſit Fulgentius in lib. 1. contra Monimum, & in lib. de Incarnatione, & de Gratia Chriſti. Hilarii verò ſcripta hac de re perierunt. Denique pugnaverunt pro gratia Anſelmus in lib. *De concordia prædeſtinationis, & Gratiæ cum libero arbitrio*. Bernardus lib. de Gratia, & libero *arbit.* & Alii, quorum nomina & ſcripta apud Authores videri poſſunt. Item varii pro Gratia decertarunt inter *Scholaſticos*, ut D. Angelicus, Doctor N. *Seraphicus*, D. N. *Irrefragabilis*, D. N. Subtilis, & alii quorum authoritatibus hunc Tractatum aggredimur.

ONCLUSIO II.

PRæcipuus inter gratiæ Defenſores & meritò Anteſignanus, fuit fortiſſimum illud Eccleſiæ propugnaculum Magnus Auguſtinus: hujus enim viri lucta viginti & amplius annis acies Catholica contra gratiæ inimicos pugnavit & vicit, inquit D. Proſper ejus contemporaneus. Hujus viri Scriptis Pelagiani ſunt debellati, Semipelagiani confracti, Prædeſtinatiani, Calviniſtæ, Lutherani, & quotquot gratiæ Dei bellum ſuſcitarunt, penitus confuſi. Fuit enim Beatiſſimus Auguſtinus, inquit Caſſiodorus lib. de divinis lectionibus, c. 22. debellator Hæreticorum, & famoſorum palma certaminum; Sancta ſiquidem Eccleſia contra veritatis hoſtea, qui etiam ejuſdem Auguſtini pallio nonnunquam peſtem ſuam tegere præſumunt, hujus Doctoris ſcripta, præſertim in materia gratiæ, tanquam murum inexpugnabilem conſtanter adhibet & opponit. Enim verò quid aliud Concilii Arauſicani duo Canones, niſi ipſa Doctoris doctrina? Quid aliud Milevitanum, niſi ipſius lingua & ingenium? Quid Concilium Carthaginenſe, quid alia plurima quæ hactenus Eccleſiæ hoſtibus oppoſuit Eccleſia Romana quàm illius doctrinæ medulla? unde doctrinam Auguſtini Eccleſiæ quaſi dotem relictam eſſe aſſerit Clemens VIII. imò Joannes II. dicit eſſe illam quam ſequitur & ſervat Eccleſia Romana: unde Martinus V. Serm. de Tranſlatione Sanctæ Monicæ: *Si veritatem quæritis, ſi doctrinam, ſi ſapientiam, ſi pietatem, quis doctior? quis juſtior? Quis, ut ita dicam, ſanctior Auguſtino.* Sed quid Concilium Toletanum VIII. *Vir Sanctiſſimus Auguſtinus veſtigationis acumine cautus, inveniendi arte præcipuus, aſſerendi copia profluus ſapientiæ fructu fœcundus*, Quid D. Hieronymus? *Catholici; te conditorem antiquæ rurſum fidei venerantur, atque ſuſcipiunt: & quod ſignum majoris gloriæ eſt, omnes hæretici deteſtantur*, Ep. 80. ad Auguſtinum. Quid Gregorius Magnus; *Si delitioſo cupitis pabulo ſaginari.*

B. Au-

Digitized by Google

B Auguſtini Patriotæ veſtri opuſcula legite lib. 7. Epiſt. 37 ad Innoc Africæ Præfectum. Innumera alia poſſent io medium afferri teſtimonia, quibus Auguſtini doctrina, præſertim in materia Gratiæ, probatur ſancta, pura, Immaculata, & penitùs defæcata, quæ ſanè moverunt Albertum Magnum, ut a part. Summæ, Tract. 14 q 184. affirmaret: *Auguſtino contradicere impiurn eſt in iis quæ tangunt fidem & mores*.

Porrò materiam præſentem variis in locis tractavit Secunda Pars Tomi 7. referta eſt libris, quibus contra Pelagium, Cœleſtium, Semipelagianos, & alios Gratiam ſtrenuè defendit. Idem præſtat lib. de ſpir. & litt. qui habetur Tom. 3. & lib. 1. ad Simplicianum Tom. 4. Quod & facit in variis operibus Tomi 8. 9. & 10. Item in ſuis Epiſtolis & præſertim 47. 89 92. 93. 94. 105. 106. 107. & 143. ſed omnibus præeminent lib de *prædeſtin. Sanctorum*; & liber *de dono perſeverantiæ*, tum quia acutiores & perſpicaciores, tum quia in ſenectute, adeoque maturiùs, compoſiti; tum quia poſt longam cum Pelagianis diſputationem elaborati, tum denique quia ſpecialiter ab Hormiſda Papa commendati.

Malè tamen inde inferes omnia Auguſtini dogmata, ſaltem de gratia contra Pelagianos, eſſe fidei oracula, ſed benè & præcisè illa, quæ Eccleſia definiendo fecit ſua; alia autem præſertim in controverſiis de Divina Gratia, poſt Scripturam Sacram, & Fidei Articulos maximæ ſont Authoritatis, imò majoris, quam cæterorum Eccleſiæ Patrum ac Doctorum, niſi ratio evidens obſtet, aut Eccleſiæ ſenſus non tamen Authoritatis infallibilis; quia nec ipſemet, nec Eccleſia hanc in ſcriptis ejus agnovit authoritatem: non quidem Auguſtinus; nam lib 2. de dono perſever cap. 21. in medio ſic ait: *Nemini velim ſic amplecti omnia mea, ut me ſequatur, niſi in iis, quibus me non errare perſpexerit: nam propterea nunc facio libros, in quibus opuſcula mea retractanda ſuſcepi ut nec meipſum in omnibus ſecutum fuiſſe demonſtrem* Et epiſt. 19. ad S Hieron in 2 colum *Solis*, inquit, *eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum horum Authorum ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſimè credam &c Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ita ipſi ſenſerunt*.

Nec etiam id agnovit Eccleſia; quia hujus rei nullum ſufficiens legimus fundamentum; imò potiùs contrarium inſinuare videtur Alexan. VIII. Condemnans ſequentem Propoſitionem: *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam*.

Dices D. Auguſtini ſcripta, præſertim de gratia & lib. arb. contra Pelagianos, approbata eſſe ab Eccleſia, ut patet ex 5. Synodo, decreto Gelaſii; Epiſt. Hormiſdæ ad Poſſeſſorem, & Epiſt Joannis II.

Reſp. 1 Quintam Synodum, & decretum Gelaſii approbare ſcripta Auguſtini, ſicut approbarunt ſcripta Athanaſii, Hilarii &c. ſicut autem ex illa approbatione, non rectè inferimus omnia præfatorum Patrum ſcripta, eſſe Fidei Oracula, ita nec omnia Auguſtini: & certè ſi generalis Eccleſiæ approbatio, alicujus Patris ſententias, Fidei veritates eo ipſo declararet, ſequeretur duo contradictoria eſſe de Fide, cùm Eccleſia, Scripta Patrum ſibi invicem contradicentium, approbaverit. Unde generalis Eccleſiæ approbatio alicujus Patris, ut monet Toſtatus in Defenſorio par. 3. cap. 83. facit 1. ut illius ſcriptorum lectio, reputetur utilis fidelibus. 2. quod eis permittatur, & commendetur. 3. quòd ſcripta illa indè ſumant certam authoritatem, non quidem infallibilem, ſed ſufficientem ad faciendam probationem, etſi Author nullam dicti ſui rationem allegaverit. 4. quòd tollat ab eis ſuſpicionem de hæreſi voluntaria.

Reſp. 2. Ex Hormiſda & Joanne Pontificibus nihil etiam contra nos poſſe colligi: nam 1. Joannes II. in illa Epiſt. non agit de Pelagianis, ſed potiùs de Neſtorii ſectatoribus, ſicque non intendit ſcripta Auguſtini contra Pelagianos approbare Hormiſdas verò tantùm vult, quòd ex Auguſtini libris poſſit innoteſcere quid ſentiat Eccleſia de Gratia & lib arbitrio, quia in illis fusè tractantur certè propoſitiones, quas breviter Eccleſia declaravit eſſe de fide.

QUÆSTIO I.

De natura Gratiæ, ejuſque multiplici diviſione.

ARTICULUS I.

Quid Gratia, & quotuplex?

CONCLUSIO I.

GRatia propriè dicta eſt donum ſupernaturale nobis ex Chriſti meritis à Deo gratis conceſſum in ordine ad finem ſupernaturalem.

Dicitur 1. *Donum ſupernaturale*, ideſt, ſupra naturæ ſecundùm ſe ſpectatæ exigentiam: unde quamvis liberum arbitrium, & aliæ potentiæ naturales quas beneficio creationis accepimus, ſicut & auxilium generale, quo Deus ad opera naturalia nobiſcum concurrit, dici poſſint Gratiæ; quandoquidem ita gratis & liberaliter à Deo nobis donentur, ut, ſi non darentur, nulla nobis fieret injuria: quia tamen illa ſunt naturæ noſtræ aliquo modo debita, ideo rationem Gratiæ hic definitæ non ingrediuntur.

Dicitur 2. *Ex meritis Chriſti* &c. Quia nobis promeritus eſt quidquid ultra dona creationis, & conſervationis gratiosè ſuperadditur naturæ.

Dicitur denique. *Ad finem ſupernaturalem*, quia datur ut natura rationalis rectè operetur, ſicque ad æternam fœlicitatem perveniat modo naturæ viribus aptiori.

Advertendum hic quòd licet Gratia excludat omne debitum morale proveniens ex actibus noſtris vel meritoriis, vel impetratoriis, vel poſitivè præparatoriis; non excludat tamen debitum proveniens ex ſola concedentis promiſſione, veracitate, aut alia virtute, à juſtitia diſtincta; quia, illis non obſtantibus, ſemper Gratia gratis conceditur.

CONCLUSIO II.

GRatia entitativè ſpectata (poteſt enim conſiderari ſecundùm entitatem, ſecundùm finem, ſecundum modum exiſtendi in nobis, & ſecundùm ordinem ad conſenſum noſtrũ) alia eſt ſupernaturalis, quoad ſubſtantiam, alia quoad modum. Prima eſt illa, quæ eſt ſupra omnes vires & exigentiam naturæ, adeoque toti naturæ indebita, ut Gratia conceſſa in ordine ad producendum actum entitativè ſupernaturalem, v. g. actum Fidei, Spei, aut Charitatis. Secunda eſt illa, quæ eſt quidem entitativè naturalis, quoad modum tamen aut circumſtantiam, in qua confertur, eſt naturæ prout hic & nunc taliter diſpoſitæ indebita, & ideo ſupernaturalis: & talis eſt illa, quæ datur homini ut eliciat actum fortitudinis, aut alterius virtutis moralis, quem hic & nunc ſolis naturæ viribus ponere non poſſet.

CONCLUSIO III.

DIviditur Gratia per reſpectum ad finem, ad quem datur, in gratis datam, & gratum facientem. Gratia gratis data ſpecificè ſumpta eſt illa, quæ præſertim ad aliorum utilitatem & ſalutem procurandam homini conceditur, ut donum linguarum, Prophetia, Gratia ſanitarum, diſcretio Spirituũ, &c. Licèt autem omnis Gratia ſit gratis data, illud tamen vocabulum huic ſpeciei ſpecialiter attribuitur; quia ſatis uſitatum eſt, ut generis nomen ſpeciei minùs nobili tribuatur; unde non rarò brutum, animal ſimpliciter nuncupamus.

Gratia gratum faciens eſt illa, quæ ad ipſius recipientis ſalutem & Dei Gratiam obtinendam primariò conceditur: ut ſunt Gratia ſanctificans, & Gratia actualis, quarum prima formaliter, ſecunda diſpoſitivè reddit hominem Deo gratum.

CONCLUSIO IV.

GRatia ſecundùm modum exiſtendi in homine conſiderata, alia eſt habitualis, alia actualis Prima eſt qualitas ſupernaturalis inhærens permanenter homini, ipſumque formaliter ſanctificans. Unde dicitur gratia, non tantùm quia gratis conceditur, ſed etiam quia hominem ſanctificando, reddit ipſum Deo gratum & acceptum Secunda eſt auxilium quoddam tranſiens, quo movetur homo & adjuvatur ad actiones bonas exercendas & malas vitandas; & tales ſunt piæ intellectus cogitationes apprehenſivæ aut judicativæ, piæ voluntatis motiones, quas, juxta Concilium Arauſicanum, & Auguſtinum, Deus operatur in nobis ſine nobis, ſcilicet liberè operantibus: unde nihil ſunt aliud, quàm actus intellectus & voluntatis indeliberati.

Quia tamen auxilia Gratiæ alia ſunt interna, ut Illuminationes, inſpirationes, alia externa, ut Incarnatio, Sacramenta, infirmitates, pericula, boni ſocii, exhortationes piæ &c. ideo gratia actualis alia eſt interna, alia externa. De utraque loquitur Auguſt. lib. 50 homil., Hom. 23. in med. *Si adulter non fuiſti, hoc dicit tibi Dominus Deus tuus: regebam te mihi, ſervabam te mihi, ut adulterium non committeres, ſuaſor defuit, & ut ſuaſor deeſſet, ego feci: locus & tempus defuit, & ut hæc deeſſent, ego feci*. En gratia externa. Et proſequens: *adfuit ſuaſor, non defuit locus, non defuit tempus, ut non conſentires, ego terrui*. En gratia interna.

CONCLUSIO V.

PEr ordinem ad conſenſum liberi arbitrii dividitur etiam gratia in prævenientem, concomitantem, & ſubſequentem. Item in ſufficientem & efficacem, de quibus ſuo loco. Dividunt etiam aliqui gratiam in æternam & temporalem, per hanc intelligunt gratiam initio hujus Diſput. definitam; per illam verò, ipſam Dei dilectionem, qua ante mundi conſtitutionem nos ab æterno dilexit, & præparavit ea, quæ poſtea in tempore ſine ullis noſtris meritis contulit. Sed illa non eſt gratia de qua hic agimus.

ARTICULUS II.

Quid Gratia præveniens, concomitans, & ſubſequens?

HÆc Gratiæ diviſio deſumitur ex Scriptura ſacra: nam prævenientis fit mentio Pſal. 20. *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis*; concomitantis 1. Corinth. 15. *Laboravi: non ego autem, ſed Gratia Dei mecum*: & ſubſequentis Pſ. 22. *Miſericordia tua ſubſequetur me.* Hujus triplicis Gratiæ meminit Trident. Seſſ. 5. cap. 16. ubi ait: *Ipſe Chriſtus Jeſus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera antecedit ſemper, & concomitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſent.* Et certè cùm poſſit homo conſiderari vel ut poteſt agere, vel ut agens, vel ut perſeverans in rebus ſupernaturalibus, ad quas non ſufficiunt vires ejus naturales, eget auxilio divino præveniente, ſeu excitante, vel operante, ut loquitur Auguſt. ut poſſit bene agere; Concomitante, ſeu adjuvante, vel cooperante, juxta Auguſt. ut bene agat, & ſubſequente, ut ulterius in via ſalutis progrediatur, & perſeveret.

CONCLUSIO I.

GRatia præveniens eſt illa, quam Deus operatur in nobis ſine nobis, antecedenter ad liberum voluntatis conſensũ.

Dicitur 1. *Quam Deus operatur in nobis*, ſcilicet ut Author gratiæ & gloriæ, adeoque licèt ex providentia naturali concurrat ad id quod eſt naturale, ordinetque ad finem naturalem; requiritur tamen ſpecialis concurſus datus ex providentia ſupernaturali ad actus bonos naturam ſuperantes, ut perducatur creatura rationalis ad finem ſupernaturalem: qui concurſus datur merè liberaliter propter Chriſti merita: concurſus autem generalis, qui eſt donum creationis, debetur homini, ex ſuppoſitione quòd Deus velit ipſum exſtare, & liberè operari.

Dicitur 2. *Sine nobis*, ſcilicet liberè ſeu moraliter concurrentibus, phyſicè tamen & vitaliter coefficientibus: licèt neceſſariò & indeliberatè; quia cum Gratiæ prævenientes nihil aliud ſint formaliter, quàm actus quidam vitales, ut illuminatio intellectus, excitatio voluntatis, debent à ſuis reſpectivè potentiis vitaliter procedere, prout tamen procedunt à potentiis creatis, non habent rationem Gratiæ, ſed quatenus ſunt à Deo cum illis concurſu ſpeciali concurrente. Porro Gratia præveniens ſic dicta, quia prævenit uſum libertatis, vocatur etiam *excitans*, eò quòd excitet potentias animæ per modum impellentis ad bonum & retrahentis à malo; & *Operans*, quia operatur ut velimus, & conſentiamus, ſive interim conſenſum obtineat, ſive non: ſuaſor enim agit & laborat, ut quòd ſuadet, alter velit ſive hic perſuadeatur, ſive non: & ſic patet Gratiam prævenientem, excitantem, & operantem eſſe quid idem, ſoloque connotato diſtingui.

CONCLUSIO II.

GRatia concomitans eſt illa, per quam Deus, cùm volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum cooperatur ad illud volendum & exequendum, ad quod præviè excitavit. Hocque colligitur ex Auguſt. lib. de Gratia & lib. arb. cap. 13. *Ut velimus*, inquit, *ſine nobis operatur, cùm autem volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum cooperatur.* Porro Gratia concomitans ſic appellata, quia concomitatur liberum voluntatis uſum, etiam dicitur *cooperans*, quia actionem bonam, ad quam nos Deus præviè excitavit, nobiſcum coefficit, & *adjuvans*; quia hominem jam vocatum aut excitatum adjuvat & promovet ad perfectum conſenſum, ſive ad conſummationem ſuæ converſionis, aut actus ſalutiferi: unde Bernardus lib. de Gratia & lib. arb. *Conatus noſtri caſſi ſunt ſi non adjuventur, & nulli ſi non excitentur.*

CONCLUSIO III.

SIcut Gratia præveniens eſt illa, quæ antecedit liberum voluntatis conſenſum: ita ſubſequens eſt illa, quæ eundem ſequitur, fovet & confirmat: ſicque Gratiam prævenientem præſupponit, ſicut & concomitantem, cum qua ab aliquibus confunditur. De hac Gratia loquitur Auguſt. in Enchirid. c. 32. ubi poſtquam de Gratia præveniente dixiſſet: *Nolentem prævenit, ut velit*, de ſubſequente ſubdit: *volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit.* Poteſt etiam hæc Gratia dici ſubſequens, quia ſubſequitur juſtificationem, daturque homini juſtificato, ut in ſanctitate accepta confirmetur ac perſeveret: unde S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 11. de ſubſequente ſic ſumpta, ſicut & de præveniente præclarè ait: *Prævenit impium, ut fiat juſtus, ſubſequitur juſtum, ne fiat impius... prævenit eliſum, ut ſurgat, ſubſequitur elevatum, ne cadat.* Ex quibus ſequitur Gratiam prævenientem ut talem, abſtrahere à poſitione actus ad quem impellit, concomitantem verò, actum quidem importare, ſed abſtrahere ab actus continuatione: ſubſequentem denique, continuationem importare.

ARTICULUS III.

In quo conſiſtat ratio Gratiæ adjuvantis, & an ſit quid idem cum præveniente?

CONCLUSIO I.

RAtio Gratiæ adjuvantis, ſeu concomitantis, conſiſtit in concurſu Dei ſpeciali ſupernaturali, quo Deus applicando omnipotentiam ſuam coefficit opus bonum & ſalutare tanquam cauſa ſupernaturalis, ſeu non ut Author naturæ.

Prob. 1. Quia, ut Deus dicatur agere nobiſcum naturaliter, ſeu ut Author naturæ, ſufficit, præſuppoſita potentia ad agendum completa, concurſus ejus ſimultaneus naturalis: ergo, ut dicatur agere nobiſcum ſupernaturaliter, ſeu ut Author gratiæ, ſufficit, completa per gratiam prævenientem potentia, concurſus ejus ſimultaneus ſupernaturalis, & conſequenter ratio gratiæ adjuvantis debet in illo concurſu conſiſtere.

Prob. 2. Quia nihil poteſt convenientius aſſignari, & quodcunque aliud aſſignaveris, ſive qualitatem internam, ſive cogitationem ſanctam, ſive Deum ipſum intimè voluntati per modum auxilii unitum, videtur ſuperfluum, quandoquidem concurſus ille ſit de ſe ſufficiens.

Porrò concurſus ille eſt talis, quale eſt opus ad quod concurrit, id eſt, ſi opus ſit ſupernaturale in ſubſtantia, eſt & ipſe eodem modo ſupernaturalis; ſi verò ſit ſupernaturalis in modo, etiam eſt taliter ſupernaturalis concurſus; quia cauſa debet eſſe proportionata effectui.

Dices 1. Concurſus ille ad actum ſupernaturalem exercendum eſt debitus inſtructo habitibus infuſis: ſed quod debetur non eſt gratia: ergo &c.

Reſp. Quòd quamvis habitui infuſo debeatur concurſus proportionatus, quia tamen ipſemet habitus ſupernaturalis eſt ex gratia collatus, etiam ipſemet concurſus dicitur gratuitus, *ſeu* ut volunt alii, gratia pro gratia.

Dices 2. Poteſt peccator habitibus infuſis deſtitutus elicere actum ſupernaturalem cum gratia adjuvante: atqui id non poteſt cum illo concurſu: ergo &c.

Reſp. diſt. Maj. Poteſt elicere &c. ſi ejus potentia ſit elevata & completa in ratione principii effectivi actus ſupernaturalis, per certam qualitatem, quæ habituũ infuſorum vices ſuppleat: C. Sed hoc etiam poteſt cum illo concurſu. Si non elevata &c. N. Unde ſicut poteſt homo habens potentiam ſufficienter completam, ſive per habitus infuſos, ſive per qualitatem eorum vices ſupplentem, elicere actum ſupernaturalem cum gratia adjuvante, ita cum illo concurſu; cùm ſit quid idem.

CONCLUSIO II.

NOn ſunt quid idem realiter gratia præveniens, & concomitans, ſeu adjuvans. Ita Scotus, Vega, Herinx, & alii contra Medinam, Curiel, Hacherum, Præpoſitum & alios, qui volunt unam eandemque gratiam vocari prævenientem, in quantùm prævenit liberum voluntatis conſenſum; concomitantem verò, ſeu adjuvantem, quatenus conſenſum phyſicè coefficit cum voluntate.

Prob. 1. Concluſio: gratia præveniens eſt interior Spiritus Sancti illuminatio, vel inſpiratio, qua Deus cor hominis tangit ut illum convertat, vel ad fidem, vel ad pœnitentiam, vel ad amorem, vel ad quemlibet actum ſupernaturalem exercendum, ut colligitur ex Trident. Seſſ. 5. & 6. & Can. 3. & 4. ubi hæc gratia explicatur ſub nomine vocationis, illuminationis, inſpirationis, tactus &c. atqui gratia adjuvans non ſolùm tangit cor hominis, ut illum convertat, ſed etiam realiter & phyſicè ejus converſionem coefficit, ad quam excitavit & impulit gratia præveniens: ergo &c.

Prob. 2. Actus vitalis non concurrit phyſicè ad productionem alterius actus vitalis: unde communiter docetur in Philoſophia præmiſſas non concurrere effectivè phyſicè ad concluſionem: ſed gratia præveniens eſt actus vitalis: cùm nihil ſit aliud quàm actus intellectus, aut voluntatis indeliberatus. ergo non producit phyſicè conſenſum, qui eſt actus vitalis, & quidem perfectior, cùm hic ſit deliberatus, ille indeliberatus.

Prob. 3. Illa non ſunt idem, quæ poſſunt ab invicem ſeparari: ſed poteſt eſſe gratia præveniens ſine concomitante, ut quan-

quando gratiæ prævenienti reſiſtitur: ergo. Præterea, ut diximus concluſione præcedenti gratia adjuvans eſt ipſemet concurſus Dei ſpecialis; gratia autem præveniens eſt actus intellectus, aut voluntatis.

Dices; Tridentinum Seſſ. 6. cap. 5. dicit eandem eſſe gratiam prævenientem & adjuvantem: ait enim, *eidem Gratiæ liberè aſſentiendo & cooperando*.

Reſp. Concilium lv *eidem* ſumere genericè, non ſpecificè & individnaliter, cùm Gratia præveniens efficiat conſenſum noſtrum tantùm moraliter, ideſt, ſuadendo, excitando, alliciendo; adjuvans autem, efficiat phyſicè: nobiſcum cooperando; implicat autem, ut idem ſit tantùm cauſa moralis, & ſimul ſit cauſa phyſica.

QUÆSTIO II.

De ſufficientia Gratiæ, ſeu de Gratia ſufficienti.

GRatia ſufficiens genericè & ſpecificè ſpectari poteſt. Genericè ſumpta coincidit cum Gratia effectiva, eſtque illa quæ præbet vires ſufficientes ad benè operandum, ſive interim habeatur effectus, ſive non: unde non dicitur effectiva per ordinem ad effectum ultimatè per Gratiam intentum, aliàs non diſtingueretur à Gratia efficaci, ſed ex eo quòd efficiat, ſeu reddat potentiam ſnfficientem ad operandum, ſi velit. Specificè ſumpta eſt illius ſpecies, quæ quia imperfectior, quàm Gratia efficax (quæ eſt altera ſpecies Gratiæ ſufficientis illi oppoſita) generis nomen ſortitur.

Porrò Gratia ſufficiens ſpecificè ſumpta, de qua hic agimus, eſt illa, quæ licèt præbeat vires ſufficientes ad ponendum effectum, ad quem ultimatè datur, nunquam tamen ponitur defectu conſenſus ex parte hominis. Efficax verò eſt illa, quæ ſemper & infallibiliter infert effectum ultimatè intentum, & cooperationem liberi arbitrii.

ARTICULUS I.

An detur in natura lapſa Gratia ſufficiens?

DIco *detur*; quia illi, quos in hac materia Adverſarios patimur, non negant dabilem, ſeu poſſibilem eſſe Gratiam internam merè ſufficientem; imò ſicut volunt in natura lapſa omnem Gratiam eſſe efficacem, ita docent omnem Gratiam in natura integra fuiſſe tantùm ſufficientem. Ante reſolutionem

Adverte 1. Quæſtionem procedere de Gratia præveniente, ſeu excitante; cùm non poſſit eſſe realiter & phyſicè adjuvans, quin habeatur effectus.

Adverte 2. Gratiam ſufficientem aliam eſſe proximè, aliam remotè talem. Proximè ſufficiens eſt illa, quæ ſe ſola præbet vires ſufficientes ad ponendum actum ultimatè intentum, v. g. ut homo convertatur vel ad fidem, vel ad pœnitentiam. Remotè ſufficiens verò, quæ non præbet quidem vires ſufficientes ad effectum ultimatè intentum, præbet tamen ad aliquem actum, v. g. ad orationem, attritionem &c. quo actu poſito, Deus gratias ſufficientes præberet ad effectum ultimatum. His notatis

CONCLUSIO UNICA.

DAtur de facto in natura lapſa Gratia merè ſufficiens, quæ, defectn conſenſus liberi arbitrii, fruſtratur effectu à Deo ultimatè intento. Eſt 1. contra Pelagianos, qui Gratiam omnem rejecerunt. 2. Contra Calvinum, & Lutherum, qui omnem gratiam efficacem eſſe voluerunt, & ita efficacem, ut volnntas, juxta Calvinum, nonniſi rapta & neceſſitata operetur, imò, juxta Lutherum, nt in actibus bonis merè paſſivè ſe habeat nihil operando. 3. Contra Bajum & Janſenium, qui ultimus lib 3. de Gratia Chriſti cap. 3. dicit gratiam ſufficientem eſſe monſtrum quoddam ſingnlare gratiæ. Hæc Concluſio adeo certa eſt, ut crediderim eſſe de fide; quandoquidem Innocentius X hanc Janſenii propoſitionem ut hæreticam condemnaverit: *Interiori Gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Ex quo ſequitur quòd aliquando reſiſtatur; ſi autem reſiſtitur, non eſt efficax, adeoque tantùm ſufficiens.

Prob. 1. Ex Script. Iſa 65. verſ. 2. quod & habetur Rom. 10. v. 21. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem* Prov. 1. v. 24. *Vocavi & renuiſtis.* Act. 7. v. 51. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Matth. 23. v. 37. *Quoties volui congregare filios tuos . . . & noluiſti* 2. Corinth. 6. v. 1. *Videte ne in vacuum Gratiam Dei recipiatis.* Ex quibus duo ſequuntur: 1. dari gratiam ſufficientem ad ſalutariter operandum: aliàs quomodo poſſet juſtè ſcriptura viam ſalutis negligentes increpare? An non exploderetur ille, qui reprehenderet claudum quòd non rectè incederet, aut ſurdum, quia non audiret? Jam autem minùs poſſibile eſt homini ſine gratia ſalutariter operari, quàm claudo rectè incedere, aut ſurdo audire. 2. Non omnē gratiam eſſe efficacem, nam inutiliter hortaretur Apoſtolus Corinthios ne in vacuum gratiam Dei recipiant.

Prob. 2. Ex Concil. Trid. proferenti Anathema contra eum: qui dixerit Præcepta Dei eſſe ad obſervandum impoſſibilia: ſed certum eſt non dari omnibus ad illorum obſervantiam, gratiam efficacem; cum plurimi illa negligant: ergo ſaltem illis datur gratia ſufficiens, ſine qua eſſent ipſis impoſſibilia.

Prob. 3. Ex Auguſt lib. 1. ad Simplicianum q. 2. *Noluit Eſau, & non cucurrit, cucurriſſet, niſi vocatione contempta, reprobus fieret.* Et paulò ante: *Nemo credit non vocatus, ſed non omnis credit vocatus.* Lib. 1. de peccat. meritis cap. 34. *Habet peccator concupiſcentiam, cum qua pugnat, eamque adjuvante Deo ſuperaret, ſi non in vacuum gratiam ejus ſuſceperit.* Item lib. 83. Quæſtionum, q. 68. *Neque illi, qui noluerunt venire*, nempè ad cœnam, *debent alteri tribuere, ſed ſibi, quoniam ut venirent vocati, erat in illorum libera voluntate*: & ibid. *Incboat meritum ſupplicii; cùm vocatus venire neglexerit*, & alibi.

Prob. 4. Ratione: ſi non daretur gratia ſufficiens, vel nulla gratia daretur, vel omnis eſſet efficax, ut patet: ſed neutrum dici poteſt: ergo. Prob. min. Quoad 1. partem; quia aliàs Deus non poſſet juſtè punire infideles aut peccatores, qui ad Gratiam aut pœnitentiam non converterentur, cùm deeſſet ipſis auxilium, ſine quo converti non poſſunt. Prob. etiam 2. pars minoris: quia ſi omnis gratia eſſet efficax, omnes omninò id agerent, ad quod per gratiam excitarentur; ecce tamen Sancti omnes ſeſe ignavos, pigros, ingratos in Dei gratiis fuiſſe cùm dolore confitentur.

Prob. 5. Ex oppoſita ſcientia ſequitur omiſſionem actus ſupernaturalis præcepti non eſſe peccaminoſam, quandoquidem juxta Auguſt. nemo peccet in eo, quod vitare non poteſt; deſtitutus autem gratia non poteſt non omittere actum ſupernaturalem, ad quem ſine gratia eſt omninò impotens.

Dices: licèt talis neceſſitetur ad omiſſionem, non tamen cogitur. Sed

Contra eſt, quòd ad demerendum requiratur libertas à neceſſitate, ut contra Janſenium definivit Eccleſia.

Replicabis: Omittens peccat, non quia omittit, ſed quia vult omittere, neſciens an non habeat gratiam ad actum ponendum. Sed

Contra eſt, quòd in ſententia Adverſariorum volens omittere certò ſciat ſe non habere gratiam: non quidem efficacem, aliàs non vellet omittere, cùm illa infallibiliter inferat actum; non etiam ſufficientem, quia, ſecundum ipſos, Gratia illa non datur.

Inſtabis: talis deſtituitur gratia ex ſua culpa. quia nempè peccavit in Adam: ergo cùm impotentia ad poſitionem actus ſupernaturalis ſit voluntaria, etiam voluntaria erit omiſſio; adeoque & peccaminoſa. Sed

Contra eſt, quòd licèt ad culpam originalem ſatis fuerit libertas originalis, ſeu in Adamo; ad culpam tamen perſonalem requiratur libertas perſonalis: quod expreſsè docet S. Thomas 2. diſt. 50. q. art. 2. *Undè*, inquit, *ad culpam perſonalem requiritur voluntas perſonæ . . . . ad culpam verò naturæ nempè ad peccatum originale, non requiritur niſi voluntas in natura illa*; & ideo oppoſitam ſententiam condemnavit Alexander VIII. ut diximus initio Tractatus de vitiis, ubi de libertate ad peccandum requiſita. Illuc recurre.

Prob. 6. Dum præcipit nobis Deus actum ſupernaturalem, juſtè præcipit, nt fatentur omnes: ſed juſtè præcipiens, debet præſupponere, aut commnnicare ſubdito potentiam ad obediendum requiſitam, aliàs iniuſtè præciperet: ergo debet nobis gratiam, ſine qua ad actum ſupernaturalem ſumus omninò impotentes, communicare: ſed non ſemper communicat efficacem, ut experientia teſtatur: ergo aliquando ſufficientem.

Objic. 1. Joan. 6. v. 44. dicitur: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*: quòd D. Auguſt. lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 8. intelligit de tractione efficaci: ergo Gratia ſufficiens non dat poſſe ire ad Deum, conſequenter eſt ſuperflua.

Reſp. Suppoſito quòd fiat ibi mentio tractionis efficacis, diſt. ant Nemo poteſt &c. abſolutè loquendo: N. Omnis enim habens gratiam ſufficientem poteſt abſolutè credere, & ſequi Chriſtum; cùm nihil aliud requiratur ex parte Gratiæ. Nemo poteſt, ex ſuppoſitione quòd Deus viderit non venturum: C. ſed nihil indè contra nos.

Objic. 2. Chriſtus ibid. v. 45. dicit: *Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me*: ergo omnis gratia eſt efficax.

Reſp. Neg. Conſeq. Ex eo enim quòd omnis qui audivit

Digitized by Google

& *didicit* (quod ultimum phraſi Scripturæ & Auguſtiniana, ſonat cooperari vocationi) veniat ad Chriſtum: non ſequitur quòd omnis, qui audivit tantùm, ſeu vocatus eſt, & non didicit: etiam venire debeat.

Objic. 3 Quòd homo conſentiat Gratiæ: *Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei*, inquit Apoſt. Rom. 9. v. 16. ſed ſi daretur gratia, cui homo poſſet conſentire vel diſſentire, eſſet etiam *volentis*: quod eſt contra eundem Apoſtolum 1. Corint. 4. v. 7. dicentem: *Quis enim te diſcernit: Quid autem habes quod non accepiſti*: ergo &c.

Reſp. 1. Si argumentum illud valeret, etiam militaret contra gratiam efficacem, cùm illi poſſimus conſentire aut diſſentire, ut definivit Trident.

Reſp. 2. Diſt. Maj. *Non eſt volentis* ex propriis viribus: C. *Non eſt volentis* quatenus Gratia excitati & adjuti: N. Et ſic poteſt dicere quòd ſe ab alio diſcernat, non quidem abſolutè, quaſi id propriis viribus feciſſet, quod reprehendit Apoſtolus, ſed ſecundùm quid, in quantùm Gratia motus & adjutus, poſuit opus bonum, quod non poſuit alter: adeoque gloriari poteſt cum Apoſtolo, 1. Corint. 15. v. 10. & dicere: *Gratia Dei ſum id quod ſum, & Gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboravi.* Nihilominus hoc eſt diſcrimen inter conſentientem, & diſſentientem, quòd primus moveatur gratia efficaci, & ſecundus gratia merè ſufficienti: & ſic quòd primus operetur, & non ſecundus, non oritur præcisè ex eo quòd à gratia moveatur, ſed quòd à gratia fortiori, & ſic non ſe diſcernit ab alio ratione ſui, ſed ratione Gratiæ fortioris, quam non habet diſſentiens.

Objic. 4. Auguſtinus lib. de dono perſeverantiæ cap. 14. loquens de Tiriis & Sidoniis ita habet: *Quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam unde crederent eſt denegatum*: ergo cenſet iis, quibus non datur credere, ſcilicet per gratiam efficacem, conſequenter etiam non dari auxilium ſufficiens ad credendum.

Reſp. Neg. Conſeq. Solùm enim vult eis, quibus non datur actus credendi, non dari etiam gratiam efficacem ad credendum, & interdum neque gratiam proximè ſufficientem, qua ſe indignos per peccata priora reddiderunt. Non negat tamen dari ipſis gratiam ſaltem remotè ſufficientem ad hoc ut poſſint petere, orare, pulſare, &c. quibus ſufficienter poſitis, daret ipſis Deus gratiam proximè ſufficientem, aut fortè etiam efficacem ad credendum.

Objic. 5. Idem Auguſt. lib. 1. ad Simplic. q. 2. *Ad alios*, inquit, *vocatio quidem pervenit, ſed quia talis fuit, qua moveri non poſſent, nec eam capere aptierant: vocati quidem dici potuerunt, non tamen electi*: ergo Gratia, quæ non eſt efficax, non dat poſſe, & conſequenter eſt ſuperflua.

Reſp. Neg. Conſeq. Et dico illos, de quibus Auguſtinus non potuiſſe moveri, quia moveri noluerunt: ſicque ſeipſum explicat idem Doctor Tract. 93. in Joan. ubi ait: *Quare autem non potuerunt* (ſcilicet Judæi) *ſi à me quæratur citò reſpondeo quia non volebat.* Et indè habetur quòd potentia abſoluta & antecedente moveri poterant, non tamen potentia conſequente: ſeu ex ſuppoſito, quòd moveri nollent.

Objic. 6. Deus nihil facit fruſtra: ſed fruſtranea eſt Gratia ſufficiens, cùm nunquam habeat effectum: ergo

Reſp. Diſt. Min. Eſt fruſtranea ex parte Dei N. Semper enim habet effectum proximum & generalem, ad quem Deus illam tribuit, qui eſt inſtruere homines de mediis neceſſariis ad ſalutem, ipſiſque præbere ſufficientem illius obtinendæ potentiam. Eſt fruſtranea ex parte hominis potentis & nolentis ex ſua malitia, aut imbecillitate, ipſi aſſentiri: C. Unde Gratia ſufficiens de ſe nobis bona eſt, utilis, proficua, medicinalis, cùm det homini omnia quæ ad actum primum completum ſunt neceſſaria, ita ut nihil aliud requiratur ex parte Dei, & quis plenè poſſit operari ſalutariter: & inde patet quàm juſtè hanc propoſitionem condemnaverit nuperrimè Alexander VIII. *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tam utilis quàm pernicioſa eſt, ſicut proinde meritò poſſimus petere: à Gratia ſufficienti libera nos Domine.*

Objic. 7. Nullus actu benè operatur niſi habeat gratiam efficacem: ergo nullus poteſt bene operari ſine Gratia efficaci.

Reſp. Neg. Conſeq. & retorqueo argum. Nullus eſt bonus ſine bonitate: ergo nullus poteſt eſſe bonus niſi bonitatem habeat. Ubi ſatis apparet quòd ſit neganda conſeq. ſicut & in Enthymemate allato.

Objic. 8. Videtur gratia ſufficiens coincidere cum auxilio ſeu adjutorio poſſibilitatis Pelagianorum, quod rejicit Auguſtinus.

Reſp. Neg. Ant. Pelagiani quidem volebant liberum arbitrium juvari per gratiam externam legis & Euangelicæ doctrinæ, non tamen ad poſſe ſimpliciter, quod propriis viribus (ut fingebant) poteſt liberum arbitrium, ſed ad faciliùs poſſe. Gratia verò ſufficiens dat ſubjecto, cui ineſt, ipſummet poſſe in ordine ad actus ſalutares.

An autem gratia ſufficiens etiam detur ad agere, & non tantùm ad poſſe agere? Negant Thomiſtæ & multi alii requirentes ulteriùs ad agere præmotionem phyſicam, vel ſaltem gratiam efficacem: ſed ſi hoc eſſet, quomodo imputari poſſet homini ad culpam quòd mandata Dei neglexiſſet; quandoquidem non ſit in ejus poteſtate habere gratiam efficacem, aut phyſicam præmotionem, & ſine illa nunquam ſit potentia exitura in actum? Undè dicendum eſt; quòd ſicut præcepta nobis impoſita, pro quibus ſervandis datur gratia ſufficiens, non tantum obligant ad poſſe, ſed etiam ad agere, ſimiliter gratia non datur tantùm ad poſſe, ſed inſuper ad agere, ita ut nihil deſit voluntati quod per modum actus primi completi ad agendum requiratur.

ARTICULUS II.

An cuilibet homini detur Gratia ſufficiens?

ADverte 1. Quæſtionem eſſe de homine lapſo: nam homini adhuc integro, ſicut & Angelo adhuc viatori collatam eſſe gratiam ſufficientem, ut ſalutem æternam aſſequerentur, extra dubium eſt.

Adverte 2. Nullo titulo teneri Deum conferre homini lapſo auxilia Gratiæ ſufficientia ad ſalutem; cùm enim ratione peccati originalis, naſcatur filius iræ, ipſi non gratia, ſed pœna jure debetur; & ideo poteſt Deus citra omnem injuſtitiam cuilibet homini lapſo gratiam ſaluti obtinendæ ſufficientem denegare, ut colligitur ex Script. Sap. 12. v. 12. ubi dicitur: *Quis ſtabit adverſus judicium tuum? ... aut quis tibi imputabit, ſi perierint nationes, quas tu feciſti*; Et ex Auguſtino lib. de dono perſever. cap. 8. *Non ſimus*, inquit, *ingrati, quòd ... tam multos liberat miſericors Deus de tam debita perditione; etſi indè neminem liberaret, non eſſet injuſtus.* His notatis

CONCLUSIO I.

OMni & cuilibet homini proſpexit Deus, quantùm eſt ex parte ſua, de mediis ad ſalutem ſufficientibus, pro tempore & loco unicuique ſtatui proportionatis. Eſt D. Thomæ 1. diſt. 49. q. 1. art. 1. & alibi, D. Bonaventuræ ibidem, Scoti ibidem, §. 5. *ad primum*, & aliorum ſatis communiter.

Prob. 1. Ex Script. Iſ. 5. v. 4. *Quid eſt quòd debui ultra facere vineæ meæ, & non feci?* Quod licèt de populo Iſraelitico ſpecialiter dictum ſit, de univerſo tamen genere humano poteſt commodè intelligi.

Prob. 2. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri.* 1. Timoth. 2. v. 4. *Nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius, &c.* Ezech. 33. v. 11. *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* 2. Petri 3. v. 9. atqui non poteſt hoc ſincerè velle, niſi proſpiciat omnibus de mediis, ſine quibus impoſſibilis eſt ſalus: ergo

Dices 1. Si Deus vellet ſincerè omnes homines ſalvos fieri, omnes ſalvi fierent, cùm non poſſit non impleri Dei voluntas: ſed non omnes ſalvi fiunt: ergo.

Reſp. Diſt. Maj. Si Deus vellet voluntate abſoluta & omninò efficaci, omnes ſalvi fierent: C. cùm non poſſit non impleri voluntas Dei abſoluta & efficax. Si Deus vellet voluntate conditionata & ſimpliciter inefficaci, licèt quantùm ex parte ſua efficaci, omnes ſalvi fierent: N. Undè vult aliquos abſolutè & omninò efficaciter ſalvos fieri, & ipſi non peribunt: vult & alios ſalvos fieri ſubintellecta tamen conditione, niſi quid obſtet ex parte cauſarum ſecundarum, quas ſinit agere motus ſuos; & illi poſſunt ſalvari: & poſſunt perire, prout ex parte cauſarum ſecundarum fuerint adhibita, vel non adhibita media ad ſalutem conſequendam neceſſaria.

Dices 2. Auguſtinus Enchir. cap. 103. & Scotus ſupra dicunt præfatum locum poſſe explicari de ſolis electis.

Reſp. Tunc ipſos loqui de voluntate Dei omnimodè efficaci & abſoluta. Meliùs tamen, & Scripturæ conformiùs intelligitur de omnibus omninò hominibus, ut patet tum ex paſſu 2. Petri 3. tum ex dicendis poſtea, quibus oſtendetur Chriſtum etiam pro reprobis fuiſſe mortuum.

Dices 3. Deum velle omnes ſalvare, hoc ſenſu, quòd omnibus præparaverit auxilia ad ſalutem ſufficientia, non tamen hoc ſenſu, quòd omnes adulti illa recipiant. Sed

Contra eſt, quòd auxilia de facto recepta, & non purè oblata, dent homini potentiam ad operandam ſalutem, & conſequenter, ſi velit ſincerè omnes adultos ſalvos fieri, debet omnibus illis potentiam ſufficientem communicare: quod præſtant auxilia gratiæ recepta, & non merè oblata.

Dices 4. Vult Deus omnes homines ſalvos fieri ante præviſum originale peccatum, non poſt illud. Sed

Contra eſt, quòd Apoſtolus loquatur de Deo Salvatore: ait ſiquidem: *Hoc enim bonum eſt & acceptum coram Salvatore no-*

re noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri : ſed Deus Salvator præviderat peccatum originale, cùm venerit ut Salvator ad illud delendum: ergo

Prob. 2. Ex Concilio Valentino anno 855. cap. 2 ubi dicitur: *Malos non ideo perire, quia boni eſſe non potuerunt, ſed quia boni eſſe noluerunt* : & conſequenter etiam malis datur gratia; qua boni fieri poſſint.

Prob. 3. Ex PP. Chryſoſt. Homil. 7. in Joan. *Gratia Dei in omnes diffuſa eſt...... omnibus ſe facilem exhibet, omnes pari honore advocat* &c. Auguſtino lib. 2. Act. cùm Fœlice Manichæo cap. 8. in fine: *Non eſt ergo indignum, ut Deus dicat: ite in ignem æternum, iis, qui per liberum arbitrium miſericordiam ejus reſpuerunt* : ergo ſupponit dari gratiam omnibus reprobis, de quibus præſertim eſt difficultas. Item lib. 83 quæſtionum, q. 68. in fine: *Hæc vocatio, quæ ſive in ſingulis hominibus* (notâ) *ſive in populis, ſive in ipſo genere humano, per temporum opportunitates operatur, altæ & profundæ ordinationis eſt*. Proſpero lib. 2. de vocatione gentium cap. 26. *Opitulatio*, ſcilicet gratiæ, *per innumeros modos, ſive occultos, ſive manifeſtos, omnibus adhibetur*. Ex cap. 31. *Elaboratum eſt, quantum Deus adjuvit, ut non ſolùm in noviſſimis diebus, ſed etiam in cunctis retro ſæculis probaretur Gratiam Dei omnibus hominibus adfuiſſe*. Quid clarius?

Prob. 5. Deus confert gratiam hominibus ob Chriſti mortem & merita: ſed pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: nam *Dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*, 1. Tim. 2. verſ. 6. ergo omnibus gratiam confert Deus.

Prob. 6. Omnes & ſinguli adulti teneatur à Diabolo, ut docet D. Thomas p. 1. q. 11. art. 3. ad 3. ergo omnes & ſinguli adjuvantur per gratiam à Deo, quia, ut ait Auguſt. in Pſ. 6. *Deus qui dat diabolo licentiam tentandi, dat tentatis miſericordiam*, id eſt, gratiam, eò quòd auxilio gratiæ deſtituti, non valeant ordinariè diaboli tentationes ſuperare.

Dices 1. Cum Auguſtino Epiſt. 107. *Scimus Gratiam Dei majoribus ad ſingulos actus dari; ſcimus non eodem modo omnibus hominibus dari*, &c.

Reſp. Diſt. Ant. Scimus non omnibus dari gratiam efficacem: C. & de hac loquitur S. Doctor, cùm loquatur de gratia quæ facit prodeſſe doctrinam. Scimus non dari proximè aut remotè ſufficientem: nego. Quomodo enim, ſecluſa revelatione divina, quam non manifeſtat, ſciret Auguſtinus gratiam ſufficientem non omnibus dari? an omnium hominum intima penetravit? an ſcrutatus eſt eorum cogitationes, aut voluntates? aliud eſt de gratia efficaci, cujus præſentiam aut abſentiam ex præſentia aut abſentia operationis facilè colligimus.

Dices 2. *Communis eſt omnibus natura, non Gratia*, Auguſt. ſerm. 11. de verbis Apoſtoli cap. 4.

Reſp. Hoc eſſe verum, non tamen noſtræ concluſioni contrarium, quia loquitur Auguſtinus de Gratia Fidei aut juſtificationis, quam conſtar non omnibus dari, licèt detur omnibus gratia actualis, modo jam explicando. Vide Auguſtinum ibidem.

Dices 3. Non omnes recipiunt gratiam ſufficientem, ut patet in pueris, ante uſum rationis, & in perpetuò amentibus: ergo non omnibus datur.

Reſp. Diſt. Conſeq. Non omnibus datur, ſi ly *datur* ſumatur prout eſt correlativum ad *recipitur*: C. ſi ſumatur pro *diſponitur, providetur, præparatur*, ſicut hìc ſumimus reſpectu generalitatis hominum: N. Unde in omnibus adultis capacibus datur & recipitur, aliis autem ſolùm diſponitur, in quantùm paratus eſt Deus, amota incapacitate, illam infundere.

CONCLUSIO II.

Deus non providit omnibus æqualiter de gratiis ſufficientibus.

Prob. Ex Script. Sap. 4. verſ. 11. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus* : ſed non omnes rapiuntur, ne fiant mali: ergo. Unde Pſal. 147. verſ. 20. dicitur: *Non fecit taliter omni nationi*. Et Chriſtus Matth. 11. verſ. 21. alloquens Judæos ait: *Si in Tyro & Sydone factæ eſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent*. Et certe nunquid in veteri teſtamento gratiæ uberiores datæ ſunt Judæis, quàm aliis? nunquid in novo uberiores Catholicis, quàm hæreticis? nunquid & inter Catholicos uberiores his, quàm illis, etiam indignioribus? cujus alia ratio non eſt, quàm illius voluntas, qui, cujus vult, miſeretur, ac ſingulis prout vult, dividit; & ideo nemini facit injuriam, nec dici poteſt perſonarum acceptor, cùm nullam gratiam cuipiam debeat ex juſtitia, ſed omnibus conferat merè liberaliter.

ARTICULUS III.

An reſolutio articuli præcedentis ita univerſaliter intelligatur, ut nullus omnino ab ea excipiatur?

Si qui ab illa reſolutione excluderentur, eſſent præſertim, ut prima fronte apparet, pueri in utero materno decedentes, infideles, peccatores obdurati, de quibus ſequentibus Paragraphis.

PARAGRAPHUS I.

Quid dicendum hac in re de parvulis?

CONCLUSIO UNICA.

Parvulis omnibus ſive in utero materno, ſive extra ſine baptiſmo decedentibus, Deus, quantùm eſt ex parte ſua, media ad ſalutem ſufficientia providit ac præparavit; etſi ex malitia parentum, aut aliorum ſuffocentur. Eſt ſatis communis contra Ariminenſem, Driedo, Vanroy, & alios.

Prob. Deus vult, ut diximus, voluntate antecedenti omnes homines, adeoque & parvulos, ſalvos fieri: ergo pro illis media, ſine quibus ſalutem nullo modo aſſequi poſſunt, præparavit & inſtituit; imò ita inſtituit, ut quantùm eſt ex ſe, optaret ſincerè omnibus applicari: eſto interim aliquando applicari non poſſint, non quidem defectu Divinæ providentiæ, ſed cauſarum ſecundarum, quas Deus ut cauſa univerſalis permittit agere motus ſuos.

Confirm. 1. Quia Chriſtus etiam pro illis merita ſuæ paſſionis præparavit, ac Patri obtulit, Baptiſmum inſtituit, Miniſtros adhibuit, & parentibus, ut proles ſuas in lucem editas baptizari curarent, præceptum impoſuit: ergo ſufficienter illis providit, licèt interdum à cauſis ſecundis prohibeantur.

Confir. 2. Sicut Rex cenſeretur ſufficienter providere de mediis neceſſariis ad ſalvandam vitam alicujus Rei ad mortem condemnati, ſi non tantùm litteras condonatorias confici curaſſet, ſed etiam per Nuntium promptum & expeditum miſiſſet, licèt vel defectu Nuntii ſubito in itinere morientis, aut ab hoſtibus capti, aut ex malitia ſua aliò tendentis, vel defectu Miniſtrorum citius ad mortem rapientium, reus interim ſupplicio afficeretur, ita & in noſtro caſu.

Obj. 5. Deus quandoque impedit, ne pueri baptizentur: ergo non providet ipſis de mediis ad ſalutem ſufficientibus.

Reſp. Diſt. Ant. Impedit quandoque permiſſivè: C. poſitivè: ſubdiſtinguo. Ex intentione impediendi baptiſmum: N. Ex intentione concurrendi ad actiones cauſarum ſecundarum, quæ puero vitam auferentes, baptiſmum impediunt: C. Sed nihil inde contra nos; quia licèt Deus concurrat cum cauſis ſecundis, quæ vitam eripiunt puero, ſicque baptizari impediunt, hoc tamen non facit ex illa intentione, ſed ut omnibus cauſis provideat: cùm enim ſit proviſor generalis, & bonum commune ſpectans, non tantùm ſingulis hominibus, ſed etiam toti univerſo accommodatè ad fines ſuos proſpicere debet, & ideo cum illis, dum id exigunt, concurrere: unde ſi cauſis in utero materno puerum ſuffocaturis concurſum ſuum denegaret Deus, earum naturæ, vel activitati præjudicium ferret, ſicque ordinem à ſe poſitum interturbaret, quod non tenetur facere.

Inſt. 1. Vult poſitivè baptiſmum conferri parvulo: ergo. Prob. Ant. Deus vult poſitivè omne, quod non eſt peccatum: ſed quòd parvulus decedens in utero materno non baptizetur, non eſt peccatum: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Vult poſitivè voluntate primaria & antecedente: N. Sic enim vult parvulum ſalvari, adeòque baptizari. Voluntate ſecundaria, & conſequente, in quantùm non vult cauſarum ſecundarum actiones impedire, ex quibus ſequitur ſuffocatio parvuli: C.

Inſt. 2. Vult Deus poſitivè voluntate primaria & antecedente omne quod non eſt peccatum, cum ex tali voluntate nulla imperfectio ſequatur in Deo; ergo etiam vult carentiam baptiſmi in puero.

Reſp. Neg. Ant. Quomodo enim poteſt Deus velle voluntate primaria & antecedente omne quod non eſt peccatum, adeoque & carentiam baptiſmi, cùm eadem voluntate velit parvulum ſalvari; non poſſit autem ſalvari ſine Baptiſmo; Unde licèt nulla imperfectio foret in Deo ſi voluntate primaria & antecedente vellet parvulum non Baptizari, quia tamen voluit illa voluntate, ut ſalvaretur eadem voluit ut Baptizaretur, ſi non ſit impedimentum à cauſis ſecundis.

Inſt. 3. Si Deus vellet ſincere Baptiſmum parvuli impedire quominus ſuffocaretur, deſtrueretur &c. cùm id poſſit, ſed non impe-

Digitized by Google

impedit: ergo Minor certa eſt Prob Maj. non cenſetur homo velle ſincerè, ut beneficium alicui conſeratur, qui ejus aſſecutioni ſeſe opponentes non impedit, cùm poſſit.

Reſp. Neg. Maj. Ad Prob. Diſt. Aſſumpt. non cenſetur homo velle &c. ſi habeat juſtas cauſas noo impediendi contradicentes, v.g quia timet ne ab illis occidatur: N. Si nullam cauſam habeat: C. ſed Deus habet juſtam cauſam non impediendi cauſas ſecundas ſe ſe opponentes Baptiſmo parvuli, nempe ut ſinat ipſas agere motus ſuos; & poſitum à ſe ſtatutum concurrendi ad omnes illarum actiones, cùm id poſtularent, non diſturbet.

Obj. 2. Auguſtinum lib. de dono perſever cap. 12. in fine dicentem: *Plerumque feſtinantibus parentibus, & paratis Miniſtris, ut Baptiſmus parvulo detur, Deo tamen nolente, non datur*: ergo &c.

Reſp. Intelligendum eſſe de voluntate ſecundaria & conſequente, & quidem indirecta, in quantùm non vult impedire cauſas ad mortem pueri concurrentes: ſicut de tali nolitione intelligi debet Epiſt. 107. ad Vitalem, ubi ait columna 6. multos ſalvos non fieri (quod exemplificat in parvulis) *non quia ipſi, ſed quia Deus non vult*. Pro aliis objectionibus

Adverte, quòd ſufficientia auxiliorum ad ſalutem reſpectu parvuli, poſita ſit in ope adulti, in quantùm poteſt proximè vel remotè illa parvulo applicare: quod etiam verum eſt, quando parvulus, cauſarum ſecundarum violentia in utero matris extinguitur: nam ſi parens mediatus vel immediatus magis ſobriè vixiſſet, à tali cibo, loco, aut occaſione abſtinuiſſet, ſi oraſſet, ſi melius Dei gratia uſus fuiſſet, potuiſſet parvulus ab ipſis juvari: unde D. Proſper lib. 2. de vocatione gentium, c. 23. ait: *Si bene*, ſcilicèt Gratia, *eorum uterentur parentes, etiam ipſi*, id eſt parvuli, *per eoſdem juvarentur*.

PARAGRAPHUS II.

Quid dicendum de infidelibus?

SUppono 1. Non denegari infidelibus auxilia ſufficientia, ut Dei mandata deinceps obſervare valeant, quandoquidem Deus impoſſibilia non jubeat.

Suppono 2. Non poſſe infideles ad Deum per veram pœnitentiam converti, niſi prius ad veram fidem convertantur, quandoquidem ſine fide impoſſibile ſit placere Deo & ideo de ſolis auxiliis ad fidem amplectendam ſufficientibus hic agimus.

CONCLUSIO I.

NOn datur omnibus infidelibus Gratia proximè ſufficiens, ut fidem amplectantur.

Ratio eſt; quia ſunt & fuerunt aliqui infideles, quibus nunquam annuntiata eſt vera fides; quomodo autem fidem ſuſcipient, ſi quid ſit fides nunquam noverint? Quomodo de tenebris infidelitatis ad lucem fidei pervenient, niſi illuminentur? Illuminat quidem Deus omnem hominem venientem in hunc mundum; non tamen omnes lumine proximè ſufficienti, ut experientia convincit.

CONCLUSIO II.

DAtur omnibus infidelibus pro tempore & loco auxilium ſaltem remotè ſufficiens, ut convertantur ad fidem quibus auxiliis ſi cooperarentur, daretur ultimatum, & illud quod proximè ſufficeret, ut de facto poſſent converti. Ita DD. communiter.

Prob. 1. ex Script. 1. ad Tim. 2. Deus, *Omnes homines vult.... ad agnitionem veritatis venire*: ſed non poſſunt ad fidei veritatem venire, niſi per auxilium gratiæ illuminentur: ergo, cùm omnes vocet, omnes illuminat: undè Chryſoſtomus ut oſtendat neminem ab illa voluntate excludi, *non Judæum*; in Joan. in init. *non Græcum, non Barbarum, non Scytham, non liberum, non ſervum, non virum, non mulierem, non ſenem, non juvenem*.

Prob. 2. ex Pſ. 18. *Non eſt qui ſe abſcondat à calore ejus*: Quod D. Auguſtinus in eundem Pſal. ſcribens ita exponit: *Non permiſit ullum mortalium excuſare ſe de umbra mortis: ipſum enim penetravit Verbi calor*, vel mediante prædicatione, vel mediante lumine, quo illuminat omnem hominem venientem io hunc mundum.

Prob. 3. Ex iis locis, in quibus dicitur Deum velle omnes homines ſalvos fieri, neminem velle perire, omnes ſibi per Chriſtum eſſe reconciliatos.

Prob. 4. ex D. Ambroſio in Pſ. 18. c. 54. *Myſticus ille ſol juſtitiæ*, inquit, *omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt, & omnibus reſurrexit: ideo autem paſſus eſt, ut tolleret peccatum mundi: ſi quis autem non credit in Chriſtum generali beneficio ſe privat*.

Prob. 5. Quia Deus impoſſibilia non jubet, teſte Auguſtino & Tridentino: ſed jubet omnes fidem amplecti: ergo omnibus largitur undè amplecti valeant.

Obji 1. Act. 16. verſ. 6. *Vetati ſunt* Paulus & Timotheus *à Spiritu S. loqui verbum Dei in Aſia*, & cùm *tentabant ire in Bithiniam* Euangelium prædicaturi, *non permiſit eos Spiritus JESU*: ergo non datur omnibus infidelibus auxilium ſufficiens, ut ad fidem convertahtur.

Reſp. Diſt. Conſeq. Non datur auxilium conſiſtens in prædicatione veræ fidei: C. aliquæ enim nationes, propter peccata ſua, illa privantur: nullo modo datur auxilium, ſaltem aliqualiter ſufficiens: N.

Inſt. 1. Quodcunque auxilium à Gratia prędicationis Euangelicæ, non eſt auxilium ſufficiens, ut convertantur: nam *Quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante?* Rom. 10. v. 14. ergo quibus non datur gratia prædicationis, non datur auxilium ſufficiens.

Reſp. Diſt. Ant. Non eſt ſemper auxilium proximè ſufficiens, ut convertantur: C. Non eſt auxilium vel proximè vel remotè ſufficiens: N. Ad Apoſtolum dico, licèt ordinariè non credant homines ſine prædicante, poſſunt tamen antea auxilio remotè ſufficienti cooperari, ſicque (ex gratia, Dei bonitate) auxilium prædicationis obtinere.

Inſt. 2. Gratia, qua converti valeant, eſt initium fidei, ſed initium fidei non datur omnibus, ut patet ex illo Auguſtini cap. 8. de prædeſtinatione: *Fides igitur inchoata, & perfecta, donum Dei eſt, & hoc donum quibuſdam dari, quibuſdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifeſtiſſimis ſacris litteris repugnare*. Ergo

Reſp. Diſt. Min. Initium fidei ſumptum pro ipſiuſmet fidei annuntiatione externa, non datur omnibus: C. Sumptum pro anountiatione interna, ſeu pro inſpiratione, qua Deus proximè vel remotè ad fidem vocat, non datur omnibus: N. Illuminat enim omnem hominem venientem in hunc mundum, ut diximus.

Inſt. 4. Auguſt. Enchir cap. 103. ita loquitur: *Sic enim intelligimus id quod in Evangelio ſcriptum eſt, qui illuminat omnem hominem, non quia nullus eſt hominum qui non illuminetur, ſed quia niſi ab ipſo nullus illuminatur*: ergo non omnes inſpiratione, ſeu lumine interno præveniuntur.

Reſp. Illuminari quidem omnes illuminationis capaces: quod vult Scriptura, non tamen omnes omnino, etiam incapaces: quod vult Auguſtinus.

Obj. 2. Dari poteſt infidelitas negativa, ſeu pura ignorantia myſteriorum fidei, quæ non ſit peccatum, ut docet D. Thomas, & declaravit Eccleſia contrà Bajum: ſed hoc eſſet falſum in ſentententia noſtra: ergo. Prob. Min. quia ſub peccato tenetur ille credere, cui ad credendum conceſſa eſt gratia, ſicut tenetur actum præceptum implere, ad cujus impletionem conceſſa eſt ipſi gratia, etiam remota: & conſequenter, ſi omnibus detur gratia ad credendum, nullus poteſt habere ignorantiam myſteriorum inculpabilem.

Reſp Neg. Min. ad Prob. Diſt. Aſſump. tenetur credere, ſi eo ipſo quo confertur gratia, ipſi etiam proponatur revelatio divina, & credendi præceptum: C. Si non proponatur: N. Hoc autem fieri poteſt, dum quis per tranſennam audit vel legit Chriſtianorum legem eſſe unicè bonam, indèque format voluntatem ipſam amplectendi, ubi reperire poterit aliquem, qui hoc ipſi oſtendat: interim nulla ei proponuntur fidei Chriſtianæ myſteria, nullumque reperit à quo doceatur, illo tempore ejus ignorantia eſt inculpabilis, licèt ad credendum gratiam remotam acceperit.

Aliud eſt de eo, cui data eſt gratia remotè ſufficiens ad ponendum actum præceptum: hic ſiquidem habet ſimul cum auxilio remoto advertentiam præcepti inſtantis, & poſſibilitatis auxilii proximi, v. g. orando, jejunando, &c. & ideo ſi actum omittat, voluntaria eſt omiſſio, adeoque peccaminoſa.

Obj. 3. Si daretur infideli auxilium remotè ſufficiens ad credendum, eſſet proximè ſufficiens ad actum ſupernaturalem anteriorem actu fidei, ut patet: ſed non datur actus ſupernaturalis anterior actu fidei; cùm fides juxta Trid. Seſſ. 6. cap. 8. ſit *humanæ ſalutis initium*: ergo.

Reſp. Diſt. Min. Non datur actus ſupernaturalis anterior actu fidei, qui non ſit diſpoſitio ad fidem: C. qui ſit diſpoſitio & quodammodo Fides diſpoſitivè: N. Ad Tridentinum, dico Fidem dici initium ſalutis tum ratione ſui, tum ratione diſpoſitionum: & certè ſi Fides dicatur juſtificare, quia diſpoſitio eſt ad juſtificationem, quidni actus diſponens ad initium ſalutis, etiam diceretur ſuo modo ſalutis initium?

PARA-

Digitized by Google

PARAGRAPHUS III.

Quid dicendum de peccatoribus obduratis?

QUæſtio non tangit nova peccata mortalia vitanda, quia ſupponimus tum ex dictis in Tract. *de Vitiis*, ubi de libertate ad peccandum requiſita; tum ex poſſibili mandatorum Dei obſervatione, nullis peccatoribus, quantumvis obduratis, denegari gratiam, ſaltem remotè ſufficientem, ut vitent novum peccatum formale, quidquid reclamet Vanroy ſpecioſo Auguſtino pallio ſe involvens: & ideo hic tantùm de præteritorum pœnitentia agimus.

CONCLUSIO UNICA.

NUllus eſt peccator tanta peccatorum mole gravatus, ut ipſi, etiam contumaci & obdurato, denegetur pro tempore & loco auxilium ſaltem remotè ſufficiens, quo ab omnibus peccatis mortalibus valeat reſurgere. Eſt communis & certa contra Armacanum, Vanroy, & paucos alios recentiores.

Prob. 1. Ex Script. Deus invitat peccatores omnes etiam peſſimos, ad pœnitentiam, ergo venire poſſunt: atqui non poſſunt venire ſine gratia, ut Fides docet. ergo eam ipſis largitur. Prob. Ant. ex innumeris Scripturæ paſſibus: Eccli. 5. v. 8. *Non tardes converti ad Dominum* Iſa. 31. v. 6. *Convertimini ſicut in profundum receſſeratis*. Ezech. 33. v. 11. *Convertimini convertimini à viis veſtris peſſimis*. Prov. 1. v. 23. *Convertimini ad correptionem meam* Matth. 11. verſ. 18. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis*: ubi ad pœnitentiam vocat eos, non qui futuri erant peccatores, ſed qui ſunt actualiter tales, & quidem gravati & onerati mole peccatorum; & conſequenter (ut occurram objectioni Vanroy) non ſufficit quòd Gratiam habuerint antequam peccarent, ſed requiritur quòd habeant poſtquam peccaverunt, cùm debeant poſſe venire, etiam poſt peccatum: & certè ſicut ridiculus eſſet Dominus advocans ſervum, qui ſibi utranque tibiam fregiſſet, etiam ex propria culpa; ità non ſatis ſeriò videretur agere Deus vocans peccatores jam peccatores, quos ſciret non poſſe venire, licèt ex eorum peccatis proveniſſet impotentia.

Quid ad hæc Vanroy? *Adverſus hoc aſſertum*, inquit, *Philoſophi & humana ratio argumenta procudit fulminea, ſed, altius intonante Auguſtino, diſparebunt ut fumea*. Intonantem Auguſtinum audiamus: ſed an tibi, an mihi faveat, decidet Lector.

Prob. itaque 2. ex Auguſtino in Pſal. 63 in fine: *Nunquid conſilii corrigendi, & mutandæ vitæ malæ in bonam non eſt locus, non eſt tempus? Nonne ſi vis, hodie fit? nonne ſi vis, modò fit?* Quomodo autem fieret ſine Gratia? Et lib. de ſerm. Domini cap. 15. de obduratis ſic loquitur: *Et eſt cæcitas mentis, in eam quiſquis datus fuerit, ab interiori Dei luce ſecluditur*, nota, *ſed nondum penitùs dum in hac vita eſt*. Quid expreſſiùs? Item enarratione in Pſal. 102. ultra med. *Quid tam longanimum, quid tam multum in miſericordia? Peccatur, & vivitur, accedunt peccata, augetur vita: blaſphematur quotidie, & facit Solem ſuum oriri ſuper bonos & malos. Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam*. Quos vocat? Addentes peccata peccatis.

Ecce quàm altè, quàm fortiter, quàm multoties pro nobis intonat Doctor Gratiæ; ſed altiùs pro ſe intonare contendit Vanroy, eò quòd variis in locis aſſerat ex peccatis præteritis oriri neceſſitatem peccandi, non advertens S. Doctorem loqui de neceſſitate morali, ſeu magna difficultate, non autem de phyſica, ut evidenter conſtat ex paſſu quem ipſemet allegat: *Quòd autem in vitiis naturæ*, inquit Auguſt. lib. de nat. & grat. cap. 66. *non in conditione naturæ ſit quædam peccandi neceſſitas, audiat homo, atque, ut eadem neceſſitas non ſit, diſcat Deo dicere: de neceſſitatibus meis erue me*. Ex quo ſequitur neceſſitatem illam, utpote per orationem vincibilem, non eſſe phyſicam, ſed moralem. Alias ejuſdem Authoris objectiones ex Auguſtino deſumptas, abundè conati ſumus ſolvere in Tractatu citato initio quæſtionis. Illuc recurre.

Prob. 3. Ex aliis PP. Gregorio 17. Moral. cap. 4. Chryſoſt. Homil. 16. in Epiſt. ad Rom. Ambroſio lib. de pœnit. cap. 8. & 9. Proſpero lib. 2. de vocatione gentium cap. ult. Fulgent. Epiſt. 7. ad Venant. cap. 3. & 4.

Prob. 4. Authoritate D. Thomæ 1. diſt. 4. q. art. 9. *Deus ita vult omnes homines ſalvos fieri, ut nemini quantumvis ſceleroſo gratiam ſuam ſubſtrahat*. Et par. 3. q. 86. art. 1. *Dicere quòd aliquod peccatum ſit in hac vita, de quo quis pœnitere non poſſet, erroneum eſt; primò quidem, quia per hoc tolleretur libertas arbitrii. 2. Quia per hoc derogatur virtuti Gratiæ*. Undè quando alibi videtur inſinuare aliquando gratiam de peccatoribus, loquitur de gratia efficaci, aut proximè ſufficienti.

Prob. 5. Præcipit Eccleſia, ut omnes fideles ſine diſtinctione peccata ſua annuè confiteantur; ergo poſſunt omnes ſine diſtinctione pœnitentiam agere; aliàs impoſſibilia juberet: quod nequidem facit Deus: & conſequenter ſupponit dari omnibus tempore opportuno Gratiam ad pœnitendum ſufficientem & neceſſariam.

Prob. 6. Quia ex oppoſita ſententia ſequitur, poſſe hominem viatorem non eſſe amplius in via; quandoquidem deſtitutus omni gratia non poſſit amplius ad terminum tendere, quod eſſentialiter importat eſſe in viam.

Objic. 1. *Deus, ſua Gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur*. ex Trid. Seſſ. 6. cap. 11. ergo, ubi peccatores Deum deſerunt, à Deo deſeruntur: undè Auguſt. lib. de natura & gratia, cap. 22. *Nec cogitat prævaricatorem Legis . . . dignè luce deſerat veritatis*.

Reſp. Concilium loqui de gratia habituali, quam non auſert Deus à juſtificatis, niſi peccando ipſum deſerant, ut communiter intelligitur à DD. de qua gratia venit etiam intelligendus Auguſtinus; aut ſaltem de gratia efficaci, aut proximè ſufficienti, ne ſibi contradicat.

Objic. 2. Aliquando Deus ob peccatum privat hominem uſu rationis: ergo à fortiori gratiis ſufficientibus; cum prior ſtatus, in quo homo fit omnium gratiarum actualium incapax, ſit longè deterior poſteriori.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia etſi Deus puniat quandoque peccatorem amentia, imò morte ſubitanea, & conſequenter damnatione æterna, quod eſt omnium malorum maximum: quamdiu tamen relinquitur viator rationis compos, nunquam punitur omnium gratiarum ſubſtractione ita ut fiat omninò inexcuſabilis, nec dicere poſſit ſe non potuiſſe Deo, converſionem præcipienti, obedire.

Inſt. Deus non eſt benevolentior ſceleſtiſſimis, & impiiſſimis hominibus propria voluntate repugnantibus, quàm innocentiſſimis parvulis, qui propria voluntate non repugnant ſaluti; atqui denegat quandoque parvulis auxilia, quibus valeant ad baptiſmi gratiam pervenire: ergo, etiam denegat quandoque magnis peccatoribus auxilia, quibus poſſint converti.

Reſp. Diſſimulata Majore (cùm Deus quandoque ſit benignior peccatoribus adultis, quàm parvulis, cum his agendo ſecundùm juſtitiam; & cum illis ſecundùm miſericordiam) Neg. Min. quia ut diximus, parvulis omnibus providit de mediis ſufficientibus in aliorum miniſterio, quæ ſi non applicentur, non Deo, ſed cauſis impedientibus imputandum eſt. Quod autem auxilia gratiæ recipiant peccatores adulti, non parvuli, oritur ex eo, quòd hi, defectu uſus rationis, ſint illorum incapaces, non illi.

Objic. 3. 2. Machab. 9. v. 13. dicitur de Antiocho: *Orabat hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus*. Et Hebræor. 12. v. 17. de Eſau: *Non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquiſiviſſet eam*.

Reſp. Neutrius pœnitentiam fuiſſe veram & ſalutarem; cùm primus doleret, ob recuperandam, non animæ, ſed corporis ſanitatem: ſecundus autem fleret: non culpas, ſed amiſſam Patris benedictionem.

Objic. 4. Aliqui peccatores in ipſomet flagranti delicto moriuntur: ergo non datur eis auxilium ſufficiens, ut convertantur.

Reſp. Concluſionem noſtram non eſſe intelligendam de illis, ſed de peccatoribus, qui poſt perpetratum peccatum ſuperſtites vivunt cum uſu rationis, quos ſuſtinemus gratia Dei ita opportunè præveniri, ut ſi quando de pœnitentia cogitaverint, abſolutè poſſint converti: undè ſi aliqui, & plurimi non convertantur, id evenit; vel quòd gratiam negligant vel quòd ob deſperationem, animi turbationem, aut nimiam ad terrena attentionem, nullo modo de pœnitentiæ aut ſalutis poſſibilitate cogitent.

Objic. 5. Chryſaorius jamjam moriturus petiit inducias uſque mane, & non obtinuit: ergo.

Reſp. Neg. Conſeq. Si enim petiiſſet Gratiam pœnitendi pro tunc, non fuiſſet illi negata, licèt fuerit illi negatum ſpatium quod petebat, quod poterat negare Deus, ſalva manente concluſione noſtra.

Objic. 6. Obduratio, & excæcatio peccatoris conſiſtit in ſubſtractione gratiæ, juxta illud Auguſt. Epiſt. 105. *Non obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam*.

Reſp. Duplicem eſſe obdurationem, unam abſolutam, alteram ſecundùm quid. Prima conſiſtit in ſubſtractione cujuſcunque gratiæ, & talis obduratio dæmonum eſt & damnatorum. Poſterior conſiſtit in ſubſtractione gratiæ ſpecialis, qua efficaciter cor peccatoris moveatur. Priori modo nulli quantùmvis peccatori, quamdiu in hac vita degit gratia ſubſtrahitur, ſed

tan-

Digitized by Google

tantum poſteriori modo: Hinc Auguſtinus ſerm. 2 in Pſal. 50. ſic alloquitur peccatorem obduratum. *Sed etſi nolles curari, vulnus tuum admonet te ut cureris, & averſum revocat, fugientem quodammodo redire ad ſe compellit, in omnibus implet quod dictum eſt, miſericordia ejus præveniet me.*

Objic. 7. Auguſtinus lib. de correp. & Grat. cap. 11. poſtquam dixiſſet datum eſſe Angelo & Adamo adjutorium ad perſeverandum, quo ſi caruiſſent, ſine ſua culpa cecidiſſent, ſubjunxit ultrà medium: *Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium* (nempè ad cavendum lapſum) *pœna peccati eſt*: ergo ſupponit non dari omnibus auxilium ſufficiens ad vitandum peccatum, nec à fortiori ad pœnitendum de commiſſo.

Reſpondent aliqui fieri ibi mentionem gratiæ efficacis, ſed obeſt, quòd loquitur de gratia, qua deficiente, defectus operationis non imputaretur Angelo, aut Adamo; hæc autem non poteſt eſſe gratia efficax; quia quicunque peccat, gratia efficaci deſtituitur, & tamen peccatum ei imputatur.

Dicunt alii ſermonem eſſe de gratia proximè ſufficienti, ſed iterum obſtat: quòd ſi Adamo vel Angelo datum fuiſſet auxilium tantùm remotè ſufficiens, adhuc fuiſſent culpabiles non perſeverando. Aſſerunt alii adjutorium illud eſſe gratiam habitualem; ſed quomodo poteſt eſſe gratia habitualis, cùm ſit auxilium ad conſervandam gratiam habitualem: Undè

Reſp. Adjutorium illud eſſe gratiam actualem, non quidem ſub nomine aut ratione efficacis, vel ſufficientis, ſed ſub ratione præbentis, ad cavendum lapſum, magnam facilitatem, quaſi caruiſſent Angelus vel Adamus (quia non dabatur Gratia illa inferior in ſtatu naturæ integræ) cecidiſſent ſine ſua culpa, nunc autem (quia datur gratia inferior, quæ non præbet ad vitandum peccatum magnam illam facilitatem) qui ob peccatum carent illa gratia ita facilitante, adhuc ſunt culpabiles, & hanc credo eſſe genuinam Auguſtini mentem.

Objic. 1. Deus dicitur quandoque peccatores deſpicere, derelinquere, tradere in reprobum ſenſum, dimittere ſecundum deſideria cordis eorum, indurare &c.

Reſp. Verba illa denotare ſubſtractionem Gratiæ efficacis, ſicut & proximè ſufficientis, uti diximus de excæcatione, non tamen omnis omninò gratiæ: aliàs non vocaret ipſos Deus ad pœnitentiam, illis, ſine gratia, impoſſibilem, undè nulla ſunt peccata, niſi impœnitentia finalis, quam vocat D. Joannes peccatum ad mortem, quæ non ſint remiſſibilia, & ideo peccata in Spiritum S. dicuntur irremiſſibilia, non quia non poſſunt remitti, ſed quia difficulter remittuntur.

Confirmantur concluſio & Reſponſiones noſtræ ex Script. Pſal. 144. v. 14. *Allevat Dominus OMNES qui corruunt, & erigit OMNES eliſos.* Quomodo autem allevat, quomodo erigit, niſi per gratiam? Undè quia dixit Sion peccatrix, Iſa. 49. v. 14. *Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei.* Reſpondet Deus v. 15. ad populum ſuum: *Nunquid oblviſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non oblviſcar tui.* Et ideò venit Chriſtus in mundum vocaturus, non juſtos, *ſed peccatores.* Quos peccatores? Omnes indiſtinctè: *Venite ad me OMNES.* Quid clarius? Quid expreſſius? Et ne peccatorum mole gravatos excluderes, addit: *Qui laboratis & onerati eſtis.* Hinc ſententiam noſtram eſſe de fide, docet noſter Smiſing Tract. 3. D. 6. n. 168. Sanè mirum eſt, quòd aliqui videantur plus deferre dubiis Auguſtini paſſibus, quàm apertis Scripturæ Textibus, quos nequidem ſibi objicere, & explicare dignantur.

ARTICULUS IV.

An juſtis omnibus detur gratia ſufficiens ad vitanda omnia peccata mortalia, & an detur ipſis donum perſeverantiæ?

CONCLUSIO I.

DAtur juſtis omnibus Gratia, ſaltem remotè ſufficiens ad vitanda omnia mortalia, & conſequenter ad perſeverandum in Gratia. Eſt de fide in Concil. Arauſ. can. 5. & in Trid. ſeſſ. 6. can. 22.

Prob. Poſſunt juſti omnia Dei mandata adimplere: ergo & omnia peccata mortalia vitare, cùm nonniſi per alicujus præcepti violationem peccetur. Prob. Ant. tum ex Script. ubi mandata Dei dicuntur non eſſe gravia; tum ex Conciliis allatis; tum ex condemnatione hujus Janſenianæ propoſitionis: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis &c.* tum ex Auguſtino lib. de nat. & Grat. c. 43. dicente: *Non igitur Deus impoſſibilia jubet,* tum quia tolleretur ratio peccati, imò & infernus; cùm, ut ait Aug. lib. de Fide contra Manichæos c. 10. *Iniquum eſt eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere;* Deum autem ſummè bonum, ſummè miſericordem, qui omnipotentiam ſuam parcendo maximè, & miſerando manifeſtat, injuſtum eſſe puniendo, quis dicere audeat, quis cogitare? *Deus ergo impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis,* inquit Trident. ſeſſ. 6. cap. 11.

Dixi: *Saltem remotè ſufficiens*; quia Scriptura, Concilia, & Patres nobis inculcando orationis neceſſitatem, ſatis oſtendunt nos debere petere & pulſare ad januam ſummi Proviſoris ad obtinendas gratias ulteriores, quibus & tam frequentes tentationes vincamus, & opera ſalutaria exerceamus: unde Auguſt. lib. de grat. & lib. arb. c. 16. *Quædam jubet quæ non poſſumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus.*

In hoc, Magiſtro ſuo Auguſtino ad amuſſim cohæret Vanroy Tom. 4. pag. 353. ubi de juſtis ait: *Manifeſtum eſt, quòd nonniſi Gratiam remotè ſufficientem reſpectu adimpletionis ſimilium præceptorum ſortiantur,* ſed non videtur ſibi cohærere, dum pag. 375. ſupponit Deum non tantùm non denegare, ſed non poſſe denegare juſtis gratiam efficacem ad obſervanda Dei mandata: verba ejus ſunt: *Petes: cur Deus ob originale peccatum juſto Gratiam efficacem ad obſervantiam præcepti neceſſariam ſubtrahere nequeat? Reſp. quia fidelitati amicitiæ palam adverſatur, quòd inimicus jam reconciliatur, nova culpa non interveniente, ab amico deſeratur.* Quomodo autem iſta quadrent, juſtos quandoque tantùm recipere gratiam ſufficientem, & Deum non poſſe non conferre gratiam efficacem ad obſervanda præcepta? judicet oculatior. Si autem ab ipſo quæratur, quomodo juſtus cadat cum gratia efficaci? Reſpondet, quòd gratiam efficacem inſtanti A. reddat inefficacem inſtanti B. & ſic gratia, quæ, ſecundùm Auguſtinum, inſuperabiliter & invictiſſimè facit ut velimus & operemur, nihil nobis obtinet: quæ ſunt contradictoria: ſi dicas haberi infallibiliter effectum illum quamdiu delectatio illa cœleſtis non vincitur à delectatione terrena fortiori, dicis æquivalenter gratiam efficacem eſſe inſuperabilem quamdiu non ſuperatur: quod eſt nugari, & cum Auguſtini textibus ludere: interim ne limites à S. Sede in hac materia poſitos tranſgrediar, his ſuperſedeo.

CONCLUSIO II.

NOn omni juſto datur donum perſeverantiæ. Ratio clara eſt; quia nullus habet donum perſeverantiæ, niſi perſeveret in gratia ſanctificante uſque ad mortem, ut patet in terminis. ſed non omnis juſtus ſic perſeverat; quandoquidem aliqui benè cœperint & malè finierint: ergo.

Porrò donum perſeverantiæ finalis conſiſtit formaliter *in* conjunctione gratiæ habitualis cum morte, ex intentione efficaci glorificationis imperata. Præſupponit autem in adultis collationem variorum auxiliorum, quibus Deus eorum mentes excitat & corroborat, ut conſtanter reſiſtant malo & perſeverent in bono, in parvulis verò ſolam Dei providentiam, ratione cujus ita omnia diſponuntur, ut mors prius accidat, quàm Gratia amittatur.

Petes, in quo differant donum perſeverantiæ, & confirmatio in Gratia?

Reſp. In hoc 1. differre, quòd illud omnibus electis conferatur, hæc nonniſi quibuſdam. 2. Quòd illud non auferat potentiam etiam moralem peccandi, ſed tantùm faciat ut electus perſeveret in Gratia uſque in finem, & in illa moriatur; hæc verò conferat moraliter non poſſe peccare, vel mortaliter tantùm, quod Jeremiæ, & D. Joanni Baptiſtæ in utero ſanctificatis, ac etiam Apoſtolis in die Pentecoſtes fuiſſe conceſſum creditur; vel mortaliter & venialiter ſimul: quod ſoli B. Virgini inter puras creaturas datum eſt.

ARTICULUS V.

An etiam detur juſtis auxilium ſufficiens ad vitanda omnia venialia?

CONCLUSIO I.

NUllum eſt peccatum veniale determinatum, ad quod vitandum non habeat juſtus auxilium ſufficiens. Eſt communis & certa contra Lutherum & Calvinum dicentes hominem, quantumcunque gratiæ auxilio adjuvetur, impotentem eſſe ad vitandum vel unicum veniale: unde Calvin. lib. 3. Inſt. c. 14. §. 9. *Nullum à Sanctis exire poteſt opus, quod non mereatur juſtam opprobrii mercedem:* & Lutherus in Bulla Leonis X. num. 32. *Hoc opus bonum optimè factum, eſt peccatum veniale.* Idem docent Kemnitius & alii.

Ratio Concluſionis eſt; quia id, ad quod non datur auxilium ſufficiens, ſaltem remotè, eſt homini impoſſibile: ſed Deus nequidem peccatori jubet impoſſibile: ergo nec à fortiori homini juſto.

QUÆ-

CONCLUSIO II.

AD vitanda omnia venialia, collectivè, ſaltem per tempus notabile, non ſufficiunt ordinaria Gratiæ auxilia, ſed ad hoc requiritur privilegium ſpeciale. Eſt certum de Fide in Conciliis Milevitano cap.6. Arauſicano cap.10. & Trid. Seſſ.6. can.23. ubi anathematizatur ille, qui dixerit hominem juſtificatum poſſe per totam vitam omnia venialia vitare ſine ſpeciali privilegio.

Prob. 1. Ex Script. 3. Reg.8. v.46. *Non eſt homo qui non peccet*. Prov.24. v.16. *Septies cadit juſtus*. 1. Joan.1. v.8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*. Et Jac. 3. v 2. *In multis offendimus omnes*.

Prob. 2. Ex PP. Cypriano ſerm. de opere & eleemoſynis: *Qui ſine aliquo conſcientiæ vulnere eſſe non poſſumus, medelis ſpiritualibus vulnera noſtra curemus*. Auguſt. lib. de dono perſeverantiæ cap.ult. ubi aſſerit. *Quòd nullus ſit hominum, qui nullum habet omnino peccatum*. Idem docent alii Patres ab Authoribus citati.

Prob. 3. Ratione; Quia tanta eſt & tam frequens rebellio partis inferioris adverſus ſuperiorem, tam importunæ Dæmonum tentationes, tam allicientes mundi illecebræ, tanta ſenſuum cupido, &c, ut verbo dicam, tam ordinariæ peccatorum venialium occaſiones, ut illis omnibus reſiſtere non valeat natura fragilis & corrupta, cum ordinariis Gratiæ auxiliis, uti infœlix teſtatur experientia.

Prob 4. Ex eo quod videamus nonnullos cũ ordinariis gratiæ auxiliis omnia mortalia vitare per longum tempus, imò & per totam vitam, benè colligimus id fieri poſſe cum talibus auxiliis: ergo ex eo quod videamus nullos, etiam ſanctiſſimos, vitare omnia venialia per tempus notabile cum gratiis ordinariis, rectè colligimus id fieri non poſſe cum auxiliis illis communibus, ſive ſint partim ſufficientia, ſive partim efficacia, à quibus nunc abſtrahimus.

Dixi 1. in concl. *Per tempus notabile*, quia videtur poſſe juſtos cum ordinariis gratiæ auxiliis per aliquod breve tempus, v. gr. per unum diem, abſtinere ab omni veniali, præſertim ſi orationi, ſtudio, aut aliis occupationibus honeſtis detineantur, quibus peccatorum occaſionibus aditum præcludant.

Dixi 2. *Sed ad hoc requiritur privilegium ſpeciale*; quod B. Virgini conceſſum eſſe, docet Trident. ſup. non determinat tamen, an ſit dogma Fidei, quamvis determinatum eſſe in Concilio Claromontano (ubi præſidebat Urbanus II.) aſſerat noſter Vega lib.14. in Trident. c. 15. An autem hoc privilegium etiam aliquibus ſanctis fuerit conceſſum? Veroſimilius eſt quòd non; tum quia Trident. excipit ſolam Virginem, exceptio autem firmat regulam in oppoſitum; tum quia Auguſtinus lib.1. contra duas Epiſt. Pelagian. cap.14. poſtquam dixit: *Sine peccato autem, neminem eſſe in hac vita dixerim*, concludit: *hæc eſt Fidei catholicæ ſanitas*, excipiendo tamen B. Virginem, de qua, cùm de peccatis agitur, nullam prorſus vult habere quæſtionem; tùm quia pro aliis ſanctis, non apparet ſufficiens fundamentum, ſine quo à generalibus Scripturæ & Patrum locutionibus non eſt facilè recedendum.

Piè tamen credunt aliqui D. Joannem Bapt. S. Joſeph poſt Matrimonium cum B. Virgine, & Apoſtolos poſt confirmationem in gratia, nonniſi ex quadam ſubreptione venialiter peccaſſe, non autem ex plena deliberatione.

Objic. 1. Contra concluſ. ex Scriptura, & Conciliis allatis probatur quidem non poſſe hominem omnia venialia vitare per totam vitam, non probatur tamen non poſſe per tempus notabile.

Reſp. Cùm vita illius, qui ratione utitur, non raro ſit brevior tempore notabili, Scripturam & Concilia definiendo unum, definiviſſe & alterum: unde Trident. non deſignat ſpatium vitæ qua vitæ, ſed qua longum, quia ſolet ordinariè vita ſpatio notabili durare, & ideo non eſſet hæreticus, qui diceret viventem per unicum diem, per uſum rationis poſſe vitare omnia venialia.

Obj. 2. Poteſt homo habere propoſitum efficax vitandi omnia venialia: ergo poteſt omnia vitare.

Reſp. Diſt. Ant. Poteſt &c. ſi hoc apprehendat ut ſibi humano modo impoſſibile: N. Nemo enim fertur in impoſſibile voluntate efficaci. Si hic & nunc apprehendat hoc ut ſibi poſſibile: C. Sed nego conſeq.

Obji. 3. Nemo peccat in eo quod vitare non poteſt: ergo ſi non poſſit homo vitare omnia peccata venialia, cum ordinariis gratiæ auxiliis, non vitando omnia, non peccat, quod tamen falſum eſt.

Reſp. Diſt. Ant. Nemo peccat in eo quod vitare non poteſt, nec Phyſicè, nec moraliter: C. quod non poteſt moraliter, ſed poteſt phyſice: N. Impotentia autem ad vitandum omnia venialia collectivè, tantum eſt moralis, non phyſica, & conſequenter reſtat potentia ſufficiens ad peccandum, præſertim venialiter. Et certè ſi impotentia ad vitandum omnia eſſet phyſica, ut volunt Salmanticenſes, præcipiens Deus, ut omnia vitaremus, præciperet impoſſibile.

Inſt. Non dantur homini juſto gratiæ ſufficientes ad vitanda omnia venialia collectivè: ergo impotentia eſt phyſica.

Reſp. Diſt. Ant. Non dantur &c. ad vitanda omnia collectivè formaliter, ſeu ad vitandam ipſam collectionem: C. Ipſa enim collectio ut diſtincta à ſingulis peccatis, ex quibus exurgit, eſt quid chymericum. non dantur &c. ad vitanda omnia collectivè materialiter, id eſt, ad vitanda ſingula ſecundùm ſe & ſeorſim, ex quibus fit collectio: N.

Objic. 4. Nullum eſt peccatum determinatum, quod homo non poſſit vitare, etiam moraliter loquendo: ergo poteſt omnia.

Reſp. Neg. Conſeq. Et retorqueo argumentum: nullum eſt ovum, quod homo non poſſit comedere: ergo poteſt omnia. Sicut ergo non poteſt homo omnia ova comedere ratione inſufficientiæ ſtomachi; ita non poteſt omnia venialia vitare ratione ſuæ fragilitatis & naturæ corruptæ, licèt poſſit ſingula. Pro aliis objectionibus.

Adverte 1. Impotentiam illam vitandi omnia venialia eſſe veluti conſequentem, ſcilicet de re quæ nunquam fiet, licèt phyſicè loquendo fieri poſſit.

Adverte 2. Homini juſto ineſſe potentiam phyſicam & moralem ad vitanda ſingula venialia diviſivè; ad vitanda autem omnia collectivè, non niſi phyſicam, quia ſecundum plus dicit, quàm primum.

QUÆSTIO III.

De Gratuitate Gratiæ.

GRatiam debere eſſe gratuitam, ſeu debere excludere meritum ex parte ſubjecti, cui tribuitur, ſonat ipſummet gratiæ vocabulum, & ideo Apoſtolus Rom.11. v.6. *Si autem Gratia, jam non ex operibus, alioquin Gratia jam non eſt Gratia.* Imo Fidei dogma eſt ex Conciliis Arauſicano & Triden. Gratiam non ſolum habitualem, ſed etiam actualem nobis conferri ſine ullis meritis noſtris. Quod variis locis docet Auguſtinus: *Si autem Gratia*, inquit Epiſt.104. ad Sixtum, *utique nullis meritis reddita, ſed gratuita bonitate data eſt*. Et ſerm.11. de verbis Apoſt.q.13. *Quis prævenit Gratiam quæ gratis datur*: Quoniam tamen in hac materia, tum ex parte hæreticorum, tum ex parte Catholicorum nonnullæ ſuſcitantur difficultates, tres præcipuas tribus articulis ſequentibus examinabimus.

ARTICULUS I.

An poſſit homo ſolis naturæ viribus infallibiliter conſequi Gratiam:

ABſtrahimus hìc à modo conſecutionis, an ſcilicet id poſſit per modum meriti condigni, aut congrui, an per modum diſpoſitionis, occaſionis, aut proportionis; præcisè inquirimus, an poſſit ità Deum per actiones naturales movere, ut infallibiliter conferat Gratiam, ubi ponuntur actiones illæ? Quæſtio noſtra non procedit de Gratia habituali, ſed de actuali, & quidem præſertim de illa, quæ eſt ſalutis aut Fidei initium, quia reſolvendo non poſſe hominem propriis viribus actualem conſequi, reſolvemus non poſſe à fortiori conſequi habitualem, cùm ad hanc diſponat illa.

CONCLUSIO UNICA.

NUllatenus poteſt homo ſolis naturæ viribus Gratiam actualem, etiam ſalutis initialem, conſequi. Eſt contra Pelagianos & Semipelagianos, quorum errores in hac materia recenſuimus initio hujus Tractatus. Notat tamen noſter Macedo hac in re diviſos fuiſſe Semipelagianos: Aliqui enim bonæ voluntatis initium in ſolam naturam refundebant; Alii autem (ut probat variis argumentis) naturæ Gratiam adjungebant, ſed hanc faciebant voluntatis pediſſequam & ab arbitrio dependentem. Eſt etiam hæc Concluſio contra quoſdam Catholicos, quorum aliqui vocant præparationem viribus naturæ factam *meritum congruum*. *Congruum eſt enim*, ait Durandus 1. diſt.17. q.2. n.14. *ut bene utenti bonis naturæ, Deus det bona Gratiæ*. Alii *diſpoſitionem remotam, indirectam, non neceſſariam*.

Prob. autem 1. Concluſio ex Script. Joan.15. *Sine me*, id eſt, ſine Gratia, *nihil poteſtis facere*, nempe in ordine ad ſalutem

ſed

ſed ſi homo ſolius naturæ viribus poſſet Gratiam aſſequi, poſſet aliquid ſacere in ordine ad ſalutem ſine Gratia. ergo. Item Joan 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum*: ſed ſi poſſet homo naturaliter credendo, conando, laborando, vigilando, petendo, quærendo &c. Grariam obtinere, poſſet ad Chriſtum venire, antequam à Patre per Gratiam traheretur: ergo. Similiter 2. Corinth. 3. verſ.6. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, in iis quæ pertinent aut conducunt ad ſalutem. Contrarium autem fieret, ſi noſtris tantùm viribus poſſemus aliqualiter Gratiam mereri.

Prob 2. ex PP. Ambr. lib. 1. Epiſtolar. Epiſt. 84. *Ut ergo miſericordiam Dei quæramus, Dei miſericordia eſt.* Auguſtino lib. 2. contra duas Epiſt. Pelagian. cap. ult. *Nemo poteſt bonum inchoare ſine Domino.* Et Proſp. lib. 2. de Vocatione gentium cap. 8. *Datur unicuique ſine merito unde tendat ad meritum: & datur ante ullum laborem, unde quiſque mercedem accipiat ſecundum ſuum laborem.* Fulgentio Epiſt. 6. ad Theodorum c. 7. *Ut ergo deſideremus adjutorium Gratiæ, hoc ipſum quoque opus eſt Gratiæ.* Gregorio Magno lib. 18. Moral. cap. 25. *Hominis quippe meritum ſuperna Gratia, non ut veniat, invenit, ſed poſtquam venit, facit.* Bernardo ſic concludente Tract. de Gratia & lib. arb. verſus finem: *à Deo ergo ſine dubio ſit ſalutis exordium, nec per nos, nec nobiſcum*

Prob. 3. Ratione Theologica: nemo poteſt ſe diſcernere ab alio in negotio ſalutis, ut docet Apoſt. 1. Cor. 4. ſed ſi poſſet quis propriis viribus inſallibiliter obtinere Gratiam quæ ſalutem operaretur, diſcerneret ſe in negorio ſalutis ab alio, qui defectu operationis illam non aſſequeretur: ergo

Prob. 4. Juxta Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. Radix & principium noſtræ juſtificarionis eſt Gratia: ſed ſi operibus noſtris gratiam mereremur, tale principium non eſſet gratia, ſed liberum arbitrium: ergo

Prob. 5. Prima Gratia, ſecundùm omnes, dicitur præveniens, excitans, alliciens &c. ſed ſi illam mereremur operando non eſſet præveniens, ſed præventa, non excitans, ſed excitata, non alliciens, ſed allecta: ergo

Prob. 6. Debet eſse quædam proportio inter formam & diſpoſitionem ad illam: ſed inter naturale, quales ſunt actiones noſtræ, & ſupernaturale, qualis eſt graria, nulla eſt proportio: ergo

Si dicas proportionem eſse inter corporis organizationem, quæ materialis eſt, & animam rationalem, quæ eſt ſpiritualis; dicam ego animam rationalem, utpote corporis formam, ordinari ad materiale, adeoque exigere connaturaliter potentias, & organa materialia. Gratia autem, cum ordinetur tantùm ad ſupernaturale, nullatenus exigere debet diſpoſitiones ſupernaturales.

Prob. 7. Gratia eſt donum purè gratuitum, ut patet ex dictis initio quæſtionis: ergo excludere debet omne meritum tam congruentiæ quàm juſtitiæ; & certè ubi aliquid ex congruentia concedirur, aliqualis obligatio præſupponitur: unde Auguſt. lib. 2. ad Bonif. c. 8. *Si ſine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipſum cæptum erit meritum, cui tanquam ex merito veniat adjutorium.*

Obj. 1. Quædam Scripturæ loca, quibus videtur inſinuari dependere ſalutis initium ab actionibus noſtris, ut Zachar. 1. *Convertimini ad me*, nempe per vires arbitrii, *& convertar ad vos*, nempe per gratiam. Item Matt. 11. verſ. 28. *Venite ad me omnes*, pedibus ſcilicet voluntatis, *& ego reficiam vos*, Gratia medicinali.

Reſp. Loca illa non velle ut nuda voluntate convertamur ad Deum, ſed voluntate gratiæ auxilio præventa. Et Ratio eſt; quia cùm gratia præventi, poſſimus adhuc venire, aut non venire, converti aut non converti, hinc eſt quòd nos admoneat ut veniamus & convertamur; gratiæ conſentiendo. Unde Trid. Seſs. 6 cap. 5. *Cùm dicitur*: Convertimini ad me, & convertar ad vos, *libertatis noſtræ admonemur. Cùm reſpondemus*: Converte nos Domine ad te, & convertemur, *Dei nos Gratia præveniri confitemur.*

Objic. 2. Aurhoritatem D. Chryſoſt. & aliorum PP. præſertim Græcorum, qui videntur arbitrio initium ſalutis tribuiſse.

Reſp. Breviter Patres illos vel ſe retractaſse, vel explicandos eſse, ſicut in quæſtione procemiali explicuimus Chryſoſtomum. Illuc recurre.

Obj. 3. Licèt Deus ob petitiones noſtras conſerret Gratiam, adhuc Gratia eſset purum donum: ergo

Prob. ant. Quia licèt dives det eleemoſynam pauperi ob ejus ſupplicationem, tamen eleemoſyna eſt opus puræ miſericordiæ.

Reſp. N. ant. ad prob. dico diſparitatem eſse quòd eleemoſyna detur ob ſupplicationem, non ut obſequioſam diviti, ſed præcisè ut maniſeſtativam indigentiæ pauperis; ſi autem conſerret Deus Gratiam ob ſupplicationem ſibi factam ex naturæ viribus, non reſpiceret illam maniſeſtativam inopiæ noſtræ; cùm illam aliundè cognoſcat, ſed ut obſequium ſibi redditum ex motivo Religionis & reverentiæ, & ſic Gratia non eſset purum donum, ſed quoddam debitum.

Objic. 4. Deum Gratiam conſerre petenti, non ſub titulo meriti ſive congrui, ſive condigni, nec ſub titulo obſequii ſibi redditi, ſed, ut loquitur Caſſianus Collatione 13. cap. 13. ne penitùs dormienti, aut inerti otio diſſoluto ſua dona conſerre videatur.

Reſp. Huic obſtare, quòd equidem Gratiam ſuam adhuc conſerret intuitu laborum noſtrorum, & ſic labores noſtri eſſent initium ſalutis, & non Gratia.

Obj 5. ex oppoſita ſententia ſequitur 1. Fruſtra corripi peccatores converſionem negligentes; cùm initium converſionis non ſit ab homine, ſed à Deo. 2. Deum eſse perſonarum acceptorem; cùm det aliquando Gratiam otioſo, imò & peccatori; & illam deneget bene moraliter operanti. 3. Salutem non eſse in hominis poteſtate, cùm non dependeat ab ipſo Gratiæ auxilium, à quo dependet ſalus.

Reſp. Ad primum, meritò corripi converſionem negligentes; cùm non deſit ipſis tempore & loco, ut ſupra docuimus, auxilium proximè aut remotè ſufficiens, quo convertantur, ſi velint: unde non dependet quidem ab ipſis auxilium, quod eſt ſaluris initium, recipere, dependet tamen ab ipſis recepto conſentire.

Reſp. Secundum eſse ſalſum; cùm perſonarum acceptio ſuppnat obligationem juſtitiæ, qualis non eſt in Deo reſpectu Gratiæ conſerendæ: *In his enim quæ ex Gratia dantur*, inquit D. Thom. P. 1. q. 23. art. 5. ad 3. *poteſt aliquis pro libitu ſuo dare cui vult plus, vel minus*, poteſtque dicere Paterfamilias Matth. 20. verſ. 15. *An non licet mihi quod volo facere?*

Reſp. Ad tertium, ſaluris initium non eſse in hominis poteſtate, eſse tamen in ipſius poteſtare, ſuppoſito ſalutis initio, ſeu Gratiæ auxilio, quod nemini denegatur, ſalutem operari: unde Auguſt. lib. 1. ad Simplician. q. 2. ante medium: *Nemo enim poteſt credere, niſi velit, nemo velle, niſi vocetur; nemo autem ſibi poteſt præſtare ut vocetur.* Ex quo ſequitur hominem non eſse liberum ad inchoandam ſalutem, eſse tamen liberum ad proſequendam.

Obj. 6. Deus ab operibus Cornelii motus, miſit Petrum ut ipſum doceret & baptizaret: ſed opera Cornelii erant naturalia, cùm eſset gentilis: ergo

Reſp. Neg. Min. *Quia quidquid antequàm in Chriſtum crederet, & cùm credidiſſet, bene eſt operatus Cornelius, totum Deo donandum eſt, nè fortè quis extollatur*, inquit D. Auguſtinus lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 7. Si autem Deo donandum: ergo ex Dei Gratia actuali, & non ex natura nuda procedebat.

ARTICULUS II.

An facienti quod in ſe eſt, Deus non deneget Gratiam.

HOc Axiomate, quod irriſoriè Ochamicum vocat Calvin. lib. 2. Inſt. c. 3. Non ſolùm uſus eſt noſter Ocham, ſed etiam omnes ferè Theologi, tum veteres, tum moderni, imò & D. Thomas pluribi. Poteſt autem dupliciter intelligi. 1. An facienti quod in ſe eſt cum viribus Gratiæ, Deus non denegat Gratiam? 2. An non etiam deneget facienti quod in ſe eſt viribus naturæ? & hoc iterum dupliciter. 1. An non deneget, quia ad impertiendum aliqualiter movetur ab operibus naturalibus facientis quod in ſe eſt? & hoc negavimus artic. præced. 2. An non deneget, quia inter Chriſtum promerentem, & Patrem æternum acceptantem interceſſit pactum: *Ut quoties* (verba ſunt Molinæ in ſua Concordia qu. 14. art. 13. diſp. 10.) *ex noſtris viribus naturalibus conaremur facere quod in nobis eſt, præſto nobis eſſent auxilia Gratiæ, quibus ea, ut oportet, ad ſalutem efficeremus*; ità ut præcisè ratione pacti, & nullatenus ratione operis naturalis conſerrentur: *Non quod*, inquit ſupra, *eo conatu homo dignus efficiatur talibus auxiliis, ullave ratione ea promereatur, ſed quoniam id obtinuit nobis Chriſtus ob ſua merita.*

CONCLUSIO I.

FAcienti quod in ſe eſt ex viribus Gratiæ Deus non denegat Gratiam. Eſt communis inter DD.

Prob. 1. Ex Script. Zach. 1. *Convertimini ad me*, nempe per Gratiam prævenientem, *& convertar ad vos*, per Gratias ulteriores, & tandem per Gratiam reconciliantem, & juſtificantem.

Prob. 2.

Digitized by Google

Prob. 2. Ex Trid. Seſſ. 6. c. 5. 6. & 7. Ubi oſtendit peccatores ſenſim & gradatim in Deum moveri credendo, timendo, diligere incipiendo, peccata deteſtando &c. & conſequenter ſupponit peccatorem aſſentiendo Gratiis prioribus, diſponi ad ulteriores, quibus tandem juſtificationem aſſequitur.

Prob. 3. Ex D. Fulgentio Epiſt. 6 ad Theodor. c. 7. *Ipſa namque Gratia incipit infundi, ut incipiat poſci: ipſa quoque amplius infunditur, cum poſceatibus datur.*

Prob. 4. ex D. Th. in qu. diſputatis q. 14. de Fide, art. 11. ad 1. ubi ait: *Si aliquis nutritus in ſylvis, vel inter bruta animalia, ductum naturalis rationis ſequeretur in appetitu boni & fuga mali*, ſcilicet cum auxilio Gratiæ, *certiſſimè eſt tenendum, quòd ei Deus per internam inſpirationem revelaret ea, quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem Fidei Prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium.*

Prob. 5. Deus non dat priora Gratiæ auxilia homini, niſi in ordine ad ipſius ſalutem: ergo congruum eſt, ut, ſi benè utatur Gratiis prioribus: det ipſi Deus ulteriores, ſine quibus nunquam ſalutem operaretur.

Nec dicas tunc gratias ulteriores non fore gratias, eò quòd dentur intuitu operum; quia, cùm dentur intuitu operum quatenùs ſupernaturalium, nec habeant eſſe ſupernaturalia, niſi à gratia, hinc eſt. quòd ulterius auxilium ſit Gratia propter gratiam: quod non excludit meram gratuitatem.

CONCLUSIO II.

NUllo decreto obligavit ſe Deus conferre primum gratiæ auxilium facienti quod in ſe eſt ex ſolius naturæ viribus.

Prob. 1. Quia ſi hoc eſſet, initium ſalutis eſſet aliquo modo à nobis; ideò enim gratiam decreto promiſſam haberemus, quia quod in nobis eſt, feciſſemus. Item unus ſe diſcerneret ab alio: nam ſi à Petro peccatur, cur habuerit gratiam promiſſam, & non Paulus? Reſpondere poterit: quia feci quod in me erat, naturæ viribus, & non Paulus.

Prob. 2. Quia ſi daretur tale decretum, nobis innoteſceret vel ex Scriptura, vel ex Patribus mediante traditione: ſed tantùm abeſt; ut illud referant Scriptura aut Patres, quin potiùs contrarium inſinuent, ut patet tum ex dictis, tum ex dicendis: ergo

Dices 1. Decretum illud contineri in his Apoſtoli verbis: 1. ad Timoth. 2. *Omnes homines vult ſalvos fieri*: nam, ut ait Molina, ſi ex naturalibus facienti quod in ſe eſt in ordine ad Fidem aut pœnitentiam, non ſit præſto Deus, ut ipſi gratiam conferat; *Quanam ratione verum erit Deum velle omnes homines ſalvos fieri?*

Reſp. Mirum eſſe nec gratiæ Doctorem, qui quadrupliciter paſſum illum expoſuit, nec alios Patres, imò nec ullum Theologum, qui ante Molinam floruit, huic paſſui talem explicationem dediſſe. Præterea ex eo quòd Deus velit omnes homines ſalvos fieri, ſequitur quidem: quòd ſtatuerit omnibus, de mediis ſufficientibus tempore & loco providere; non tamen quòd potiùs facientibus quod in ſe eſt ex naturæ viribus; quàm aliis, ut per ſe patet: deindè ſi potiùs illis, quàm aliis, reſpexiſſet Deus non ſolùm ad merita Chriſti, ſed etiam ad opera hominum naturalia, reſpexiſſetque in illis aliquid meriti, convenientiæ, aut diſpoſitionis, quod non reſpexiſſet in aliis; aliàs non prætuliſſet; hoc autem non ſatis Fidei Catholicæ congruit.

Dices 2. Pactum illud exprimi Joan. 1. ubi legitur: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, in quantùm, ſi conentur, quantùm in ſe eſt, præſto illis aderit Deus, ut gratiam divinæ filiationi obtinendæ neceſſariam impertiatur.

Reſp. Poteſtatem illam non conſiſtere in libero arbitrio ſed in gratia præveniente, ut expreſſiſſimè docet Auguſtinus lib. de dono perſever. cap. 8. ubi ait: *Non itaque in hominum, ſed in Dei eſt poteſtate, ut habeant homines poteſtatem filios Dei fieri*: unde D. Thomas lect. 6. in verba Joannis: *Non eſt in poteſtate noſtra fieri filios Dei, cùm non ſit in poteſtate noſtra Gratiam habere*: quod manifeſtè patebit, ſi paſſui illi truncato addatur: *Quotquot autem receperunt eum*, nempe Chriſtum per Fidem, *dedit eis poteſtatem &c.* Ubi evidens eſt poteſtatem illam non eſſe datam immediatè hominibus ex viribus naturæ conantibus, ſed jam in Chriſtum credentibus; & ideo ſubditur: *His qui credunt in nomine ejus.*

Dices 3. Ex Auguſt. lib. 19. de Civit. Dei cap. 13. *Deus dedit hominibus quædam bona vitæ congrua.... ut quicunque mortalis talibus bonis rectè uſus fuerit, accipiat ampliora*; ſeu gloriam æternam, ut ait ibidem.

Reſp. Nihil indè ſequi contra nos; quia uſus rectus bonorum temporalium perſeverans, de quo loquitur S. Doctor, non poteſt haberi ſine Gratia, cùm non poſſit homo ſolis naturæ viribus diu legem naturalem obſervare, ut dicemus poſtea.

Dices 4. cum D. Thoma q. 14. de veritate art. 11. ad 2. *Si nos fecerimus quod in nobis eſt, ut ſcilicèt ductum naturalis rationis ſequamur; Deus non deficiet nobis in eo, quod eſt nobis neceſſarium*; & ideo priùs dixerat taliter viventem in ſylvis, fore per divinam inſpirationem, aut Prædicatorem edocendum.

Reſp. S. Doctorem loqui de eo, qui ſequeretur ductum rationis, non unâ, aut altera vice, non in re una, aut altera tantùm, ſed tempore notabili, & in omnibus ſaltem gravioribus; quod non poteſt fieri ſine Gratia.

Dices 5. Si Deus facienti quod in ſe eſt viribus naturæ promiſiſſet Gratiam, eſſet adhuc vera Gratia, ſeu donum purè gratuitum: ergo non eſt undè negetur hoc promiſiſſe. Prob. Ant. quia gratia ſanctificans, ex Dei promiſſione datur propter diſpoſitiones noſtras, & tamen eſt vera gratia.

Reſp. Neg. Ant. ad Prob. Diſt. Aſſumpt. Datur propter diſpoſitiones noſtras, ut noſtræ ſunt: N. Ut gratiæ ſunt: Conc. Undè vis imperandi in illis diſpoſitionibus non oritur ex libero arbitrio, ſed ex gratia actuali à qua præſertim procedunt. & ſic Deus non obligatur homini, ſed ſibi ipſi: quia voluit per gratiam hominem movere ut gratiam ulteriorem impetraret.

Dices 6. Deus quandoque Gratiam ſuam largitur peccatoribus omnia ſalutis monita contemnentibus: ergo à fortiori decrevit illam dare facientibus quod in ſe eſt.

Reſp. Neg. Conſeq. quia miſericors Deus, qui miſeretur cujus vult, & quando vult, decrevit quidem univerſaliter providere omnibus, etiam peccatoribus, de mediis ſufficientibus ad ſalutem; non tamen indè ſequitur, quòd ſpeciali decreto ſe adſtrinxerit ad dandam gratiam omnibus, qui, quod in ſe eſt, viribus naturæ operantur, ut anteà diximus.

Oppoſitam confratris ſui ſententiam gravi ſatis cenſura feriunt Vaſquez, Suarez, & Bellarminus; ſed procul à nobis omnis nota & cenſura; ſufficiatque nobis cum Auguſtino lib. 2. contra duas Epiſtolas Pelagianorum, cap. 9. concludere: *Avertat Deus hanc amentiam, ut in donis ejus nos priores faciamus, poſteriorem ipſum: quoniam miſericordia ejus præveniet me.*

ARTICULUS III.

An, & quomodo conferat Deus Gratiam non ponenti obicem per peccata?

LIcèt videatur prima fronte hæc quæſtio cum priori coincidere; quandoquidem faciens quod in ſe eſt ex naturæ viribus, abſtineat à peccato per naturæ vires evitabili, ſicque pellat omnem Gratiæ recipiendæ obicem, nihilominus in rigore differunt; in primo etenim attenditur operatio poſitiva, quæ ſit vel præparatio, vel impetratio, vel congruentia, vel meritum ad gratiam: in ſecundo autem, præcisè attenditur remotio impedimenti ad gratiæ receptionem, ſivè interim remotio illa fiat per actum poſitivum, v. g. poſitivè reſiſtendo tentationi; ſive per negationem actus, v. g. præcisè abſtinendo à mendacio; & id ideo ſuſtinent aliqui, quòd licèt non poſſit homo naturæ viribus concurrere poſitivè ad introductionem gratiæ, vel ſe diſponendo, vel eam impetrando, vel merendo, poſſit tamen concurrere negativè removendo prohibens.

CONCLUSIO I.

PIè credendum eſt Deum ordinariè potiùs gratiam ſuam conferre tollentibus peccati obicem, quàm ponentibus licèt & his, & illis ſuo tempore non deneget.

Dico: *Ordinariè*, quia non negamus Deum, qui miſeretur cujus vult, quandoque contrarium facere, ut dicemus Concluſione 2.

Prob. 1. Concluſio ex Script. 1. Corinth. 10. v. 13. *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*: ergo credibile eſt Deum, homini, quantum in ſe eſt, peccata vitanti conferre gratiam, ubi aliàs natura nuda ſuccumberet tentationi.

Prob. 2. Ex Auguſtino & aliis PP. qui docent unanimiter Deum nonnunquam privare peccatores ſua Gratia, ſaltem ubi non urget actus ſupernaturalis ponendus, in pœnam peccatorum: ergo ſupponunt, ſi non peccaſſent, non fuiſſe illa privandos, & conſequenter potius non peccantes, quàm peccantes Gratia præveniri.

Prob. 3. Ex D. Thoma 3. contra Gentes c. 159. *Illi ſoli Gratia privantur, qui in ſeipſis Gratiæ impedimentum præſtant*: Ergo qui non præſtant, ordinariè Gratia præveniuntur.

Prob. 4. Ratione: quia licèt Deus ſit gratiarum ſuarum Dominus, ipſaſque diſtribuat quibus vult, ſine ullo injuſtitiæ periculo, ob infinitam tamen ejus bonitatem, præſumimus potius

tius

ejus tollentibus, quàm ponentibus Gratiæ obicem, miſericordiam ſuam impertiri; cùm hi reddiderint ſe propria voluntate Gratia indignos, non illi.

Dices: inde ſequi ſalutis initium eſſe à non ponentibus gratiæ obicem, ſeque poſſe à ponentibus diſcernere.

Reſp. Neg. Sequel. Quia, cùm remotio impedimenti nullatenus Deum obliget, nec ſeipſum ulla Lege obligaverit ad conferendam talibus gratiam, poſſitque illam non conferre, malè infertur removentem prohibens, ſalutem à ſeipſo incipere, ac poſſe ab alio ſe diſcernere; cùm etiam, ſepoſito obice, poſſit gratiam non recipere.

CONCLUSIO II.

NUlla lege aut decreto ſpeciali ſtatuit Deus conferre infallibiliter gratiam non ponentibus per peccata gratiæ obicem.

Ratio eſt; quia rationes, quæ militant pro concluſione 2. Articuli præcedentis, etiam pro hac militare manifeſtum erit ipſas legenti.

Objic. 1 Verba D. Thomæ probatione 3. Concluſionis præcedentis.

Reſp. S. Doctorem velle quidem, quòd Deus ordinariè non ponentibus impedimentum gratiam conferat; non tamen quòd ſe ad hoc aliqua lege aut decreto ſpeciali obligaverit; & ideo, licèt ipſis conferat, poteſt tamen denegare: ſicque ubi eam recipiunt, non ſibi, ſed ſoli divinæ liberalitati debent tribuere.

Inſt. Etiamſi promiſiſſet Deus Gratiam non ponentibus per peccata obicem, adhuc purè liberalitate ipſam conferret: ergo Prob. Ant. quia non eſt contra rationem puræ gratiæ quòd ſit promiſſa, & quòd debeatur ex fidelitate.

Reſp. Neg. Ant. Ad Prob. Diſt. Aſſumpt. Non eſt contra rationem puræ gratiæ, ſi promittatur abſolutè & independenter à conditione oneroſa ex parte illius cui ſit promiſſio: Conc. quia tunc tantùm inducitur debitum fidelitatis & immutabilitatis in promittente. Si è contra: N. Quia ponens conditionem oneroſam, ſub qua aliquid promiſſum eſt, acquirit aliquod jus ad exigendum promiſſum in conditione oneroſa fundatum: quod non convenit puræ liberalitati.

Objic. 2. Auguſt lib. de nat. & Grat. 26. ait: *Ipſe autem Deus... non deſerit, ſi non deſeratur:* ſed vitans peccatum non deſerit Deum: ergo nec Deus ipſum deſerit ſua gratia.

Reſp. Nihil indè ſequi contra nos; quia licèt ordinariè talem non deſerat Deus, ut piè credimus; non ſequitur tamen quòd ad id teneatur ex aliqua lege aut promiſſione; cùm id non exprimat Auguſtinus; imò, etſi id exprimeret, adhuc nobis non noceret, cùm non loquatur ibi de prima gratia auxiliante, ſed de gratia quæ datur juſtis ad perſeverandum.

Objic. 3. Sol illuminat infallibiliter omnes qui non ponunt impedimentum: ergo etiam ſol juſtitiæ infallibiliter illuminat omnes qui per peccata non claudunt oculos gratiæ radiis: unde D. Ambroſius ſerm. 8. in Pſalm. 118. *Sol juſtitiæ omnibus ortus eſt.*

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd ſol materialis ſit cauſa neceſſaria, ſicque non tantùm infallibiliter, ſed etiam neceſſariò illuminet non ponentes obicem, ſol verò myſticus, cùm ſit cauſa libera, illuminat quos vult, ubi vult, quando vult, & quantùm vult; imò & quandoque illuminat nolentes illuminari: ex eo autem quòd omnibus ortus ſit, ſequitur quòd omnes tempore & loco illuminet; non tamen quòd ſpecialiter decreverit illuminare impedientes peccatum, ſeu Gratiæ obicem, naturæ viribus.

QUÆSTIO IV.

De diverſitate Gratiæ ſecundùm diverſos naturæ ſtatus.

QUatuor hic præſertim quæri poſſunt: 1. quotuplex ſit naturæ ſtatus? 2. An Gratia indiguerit homo in ſtatu naturæ innocentis? 3. Qualis fuerit Gratia illius ſtatus? 4. Quænam ſit differentia inter Gratiam hominis innocentis, & hominis lapſi?

ARTICULUS I.

Quotuplex naturæ ſtatus, & an ſtatus naturæ puræ ſit poſſibilis?

PEr ſtatum naturæ hìc intelligimus varios modos quibus ſe habuit, aut habere potuit natura humana reſpectu finis ultimi, cum aliqua permanentia, & immobilitate, ſaltem quantùm eſt de ſe.

CONCLUSIO I.

QUintuplex aſſignari ſolet naturæ ſtatus, nempe naturæ puræ, naturæ integræ, naturæ innocentis, naturæ lapſæ, & naturæ reparatæ.

Status *naturæ puræ*, ſeu naturæ ſecundùm ſe, eſt ſtatus in quo homo nec ad finem ſupernaturalem ordinatur per dona gratiæ ſupernaturalia, nec ad corruptionem deprimitur per culpam originalem, ſed ſibi ſuiſque præcisè dotibus naturalibus relinquitur. Quia autem corpus hominis ſibi relicti componitur ex elementis contrariis, contrariiſque qualitatibus inter ſeſe pugnantibus, ita ut ad cujuslibet victoriam juſta pereat temperies, fuiſſet homo in illo ſtatu paſſibilis, corruptibilis, & mortalis ſicut nunc: imò etiam fuiſſet rebellio partis inferioris adverſus ſuperiorem, idque ob diverſas appetitus rationalis, & appetitus ſenſitivi inclinationes naturales: unde quòd nunc habet rationem pœnæ, fuiſſet tunc proprietas naturæ; ſicque non aliter inter ſe differunt homo purus, & homo lapſus, quàm homo nudus, & homo ſpoliatus. Dico, *ſpoliatus;* quia perdendo juſtitiam originalem, ſpoliatus fuit donis ſpecialibus, quæ, ex privilegio naturæ indebito, ſervaſſent continuam tum in anima, tum in corpore tranquillitatem.

Status *naturæ integræ*, eſt ille, in quo conderetur homo ſine dono ſupernaturali, & ſine nullitate præcedentis ſtatus, ſed per dona naturalis ordinis, naturæ tamen indebita, ita illuminaretur in intellectu, rectificaretur in voluntate, temperaretur in appetitu ſenſitivo & in aliis corporis paſſionibus, ut caro non concupiſceret adverſus ſpiritum, nec ſpiritus adverſus carnem, nec ratio adverſus Deum. Hic ſtatus foret quodammodo medius inter ſtatum naturæ puræ, & naturæ innocentis; conveniret ſiquidem cum primo in quantùm non elevaret hominem ad finem ſupernaturalem, & cum ſecundo, in quantùm partem inferiorem perfectè ſubjiceret ad ſuperiorem, & mentem ad Deum, & ſic nec eſſet ſimpliciter naturalis, nec ſimpliciter ſupernaturalis.

Status *naturæ innocentis*, ſeu juſtitiæ originalis, in quo fuerunt Adam & Eva uſque ad lapſum, ultra perfectiones naturales ſtatui naturæ integræ conceſſas dicebat ordinem ad Deũ ut finem ſupernaturalem per bona ſupernaturalia, ſeu per Gratiam ſanctificantem, virtutes infuſas, aliaque Gratiæ actualis auxilia obtinendum, cum excluſione omnis doloris, infirmitatis, omniſque moleſtiæ & imperfectionis, tam naturalis, quàm moralis ex parte corporis & animæ, ita ut homo illo ſtatu eſſet quaſi Dominus in ſua domo omnimodè pacificus, & aliundè impaſſibilis, incorruptibilis, & immortalis, non quia mori non poterat, ſed quia ex ſpeciali privilegio mori non debebat.

Status *naturæ lapſæ*, eſt ille in quo Adam, tranſgreſſo Dei præcepto, juſtitiam originalem, aliaque dona tum ſupernaturalia, tum naturalia, in ſuos omnes poſteros, aliàs tranſfundenda, miſerabiliter & ſibi & nobis perdidit. Quanquam autem hic ſtatus ſit teterrimus, & lachrymis ſanguineis deflendus, utpote in quo ſit infœlix & importuna rebellio partis inferioris contra ſuperiorem, imò & mentis contra Deum; ex qua, tanquam ex fonte venenato, profluunt omnia malorum genera? attamen, ut docent communiter Theologi, omnia naturalia (perditis ſolis gratuitis) manſerunt in homine integra.

Status *naturæ reparatæ*, in quo iam verſamur, eſt ille, qui licèt non excludat omnes imperfectiones ſtatus præcedentis, includit tamen medicinalem Chriſti Domini gratiam, qua venit quærere & ſalvum facere quod perierat: includit & virtutes ſupernaturales, moraleſque infuſas, cum aliis auxiliis, cœli viam facilitantibus. Non deſunt tamen qui præſentem Gratiæ ſtatum renuunt appellare ſtatum naturæ reparatæ, eò quòd non cenſeatur omnimodè reparata natura, quamdiu necdum eſt in termino fœlicitatis, adhucque ſubjacet hujus vitæ pœnalitatibus & miſeriis: undè ſtatum viæ, ſive gratiæ, ſive peccati, ſemper vocitant ſtatum naturæ lapſæ: quod & faciunt SS. Patres.

CONCLUSIO II.

POſſibilis eſt ſtatus naturæ puræ. Eſt communiſſima, cui contradixerunt olim Lutherus & Calvinus, & ex Catholicis Bajus, & acerrimè Janſenius.

Prob. 1. Authoritate D. Thomæ q. 4. de malo, art. 1. ad 4. ubi ait: *Carentia divinæ viſionis competit ei, qui in ſolis naturalibus eſſet abſque peccato:* ergo ſupponit id fieri poſſe. Et Doct.

Digitized by Google

Subtilis 2 diſt. 28. n. 7 *Potuit enim aliquis eſſe*, inquit, *in puris naturalibus tam ſine Gratia, quàm culpa*.

Prob. 2. Ex condemnatione hujus propoſitionis Bajanæ à Pio V. Gregorio XIII & Urbano VIII. *Falſa eſt Doctorum ſententia primum hominem potuiſſe à Deo creari, & inſtitui ſine juſtitia naturali*, ideſt originali, ut ipſemet Baius ante dixerat.

Dices, non eſſe credibile voluiſſe Eccleſiam condemnare doctrinam Auguſtini ſæpiùs aſſerentis Deum non potuiſſe condere creaturam à peccato immunem, & miſeriis ſubjectam: ergo non condemnavit dictam propoſitionem ut falſam, ſed ſolùm ut tunc temporis pacis perturbativam.

Reſp. Propoſitionem illam proſcriptam eſſe ad minimum ut falſam, ut evidenter patebit ex dicendis, & tam non eſſe condemnatam Auguſtini doctrinam, cùm ſolum velit non potuiſſe condi creaturam à peccato immunem, & ſubjectam miſeriis ut pœnis, eo quòd Deus, utpotè ſummè juſtus, non ſtatuat pœnam, niſi propter culpam, licèt potuerit eam condere ſubjectam miſeriis, ut naturaliter ex intrinſecis naturæ ſequentibus. Deinde eſto primum tenuiſſet Auguſtinus, an potius Auguſtino credendum, quàm Petro? An potius Eccleſiæ membro, quàm capiti? An primo dixit Chriſtus: *paſce oves meas*, an ſecundo? Sanè ſi c. 5. contra Epiſt. fundamenti dixit Auguſt *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ moveret authoritas*, an non à fortiori dicere debet omnis Catholicus: Auguſtino non crederem, niſi moveret me Eccleſiæ Catholicæ authoritas? Unde Auguſtino credendum propter Eccleſiam, & non Eccleſiæ propter Auguſtinum.

Prob. 3. Authoritate ipſiuſmet D. Auguſtini lib. 3. contra Maximinum, cap. 15. ubi aſſerit hominem ideò fieri Gratia filium Dei, quia non eſt natura: ergo ſupponit gratiam non eſſe homini connaturalem, & conſequenter potuiſſe creari ſine illa: & certe ſi Gratia eſſet homini connaturalis, eſſet Gratia, ut ſupponitur, & non eſſet, quia eſſet naturæ debita. Idem docet implicitè lib. 2. de Civit. Dei, cap. 9. Ubi loquens de Angelis ſine peccato creatis, oſtendit evidenter gratiam non fuiſſe ipſis connaturalem, cùm eam diſtinguat à natura his verbis: *Condens naturam, & largitus Gratiam*.

Prob. 4. Ratione: quia non poteſt oſtendi in quo implicet natura ſine peccato, & ſine Gratia, cùm neutrum ſit de illius eſſentia, aut proprietate, ſed primum ſit naturæ defectus, & ſecundum ſit donum naturæ ſuperadditum.

Prob. 5. Cur non poſſet Deus creare hominem ſine peccato, cùm nec ſit, nec eſſe poſſit author peccati? Cur non etiam ſine Gratia? cùm illa nemini ſit debita, aliàs deſineret eſſe Gratia.

Prob. 6. Filio adoptivo non datur hæreditas vi nativitatis, ſed ex mera liberalitate: ſed homo quantumvis innocens, tantùm eſſet filius Dei adoptivus: ergo non daretur ipſi hæreditas, ſeu gloria, nec conſequenter Gratia, cùm hæc ſit propter illam, niſi ex mera liberalitate: ſicque poſſet ipſi denegari.

Obji. 1. Deus non ageret ſapienter, ſi denegaret creaturę media ad finem obtinendum neceſſaria: ſed Deus, qui eſt finis creaturæ rationalis, non poteſt obtineri ſine Gratia: ergo.

Reſp. Diſſimulat à Majore, Diſt. Min. Deus ut finis ſupernaturalis non poteſt obtineri ſine Gratia: C. ut finis naturalis: N. Homo autem in puris naturalibus creaturæ, tantùm ad finem ſeu beatitudinem naturalem ordinaretur, quæ conſiſteret in adhæſione ad Deum per actus cognitionis & amoris naturales, ſeu in abſtractiva Dei contemplatione: & illi proportionata fruitione expedita à vitiorum & perturbationum impedimentis: quod totum ſine Gratia poſſibile eſt obtentu.

Inſt. 1. Beatitudo illa naturalis non ſatiaret hominem: ergo. Prob. Ant. quia deſideraret claram Dei viſionem.

Reſp. Neg. Ant. Ad Prob. Diſt. Aſſumpt. Deſideraret &c. deſiderio efficaci & abſoluto: N. Quia ſciret ſibi impoſſibilem. Deſiderio inefficaci & conditionato, ſi nempe eſſe poſſibilis. C. Sed illa velleitas non expleta non inquietat hominem, ut patet in nobis, qui licèt vellemus eſſe Angelis, ſi foret poſſibile, non tamen inquietamur, eo quòd non ſimus.

Inſt. 2. *Juſtus non vivit ut vult, niſi eò pervenerit, ubi mori, falli, offendi omninò non poſſit, eique ſit certum ità ſemper futurum*, inquit Aug. lib. 14. de Civit Dei, c. 25. Sed homini poſſidenti beatitudinem naturalem, & privato beatitudine ſupernaturali, non competunt illa quatuor: ergo.

Reſp. Concedendo totum; quia eo ipſo quo dicitur *juſtus*, dicitur homo ordinatus ad finem ſupernaturalem, ad quem niſi pervenerit, non eſt quietus, quia ſcit ſe ad illum eſſe deſtinatum: quod non accidit in homine ad finem tantùm naturalem ordinato. Addens autem Auguſtinus verbis prioribus ſequentia: *Hoc enim natura expetit*, loquitur de natura elevata; non nuda.

Obji. 2. SS. PP. dicunt innocentiam ſeu Gratiam fuiſſe Adamo naturalem: ergo non potuit ſine illa Gratia creari.

Reſp. Eodem modo dici Gratiam Adamo naturalem, quo peccatum originale dicitur nobis naturale ab Auguſtino ſerm. 14. de verbis Apoſtoli: ſed peccatum originale dicitur nobis naturale, non quia naturæ debitum eſt, ſed quia cum eo naſcimur: ergo ſimiliter Gratia dicitur Adamo naturalis, non quia ipſius naturæ debita, ſed quia ab initio naturæ ipſi conceſſa.

Objicere ſolent etiam Adverſarii ex Auguſtino non poſſe hominem ſine Gratia Deum diligere; item nec opus virtutis ponere: quod tamen facere deberet homo in illo ſtatu, ut eſſet beatus ſolùm naturaliter: ſed horum ſolutio dependet à dicendis poſteà.

ARTICULUS II.

An homo in ſtatu naturæ innocentis indiguerit Gratia?

CONCLUSIO I.

HOmo innocens indiguit divina Gratia ad perſeverandū.

Prob. 1. Ex Concil Arauſ. 2. Ubi ſic legitur: Can. 19. *Natura humana etiamſi in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret, nullo modo, ſeipſam, Creatore ſuo non adjuvante, ſervaret.*

Prob. 2. Ex Auguſt Lib. de Corrept & Gratia, cap. 11. *Quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet permanere ſi vellet.*

Prob. 3. Quia etſi vires ſufficientes habuerit ex ſuis naturalibus, ad ſervanda præcepta naturalia, ut dicemus, non tamen ad ſervanda ſupernaturalia; quandoquidem ad ſervandum Dei mandatum, cujus tranſgreſſione ſe & ſuos fœde maculavit, ità indiguerit Gratia, ut, ſi ea caruiſſet, ſine ſua culpa cecidiſſet, inquit Auguſt. ſup. Erat autem hoc præceptum, non legis naturæ, ſed legis divinæ poſitivæ, quam ſervare debebat ex obedientia Deo, ut Proviſori ſupernaturali, debita.

Prob. 4. Ex D. Anſelmo, lib. de Caſu diaboli, c. 2. ubi docet in terminis etiam ipſis Angelis adhuc viatoribus neceſſariam fuiſſe Gratiam ad perſeverandum: quidni & primis Parentibus? *Conſtat ergo*, inquit, *quòd ille Angelus qui ſtetit in veritate, ſicut ideò perſeveravit, quia perſeverantiam habuit, ità ideò habuit perſeverantiam, quia accepit, & ideò accepit, quia Deus dedit.*

Prob. 5. Quia potentia naturalis, quantumcunque ſana & integra, non poteſt actus ſupernaturales elicere, niſi elevetur, & quaſi ſupernaturalizetur; cùm ſupernaturale ſit extra ſphæram ipſius activitatis: ergo ubi occurriſſet homini innocenti præceptum ſupernaturale, debuiſſet, ne caderet, per auxilium ſupernaturale adjuvari.

CONCLUSIO II.

POtuit homo innocens ſine Gratiæ adjutorio elicere actum moraliter bonum. Eſt ferè omnium Theologorum contra Vanroy & paucos alios.

Prob. 1. Ex D. Tho. 1. 2. q 109. art 2. *In ſtatu naturæ integræ, quantùm ad ſufficientiam operativæ virtutis, poterat homo per ſua naturalia velle & operari bonum ſuæ naturæ proportionatum, quale eſt bonum virtutis acquiſitæ.* Quid expreſſiùs? Nec dicas non indiguiſſe quidem gratia ad poſſe, ſed ad agere; quandoquidem Gratia ſtatus innocentis tantùm daret homini poſſe, & non agere, quod dependebat ab ejus arbitrio, ut dicemus poſtea.

Prob. 2. Quia idipſum concedemus poſtea, cum ſententia communiſſima, homini lapſo; ergo à fortiori concedi debet homini integro: unde quando Aug lib de Nat. & Grat. c 26. ait: *Homo etiam perfectiſſimè juſtificatus* (qui æquivalet aliquo modo homini integro) *niſi æterna luce juſtitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non poteſt vivere*, loquitur de rectitudine non tantùm morali, ſed etiam meritoria, ad quam requiritur in omni ſtatu Gratię. quod ſatis inſinuat idem Doctor Enchir. c 106. ubi ſic habet: *Quamvis ſine Gratia nec tunc*, (ideſt in ſtatu innocentiæ originalis) *ullum meritum eſſe potuiſſet.*

CONCLUSIO III.

POtuit homo innocens ex ſolis naturalibus, diu & conſtanter omnia legis naturæ præcepta obſervare, omneſque tētationes obſervationi contrarias vincere Et ſatis cōmunis.

Prob. 1. Ex Auguſt. lib. de Bono perſever cap. 7. *Reſpondemus neminem poſſe per ſe ſibi*, ideſt, per liberum arbitrium, *ſufficere implere quod velit: rectè dicimus niſi Protoplaſtum ſolum potuiſſe, cùm voluntas liberi arbitrii fuiſſet ſana eidem ante culpam.* Et ſuperiùs dixerat: *Qui non infertur in tentationem, non diſcedit à Deo. Non eſt hoc omninò in viribus liberi*

arbitrii, quales nunc ſunt: fuerat in homine antequam caderet.

Prob 2. Ratione; quia, remoto impedimento, propter quod nunc indigemus Gratiæ auxilio ad ſervanda legis naturæ præcepta, non erat neceſſaria ipſa Gratia, ut per ſe patet; ſed impedimentum illud eſt continua & importuna carnis rebellio adverſus ſpiritum, ratione cujus, prævalente appetitu ſenſitivo circa delectabilia, vix permittitur ratio juxta naturam ſuam agere circa honeſta, hoc autem impedimentum non erat in ſtatu naturæ innocentis, in quo appetitus inferior perfectè ſubjiciebatur ſuperiori: ergo.

Dices 1. Natura innocens nullo modo ſeipſam, Creatore non adjuvante, ſervaſſet, ut diximus ex Auguſtino Concluſione 1. ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Non ſe ſervaſſet circa præcepta ſupernaturalia: C. Circa naturalia: ſubdiſt. non ſe ſervaſſet, ideſt, non potuiſſet ſe ſervare: N. Ideſt, multi ſe non ſervaſſent propter animi variabilitatem, ac mutabilitatem: C.

Dices 2. Non plus præſtitiſſet juſtitia Originalis, quàm nunc Gratia ſanctificans: ſed hæc ſe ſola non dat poſſe diu & conſtanter ſervare legem naturæ, ergo nec juſtitia originalis.

Reſp. Neg. Ma. Quia juſtitia originalis, ultra Gratiam ſanctificantem, importabat certas qualitates permanentes, appetitum inferiorem cum Superiori pacificantes: defectu quorum requiritur nunc, etiam in homine juſtificato: Gratia actualis, ſaltem ad vincendas graviores tentationes.

ARTICULUS III.

Qualis fuerit Gratia hominis innocentis?

CONCLUSIO I.

GRatia hominis innocentis non erat Gratia efficax, ſeu, ut volunt aliqui, non erat auxilium *quo*, ſcilicet ponitur actus ad quem conceditur. Eſt communis.

Prob. 1. Quia Gratia efficax eſt auxilium medicinale Jeſu Chriſti; ſed *non egent, qui ſani ſunt, Medico*, Luc. 5. ergo cùm tunc homo eſſet ſanus, & non infirmus, non indigebat Gratia illa medicinali: unde, ut ait Auguſt. lib. de Corrept. & Grat. c. 21 *Ille non opus habebat illo adjutorio, quod implorant iſti, cùm dicunt: video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*

Prob. 2. Quia Gratia hominis integri non dabat ipſi velle, ſed tantùm poſſe, ut dicemus: ſed Gratia efficax dat & poſſe & velle, cùm faciat, ut velimus, ut faciamus, ut in Dei mandatis ambulemus, juxta illud Ezech. 36. *Faciam, ut in præceptis meis ambuletis.* Et illud Auguſtini lib. cit. cap. 12. *Tantùm quippè Spiritu S. accenditur voluntas eorum, ut ideò poſſint, quia ſic volunt: ideò ſic volunt, quia Deus operatur ut velint*: ergo.

Dices 1. *Quid valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipſa Adam demonſtratum eſt*, inquit Auguſt. lib. 8. de Cantico novo: ergo ſupponit neceſſariam fuiſſe ipſi Gratiam efficacem, cùm ſufficientem haberet.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia per ly *non adjutum*, non ſignificatur ibi adjutorio aliquo deſtitutum, ſed *non utens adjutorio* ſibi conceſſo: ſicut ſi Petrus infirmus, cui datus eſt baculus ad ſuſtentationem, illum ſub brachio teneat & cadat, poteſt de illo dici: in ſe demonſtravit Petrus, quid valeret infirmus non adjutus, non quia adjutorio caruit: ſed quia adjutorio non eſt uſus.

Dices 2. Hunc Scripturæ paſſum: *Deus eſt qui operatur velle & perficere*, applicat Auguſt. lib 8. de Gen. ad Litt. cap. 12. homini integro. ergo ſupponit fuiſſe in eo Gratiam efficacem.

Reſp. Non applicare hoc ſenſu, quòd velit, Deum ſua Gratia immediatè facere, ut homo innocens velit, ſed tantùm mediatè, in quantùm dat ipſi poſſe, ſine quo non vellet.

Dices 3. Docet Auguſt. lib. 12. de Civit. Dei, c. 9. Angelos electos, habuiſſe in ſtatu viæ, vel majorem Gratiam, vel amplius adjutorium, quàm alios: ſed alii habuerunt adjutorium ſufficiens: ergo illi efficax. Gratiam autem quam concedit Auguſtinus Angelis viatoribus, concedit pluribi primis parentibus.

Reſp. (Licèt aliqui paſſum illum explicent, aut potiùs ad ſenſum improprium detorqueant) retractaſſe Auguſtinum ſub finem vitæ, quod antea docuerat; ait enim lib. de Corrept. & Grat. cap. 10. *Cæteri autem*, Angeli, *per ipſum liberum arbitrium in veritate ſteterunt*, ubi quòd ſteterint hi, & ceciderint illi, non attribuit majori aut minori Gratiæ, ſed libero arbitrio.

CONCLUSIO II.

GRatia hominis innocentis erat tantùm ſufficiens, ſeu, ut ajunt, erat auxilium *ſine quo* non potuiſſet homo operari ſupernaturaliter; ita ut gratia illa ſolùm daret poſſe, & non velle; ſicque ultima determinatio ad operandum in ordine ad ſalutem non erat ex concurſu Gratiæ, ſed ex fluxu voluntatis.

Prob. 1. Ex Auguſt. lib. de Corrept. & Grat. c. 11. *Tale erat adjutorium*, nempè hominis innocentis, *Quod deſereret cum vellet, & in quo permaneret ſi vellet, non quo fieret ut vellet.*

Prob. 2. Non fuit alia gratia Angeli viatoris, ac hominis integri, cum nulla ſit ratio eorum gratiam diverſificandi, & aliundè id pluribus in locis doceat Auguſtinus, ut diximus: ſed Angeli Gratia fuit tantùm ſufficiens: ergo & hominis. Prob. Min. Ex Auguſt. Loco jam cit. Ubi quod ſteterit Angelus bonus non attribuit Gratiæ ſpeciali, ſed libero ipſius arbitrio. *Angeli Sancti.... cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt.*

Probatur. 3. Quia Deus nihil operatur fruſtra: ſed homini ſano ſufficiebat gratia ſufficiens: ergo. Prob. Min. Quia per illam in rebus ad ſalutem conducentibus habeat plenum & integrum poſſe; velle autem & facilè velle habebat à ſua voluntate, cum ex ſuis intrinſecis inclinetur ad bonum honeſtum, nec ad inhoneſtum ſollicitaretur ab appetitu inferiori, ob perfectam hujus ſubjectionem parti ſuperiori: undè pleniſſimo circa bonum & malum potiebatur æquilibrio, ita ut hanc vel illam partem abſque difficultate poſſet amplecti.

ARTICULUS IV.

Quænam ſit differentia inter Gratiam hominis ſani, & Gratiam hominis infirmi?

ADverte 1. veriſimile eſſe gratiam concomitantem; ſeu cooperantem hominis ſani, & infirmi fuiſſe eandem, nempè concurſum Dei ſupernaturalem; nam cùm utriuſque actiones à Gratia præveniente procedentes, eſſent ſupernaturales, ipſis etiam debebatur concurſus proportionatus, ſeu ſupernaturalis.

Adverte 2. Cùm gratia præveniens hominis ſani eſſet unica, nempè ſufficiens, & hominis infirmi ſit duplex, nempè ſufficiens & efficax, poſſe illam cùm hac duplici comparari.

CONCLUSIO I.

GRatia ſufficiens hominis infirmi, non differt à Gratia hominis ſani ex parte actus primi, differt tamen ex parte actus ſecundi.

Prob. 1. Pars; quia utraque dat homini poſſe & plenum poſſe in ordine ad opera ſupernaturalia: ſi autem homini infirmo det quandoque tantùm poſſe remotum reſpectu effectus ultimati, v. g. converſionis, ſemper tamen dat poſſe proximum reſpectu alicujus effectus, puta, orationis, aut jejunii conducentis ad obtinendum poſſe proximum, reſpectu effectus ultimatè intenti: imò non videtur improbabile etiam homini ſano, ubi in culpas actuales cecidiſſet; dandum fuiſſe quandoque auxilium tantùm remotè ſufficiens ad converſionem, licèt proximè ſufficiens ad orationem, idque in pœnam peccatorum.

Prob. 2. Pars; quia Gratia ſufficiens datur homini lapſo, non tantùm ad poſſe, ſicut homini integro, ſed etiam ad agere, ut diximus; ita ut ex parte Dei (ſuppoſito concurſu ſupernaturali ſemper parato, ubi voluerit homo gratiæ conſentire) nihil aliud requiratur ad operationem: undè ſi non agat niſi gratia efficaci præventus, ipſius malitiæ imputandum eſt.

CONCLUSIO II.

PRæſertim differt Gratia efficax hominis lapſi; à gratia hominis integri. 1 Quòd hæc tantùm daret poſſe, non tamen velle & perficere; illa verò dat & poſſe, & velle. Undè Aug. lib. de Corrept. & Grat. cap. 11. *Prima eſt*, ſcilicet Gratia hominis integri, *qua fit, ut homo habeat juſtitiam, ſi velit; Secunda verò*, ideſt Gratia efficax in homine lapſo, *plus poteſt, qua etiam fit ut velit.*

Differt. 2. Quia gratiæ operatio dependebat in homine integro à nutu & determinatione voluntatis, ita ut vel illam deſereret, vel cum illa operaretur, ſi vellet: non ſic Gratia efficax hominis lapſi; quia licèt poſſit homo illam abſolutè deſereret, eique reſiſtere; nunquam tamen eam deſerit; quia facit ut reipſa velit & operetur, idque (intellige in ſenſu morali) infallibiliter, indeclinabiliter, inſuperabiliter, & invictiſſimè, ut ſæpius loquitur Aug unde idem S. Doctor l. cit. c. 12. *Fortiſſimo dimiſit, atque permiſit facere quod vellet; infirmis ſervavit, ut, ipſo donante, invictiſſimè, quod bonum eſt, vellent, & hoc deſerere, invictiſſimè nollent.* Quia, ut ait cap. 10. *Sic ordinavit hominum, & Angelorum vitam, ut in ea priùs oſtenderet quid poſſet eorum liberum arbitrium: deindè quid poſſet ſuæ Gratiæ beneficiam.* Et ideò

Differt

Differt 3. Gratia efficax hominis infirmi, quòd ſit longè fortior & potentior illa, quæ in ſtatu innocentiæ, Angelis & primis parentibus data eſt: & certè hoc congruebat: nam cùm in homine integro eſſet æquilibrium voluntatis perfectiſſimum, ſeu pleniſſima indifferentia ad utrumlibet oppoſitorum, parſque inferior per omnia ſubjiceretur ſuperiori, ut dictum eſt; in homine autem lapſo, liberum arbitrium ſit depravatum, ſauciatum, viribus attenuatum, ſitque importuna carnis rebellio adverſus ſpiritum; indigebat homo lapſus fortiori auxilio; quàm homo ſanus ne in pugna tam periculoſa ſuccumberet. Hinc Aug. lib. & cap. citat. *Subventum eſt igitur imbecillitati humanæ voluntatis, ut divina Gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur; & ideò quamvis infirma: non deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur.*

QUÆSTIO V.

De neceſſitate Gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ.

NOn Inquirimus hic an Gratia ſit ita neceſſaria naturæ, ut ſine illa non eſſet natura, aut nonniſi manca; quia certum eſt gratiam ſuperaddi naturæ jam plenè conſtitutæ, ſed inquirimus, an ſit neceſſaria ad aliquem finem aut effectum, ad quem natura nuda non poſſet pertingere? Quoniam autem effectus illi ſunt varii, ita & variis articulis reſolvenda eſt quæſtio.

ARTICULUS I.

An homini lapſo ſit neceſſaria Gratia, ut cognoſcat veritates tum naturales, tum ſupernaturales?

ADverte 1. veritates alias eſſe naturales, alias ſupernaturales. Naturales ſunt, quarum objectum eſt naturale, ut cognitio quòd duo & tria ſunt quinque. Supernaturales, quarum objectum eſt ſupra vires naturæ, ut cognitio Incarnationis. Porrò objectum veritatis naturalis, de qua hic, non tantùm debet eſſe naturale, ſed etiam naturaliter cognoſcibile; & ideò non quærimus, an futura contingentia, ſecreta cordium, res abſentes ut abſentes, poſſint ſine Gratia cognoſci, quia extra dubium eſt non poſſe.

Adverte 2. Ex veritatibus naturalibus alias eſſe ſpeculativas, practicas alteras. Illæ conſiſtunt in ſola objecti contemplatione: hæ ad opus ordinantur.

CONCLUSIO I.

POteſt homo lapſus cognoſcere ſingulas veritates naturales, tum ſpeculativas, tum practicas, ſine Gratiæ auxilio. Eſt communis.

Prob. 1. Poteſt potentia viſiva videre quodlibet coloratum, potentia auditiva audire quodlibet ſonoroſum ſine Gratiæ auxilio: ergo ſimiliter intellectus intelligere quodlibet verum; cùm non minus ſit proportionatus circa objectum proprium, quàm aliæ potentiæ circa ſuum.

Prob. 2. Si aliqua veritas naturalis eſſet, quam non poſſet cognoſcere intellectus ſine gratia, vel defectu potentiæ phyſicæ, vel defectu potentiæ moralis: neutrum dici poteſt: ergo &c.

Prob. Min. Non defectu potentiæ phyſicæ; quia, etſi lumen rationis fuerit per peccatum Adami obſcuratum, non tamen extinctum, manſitque intellectus vera potentia, adeoque cuilibet ſuo objecto naturali percipiendo commenſurata: non etiam defectu potentiæ moralis; quia etſi homo quandoque ob paſſionum rebellionem, animi inquietudinem, aut tranſeuntem mentis obnubilationem, non poſſit niſi valdè difficulter (in quo conſiſtit impotentia illa moralis) certas veritates aſſequi, nulla eſt tamen, quam, redeunte mentis pace & ſerenitate, non valeat capere. Hoc tamen non velim intellectum eſſe de quolibet homine; quia ſunt aliqui ita bardi, & ſtupidi, ut etiam in majori rationis lumine vix poſſint primarias veritates intelligere, ſed de homine rationabiliter ingenioſo, ſubtili, exercitato: quod ſufficit ad concluſionis noſtræ veritatem.

Prob. 3. Quia difficilior inter veritates naturales, utpotè magis immaterialis, & à ſenſibus remota, videtur eſſe illa quæ haberi poteſt de Deo; ſed hæc obtineri poteſt ſine Gratiæ auxilio, aſcendendo nempè de creaturis ad Creatorem, ſeu, ut loquitur Apoſtolus Rom. 1. *Inviſibilia* Dei *per ea quæ facta ſunt* conſpiciendo: ergo. Unde ſicut ſufficit ſibi intellectus humanus ad cognoſcendas creaturas, ita & ſufficit, ut cognoſcat Deum ex creaturis; cùm modus ille cognoſcendi ſit omninò naturalis & ideò Damaſcenus lib. 1. de Fide cap. 1. *Nemo eſt mortalium; cui non hoc ab eo naturaliter inſitum ſit, ut Deum eſſe, perſpectum habeat.* Plura circa hoc in 1. ſentent.

Prob. 4. Quia reliquæ veritates, de quibus poſſet dubitari, eſſent præſertim practicæ: ſed, ut non important actum hic & nunc exercendum, non ſunt difficiliores ſpeculativis, imò faciliores; nam ut ait D. Thomas q. 18. de verit. art. 7. ad ult. *Connaturalior eſt homini cognitio operabilium, quàm ſpeculabilium:* ergo.

Obji. 1. Sancti Doctores, antequam difficiles quæſtiones aggrederentur, inſtabant orationi, lumen divinum imploraturi: ergo credebant aliquas eſſe veritates ſine gratia inaſſequibiles.

Reſp. Oraſſe, non quia credebant inſufficientem eſſe intellectum ad percipiendas certas veritates naturales, ſed quia noverant intellectum, ob præventionem, nimiam adhæſionem, diſtractionem &c. variis expoſitum eſſe erroribus: unde Gratiam poſtulabant, non quæ roboraret intellectum ad cognitionem, ſed quæ roboraret voluntatem ad impedimentorum expulſionem.

Obji. 2. Plures Philoſophi morales in variis naturalibus turpiter errarunt, licèt eſſent aliunde ſubtiles & ingenioſi: ergo hoc ſolùm attribui poteſt defectui gratiæ.

Reſp. Neg. Conſeq. Hoc enim attribui poteſt eorum vanitati & ambitioni, qua, ut particulares apparerent, opiniones particulares ſeligebant ſine ſufficienti fundamento.

Obji. 3. Illud Apoſtoli 2. Corinth. 3. *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis.*

Reſp. Apoſtolum, ut ipſum explicant Auguſtinus & alii PP. Loqui de cogitatione ſancta, vel ſaltem ad ſalutem conducente, ad quam requiritur gratia.

Obji. 4. Non poſſumus gravem tentationem vincere ſine gratia, ut dicetur infra: ergo nec veritatem difficilem aſſequi ſine illa.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd voluntas graviter infirmetur in ordine ad bonum honeſtum à rebellione appetitus inferioris ad delectabilia trahentis, non ſic autem intellectus in ordine ad verum ab aliis potentiis.

Obji. 5. Indifferens eſt intellectus ad hanc potius veritatem cognoſcendam, quàm illam: ergo ut hanc potius cognoſcant, quam illam, debet à gratia determinari.

Reſp. Diſt. Ant. Indifferens eſt, quandiu nullum objectum ipſi proponitur: C. ubi proponitur: N. tunc enim, utpotè potentia neceſſaria, ab eodem determinatur.

Obji. 6. *Quæ ſunt Dei, nemo cognovit niſi Spiritus Dei*, 1. Corinth. 2. & infra: *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei:* ſed plures veritates naturales ad Deum pertinent, v.g. quòd ſit unus, æternus &c. ergo.

Reſp. Mentionem ibi fieri cognitionis comprehenſivæ, quæ circa divina ſoli Deo competit, vel, ſi de alia cognitione, ſermo eſt de iis, quæ ſunt Dei ut Authoris ſupernaturalis, ad quæ non attingit homo animalis, ſed ſpiritualis, ſeu per gratiam ſpiritualizatus.

CONCLUSIO II.

NOn poteſt intellectus humanus, ſine gratiæ auxilio, omnes veritates naturales collectivè ſumptas cognoſcere. Eſt communis contra paucos.

Prob. Quia etſi collectio omnium veritatum naturalium ſit intra ſphæram activitatis intellectus humani: utpote objectum ipſius naturale, ipſius tamen notitia, attenta veritatum innumera multitudine, ac vitæ humanæ brevitate, occupatione, diſtractione &c. videtur impoſſibilis, & ideò nullum hominum legimus ad hanc notitiam perveniſſe, pervenit quidem Adam, ſed per ſcientiam à Deo infuſam. Quod ſi idem aſſerant aliqui de Salomone, etiam ad ſpecialem Dei gratiam recurrant, neceſſe eſt.

Obji. 1. Homo, qui juxta Philoſophum, naturaliter ſcire deſiderat, inclinatur ad omnium veritatum notitiam: ſed non datur inclinatio naturalis ad impoſſibile: ergo.

Reſp. Neg. Min. Quia homo inclinationem habet ad ſemper vivere: quod tamen, ſecluſa ſpeciali Dei providentia, impoſſibile eſt: vel certè dicendum eſt inclinationem eſſe ad id quod eſt poſſibile vel naturæ viribus, vel gratiæ auxilio.

Obji. 2. Nulla eſt determinata veritas, quam non poſſit cognoſcere: ergo poteſt omnes.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia poſt quamlibet cognitam, ſemper reſtant aliæ innumeræ; quarum cognitionem impediunt allegata in probatione.

Obji. 3. Sufficiens eſt intellectus ad totam veritatum collectionem: ergo non eſt unde hoc denegetur homini.

Reſp. Diſt. Ant. Sufficiens eſt moraliter, ideſt, attentis omnibus circumſtantiis, & conditionibus, quibus nunc eſt involutus: N. phyſicè, & quantum eſt præciſè ex ſuis intrinſecis: Tranſeat, ſed nihil inde contra concluſionem.

Digitized by Google

CONCLUSIO III.

NOn poteſt homo, ſecluſa Gratia revelationis interius aut exterius facta, cognoſcere Myſteria Fidei, quæ per ſe cadunt ſub objecto Fidei. Eſt communis & certa.

Prob. 1. Quia etſi quodlibet Fidei Myſterium ſit verum, eſt tamen verum ſupernaturale, ſeu vires naturæ excedens, & conſequenter intellectus humanus, niſi lumine ſupernaturali illuſtretur, non poteſt eò attingere.

Prob. 2. Quia non poteſt homo naturaliter cognoſcere, niſi prima principia naturalia, vel quod ex illis eruitur; cùm ſint omnis notitiæ naturalis ſeminaria: ſed Fidei myſteria, utpotè ſupernaturalia, nec ſunt prima principia naturalia, nec eu illis eruuntur: ergo.

Prob. 3. Quia myſteria Fidei, ſecluſa revelatione, nec ſunt per ſe, nec per aliud naturaliter cognoſcibilia: non per ſe, utpotè inſenſibilia: non per aliud, quia nullum naturale continet ſupernaturale: ergo.

Dixi: *Quæ per ſe cadunt ſub objecto Fidei*, ut quòd Deus ſit trinus, incarnatus &c. nam aliud eſt de Fidei veritatibus in ſe purè naturalibus, v. g. quod Tobias habuerit canem, fuerit cæcus &c. quod Jacob & Eſau fuerint gemini.

CONCLUSIO IV.

MYſteriis Fidei ſufficienter revelatis & propoſitis non poteſt homo aſſentiri Fide divina ſine Gratiæ auxilio, poteſt fide humana.

Prob. 1. Pars: Tum ex Script. Joan. 6 *Hoc eſt opus Dei, ut credatis*; tum ex Auguſtino lib. de prædeſt. Sanct. c. 4. *Hoc Apoſtoli teſtimonium ... quid enim habes quod non accepiſti? Non ſinit quemquam fidelium dicere, habeo Fidem quam non accepi*. Tum etiam ratione; quia actus Fidei divinæ eſt ſupernaturalis, & conſequenter non poteſt à ſolo principio naturali procedere: unde definita eſt concluſio noſtra tanquam Fidei veritas in Conciliis Milevitano Can 4. Arauſicano 2. cap. 5. & Trident. Seſſ. 6. can. 3. ubi contra Pelagianos & Semipelagianos omne ſalutis, adeoque Fidei, initium refertur in ſpecialem Spiritus Sancti motionem.

Dices 1. Deus promittit homini credenti ſalutem: *Si credideris ſalvus eris*. Rom. 10. ergo habet homo credere Fide divina (quæ ad ſalutem neceſſaria eſt) in ſua poteſtate.

Reſp. Diſt. Conſeq. Habet in ſua poteſtate, ut id faciat ſolis naturæ viribus: N. cum adjutorio Gratiæ, quæ ipſi non deeſt, ubi urget credendi præceptum: C.

Dices 2. Auguſt. lib de dono perſever c. 14. docet poſſe quoſdam proprio ingenio aſſentiri Fidei myſteriis Fide divina; ait enim: *Apparet habere quoſdam in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad Fidem*, utique divinam.

Reſp. Auguſtinum non negare ibi neceſſitatem gratiæ ad credendum Fide divina; cùm in Pſal. 87. dicat: *Quomodo crederem, niſi audirem: ſed ut audita crederem, ipſe me attraxit*; ſed tantùm velle quibuſdam, ſuppoſita vocationis gratia, congruentius proponi motiva credibilitatis, propter quandam inter modum proponendi & audientis inclinationem, conſonantiam.

Prob. 2. Pars Concluſionis, quam, poſt D. Thomam & Scotum, docent ſatis communiter Theologi; quia Hæretici plurimi credunt Deum unum, trinum, & incarnatum: ſed hoc non credunt Fide divina, cùm in ipſis non reperiatur Fidei Theologicæ habitus: ergo Fide humana: ſed non eſt credibile ad actum illum Gratiam conferri, cùm nec conferat, nec conducat ad æternam ſalutem: ergo. Accedit quòd Fidei myſteria ſint maximè credibilia, ut ſuo loco diximus: ergo non eſt cur intellectus ſibi relictus, qui etiam probabiliùs aſſentitur, non poſſit ipſis aſſentiri. Deinde ut ipſis aſſenſum humanum præbeat intellectus, non requiritur quòd cognoſcantur clarè & diſtinctè, ſed ſufficit quod abſtractè & confuſè cùm nequidem aliter cognoſcantur, ſaltem præcipua, per aſſenſum Fidei divinæ: atqui, ut abſtractè & confuſè cognoſcantur, non requiritur gratia: ergo. Prob. Quia myſteriis illis diſſentiens cognoſcit illa confuſè; cùm nonniſi cognitis diſſentiri valeamus, & tamen ſine gratia illis diſſentitur: unde concluſionem noſtram implicitè inſinuat Trident. ſupra: docens enim non poſſe hominem ſine gratia *credere ſicut oportet*, idest Fide divina & infallibili, docet implicitè poſſe ſine illa credere aliter, ideſt Fide humana, & fallibili.

ARTICULUS II.

An homo lapſus poſſit ſine Gratia exercere opus moraliter bonum?

VAriI errores circa hanc materiam irrepſere, docuit enim Lutherus hominem lapſum in omni opere moraliter peccare, & quidem tantò graviùs, quantò magis conatur ad juſtitiam ſe diſponere; quia, ut ait, tenetur homo in omni opere Deum ſuper omnia diligere, quod eſt in hac vita impoſſibile; quod condemnavit Trident. Seſſ. 6. can. 7. Hunc errorem modificaverat Joannes Hus volens non omnium, ſed impiorum opera eſſe peccata; quia ad quodcunque opus bonum Gratiam ſanctificantem requirebat: in quem errorem declinavit etiam Bajus, ut patet eu hac propoſitione à Pio V. & Gregor. XIII. condemnata: *Omne quod agit peccator, aut ſervus peccati, peccatum eſt*. Alii non gratiam ſanctificantem; ſed fidem ad opus bonum requiſierunt; & ideò voluerunt omnia infidelium opera eſſe peccata; ſed; cùm omnes illi errores fuerint à S. Sede proſcripti, illis ſuperſedemus, ut hic præciſè inquiramus, an ſaltem ad opus moraliter bonum requiratur Gratia actualis?

CONCLUSIO UNICA.

POteſt homo lapſus, ſivè juſtus, ſivè injuſtus; ſivè fidelis, ſivè infidelis, exercere opus moraliter bonum, ſine Gratiæ auxilio. Eſt communis.

Prob. 1. Eu Script. Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter*, ideſt naturæ viribus & lumine, *ea quæ legis ſunt faciunt*: ſed facere legem eſt opus moraliter bonum ergo. Scio quidem aliquos Patres Latinos per illud *naturaliter* non excludere Gratiam, ſed legem ſcriptam, ſcio tamen Patres Græcos paſſim contrarium docere imò & Auguſtinum (qui lib. de Spiritu & lit. cap. 27. textum præfatum intellexerat de gentibus converſis) etiam de Gentibus omninò Gratia carentibus intelligere.

Prob. 2. Ex hoc Rom. 4. *Si enim Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum*, ubi ſupponit Apoſtolus Abraham ante fidem exercuiſſe certa opera, quæ licèt gloriam non mererentur apud Deum, defectu gratiæ, merebantur tamen apud hominem, eo quòd eſſent moraliter bona: unde Lyranus noſter in eundem locum: *Ideò talis juſtitia juſtificavit Abraham, quia acquiſita eſt & politica, quæ ſolùm reddit habentem laudabilem apud homines, non apud Deum*.

Prob. 3. Eu Auguſtinn loco immediatè citato, ubi de *impiis Deum verum ignorantibus, omnique Gratia privatis, Quædam facta*, inquit, *vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ ſecundum juſtitiæ regulam non ſolum vituperare non poſſumus, verùm etiam meritò, rectèque laudamus*. Et ne diceres eſſe quidem bona ex officio, non tamen ſpectato fine, ſubdit: *Quanquam ſi diſcutiantur quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ juſtitiæ debitam laudem, defenſionemve mereantur*: ergo aliqua reperiuntur, quæ (etiam ſpectato fine, à Deo, quem non agnoſcunt, diſtincto) ſunt moraliter bona: quod enim vix invenitur, revera invenitur; quod ſufficit ad veritatem noſtræ Concluſionis. Præterea etſi particulam *vix* in hoc paſſu, *Juſtus vix ſalvabitur*, 1. Per 4 non ità præciſè accipiat Scriptura, quin adhuc plurimi ſalventur, licèt pauci ſint in comparatione damnatorum, non etiam ità ſtrictè accipienda eſt in paſſu Auguſtini, quin plurimi infidelium actus ſint moraliter boni, licèt rari ſint in comparatione malorum. Alia refert alibi S. Doctor.

Prob. 4. Ex aliis PP. Chryſoſtomo Homil. 67. ad Populum Antiochenum: *Rurſus oſtendit Deum ſic hominem finxiſſe, ut poſſit per ſe virtutem eligere, & vitium declinare*. Si autem per ſe: ergo ſine Gratia. Gregorio Homil. 27. in Evang. *Sunt nonnulli qui diligunt proximos ſuos, ſed per affectum cognationis & carnis, quibus tamen in hac dilectione ſacra eloquia non contradicunt*: ergo ſupponit dilectionem illam eſſe honeſtam & non malam, aliàs ipſi contradiceret Scriptura Damaſceno lib. 3 de Fide c. 14 in fine. *Naturales ſunt virtutes, & naturaliter & æquè in omnibus inſunt, etſi non omnes operemur ea quæ ſunt naturæ*. Hieronymn in c. 1. ad Gal. *Multi abſque Fide & Evangelio Chriſti, vel ſapienter faciunt aliqua, vel ſanctè, ut parentibus obſequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos &c.*

Prob. 5. Eu condemnatione harum Baji propoſitionum: *Nonniſi Pelagiano errore admitti poteſt uſus aliquis liberi arbitrii bonus, ſive non malus* &c. Item: *Cum Pelagio ſentit, qui bonum aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex naturæ viribus ortum ducit*, *agno-*

agnoſcit. Reſpondet Vaſquez condemnatas eſſe, non propter doctrinæ ſubſtantiam, ſed propter cenſuræ atrocitatem; quia ſcil. notantur errore Pelagiano. Sed quis hoc Vaſquezio revelavit, cùm Sancta Sedes nullibi circa hoc ſe explicuerit? Certè periculosè, nec ſatis prudenter ità decernitur. Imò ſaliam eſſe expoſitionem, mihi inde probatur, quòd ſecundum membrum primæ propoſitionis condemnatæ, ſic: *Et gratiæ Chriſti injuriam facit qui ità ſentit & docet*. Nunquam autem Papa hoc membrum retuliſſet, ſi, propter ſolam cenſuram, propoſitionem condemnaſſet; quandoquidem cenſura unicè reſpiciat primum membrum, & nullatenus ſecundum: unde concludendum eſt & cenſuram, & doctrinam condemnaſſe.

Prob. 6. Ratione; quia liberum arbitrium per peccatum primi parentis non fuit extinctum & mortuum, ſed tantùm attenuatum & infirmatum: ſed etſi non poſſit infirmus principaliores actiones exercere ſine alterius adminiculo, poteſt tamen aliquas: ergo, licèt non poſſit arbitrium velle omnia opera moraliter bona ſine Gratiæ adjutorio, poteſt tamen aliqua, v.g. ubi non urget in contrarium gravis tentatio.

Confirm. Quia ſi liberum arbitrium nullum exercere poſset opus moraliter bonum, eſſet omninò extinctum: quod eſt hæreticum. Quid enim aliud eſt potentiam extingui, niſi circa objectum ſuum (quale eſt bonum honeſtum reſpectu voluntatis) nihil ampliùs poſſe propria virtute?

Prob. 7. Si voluntas ſibi relicta non poſſet ferri in moraliter bonum, ſeu honeſtum, eſſet vel ratione ipſius honeſti, vel ratione difficultatum circumſtantium: neutrum dici poteſt: ergo. Non ratione honeſti; quia ſicut per lapſum Adami non deſtitit eſſe honeſtum, ità nec deſtitit eſſe objectum voluntatis. Non etiam ratione difficultatum; quia, etſi reperiantur, ubi ardet concupiſcentia, urget fortis tentatio, aut magnus eſt affectus contrarius; non tamen in omnibus operibus: quæ enim difficultas in homine non avaro, indigentibus ſuccurrere, debita ſolvere, alienum reddere? In filio parentes honorare? In parente, filios amare? In ſtudioſo, animi relaxandi cauſa ambulare? Et tamen actiones illæ ſunt moraliter bonæ, ſeu honeſtæ.

Obji. 1. Auguſtinum & alios PP. qui variis in locis aſſerunt requiri Gratiam ad actum bonum.

Reſp. Vel loqui de actu conducente ad vitam æternam ad quem requiritur Gratia propriè dicta; vel ſi tantùm de actu moraliter bono, ſumunt Gratiam impropriè, nempe pro concurſu generali, qui exhibetur homini beneficio creationis: & ſic intelligendos eſſe Patres non dubitabit, qui eorum ſcripta, & finem ſcribendi perſpexerit.

Obji. 2. Nemo habet de ſuo niſi peccatum, malitiam, mendacium &c. ut loquitur Arauſicanum: ergo nemo poteſt de ſuo ponere actum moraliter bonum.

Reſp. Diſt. Ant. Nemo habet de ſuo niſi peccatum, ſecluſo Dei concurſu ordinario: C. poſito illo concurſu generali: N. primum autem vult Concilium, non ſecundum.

Obji. 3. Illud 1. Cor. 4. *Quid autem habes, quod non accepiſti?* Et illud Joan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*.

Reſp. Ad hæc & ſimilia loca, mentionem ibi fieri de actionibus ſalutaribus, non autem de moraliter bonis præcisè, & quæ nihil conferunt ad ſalutem æternam.

Obji. 4. Nullus actus dici poteſt bonus, niſi referatur in Deum: ſed relatio illa, cùm ſit actus Charitatis, non poteſt fieri ſine Gratia: ergo. Prob Ma nullus actus poteſt eſſe bonus, niſi referatur in finem, maximè verò ultimum.

Reſp. Neg Ma. Ad probationem dico, ad bonitatem actus moralem, ſufficere relationem in finem proximum ſeu intermedium, v g. quòd quis det eleemoſynam ut ſuccurrat pauperi; quia, cùm finis ille ſit bonus, etiam bonitatem ſuam communicat actui.

Obji. 5. Deum oramus, ut omnes actiones noſtræ honeſtè fiant: ſed ex oratione colligitur neceſſitas gratiæ ad actionem pro qua oramus: ergo. Prob. Min. quia non oramus, ut ponamus id quod à ſolis viribus noſtris dependet, v.g ut comedamus, ambulemus, ſcribamus &c.

Reſp. Diſt. Ma. Oramus, ut actiones noſtræ honeſtè fiant, honeſtate præcisè morali: N. honeſtate ſalutari, & meritoria: C. ſed ad hanc requiritur gratia.

Obji. 6 Ut Juſtus ponat actionem moraliter bonam indiget gratia; ergo à fortiori peccator, & conſequenter illa indigent omnes. Prob Ant. Quia omnis actio Juſti moraliter bona, eſt meritoria vitæ æternæ.

Reſp. Neg. Ant. Ad ejus probationem; quia, ut actio ſit meritoria, fieri debet ex motivo ſupernaturali, ut dicemus poſteà.

Obji. 7. Opera moraliter bona ſunt de congruo meritoria alicujus gratiæ: ergo etiam à gratia debent procedere. Prob Ant. Quia conſonum eſt divinæ munificentiæ bene operantem remunerare.

Reſp. Neg. Ant. ad Prob. Diſt. Aſſ. conſonum eſt &c. præmio improportionato, ſeu opera naturalia remunerare gratia ſupernaturali: N. præmio proportionato ſeu temporali: tranſeat: ſic juxta Auguſt. 5. de Civit. cap. 15. bona opera Romanorum, nempè juſtitia in cives, pietas in patriam, &c. quia non erant digna gloria cœleſti, remunerata ſunt gloria terreſtri.

ARTICULUS III.

An valeat homo lapſus ſine concurſu Gratiæ adimplere totam legem naturæ.

INtelligitur quæſtio, ſecluſa gravi tentatione, ac ſecluſo præcepto de diligendo Deo, de quibus poſtea. Item loquimur de adimpletione legis ſecundùm ſubſtantiam, prout ſufficit ad non peccandum, quia certum eſt non poſſe adimpleri meritoriè ſine Gratia.

CONCLUSIO I.

POteſt homo lapſus potentia phyſica totam legem naturæ obſervare, etiam longo tempore ſine Gratiæ adjutorio, ſic ut ipſam non violet, in re ſaltem gravi.

Prob. 1 Potuit homo innocens illam taliter obſervare: ergo & poteſt homo lapſus, cùm principia phyſica ad id neceſſaria, fuerint quidem per lapſum Adami attenuata, ſed non extincta.

Prob. 2 Homo lapſus, Gratia deſtitutus peccat, ubi violat legem naturæ: ſed, teſte Auguſtino, nullus peccat in eo quod vitare non poteſt: ergo. Pro majori horum & ſequentium intelligentia

Advertendum, duplicem poſſe diſtingui ad operandum impotentiam, phyſicam unam, moralem alteram. Prima eſt, quæ oritur ex defectu alicujus principii, aut alterius neceſſariò ad agendum requiſiti: ſic homo eſt phyſicè impotens ad amandum incognitum; quia unum ex prærequiſitis ad actum voluntatis, eſt cognitio objecti. Secunda oritur ex concurrentia alicujus, potentiam quidem phyſicam non auferentis, ſed ità ad actionem retardantis, aut debilitantis, ut niſi aliundè roboretur, moraliter loquendo non ſit operatura, aut nonniſi rariſſimè; & hæc impotentia patitur latitudinem, cùm ſit major aut minor, prout impedimentum morale fuerit majus aut minus; ſi autem ſit tantum, ut nunquam potentia ſit in actum exitura, licèt phyſicè poſſit, dicitur impotentia ſimpliciter.

CONCLUSIO II.

NOn poteſt homo lapſus potentia morali totam legem naturalem ſervare longo tempore, niſi roboretur Gratiæ adjutorio. Hæc concluſio adeò communis eſt & certa, ut plurimi crediderint eſſe dogma Fidei definitum contra Pelagium à Patribus Concilii Milevitani & Arauſicani; ſed mens eorum fuit definire contra dictum Hæreſiarcham, non poſſe Legem ſervari meritoriè ſine Gratia.

Prob 1. Concluſio ex Script Ezechiel. 36. *Dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio veſtri .. & faciam ut in præceptis meis ambuletis*. Ubi promittitur ſpiritus novus, ideſt ſpiritus Gratiæ ad mandatorum impletionem, quaſi non poſſent ſine illa impleri. Deinde Rom. 7. legitur: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captivantem me in lege peccati.... infr. ix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus?* & reſpondet, non *liberum arbitrium*, ſed *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum*. Unde D. Anſelmus in hunc locum: *Hæc eſt vox militis pugnantis & gementis in labore certaminis, cui gementi, & auxilium liberatoris imploranti reſpondetur, Gratia Dei te liberabit à corpore mortis hujus*.

Prob. 2. ex Patribus in prælatum locum: Chryſoſtomo: *Quid enim illa lex volebat? Quid autem imperabat? Sine peccato ut eſſet: hoc igitur nobis per Chriſtum præſtitum eſt*. Hieronymo: *Hic oſtendit quoniam lex per infirmitatem carnis non poterat impleri*. Anſelmo: *Infirmabatur ipſa lex per carnem, ideſt ab infirmis non poterat impleri per carnem, quia per ſpiritum*, ideſt Gratiam, *impletur*. Idem reperitur apud Auguſtinum Ambroſium, & alios Patres.

Prob. 3. ratione: minus poteſt natura infirma & debilis, quàm natura ſana & integra; ſed ſervare totam legem naturalem ſolis naturæ viribus, ita ut in nullo præcepto deficiatur, ſummum erat quod poterat natura integra, cùm obſervantia totius legis naturalis ſit maximum, præcipuum, & ſummè arduum bonum naturæ rationalis: ergo id non poteſt natura lapſa; niſi ejus infirmitas gratiæ adjutorio roboretur.

Obji. 1. Illud Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent*, ſcilicet Moſaicam, aut Euangelicam, *naturaliter ea quæ legis ſunt*, nempè naturalis, *faciunt*.

Digitized by Google

Reſp. Si paſſus ille ita intelligatur (nam illum intelligit Auguſtinus de gentibus noviter ad Fidem converſis, & Dei gratia adjutis) non velle Apoſtolum poſſe omnia legis præcepta naturaliter obſervari, ſed aliqua, quod ſufficit ad præfati paſſus verificationem.

Obji. 2. Illud Deuteron. 30. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi*, ideſt lex naturæ, ad cujus obſervantiam hortabatur Moyſes, *non ſupra te eſt poſitum &c.* ſed ſi non poſſet ſolis naturæ viribus adimpleri, eſſet ſupra noſmetipſos poſitum. ergo.

Reſp. Non eſt ſupra nos poſitum; quia quodlibet præceptum ſigillatim & diviſim ſumptum poteſt ſine gratia obſervari, licèt non poſſit tota lex collectivè ſumpta. Si autem quæras, cur potiùs ſingula poſſint adimpleri, quàm tota lex collectivè. Reſpondebimus inſè orin; quod adeò difficile ſit voluntatem nudam valdè defectibilem, & aliundè toties per appetitum ſenſitivum, ad bonum delectabile inclinatam, & à bono honeſto alienatam, inter tot paſſiones & occaſiones ad defectum impellentes nunquam deficere, ut meritò credatur non eſſe futurum, proindeque moraliter impoſſibile judicetur, licèt nullum præceptum particulare aſſignari poſſit in quo ſit defectura: unde præceptorum multitudo, temporis diuturnitas; occaſionum frequentia, voluntatis ad malum inclinatio, appetitus rebellio, concupiſcentiæ fomes, &c. tandem efficiunt ut homo aliquando miſerabiliter labatur, niſi Gratiæ auxilio præveniatur. Simile quid diximus q. 1. ubi oſtendimus poſſe quidem hominem vitare quodlibet peccatum veniale, non tamen omnia collectivè, propter eaſdem fere rationes; & ideò pro objectionibus, quæ hic fieri poſſent, dicta ibidem conſule.

ARTICULUS. IV.

Quæ Gratia requiratur & ſufficiat ad diuturnam totius legis naturæ obſervantiam?

Diximus articulo præcedenti neceſſariam eſſe Gratiam ad ſervanda longo tempore omnia legis naturæ præcepta: hic inquiritur quænam ſit illa Gratia, an habitualis? an actualis? & an hæc aut illa ſufficiat independenter ab altera?

CONCLUSIO I.

Neceſſaria eſt ad diuturnam omnium præceptorum naturalium adimpletionem Gratia habitualis, ſeu ſanctificans. Eſt D. Thomæ 1.2.q.109. art.8. quem ſequuntur Theologi ſatis communiter.

Prob. 1. ex Script. Threnorum 1.v.8. *Peccatum peccavit Jeruſalem, propterea inſtabilis facta eſt*, ubi peccatori, adeòque Gratia ſanctificante deſtituto, retribuitur inſtabilitas, ſeu facilitas ad legem tranſgrediendum.

Prob. 2. ex Concil. Arauſicano 2. can. 3. ubi definitur gratiam ſanctificantem non tantùm valere ad peccatorum commiſſorum remiſſionem, ſed etiam adjutorium eſſe, ut caveantur futura.

Prob. 3. ex D. Gregorio Homil. 11. in Ezechielem, ubi docet, *Peccatum mox quod per pænitentiam non deletur, ſuo pondere ad aliud trahere*: undè Author operis imperfecti in Matth. cap. 21. ſub init. Homil. 37. *Sicut navis fracto gubernaculo, illuc ducitur, quo tempeſtas appulerit: ſic peccator, divinæ Gratiæ auxilio perdito, agit quod non vult, ſed quod diabolus vult.*

Prob. 4. Ratione: Quia cùm deſtitutus gratia habituali ſit converſus ad creaturam & averſus à Deo, ſaltem habitualiter, facilè ad creaturam affectu inordinato revertitur; cùm pronior ſit natura ad rem dilectam, præſertim ubi præceſſit habitus: & ideò fatemur non eſſe eandem in quolibet peccatore impotentiam moralem ad vitandum peccatum, ſed majorem aut minorem, prout major aut minor fuerit habitus, aut affectus inordinatus circa rem creatam.

Prob. 5. Quia credibile eſt potiùs, Dei amicum, qualis eſt juſtus, quàm inimicum, qualis eſt peccator, ſpeciali protectione à Dæmonum inſidiis ac externis peccandi occaſionibus defendi ſicque faciliùs cadere peccatorem, quam juſtum. Et hinc fit quòd, omnibus attentis ſit moraliter impoſſibile, ut diu & conſtanter in legis obſervatione perſeveret.

Obji. 1. Obſervatio legis cauſat Gratiam ſanctificantem ergo illam non prærequirit Prob. Ant. Quia Iſ. 1. poſtquam præcepta eſt legis obſervatio, ſubditur: *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur;* & ideò Jac. 2. legitur: *Ex operibus juſtificatur homo.*

Reſp. Diſt. Conſeq. Non prærequirit, ut obſervetur præcisè, C. Ut obſervetur diu, N.

Obji. 2. Sufficit unicum Gratiæ actualis auxilium, ut ſervetur unicum præceptum: ergo ſufficiunt plurima ejuſdem gratiæ auxilia, ut impleantur omnia præcepta; ſicque non requiritur abſolutè gratia ſanctificans.

Reſp. Diſt. Conſeq. Sufficiunt plurima &c. quantum eſt ex parte auxiliorum: C. quia eandem vim habent plurima auxilia reſpectu plurimorum præceptorum; ſicut unum reſpectu unius. Sufficiunt &c. quantum eſt ex parte hominis, qui ob habitualem ad malum adhæſionem, inconſtantiam, ac voluntatis defectibilitatem, majorem patitur difficultatem, ut plurima obſervet quàm unum aut alterum: N.

Obji. 3. Ex ſententia noſtra ſequitur diu permanentem in ſtatu peccati, reum eſſe peccati novi, ob periculum proximum violandi legem in aliquo; de hoc autem peccato nec pœnitentes ſunt ſolliciti, nec inquirunt Confeſſarii: ergo, &c.

Reſp. Veram eſſe ſequelam; ſed quia incertum eſt quantum temporis requiratur, ut cenſeatur eſſe proximum tranſgreſſionis periculum, ideò non requirunt de hoc peccato Confeſſarii, quamvis facere deberent, ubi quis per tempus notabile de peccato non pœnituiſſet, nec per Confeſſionem, nec per Contritionem.

Obji. 4. Aliud inconveniens: quòd quis diu obſervans legis præcepta ſine gravi tranſgreſſione, ſcire poſſet ſe eſſe in ſtatu gratiæ.

Reſp. 4. Quòd, cùm nullus certò ſcire poſſit an conſtanter legem obſervaverit, cùm dicat Apoſtolus 1. Corinth. 4. *Nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum;* ità nec certò ſcire poteſt, an ſit in ſtatu Gratiæ.

CONCLUSIO II.

Præter gratiam ſanctificantem, etiam requiritur gratia actualis, ut impleantur difficiliora legis præcepta, ſicut & ut longo tempore impleantur omnia.

Prob. 1. Communiter ex Concil. Trid. Seſſ. ... c. 16. ubi docet Chriſtum influere in juſtificatos virtutem, *quæ bona eorum opera ſemper antecedit*, ſed ut verum fatear, loquitur Concilium de operibus meritoriis, cùm fieri poſſint opera moraliter bona ſine gratia, & tamen dicat: *ſemper antecedit*; & ideò efficaciùs oſtenditur ex Concil. Arauſicano. 2. can. 10. ubi habetur: *Adjutorium Dei etiam renatis & Sanctis eſt implorandum, ut .... in bono poſſint opere perdurare*: Cui conformis eſt Innocentius I. in Epiſt. ad Concil. Chartag. quæ eſt inter Epiſtolas Auguſtini 91. *Quotidiana*, inquit, *præſtat ille remedia, quibus niſi freti, confiſique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores: neceſſe eſt enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante, vincamur.*

Prob. 2. Ex Aug. lib. de nat. & grat. c. 26. *Sicut enim oculus corporis, etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus non poteſt cernere: ſic homo, etiam perfectiſſime juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, rectè non poteſt vivere, ſcilicet* tempore notabili.

Prob. 3. Ratione; quia etſi gratia habitualis ſanet animam, relinquit tamen corpori infectionem, rebellionem partis inferioris contra ſuperiorem, ignorantiam in intellectu, inclinationes contrarias in voluntate, alioſque defectus, quibus, accedentibus dæmonis & carnis tentationibus, facile labitur fragilis homo inter tot peccatorum occaſiones, & præceptorum obligationes, niſi aliunde roboretur. Accedit, quòd gratia actualis, utpotè ſancta cogitatio & pia affectio, voluntatis torporem excitet, ipſamque ad bonum alliciat. Quod non præſtat gratia ſanctificans.

Obji. 1. Poteſt homo ſanus diu totam legem obſervare abſque gratiæ actualis auxilio: ſed homo juſtificatus eſt ſanus. ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Poteſt homo ſanus, Sanitate adæquata ſeu tam ex parte corporis, quàm animæ, qualem habebat Adam ante lapſum: C. Sanitate inadæquata: N. natura autem humana, *Licèt per Gratiam ſanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio & infectio quantum ad carnem*, inquit D. Thomas 1.2.q. 109. art. 9.

Inſt. Plus præſtat gratia, cùm ſit ordinis ſupernaturalis, quàm integra ſanitas, cùm ſit ordinis naturalis.

Reſp. Diſt. Aſſ. Plus præſtat gratia quantum ad aliquid: C. nam confert homini vitam ſpiritualem, quam non confert naturalis integritas. Plus præſtat quantum ad rem, de qua hic agimus: N. integra ſiquidem ſanitas non relinquit in homine diviſionem inter partem inferiorem & ſuperiorem, quam tamen relinquit gratiam.

Obji. 2. Ex noſtra ſententia ſequitur gratiam ſanctificantem nihil conferre ad præceptorum obſervationem, quod eſt contra priorem concluſionem. Prob. ſequela: quia homo juſtificatus, ſecluſa gratia actuali, poteſt quidem omnia præcepta diviſim adimplere, non tamen omnia collectivè: ſed ipſum poteſt non juſtificatus, ut patet ex reſponſione ad Object. 2. Concl. 2. Art. 3. ergo.

Reſp.

Reſp Neg. Sequel ad prob Dico, licèt non poſſit juſtificatus ſine gratia actuali longo tempore legem ſervare, poteſt tamen longiori quàm non Juſtificatus, propter rationes Concl. præcedenti allatas.

ARTICULUS V.

An requiratur Gratia ad vincendas tentationes?

ADverte 1. Nos tripliciter poſſe vincere tentationes, victoria nempè ſalutari, damnabili, & ſterili. vincimus victoria ſalutari, cùm vincimus merendo in ordine ad vitam æternam: vincimus victoria damnabili, cùm peccatum peccato ſuperamus: Denique vincimus victoria ſterili, cùm vincimus ex motivo indifferenti ad meritum aut demeritum.

Adverte 2. Quæſtionem non eſſe, an requiratur gratia in homine, ut damnabiliter, aut ſteriliter poſſit vincere tentationes potentia phyſica, cùm enim tali potentia poſſit ſine Gratia totam legem naturalem illo modo adimplere, ſequitur etiam poſſe ſine illa, omnes tentationes ipſi adverſantes ſuperare: unde quæritur de potentia morali.

CONCLUSIO I.

NUllatenus poteſt homo vincere tentationes ſive graves, ſive leves victoria ſalutari ſine gratiæ auxilio.

Ratio eſt; quia taliter peccatum aut tentationem vincere, eſt mereri in ordine ad vitam æternam: ſed nihil poſſumus in ordine ad illam ſine Gratia, ut probatum eſt ſuperius ex variis Scripturæ paſſibus: ergo. Et de hac victoria intelligi poteſt Auguſtinus lib. 22. de Civit cap 23. *Ne in hoc bello laborum, periculorumque pleniſſimo, vel de viribus noſtris ſperetur facienda victoria, vel viribus noſtris facta tribuatur, ſed ejus Gratiæ, de quo ait Apoſtolus, Gratias autem Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum.*

CONCLUSIO II.

VInci poſſunt quælibet tentationes victoria damnabili, abſque Gratiæ interventu.

Ratio eſt; quia tentatus illo caſu non cenſetur amplius tentatus, cùm peccatum, per quod aliud vincit, auferat difficultatem aliàs futuram: ſic Avarus tentatus ad immoderatè bibendum aut comedendum, ubi advertit ad pecuniam ideò expendendam, vix aut ne vix amplius gula tentatur; quia cupiditas pecuniæ fortior eſt cupiditate gulæ: ſed qui ſic peccato peccatum vincit, potius eſt victus, quàm victor, cùm deſerat minus vitium, ut ſuccumbat majori: unde Auguſtinus lib. 3. contra 2. Epiſt. Pelagianorum c. 4. *Carnalis cupiditas cupiditate alia non ſanatur.* Circa hanc & priorem concluſionem nulla eſt difficultas; ſed magna eſt circa victoriam tentationum ſterilem, ſeu indifferentem ad meritum aut demeritum; & ideo ſit

CONCLUSIO III.

NOn poteſt homo lapſus vincere ullam tentationem gravem victoria ſterili, ſine Gratiæ adjutorio. Hæc eſt communis.

Prob. 1. ex Scrip. Pſal. 17. *In te eripiar à tentatione*, & Matt. 26. *Orate, ut non intretis in tentationem*, ideſt, poſtulate Gratiam, ne ſuccumbatis tentationi. Idem colligitur ex aliis Scripturæ paſſibus.

Prob. 2. Ex Synodo Paleſtina, ubi ſic ſtatuerunt Patres, ut refert Auguſtinus Epiſt. 106. *Fateatur* (Pelagius) *quando contra tentationes concupiſcentiasque illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, ſed ex adjutorio Dei provenire victoriam.*

Prob. 3. Ex SS. Patribus, Gregorio Magno lib. 4 Dialog cap. 10. *Non ſine Dei Gratia in tentatione ſubſiſtit.* D. Baſilium Regularum moralium: 62 *Quod ſi divinitus permiſſum ſit, ut in tentationes quis incidat, precibus à Deo poſcere debet facultatem, per quam illas poſſit ſuſtinere.* Auguſtino in Pſal. 89. *Sine Dei adjutorio tentationes hujus vitæ ſuperare non poſſumus.* Ambroſio in Pſal. 43. v. 20. *Quis eſt tam fortis, ut nequaquam in tentatione moveatur, niſi ei Dominus adjutor aſſiſtat?* Idem docent Cyprianus, Chryſoſtomus, & alii.

Prob 4 Ratione; quia voluntas ex connaturali modo operandi ſequitur objectum efficacius propoſitum, licèt phyſicè loquendo, ob nativam libertatem, poſſit contrarium: ſed ubi urget fortis & vehemens tentatio, longè efficacius proponitur objectum delectabile: ergo, niſi obſit major gratiæ delectatio, adhærebit objecto delectabili.

Prob. 5. Vincere gravem tentationem eſt exercitium ſummum naturæ integræ, cùm ſit opus difficillimum. ergo hoc non conceditur naturæ infirmæ ſibi relictæ.

Obji. 1. Gravis tentatio non transfert præceptum adimplendum de naturali in ſupernaturale: ergo ſicut remanet naturale, ita etiam ad ejus obſervantiam ſufficiunt vires naturales.

Reſp. Diſt. Conſeq. Sufficiunt vires naturales ſanæ & integræ: C. vires attenuatæ & debilitatæ, quales habet homo lapſus: N.

Obji. 2. Si non poſſit homo ſibi relictus vincere gravem tentationem, non peccat ſuccumbendo; ſed hoc eſt falſum: ergo.

Reſp Neg. Maj Quia quoties adeſt gravis tentatio, adeſt & Dei gratia, cùm Deus impoſſibilia non jubeat, & ideò ſi à tentatione vincatur tentatus, ejus malitiæ imputandum eſt. Prætereà etſi tunc deeſſet gratia, non eſſet tamen omninò excuſabilis, cùm potentia phyſica poſſit tentationi reſiſtere.

Obji. 3. Homo in ſtatu naturæ puræ poſſet vincere naturaliter quamlibet tentationem: ergo & poteſt in ſtatu naturæ lapſæ, cùm nunc non major ſit rebellio carnis contra rationem, quàm foret tunc, totaque diſparitas in hoc conſiſtat, quòd tunc rebellio eſſet quid naturale, nunc pœnale.

Reſp Ant. Eſſe verum, quidquid dicant aliqui; quia cùm in illo ſtatu gratiam excludente, fuiſſet obligatus homo, etiam graviter tentatus, legem naturalem obſervare, debuiſſet in hunc finem vires ſufficientes à natura habere; ſed nego conſeq. quia licèt rebellio ſit utrique ſtatui communis, tunc tamen non fuiſſent vires liberi arbitrii attenuatæ & infirmatæ, ſicut nunc ratione peccati originalis.

Obji. 4 Poteſt homo ſibi relictus, ex pravo motivo, v. g. ob vanam gloriam, appetere mortem, ſicut fecerunt quidam Ethnici, ut haberentur in numero Deorum: ergo poteſt à fortiori vincere tentationem ex motivo honeſto.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd homo lapſus magis moveatur ab objecto pravo, utpotè delectabili, quàm ab honeſto, in quo ſenſus, cui maximè afficitur natura corrupta, plus reperit difficultatis & aſperitatis, quàm commodi & delectationis.

CONCLUSIO IV.

POteſt homo lapſus ſine Gratia vincere tentationes leves, aut etiam mediocres. Eſt communis contra Vaſquez & alios volentes nullam tentationem, etiam minimam, vinci poſſe ab homine lapſo, ſine gratia, eo quòd exiſtiment ad omne opus moraliter bonum requiri gratiæ adjutorium; quod antea rejecimus.

Prob. 1. Concluſio ex condemnatione trigeſimæ propoſitionis Bajanæ; in qua dicuntur fures & latrones, qui dicunt poſſe hominem ſine gratiæ adjutorio alicui tentationi reſiſtere.

Prob. 2. Ratione, quia tunc tentatio dicitur levis aut mediocris, quando bonum honeſtum æque aut efficaciùs movet ad ſui ſequelam, quàm bonum delectabile: ſed tunc poteſt connaturaliter, ut bonum honeſtum amplectatur, à delectabili recedere: ergo &c.

Obji 1. Authoritatem D. Chryſoſtomi Homil. 24. in Epiſt. 1. ad Corinth. ubi ait: *Sunt ne ergo tentationes, quas ſuperare non poſſumus? & quænam ſunt illæ? omnes, ut ita dicam.* Et ne diceres loqui tantùm de gravibus, ſubdit: *Nam ne illas quidem moderatas & mediocres propria virtute ferimus, ſed in his quoque egemus auxilio, ut eas feramus.*

Reſp. Ad graves tentationes ſuperandas, ipſum requirere ſimpliciter Gratiam, ad mediocres verò, requirere quidem ad facilè vincendum, non tamen ad vincendum ſimpliciter, verba ejus ſunt loco citato: *Quamobrem ut diſcas & videas quòd non ſolùm illas, quæ virtutem noſtram exuperant ... ſed ne has quidem humanas licet facile ferre abſque divino auxilio.*

Obji. 2. Sanctos PP. concluſione præced citatos, ubi nulla facta mentione inter graves, leves, aut mediocres, requirunt ad tentationum victoriam, Gratiæ adjutorium.

Reſp. Ipſos loqui de victoria non ſterili, ſed ſalutari, quæ ſola in Chriſtianis meretur nomen victoriæ: unde Auguſtinus lib. 21. de Civit. c. 16. *Tunc victa vitia reputanda ſunt, cum Dei amore vincuntur.* Prætereà ferè omnes agebant contra Pelagium aut Pelagianos, qui omnem tentationum victoriam, etiam ſalutarem, adſcribebant libero arbitrio.

Obji. 3. Petimus ſimpliciter in Oratione Dominica non induci in tentationem: ergo ſupponimus ad quamlibet vincendam requiri Gratiam.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia petimus quod non poſſumus, ideſt, pro ſuperandis tentationibus vires noſtras excedentibus, poſtulamus ſimpliciter Gratiam; pro aliis autem, non petimus gratiam, præcisè ut vincamus, ſed ut vincamus ſalutariter.

ARTICULUS VI.

An poſſit homo lapſus diligere Deum ſuper omnia ut Authorem & finem naturæ ſine Gratia?

ADverte 1. Deum poſſe amari dupliciter. 1. ut Authorem & finem naturæ. 2. ut Authorem & finem Gratiæ: prior dilectio dicitur naturalis, poſterior ſupernaturalis ad quam requiritur Gratia.

Adverte 2. Amorem in Deum, etiam ut Authorem naturæ, poſſe eſſe duplicem, unum amicitiæ, alterum concupiſcentiæ: ille intendit in Deum ut in ſe bonum, hic ut bonum amanti.

Adverte 4. Amorem amicitiæ, ſeu benevolentiæ ſubdividi in perfectum & imperfectum. *Perfectus* eſt, quo quis abſolutè & efficaciter non tantùm vult Deo ſummum bonum, ſed etiam ipſi in omnibus placere, nihilque ejus honori, amicitiæ, & obedientiæ contrarium admittere, & hic amor dicitur appretiativus & ſummus. *Imperfectus* eſt, ubi deeſt unum ex prædictis.

Adverte 4. Amorem perfectum, alium eſſe affectivum, alium effectivum: affectivus eſt, unicus voluntatis actus, quo Deum diligimus modo jam dicto. Effectivus eſt executio omnium Deo placentium, & fuga diſplicentium. De affectivo procedit quæſtio, non de effectivo, cùm hic importet totam legis naturæ obſervantiam, ad quam Gratiam requiri, diximus ſuperiùs. His notatis

CONCLUSIO I.

POteſt homo lapſus ſine Gratiæ auxilio diligere Deum ut Authorem naturæ, amore concupiſcentiæ. Eſt certa.

Ratio eſt; quia id poteſt voluntas naturaliter, ad quod maximam habet inclinationem naturalem: ſed ad nihil magis naturaliter inclinatur, quàm ut Deum amet ut Authorem naturæ, cùm Deus ut principium bonorum naturalium ſit maximè perfectivus hominis. ergo. In hoc nulla eſt difficultas.

CONCLUSIO II.

POteſt etiam homo lapſus naturæ viribus diligere Deum ſuper omnia, ut Authorem naturæ, amore amicitiæ perfecto. Eſt D. Thomæ 4.d.17 q.2.art.1. Quæſtiunc. 1. ad 6. Scoti 3.d.27.n.13. & alibi. Eſtque ſatis communis.

Prob. 1. Ex condemnatione hujus propoſitionis Bajanæ: *Amor naturalis*, nempè Dei, *qui ex naturæ viribus exoritur, ex ſola Philoſophia per elationem præſumptionis humanæ, cum injuria Crucis Chriſti defenditur à nonnullis Doctoribus*: ergo ſupponit Sancta Sedes contra Bajum, dari poſſe amorem Dei naturalem, ex ſolis naturæ viribus procedentem. Nec dici poteſt amorem illum eſſe concupiſcentiæ; quia Baius hic condemnatus non negabat dari poſſe erga Deum, amorem concupiſcentiæ naturalem, ſed amicitiæ, ut patet ex ejus ſcriptis.

Prob. 2. Ratione Scoti: Poteſt voluntas naturaliter amare id, quod intellectus practicè judicat eſſe amandum; aliàs aut non eſſet libera, aut non eſſet recta: ſed intellectus practicè dicat Deum eſſe ſummè diligendum, cùm cognoſcat eſſe ſummum bonum: ergo.

Prob 3. Poteſt voluntas naturaliter diligere bonum creatum amore perfecto, cùm ſit ejus objectum: ergo poteſt naturaliter amore perfecto diligere ſummum bonum, ſeu increatum, cùm majus bonum magis conveniat voluntatis inclinationi. Et certè mirum eſſet, quòd poſſet voluntas taliter amare creaturam, in qua innumeræ reperiuntur imperfectiones, & non poſſet Deum, in quo omnia bona, omnia ſancta, omnia pura, imò qui eſt ipſamet bonitas, & ſanctitas eſſentialis.

Prob. 4. Poteſt voluntas amare naturaliter temperantiam Caſtitatem aut propter ſe, ut concedunt omnes: ergo à fortiori Caſtitatis & Temperantiæ Authorem, ſeu eum à quo totam bonitatem ſuam participant; cùm ſit longè amabilior.

Prob 5. Si quæ difficultas foret per Gratiam ſuperanda, ad diligendum Deum ſuper omnia ut Authorem naturæ, vel proveniret ex parte objecti, vel ex parte intellectus, vel ex parte voluntatis; cùm nihil aliud ſit aſſignabile: ſed indè nullum provenit impedimentum: ergo. *Non ex parte objecti*; cùm in ordine naturali, nullum ſit objectum magis conveniens voluntati, quàm Deus ut Author naturæ; quandoquidem ut ſic eam condiderit, conſervet, protegat, gubernet, &c. *Non etiam ex parte intellectus*; cùm enim Deum cognoſcat naturaliter, etiam naturaliter cognoſcit ut ſummum bonum, aliàs non cognoſceret ut Deum: ſed non poteſt cognoſcere ut ſummum bonum; niſi cognoſcat ut ſummè amabilem: ergo. *Non denique ex parte voluntatis*; quia cùm habeat inclinationem naturalem ad bonum ut bonum, majorem debet habere, ubi majus eſt bonum, & præſertim ſummum.

Prob. 6. Alia ratione Scoti. Poteſt Politicus infidelis cum ſolo concurſu Dei naturali ſe morti exponere ob ſalutem Patriæ: ergo à fortiori Chriſtianus ad id paratus eſſe ob honorem illius, à quo ſcit ſe, ſuaque omnia eſſe, regi, & conſervari: ſed hic actus eſt amor amicitiæ perfectus: ergo.

Obji 1. Illud Auguſt. Epiſt. 107. ad Vitalem in med. *Liberum arbitrium ad diligendum Deum, primi peccati granditate perdidimus*.

Reſp. S Doctorem velle perditum eſſe liberum arbitrium ad diligendum Deum diu & conſtanter quoad effectum; quia, ut diximus, non poteſt homo ſibi relictus diu & conſtanter totam legem ſervare; non vult tamen perditum eſſe ad diligendum Deum quoad affectum modo anteà explicato. cùm ipſemet necdum baptizatus, & Manichæorum errore infectus, tali amore dilexerit Nebridium, quem vitæ ſuæ præferebat, ut narrat 4. Confeſſ. cap.4 & 6.

Obji. 2. Talis dilectio eſt bona voluntas: ſed bonam voluntatem habemus à Deo, ut docet Auguſtinus lib. 2. de Peccat. meritis cap. 18 ergo

Reſp. Diſt. Min. Bonam voluntatem, ideſt meritoriam habemus à Deo ſeu à Gratia: C. bonam tantùm moraliter: N. & hoc modo ſe explicat lib. 4. contra Julianum c. 3. ubi ait: *Amor Dei, quo pervenitur ad Deum, non eſt niſi à Deo*.

Obji. 3. Alium Auguſtini paſſum ex libro de Grat. & lib. arb. c. 19. *In Pelagianis tenebræ dicunt: dilectio nobis ex nobis eſt*: hinc cap. 18. dixerat: *Unde eſt in hominibus Charitas Dei & proximi, niſi ex ipſo Deo? Nam ſi non ex Deo, ſed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; ſi autem ex Deo, vicimus Pelagianos*.

Reſp. Mentionem ibi eſſe de dilectione meritoria, quam libero arbitrio ſibi relicto tribuebant Pelagiani; non autem de dilectione naturali, de qua nunquam fuit inter Auguſtinum, & Pelagianos diſputatio.

Obji. 4. Amor Dei ſuper omnia includit voluntatem efficacem nunquam peccandi, ſaltem moraliter: ſed non poteſt homo diu vitare omne peccatum mortale ſine Gratia, ut patet ex dictis: ergo nec poteſt ſine gratia habere illam voluntatem.

Reſp Diſt. Min. Non poteſt diu vitare omne peccatum mortale collectivè: C. diviſivè: N. Patet ex dictis. Et hoc ſufficit ut concipiat volũtatem efficacem nunquam peccandi mortaliter.

Inſt. 1. Licèt homo poſſit vitare omne peccatum veniale diviſivè, quia tamen non poteſt omne collectivè, non poteſt habere voluntatem efficacem nunquam peccandi venialiter: ergo ſimiliter

Reſp. Neg. Ant. Quia, ut habeat illam voluntatem, ſufficit quòd velit quodlibet veniale occurrens, vitare: vitans enim quodlibet, diviſivè, nunquam peccat: ſed poteſt quodlibet occurrens, vitare: ergo poteſt id velle.

Inſt. 2. Non poteſt vitare ſine Gratia peccatum determinatum, ubi urget gravis tentatio, ut dictum eſt: ergo nequidem poteſt velle vitare quodlibet viſivè.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia, licèt non poſſit quis vincere gravem tentationem ſine gratia, poteſt tamen velle ſine Gratia, illam vincere, ubi necdum adeſt; cùm tunc non reperiatur eadem difficultas.

Obji 5 Deum diligere ſuper omnia eſt actus hominis præſtantiſſimus: ergo hoc non competit naturæ infirmæ & corruptæ.

Reſp. Diſt. Ant. Eſt actus præſtantiſſimus, ideſt nobiliſſimus: C. ideſt difficillimus: N. ſi enim facile ſit bonum diligere, etiam facile eſt ſummum bonum ſummè diligere, & ſic non eſt unde actus ille vires hominis lapſi ſuperet.

Obji 6. Dilectio illa infert præceptorum omnium adimpletionem, juxta illud Rom 13. *Plenitudo legis eſt dilectio*: ſed Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, ſemper eſt conjuncta cum remiſſione peccatorum, ut patet ex oppoſitæ propoſitionis Bajanæ condemnatione: ergo ad illam requiritur Gratia.

Reſp. Diſt. Min. Charitas ſupernaturalis & ſalutaris, de qua agebat Bajus, ſemper eſt conjuncta, &c. C Charitas naturalis, de qua hic loquimur: N.

Obji. 7. Illud D. Th. 1.2.q.109. art. 3. *Homo in ſtatu naturæ integræ non indiget dono Gratiæ.... ad diligendum Deum naturaliter ſuper omnia... ſed in ſtatu naturæ corruptæ indiget homo etiam ad hoc auxilio Gratiæ naturam ſanantis*.

Reſp. S. Doctorem loqui de dilectione effectiva, & quidem diuturna; quia, ut ait ibidem, cum voluntas hominis ſit veluti corrupta, & in bonum privatum inclinata, facilè tandem à bono increato, ad creatum proprium deflectit.

Obji. 8. Idem Doctor Quoblibet 1. art. 8 dicit naturalem Dei dilectionem eſſe præparationem ad Gratiam. Et idem inſinuare videtur Doctor Subtilis 2. diſt. 28. n. 8. ubi ait: *Quantumcunque voluntas actum hujus præcepti exequitur*, diliges Dominum Deũ tuum... *diſponit ſe de congruo ad Gratiam gratificantem*: ſed ad actum diſponentem ad Gratiam requiritur Gratia: ergo.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Scotum facilè poſſe explicari, dicendo loqui de executione ſalutari, ſive ſicut oportet ad ſalutem, non ſic D. Thomam, cùm loquatur expreſsè de dilectione naturali: unde ut ipſum explicent, graviter laborant Thomiſtæ: dici tamen poteſt ipſum loqui de diſpoſitione negativa, in quantum diligens Deum ſuper omnia naturaliter, nullum habet obicem ad Gratiam; non tamen de diſpoſitione poſitiva; eò m nequidem ſic diſponat amor Dei ut Authoris naturæ ex Gratia procedens, eo quòd, propter motivum naturale, remaneat naturalis.

ARTICULUS VII.

An homo juſtificatus poſſit ſine Gratia operari ſupernaturaliter, & perſeverare.

SEnſus quæſtionis eſt, an homo juſtificatus, cui inſunt habitus ſupernaturales Fidei, Spei, & Charitatis, poſſit cum illis habitibus, ſecluſo Gratię actualis auxilio, actus ſupernaturales elicere? Suppoſito tamen concurſu Dei proportionato, ſeu etiam ſupernaturali: qui concurſus licèt ſit connaturaliter debitus naturæ ut juſtificatæ, eſt tamen Gratia reſpectu naturæ ſimpliciter ſpectatæ: cùm enim naturæ ut ſic non debeantur habitus præfati, ſicut nec eorum operatio, ità nec ipſi debetur ille concurſus, imò etiam reſpectu naturę juſtificatæ dicitur concurſus ille Gratia pro Gratia, ſeu Gratia ſequens Gratiam.

CONCLUSIO I.

HOmini juſtificato neceſſaria eſt Gratia ad ſingulos actus ſupernaturales. Eſt communis contra paucos.

Prob. 1. Ex Trid. ſeſſ. 6. cap. 16. ubi legitur Chriſtum Jeſum in ipſos juſtificatos virtutem influere, *quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit* &c. atqui virtus illa, quæ ſemper antecedit, non eſt Gratia habitualis, cùm hæc, utpotè forma ſanctificans, præcedat influxum hujus virtutis, quæ datur jam ſanctificatis: ergo eſt Gratia actualis.

Prob. 2. Si ſufficeret juſto Gratia habitualis ad actus ſupernaturales, poſſet ſe ab alio juſto diſcernere in negotio ſalutis: nam ponens actum ſupernaturalem, quem alter non poneret, poſſet hoc ſibi attribuere: quandoquidem alter cum eadem omninò Gratia id non præſtitiſſet: unde quòd hic operetur, non ille, tribuendum eſt Gratiæ efficaci, quæ eſt Gratia actualis.

Prob. 3. Quia, cùm voluntas noſtra ad bonum honeſtum, ſaltem ſupernaturale quaſi torpeat, debet excitari: ſed Gratia ſanctificans, utpotè habitus, non habet ex ſe vim excitandi, ſed tantùm cum voluntate aliunde excitata cooperandi: ergo excitatur à Gratia actuali.

Dices: Poteſt natura in naturalibus relicta ponere actum bonum naturalem ſine ſpeciali auxilio: ergo etiam poteſt natura per Gratiam ſupernaturalizata ponere actum bonum ſupernaturalem ſine illo; cùm actus ſupernaturalis correſpondere debeat principio ſupernaturali, ſicut actus naturalis principio naturali.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd, etſi natura non debeat ordinariè excitari ad bonum naturale, debeat tamen ad ſupernaturale, utpotè ipſa natura ſuperius. Licèt autem gratia ſanctificans naturam quaſi ſupernaturalizet, non tamen excitat ad bonum ſupernaturale, ut diximus; & ideò aliud requiritur undè excitetur.

CONCLUSIO II.

ETſi poſſit juſtus potentia phyſica cum ordinariis gratiæ auxiliis, quæ juſtis nunquam denegantur, perſeverare in gratia uſque ad finem vitæ, ut definierunt Concil. Arauſicanum Can. 24. Et Trident. Seſſ. 6. Cap. 11. Id tamen non poteſt potentia morali, ſine ſpeciali auxilio.

Prob. 1. Ex Trident. Seſſ citata, Can. 22. *Si quis dixerit juſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe, Anathema ſit*: ubi Doctores communiter per *ſpeciale auxilium* intelligunt Gratiam ab ordinariis diſtinctam.

Prob. 2. Ex Auguſt. lib. de bono perſever. Cap. 17. Ubi docens perſeverantiam *Donum Dei eſſe*, non id probat, quia perſeverantibus conceduntur communia gratiæ auxilia, ſed quia Deus, qui finem dat vitæ, quando voluerit, lapſum electorum ſuorum prævenit: ergo ſupponit hic intervenire ſpeciale Dei donum, ſeu auxilium.

Prob. 3. Quia perſeverare uſque ad finem in Gratia eſt effectus providentiæ ſpecialis in ordine Gratiæ: ergo ad perſeverantiam illam finalem requiritur ſpeciale Dei auxilium. Conſequentia clara eſt; quia ſpecialis effectus ſpeciale requirit principium. Prob. Ant. Quia effectus providentiæ generalis in illo ordine eſt communis electis & reprobis, ut patet ex verbo *generalis*: ſed effectus præfatus ſolis electis eſt proprius: ergo.

Prob. 4. Gratia ſanctificans cum ordinariis gratiæ auxiliis non immobilitat moraliter hominem in bono; quandoquidem cum illis ſit adhuc moraliter mutabilis ac vertibilis de bono in malum, ut habet ſenſus communis, & evincit infœlix experientia: ſed donum perſeverantiæ immobilitat moraliter hominem in bono: ergo eſt gratia nova & ſpecialis. Prob. Min. quia omnes illi, quibus beneficium illud conceditur, nunquam vincuntur à malo ſaltem gravi, aliàs non eſſent perſeverantes.

Nec refert, quòd omnes habentes gratiam efficacem, nunquam etiam vincantur à malo, & tamen non omnes habeant donum perſeverantiæ; quia hoc plus importat, quàm illa: illa enim tantùm reſpicit materiam particularem & determinatam; hoc autem omnem materiam ſine reſtrictione alicujus præcepti, aut temporis, cùm perſeverantes debeant eſſe victores, non in una aut altera materia tantùm, ſed in omni.

Prob. 5. Plurimi cum gratia habituali & communibus Gratiæ auxiliis non perſeverant, ut patet in illis, qui poſt vitam exemplarem, etiam aliquando ſatis longam, tandem miſerabiliter moriuntur: ergo perſeverantibus aliud conceditur, unde perſeverent; cùm hoc non poſſit eorum voluntati attribui, ne ſe ab aliis diſcernant in negotio ſalutis.

Obji. 2. Non poteſt aſſignari quid ſit illud auxilium ſpeciale immobilitans moraliter in bono.

Reſp. Auxilium illud eſſe in adultis diu viventibus aggregatū quoddam ex variis gratiis tum internis efficacibus, tum externis ſpecialibus, quibus Deus ab electis ſuis tempore & loco removet occaſiones peccandi, imò & quandoque Dæmonum tentationes, ac tandem mortem cum gratia conjungit; in parvulis autem, & aliis qui maturè rapiuntur, eſt ſpecialis providentia Dei eorum mortem diſponentis pro tempore quo ſunt in gratia, nec permittentis illos diutiùs vivere ob voluntatis mutabilitatem peccatorum occaſiones ac tentationum incitamenta, juxtà illud Sap. 4. *Properavit educere illum de medio iniquitatum*, ubi ſpecialis de providentia, quæ donum eſt ſpeciale, evidenter denotatur.

Obji. 2. Homo juſtificatus habet jus ad gloriam: ergo habet jus ut ſibi conferantur media, quibus ad illam perveniat, & conſequenter non indiget auxilio ſpeciali.

Reſp. Diſt. Ant. Habet jus &c. quamdiu manet in gratia C. habet jus ad gloriam, id eſt habet jus ut perſeveret in gratia, ut aſſequatur gloriam: N. ergo quòd in ea perſeveret uſque ad mortem, non obſtantibus peccatorum occaſionibus, Gratia eſt ſpecialis.

Obji. 3. Poteſt fieri quòd inter juſtificationem & mortem tantùm occurrant præcepta facilia, abſintque tentationes graviores: ergo non requiritur tunc ad perſeverantiam finalem gratia ſpecialis.

Reſp. Neg. Conſeq. Aliud eſt enim poſſe præcepta inter media ſine auxilio ſpeciali adimplere, & aliud finaliter perſeverare: hoc enim importat ſuper illud, conjunctionem mortis cum gratia; ſeu quòd mors accidat poſt fidelem præceptorum adimpletionem, cùm poſſet alio tempore evenire: hoc autem eſt ſpeciale Dei beneficium.

Inſtabis: Mors tunc evenit juſto ex cauſis naturalibus: ergo quòd tunc eveniat, non eſt donum ſpeciale.

Reſp. Diſt. Ant. evenit ex cauſis naturalibus merè fortuitò: N. ex ſpeciali Dei ordinatione mortem illo tempore diſponentis: C. undè ſicut Deus ex diſpoſitione ſpeciali Joannem v. g. prædeſtinavit, ita ex ſpeciali ordinatione mortem illo tempore, quo eſſet in gratia, diſpoſuit.

Obji. 4. Ut juſtus finiat vitam in gratia, adeoque perſeveret, ſufficit quòd ultimum præceptum adimpleat: ſed hoc implere poteſt cum ordinariis gratiæ auxiliis, cùm per hoc quòd ſit ultimum, non ſit difficilius aliis: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Sufficit quòd adimpleat ultimum &c. ſub ratione præcepti: N. ſub ratione ultimi; C. ſed quòd ſit potiùs ultimum, quam penultimum, hoc habetur ex voluntate Dei mortem immediatè poſt illud ſpecialiter ordinantis.

Obji. 5. Si perſeverantia haberetur ex dono ſpeciali omnes perſeverantes eſſent confirmati in gratia, cum donum illud immobilitaret in bono, ut dictum eſt: ſed hoc repugnat communi Theologorum ſententiæ: ergo.

Reſp. Neg. Ma. Quia aliter immobilitat in bono, confirmatio in Gratia, & aliter donum perſeverantiæ: illa enim quæ conſiſtit in continua Dei manutenentia, eo ferè modo immobilitat viatores in mundo, quo immobilitantur Beati in cœlo; hoc autem, quod in variis conſiſtit auxiliis intrinſecis & extrinſecis, ut docuimus ſuperiùs, immobilitat ad inſtar gratiæ efficacis, pro eliciendo actu particulari conceſſæ: ſicut ergo habens gratiam efficacem, non dicitur confirmatus in gratia, etiam reſpectu actus, ad quem ipſa datur, ita nec habens donum perſeverantiæ dicitur ſimpliciter confirmatus in Gratia.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS V.

De duobus Gratiæ effectibus.

GRatia ſanctificans (de qua præſertim agitur in hoc Tractatu) duos habet effectus, unum per modum cauſæ formalis, alterum per modum cauſæ efficientis. Primus eſt *Juſtificatio*, quam operatur in ſubjecto, quod informat. Secundus *meritum*, ad quod concurrit cum ſubjecto, in quo recipitur: undè ſicut calor ſeipſum exhibendo reddit ſubjectum formaliter calidum, ac poſteà principium eſt calefactionis activæ; ita gratia ſanctificans per ſui exhibitionem reddit ſubjectum formaliter Sanctum & juſtum, eſtque principium ſanctæ operationis, qua gloriam promeremur. De duobus his effectibus breviter, ſed abundanter hic agemus.

DISPUTATIO PRIMA.

De Juſtificatione.

NOn agimus hìc de juſtificatione ſecunda, quæ eſt tranſitus à ſtatu minoris gratiæ ad ſtatum majoris, de qua Eccl. 18. dicitur: *Ne verearis uſque ad mortem juſtificari*, & Apocalyp. ultim. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc*, ſed de juſtificatione prima, & quidem impii, qua homo de peccatore fit juſtus.

QUÆSTIO I.

Quid juſtificatio, & per quid fiat?

CONCLUSIO I.

JUſtificatio hìc, eſt tranſlatio hominis à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ. Hanc definitionem eruimus ex Trid. ſeſſ. 6. c. 4. ubi loquens de juſtificatione à peccato originali, dicit *eſſe tranſlationem ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum.*

Dicitur 1. *Tranſlatio*; quia homo in juſtificatione verè, & propriè mutatur poſitivè quidem per receptionem gratiæ; privativè autem, per expulſionem peccati.

Dicitur 2. *A ſtatu peccati*, 1. ut excludatur juſtificatio B. V. Mariæ, Angelorum, & primi hominis, quæ fuit ſimplex gratiæ receptio abſque peccati excluſione, utpote qui nullum contraxerant: loquimur tamen de prima Adami juſtificatione, non de ſecunda. 2. Ut oſtendatur, quòd verè & propriè deleantur peccata, ut contra Calvinum dicemus inferius.

Dicitur 3. *Ad ſtatum gratiæ*, quia, ut ait Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. Juſtificatio non eſt ſola peccatorum remiſſio; ſed & ſanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum.

CONCLUSIO II.

JUſtificatio fit per veram formam intrinſecam & inhærentem ipſi juſto. Eſt de fide in Conc. Trid. ſeſſ. 6 Can. 11. contra Calvinum, Lutherum & alios Hæreticos, qui volunt hominem dici juſtum per Chriſti Juſtitiam ipſi extrinſecè imputatam, vel fide apprehenſam, abſque eo, quòd infundatur ipſi Juſtitia inhærens, qua interius renovetur: unde Calvinus lib. 3. Inſtit. c. 21. §. 22. *Vides*, inquit, *non in nobis, ſed in Chriſto eſſe juſtitiam noſtram*. Et cap. 16. § 1. *Quare ergo fide juſtificamur? quia fide apprehendimus Chriſti juſtitiam, qua una Deo reconciliamur.*

Prob. 1. Concluſio ex Scripturis, in quibus gratia dicitur eſſe in nobis, ut 1. Joan. 3. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius*, id eſt gratia, *in eo manet*, 1. Corint. 6. *Membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt*. Et Roma. 5 *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis*. Deinde per juſtificationem renovamur, juxta illud Epheſ. 4. *Renovamini Spiritu mentis veſtræ*; ſed non poteſt quis renovari per formam, quæ non eſt in ſe; ergo.

Prob. 2. Juſtificati dicuntur habere veſtem nuptialem, ſed ſi juſtificatio fieret per aliquid extrinſecum, non rectè dicerentur habere veſtem nuptialem; cùm nemo dicatur veſtiri per veſtem in alio exiſtentem: & certè taliter veſtitus in ſumma hyeme Calvinus, non ſudaſſet præ nimio calore &c.

Prob. 3. Ex Auguſtino Lib. de Spir. & litt. cap. 27. *Charitas diffunditur in cordibus noſtris, non qua nos ipſe diligit, ſed qua nos facit dilectores ſuos*. Et Tract. 26. in Joann. *Quid eſt hoc juſtitia Dei, & juſtitia hominis? juſtitia Dei hic dicitur, non qua juſtus eſt Deus, ſed quam dat homini Deus, ut juſtus ſit homo per Deum.*

Prob. Denique ex ipſomet Calvino ſibi contradicente lib. *De vera ratione reformandæ Eccleſiæ*, circa initium: *Nunquam reconciliamur Deo, quin ſimul donemur inhærenti gratia*, Quid expreſſiùs pro noſtra ſententia excogitari poteſt? Item lib. 1. Inſtit. c. 15. §. 4. dicit integritatem Adami nobis per Chriſti merita reſtitui: ſed illa Adami integritas fuit intrinſeca; cum ipſemet aſſerat 2. Inſtit. c. 1. §. 5. Adamum fuiſſe veſtitum ornamentis ſanctitatis, veritatis & juſtitiæ: ergo.

Dices 1. Chriſtus *Factus eſt nobis ſapientia.... & juſtitia*, 1. Cor. 1. ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Factus eſt nobis juſtitia formaliter: N. cauſaliter, in quantùm meruit nobis omnem Juſtitiam noſtram; C.

Dices 2. *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit: ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo*, 2. Cor. 5. ergo.

Reſp. Apoſtolum nihil aliud velle, quàm quòd efficiamur Juſtitia Dei ſimilitudinariè, in quantùm recipimus Juſtitiam inhærentem, quæ eſt ſimilitudo quædam & participatio juſtitiæ divinæ: nam ponit ibi quandam antitheſim inter peccatum & juſtitiam: ſicut ergo Chriſtus factus eſt pro nobis peccatum per ſimilitudinem, in quantùm aſſumpſit carnem ſimilem carni peccati; ita & nos dicimur per ſimilitudinem Juſtitia Dei.

Dices 3. Pſalmus 142. legitur: *Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*: ergo non recipimus Juſtitiam intrinſecam.

Reſp. Prophetam tantùm velle, quòd nullus in comparatione Dei reputetur juſtus, quia juſtitia noſtra, utpote quotidianis defectibus obumbrata, nihil eſt, aut quaſi nihil in comparatione juſtitiæ divinæ.

QUÆSTIO II.

An remittantur & deleantur verè peccata in juſtificatione impii?

CONCLUSIO UNICA.

IN juſtificatione impii verè & propriè deleantur ac remittuntur peccata. Eſt de fide in Concil. Trid. Seſſ. 5. can. 5. his verbis: *Si quis dixerit peccatum originale*, idem eſt de actuali, *non verè tolli per gratiam Chriſti, ſed tantùm radi, & non amplius imputari, Anathema ſit*. Eſt contra Hæreticos hujus temporis volentes peccata nec deleri, nec auferri, ſed tantùm occultari juſtitia Chriſti: unde peccator in juſtificatione remanet in fundo rei, ſecundum ipſos, peccator & injuſtus; induitur tamen juſtitia Chriſti, ne talis appareat in conſpectu Dei Patris: unde Calvinus lib. 3. Inſtitut. Cap. 11. §. 2. *Juſtificabitur ille fide, qui Chriſti juſtitiam per fidem apprehendit, qua veſtitus in conſpectu Dei, non ut peccator, ſed tanquam juſtus apparet.*

Prob. 1. Ex Script. Micheæ 7. *Projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra*. Pſalm 115. *Dirupiſti vincula mea*. Joan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Act. 3. *Convertimini, ut deleantur peccata veſtra*. Hebr. 9. *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata*: ſed ſi peccata tantùm tegerentur, non deberent dici *in profundum maris projici, diſrumpi, tolli, deleri, exhauriri*, ut per ſe patet: ergo.

Prob. 2. Ex illo Ezech 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*: ſed ſi peccata tantùm occultarentur, & non de facto auferrentur, non poſſet juſtificatus dici mundatus; quandoquidem nemo ſanæ mentis mundatum dixerit illum, qui remanet in ſuis ſordibus, licèt pallio mundo tegatur: ſicut non dicitur Æthiops albus, licèt veſte alba induatur.

Prob. 3. Peccata noſtra teguntur, juxta Calvinum, ut non appareant in conſpectu Dei; ſed ſi tantùm tegerentur, verè apparerent in conſpectu Dei, cujus oculis omnia, etiam occultiſſima, ſunt nuda & aperta: ergo.

Prob. 4. Si peccata non delerentur in juſtificatione, ſed ſolùm tegerentur ſeu non imputarentur ad culpam, inde oriretur, vel quia Deus non poſſet illa delere, vel quia nollet: neutrum dici poteſt; ergo. Non primum, quia peccatum delere non eſt facere, ut quod factum fuit, factum non fuerit, ſed

re-

reſtantem maculam auferre; ſed Deus id poteſt, cum de facto non remaneat in Beatis, juxta illud Apoc. 21. *Non intrabit in eam*, nempe civitatem cœleſtem, *aliquid coinquinatum*: ergo. Non etiam ſecundum, quia repugnat divinæ miſericordiæ, & derogat virtuti paſſionis Chriſti, qui factus eſt propitiatio pro peccatis noſtris.

Objic. 1. Pſ. 31. dicitur: *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*. Et Pſ. 84. *Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ: operuiſti omnia peccata eorum*: Ergo peccata ſolùm ſunt tecta & operta.

Reſpond. *Tecta & operta*, ibi idem eſſe ac deleta: & certè ſi intelligerentur tecta ad ſenſum Calvini, eſſent tecta, ut ſupponit, & non eſſent, quia nihil poteſt eſſe ante Deum tectum aut opertum.

Objic. 2. *Charitas operit multitudinem peccatorum*, 1. Pet. 4. ergo.

Reſ. Diſt. Ant. Operit &c reſpectu Dei, adeoque facit ut non ſint, cùm ſit idem reſpectu Dei eſſe opertum, & non eſſe C. operit ad ſenſum Hæreticorum: N. Unde Aug. ſerm. 2. in Pſ. 31. *Nec ſic intelligatis*, inquit, *peccata cooperta eſſe, quaſi ibi ſint & vivant*.

Obj. 3. Matt. 18. Dicitur, quòd Dominus exegerit à ſervo iterum peccante omne debitum, quòd ei antea dimiſerat: ergo non erat deletum & ablatum.

Reſp. Scripturam ſic loqui, non quaſi peccata remiſſa, non fuerint verè deleta, ſed ad oſtendendum quòd Deus puniat, non tantùm peccatum de novo commiſſum, ſed etiam ingratitudinem, quam teſtatur ille, qui iterum peccat, poſtquam tot ſunt ei remiſſa peccata.

Obj. 4. Paulus juſtificatus ſcribit ad Rom. 7. *Jam non operior illud, ſed quod habitat in me peccatum*; ergo per juſtificationem non aufertur.

Reſp. Apoſtolum ibi per peccatum intelligere concupiſcentiam, quam peccatum vocat, non quia tale eſt, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat.

Obj. 5. Iſaiæ 64. legitur: *Facti ſumus & immundi omnes nos & quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ*: Ergo ubi juſtificamur, non tolluntur peccata.

Reſp. Juxta D. Hieronym. & alios Interpretes mentionem ibi fieri de juſtitiis apparentibus & fictis; loquitur enim Iſaias in perſona populi impii, de quo paulò poſt ſubditur: *Non eſt qui invocet nomen tuum*.

Obj. 6. Peccata poſt juſtificationem poſſunt iterum ſubmitti clavibus: ergo adhuc ſubſiſtunt: quod enim non eſt, non poteſt eſſe materia abſolutionis.

Reſ. N. Conſ. Tunc enim non ſubmittuntur clavibus, ut deleantur ſimpliciter, ſed ut quaſi informata novo dolore, novam gratiam recipiat pœnitens ratione Sacramenti, Chriſto ita ordinante: dicit quidem Sacerdos: *Abſolvo te à peccatis tuis*, ſed, ut ſuo loco dicemus, illa verba æquivalent his: *Confero tibi gratiam remiſſivam peccati*, non autem *remittentem peccatum*, aliàs ablutus.

QUÆSTIO III.

An forma Sanctificans ſit ex natura ſua expulſiva peccati?

QUod hic quærimus de expulſione peccati, quærimus & de aliis effectibus formalibus ſecundariis formæ ſanctificantis, qui ſunt reddere hominem conſortem divinæ naturæ, Filium Dei adoptivum, cum jure ad vitam æternam, Deo amicum, juſtum, Sanctum &c. ac ideo quod de primo reſolvemus, idem de aliis reſolutum cenſebitur.

Dixi: *De aliis effectibus formalibus ſecundariis*; quia certum eſt formam ſanctificantem ex ſe & ex natura ſua reddere hominem phyſicè gratum, ſeu affectum illa qualitate, quæ eſt gratia, cùm ſit effectus illius primarius phyſicus ab eo inſeparabilis: nam hæc regula: *Poſita cauſa formali, neceſſariò, & infallibiliter ponitur effectus phyſicus*: nullam patitur exceptionem.

CONCLUSIO UNICA.

FOrma ſanctificans non expellit ex ſe & ex natura ſua formaliter peccatum, ſed tantùm moraliter ex peculiari Dei benevolentia & ordinatione, qui decrevit nulli permanenti in ſtatu peccati illam formam infundere: ſeu ad præſentiam talis formæ ſemper peccatum expellere. Ità Scotiſtæ cum ſuo Duce 2. diſt. 23. num. 7. & alibi, quibus adhærent Suarez, Bellarminus, Conink, Malderus, Præpoſitus & alii contra varios Thomiſtas.

Prob. 1. Concluſio: ut forma ſanctificans, ſeu gratia expellat phyſicè peccatum, debet phyſicè opponi peccato: ſed non opponitur: ergo Prob. Min. Si phyſicè opponeretur, vel contradictoriè, vel contrariè, vel privativè: non primum: quia talis oppoſitio tantùm reperitur inter affirmationem & negationem ejuſdem: non etiam ſecundum; quia oppoſitio contraria ſolùm habetur inter formas poſitivas in eodem ſubjecto incompatibiles; licèt autem gratia ſit quid poſitivum, non tamen peccatum, ut diximus ſuo loco: non denique tertium; quia peccatum ex natura ſua non eſt privatio gratiæ formaliter, ſed rectitudinis debitæ ineſſe actui ex lege.

Confirm. Ideo gratia ſanctificans haberet incompatibilitatem phyſicam cum peccato, quia peccatum impediret effectum illius phyſicum, cùm nulla alia ratio poſſit aſſignari: ſed peccatum non poteſt impedire effectum gratiæ phyſicum cùm ſit tantùm quid morale; morale autem non opponatur phyſico: ergo.

Prob. 2. Magis opponitur deſperatio habitui Spei Theologicæ, quàm furtum v.g. habitui Charitatis, ut per ſe patet: ſed deſperatio non deſtruit phyſicè habitum Spei: ergo nec furtum habitum Charitatis. Prob. Min. quia unicus actus non deſtruit phyſicè habitum oppoſitum; aliàs unica fornicatio deſtrueret habitum caſtitatis, unica intemperantia habitum temperantiæ, quod eſt contra communem ſenſum & experientiam, qua videmus habitus virtuoſos manere in peccatoribus, & vitioſos in juſtificatis, donec paulatim per varios actus contrarios corrumpantur: undè ſicut actus deſperationis tantùm moraliter & demeritoriè (Deo nempe ſic ordinante) deſtruit habitum Spei; ità & peccatum habitum Charitatis, ſeu Gratiam.

Obj. 1. Juxta Trid. ſeſſ. 6. c. 7. Unica eſt cauſa formalis noſtræ juſtificationis; ſed ſi Gratia non expelleret ex natura ſua peccatum, ſed tantùm ex favore Dei extrinſeco, eſſet duplex, nempe ipſa Gratia, & favor ille externus: ergo.

Reſ. N. Min. Nam favor ille externus, ſeu bonitas & miſericordia Dei ordinantis, ut ad præſentiam Gratiæ ſtatim expellatur peccatum, non eſt cauſa formalis noſtræ juſtificationis; cùm non poſſit denominare hominem formaliter juſtum, utpote quæ in illo non recipiatur, ſed eſt cauſa efficiens, ut inſinuat Trid. ſup. dicens. *Efficiens verò miſericors Deus, qui gratuitò abluit*, hoc eſt, peccatum deſtruit.

Obj. 2. Si expulſio peccati non eſſet ex natura rei conjuncta cum infuſione Gratiæ, non poſſet dici cauſa formalis noſtræ juſtificationis. Prob. Aſſumpt. quia effectus formalis connectitur ex natura rei cum cauſa formali, imò eſt ipſa forma communicata ſubjecto: quid enim aliud eſt parietem eſſe album, quàm eſſe informatum albedine?

Reſ. Diſt. Aſſ. Non poſſet dici cauſa formalis phyſica: C. moralis: N. nec plus vult Trid. quando dicit eſſe cauſam formalem noſtræ juſtificationis, ſeu tantùm vult, adveniente Gratia, ſtatim expelli peccatum, ſive hunc effectum habeat Gratia ex ſua entitate, ſive ex Dei ordinatione: quod parum facit ad intentum Concilii.

Inſt. 1. Cauſa formalis eſt, qua poſita, ponitur effectus formalis: ſed poſita Gratia tantum, non habetur juſtificatio; ergo nec phyſicè, nec moraliter cauſa eſt noſtræ juſtificationis.

Reſ. diſt. Mi. Poſita Gratia tantùm, id eſt poſita nuda entitate Gratiæ, non habetur &c. C. poſita Gratia tantùm, id eſt, poſita ſola Gratia prout ſubeſt Dei ordinationi, non habetur N. nec hanc excludit ordinationem Concilium, dum dicit Gratiam eſſe cauſam formalem juſtificationis.

Inſt. 2. Poſita nulla entitate Gratiæ, non habetur juſtificatio, & poſita illa ordinatione, ſeu favore Dei extrinſeco, habetur: ergo non Gratia, ſed favor ille eſt cauſa formalis: quod damnat Trid. ſeſſ. cit. can 11. his verbis: *Si quis dixerit Gratiam, qua juſtificamur, eſſe tantùm favorem Dei, anathema ſit*.

Reſp. Nec ſolam Gratiam, nec ſolum favorem, ſed Gratiam prout ſubeſt favori, eſſe cauſam formalem; ità tamen, ut favor ille, ſeu Dei ordinatio, non ſubeat rationem cauſæ formalis, etiam partialis, ſed cauſæ efficientis, ut ante diximus: undè ſicut quando Princeps ordinat, ut moneta ſit tanti valoris, ejus ordinatio non eſt ullo modo cauſa formalis ipſius valoris, ſed cauſa efficiens; ità & hic ordinatio Dei.

Obj. 3. Poteſt Deus creare qualitatem ex natura ſua expulſivam peccati; ſed nulla eſt ratio dicendi quòd non talem creaverit; ergo.

Reſ. N. Maj. Cùm enim non poſſit una qualitas eſſe expulſiva alterius ex natura ſua, niſi ei phyſicè opponatur; phyſicum autem non opponatur morali: hinc eſt quòd Deus non poſſit talem qualitatem producere.

Obj. 4. Gratia ex ſua entitate cauſat effectum aliquem phyſicum in ſubjecto; cùm ſit forma phyſica; ſed non eſt alius aſſignabilis, quàm expellere peccatum: ergo.

Reſp. N. Min. Quia ejus effectus phyſicus, eſt reddere animam gratam, ſeu affectam illa qualitate, quæ eſt Gratia, ut dictum eſt ſuperiùs: undè expellere peccatum, eſt tantùm ejus

effe-

Digitized by Google

effectus ſecundarius, quo carere poteſt aliquando cauſa formalis, præſertim moralis. Et certè nunquid poteſt eſſe divinitùs calor in ſubiecto, & non expellere frigus, cùm tamen ſit effectus ſecundarius caloris, & quidem phyſicus, frigus expellere?

Obji. 5. Gratia in ſcriptoris æquiparatur lumini, & peccatum tenebris, ut patet ex illo 2. Cor. 6. *Quæ ſocietas luci ad tenebras?* & alibi. ſed lux ex natura ſua expellit tenebras: ergo.

Reſp. Diſt. Maj. Æquiparatur lumini, & peccatum tenebris, quantum ad hoc, quòd ſicut adveniente lumine expelluntur tenebræ, ità & adveniente gratia expellatur peccatum: C. quantum ad hoc quòd gratia ex natura ſua expellat peccatum, ſicut lux tenebras: N. nec enim opus eſt, ut comparatio quoad omnia conveniat.

Obji. 6. Omnis forma expellit privationem ſibi oppoſitam: ſed peccatum habituale conſiſtit in privatione gratiæ: ergo.

Reſp. Neg. Min. Peccatum enim habituale non eſt formaliter privatio gratiæ, ſed peccatum præteritum moraliter remanens, donec gratia adveniens ipſum expellat.

Obji. 7. Gratia ſemper, neceſſariò, & infallibiliter expellit peccatum: ergo hoc habet ex natura ſua.

Reſp. Diſt. Ant. Semper, neceſſariò, & infallibiliter expelli peccatum, quia ſic Deus ordinavit: C. quia aliter fieri non poteſt: N. hæc fuſiùs patebunt quæſt. ſequenti.

QUÆSTIO IV.

An de potentia Dei abſoluta, poſſint eſſe ſimul peccatum, & gratia in eodem ſubjecto?

AGitur de peccato mortali tam actuali, quàm habituali: nam veniale poſſe eſſe cum gratia in eodem homine, nemo dubitat Catholicorum. Sed ante reſolutionem

Adverte gratiam poſſe ſumi dupliciter, 1. Materialiter, & in ratione qualitatis ſupernaturalis. 2. Formaliter, & in ratione Gratiæ reduplicativè, ſeu prout ſubſtat ordinationi Dei ſtatuentis per illam qualitatem, quæ eſt connaturale principium dilectionis eius, reddere hominem ſibi gratum, charum, hæredem regni cœleſtis &c. Nec diſplicere debet hæc differentia Thomiſtis: cùm ipſi eandem ferè admittant, dicentes poſſe Gratiam augeri in ratione Gratiæ, abſque eo quòd augeatur in ratione qualitatis, & hoc ratione divinæ acceptationis. Hoc notato

CONCLUSIO I.

DE potentia Dei abſoluta poteſt Gratia materialiter ſumpta eſſe ſimul in eodem ſubiecto cum peccato tam actuali, quàm habituali. Eſt D. Bonaventuræ, Scoti, Ocham, & eorum ſequacium, ac etiam omnium Quæſt. præced. citatorum.

Ratio eſt; quia nullam habent inter ſe oppoſitionem naturalem, ut antea oſtendimus, ſed tantùm provenientem ex Dei ordinatione: ergo, ſecluſa illa ordinatione Deo libera, poſſunt eſſe ſimul. Præterea non magis exigit Gratia deſtructionem peccati ab eodem ſubiecto, quàm collationem gloriæ finaliter perſeveranti: ſed poteſt abſolutè Deus non conferre gloriam perſeveranti: ergo nec condonare peccatum, gratiam recipienti.

Obji. 1. Averſio ab aliquo objecto, & converſio ad idem, ſunt in eodem ſubiecto phyſicè incompatibiles: ſed Gratia eſt converſio ad Deum, & peccatum averſio à Deo: ergo.

Reſp. Diſt. Maj. Averſio & converſio actuales &c. C. ſic impoſſibile eſt, ut quis convertatur actualiter in Deum per actum amoris ſuper omnia, & ſimul avertatur ab eodem per converſionem actualem ad creaturam, aliàs enim ipſum ſuper omnia diligeret, ut ſupponitur, & non diligeret, cùm plus diligeret creaturam. Converſio habitualis qualis habetur per Gratiam, & averſio actualis, qualis habetur per peccatum ſunt &c. N. ſicut enim actus non opponitur habitui, ità nec averſio actualis, converſioni habituali: & certè ſi exercens unicum actum intemperantiæ, remaneat habitualiter temperans, cur actualiter averſus, non poſſet manere habitualiter converſus, niſi Deus aliter ordinaſſet? Sed quoniam hæc ſolutio non evacuat difficultatem ſimultatis peccati habitualis cum Gratia; per hanc enim homo eſt habitualiter converſus ad Deum & per illud ab eodem habitualiter averſus, quæ videntur oppoſita in eadem linea & ordine, dicendum eſt, quòd per Gratiam materialiter, ſeu ut eſt qualitas præcisè, non dicatur homo converſus ad Deum, ſed per Gratiam ut Gratia eſt, id eſt, ut ſubeſt ordinationi Dei, ita ſtatuentis.

Obji. 2. Si peccatum & gratia eſſent ſimul in homine, eſſet ſimul Deo amicus, & inimicus, juſtus & injuſtus, dignus vita æterna, & indignus eadem: ſed hæc implicant: ergo.

Reſp. Neg. Maj. quia licèt ratione peccati eſſet ſimpliciter Deo inimicus &c. ratione tamen gratiæ non eſſet juſtus, Deo amicus &c. quia effectus illi ſunt tantùm à gratia moraliter, & ex lege Dei, ac proinde poſſunt ab eodem ſuſpendi.

Obji. 3. Non poſſunt eſſe ſimul juſtitia & injuſtitia, cùm ſint contradictoria; ſed gratia eſt vera & perfecta juſtitia, juxta Trident. ſupra, & peccatum eſt formaliter injuſtitia: ergo.

Reſp. Diſt. Min. Gratia eſt verè &c. prout pura & nuda gratiæ habitualis qualitas: N. prout eſt gratia formaliter; ſeu prout ſubſtat divino decreto ſtatuenti ut ad ejus adventum evaneſcat peccatum. C.

Obji. 4. Deus peccatorem odit: ſed non poteſt odiſſe habentem, etiam materialiter ſumptam: ergo &c.

Reſp. Neg. Conſeq. Et dico, quòd ſicut nunc poteſt Deus hominem odiſſe ut peccatorem, & diligere ut opus manuum ſuarum, ità in noſtro caſu odiſſet hominem ut peccatorem, & non odiſſet ut habentem gratiam, imò poſſet ipſum ut talem diligere: quia non repugnant amor & odium reſpectu diverſorum objectorum formalium.

Obji. 5. Non poteſt idem homo ſpiritualiter vivere, & ſpiritualiter mortuus eſſe: ſed hoc fieret: ergo.

Reſp. Neg. Min. Quia ſpiritualiter vivere habetur à gratia formaliter ſumpta.

CONCLUSIO II.

NOn poſſunt eſſe ſimul, etiam de potentia Dei abſoluta, peccatum & gratia formaliter ſumpta.

Ratio eſt; quia hoc importat manifeſtam contradictionem, quandoquidem gratia formaliter ſumpta ſit forma juſtificans ex ordinatione Dei: ſed non poteſt juſtificare, niſi tollat peccatum: ergo. Prob. Min. Ex Trident. Seſſ. 6. cap. 7. Ubi docet juſtificationem importare & ſanctificationem interioris hominis, & peccatorum remiſſionem.

Confirm. Quia ſicut implicat, ut aliquid ex frigido fiat calidum ſine amiſſione frigoris; ita implicat, ut homo ex injuſto fiat juſtus ſine amiſſione injuſtitiæ, ſeu peccati.

Dices 1. Non implicat quòd homo dicatur juſtus ratione gratiæ, & injuſtus ratione peccati: ergo poſſunt eſſe ſimul peccatum, & gratia.

Reſp. Neg. Ant. Quia vera juſtitia dicit carentiam injuſtitiæ, adeoque & peccati.

Dices 2. Poteſt quis eſſe dignus & indignus gloria æterna: ſed non eſt dignus gloria, niſi per gratiam, & indignus eadem, niſi per peccatum: ergo poſſunt eſſe ſimul. Prob. Maj. Poteſt quis eſſe dignus hæreditate paterna propter filiationem, & *indignus* illa propter crimina. ergo ſimiliter.

Reſp. Neg. Maj. Ad probationem, nego conſeq. Diſparitas eſt; quòd ibi dignitas & indignitas ſint diverſi ordinis; prima ſiquidem fundatur in natura, & ſecunda in demerito; in noſtro autem caſu ſint ejuſdem ordinis, cùm prima fundetur in merito, & ſecunda in demerito: implicat verò, ut quis ſimul mereatur & demereatur idem præmium, adeoque ſit dignus & indignus beatitudine.

Dices 3. Ad implicantiam neceſſaria eſt affirmatio & negatio de eodem: ſed etiamſi gratia & peccatum eſſent ſimul, id non reperiretur, cùm peccatum non ſit negatio gratiæ, nec gratia peccati: ergo.

Reſp. Diſt. Maj. Neceſſaria eſt affirmatio & negatio formalis: N. formalis aut virtualis: C. virtualis autem reperitur; quandoquidem illo caſu gratia eſſet forma juſtificans, ut ſupponitur; & non eſſet; cùm non expelleret peccatum.

QUÆSTIO V.

An poſſit remitti peccatum mortale abſque infuſione Gratiæ ſanctificantis?

SUppono id nunquam fieri; quia contrarium ſtatuit Deus ut ſatis liquet ex Trident. ſupra; ſed quæritur, an ſaltem de potentia Dei abſoluta id fieri non poſſit?

CONCLUSIO UNICA.

POteſt de potentia Dei abſoluta remitti peccatum mortale abſque infuſione gratiæ ſanctificantis. Eſt D. Bonaventuræ, Scoti, Ocham, cùm omnibus Scotiſtis, & Nominalibus, quibus ſuffragantur plurimi alii: etiam Thomiſtæ. Nec contrariatur D. Thomas, dum 1. 2. qu. 103. ait: *Non poſſet intelligi remiſſio culpæ, ſi non adeſſet infuſio gratiæ*; quia evidenter loquitur de remiſſione culpæ prout nunc ordi-

Digitized by Google

ordinata eſt à Deo, ut ſatis patebit articulum conſideranti.

Prob. 1. Quia remiſſio peccati dependet à mero Dei beneplacito: ergo, ut illud remittat, non tenetur gratiam infundere. Præterea cur non poſſet annectere vim remittendi peccatum actui contritionis aut dilectionis, quænam indè implicantia?

Prob. 2. Quia gratia, ut diximus, non habet ex natura ſua remittere peccatum, ſed ex Dei inſtitutione: ergo poteſt Deus ſe ſolo facere, quod cum illa facit.

Prob. 3. Poteſt homo remittere alteri offenſam ſine alicujus qualitatis impreſſione; ergo id etiam poteſt Deus; cùm ejus voluntas ſit infinitè perfectior & efficacior. Dicere autem hominem non remittere culpam, ſed ſolùm debitum ſatisfaciendi, eſt ludere verbis; quandoquidem ubi remanet culpa, remaneat & illud debitum, quod ex culpa ſequitur tanquam proprietas.

Prob. 4. Poteſt à ſubjecto tolli nigredo abſque eo quòd introducatur albedo; ergo poteſt ab homine tolli peccatum abſque eo quòd introducatur gratia. Prob. Conſ. Ideò Antecedens verum eſt, quia nigredo & albedo non ſunt immediatè oppoſita: ſed nec talia ſunt gratia & peccatum, cùm detur ſtatus medius in puris naturalibus; ergo. Et ideò quando D. Thom. loc. cit. vult eſſe immediatè oppoſita, loquitur de illis prout ſubſtant præſenti decreto quo Deus ſtatuit ſemper ad adventum unius expellere alterum.

Dices: licèt abſolutè loquendo non ſint immediatè oppoſita, talia ſunt tamen reſpectu hominis ad finem ſupernaturalem ordinati: quia peccatum habituale reſpectu hujus ſtatus eſt voluntaria gratiæ ſanctificantis privatio, forma autem, & privatio ejuſdem opponuntur. Sed

Contra eſt, quòd in nullo ſtatu conſiſtat peccatum habituale in privatione gratiæ; ſed in perſeverantia morali, donec remittatur, ut fusè probavimus in Tract. de peccatis.

Prob. 5. Poteſt auferri gratia ſine peccato; ergo & peccatum ſine gratia, cùm ſit par ratio. Prob. Ant. Poteſt Deus remittere peccatum per infuſionem gratiæ, & remiſſione facta, gratiam auferre ſine aliqua hominis culpa; quandoquidem gratia non habeat eſſentialem connexionem cum ſubjecto. Dicunt aliqui tunc hominem non fore amplius ordinatum ad finem ſupernaturalem, ſed mirum eſt, quòd carens gratia & habens peccatum adhuc ordinetur ad finem ſupernaturalem & carens gratia & peccato pro aliquo tempore: non amplius ordinetur, cùm natura peccato infecta magis avertatur à fine ſupernaturali, quàm natura nuda. Volunt alii poſſe quidem auferri gratiam ſine peccato, quia Gratia dependet à Deo in fieri & conſervari; non tamen peccatum ſine gratia, quia peccatum non ſic dependet à Deo: ſed, etſi non dependeat in fieri & conſerrari, dependet tamen in permitti: deſinat ergo permittere, ſtatim deſtruetur, ſicut quando deſinit conſervare gratiam, ſtatim aufertur.

Obj. 1. contrà Concluſionem: Hæc ſententia ſavet hæreticis volentibus juſtificationem fieri per ſolam extrinſecam non imputationem.

Reſp. Neg. Aſſump. Illi enim volunt de facto ita fieri; nos autem non ita fieri; ſed poſſe fieri. Præterea docent illi peccatum non imputatum ad damnationem adhuc manere; nos autem verè & propriè tolli.

Objic. 2. Non poteſt homo à peccato mundari, niſi fiat juſtus, & Deo amicus; ſed hoc haberi non poteſt ſine gratia; ergo.

Reſp. Diſſimulato Ant quod falſum eſt, cum poſſit eſſe nec juſtus nec injuſtus: nec amicus nec inimicus &c. N. Min. Quia effectus illi, ſicut eſt eſſe Filius Dei adoptivus, hæres regni cœleſtis &c. haberi poſſunt per ſolam extrinſecam Dei acceptationem: & certè ſi poſſit homo filium adoptare, hæredem inſtituere, amicum habere ſine impreſſione alicujus intrinſeci in adoptato, hærede, aut amico, quidni poſſet & Deus cùm in hoc nulla involvatur imperfectio.

Obji. 3. Non poteſt fieri juſtificatio, cùm ſit motus; ſine termino à quo, & termino ad quem; ſed terminus à quo eſt peccatum, & terminus ad quem eſt gratia; ergo. Undè Trid. ſupra definit juſtificationem per tranſlationem à ſtatu peccati, ad ſtatum gratiæ.

Reſp. Diſt. Min. Terminus à quo, & ad quem juſtificationis inadæquatè ſumptæ pro ſola peccati remiſſione, eſt peccatum & gratia: N. quia terminus à quo eſt peccatum, & terminus ad quem abſentia peccati. Juſtificationis adæquatè ſumptæ pro peccati remiſſione & infuſione gratiæ tranſeat. Dico: *tranſeat*, quia licèt juſtificatio ſic ſumpta dicatur moraliter una mutatio, eò quòd unum ſemper comitetur aliud, phyſicè tamen ſunt duæ, adeoque interveniunt duo termini à quo, & duo ad quem, nempe tranſitus à peccato ad abſentiam peccati, & tranſitus à privatione gratiæ, ad ipſam gratiam.

Obji. 4. Nequit eſſe tranſitus à contradictorio ad contradictorium ſine mutatione, ſed dum remittitur peccatum, ſic tranſit peccator: ergo mutatur, adeoque recipit aliquid intrinſecum, nempe gratiam.

Reſ N. Maj. Nequit eſſe tranſitus ſine mutatione phyſica aut morali: C. ſine phyſica: N. poteſt enim quis tranſire ad Cardinalatum aut Papatum ſine mutatione phyſica: quidni ſimiliter de inimicitia ad amicitiam Dei?

Inſtabis: Si non mutetur conſtitutus Papa, mutatur tamen conſtituens: ſed hic non poteſt mutari juſtificans, nempe Deus; ergo mutari debet juſtificatus.

Reſp. Licèt non mutetur in juſtificatione Deus, qui eodem actu, quo ab æterno voluit permiſſionem peccati pro tempore priori, voluit condonationem ejuſdem pro tempore poſteriori; non mutari tamen intrinſecè peccatorem, quandoquidem immutatio Dei non inferat hic mutationem peccatoris, ut per ſe patet.

Objic. 5. Si non infunderetur gratia in remiſſione peccati, nullum eſſe objectum divinæ voluntatis condonantis, ſeu aliquid deſtruentis; non quidem privatio gratiæ, quia non infunderetur gratia; non actus peccati præteritus, quia non poteſt tolli; ergo &c.

Reſp. Condonari ſeu deſtrui peccatum præteritum, non quidem faciendo, ut quod fuit, non fuerit, cùm ſit impoſſibile; ſed faciendo ut non cenſeatur amplius exiſtere, nequidem moraliter.

Obj. 6. Non poteſt Deus condonare offenſam peccatori, niſi fiat ipſi pacatus; ſed Deus nulli pacatur niſi ipſum diligat, & neminem diligit, niſi in eo aliquid imprimat, cùm ejus amor ſit fœcundus & efficax, ac magis effectivus, quàm affectivus, in quo differt ab amore humano, qui eſt ſterilis & tantùm affectivus: ergo. Sic ferè ratiocinatur P. Gonet.

Reſpond. 1. Diſt. primam partem Min. nulli pacatur niſi ipſum diligat vel poſitive, vel negativè: C. niſi diligat poſitivè N. ſufficit enim quòd deſinat ipſum odio habere, & eſſe ipſi offenſus.

Reſ. 2. N. ſecundam Partem. Min. univerſaliter intellectam: nam diligit Deus poſſibilia, & nihil tamen in illis producit. Item diligit peccatorem ut opus manuum ſuarum, in quo nihil intrinſecum imprimit. Imò ſi juſtos diligendo, gratiam in ipſis producat, poteſt tamen de potentia abſoluta ipſos diligere & gratiam intrinſecam ipſis non conferre; cùm inde nulla ſequatur contradictio.

Objc. 7. Poſt offenſam remanet in offendente privatio converſionis ad Deum, conformitatis ad rationem & legem, ſed privationes illæ non poſſunt auferri niſi per formam oppoſitam; ergo.

Reſp. Privationes illas non aliter manere, quàm ipſum peccatum præteritum, id eſt moraliter; poteſt autem id, quod ſolùm moraliter exiſtit, auferri per extrinſecum, ut patet in diſpenſatione, per quam tollitur obligatio intrinſeca voti: unde quòd privatio viſus aut vitæ non poſſit tolli niſi per formam, oritur ex eo, quòd ſuo modo phyſicè exiſtant.

Obj. 8. Ex noſtra ſententia ſequitur peccatum remitti in Sacramento Pœnitentiæ, antequam infundatur gratia; cùm ante ejus infuſionem condonet Sacerdos nomine Dei.

Reſ. Sacerdotis condonationem factam nomine Dei referri ad inſtans naturæ ſubſequens infuſionem gratiæ; quaſi diceret: condono tibi peccata mediante gratia, ad hoc divinitus ordinata.

Objic. 9. Si poſſint remitti peccata ſine infuſione gratiæ, cur non ita ſit? Cum fruſtra dicatur fieri per plura, quod poteſt fieri per pauciora.

Reſp. Quòd ſicut Deus voluit nobis conferre gratiam mediantibus Sacramentis licèt id potuerit independenter ab illis; ita & voluit peccata noſtra remittere mediante gratia, propter rationes ſibi notas.

QUÆSTIO VI.

An poſſit Deus de potentia abſoluta remittere peccatum per gratiæ infuſionem, abſque ulla peccatoris retractatione ſeu pœnitentia?

Dico: *de potentia abſoluta*; quia certum eſt ex Tridentini definitionem ad juſtificationem peccatoris adulti, de qua hic agimus, requiri de lege ordinaria aliquem voluntatis actum, quo ſe ad gratiam præparet ac diſponat.

CONCLUSIO UNICA.

Poteſt de potentia Dei abſoluta juſtificari peccator adultus abſque ulla peccati retractatione. Eſt ſatis communis etiam extra ſcholam Scotiſtarum & Nominalium.

Prob.

Prob. 1. Juſtificantur parvuli in baptiſmo à peccato originali abſque ulla retractatione: ergo ſimiliter juſtificari poſſunt adulti à peccato actuali: peccarunt quidem hi propria voluntate; ſed quid tum? Cùm originale parvulos verè maculet ac reddat filios iræ, ſicut actuale adultos; unde hoc oſtendit retractationis convenientiam, non tamen abſolutam neceſſitatem.

Prob. 2. Si retractatio neceſſariò requiratur ad juſtificationem, vel ut forma expellens peccatum, vel ut diſpoſitio ad expulſionem: non primum, quia unica eſt noſtræ juſtificationis forma, nempe gratia: non etiam ſecundum; quia, ut dicitur in phyſica, nulla eſt forma quam Dei potentia abſoluta non poſſit in ſubjectum introducere abſque ulla prævia diſpoſitione; cùm ex forma, ſine prævia diſpoſitione introducta, nulla aſſignari poſſit contradictio.

Prob 3. Quia, licèt commiſſio peccati ſit opus hominis, remiſſio tamen peccati eſt opus ſolius Dei: ergo poteſt illud abſque hominis interventu condonare: quòd ſi nunc aliquas diſpoſitiones à peccatore exigat, id non facit quia ab illis dependet ut culpam remittat, ſed ut magis homo ingratitudinem ſuam & rebellionem agnoſcat.

Prob. 4. Homo offenſus poteſt alteri non pœnitenti culpam condonare, quidni poſſet & Deus infinitè magis miſericors? Replicas hominem offenſum remittere debitum ſatisfaciendi, non culpam, ſed ſi hanc non remittit, nec remittit illud, cùm ex culpa remanente, remaneat & debitum ſatisfaciendi tanquàm illius proprietas, ut diximus.

Obj. 1. Peccatum habituale, definitur peccatum præteritum moraliter remanens, donec retractetur: ergo quamdiu non adeſt retractatio, tamdiu cenſetur perſeverare.

Reſ. N. Ant. Quia loco *retractetur*, ponendum eſt *remittatur*, ut patet ex dictis in Tract. de peccat. Deinde ſi valeret illa definitio, poſſet peccatum per ſolam attritionem remitti, cùm ſit vera peccati retractatio: hoc autem falſum eſt.

Obj. 2. Peccatum habituale nihil eſt aliud, quàm habitualis averſio à Deo, & converſio ad creaturam: ſed non poſſunt illa deſinere ſine pœnitentia peccatoris: ergo nec peccatum.

Reſ. diſt. Ma. Nihil eſt aliud quàm habitualis averſio & converſio phyſica: N. Moralis & quoad imputationem, in hoc conſiſtens, quòd cenſeatur remanere averſio & converſio præterita, quamdiu non remittitur peccatum: C. licèt autem averſio & converſio phyſica non poſſit deſinere ſine retractatione peccatoris, & ideo non poſſit remitti peccatum eodem inſtanti quo committitur, poteſt tamen ſine illa deſinere, ubi tantùm eſt moralis; quia ad hoc ſufficit quòd non amplius imputetur.

Obj. 3. A quo effectus dependet in fieri, dependet in conſervari; ſed peccatum dependet in fieri à peccatore; ergo & in conſervari, & conſequenter, niſi retractet, ſemper conſervabitur.

Reſp. Diſſimulata Ma. diſt. Min. Dependet in fieri à peccatore ex Dei permiſſione: C. ſeclusa Dei permiſſione: N. & ſic etiam dependet in conſervari; & ideo ubi Deus deſinet permittere, deſinet conſervari.

Obj. 4. Ex noſtra ſententia ſequitur, poſſe Deum remittere peccatum eodem inſtanti quo committitur; ſed hoc implicat, aliàs idem homo eſſet ſimul peccator, & non peccator; ergo. Prob. Maj. Quia ſufficit ad remiſſionem condonatio Dei externa, quæ poteſt eſſe ſimul cum actuali peccato, ut patet in homine offenſo, qui interdum condonat injuriam actualiter offendenti.

Reſ. N. Sequel. Ad probationem, dico, quòd licèt poſſit eſſe condonatio hominis offenſi ſimul cum actione injurioſa, non tamen condonatio Dei. Diſparitas eſt, quòd homo ſive juſtè, ſive injuſtè, poſſit conſentire ut ipſum diffamem v. g. quo caſu diffamatio non eſt ipſi injurioſa, quia ſcienti & volenti non fit injuria, repugnat autem Dei ſanctitati conſentire, ut ipſum offendam, & ſic licèt poſſit inſtanti ſequenti peccatum condonare, non tamen eodem inſtanti.

Obj. 5. Ex Trid. ſeſſ. 4. c. 4. debet eſſe *voluntaria gratiæ ſuſceptio* in juſtificatione peccatoris: ſed non eſt voluntaria, niſi peccatum retractet. ergo.

Reſp. Majorem eſſe veram de lege ordinaria, in quo caſu loquitur Trid. ſed hoc non obeſt noſtræ concluſioni, cùm non implicet quominus juſtificet Deus peccatorem dormientem, ſicut juſtificat parvulum uſu rationis carentem.

QUÆSTIO VII.

An forma ſanctificans ſit actus vel habitus, & an diſtinguatur à Charitate habituali?

CONCLUSIO I.

Forma ſanctificans non eſt actus, ſed habitus. Eſt communis, eamque ſuſtinet Scotus variis locis.

Prob 1. Nulla eſt ratio aſſerendi aliam eſſe formam ſanctificantem in parvulis, quàm in adultis; ſed forma ſanctificans quam recipiunt parvuli in baptiſmo, eſt habitus, cùm ſint actus incapaces: ergo.

Prob. 2. Tantùm attritus, ſecundùm probabilem ſententiam, cum Sacramento Pœnitentiæ, aut Baptiſmi juſtificatur; ſed non juſtificatur per actum: ergo per habitum. Prob. Mi. Non quidem per actum attritionis; quandoquidem attritio ſecundùm omnes non ſit juſtificativa: non etiam per actum contritionis, aut Charitatis perfectæ, cùm ſupponatur illos non habere, neque per alios actus imaginabiles, ergo &c. An autem in praxi ſufficiat attritio, vel non? Suo loco dicemus.

Prob 3. Actus hujus viæ eſt ex natura ſua tranſiens: ſed forma ſanctificans eſt permanens, cùm nonniſi per peccatum mortale tollatur. ergo.

Prob 4. Gratia ſanctificans non eſt ſubſtantia, cùm inhæreat animæ, neque actus, ut oſtendimus, neque potentia, cùm recipiatur in potentia, nempe voluntate, neque ullum accidens excogitabile præter habitum: ergo.

CONCLUSIO II.

Forma, ſeu Gratia ſanctificans non diſtinguitur realiter à Charitate habituali. Ita Scotus 1. d. 17. q. 2. & alibi. Huc adhærent non tantùm ejus Diſcipuli, ſed & Durandus, Alenſis, Bellarminus, Hurtado, Coninck, & plurimi alii.

Prob. 1. Cui competunt proprætates, competit & eſſentia: ſed proprietates Gratiæ competunt Charitati habituali: ergo Gratia eſt Charitas. Prob. Mia. Quia tollere peccatum, facere ſanctos, Immaculatos, Filios Dei, unire hominem Deo &c. quod eſt proprium Gratiæ ſanctificantis, tribuit Scriptura Charitati, nam 1. Petr. 4. dicitur: *Charitas operit multitudinem peccatorum*. 1. Joan. 3. *Videte qualem Charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & ſimus*. Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo..... ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ejus in Charitate*, 1. Joan. 4. *Qui manet in Charitate, in Deo manet* & alibi.

Prob. 2. Ex Tridentino ſeſſ. 6. c. 11. ubi loquens de *noſtra* Juſtificatione, aſſerit non fieri ſola remiſſione peccatorum excluſa Gratia, & Charitate, *quæ per Spiritum S. diffundatur*; ergo cenſet unicam eſſe formam, Gratiam & Charitatem, quia ſi duæ eſſent, dixiſſet *diffunduntur*, & non *diffunditur*. Præterea ibidem c. 7. poſtquam dixiſſet unicam eſſe cauſam formalem noſtræ juſtificationis, docet illam eſſe Charitatem, quæ diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhæret: imò ſubdit in juſtificatione, ultra peccatorum remiſſionem, infundi Spem, Fidem, & Charitatem, nulla facta mentione gratiæ: quod ſanè feciſſet, ſi crediſſet illam eſſe à Charitate diſtinctam; cùm hic præcipuè agat de forma ſanctificante.

Prob. 3. Cauſa formalis noſtræ juſtificationis eſt juſtitia Dei, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit, ut ait Trid. ſupra; ſed ex Auguſtino lib. de Nat. & Grat. c. 42. *Charitas eſt veriſſima, pleniſſimaque juſtitia*: ergo. Unde c. 38. dixerat: *Charitas Dei, qua una verè juſtus eſt, quicumque juſtus eſt*.

Prob. 4. Si gratia & Charitas realiter diſtinguerentur, poſſent ſeparari: ſed inde ſequitur magnum inconveniens: ergo. Prob. Mi. Nam ſi quis moreretur habens Charitatē, & non habens gratiam; nec damnaretur, nec ſalvaretur: non damnaretur, quia nullum haberet peccatum, utpote incompatibile cum Charitate: nec ſalvaretur, quia defectu gratiæ non eſſet Filius Dei adoptivus, cui ſola gloria repromiſſa eſt.

Prob. 5. Quia nulla ratio vel authoritas, ſive Scripturæ, ſive Conciliorum, ſive Patrum adfert aliquam neceſſitatem diſtinguendi realiter Gratiam à Charitate, ut patebit ex ſolutione objectionum.

Obj. 1. Varia Scripturæ loca, ubi Gratia & Charitas ponuntur tanquam duo diſtincta, ut 2. Cor. 13. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Charitas Dei, &c.* Idem aſſeritur 1. ad Timoth. 1.

Reſ. Apoſtolum ibi vel loqui de charitate actuali, quam conſtat realiter à gratia eſſe diſtinctam; aut, ſi de habituali, vel aſſu-

Goo

ſumit gratiam & Charitatem tanquam verba ſynonima, quæ ſolo nomine differunt; vel certè per ordinem ad diverſos effectus, quia habitus ille unicus ut conſtituit animam in quodam eſſe ſupernaturali & divino, dicitur *gratia*; ut autem eſt principium dilectionis ſupernaturalis, dicitur *Charitas*; & ideò gratiam à Charitate connotato diſtinguimus.

Ex quo patet ulteriùs ſolutio ad id, quod objicitur ex Trid. ſupra, ubi dicit juſtificationem non fieri *excluſa gratia & Charitate*: quia eundem habitum, propter diverſos effectus, diverſis exprimit nominibus. Quod autem credat eſſe unicum, patet ex eo, quòd de gratia & Charitate dicat: *diffunditur*, & non *diffunduntur*, ut diximus.

Obji. 2. Concilium Viennenſe aſſerit probabilius eſſe & Patribus conformius infundi parvulis in Baptiſmo gratiam & virtutes: ergo diſtinguit gratiam à virtutibus, inter quas eſt Charitas. Item Trid. Seſſ. 6. cap. 7. ait juſtificationem fieri per ſuſceptionem gratiæ & donorum.

Reſp. Per *virtutes & dona* à gratia diſtincta intelligere Spem & Fidem, & fortè virtutes morales per ſe infuſas, non tamen Charitatem.

Obji. 3. Auguſtinus lib. de grat. Chriſti c. 30. ſic loquitur: *Per gratiam, qua juſtificamur, diffunditur Charitas Dei in cordibus noſtris*: ergo, ſi per gratiam diffundatur Charitas, aliud eſt gratia, aliud Charitas, cùm non poſſit idem ſeipſum diffundere.

Reſp. Auguſtinum non velle, quòd gratia infundat charitatem, cùm nequidem infundat Spem & Fidem, ſed ipſa cum illis infundatur animæ; ſed quòd; dum infunditur gratia, infundatur & Charitas, cùm ſit quid idem. Nec iſte loquendi modus eſt inuſitatus: nam ſano ſenſu dici poteſt, quòd homo per animam recipiat intellectum & voluntatem, licèt anima non producat intellectum & voluntatem, ſed ſit quid idem realiter cum illis.

Obji. 4. Principium eſſendi diſtinguitur realiter à principio operandi? ſed gratia eſt principium conſtituens hominem in eſſe ſupernaturali: ergo non poteſt eſſe ipſi principium operandi ſupernaturaliter, & conſequenter admittenda eſt Charitas à gratia diſtincta.

Reſp. Neg. Ma. Anima enim eſt principium conſtituens hominem in eſſe ſpirituali, & tamen eſt ipſi realiter principium operandi ſpiritualiter, v. g. intelligendi, volendi; quandoquidem anima non diſtinguatur realiter ab intellectu & voluntate.

Obji. 5. Charitas habitualis eſt virtus: ſed, juxta Philoſophum 7. Phyſicorum cap. 3. *Virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum*: ergo Charitas, quæ eſt virtus ſupernaturalis, ſupponit naturam in eſſe ſupernaturali perfectam, ſcilicet per gratiam.

Reſp. Diſt. Min. Virtus eſt diſpoſitio perfecti, ideſt, completi in ſuo eſſe: C. ideſt, completi in eodem eſſe, quod habet ipſa virtus: N. univerſaliter loquendo: nam Fides & Spes, quæ ſunt virtutes ſupernaturales, non præſupponunt neceſſariò hominem conſtitutum in eſſe ſupernaturali per gratiam, cùm poſſint eſſe in peccatore, in quo non eſt gratia, ut patet ex Trident. ſupra citato.

QUÆSTIO VIII.

Quæ ſint cauſæ juſtificationis?

CONCLUSIO I.

CAuſa finalis juſtificationis eſt honor Dei, gloria Chriſti, & beatitudo hominis. Patet ex Trid. ſupra, ubi ſic loquitur: *Hujus juſtificationis cauſæ ſunt, finalis quidem gloria Dei, & Chriſti, ac vita æterna*. Quia gratia in juſtificatione collata proximè tendit ut Dei gloria manifeſtetur, Chriſti merita illuſtrentur, ac tandem homo æternam beatitudinem aſſequatur.

CONCLUSIO II.

CAuſa meritoria juſtificationis eſt Chriſtus, qui, ut ait Trid. ſup. *Cum eſſemus inimici, propter nimiam Charitatem, qua dilexit nos, ſua ſanctiſſima Paſſione in ligno Crucis nobis juſtificationem meruit*. Sed hac de re in Tract. de Incarn. An autem præter meritum Chriſti, etiam concurrat meritum noſtrum ad juſtificationem? Affirmamus, ſi agatur de juſtificatione ſecunda, in qua quis de juſto fit juſtior: illa ſiquidem confertur nobis à Deo propter opera bona, quibus eam meremur, ut probabimus poſteà. Negamus tamen, ſi agatur de juſtificatione prima, in qua homo ex impio fit juſtus; illa enim eſt merè gratuita, ut patet ex illo ad Rom. 3. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius*: unde quamvis diſpoſitiones hanc juſtificationem antecedentes ſint opera bona à gratia actuali & libero arbitrio procedentia; quia tamen fiunt ab homine adhuc peccatore, adeoque necdum juſtificato, nec gratiæ infuſionem, nec peccatorum remiſſionem merentur. Quod confirmat Trid. ſeſſ. 6. c. 8. *Nihil eorum*, inquit, *quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur*.

CONCLUSIO III.

EFficiens cauſa principalis juſtificationis eſt ſolus *miſericors Deus, qui gratuitò abluit & ſanctificat, ſignans & ungens ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ*, inquit Trident. cap. 7. & Ratio eſt; quia illius ſolius eſt efficienter principaliter juſtificare, cujus eſt gratiam producere & peccata remittere: ſed Dei ſolius eſt illa facere: ergo. Prob. Min. Quoad primam partem: Quia gratia creatur; creatio autem ſoli Deo competit, ut dicitur in Phyſica. Probatur quoad ſecundam partem ex illo Iſa. 43. *Ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas*. Unde Phariſæi mirantes, quòd Chriſtus Paralitico peccata dimiſiſſet, dixerunt: *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?*

Dixi: *efficiens principalis*; quia Sacramenta ſunt cauſæ illius inſtrumentales, cùm ad eam efficienter, non quidem phyſicè, ſed moraliter concurrant.

CONCLUSIO IV.

FOrmalis cauſa eſt juſtitia Dei, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit, quæ eſt ipſa Gratia habitualis, quam Deus infundit homini, quem in filium adoptat, & inter amicos recipit. Satis patet ex dictis.

CONCLUSIO V.

CAuſa ſubjectiva juſtificationis, vel potiùs formæ juſtificantis, eſt anima. Quantum ad hoc conveniunt DD. ſed an etiam debeat dici cauſa materialis? diſputatur. Affirmant qui volunt formam juſtificantem educi de potentia animæ: Negant qui ſuſtinent eam creari, ſicut faciunt Scotiſtæ. Et certè quidni diceremus creari, quandoquidem Scriptura, ſemper in ſenſu proprio intelligenda, ubi nullum inde ſequitur inconveniens, expreſſiſſimè dicat: *Cor mundum crea in me Deus*, Pſal. 50. *Induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis*, Epheſ. 4. *Ipſius enim ſumus factura: creati in Chriſto Jeſu*, Epheſ. 2. Præterea ſi educeretur de potentia animæ, vel de potentia naturali, vel, ut volunt, de potentia obedientiali: non primum; quia aliàs entitas ſupernaturalis Gratiæ contineretur in eſſe naturali animæ; cùm tamen ſupernaturale ſuperet naturale: non etiam ſecundum; quia potentia obedientialis animæ nihil eſt aliud quàm ipſa anima Deo obediens; quandoquidem potentia obedientialis tantùm dicat reſpectum ad agens & non addat aliquid abſolutum illi cujus eſt. Jam autem ſive anima ſit cauſa materialis ut anima eſt ſimpliciter, ſive ut Deo obediens ſpecialiter, ſemper concurrit per entitatem naturalem, ſicque naturale debet continere ſupernaturale, quod eſt impoſſibile. Pro ſolvendis objectionibus

Adverte 1. Quòd ſicut anima nullam exercet cauſalitatem in Gratiam in fieri, ità nec, propter eandem rationem, in illam in conſervari: adeòque ſicut à ſolo Deo creatur; ità à ſolo Deo in anima, cui inhæret, conſervatur. Nec inde bene inferres Gratiam non eſſe accidens; quia licèt ſit de eſſentia accidentis aptitudinaliter à ſubjecto dependere, non tamen actualiter, ut patet de quantitate panis in Euchariſtia.

Adverte 2. Nullam aſſignari poſſe implicantiam, quòd Gratia animæ inhæreat, & tamen ab illa non dependeat, nec in fieri, nec in conſervari.

Adverte 3. Duplicem actionem intervenire in productione Gratiæ, unam qua accipit eſſe, alteram qua accipit ineſſe; ſicque priùs natura exiſtit, quàm inexiſtat. Et idem fit in productione animæ rationalis, quæ priùs natura creatur, quàm inexiſtat corpori.

Adverte 4. Quòd, cùm dicimus Gratiam non dependere ab anima in conſervari, hoc intelligamus de ejus entitate, quaſi diceremus: ſicut entitas Gratiæ non dependet in ſua productione ab anima, ità nec in ſui conſervatione; quandoquidem conſervatio ſit continua rei productio: non autem de ipſius ineſſe; eſt enim impoſſibile ut inſit animæ, & ab ea non dependeat ad illi ineſſe; cùm non poſſit excogitari quòd inſit animæ ſine anima. Sicque verum eſt dicere, quòd gratia non dependeat ab anima ut ſit, dependeat tamen ut inſit.

Adverte 5. Quòd quidem actus ſupernaturales Fidei, Spei, & Charitatis educantur de potentia animæ, ſed jam habitu ſuper-

Digitized by Google

ſupernaturali informatæ, adeoque quaſi ſupernaturalizatę, qualis non eſt anima reſpectu Gratiæ, ſicut nec reſpectu habitus Fidei & Spei.

CONCLUSIO VI.

CAuſa exemplaris noſtræ juſtificationis eſt tum Gratia quæ fuit in Chriſto, cui per juſtificationem confortamur; tum natura divina, cujus Gratia eſt quædam ſimilitudo & participatio; ac ideo juſtificati dicuntur conſortes naturæ divinæ.

Adverte tamen, quòd Gratia non ſit formaliter & phyſicè participatio eſſentiæ divinæ: aliàs eſſet creata & increata, dependens per eſſentiam & independens; ſed moraliter, in quantùm habet vim conſtituendi nos filios Dei, adeoque tribuendi nobis aliquo ſenſu naturam divinam; quandoquidem fieri Filium Dei, ſit aliqualiter Dei naturam accipere.

QUÆSTIO IX.

Quantum ſit opus Dei, juſtificatio hominis?

SUppono 1. Juſtificationem ordinariè non eſſe opus miraculoſum, cùm fiat per media à Deo ordinata, & frequenti uſu apud nos recepta, v.g. per contritionem, Sacramentorum receptionem &c. Miraculum verò, debeat eſſe quid inſolitum & extraordinarium, ſaltem in modo, aut in effectu.

Dixi: *ordinariè*; quia ſi infidelis aut inſignis peccator velut in inſtanti totaliter convertatur, ut accidit D. Paulo, talis juſtificatio erit miraculoſa.

Supp. 2. Juſtificationem eſſe homini ſibi relicto ſupernaturalem; quia homo ex ſuis naturalibus illam nullo modo exigit, cùm ſine illa poſſit in ſuo ordine convenienter eſſe & operari.

Dixi: *homini ſibi relicto*; quia ut ad finem ſupernaturalem elevato, dici poteſt aliquo ſenſu connaturalis, quandoquidem homo ita elevatus exigat ad benè eſſe vivere vita ſupernaturali, ſeu gratiæ. His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

JUſtificatio ſecundum phyſicam perfectionem ſpectata, non eſt maximum Dei opus.

Ratio eſt: vel enim conſideratur ut eſt creatio præciſè, vel ut creatio talis termini, qui eſt gratia; ſi primum, æquivalet ipſi creatio Angelorum, animæ rationalis, & quælibet alia creatio, prævalet tamen aliis productionibus; cùm hæ etiam competant creaturis, illa Soli Deo: hæ etiam ſint factiones rei ex aliquo, illa ex nihilo. Si ſecundum, prævalet ipſi productio ſubſtantiæ cujuſlibet; quandoquidem ſubſtantia ſit perfectior accidente, qualis eſt gratia.

CONCLUSIO II.

JUſtificatio ſecundùm perfectionem moralem conſiderata, non eſt quidem maximum Dei opus ſimpliciter, eſt tamen ſecundùm quid.

Prob. 1. Pars; quia Incarnatio Verbi, & glorificatio juſti ſunt opera Dei majora juſtificatione: *Incarnatio* quidem, cùm hæc ſit unio ſubſtantialis & perſonalis inter Deum & naturam humanam, illa tantùm accidentalis, hæc præter gratiam ſanctificantem, includat unionem hypoſtaticam ad perſonam divinam quæ eſt omnis gratiæ fons & origo, illa tantùm gratiam habitualem. *Glorificatio* verò; cùm hæc habeat ſtatum perfectionis, illa ſit ſemper perfectibilis hæc ſit conſtans & permanens, illa per peccatum mortale amiſſibilis; hæc ſit ad gratiam conſummatam, nempe gloriam, illa ad gratiam inchoatam.

Prob. 2 Pars; quia ſi juſtificatio conſideretur quatenus hominem indignum, & Dei inimicum, filiationem & quoddam eſſe divinum, ipſumque conſtituit Regni cœleſtis hæredem, dici poteſt operum Dei maximum & præſtantiſſimum: ac. 1. præſtantius *operibus naturæ*, cùm res creatæ non eſſent poſitivè indignæ creatione: homo autem ſit poſitivè indignus juſtificatione? undè Auguſtinus Tract. 72. in Joann. aſſerat majus eſſe, impium juſtificare, quàm cœlum & terram creare. Quod & bene perpenderat D. Thomas cùm 3. par. q. 11. art. 9. ad 2. dixit: *Bonum gratiæ unius majus eſt quàm bonum naturæ totius univerſi. 2. Donis gratuitis & ſupernaturalibus*, Angelis, & Adamo conceſſis; cum hæc ſupponerent in ſuis ſubjectis capacitatem & inclinationem ac nullam indignitatem, ſaltem poſitivam; qualem habet peccator: undè de utroq; loquens Aug. ſupra cit. ait: *Certè ſi utrumque ſit æqualis potentiæ, hoc majoris eſt miſericordiæ. 3. glorificatione*; quandoquidem glorificentur digni, & benè meriti, juſtificentur autem indigni, & immeriti. 4. *Dei Maternitate*, cùm nobilius ſit Deum mente concipere; quàm ventre: hinc Aug. de virginitate c. 4. *Materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet, niſi fœliciùs Chriſtum corde quàm carne geſtaſſet*. Denique Incarnatione; quandoquidem natura humana non eſſet indigna poſitivè uniri naturæ divinæ, ſicut indignus eſt peccator admitti inter Dei amicos & filios. Ex quibus patet, quantùm laborare debeamus, ut gratiam perditam recuperemus, recuperatam conſervemus, & conſervatam augeamus, donec tandem conſummatam in patria poſſideamus.

QUÆSTIO X.

An poſſit quis eſſe certus de ſua Juſtificatione?

CONCLUSIO I.

NOn poteſt quis, ſecluſa revelatione, certus eſſe certitudine Fidei, aut phyſica, ſe eſſe juſtificatum.

Prima pars definita eſt in Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 9. ubi aſſerit, quòd *nullus ſcire valeat certitudine Fidei (cui non poteſt ſubeſſe falſum) ſe gratiam Dei eſſe conſecutum*. Eſt contra Hæreticos modernos volentes hominem non tantùm poſſe, ſed etiam debere credere Fide Catholica ſe eſſe juſtificatum.

Prob. 1. Ex Script. Proverb. 20. *Quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* Eccli 5. *De propitiato peccato, noli eſſe ſine metu*. Et Eccle. cap. 9. *Neſcit homo utrum amore, an odio dignus ſit*. Unde Apoſtolus 1. Corinth. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum*.

Prob. 2. Ex PP. Ambroſio ſer. in Pſ. 118. v. 39. ubi loquens de Davide, *ſuſpectus erat*, inquit, *ne forte adhuc maneret ejus opprobrium; & ideo Deum precatur, ut illud auferat, qui ſolus novit quod neſcire poteſt etiam ipſe qui fecit*. Aug. lib. de perfectione juſtitiæ cap. 15. *Quantùlibet juſtitia ſit præditus homo, cogitare debet ne aliquid in illo quod ipſe non videt, inveniatur eſſe culpandum*.

Prob. Etiam ratione: Nemo poteſt eſſe certus certitudine Fidei ſe eſſe juſtificatum niſi ſit ipſi revelatum; ſed nulli noſtrum hoc revelatum eſt, ut ſupponimus: ergo. Undè certum eſt quidem certitudine Fidei, quòd *qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*; non eſt tamen certum certitudine Fidei, quòd habeam fidem ibi requiſitam, aut quòd ſim validè baptizatus; cùm in Baptiſmo & in aliis Sacramentis poſſit vel ex parte ſuſcipientis, vel ex parte conferentis aliquid deeſſe ad valorem Sacramenti neceſſarium, quod etiam perſpicaciſſimus non poteſt cognoſcere.

Prob. 2. Pars, tum ex teſtimoniis Scripturæ & Patrum allaris, etiam pro hac concluſione militantibus; tum etiam *ratione*, quia ſi poſſet quis eſſe phyſicè certus de ſua juſtificatione. *hoc* haberet vel cernendo Gratiam in ſe, *vel in* cauſa, vel in effectibus, ſed quodlibet illorum impoſſibile eſt; ergo Prob. Min. Non primum; quia non poteſt homo viator quidquam cognoſcere niſi ſit vel ſenſibile, vel ex ſenſibilibus deductum, qualis non eſt Gratia: non etiam ſecundum, quia cauſa Gratiæ eſt ipſa Dei voluntas nulli viatori manifeſtata: non denique tertium, quia procedere poſſunt, vel ex habitibus acquiſitis, vel ſaltem ex ſpeciali Dei auxilio, effectus ſimiles iis, qui à gratia procedunt.

Dixi: *Secluſa revelatione*, quia quibuſdam facta eſt, ut B. Virg. per Archangelum Gabrielem, Paralytico, Zachæo, Magdalenæ, Latroni ab ipſo Chriſto: imò & Seraphico Patri noſtro Franciſco, ut teſtatur D. Bonav. c. 3. illius vitæ.

CONCLUSIO II.

POteſt quis habere certitudinem conjecturalem de ſua juſtificatione, non tamen excludentem omnem formidinem ſaltem radicalem.

Prob. Quia poteſt experiri in ſeipſo certa ſigna, ex quibus prudenter conjecturare poteſt ſe eſſe in gratia, v.g. terrenorum faſtidium, æternorum deſiderium, odium peccati, mandatorum executionem, conſcientiæ pacem, & ſuavitatem abſque remorſu &c. per illa enim *ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro*, non quidem abſolutè certum, ut volunt Hæretici, ſed conjecturale, *quòd ſumus filii Dei*, ut loquitur Apoſt. ad Rom. 8. unde teſtimonium illud veriſſimum & certiſſimum in ſeipſo, nobis tamen certitudinem abſolutam non confert; quia fit per indicia non ita clara & convincentia, quin relinquant in nobis ſemper aliquem timorem; & ideo legimus viros ſanctiſſimos ſemper cum timore & tremore operatos fuiſſe ſuam ſalutem; ita ut Hilarion Abbas, poſtquam Deo per 70 annos in magna vitæ ſanctitate & auſteritate ſerviviſſet, animam ſuam formidantem ſic alloqueretur: *Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta propè annis ſervivisti Chriſto, & mortē times?*

Quòd

Google

Quòd ſi aliqui Sancti viderentur cum omni fiducia credere ſuam juſtificationem, ita ut animam exhalaturi dicerent cum Pſalmiſta *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus*, ut refertur de Noſtro S. Petro de Alcantara, contemplationis Miraculo, & pœnitentiæ Portento, non erant, ſecluſa revelatione, ſine formidine virtuali & radicali, & ideo dictum eſt in Concluſione: *ſaltem radicalem*.

An autem conjectura excludens omnem formidinem actualem de oppoſito, dici debeat certitudo moralis? videtur quòd ſic; quandoquidem certitudo moralis colligatur ea rebus, quæ fallere poſſunt; & ideo licèt indicia noſtra juſtificationis provenire poſſint vel à natura, vel à Sathana nos decipiente; non deſinunt tamen quandoque in viris ſanctis generare certitudinem moralem.

QUÆSTIO XI.

Quænam diſpoſitiones requirantur ad juſtificationem?

NOn eſt hic ſermo de juſtificatione parvulorum, nam cùm ſint omnis diſpoſitionis ex parte ſua incapaces, etiam certum eſt ſine ulla diſpoſitione ex parte ſua, poſſe juſtificari; ſed agimus de juſtificatione Adultorum, ad quam concurrunt actus varii, & ideo rem clariùs tractaturi, hanc quæſtionem in tres Articulos dividemus.

ARTICULUS I.

Qui & qualis actus intellectus requiratur ad juſtificationem?

CONCLUSIO I.

REquiritur ex parte intellectus ad juſtificationem, actus fidei ſupernaturalis.

Prob. 1. Ex Script. Hebræor. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*: atqui juſtificatus placet Deo: ergo ad juſtificationem requiritur fides.

Prob. 2. Ex Trid. ſeſſ. 6 cap. 8. Ubi ait: *Fides humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo*.

Prob. 3. Ratione. Debet peccator in juſtificatione avertere mentem à peccato, & convertere ad Deum ut finem ſupernaturalem: ſed non poteſt ſic mentem cõvertere, niſi Deum agnoſcat ut finem ſupernaturalem, quod fit per actum fidei: ergo.

Dixi: *Fidei ſupernaturalis*: quia ejuſdem ordinis debet eſſe diſpoſitio, ac eſt forma ad quam diſponit: ſed fides diſponit ad gratiam, quæ eſt ſupernaturalis: ergo.

CONCLUSIO II.

FIdes ad Juſtificationem requiſita non eſt illa fides ſpecialis Hæreticorum, quam promiſſionis vocant, ſed fides hiſtorica, ſeu dogmatica, qua credimus revelatis & promiſſis à Deo. Pro cujus clariori intelligentia

Adverte triplicem ab Hæreticis diſtingui fidem, *hiſtoricam* unam, qua creduntur in Scripturis revelata. *Miraculorum* ſecundam, qua credimus nihil eſſe, quod à Deo fieri non poſſit; *Promiſſionum* ultimam, qua vel creditur generatim promiſſam eſſe peccatorum remiſſionem iis, qui in Chriſto credunt, eſtque fides promiſſionum generalis; vel qua unuſquiſque in particulari ſibi perſuadet ſua ſibi peccata non imputari propter Chriſti merita, & dicitur fides promiſſionum ſpecialis, quam contendunt Hæretici juſtificare, quamque ad juſtificationem ſufficere negavimus in concluſione.

Prob. 1. Pars concluſionis; quia fides illa ſpecialis eſt fictitia & chymerica, cùm nullus ſibi perſuadere poſſit ſua peccata ſibi eſſe remiſſa, niſi ſpecialiter hoc ipſi reveletur. Præterea licèt hoc fuiſſet Calvino, Luthero, & aliis ejuſdem farinæ viris revelatum; fides tamen qua crederent peccata ſua ſibi non imputari, nec eſſet Juſtificans, nec prior juſtificatione, ſed poſterior, cùm poſteriùs ſit revelati, & à fortiori credere peccata ſibi eſſe remiſſa, quàm de facto remittantur, & conſequenter fides illa non eſſet ad Juſtificationem requiſita.

Prob. 2. Pars ex Scriptura, quæ variis in locis oſtendit fidem ad Juſtificationem requiſitam, eſſe fidem hiſtoricam, qua credimus Chriſtum fuiſſe crucifixum, mortuum, ſepultum &c. unde ad Rom. 10. dicitur: *Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus. Quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris quòd Deus illum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris*. Item 1. Corinth. 15. *Notam vobis facio Fratres Evangelium.... per quod & ſalvamini*. Similiter Marci ult. *Prædicate Evangelium omni creaturæ, qui crediderit*, ſcilicet in eo contenta, *ſalvus erit*.

Prob. 2. Ex conſuetudine Eccleſiæ; quæ nullam aliam fidem à baptizandis requirit, quàm contentorum in Symbolo.

Confirm. Utraque Pars, & ſimul confutatur triplex Hæreticorum fides: Vel triplicem fidem aſſignantes Hæretici, loquuntur de actu, vel de habitu. Si de actu, non eſt triplex; nam ſicut ultra fidem miraculorum, & fidem hiſtoricam ponunt fidem promiſſionum, etiam ponenda fides minarum, & terrorum Dei. Si de habitu, unica eſt, quæ pro diverſis objectis diverſa ſortitur nomina: ut enim reſpicit à Deo revelata, dicitur hiſtorica; ut promiſſiones à Deo factas, fides promiſſionum; ut miracula, fides miraculorum.

Porro ab hoc habitu, diverſi procedunt actus: alius enim eſt actus quo credo Dei exiſtentiam, alius quo Myſterium Incarnationis, alius quo præſentiam Chriſti realem in Euchariſtia &c. nullus tamen eſt quo quis credat ſua ſibi peccata eſſe remiſſa; cùm non habeat pro objecto rem à Deo revelatam.

CONCLUSIO III.

NOn ſufficit ſola fides ad Juſtificationem. Eſt de Fide in Conc. Trid. ſeſſ. 6 Can 9. ubi ait: *Si quis dixerit ſola fide impium juſtificari.... Anathema ſit*. Eſt contra Calvinum, qui in Antidoto Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 11. ſic loquitur. *Fides ergo ſola eſt quæ juſtificat*: & infra: *Vim juſtificandi ac facultatem, fidei in ſolidum vindicamus*.

Prob. 1. Ex Script. Jac. 2. *Fides ſine operibus mortua eſt*. Et inferius dixerat: *Videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantùm*: ergo non ſufficit ſola fides ad juſtificationem. Unde hi paſſus ita Hæreticos vexaverunt, ut Epiſt. D. Jacobi, Canonicam eſſe negaverint: quod tamen definit Trid. ſeſſ. 4.

Prob. 2. Non minùs requirit Scriptura ad juſtificationem actum Charitatis, pœnitentiæ, timoris &c. quàm fidei: ergo cenſet non ſufficere ſolum fidem. Prob. Ant. Ex illo 1. Joan. 3. *Qui non diligit, manet in morte*, Act. 3. *Pœnitemini & convertimini, ut deleantur peccata veſtra*, & Eccli. 1. *Qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari*. Unde nullibi oſtendet nobis Calviniſta aut Lutheranus hanc propoſitionem in Scriptura: *Sola fides juſtificat*; imò nequidem in Conciliis aut Patribus.

Prob. 3. Ratione; quia convenit ut homo, qui per voluntatem averſus eſt à Deo, etiam per voluntatem ad eumdem revertatur, ſi velit juſtificari; adeòque non ſufficit ſola fides.

Objiciunt Hæretici varios Scripturæ paſſus, quibus oſtendere conantur ſolam fidem juſtificare: *Fides tua te ſalvam fecit*. Luc. 7. *Crede tantùm, & ſalva eris*. ibid. c. 8. *In hoc omnis qui credit juſtificatus*, Act. 13. *Ex fide juſtificat Gentes Deus*, ad Galat. 3. *Arbitramur enim juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis*. Rom. 3.

Reſp. Ad primum, quòd ibi fiat ſermo de fide formata per charitatem; nam Chriſtus alloquitur Magdalenam, de qua dicit ibidem: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*.

Ad ſecundum dico, ibi quidem exigi ſolam fidem, ſed non ad ſalutem animæ per peccatum mortuæ, verùm ad ſalutem temporalem filiæ defunctæ reſuſcitandæ.

Ad tertium Reſp. Scripturam tantùm velle (ſicut & quando Rom. 10 dicitur; *Omnis qui credit in eum, non confundetur*) non eſse acceptionem perſonarum apud Deum, ſed omnes, ſive Judæos, ſive Græcos, ſalvari poſse per fidem Chriſti, ſcilicet charitate formatam: nam, ut ait Apoſt. ad Galat. 5. *In Chriſto Jeſu neque Circumciſio aliquid valèt, neque præputium, ſed fides quæ per Charitatem operatur*.

Ad quartum Reſp. Sicut ad primum. Ad quintum dico Apoſtolum ibi non excludere omnia opera, ſed opera legis; ſcilicet Moſaycæ, quæ cùm, expirante Chriſto, expiraverit, non eſt mirum quòd ſine illius operibus poſſit homo juſtificari. Quòd ſi aliquando dicatur homo juſtificari ſine operibus ſimpliciter, intelligendum eſt ſine operibus juſtificationem meritoriis; quia, ut diximus, ad primam juſtificationem nullo modo concurrit meritum noſtrum, & ideo dicimus Rom. 3. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius*.

ARTICULUS II.

Quinam actus voluntatis prærequiratur ad Juſtificationem?

TRidentinum ſeſs. 6. cap 6. ultra fidem, recenſet quinque actus ad voluntatem pertinentes, quos ad juſtificationem diſponere aſſerit, nimirum timorem, ſpem veniæ, dilectionem, pœnitentiam, & propoſitum ſervandi mandata. Et de his omnibus moveri poteſt quæſtio, an neceſsarii ſint ad juſtificationem?

CONCLUSIO I.

TImor divinæ Juſtitiæ eſt quidem utilis ad Juſtificationem, non tamen abſolutè neceſſarius.

Prima pars continetur in Trident. Seſſ. 6. Cap. 6. ubi dicit peccatores hoc timore utiliter concuti; hancque probant varia Scripturæ loca. Proverb. 14. *Timor Domini fons vitæ*. Pſal. 110. *Initium ſapientiæ timor Domini*. Iſai. 26. Juxta interpretationem 70. *A timore tuo concepimus, & peperimus ſpiritum ſalutis*; unde Auguſtinus tract. 9. in Epiſt. 1. Joan. *Perfecta Charitas*, inquit, *foras mittit timorem: ergo incipiat timor, quia initium ſapientiæ timor Domini*. Ex quo patet, quàm impie docuerit Lutherus timorem, quo quis Deum vindicem timet, eſſe peccatum, & peccatores pejores facere. Hujus errorem anathematizavit Tridentinum ſupra cau. 8. & cap. 6. ubi dicit timorem gehennæ eſſe donum Dei & impulſum Spiritus Sancti, non adhuc quidem inhabitantis, ſed moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad Juſtitiam parat.

Prob. 2. Pars; quia ſi quis exiſtens in peccato mortali, ſubitò perfectè conteratur, juſtificabitur ſine ullo timore, quandoquidem ejus contritio ſit formata Charitate, quæ foras pellit, ſeu non admittit timorem: unde Tridentinum ſupra, aſſerit peccatores hoc timore, non neceſſariò, ſed utiliter concuti.

CONCLUSIO II.

NEceſſariò præerequiritur ad juſtificationem actus ſpei. Colligitur ex Scriptura Matth. 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*. Et Rom. 8. *Spe enim ſalvi facti ſumus*; & ideò Tridentinum Seſſ. 14. cap. 4. Dicit Attritionem præparare ad gratiam in Sacramento impetrandam, ſi juncta ſit cum ſpe veniæ. Et ratio eſt, quòd non poſſit efficaciter moveri ad obtinendam peccatorum remiſſionem, niſi confidat ſeu ſperet ſe illum obtenturum. Unde Ambroſius lib. 1. de Pœnitentia c. 5. *Nemo poteſt bene agere pœnitentiam, niſi qui ſperaverit indulgentiam*. Non eſt tamen neceſſe, ut per actum ſpei (idem eſt de actu fidei) explicitè attingantur omnia ſperabilia, ſed ea tantùm, ſine quibus Contritio ſubſiſtere & intelligi nequit, nimirum quòd Deus gratiam infundat, & peccata remittat: Hinc D. Tho. q. 13. de juſtificatione art. 4. ad 9. *Licèt ſint multi articuli fidei, non tamen oportet quòd actu omnes cogitentur in ipſo inſtanti juſtificationis, ſed ſolùm quòd cogitetur Deus ſecundùm articulum, qui eſt juſtificans & peccata remittens*. Quod S. Doctor docet de Fide, proportionatè intelligendum eſt de Spe.

CONCLUSIO III.

REquiritur etiam ad juſtificationem actus dilectionis Dei, & pœnitentiæ. Pœnitentiæ quidem; quia, ut loquitur Trid. Seſſ. 14. c. 1. *Fuit pœnitentia univerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato coinquinaſſent, quovis tempore ad gratiam & juſtitiam aſſequendam neceſſaria*. Quod etiam verbis expreſſis continent vetus & novum Teſtamentum: vetus quidem Eccli. 2. *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini*. Novum autem, Luc. 13. *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*.

Actum verò dilectionis Dei etiam requirit Trid. Seſſ. 6. c. 6. ubi docet, quòd juſtificandi *Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*; ubi per *diligere incipiunt*, non loquitur de dilectione perfecta, neque de dilectione imperfecta: ſed dilectione abſtrahente à perfecta & imperfecta: quod inde patet, quia ibi agit de juſtificatione in genere abſtrahendo ſcil. ub illa quæ fit in Sacramento, ad quam ſufficit dilectio imperfecta, & ab illa quæ fit extra Sacramentum, ad quam requiritur dilectio perfecta.

Confirm. Utraque pars Concluſionis: nam ut homo juſtificetur, debet recedere à peccato, & accedere ad Deum: Primum autem fit per pœnitentiam. Secundum verò per dilectionem.

CONCLUSIO VI.

REquiritur denique ad juſtificationem, propoſitum vitæ melioris, & ſervandi mandata. Patet ex Trid. ſup. ubi ait, quòd proponentes ſuſcipere baptiſmum, debeant & proponere *inchoare novam vitam, & ſervare Dei mandata*. Eadem eſt autem ratio pro pœnitentia in baptizatis, ac pro baptiſmo in non baptizatis. An autem propoſitum illud debet eſſe explicitum & ſemper? Reſolvemus agentes de Sacramento pœnitentiæ.

ARTICULUS III.

An actus pœnitentiæ, dilectionis, fidei, & ſpei debeant eſſe formales?

CONCLUSIO I.

AD juſtificationem intra Sacramentum ſemper requiritur pœnitentia formalis; extra Sacramentum verò ſufficit quandoque virtualis.

Ratio primæ partis eſt, quòd pœnitentia formalis ſit pars inſupplebiliter requiſita ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, ut ſuo loco dicemus.

Ratio ſecundæ Partis eſt, quòd quis immemor peccatorum eliciens actum amoris Dei ſuper omnia, juſtificetur, juxta illud Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo*: atqui non juſtificatur per pœnitentiam formalem, ut patet: ergo per virtualem incluſam in illo actu amoris. Si cui tamen peccata occurrant, debet de illis formaliter pœnitere, etiam extra Sacramentum, ut colligitur ex Scoto 4. diſt. 14. q. 1. nu. 11. idque confirmat ſenſus communis fidelium.

CONCLUSIO II.

EXtra Sacramentum non præerequiritur ad juſtificationem actus dilectionis diſtinctus à Contritione perfecta, neque diſtinctus à Contritione imperfecta in Sacramento; quia in actu Contritionis perfectæ includitur actus Charitatis non tantùm virtualis, ſed formalis; quandoquidem peccatorum deteſtatio ac animi dolor procedant ex motivo Charitatis perfectæ; & ideò Trid. Seſſ. 14. cap. 4. loquens de Contritione reconciliante peccatorem extra Sacramentum, aſſerit eſſe Charitate perfectam. Similiter Contritio imperfecta in Sacramento, ſi ſumatur pro Contritione informata Charitate minùs intenſa, includit etiam dilectionem formalem, cùm procedat ex eodem motivo, quo Contritio perfecta; ſi autem ſumatur pro Attritione, procedit ex eo quòd Deum nobis amemus propitium, in quo continetur actus amoris concupiſcentiæ formalis.

CONCLUSIO III.

NOn requiruntur ad omnem juſtificationem, novi actus fidei & ſpei formales, & expreſſi. Eſt contra nonnullos.

Prob. 1. Ex communi ſenſu fidelium & Confeſſariorum, etiam maximè timoratorum, qui non ſolent de talibus actibus expreſſis eſſe ſolliciti. Et certè ſi hoc requireretur, vix eſſet fidelis in mundo, qui non teneretur quamplurimas ex Confeſſionibus præteritis repetere.

Prob. 2. Quia præcipuum fundamentum aſſerentium requiri novos actus fidei & ſpei formales ad juſtificationem, deſumitur ex eo, quòd Tridentinum ad juſtificationem requirat ſimpliciter & ſine addito actus fidei & ſpei: ſed conſtat Tridentinum eodem modo facere mentionem de timore ſervili, ſicut de actibus fidei & ſpei: ergo, cùm timor ſervilis nullo modo ſit neceſſarius ad juſtificationem, inde nihil probatur contra nos: unde nec Tridentinum, nec D. Thomas recenſent actus initio Articuli relatos, tanquam omnes omninò neceſſarii ſint ad ſalutarem pœnitentiam, ſed tantùm tradunt modum, quo ordinariè peccatores juſtificat Deus.

CONCLUSIO IV.

SUfficiunt ad Juſtificationem actus fidei & ſpei moraliter perſeverantes, id eſt actus fidei & ſpei formales, qui non fuerunt per actus contrarios infidelitatis & deſperationis diſcontinuati & revocati. Hæc eſt ſatis communis.

Prob. 1. Illi actus fidei & ſpei ſufficiunt ad juſtificationem, qui ſufficiunt, ut homo dicatur moraliter credere & ſperare: ſed per actus fidei & ſpei præteritos, actibus contrariis non diſcontinuatos, dicitur homo moraliter credere & ſperare. ergo. Major videtur certa, cùm non videatur plus exigi ab homine, quam quòd agat ſecundùm hominum æſtimationem. Prob. Min. Ille cenſetur moraliter agere, etiam poſt actum actu contrario non revocatum, qui elicuit actum abſtrahentem ab omni tempore, imò ſe extendentem ad omne tempus: unde qui unico actu voluit ſemper emere merces in urbem introducendas, etiam poſt annum ab actu elicito dicitur moraliter velle emere: atqui actus fidei & ſpei abſtrahunt ab omni tempore, imò ſe extendunt ad omne tempus: neque enim, ait Pater Henneguer in ſua Diſſertatione Theologica de abſolutione Sacramentali, pœnitens credit quòd Deus tantùm nunc juſtificet, & peccata remittat, ſed quòd abſolutè & ſemper. Nec per actum ſpei

hoc

Digitized by Google

hoc tantùm confidit quòd præſentibus peccatis ex ſua miſericordia indulgebit, ſed quod omnibus quoties de ipſis dolor legitimus concipietur; ergo.

Confirm. Minor ex communi hominum ſenſu, qui vocant fideles eos, quos ſupponunt aliquo actu infidelitatis non eſſe infectos, licet actualiter non eliciant actum fidei.

Prob. 2. Quia ſuppoſito, quòd Trid. requirens actus fidei & ſpei ad Juſtificationem, non tantùm loquatur de actibus virtualibus in Contritione contentis, ſed etiam de expreſſis, ut volunt aliqui, ipſi Concilio ſatisfacimus, cùm actus illi ſano ſenſu dici poſſint formales & expreſſi moraliter perſeverantes; unde in omni Juſtificatione requirimus actus fidei & ſpei formales, non tamen ſemper renovatos.

CONCLUSIO V.

QUI diſcontinuavit actum fidei per actum infidelitatis, aut actum ſpei per actum deſperationis, debet, antequam juſtificetur, dicere actum formalem & expreſſum fidei, aut ſpei, proportionatè ad actum contrarium quem potuit, ſi ad id advertat.

Ratio eſt; quia videtur juſtum & rationabile, ut ille, qui à Deo receſſit deſperando, aut diſcredendo, ad illum redeat formaliter ſperando, aut credendo.

Dixi: *Si ad id advertat*; Unde ſicut qui ex inadvertentia non elicuit propoſitum expreſſum emendæ, juſtificatur tamen, ut ſuo loco dicemus, ſi alia requiſita poſuerit; quia propoſitum illud in actu Contritionis virtualiter continetur; ità & in noſtro caſu, propter eamdem rationem; cùm non ſit credibile alio ſenſu requiri ad juſtificationem actus fidei & ſpei, quàm propoſitum ſe emendandi; & ideo dicendum eſt, actus formales fidei, ſpei, & propoſiti requiri ad juſtificationem ex præcepto, non ad valorem juſtificationis. Ex dictis

Reſolve, diſparitatem eſſe inter actum Charitatis, & actus fidei, & ſpei, quòd actus Charitatis toties ſit reiterandus, quoties vult peccator juſtificari, ſaltem extra Sacramentum, non ſic actus fide & ſpei. Cujus ratio eſt, quòd omne peccatum mortale expellat actum & habitum Charitatis; non tamen actum & habitum fidei aut ſpei, qui tantùm expelluntur per actus contrarios.

DISPUTATIO SECUNDA.

De ſecundo effectu Gratiæ ſeu Merito.

MEritum ex ſua prima inſtitutione ſonat actum operoſum, ſeu laborioſum: unde *mereri* ex Etymologia nominis, idem eſt ac ad *mercedem ire*, utique operando, ac obſequium alteri præſtando; & ideò illa quæ in Scripcura aut alibi *merita* dicuntur, non ſunt propriè talia niſi laborem aut ſervitium importent: hic ergo ſtrictè ſumitur, nempe pro opere bono; cùm ex opere malo non mereamur ſimpliciter, ſed tantùm cum addito, id eſt, mereamur pœnam, ſupplicium, iram &c. vel ſimpliciter demereamur. Imò hic tantùm agimus de opere bono ex gratiæ viribus in Dei obſequium præſtitò.

QUÆSTIO I.

Quid ſit meritum, quotuplex, & an homo poſſit mereri apud Deum?

CONCLUSIO I.

MEritum hic eſt opus bonum Deo obſequioſum, cui præmium debetur ſupernaturale per modum retributionis.

Dicitur 1. *opus bonum*: quia cùm meritum ſit terminus concretus, importat pro materiali ipſum opus, pro formali verò, operis dignitatem, ratione cujus ſit idoneum ut compenſetur.

Dicitur 2. *Deo obſequioſum*, & ideo debet opus meritorium aliquo ſenſu in Deum referri; cùm enim merens expectet retributionem, & non ab alio exſpectet, quàm à Deo, juſtum eſt, ut in Dei obſequium operetur.

Dicitur 3. *Cui præmium debetur*, ſcilicet vel ex juſtitia, ſaltem largè ſumpta, vel ex eo congruitate, ut comprehendatur meritum condignum, & congruum. Porrò præmium aliter dici ur *merces*, *corona*, &c.

Dicitur 4. *Supernaturale*; quia licèt homo poſſit aliqualiter mereri, etiam apud Deum, præmium naturale, de illo tamen hic non agimus, ſed de eo quod de ſe ducit ad Deum ut authorem & finem ſupernaturalem, quod conſequenter debet eſſe ſupernaturale.

Dicitur 5. *Per modum retributionis*, ad oſtendendum quòd præmium dari debeat intuitu operis, etiamſi ex pura miſericordia concederetur.

CONCLUSIO II.

DUplex hic præſertim diſtinguitur meritum, condignum unum, congruum alterum Condignum eſt, quod, accedente Dei promiſſione, æſtimabilitatem habet præmio proportionatam, ita ut merces illi debeatur quaſi ex juſtitia. Congruum eſt, cui vel defectu præfatæ proportionis, vel defectu divinæ promiſſionis, non debetur præmium ex juſtitia, aut ex fidelitate, ſed ex decentia, & ex præmiantis liberalitate, quamvis non ſine intuitu operis. Eſt autem diſcrimen inter hæc merita; 1. quòd merito condigno infallibiliter conferatur præmium: niſi merens ex ſua culpa ponat obicem; cujus ratio eſt; quòd meritum condignum faciat ſibi præmium debitum vel ex juſtitia largè ſumpta, vel ex fidelitate, Deus autem, cùm ſit eſſentialiter juſtus & fidelis, non poteſt debitum illud non exolvere. Merito autem de congruo, cùm ex ſola decentia præmium debeatur, poteſt ſine ulla præmiantis imperfectione denegari. 2. Quòd præmium redditum merito condigno non ſit ex pura gratia, ſed ex aliqua præmiantis obligatione; redditum autem merito congruo, licet fiat intuitu operis, fit ex pura gratia, cùm ad id nullo titulo teneatur Deus.

CONCLUSIO III.

POteſt homo verè mereri apud Deum. Eſt de Fide in Conc. Trid ſeſſ. 6. can. 32. contra Lutherũ & Calvinum, ac eorum ſequaces, volentes opera bona non eſſe quidem Deo ingrata, nec operantibus infructuoſa, ſed ex ſe, & ex ſua dignitate nihil habere meriti, ſed tantùm ex Dei indulgentia & benignitate extrinſeca, quos Concil. ſuprà ferit his verbis: *Si quis dixerit homini juſtificato, bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita....anathema ſit.*

Prob. 1. Ex Scriptura Sacra, quæ innumeris locis promittit juſtorum operibus vitam æternam, non ut gratiam, non ut purum donum, ſed ut præmium, coronam, mercedem, bravium, debitum juſtitiæ &c. Imò nomen *meriti* ita Hæreticis odioſum, reperimus Hebr. 13. ubi legitur: *Beneficentiæ autem & communionis nolite oblivíſci: talibus enim hoſtiis promeretur Deus*, Id eſt, promeremus Deum; verbum enim *promeretur* ibi ſumitur paſſivè à verbo activo *promereo*.

Prob 2. Ex Aug. ſerm. 16. de verbis Apoſt. *Poſſumus*, inquit, *ita Deum alloqui tanquàm debitorem, eique dicere: redde quod promiſiſti, quia fecimus quod juſſiſti*: Si ergo Deus ſit operibus noſtris debitor, non eſt purus donator; cùm repugnet debito pura donatio.

Prob. 3. Ratione; quia etſi opera noſtra ex ſolis naturæ viribus procedentia non habeant ullam proportionem cum pręmio ſupernaturali, utpotè alterius ordinis, quatenùs tamen per gratiam ſupernaturalem, à qua procedunt, elevantur, ſupernaturalizantur, fiuntque præmio ſupernaturali proportionata.

Dices 1. Luc. 17. legitur: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus*: ergo opera non ſunt ex ſe meritoria.

Reſp Diſt. Conſeq. Opera noſtra ut à nobis ſunt præcisè, non ſunt meritoria: C. & ſub hoc reſpectu, juxtà D. Ambroſium, dicimur ſervi inutiles. Ut procedunt à Chriſto per gratiam ſuam in nobis operante: N. vel dic ſecundùm Bedam, nos eſſe ſervos inutiles reſpectu Dei, qui ex operibus noſtris nihil refert utilitatis, licèt ex miſericordia bona ſua velit eſſe noſtra merita.

Dices 2. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam* Rom 8.

Reſp. Apoſtolum tantùm velle non eſſe condignas ſeu proportionatas quoad durationem, quia nempè paſſiu brevis, gloria æterna; licèt ſint condignæ quoad valorem, accedente ſaltem divina promiſſione.

Dices 3. Auguſtinus Enchir. cap. 107. edoctus à D. Paulo Rom. 6. vocat vitam æternam, Gratiam: *Intelligendum eſt igitur*, inquit, *etiam ipſa hominis bona merita, eſſe Dei munera, quibus cum vita æterna redditur, quid niſi Gratia pro Gratia redditur?*

Reſp. Vitam æternam juſtorum operibus conceſſam vocari ab Apoſtolo, & Auguſtino Gratiam, non quia in ſe talis eſt, cùm alibi vocent illam mercedem, & debitum juſtitiæ, ſed quia talis eſt in radice, ſeu principio merendi, nempe Gratia habituali conceſſa.

Dices 4. Juſtus operando non acquirit jus ad præmium aliàs vellet nollet, Deus teneretur præmiare; ergo nec verè meretur.

Reſ. Diſt. Ant. Non acquirit jus fundatum in juſtitia ſtrictè dicta: C. quia talis juſtitia non reperitur inter Creatorem, & creaturam, ut diximus in Tract. de jure & juſtitia. Fundatum in juſtitia largè ſumpta, vel potiùs in fidelitate: N. quòd autem teneatur Deus promiſſis ſtare, nullam arguit in Deo imperfectionem. Ex dictis

Reſolves, quòd licèt ſit de Fide hominem poſſe verè mereri, non tamen ſit de fide, ſecundùm aliquos, poſſe mereri de condigno; & ideò aliqui Authores Catholici concedentes bonis juſtorum operibus meritum congruum denegant condignum; hæc tamē aſſertio apparet mihi ſatis periculoſa: quia etſi nullibi terminis expreſſis definiatur poſſe hominem mereri de condigno; hoc tamen obſcurè colligitur ex Scriptura, quæ variis locis loquitur de merito perfecto, quale eſt condignum; Imò Sap. 3. dicitur: *Deus tentavit eos*, Nempè juſtos, *& invenit illos dignos ſe*.

QUÆSTIO II.

Quænam conditiones requirantur ad meritum condignum.

CUm triplices ad meritum condignum requirantur conditiones, aliæ ſe tenentes ex parte operantis, aliæ ex parte operis, aliæ ex parte præmiantis, ideò hanc quæſtionem articulo triplici abſolvemus.

ARTICULUS I.

Quæ conditiones requirantur ad meritum condignum ex parte operantis?

CONCLUSIO I.

EX parte operantis requiritur ſtatus viæ, ſaltem de potentia ordinaria.

Prob. 1. Ex Script. Eccl. *Quodcunque facere poteſt manus tua inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos:* quaſi diceret, ut explicat Hieronymus, nihil facies poſt hanc vitam dignum præmio. Unde Jo. 9. dicitur: *Venit nox*, id eſt mors *quando nemo poteſt operari*, ſcilicèt in ordine ad præmium & ideò *Dum tempus habemus operemur bonum*. Ad Galat 6.

Prob. 2. Ex PP. Cypriano lib. ad Demetianum numero 9. *Quando iſthinc exceſſum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus eſt, nullus ſatisfactionis effectus*. Hieronymo in cap. 9. Eccle. v. 5. *Mortui nihil valent ad id adjicere, quod ſemel ſecum tulere de vita*, & in cap. 6. 1. Cor. *Tempus ſementis eſt præſens vita*: Auguſtino Enchir. cap. 115. *Nemo ſe ſperet quod hic neglexerit, cùm obierit, apud Deum promereri*. Idem docet D. Proſper. ſententia 172.

Ratio à priori eſt ſola Dei voluntas, qui ordinavit, ut tempus merendi finiretur cum tempore vitæ, adeòque ut animæ ſivè in cœlo, ſivè in purgatorio, ſivè olim in lymbo exiſtentes, nullo modo per actus ſuos mererentur, ſicut nec demererentur damnati.

Dices 1. Aliquando impetrant nobis certa beneficia; ergo merentur in Cœlo.

Reſp. N. Conſ. Illa enim beneficia nobis conferuntur ex liberalitate Dei filios ſuos, & amicos exaudientis, non ratione alicujus operis de novo in ejus obſequium præſtiti, ſed ratione operum bonorum in via patratorum. Similiter gaudium accidentale, quod percipiunt Angeli de ſalute ſuorum clientum, Beati de pœnitentia peccatorum &c. fundatur in operibus bonis quæ viatores præſtiterunt, *illudque magis acquirunt ex virtute beatitudinis, quàm merentur*, inquit D. Thomas 1. p. q. 62. art. 9. ad 3.

Dices 2. Elias & Enoch non ſunt propriè in via, & tamen adhuc merentur: ergo.

Reſ. N. Ant. Et dico, quòd illi viri ſancti, qui ſunt quaſi medii inter viatores & comprehenſores, adeoque nec propriè in via, nec propriè in patria, non mereantur de novo, licèt ſint merituri, quando contra Anti-Chriſtum præliaturi, ſtatum viatoris ordinarium reſument. Cujus ratio eſt, quòd non poſſunt demereri; ergo nec mereri, præterea ſi mererentur, cùm credibile ſit eos continuò Deum amare, non modò quorumlibet Sanctorum, ſed etiam B. Virginis merita æquarent, imò & longè ſuperarent. Denique licèt in eo ſtatu ſint mortales, non tamen mortalium legibus ſubjiciuntur.

CONCLUSIO II.

REquiritur etiam ex parte operantis ſtatus gratiæ, ſaltem juxta præſens decretum.

Prob. 1. Ex Scrip. 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero: nihil mihi prodeſt*, & Jo. 15. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos niſi in me manſeritis*, ſcilicet per gratiam.

Prob. 2. Peccatum mortale adveniens, mortificat opera meritoria præcedentia, juxta illud Ezechielis 18. *Si averterit ſe juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem.... omnes juſtitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur*: ergo à fortiori impedit nova, quandoquidem ideò præcedentia mortificet, quia ſtatus peccati non compatitur ſtatum meriti.

Ratio congruentiæ eſt, quòd cùm operari meritoriè ſit operari in ordine ad vitam æternam, juſtum ſit, ut taliter operans vivat vita æterna, quam vocat gratiam Apoſtol ad Rom. 9. & hoc ut ſit quædam proportio inter operantem & vitam. Unde D. Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 2. docet hominem non poſſe facere divina, niſi prius ipſe divinus efficiatur. Hinc

Reſol. 1. Quando Matth. 19. dicitur. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, non promitti vitam æternam indifferenter omnibus legem ſervantibus, ſive ſint in gratia, ſive non, ſed inculcatur neceſſitas exequendi mandata ad vitam æternam adipiſcendam, nihil ibi determinando, an ſit neceſſarius ſtatus gratiæ ad merendum, necne; quod ſufficienter determinatur alibi, ut patet ex dictis.

Reſol. 2. Per aſſertionem noſtram refelli errorem Pelagianorum aſſerentium poſſe homines Beatitudinem aſſequi ſolis naturæ viribus ſicut & Michaelis Baii, qui voluit ad merendum ſufficere gratiam actualem; unde hanc ejus 12. Propoſitionem: *Pelagii ſententia eſt: opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non eſt regni cæleſtis meritorium*, damnarunt tres Summi Pontifices.

Dixi in Concluſione: *ſaltem juxta præſens decretum*; quia non video, cur non potuiſſet Deus ſtatuere, ut homo ſolis naturæ viribus, aut per ſolam gratiam actualem promereretur vitam æternam: nam cùm opera hominis, etiam exiſtentis in gratia non habeant ex ſua entitate Phyſica, ſaltem adæquatè, quod ſint meritoria vitæ æternæ, ſed ex Dei acceptatione, potuiſſet ſimiliter Deus opera naturalia; aut procedentia ex ſola gratia actuali, in ordine ad gloriam acceptare.

Dices: Inde ſequeretur quòd homo in ſtatu peccati, adeoque teus damnationis æternæ, poſſet habere jus ad vitam æternam, ſi nempe ex gratia actuali benè operaretur.

Reſp. diſt. Sequel. Poſſet habere jus ad vitam æternam *poſſidendam* caſu quo compararet ſibi gratiam habitualem *ante* mortem: C. caſu quo non compararet: N. unde jus quod haberet talis homo ad gloriam, eſſet conditionatum.

ARTICULUS I.

Quæ conditiones requirantur ad meritum condignum ex parte operis?

CONCLUSIO I.

REqniritur ut opus ſit bonum & honeſtum. Ratio eſt; tum quia Scriptura ſolis actibus bonis promittit mercedem; tum quia actus malus aut indifferens non poteſt habere rationem obſequii erga Deum, qualis debet eſſe actus meritorius.

CONCLUSIO II.

DEbet opus eſſe liberum libertate indifferentiæ, ſeu à neceſſitate.

Prob. 1. Ex Script. Eccli. 31. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit; ideò ſtabilita ſunt bona illius in Domino*. Ubi aſſignatur libertas tanquam ratio cur opera juſtorum ſint in Domino ſtabilita, id eſt meritoria. Qnod confirmat Apoſt. 1. Cor. 9. *Si volens hoc ago, mercedem habeo*.

Prob. 2. Ex PP. Hieron. lib. 2. contra Jovinianum: *Ubi neceſſitas, nec corona, nec damnatio eſt*. Auguſt. lib. de Spir. & litt. *Homini Deus dedit liberum arbitrium, ſine quo nec bene, nec male vivitur*. Bernardo ſerm. 81. in Cantica: *Ubi non eſt libertas, nec meritum*.

Prob. 3. Ex condemnatione hujus Janſenianæ propoſitionis tanquam hæreticæ; *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, &c.*

Prob.

Prob. 4. Ratione: quia ſicut abſque indifferentia ad agendom vel non agendum, nihil eſt reprehenſione aut ſopplicio dignum; ita nec retributione aot præmio.

Dices: Acceptavit Deus mortem involuntariam SS. Innocentium ad vitam æternam. ergo &c.

Reſp. Conceſſo Ant. N. Conſ. Aliud eſt enim acceptare ad vitam æternam, aliud ad præmium vitæ æternæ; cùm enim Deus ſit abſolutè Dominns gloriæ poteſt eam conſerre propter quaſcumque actiones, ſive neceſſarias, ſive liberas; non poteſt tamen eam conferre tanquam præmium quod eſt correlativum meriti, niſi propter actiones liberas; cùm non detur præmium, niſi ob actiones laude dignas qualis non eſt actio neceſſaria; nemo enim laudatur propter id, quod facere vel omittere non erat in ſua poteſtate.

CONCLUSIO III.

Debet inſuper opus illud eſſe ſupernaturale in entitate, adeoque procedere debet ab auxilio gratiæ actualis. Eſt contra quoſdam volentes omnia opera juſtorum moraliter bona, eſſe meritoria.

Prob. 1. Quia, ut dictum eſt in materia de gratia, nihil poteſt homo, etiam juſtificatus, facere in ordine ad vitam æternam ſine gratia actuali, juxta illud Joano. 12. *Sine me nihil poteſtis facere*, ſcilicet meritoriè: quod perpendens Concilium Arauſicanum 2. Can. 18. *Debetur*, inquit, *merces bonis operibus, ſi fiant; ſed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant*. Hanc autem gratiam diſtinctam eſſe à gratia habituali, oſtendimus ex Trid docente ſeſſ. 6. cap. 16. quòd Chriſtus *in juſtificatos*, adeoque in eos qui jam habent gratiam Sanctificantem, *virtutem influat, quæ bona eorum opera ſemper antecedit ..... ſine qua nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſent*.

Prob. 2. Diſpoſitio proxima ad formam debet eſſe ejuſdem ordinis ac forma ipſa: ſed opus meritorium proximè diſponit ad gratiam augendam, quæ eſt ſupernaturalis: ergo &c.

CONCLUSIO IV.

Probabilius eſt, quòd opus de condigno meritorium non debeat eſſe à Charitate vel elicitum, vel imperatum. Eſt ſatis communis.

Prob. 1. Quia actus juſtorum à virtutibus infuſis, ſive moralibus, ſive Theologici, eliciti, ſunt de condigno meritorii gratiæ & gloriæ; ſecluſo charitatis imperio: ergo &c. Prob. Ant. quia ultra quòd actus illi ſint honeſti & ſupernaturales, atque ab homine viatore & ſanctificato procedentes, promittit illis Scriptura variis in locis vitam æternam, nulla prorſus facta mentione Charitatis, ut videre eſt Matth. 10 12. & 25. Marc. 3. & Luc. 10. & alibi, quibus in locis promittitur vita æterna actibus fidei, miſericordiæ, pietatis, obedientiæ, hoſpitalitatis &c. atqui nihil aliud requiritur ad meritum condignum. ergo.

Prob. 2. Ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 16. ubi docet nihil deeſſe juſtificatis, quominus operibus ſuis in Deo factis verè mereantur, ſed actus fidei & ſpei v. g. eliciti ab homine juſto, ſunt independenter ab imperio Charitatis opera facta in Deo, cùm ſint facta in gratia, & à gratia: ergo. Deinde Can. 32. ejuſdem ſeſſ. & cap. aſſerit indefinitè juſtum mereri vitam æternam per opera ex Dei gratia & Chriſti merito procedentia; ſed talia ſunt opera virtutum ſupernaturaliom à Charitate diſtinctarum: ergo &c.

Prob. 3. Quia pluribi invitat nos Chriſtus ad chriſtianè vivendum per ſolam præmii propoſitionem: imò Pſ 118 expreſſè ait Propheta Regius: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum, propter retributionem*, ubi recenſetur motivum ſpei, & non Charitatis.

Dices 1. Indicat Chriſtus variis locis, ſe juſtorum opera non remuneraturum, niſi fiant nomine & intuitu ipſius, ut Matth. 19. *Omnis qui reliquerit .... patrem aut matrem .... propter nomen meum, centuplum accipiet* &c. & c. 10. *Qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet*: ergo &c.

Reſp. Chriſtum tantùm velle non remuneraturum ſe opera juſtorum, ſi fiant ex ſolo motivo naturali, v.g. honeſtatis moralis; non aotem ſi fiant ex motivo ſupernaturali; quia tunc licèt explicitè non fiant propter Deum, ſicut opera Charitatis, fiunt tamen implicitè, in quantum ex ſuis intrinſecis feruntur in ipſum per motiva ſupernaturalia ſibi propria; Fides ſiquidem, independenter à Charitate, tendit in Deum ut veracem, Spes, nt ſummè fruibilem, Religio, colendum; Obedientia, ut ſupremum Legiſlatorem: & ſic de aliis.

Dices 2. Apoſt. 1. Cor. 13. aſſerit non prodeſſe Fidem ſine Charitate, & ad Galat. 5. docet ad ſalutem valere ſolam fidem, *quæ per charitatem operatur*.

Reſp. Apoſtolum ibi loqui de Charitate habituali, ſeu gratia, ſine qua nulli actus, etiam de ſe optimi, ſunt meritorii vitæ æternæ.

Dices 4. Aug. Enchir. c. 117. ſic habet: *Regnat carnalis cupiditas, ubi non eſt Dei Charitas*. Et in Pſ. 18. *Qui non volunt ſervire Charitati, neceſſe eſt ut ſerviant iniquitati*: ergo opus, ſecluſa Charitate, non poteſt eſſe meritorium.

Reſp. S. Doctorem ibi loqui de Charitate habituali, ſeu vult, quòd ubi non regnat Charitas habitualis ſeu gratia, regnet ibi peccatum, quod eſt actus cupiditatis carnalis moraliter perſeverans. Item quòd nolens ſervire Charitati, ipſam ſibi comparando, neceſſe ſit ſerviat iniquitati, illam retinendo. Et certè ſi præfata loca intelligerentur de Charitate actuali, actus omnes ab ea nec eliciti, nec imperati, eſſent mali: quod nemo dixerit. Quòd ſi loquens de Charitate actuali, dicat nihil nos ad beatam vitam conducere, niſi ſummum amorem, tantùm vult, quòd nihil conducat ad vitam æternam, ſicut ſummus amor. Sicut enim præcipua eſt virtutum Charitas, ita principaliter ad Beatitudinem conducit, licèt aliæ virtutes etiam ſuo modo conducant. Sic autem eſſe intelligendum, inde patet, quòd aliàs quilibet amor, qui non eſſet ſummus, non conduceret ad Beatitudinem, quod nullus docuit, nec Auguſtin.

Dices 4. D. Thom 1. 2. q. 114. art. 4. docet in terminis actus virtutum à Charitate diſtinctarum non eſſe meritorios, niſi à Charitate imperentur: *Meritum vitæ æternæ*, inquit, *primò pertinet ad Charitatem, ad alias autem virtutes ſecundario, ſecundum quod earum actus à Charitate imperantur*. Unde ſolutione ad 3. *Fidei actus non eſt meritorius, niſi fides per dilectionem operetur, ut dicitur ad Galat. 5. ſimiliter etiam actus patientiæ & fortitudinis non eſt meritorius, niſi aliquis ex Charitate hæc operetur*.

Reſp. Ipſum loqui de Charitatis imperio impropriè dicto, ſeu tantùm vult, quòd actus meritorii procedere debeant ab habente Charitatem habitualem ſeu gratiam, quod & nos antea docuimus: unde loquitur ad ſenſum Apoſtoli dicentis 1. Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*; quandoquidem per hæc verba Apoſtoli probet allata in objectione. Apoſtolum autem loqui de Charitate habituali, ſenſus eſt omnium Interpretum. Imò ipſemet D. Angelicus hanc eſſe ſuam mentem expreſſiſſimè oſtendit 2. diſt. 40. quæſt. 1. art. 5. *Non poteſt eſſe aliquis actus*, inquit, *à deliberata virtute procedens in habente gratiam, qui non ſit meritorius*. Et in ſolutione ad 3. *Qui intendit Caſtitatem ſervare, etiamſi nihil de Charitate cogitet, conſtat quòd meretur, ſi gratiam habet*. Quid clarius & expreſſius?

Dices 5. Omne meritum vitæ æternæ eſt augmentum Charitatis: ſed non angetur Charitas niſi per actus charitatis; ergo.

Reſp. Neg. Min. Quia per actus virtutum ſupernaturalium, meremur augmentum gratiæ, adeoque & Charitatis habitualis à gratia indiſtinctæ:

Solet hìc Objici authoritas DD. Subtilis & Seraphici 2. diſt. 41. ſed relationem in Deum requirunt, non tanquam ad merendum neceſſariam, ſed tanquam magis proficoam, imò & magis tutam; quandoquidem D. Bonav. in fine qu. 3 art. 1. aſſerat mereri virum obedientem, obediendo Prælato ſibi præcipienti, etiamſi nihil de Deo cogitet, ſed ſolùm conſideret, quòd bonum eſt obedire. Scotus verò 2. diſt. 7. q. unica, expreſsè tenet ſententiam noſtram; imò videtur plus aſſerere, nempe omnem actum moraliter bonum in homine juſto eſſe meritorium. Ex dictis

Reſol. 1. Actus cujuslibet virtutis infuſæ ab homine juſto elicitos, eſſe de ſe meritorios, ſecluſo Charitatis imperio: quod etiam aſſerimus de actibus virtutum moralinm ab aliqua virtute ſupernaturali imperatis, quæcumque illa ſit, quia actus imperatus, ratione conjunctionis moralis cum actu imperante, participat bonitatem illius; & conſequenter ſi actus imperans ſit de ſe meritorius, erit & meritorius imperatus, quandoquidem, ut fatentur adverſarii, actus à Charitate imperatus ſit meritorius; quia actus Charitatis eſt de ſe meritorius.

Reſol. 2. Contra Capreolum, Vaſquez, & quoſdam alios; non omnia juſtorum opera eſſe condignè meritoria; quia ubi opus non fit ex motivo ſupernaturali, non cenſetur in Dei obſequium fieri.

Reſol. 2. Non repugnate operibus meritoriis, quòd quis agat propter retributionem, ut patet exemplo Davidis ſupra, & Moyſis, de quo dicit Apoſtol. ad Hebr. 11. *Aſpiciebat enim in remuneratiouem*. Fatendom tamen cuique Chriſtia-

Digitized by Google

ſtiano ad laborandum eſſe, ut omnes actiones ſuas in Deum referat, vel actualiter, vel virtualiter per actum Charitatis moraliter perſeverantem (qualem cenſetur habere per totam viam, qui aliquam peregrinationem ex amore Dei ſuſcipit, licèt diu duret) quia licèt ſententia noſtra ſit probabilior, quia tamen fortè coram Deo falſa eſt, ne multa opera bona mercede priventur, ideò aliam in praxi ſequendam maximè conſulimus; imò etiam actus noſtros indifferentes ex imperio vel motivo Charitatis facere, admodum utile eſt & proficuum, quandoquidem ratione motivi, vel actus imperantis, unde bonitatem accipiunt, fiant etiam meritorii vitæ æternæ.

ARTICULUS III.

Quæ conditiones requirantur ad meritum condignum ex parte præmiantis?

CONCLUSIO I.

REquiritur ex parte præmiantis promiſſio ſeu acceptatio ad præmium, Eſt Scoti 1. diſt. 17. qu. 3. n. 21. ubi de opere meritorio ſic loquitur: *Creditur eſſe una conditio in actu, videlicet quod eſt acceptabilis Deo, non quadam acceptatione communi ſolummodò .... ſed ex acceptatione ſpeciali, quæ eſt in voluntate divina, ordinatio hujus actus ad vitam æternam.* Eſt contra paucos volentes actus à gratia procedentes habere de ſe condignitatem ad præmium vitæ æternæ.

Prob. 1. Ex Scriptura Rom. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum:* atqui Deus, ſecluſa ſua promiſſione, non poteſt eſſe alicui obligatus ſeu debitor; cùm jus habeat ſupremum in omnes creaturas, & in omnes earum actiones, poſſitque illas juſtiſſimè exigere, ſecluſa omni mercede: ergo &c. Unde Auguſtin. in Pſal. 83. circa finem: *Debitorem Deus ipſe ſe fecit, non accipiendo, ſed promittendo: non ei dicitur redde quod accepiſti, ſed redde quod promiſiſti.* Et ſerm. 16 de verbis Apoſtoli: *Debitor nobis factus eſt, non aliquid à nobis accipiendo, ſed quod ei placuit promittendo.*

Prob. 2. Ex variis Conciliis, ut Moguntino celebrato 1549. Senonenſi c. 16. Trident. Seſſ. 6. c. 16. cujus verba juvat in medium proferre: *Bene operantibus uſque in finem & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Jeſum Chriſtum miſericorditer promiſſa: & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda.*

Prob. 3. Ratione: Nullo modo debetur merces ex juſtitia laboranti in vinea aliena, ſi inter Dominum vineæ & operarium nullum interveniat pactum, aut promiſſio; ſed operibus bonis juſtorum debetur merces ex juſtitia aut quaſi juſtitia juxta illud 2. ad Timoth. 4. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex:* ergo debet intervenire promiſſio ex parte DEI, præſertim cùm benè operando, non in illius, ſed in noſtram laboremus utilitatem; & non tantùm opera noſtra, ſed etiam ea, per quæ operamur, ſint variis titulis ipſi debita.

Prætereà cur non merentur animæ in cœlo, aut Purgatorio exiſtentes? Cur Chriſtus non meruit malis Angelis reparationem? Niſi quia illis operibus deeſt promiſſio & acceptatio, quæ adeſt operibus bonis juſtorum adhuc viatorum. Si dicas non mereri, quia ſunt in termino; nihil proficis: nam ſi à te quæram, cur non mereantur in termino? reſpondere debes, quia actionibus in termino factis non promiſit Deus præmium.

Dices 1. Peccatum, ſecluſa comminatione, eſt meritorium pœnæ: ergo opus bonum, ſecluſa promiſſione, eſt meritorium gloriæ.

Reſp. 1. Neg. Ant. Aliàs non eſſet ratio, cur damnati peccando, non merentur augmentum pœnæ.

Reſp. 2. Neg. Conſeq. Nam ratio dictat puniendum eſſe illum, qui Superiorem offendit, etiam ſecluſa comminatione; non dictat tamen eſſe præmiandum illum ex juſtitia, qui non conductus laboravit.

Dices 2. Si requiratur promiſſio ex parte præmiantis, requiritur etiam acceptatio ex parte merentis: ſed plurimi ignorant, aut ignorare poſſunt illam promiſſionem: ergo, defectu acceptationis, privarentur præmio: quod eſt nimis durum.

Reſp. diſſimulata Ma. Neg. Min. quia cùm nullus mereri poſſit ſine fide Dei remuneratoris; etiam nullus merens ignorare poteſt promiſſionem remunerationis, quam cenſetur acceptare eo ipſo quo benè operatur; cum cenſeatur velle obtinere per opus ſuum quidquid per illud obtineri poteſt.

Dixi: *Diſſimulata Majore*; quia licet ad debitum juſtitiæ requiratur acceptatio, non tamen ad debitum fidelitatis, quale eſt in noſtro caſu.

Dices 3. Chriſtus meruit gratiam antiquis Patribus; ſed non promiſit Deus Chriſti humanitati dationem illius gratiæ cùm prius eam dederit, quàm fuerit Chriſti humanitas: ergo

Reſp. Diſt. Min. Non promiſit humanitati exiſtenti: C. futuræ: N. Deus ergo promiſit ab æterno futuris Chriſti meritis gratiam hominibus dandam; & propter merita illa fundata in promiſſione præviſa ut à Chriſto acceptanda, gratiam de facto contulit antiquis Patribus.

CONCLUSIO II.

REquiritur præfata promiſſio divina, non tantùm ut Deus juſtis benè operantibus fiat debitor, ſed etiam ut bona eorum opera de ſe improportionata, eleventur ad condignitatem gloriæ. Eſt Scoti cum ſuis contra varios volentes bona juſtorum opera ratione gratiæ ſanctificantis eſſe de ſe condigna præmio vitæ æternæ, adeòque à promiſſione divina nullum ad hoc valorem, etiam extrinſecum, accipere.

Prob. 1. Concluſio ex Scriptura Rom. 8. ubi de actibus juſtorum dicitur: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis:* ergo non à gratia ſanctificante; ſed ab ipſa Dei promiſſione ſeu ordinatione habent illum valorem condignum. Unde 2. Cor. 4. legitur, quod *Momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ... æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, quaſi diceretur, quòd tribulationes hujus vitæ, quæ nihil ſunt in comparatione gloriæ, illam tamen nobis operentur ex bonitate Dei, illas ad tale præmium ordinantis; & ideò volens Chriſtus Matth. 25. oſtendere inæqualitatem operum factorum in gratia, cum gloria ait: *Euge ſerve bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam.*

Prob. 2. Ex PP. Fulgentio l. 1. ad Monim. c. 10. *Tantùm ibi,* ideſt in gloria, *gratia divinæ retributionis exuberat, ut incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum, quamvis bonæ & à Deo datæ, humanæ voluntatis atque operationis, excedat.* Auguſtino in Pſ. 93. *Si verum vis judicare; æterna requies, æterno labore rectè emitur: ſed noli timere, miſericors eſt Deus*, ideſt, ex ſua bonitate & miſericordia, laborem brevem & minus dignum acceptabit ad præmium vitæ æternæ.

Prob. 3. Ratione quia etſi gratia ſit radix & ſemen gloriæ, cùm tamen reſpectu operum à juſtis factorum habeat ſe tantùm concomitanter, & materialiter, nullatenus ſequatur ab ea ita dignificari, ut ſint de ſe omninò condigna Beatitudine.

Confir. Ideò ſtatus peccati non reddit opera indifferentia, aut etiam venialiter mala, condigna pœnæ æternæ, quia tantùm materialiter & concomitanter ſe habet ad illa: *ſed ita ſe* habet gratia ut gratia reſpectu operum bonorum: ergo non reddit illa omninò condigna vitæ æternæ.

Obji. 1. Hæc ſententia affinis eſt errori hæreticorum aſſerentium opera juſtorum nullum habere de ſe valorem, ſed ex Dei acceptatione extrinſeca.

Reſp. Neg. Aſſumpt. Etſi enim negemus operibus juſtorum condignitatem gloriæ, non tamen negamus omnem valorem intrinſecum: unde ſicut opera generoſa filii adoptati à Rege, habent ſuum valorem intrinſecum, & quidem longè majorem, quàm opera perſonæ omninò extraneæ, ita & opera bona juſtorum cùm ſint filii Dei adoptivi. Sicut autem opera filii adoptati à Rege non ſunt condigna throno, niſi ita acceptentur à Rege; ſic nec opera juſtorum ſunt condigna cœlo, niſi eleventur à Deo.

Obji. 2. Si vera eſſet Concluſio, poſſet peccator mereri gratiam de condigno per Contritionem. Prob. Aſſumpt. quia eodem modo promiſſa eſt gratia contritis, ac gloria juſtis.

Reſp. Neg. Aſſ. Ad probationem dico promiſſam quidem eſſe Contritioni gratiam ob Chriſti merita, non tamen ut mercedem; cum non ſit opus filii, ſed inimici, & ſic non elevatur Contritio, ſicut opera facta in gratia, per promiſſionem.

Obji. 3. Promiſſio, cùm ſit operi extrinſeca, non poteſt ipſum meliorare.

Reſp. Diſt. Aſſumpt. Non poteſt ipſum meliorare intrinſecè: C. extrinſecè, eo ferè modo quo Rex per ſuam ordinationem auget valorem monetæ de ſe minus valentis: N. & certè ſi Princeps promitteret aſcendenti muros civitatis filiam ſuam, nunquid aſcendens, illam de condigno mereretur, ratione promiſſionis Regiæ taxantis valorem illius actionis de ſe minus valentis? Ita ſanè: idem dic in noſtro caſu.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO III.

Quænam cadant ſub meritum de condigno?

QUæritur quid poſſit homo condignè mereri? Ante reſolutionem

Supp. 1. Non poſſe hominem mereri de condigno primum gradum gratiæ Sanctificantis; cùm enim gratia neceſſariò prærequiratur ad meritum condignum, ut antea probavimus, clarum eſt non poſſe per tale meritum obtineri; aliàs idem præſupponeretur ſibi ipſi. Præterea, ut fert Axioma Theologicum, principium meriti non cadit ſub meritum: ſed gratia ſanctificans eſt principium meriti, ſaltem dignificativum; ergo. Et ideò Rom. 3. dicimur *juſtificati gratis*.

Supp. 2. Nec primam gratiam actualem poſſe à puro homine condignè obtineri; aliàs deberet quis illam mereri per ſolas naturæ vires; quod nequidem poteſt congruè, ut ſuo loco diximus.

Supp. 3. Augmentum gratiæ & gloriæ cadere ſub meritum condignum, ut patet ex Trid. Seſs. 6. Can. 32. ubi dicitur: *Si quis dixerit ipſum juſtificatum, bonis operibus.... non verè mereri augmentum gratiæ, atque etiam gloriæ, Anathema ſit*. Si autem verè meretur, quidni condignè? Quandoquidem meritum congruum non ſit propriè meritum. Accedit, quòd omnia reperiri poſſint ad tale merita requiſita; nempe ex parte operis honeſtas, libertas, ſupernaturalitas; &c. ex parte operantis ſtatus viæ & gratiæ; ex parte præmiantis promiſſio; cùm dicatur Apocal. 22. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc*: ubi promittitur augmentum juſtificationis, ſeu gratiæ juſtificantis; & Joan. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*, ubi promittitur implicitè majoribus meritis major gloria.

Supp. 4. Non poſſe hominem mereri de condigno reparationem poſt lapſum; quia omnis juſtificatio ſive ſecunda, ſive prima ſemper eſt gratuita, ut patet tum ex Scriptura tum ex Patribus, tum ex communi fidelium ſenſu: unde quando dicit David Pſ. 70. *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me*, non orat, ut repararetur ſpiritualiter poſt lapſum, ſed ut Deus, qui fuerat ei de ventre matris ſuæ protector, non deſerat ipſum in ſenectute. Sed eſto reparationem illam exigeret, ſequeretur ad ſummum poſſe juſtum illam ſibi ſuis precibus impetrare, ſicut poteſt alteri, non tamen de condigno mereri, eò quòd nulla ſit in Scriptura talis reparationis promiſſio.

Supp. 5. Idem eſſe dicendum, propter defectum promiſſionis divinæ, de perſeverantia finali, de bonis temporalibus, ſaltem ut nos conducunt ad ſalutem: unde nihil aliud reperimus, juſtorum operibus promiſſum, niſi gratiam & gloriam, earumque augmentum, & ideò prioribus præſuppoſitis tanquam certis, vel de fide, vel Theologicè, tantùm reſtant quædam examinanda circa gratiam, & gloriam inter Doctores controverſa.

CONCLUSIO I.

PRobabilius eſt poſſe adultum mereri de condigno primum gradum gloriæ.

Prob. 1. ex Trid. ſeſs. 6. can. 32. ubi deſignat tanquam duo præmia diſtincta, gloriam & gloriæ augmentum: ergo ſupponit poſſe hominem utrumque mereri, ſeu primum gloriæ gradum, & gradus ulteriores: unde aliter loquitur ibidem de gratia ac de gloria: vult enim poſſe quidem hominem mereri gratiæ augmentum, non tamen gratiam ſimpliciter, quia hæc neceſſariò prærequiritur ad meritum, ad quod quia non prærequiritur gloria vult ſimpliciter hominem & gloriam & gloriæ augmentum poſſe mereri.

Prob. 2. Quia homo eliciens actum Contritionis perfectæ, ponit omnia requiſita ad tale meritum, quandoquidem eodem inſtanti reali quo Contritionem elicit, gratiam recipiat, ſicque operetur habens gratiam & certè ſi poſſit cauſa phyſica eodem inſtanti quo eſt, effectum producere, ut patet in igne, ſole, &c. quidni idem poſſet cauſa moralis aut quaſi moralis, qualis eſt Contritio reſpectu gratiæ? Unde D. Thomas 1. 2. q. 112. art 2. ad 1. *Præparatio hominis ad gratiam habendam quædam eſt ſimul cum ipſa infuſione gratiæ; & talis operatio eſt quidem meritoria, ſed non gratiæ, quæ jam habetur, ſed gloriæ, quæ nondum habetur*.

Dices; Contritus meretur primum gloriæ gradum de congruo: ergo non de condigno. Prob. Ant. Nam ideò meretur gloriam; quia meretur gratiam, ſed gratiam meretur de congruo: ergo & ſimiliter gloriam.

Reſp: Licèt Contritus pro inſtanti naturæ præcedente infuſionem gratiæ, mereatur gloriam ſicut gratiam, adeoque de congruo; pro inſtanti tamen naturæ ſequente infuſionem gratiæ, illam meretur de condigno. Nec mirum videri debet quòd eodem inſtanti reali poſſit quis mereri gloriam de congruo & de condigno; nam ſi teſte Trid. ſeſs. 6. c. 16. poſſit quis illam accipere & ut gratiam, & ut mercedem, ſub diverſo reſpectu, quidni & illam mereri de congruo & de condigno, habito reſpectu ad diverſa naturæ inſtantia, in quorum primo necdum intelligitur homo dignificatus per gratiam, in ſecundo autem dignificatus.

CONCLUSIO II.

POteſt juſtus mereri de condigno remiſſionem peccatorum venialium. Eſt contra Lugo & quoſdam alios.

Prob. Quia, cum poſſit mereri gloriam de condigno, quidni & eodem modo mereri ut tollantur retardantia gloriæ conſecutionem, qualia ſunt venialia? Præterea quid deeſt Contritioni à juſto elicitæ ad condignam venialium remiſſionem? non dignitas operis aut operantis, ut patet; non etiam promiſſio præmiantis: cùm promiſerit Deus condonare peccata verè pœnitentibus: ergo &c.

Dices: juſtus contritus de venialibus, meretur gloriæ augmentum de condigno: ergo non ita meretur venialium remiſſionem; aliàs eidem operi redderetur præmium duplex.

Reſp. Neg. Conſ. Et dico, licèt idem opus non mereatur duplex præmium non ſubordinatum, meretur tamen ubi primum ſubordinatur ſecundo, ut patet de gratia & gloria; jam autem venialium remiſſio ſubordinatur faciliori gloriæ conſecutioni.

CONCLUSIO III.

NOn poteſt purus homo mereri alteri de condigno gratiam, aut alia auxilia ad ſalutem neceſſaria.

Ratio eſt; quia nullibi extat promiſſio de tali præmio operibus noſtris reddendo; ſicut adeſt reſpectu operum Chriſti, qui ideò meruit nobis illa omnia de condigno. Poteſt tamen quis alteri impetrare gratiam juſtificationis, aut perſeverantiæ; aliàs fruſtra id peteremus à DEO: unde D. Stephanus *meruit veniam inimicis*, inquit Aug. ſerm. 99. c. 11.

QUÆSTIO IV.

Quænam cadant ſub meritum de congruo?

SUpp. 1. Eaſdem conditiones requiri ad meritum cõgruum ex parte operis, ac requiruntur ad meritum condignum, adeoque quòd debeat actus eſſe liber, honeſtus, ſupernaturalis, & in Dei obſequium factus, aliàs non videtur aptus, ut Deum moveat ad præmium.

Supp. 2. Ex parte operantis requiri quidem ſtatum viæ, non tamen ſtatum gratiæ, licèt non officiat. Ratio prioris eſt, quòd Deus ita ſtatuerit, ut patet ex conditionibus ad meritum condignum requiſitis: unde ſi Deus quandoque nobis beneficia conferat ob Sanctorum preces, non movetur eorum precibus tanquam meritis, ſed tanquam petitionibus perſonarum ſibi amicarum, & dignarum, ut ob antiqua merita exaudiantur. Ratio poſterioris eſt, quòd meritum congruum non fundetur in dignitate operantis, ſed in præmiantis liberalitate: unde peccator contritus meretur de congruo juſtificationem.

Supp. 3. Ad meritum congruum non requiri promiſſionem de præmio retribuendo, licèt non ipſi repugnet. Ratio prioris petitur ex eo, quòd merito congruo, tantùm debeatur præmium ex decentia & congruitate, & conſequenter non debeat eſſe præmii retributio infallibilis. Ratio poſterioris eſt, quòd quis poſſit alteri promittere quod ei tantùm ex congruitate debitum eſt, & ideò promiſit Deus peccatori contrito juſtificationem. His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

POteſt quis alteri, non ſibi mereri de congruo primam gratiam actualem.

Prob. 1. pars. quia ſi poſſit alteri mereri de congruo reconciliationem cum Deo, ut patet ex Job cap. 42. ubi Deus in Jobi amicos iratus ſic loquitur: *Job autem ſervus meus orabit pro vobis: faciem ejus ſuſcipiam, ut non vobis imputetur ſtultitia*; à fortiori poteſt primam gratiam, quæ ſolùm initium eſt reconciliationis.

Prob. 2. pars; quia prima gratia eſt principium cujuslibet meriti, adeoque non poteſt cadere ſub proprium meritum. Præterea deberet quis ſibi illam mereri ſolis naturæ viribus: hoc autem fieri non poſſe, definitum eſt contra Semi pelagianos, ut diximus.

Digitized by Google

CONCLUSIO II.

POteſt homo, ſuppoſita prima gratia actuali, mereri ſibi de congruo auxilia ulteriora, imò & ipſam juſtificationem.

Ratio eſt; quia decet ſummam Dei liberalitatem facienti quod in ſe eſt cum auxilio gratiæ, nec gratias ulteriores nec ipſam juſtificationem denegare: unde Aug. tract. 44 in Jo. de confeſſione Publicani dicentis: *Deus propitius eſto mihi peccatori*, ait: *Illa ergo confeſſio meruit juſtificationem*. Qui paſſus adverſatur Thomiſtis dicentibus non poſſe hominem per actum Contritionis, aut Charitatis, mereri de congruo infuſionem gratię, eò quòd putent meritum congruum conſiſtere in jure amicabili ad præmium, quod gratiam præſupponit, cùm tamen conſiſtat in mera congruentia ipſius operis cum prœmio, attenta prœmiantis miſericordia, ut habet verior & communior ſententia, cui favet D. Th. Lect. 3. in c. 6. ad Hebr. ubi ſic habet: *Dicendum quòd duplex eſt meritum, unum quod innititur juſtitię, & iſtud eſt meritum condigni, & aliud quod ſoli miſericordiæ innititur, quod dicitur meritum congrui*. Ubi per verbum *ſoli* excludit jus illud amicabile fundatum in gratia.

CONCLUSIO III.

VEriſimilis eſt poſse juſtum mereri de congruo reparationem poſt lapſum. Eſt ſatis communis. Contrarium quidem docuit D. Th. 1.2. q. 114 art. 7. dicens: *Nullus poteſt ſibi mereri reparationem poſt lapſum futurum, nec merito condigni, nec merito congrui*; ſed hoc retractavit loco immediatè antè citato, ubi expreſsè docet, quòd ſit congruum, ut qui multa bona fecit, mereatur reſurgere à peccato.

Prob. 1. Ex Script. 2. Paralip. 19. *Impio præbet auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia jungeris, & idcirco iram Domini merebaris: ſed bona opera inventa ſunt in te*, &c. Ubi indicatur Joſaphat Regem per bona opera obtinuiſſe, ut etiam cùm Deum deſereret, à Deo non deſereretur.

Prob. 2. Ità ſe habet juſtus reſpectu ſui, peccatoris fortè futuri, ac alterius peccatoris; ſed huic mereri poteſt de congruo reparationem, cùm illam inimicis ſuis meruerit S. Stephanus, & Job amicis ſuis, ut antea diximus; ergo & ſibi, quo caſu quo labatur.

Prob. 3. Poteſt homo mereri ſibi de congruo reparationem, cùm eſt Dei inimicus, ut diximus Concl. præc. ergo à fortiori quando eſt amicus, pro tempore quo erit inimicus.

Dices Ezechiel. 18. legitur: *Si averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem... omnes juſtitiæ ejus non recordabuntur*: ergo non movetur Deus à bonis operibus per peccatum ſubſequens mortificatis, ut reparationem conferat.

Reſ. Diſt. Conſ. Non movetur ut conferat de condigno: C. & hoc modo dicitur non recordari operum præteritorum. Ut conferat de congruo; N. unde dici poteſt, quòd illorum obliviſcatur ut juſtus judex, non tamen ut miſericors Pater.

CONCLUSIO IV.

POſſumus mereri nobis de congruo perſeverantiam finalem.

Prob. 1. Ex Scriptura juſtos hortante, ut donum illud à Deo poſtulent: ergo ſupponit poſſe juſtorum precibus obtineri.

Prob. 2. Ex Aug. de dono perſever. c. 6. ubi ait: *Hoc Dei donum ſuppliciter emereri poteſt*.

Prob. 3. Ratione; quia congruum apparet, ut Deus, qui vult omnes homines ſalvos facere, in hoc filios ſuos exaudiat.

Prob. 4. Poſſumus donum illud aliis emereri; cùm, ut ait Auguſt. ſupra cap. 7. oret Eccleſia ut credentes perſeverent; ergo & nobis.

Ut autem jungamur Thomiſtis: qui nobis in hac & aliis Concluſionibus videntur contrarii; advertendum eſt, ipſos duplex admittere meritum de congruo unum ſtrictè, quod dicit jus in homine ad prœmium, & in Deo debitum, amicabile alterum, quod ſoli divinæ miſericordiæ innititur. Cùm autem dicimus nos poſſe perſeverantiam finalem mereri de congruo (idè eſt de prima gratia actuali) loquimur de merito congruo latè, quòd ſententia communior vocat congruum ſimpliciter; non autem de congruo ſtrictè; cùm nullum jus habeamus etiam amicabile, ad primam gratiam, ſive actualem, ſive habitualem, cùm jus illud ipſam gratiam habitualem, qua amici Dei conſtituimur, præſupponat: ſicut nec ad donum perſeverantiæ, quod omninò gratis conceditur.

QUÆSTIO V.

Seu variæ Quæſtiunculæ hanc materiam concernentes.

PEtes 1. Quomodo ſit verum quòd Deus præmiet ultra condignum, & puniat citra condignum?

Reſp. Hoc ſenſu, quòd opera noſtra bona de ſe improportionata ad prœmium vitæ æternæ, elevaverit ad illud per pactum, & promiſſionem ſuam, opera verò mala, potuerit ſine ulla injuria longè graviori ſupplicio afficere; unde Chryſoſtomus Homil. 37. in Gen. *Non ſolùm non inducit pœnas peccatis graviores, ſed & valdè minores*.

Petes 2. Qua proportione creſcat augmentum gratiæ ratione actus meritorii?

Reſp. Proportionatè ad gradus actus meritorii; ſive ſit intenſus, ſive remiſſus: unde ſi quis habeat tres gradus gratiæ, & eliciat actum remiſſum ad unum, habebit quatuor gradus gratiæ, ſi verò intenſum ad quatuor, habebit ſeptem, quidquid dicant aliqui volentes non plus gratiam augeri: quàm ſit actus intenſus: & ideò docent elicientem actum intenſum ad quatuor v. g. non recipere augmentum gratię; ſi jam habeat quatuor gratiæ; recipere autem augmentum unius gradus, ſi actus ſit intenſus ad quinque. Sed dicendum eſt ut ante, ne aliqui actus priventur mercede qua digni ſunt, tum ratione ſui, tum ratione divinæ promiſſionis, quæ nullos actus meritorios, etiam remiſſiſſimos excludit à prœmio gratiæ & gloriæ.

Petes 3. An etiam augeatur fides & ſpes, dum augetur gratia? Non loquimur de Charitate; quia cùm, ſecundum nos, non diſtinguatur à Gratia, certum eſt, aucta gratia, augeri & Charitatem.

Reſp. Neg. Quia ex eo, quòd ubi infunditur gratia, infundantur & illæ virtutes, ſi antea non ſint, nullatenus ſequitur ad augmentum gratiæ, debere & ipſas augeri, cùm ab ea realiter diſtinguantur, imò poſſint manere in ſubiecto, in quo non eſt gratia: unde probabilius eſt non augeri habitum fidei, niſi per actum ejuſdem. Idem dic de ſpe.

Petes 4. Unde augeatur meritum?

Reſp. 1. Ex majori actus bonitate: Ex operis difficultate vel ratione objecti, vel ratione debilitatis ſubjecti, vel ratione vitioſæ inclinationis, ſi hæc difficultas requirat majorem vim in agente. 3. Ex operis continuatione. 4. Ex majori ſanctitate, ſaltem eſſentiali ipſius merentis: ſic Chriſti meritum ratione ſuppoſiti divini, fuit infinitum, ſaltem ſecundùm quid.

Dixi: *ſaltem eſſentiali*; quia non ita conſtat de ſanctitate accidentali, quamvis id piè credant aliqui, volentes majus eſſe meritum, ubi major eſt gratia ſanctificans. 5. Ex valore rei Deo oblatæ, attenta tamen dantis facultate: nam cenſetur plus dare habens ſex, ſi det unum, quam habens mille, ſi det viginti.

Atque hæc de merito dicta ſufficiant. Faxit Deus ut illa ad praxim ita redigamus, ut tandem prœmium eſſentiale meriti perenniter poſſideamus. Amen.

THEO-

Digitized by Google

THEOLOGIA MORALIS
ET SCHOLASTICA.
DE VITIIS ET VIRTUTIBUS.

QUoniam ſecundùm Pſalmiſtam priùs monemur vitare malum, & poſteà facere bonum, juxta illud Pſal 36. *Declina à malo, & fac bonum?* non incongruum judicavi, ſi de vitiis & virtutibus tractaturus, vitiorum priùs naturam, ac deinde virtutum pulchritudinem, & neceſſitatem expoſuero. Et certè ſi virtus ſit fuga vitii, juxta illud Horatii lib. 1. Epiſt. 1. *Virtus eſt vitium fugere*, neceſſe eſt ut priùs vitii eſſentiam cognoſcamus, quàm virtutem practicemus: unde Auguſt. in Pſal 84. in fin *Ipſa prima eſt hominis juſtitia, ut punias te malum, & faciat te Deus bonum*. Sed quidquid ſit de illo ordine, Scopus hujus operis eſt omnibus fugam mali inſpirare, & boni proſecutionem inculcare: unde ſcientia hæc non eſt ſpeculativa, quaſi verò ſufficeret vitiorum & virtutum naturam inquirere, ut ibi ſiſteremus; ſed maximè practica eſt, cùm non debeamus inveſtigare quid ſit vitium, niſi ut illud fugiamus; quid ſit virtus, niſi ut illam amplectamur. Faxit Deus ut quiſquis hos tractatus leget, tanquam *à facie colubri* fugiat peccatum; & interim per amœnas virtutum ſemitas hilari & feſtino greſſu incedat, donec ad montem, qui Chriſtus eſt, tandem perveniat. Hoc eſt votum illius, qui hoc opus aliaque, Eccleſiæ Romanæ ſubmittit pedibus & cenſuræ.

TRACTATUS PRIMUS.

De Vitiis & Peccatis.

LIcèt quandoque confundantur Vitium & Peccatum; in rigore tamen diſtinguuntur in multis: nam Vitium eſt habitus, Peccatum actus: Vitium diſpoſitio permanens, Peccatum quid tranſiens: compatibile eſt vitium cum gratia ſanctificante & Dei amicitia, non ſic Peccatum: omne Vitium præſupponit peccatum, ex quo generetur, non tamen omne peccatum præſupponit vitium; cum Primò aut ſecundò peccans in una materia, non dicatur vitioſus in illa: Vitium eſt entitas poſitiva, peccatum autem tantùm privatio, & quodammodo nihilum ad nihilum redigens peccantes: peccatum per condignam pœnitentiam tollitur, non ſic vitium, quod ſicut per varios actus peccaminoſos comparatur; ita non niſi per varios actus oppoſitos eradicatur. Vitium opponitur virtuti, cùm hæc ſit habitus inclinans ad bonum, illud habitus inclinans ad malum; non tamen virtuti propriè opponitur peccatum, ſed operi virtuoſo. Nihilominus in hoc conveniunt quod ſicut ex peccato reiterato generatur vitium; ita ex vitio generatur peccatum: ita ut ſiot ſibi invicem cauſæ & effectus. Varias inſtituunt hic aliqui de vitio in genere quæſtiones, an ſcilicet opponatur formaliter Virtuti? An virtuti aequiſitæ? An virtuti infuſæ? An ſit contra rationem? An ſit quid pejus actu peccaminoſo? &c. Sed cùm illa omnia exiguam admodum habeat utilitatem, imò nullam in ordine ad Tribunal Sacramentale, in ordine ad quod præſertim hic Tractatus inſtituitur; ideò libenter Scotiſtarum more quæſtionibus illis ſuperſedemus, ut neceſſarias de peccatis materias fuſiùs exponamus.

DISPUTATIO I.

De Peccatis Actualibus.

OMnibus utilis eſt hæc materia: cum enim teneantur omnes peccatum vitare; tenentur & omnes peccatum agnoſcere; quia ſicut voluntas non fertur in bonum niſi cognitum; ita nec propriè fugit malum incognitum. Quia tamen magis competit Medico, quàm infirmo, morbos, morborumque naturas & proprietates callere; ita magis incumbit animarum Directoribus, quàm aliis, hujus tractatus plenam, integram, & accuratam notitiam ſibi comparare, peccatorum naturam, malitiam & deordinationem inveſtigando, circumſtantias, proprietates, cauſas & effectus inquirendo, ſpecies & numerum diſtinguendo; & præſertim, cùm debeant inter lepram & lepram diſtinguere, eorum gravitatem aut levitatem penetrando: unde D. Petrus Chryſologus Serm. 44. Medici ſpiritualis obligationem exponit his verbis: *Peritus medicus, qui plenam ægris deſiderat conferre medicinam, impietatis profundos patefacit receſſus, opertos peccatorum nudat morbos, iniquitatis oſtentat ſecretum virus, vitiorum naturas, origines, delictorum radices criminum mirabili ratione depromit. Sic ægras mortalium mentes moderatione pia pro ætate, pro ſexu, pro tempore, pro viribus ad ſalutem perpetem divina curatione perducit.* Sumitur autem aliquando peccatum in ſcriptura pro cauſa, aliquando pro effectu peccati: ſic dicitur concupiſcentia peccatum, quia oritur ex peccato: dicitur & peccatum, quia inclinat ad illud. Item ſumitur interdum pro pœna peccatis debita, ut 1. Petri 2. *Peccata noſtra ipſe pertulit*; ac etiam pro hoſtia pro peccatis immolata, quo ſenſu dicitur Chriſtus pro nobis factus *peccatum*. 2. Cor. 5. ſed hic ſumitur pro tranſgreſſione legis divinæ.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Peccatum?

CONCLUSIO I.

PEccatum eſt actio vel omiſſio voluntaria contra legem divinam.

Dicitur 1. *Actio*, ſub qua comprehenditur dictum, factum, & concupitum, ideſt deſiderium faciendi vel dicendi; & ideò definitur peccatum ab Aug. l. 22. contra Fauſtum cap. 27. *Factum, vel dictum, vel concupitum aliquod contra æternam legem*: ex quo ſequitur peccata alia eſſe oris, alia operis, alia cordis.

Dicitur 2. *Vel omiſſio*; cùm enim lex non tantùm aliqua prohibeat, ſed etiam præcipiat, poſſumus omittendo id, quod præcipitur, peccare.

Dicitur 3. *Voluntaria*; quia ut docet Aug l de vera Relig. cap 14. *Uſque adeò peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium* Et ideò non peccavit Jacob accedens ad Liam, eo quòd invincibiliter crederet eſſe uxorem ſuam.

Dicitur 4. *Contra legem*, in quo conſiſtit formale peccati: eſt enim peccatum terminus concretus dicens pro materiali ipſam actionem vel omiſſionem; pro formali inobedientiam, ſeu ipſum contra legem.

Dicitur 5. *Contra legem divinam* ſimpliciter; quia peccans

contra

contra legem humanam, peccat, ſaltem mediatè, contra divinam; quandoquidem mocat Deus & ratio dictet obediendum eſſe juſtis ſuperiorum mandatis: ac ideò non fuit neceſsè addere in definitione *contra legem humanam*. Ex dictis

Reſp. 1. Quod nullum de facto detur peccatum, quod aliqua lege divina, vel humana, poſitiva, vel naturali non ſit prohibitum; quia, ut ait Apoſt. ad Rom. 4. *Ubi non eſt lex, nec prævaricatio*.

Reſp. 2. Si per impoſſibile omnis lex tolleretur, odium Dei, blaſphemiam, & alia enormia, in rigore non fore peccata; quia nulli legi adverſarentur: unde Aug. l. 2. de peccat. meritis & remiſſ. cap. 16. *Neque peccatum erit, ſi quid erit, ſi non divinitus jubeatur non ſit*. Eſſent tamen adhuc mala, & naturæ rationali difformia: quæ enim prohibet lex naturalis, non ideò ſunt mala, quia prohibita; ſed prohibita, quia mala; & ideò, formaliter loquendo, aliud eſt malum, aliud peccatum.

Reſp. 3. Præfatam definitionem etiam competere peccato veniali, cùm ſit propriiſſimè contra legem: & certè lex prohibens auferri alienum, etiam prohibet auferri unum aut alterum aſſem, cujus tamen ablatio ſolùm eſt venialis: unde quando D. Thom. & D. Bonav. docent peccatum veniale non eſſe contra legem, ſed præter, non loquuntur de lege ſecundùm ſe, ſed de fine à lege intento, quæ eſt Charitas, quam non tollit peccatum veniale.

Similiter quando Scot. 2. diſt 21. dicit veniale eſſe contra conſilium, loquitur de conſilio latè, prout opponitur neceſſario ad finem ultimum conſequendum: quaſi diceret: veniale non eſt contra præceptum, cujus obſervantia ſit neceſſaria ad aſſecutionem finis ultimi, licèt ſit contra præceptum, cujus obſervantia non requiritur neceſſariò, ut finis ultimus habeatur: unde locutus eſt in ſenſu ſcripturæ, quæ ſola præcepta graviter obligantia vocat aliquando antonomaſticè præcepta, ut cum Matth. 19. dicitur: *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata*.

CONCLUSIO II.

ALiter definiri poteſt peccatum, præſertim mortale, nempè averſio à Deo, & converſio ad creaturam: *averſio* quidem *à Deo*; nam ſicut lex æterna per ſe & principaliter ordinat hominem ad finem ultimum, ità peccatum, quod legi æternæ adverſatur, eundem à fine ultimo retrahit. Prætereà etiam dicitur hominem à Deo avertere, per hoc quod deſtruat vinculum pacis, unionis & amicitiæ cum Deo, nempè Charitatem. *Converſio* autem *ad creaturam*; quia homo peccando quærit vel delectationem, vel utilitatem, vel ſui ſatiſfactionem temporaneam, quam cenſetur Deo anteponere.

QUÆSTIO II.

An Peccatum conſiſtat in poſitivo?

LIcèt Chriſtiano magis curandum ſit ſcire quomodo debeat vitare peccatum, quàm cognoſcere quid ſit peccatum, non dedecet tamen Theologum ejus naturam inveſtigare, & ideò hic inquirimus, in quo formaliter conſiſtat, an ſcilicet in poſitivo, an autem in ſolo privativo? In privativo conſiſtere peccatum omiſſionis, communis eſt Theologorum ſententia; & certè quid aliud eſt peccatum omiſſionis, niſi abſentia actus debiti? Quid aliud eſt peccare contra præceptum audiendi Miſſam, niſi Miſſam non audire? Sed an etiam in privativo conſiſtat peccatum commiſſionis? Maximè controvertitur.

CONCLUSIO I.

PEccatum non conſiſtit formaliter in poſitivo. Ita Scotiſtæ ſatis communiter contra varios Thomiſtas.

Prob. 1. Ex Aug. lib 7. Confeſſ. c. 16. *Quæſivi quid eſſet iniquitas, & non inveai ſubſtantiam*, ideſt naturam poſitivam. Et c. 12. *quæcanque ſunt* (ſcilicet poſitivè) *boaa ſunt, malumque illud, quod quærebam uade eſſet, non eſt ſubſtantia, quia ſi ſubſtantia eſſet, bonum eſſet*.

Prob. 2. Ratione. Omne ens poſitivum à Deo diſtinctum eſt creatum: *omnia* enim *per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*. Joan. 1. ſed peccatum ſub ratione peccati non eſt à Deo creatum; quandoquidem Deo, qui nihil odit eorum quæ fecit, *odio ſunt imprus & impietas ejus*, Sap. 14. ergo &c.

Nec dicas omne ens Phyſicum eſſe à Deo, non tamen omne ens morale, quale eſt peccatum, quia omne ens eo ipſo quo verè poſitivum eſt, ſive morale dicatur, ſive phyſicum, ab eo procedere debet, à quo procedunt omnia poſitiva.

Prob. 3. Vel illud poſitivum eſt intrinſecum actui peccaminoſo, vel extrinſecum: ſi extrinſecum, non poteſt in eo conſiſtere formaliter peccatum, ut per ſe patet: ſi intrinſecum; ergo non poteſt actus intrinſecè invariatus de bono fieri malus, quandoquidem, ut eſſet malus, deberet ipſi accedere de novo aliquid intrinſecum.

Obji. 1. Peccatum eſt actus: ergo eſt quid poſitivum.

Reſp. Diſt. Conſeq. eſt quid poſitivum ſecundùm ſuum eſſe materiale C. ut ſic enim eſt ipſemet actus liberè à voluntate procedens: ſecundùm ſuum eſſe formale, N. quia ut ſic nihil eſt aliud, quàm privatio rectitudinis debitæ ineſſe actui; jam autem quæſtio procedit, non de materiali, ſed de formali peccati.

Obji. 2. Peccatum opponitur contrariè virtuti; ſed virtus eſt quid poſitivum: ergo & peccatum.

Reſp. Diſt. Ant. peccatum concretivè ſumptum opponitur contrariè virtuti: C. ut ſic enim eſt actus debito ordine privatus: virtus autem, actus habens illum ordinem. Peccatum abſtractivè ſumptum, ſeu in abſtracto: N. quia ſic conſideratum tantùm opponitur privativè virtuti, cùm ſit privatio rectitudinis, quam habet ipſa virtus.

Obji. 3. Eo ipſo quo habetur actus tendens in objectum diſſonum rationi cum advertentia; habetur peccatum; ſed nec in actu, nec in ejuſdem tendentia, nec in advertentia habetur quid aliud, quam poſitivum: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Eo ipſo quo habetur actus &c. habetur peccatum fundamentaliter: C. formaliter: N. Quamdiu enim non intelligitur actus privatus rectitudine debita, non intelligitur peccatum formaliter, quandoquidem nihil ſit formaliter peccatum, niſi ſit formaliter contra legem; non cenſetur autem formaliter contra legem, niſi intelligatur carere rectitudine, quam præcipit lex.

Inſt. 1. Tendentia in objectum diſſonum legi prout præintellecta privationi rectitudinis debitæ ineſſe actui, eſt ſub aliqua ſpecie moralitatis, cùm procedat à voluntate liberè & advertenter operante; ſed non eſt ſub ſpecie boni: ergo ſub ſpecie mali, adeòque mala moraliter, & conſequenter peccatum.

Reſp. Diſt. Ma. eſt ſub aliqua ſpecie moralitatis radicaliter, C. formaliter, N. quid enim eſt malitia formaliter, niſi diſconvenientia ſeu difformitas actus cum prudente dictamine rationis &c. in quo involvitur formaliter privatio rectitudinis.

Inſt. 2. Deus odio habet actum tendentem cum advertentia in objectum diſſonum legi: ergo ſignum eſt quòd, ſecluſa quacunque privatione, ſit peccatum.

Reſp. Deum odio habere talem actum, non quia peccatum eſt formaliter, ſed quia nullum eſt inſtans reale, in quo non ſubjaceat privationi rectitudinis: & ideò ſit

CONCLUSIO II.

PEccatum conſiſtit formaliter in privatione rectitudinis debitæ ineſſe actui. Ita expreſsè Doctor Subtilis 2. diſt. 37. ubi ait: *Peccatum eſt formaliter corruptio rectitudinis in actu*, non quidem quæ ineſt, ſed quæ deberet ineſſe.

Prob 1. ex PP. Dionyſio de Divinis Nominibus cap. 4. circa fin. *Relinquitur ergo malum imbecillitatem atque privationem boni eſſe*. Ambroſ. L. de fuga ſæculi c. 4. *Non inveniet in me malitiam, quia malitia nihil eſt*. Aug. tract. 1. in Joannem: *Peccatum nihil eſt, & nihil fiunt homines cùm peccant*. Damaſc. l. 2. de fide, cap 4. *Nil aliud eſt malum, niſi boni privatio*, quæ verba habet etiam Fulgent. L. de fide ad Petrum c. 21. & Anſelmo L. de concordia præſcientiæ & prædeſtinationis c. 1. *Non eſt injuſtitia qualitas, aut actio, aat aliqua eſſentia, ſed tantum abſentia debitæ juſtitiæ*.

Prob. 2. ratione: Peccatum eſt actus defectuoſus à regula; atqui non eſt formaliter peccatum ut eſt actus, cùm ut ſic procedat à Deo: ergo ut eſt defectuoſus, defectus autem eſt privatio rectitudinis, ſeu conformitatis ad regulam.

Confir. Eodem modo ſe habet peccatum ad legem, ſicut malitia moralis ad dictamen rationis: ſed malitia moralis conſiſtit formaliter in privatione conformitatis, ſeu convenientiæ ad dictamen rationis: ergo peccatum in privatione rectitudinis ſeu conformitatis ad legem: unde D. Thom. 1. 2. q. 85. art. 4. ait, quòd ordinatio actus ſit quoddam bonum, & ſubdit: *Hujus privatio eſt eſſentialiter ipſum peccatum*.

Prob. 3. Si peccatum non eſſet privatio, ſed quid poſitivum, haberet cauſam ſui efficientem; ſed non habet cauſam ſui efficientem: Ergo. Prob. Min ex Aug. L. 2. de Civit. c. 7. *Nemo ergo*, inquit, *quærat efficientem cauſam malæ voluntatis: non enim eſt efficiens, ſed deficiens: quia nec illa effectio eſt, ſed defectio*.

Obji. 1. Datur peccatum majus altero, v. g. adulterium fornicatione; ſed non datur una privatio major altera: ergo &c.

Reſp. Diſt. Min. non datur una privatio ſimplex & pura major altera: C. non ſimplex & pura. N. Explico.

Datur

…oo

Datur duplex privatio: una ſimpliciter talis, quæ tollit omninò formam, cujus eſt privatio, ut mors, quæ tollit omninò vitam, & talis privatio non admittit magis & minùs. Datur & altera, quæ tollit aliquid formæ, ſed non totam, ut febris, quæ tollit aliquid de commenſuratione humorum, non tamen integram: & hæc admittit magis & minùs. Peccatum verò eſt privatio poſterioris ordinis, non prioris; ſaltem reſpectu rationis, quandoquidem etſi fornicatio v. g. tollat totam rectitudinem Caſtitatis huic actui debitæ, & idem eſt de aliis peccatis, non tollit tamen totum bonum naturæ & rationis; cùm aliqua peccata plus opponantur naturæ & rationi quàm altera.

Obji. 2. Lex negativa non prohibet nihil, ſed aliquid; atqui lex negativa prohibet peccatum: ergo peccatum non eſt nihil ſeu privatio, ſed aliquid.

Reſp. Diſt. Min. Lex negativa prohibet peccatum fundamentaliter, ſeu materiam & actum, ex quo reſultat malitia: C. prohibet peccatum formaliter, ſeu ipſam diſconvenientiam & difformitatem formalem: N.

Obji. 3. Abſolvitur peccatum in Sacramento Pœnitentiæ; atqui non abſolvitur nihil: ergo.

Reſp. Peccatum eſſe quidem nihil phyſicè, eſſe tamen aliquid moraliter, ſuo modo exiſtens in peccatore, ipſumque denominans peccatorem, ſicut cæcitas exiſtit ſuo modo in homine, ipſumque denominat cæcum: unde ſicut dicitur quis liberari propriè à cæcitate licèt ſit tantùm privatio, ita & à peccato abſolvi.

Obji. 4. Ignavia & Temeritas, Avaritia & Prodigalitas ſunt peccata ſpecie diſtincta; ſed non eſſent ſpecie diſtincta, ſi conſiſterent in privatione: ergo.

Prob Min. quia ſont privatio ejuſdem virtutis, nempè Ignavia & Temeritas Fortitudinis, Avaritia & Prodigalitas Liberalitatis.

Reſp. N. Min. ad probationem diſt. Aſſumptum. Sunt privatio ejuſdem virtutis ſub eodem reſpectu: N. ſub diverſo: C. nam Avaritia eſt privatio Liberalitatis in quantum prohibet defectum in elargiendo, Prodigalitas autem privatio ejuſdem prout exceſſum inhibet: unde in virtutibus in medio quodam conſiſtentibus reperitur duplex honeſtas, & quidem ſpecie diſtincta, una conſiſtens in hoc quod medium non excedatur, altera in hoc, quod à medio non deficiatur; ac ideò Avaritia & Prodigalitas, Ignavia & Temeritas ſunt privationes diſtinctæ rectitudinis, ſeu honeſtatis.

Obji. 5. Odio Dei & aliis intrinſecè malis non debetur rectitudo, cùm illius ſint incapacia: ergo ſaltem illa non conſiſtunt in privatione rectitudinis debitæ.

Reſp. Diſt. Ant. Odio Dei non debetur rectitudo ſecundùm rationem ſpecificam: C. quia ſecundùm illam & ab intrinſeco eſt eſſentialiter difforme Charitati; non poteſt autem forma eſſe debita ſubjecto, cui eſſentialiter repugnat. Secundùm rationem genericam; ſeu quatenus eſt præcisè actus tendens in Deum: N. ut ſic enim eſt capax rectitudinis, ipſique eſt debita.

Inſt. 1. Peccatum debet eſſe privatio rectitudinis debitæ in quantum eſt peccatum; ſed odium Dei ſecundùm rationem genericam non eſt peccatum: ergo &c.

Reſp. Diſt. Ma. inquantum eſt peccatum, ideſt ſub præciſa ratione peccati tantum: N. ſub illa ratione vel ſub altera: C. unde ut aliquid dicatur privari rectitudine debita ſufficit, quod rectitudo illi debeatur vel ſecundùm rationem ſpecificam, vel ſecundùm rationem genericam, ut patet in homine cæco, qui dicitur privari viſu, licèt viſus tantùm illi debeatur ſecundùm rationem genericam, ſeu in quantum animal eſt, non verò quatenus rationalis: jam autem licèt odio Dei ſub ratione talis malitiæ non debeatur rectitudo; debetur tamen illi, ut diximus, quatenus eſt exercitium libertatis circa Deum: quod ſufficit, ut totum illud, quod dicitur odium Dei, dicatur privari rectitudine debita. Cujus ratio ulterior eſt, quòd cum ratio generica pertineat eſſentialiter ad entitatem rei ſpecificæ & individuæ, omnes perfectiones debitæ generi, dicantur debitæ ſpeciei, & individuo conſtanti illo genere.

Inſt. 2. Talpa non dicitur privari viſu, & tamen ſecundum rationem genericam animalis debetur ei viſus: ergo hoc non ſufficit.

Reſp. 1. Aliquos negare Ant. & dicere quod ſicut actus fidei dicitur privatus evidentia, licèt ipſi non debeatur quatenus eſt talis ſpeciei, ſed tantùm ſecundùm rationem communem actus intellectualis, ita & talpa dicatur privari viſu.

Reſp. 2. Quod licèt generi remoto talpæ debeatur viſus, non tamen immediato & proximo: eſt enim illius genus proximum animal non exigens viſum, quod dividitur in talpam, & in alia animalia viſum non exigentia.

Inſt. 3. Poteſt odio Dei ſecundùm rationem genericam non deberi rectitudo, ut ſi exerceatur eo tempore, quo non eſt obligatio Deum diligendi: ergo ſaltem illo caſo non erit privatio rectitudinis debitæ.

Reſp. Quòd licèt præceptum abſolutum diligendi Deum ſit affirmativum, adeòque non obliget pro ſemper; eſt tamen aliud præceptum conditionatum obligans nos, ut caſu quo velimus tendere in Deum per actum voluntatis, tendamus per amorem, & non per odium: ſicque omni actui voluntatis quatenus in Deum tendenti debetur rectitudo amoris.

Obji. 6. Peccatum eſt voluntarium; ſed privatio rectitudinis non eſt voluntaria, cùm ſit præter intentionem operantis: ergo.

Reſp. Diſt. Min. Non eſt voluntaria explicitè & directè: C. implicitè & indirectè, N. volens enim capere rem alienam, v. g. implicitè vult privationem rectitudinis ipſi actui annexam.

Obji. 7. Privatio non poteſt efficere poſitivum; ſed peccatum Intemperantiæ producit efficienter habitum Intemperantiæ: ergo.

Reſp. Diſt. Min. Peccatum Intemperantiæ producit &c. ſi concretivè ſumatur pro actu privato rectitudine debita: C. ſi abſtractivè, & ſecundùm rationem formalem: N.

Obji. 8. Peccatum eſt eſſentialiter averſio à Deo, & converſio ad creaturam; ſed ſaltem converſio eſt quid poſitivum: ergo.

Reſp. Ibi fieri mentionem de peccato concretivè ſumpto, non autem abſtractivè, ut hìc agimus.

QUÆSTIO III.

Quænam requirantur ad peccatum actuale?

TRia ad peccatum actuale requiri, libertatem nempè, conſenſum, & advertentiam, in confeſſo eſt apud omnes Theologos; ſed quæ libertas, quis conſenſus, quæ advertentia? non ita conveniunt: & ideo ſit

ARTICULUS I.

Quæ libertas requiratur ad peccandum?

ADvertendum 1. Hìc duplicem diſtinguendam eſſe libertatem, unam à coactione, alteram à neceſſitate. Prima (quæ etiam à Thomiſtis & Scotiſtis dicitur eſſentialis) eſt *ſpontaneus appetitus rei placitæ*: hæc non excludit neceſſitatem; nam ſiquis, urgente præcepto, quod ſine gratia adimpleri non poteſt, careret omni gratia, neceſſitaretur ad peccandum, & tamen non cogeretur; quandoquidem ſine ulla violentia, imò ſpontaneè & libenter actum poneret. Secunda (quæ aliter vocatur accidentalis, indifferentiæ, contingentiæ, indeterminationis) eſt *facultas, quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, poteſt agere & non agere vel agere hoc & oppoſitum ejus*: ſi ſit ad agere & non agere, v. g. amare & non amare, dicitur contradictionis, ſeu exercitii: ſi ad agere hoc & oppoſitum ejus, v. g. ad amare & odiſſe, dicitur contrarietatis, ſeu ſpecificationis. Hæc libertas non ſolùm coactionem, ſed etiam neceſſitatem excludit; quia neceſſitatus non retinet indifferentiam, cùm ſit ad unum determinatus.

Advertendum 2. Aliquos dividere peccatum in illud, quod eſt pœna alterius peccati prioris, & in illud quod non eſt talis pœna, ſed ſolus voluntatis defectus. His notatis.

CONCLUSIO UNICA.

AD omne peccatum actuale requiritur libertas indifferentiæ & contradictionis. Eſt contra Van Roy & quoſdam alios volentes libertatem illam non ſemper requiri ad peccatum, quod eſt pœna peccati prioris.

Prob. 1. Hæc propoſitio Janſeniana condemnata eſt tanquam hæretica: *Ad merendum vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate*: ergo ejus contradictoria eſt de Fide: ſubſumo; atqui propoſitio Fidei eſt univerſalis: ergo univerſaliter ad omne demeritum ſeu peccatum actuale requiritur libertas à neceſſitate, ſeu indifferentiæ.

Dices, ſufficere quandoque libertatem in cauſa, ſeu in peccato, per quod meruit peccator, ut gratia ad vitandum peccatum poſteriùs neceſſaria ſibi denegaretur. Sed contra; quod talis, etiam ſecundùm Van Roy non tantùm peccet formaliter quando ſe reddit indignum gratia, ſed etiam dum ponit vel omittit actum, ad cujus vitationem, aut poſitionem dicitur deeſſe ipſi gratia neceſſaria; & conſequenter etiam ad peccatum poſterius tanquam novum & à priori diſtinctum requiritur libertas à neceſſitate: aut certè dicendum; vel non peccare, quod negat ipſemet; vel, ſi peccet, libertatem ad omne peccatum non requiri: quod anathematizat Eccleſia.

Confirm. qui inebriat ſe prævidens in ebrietate ſe blaſphematurum,

Digitized by Google

turum, non committit novum reatum dum blaſphemat, quia blaſphemia non eſt de novo libera: ergo actio (ad cujus vitationem dicitur deeſſe gratia, quod poſteà negabimus) vel eſt libera, vel certè non eſt peccatum novum.

Replicat Van Roy diſparitatem eſſe, quòd ebrius aut dormiens nullam habeat libertatem; & ideò blaſphemia non dicatur novus reatus: deſtitutus autem gratia, habeat libertatem eſſentialem ſeu à coactione. Sed

Contra eſt, quòd cùm libertas eſſentialis non ſufficiat ad peccatum, ut definivit Eccleſia ita nec poteſt facere, ut actio illa ſit peccatum novum; ſi deſit libertas à neceſſitate.

Prob. 2. Concluſio ex Aug. l. de vera Relig. c. 14. *Uſque adeò peccatum voluntarium eſt malum ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium*; atqui Aug. loquitur ibi de voluntarietate, ſeu libertate à neceſſitate, quandoquidem ordinariè illa ſola veniat nomine voluntarietatis ſeu libertatis; ergo. Ideò ita fortiter hoc credidit, ut dixerit inobedientiam Pharaonis (cui putabat deeſſe libertatem à neceſſitate ob carentiam omnis gratiæ, quod poſtea ſenior retractavit) non fuiſſe ipſi tunc imputabilem, ſed ſolùm quando reddidit ſe indignum gratia: verba ejus ſunt: *non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperarit, quandoquidem, obdurato corde, obtemperare non poterat, ſed quia dignum ſe præbuit, cui cor obduraretur*. In Expoſitione quarundam propoſitionum Epiſtolæ ad Rom. propoſ 62. Nec uſquam ibi oſtendetur in Aug. vel unicus paſſus, quo declaret ſufficere ad peccandum libertatem à coactione.

Prob. 3. Ex eodem S. Doct. l. 3 de lib. Arbit. cap. 18. *Quæcunque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur*. Et paulò inferius: *Quis peccat in eo quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem, caveri igitur poteſt*. Et lib. de duabus animabus cap. 12. *Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt & inſaniæ*. Quid clarius; Nec dicas Aug. loqui de voluntate ſana & innocenti; quia cùm ipſe non diſtinguat, nec nos diſtinguere debemus: imò potius loquitur de voluntate ſaucia & noxia, ut legenti patebit.

Prob. 4. Authoritate DD. Angelici & Subtilis: primus quidem citatus à P. d'Elbecque pag. 74. ſuo opuſc. de advertentia ad peccandum ſic loquitur: *Erroneum eſt exiſtimare aliquem, quantumcunque in profundum venerit, non poſſe emergere*. Secundus ſic habet 2. diſt. 28 *Exiſtenti in peccato mortali poſſibile eſt ſervare præceptum*. Quid apertius? Ubi vides præclaros ſcholæ Principes dare peccatoribus, etiam obduratis, potentiam reſurgendi, non tantùm antequam peccarent, ſed etiam poſtquam in abyſſum peccatorum prolapſi ſunt.

Prob. 5. ratione. Deus impoſſibilia non jubet, ut Poſt Aug. docet Trident. Confirmat ratio, inſinuatque Dei bonitas; ſed impoſſibilia juberet vocando omnes & quoſlibet peccatores ad pœnitentiam, ſi aliqui non poſſent pœnitere defectu libertatis: ergo.

Reſpondet Van Roy id ſolùm dici impoſſibile, quod exiſtere nec poteſt, nec potuit; jam autem quorumlibet peccatorum pœnitentia potuiſſet exiſtere, ſi per peccata priora non ſe reddidiſſent indignos gratia. Sed

Contra eſt, quod non vocet ad pœnitentiam illos, qui futuri erant peccatores, ſed qui ſunt actualiter tales, juxta illud Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis*, etiam maximo criminum & paſſionum pondere: ergo etiam tunc debent poſſe venire per pœnitentiam; aliàs non videretur ſatis ſincerè agere. & certè ſi ridiculus eſſet Princeps, qui juberet ad ſe venire ſubditum, qui ſibi utramque tibiam, etiam ex propria culpa, fregiſſet: etiam non ſatis ſincerus videretur Deus, qui ad pœnitentiam vocaret eos, quos novit pœnitendi libertatem perdidiſſe, licèt ex propria culpa.

Reſpondet 2. Idem author diſſonum eſſe rationi, quòd Deus teneatur gratiæ deſertori novam gratiam conferre, ubi novum occurrit præceptum. Sed

Contra eſt, quod videatur rationi maximè conſonum, ut Deus præcipiens peccatori jam peccatori, ut pœniteat, det ipſi unde pœnitere valeat, & ſine quo non poteſt pœnitere & certe irrationabilis eſſet Dominus, qui præciperet famulo ſuo utroque pede podagro, ut iret Parthos ſine ulla commoditate, eo quòd omnem Domini ſui commoditatem fregiſſet, aut deſtruxiſſet. Non tenetur quidem Deus, abſolutè loquendo gratiam ſuam conferre, cùm poſſit peccatorem in ipſomet flagranti delicto deſtruere; ſuppoſito tamen quòd poſt lapſum præcipiat ipſi aliqua ſine gratiæ auxilio impoſſibilia, confert ipſi auxilium unde fiant poſſibilia.

Reſpondet 3. Van Roy quòd Chriſtus non debuiſſet ſanguinem fundere pro illa gratia obtinenda, cum ſit peccatori debita; ſed

Contra eſt quod illud nimium probet, adeòque nihil: probat enim nec pro obtinenda Juſtis gratia, qua præcepta adimplere valeant, mortuum eſſe; cùm, ipſo teſte, nunquam Deus deneget ipſis gratiam illam: unde ſicut gratia non dicitur juſtis debita (aliàs gratia non eſſet gratia) ita nec à fortiori peccatoribus, licèt his & illis, ubi præceptum urget, non deſit, auxilio majori vel minori ſuccurrendo.

Obji. 1. Aug. L. de nat. & grat. c. 65. ſic loquitur: *In rectè faciendo.... nullum eſt vinculum neceſſitatis*: ergo in malo faciendo tale vinculum incurritur, & ideò dicit cap. 66. *Quod autem ex vitiis naturæ, non ex conditione naturæ, ſit quædam peccandi neceſſitas, audiat homo, atque ut eadem neceſſitas non ſit, diſcat Deo dicere: De neceſſitatibus meis erue me.* Et c. 67 *Sunt etiam neceſſitate facta improbanda, ubi vult homo rectè facere, & non poteſt*.

Reſp. S. Doctorem non loquendi de neceſſitate phyſica, ſed morali, ſeu de magna neceſſitate ad operandum, eo quòd peccatoribus habituatis dentur gratiæ admodum tenues & parcæ: unde hic intelligendus eſt, ſicut cùm dixit Adami peccato periiſſe liberum hominis arbitrium: ſicut enim non periit tunc ſimpliciter (aliàs eſſet extinctum, quod eſt hæreſis) ſed tantùm quoad facilitatem operandi: ita & nunc per peccata actualia. Et certè hoc inſinuat ipſemet Aug. ſup. cùm dicit, *Quod ex vitiis naturæ ſit quædam peccandi neceſſitas*, non omnimoda, non integra, non ſimpliciter, ſed *quædam*.

Obji. 2. Non omnibus peccatoribus datur gratia ad vitandum peccatum; ſed omni gratia deſtitutus non minùs eſt neceſſitatus ad peccandum, quam cæcus ad non videndum. ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Non datur gratia efficax, aut proximè ſufficiens: C. ſaltem remotè ſufficiens: N.

Dices: Nullibi recurrit Auguſtinus ad gratiam remotè ſufficientem, ut Adrumetinis & Juliano incongruentiam neceſſitatis peccandi exagerantibus reſpondeat, licèt potuiſſet per hoc omnem eorum difficultatem diſſolvere: ergo ſignum eſt reſponſioni noſtræ adverſari.

R. 1. Argumentum eſſe ab authoritate negata, adeòque non eſſe magni ponderis; imò ſi quid valeret, inde probarem Auguſtinum in nullo peccatore gratiam ſive proximè ſive remotè ſufficientem admiſiſſe, cùm reſpondendo Adrumetinis (qui ex Auguſtini principiis eruebant non eſſe corripiendos delinquentes, ſed pro ipſis orandum, ut Deus conferret eis gratiam, qua ad ſervanda mandata carebant) de nulla gratia, qua peccatores poſſunt, & non faciunt, loquatur; cùm tamen potuiſſet reſpondere corripiendos eſſe delinquentes, quia multi ex illis (ſi non omnes) habent gratiam ſive proximè, ſive remotè ſufficientem ad vitanda peccata; imò præſumendum eſt omnes habere, quamdiù de contrario non conſtat; & ideò juſtè corripiuntur. Cùm ergo inde non poſſit inferri Auguſtinum negare omnem gratiam ſufficientem in quolibet peccatore; ita nec inferri debet negare gratiam remotè ſufficientem in aliquibus peccatoribus.

R. 2. Cùm Auguſtinus tantùm moralem peccandi neceſſitatem admitteret (ut patet ex paſſu in objectione prima allegato, ubi evidenter oſtendit non deeſſe peccatori, quem ibidem dicit eſſe neceſſitatum, gratiam ſufficientem, ubi dicat Deo: *de neceſſitatibus meis educ me*) & eandem neceſſitatem, quam admittebat Aug. improbaret Julianus, fruſtra recurriſſet ad gratiam remotè ſufficientem; cùm equidem hanc neceſſitatem moralem non tollat auxilium tantùm remotè ſufficiens. Hinc

Reſol. 1. Licèt projiciens breviarium in mare initio navigationis, peccet ex tunc affectu tot peccatis, quot diebus prævidet ſe non lecturum officium; ubi tamen voluntatem illam retractavit, non amplius peccat affectu ob defectum libertatis, quod à fortiori verum eſt in eo, qui ante ſomnum retractat cauſam pollutionis in ſomno prævisæ.

Reſol. 2. Fruſtra in ordine ad peccatum novum diſtinguitur neceſſitatem culpabilem ab inculpabili, cùm equidem ad peccatum nulla ſit neceſſitas, nec ad illud vitandum deſit unquam gratia ſufficiens, ſaltem remotè.

Reſol. 3. Quando Aug. Epiſt. 107. circa med. dicit: *ſcimus* (gratiam Dei) *non omnibus hominibus dari*, Loquâ de gratia efficaci: & certè quomodo ſciret, ſecluſa revelatione, quam nullibi refert, gratiam, præſertim remotè ſufficientem; non omnibus dari, Cùm hoc nec ex ipſa gratia, utpotè ſæpiſſimè imperceptibili, nec ex effectibus, ut patet, nec aliunde poſſit cognoſci: ergo agit de gratia efficaci, quam dari vel non dari facile eſt ex effectibus colligere. Idem dic ad D. Thomam & alios.

Reſol. 4. Hanc propoſitionem, *in ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum mortale & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in ſua cauſa, peccato originali, & voluntate Adami peccantis*, meritò damnatam eſſe ab Alex. VIII. non quia motus primò primi forent peccata, aut poſſe dari peccatum ſine libertate eſſentiali, ut vult quidam Modernus, ſed quia illius aſſertores ſuſtinebant fornicationem v. g. aut pollutionem eſſe imputabilem illi, qui defectu gratiæ non poſſet illam vitare, eo quod illa carentia eſſet pœna peccati primi parentis: quod eſt

æqui-

æquivalenter dicere: in ſtatu naturæ lapſæ ſufficit ad peccandum libertas à coactione: quod eſt hæreticum.

Reſol. 5. Quod ſicut ad peccatum novum non ſufficit libertas in peccato Adami; ita nec ſufficit ſola libertas in priori peccato actuali, & ideo quando dicit Auguſt. peccatum conſequens eſſe quandoque pœnam peccati præcedentis, hoc ſenſu intelligendus eſt, quod ratione peccati prioris privetur homo gratia efficaci, cujus auxilio privatus facilè labitur.

Reſol. 6. Cùm D. Auguſtinus, D. Thom. & alii dicunt eos, qui peccatum vitare non poſſunt: nihilominus peccare, loqui in eo ſenſu, in quo loquitur D. Joannes Epiſtola 1. cap. 3. ubi ait: *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare;* ſicut enim hic tantùm agit de impotentia morali propter gratiarum abundantiam, ita & illi de impotentia morali ob gratiæ parcitatem.

Reſol. denique aliquos plus æquo velle ſua dogmata in Auguſtino fundare, non ſatis ideò venerantes ſummorum Pontificum decreta; itaut plus adhæreant ſuis ſentimentis, quæ credunt in Auguſtino fundari, quàm Sedis Apoſtolicæ oraculis. Interim noverint S. Doctorem fuiſſe Eccleſiæ filium obedientem, ſubjectum, & in omnibus addictiſſimum, ita ut, ſi nunc viveret, ſe ſuaque omnia ſcripta humillimè ejuſdem judicio ſubmitteret. Noverint & damnatam eſſe ab Alex. VIII. hanc propoſitionem: *ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam illam abſolutè poteſt tenere & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam.*

ARTICULUS II.

Quis requiratur conſenſus ad peccatum, & an ſufficiat conditionatus?

CONCLUSIO I.

AD peccandum mortaliter requiritur perfectus voluntatis conſenſus, ſeo perfectè deliberatus. Ita DD. communiter.

Ratio eſt; quia nullum eſt peccatum mortale, niſi ſit perfectè voluntarium; ſed nihil eſt perfectè voluntarium niſi id, cui perfectè conſentit voluntas: ergo.

Prætereà conſtituitur homo, peccando mortaliter, reus pœnæ æternæ; ſed non videtur rationabile quod incurrat tantam pœnam propter id, quod non niſi cum imperfecta deliberatione poſuiſſet; ergo &c. Hinc

Reſp. 1. peccantem etiam in materia gravi, cum conſenſu ſemipleno & imperfecto, qualis eſt in ſemiſopito, & eſſe poteſt in vigilantibus ratione inadvertentiæ, terribilitatis objecti, turbationis &c tantùm peccare venialiter; quia in tantum aliquid eſt peccatum, in quantum eſt voluntarium, ſed id, cui nonniſi imperfectè conſentit voluntas, non eſt perfectè voluntarium, quod requiritur ad mortale: ergo.

Reſp. 2. Quod etſi peccans ex vehementi concupiſcentiæ ſtimulo, aut tentationis impulſu, ſit magis venia dignus, quàm qui ultro peccatum quærit eo quòd concupiſcentia voluntatem quaſi præcipitando, & in bonum delectabile abripiendo, facultatem deliberandi omninò expeditam non relinquat; ordinariè tamen relinquitur conſenſus ſufficiens ad mortale.

Reſp. 3. Quòd ubi dubitatur, an conſenſus fuerit plenus & perfectè deliberatus, poſſit quis reſolvere non fuiſſe. 1. Si agatur de aliquo opere quod ſemper abhorruit, & etiam hic & nunc abhorret; quia reputatur quod voluntas vel non fuerit mutata vel quod ſi fuiſſet mutata, perciperetur. 2. Quando dubitat an pollutio, an cogitatio, aut quid ſimile acciderit in ſomno, aut in vigilia; quia facta advertenter in vigilia facilè innoteſcunt, ſaltem iis qui conſcientiam non negligunt. 3. Si agatur de tentatione, motu venereo, aut cogitatione, quibus ſolet ſtatim, ubi malitiam advertit, reſilire, præſertim ſi ſit vir timoratæ conſcientiæ.

CONCLUSIO II.

AD peccatum mortale non requiritur conſenſus formalis, ſed ſufficit virtualis, aut interpretativus. Porrò cenſetur conſenſus eſſe formalis, quando quis actu poſitivo & formali in aliquo ſibi complacet: virtualis verò, quando voluntas vult aliquid, non directè ſed indirectè, volendo aliud in quo illud includitur: Interpretativus denique, quando quis circa aliquid cui diſſentire debet, nec conſenſum, nec diſſenſum adhibet.

Prob. Igitur concluſio; quia, ut dicetur de actibus humanis, ſufficit ad peccandum, voluntarium indirectum, aut interpretativum: ergo & ſimilis conſenſus. Hinc

Reſol. 1. Peccare, non tantùm eum, qui vult poſitivè Simoniam v.g. ſed etiam illum, qui vult contractum, cui ſcit annexam eſſe Simoniam, licèt ipſi diſpliceat Simonia.

Reſol. 2. Etiam peccare mulierem permittentem ſe opprimi, licèt in actum poſitivè nec conſentiat, nec diſſentiat.

CONCLUSIO III.

SUfficit etiam ad peccatum mortale conſenſus conditionatus, ubi conditio non præſcindit omnem malitiam ab objecto. Ratio eſt; quia licèt per conditionem poſſit abſtergi aliqua malitia ab objecto, poteſt tamen non abſtergi tota: ſicut qui ex corde dicit: ſi non eſſem Sacerdos, aut Religioſus fornicarer, licèt non committat ſacrilegium, peccat tamen deſiderio fornicationis.

Dixi: *ubi conditio non præſcindit, omnem malitiam ab objecto;* quia cum actus deſumat ſuam malitiam ab objecto, ſi ſupponatur tota malitia ab objecto præſciſſa, actus in illud tendens nullam habet malitiam. Hinc non peccat qui ex animo dicit: ſi non eſſet præceptum, non audirem Sacrum, comederem carnes; ſi non eſſem Religioſus, aut Religioſa, inirem Matrimonium: quamvis enim per illam conditionem non ſeparetur realiter malitia ab objecto, ſeparatur tamen intentionaliter, nec voluntas in illud fertur, niſi ut malitia deſtitutum: quandoquidem hic & nunc illud non velit propter malitiam in ipſo relucentem. Hoc tamen intelligendum eſt

1. Secluſo affectu & complacentia in ipſum actum, quando intrinſecè malus eſt, nam ſi quis repræſentando ſibi fornicationem v.g. & in ipſa delectando dicat: ſi non eſſet illicitum, fornicarer, peccat, non quidem deſiderio, ſed ſimplici complacentia, quia illa delectatio hic & nunc eſt mala, cùm oriatur ex opere mortaliter illicito: neque conditio illa abſtergit omnem malitiam, cum non attingat, aut ſuſpendat delectationem veneream, ſed tantùm ipſum actum realem: unde talis conſenſus, licèt ſit conditionatus reſpectu operis, eſt tamen abſolutus reſpectu delectationis.

Dixi: *quando intrinſecè malus eſt*, nam ſi actus ſit de ſe indifferens, & tantùm malus quia prohibitus per legem poſitivam, in eo delectari, non eſt per ſe loquendo malum, modò complacentia illa non ſit ad eum ſub ratione qua prohibitus eſt, neque ſit voluntas eum opere externo committendi, neque talis voluntatis adſit periculum.

2. Quando in rebus intrinſecè malis, dicentis intentio tantùm eſt oſtendere voluntatis ſuæ, vel appetitus ſenſitivi malam propenſionem, quæ in conſenſum circa tale objectum traheret, niſi peccatum eſſet, nam ſi per hoc deſideret perjurium v.g. non eſſe illicitum, peccat graviter, quia illud deſiderium aliud non eſt, quàm optare, ut ordo & lex naturæ immutetur, quod pejus eſt, quàm velle pejerare.

ARTICULUS III.

Quæ Advertentia ſufficiat ad peccandum?

SUppono 1. Advertentiam poſſe eſſe vel ad actum ſolum, vel ſimul ad actum & malitiam ejuſdem: Advertentia eſt ad actum ſolum, cùm quis advertit ad id quod facit, v.g. quòd ſurripiat alienum, quòd cognoſcat uxorem non ſuam, ſed non advertit ad malitiam ſuæ actioni annexam: quod ſaltem accidere poteſt in iis quæ ſunt prohibita ſolo jure poſitivo: nam facilè fieri poteſt quòd quis advertat ſe comedere carnes v.g. & non reflectat ad circumſtantiam vigiliæ aut præcepti inhibentis. Advertentia eſt ad actum & malitiam ſimul, dum quis reflectit ad id quod facit, & inſuper novit illud eſſe peccatum.

Suppono 2. Advertentiam ad malitiam actus eſſe duplicem, unam expreſſam & formalem, alteram implicitam & virtualem. 1. Eſt dum quis ponit actionem, quam hic & nunc novit eſſe peccaminoſam: 2. Dum tantùm eſt dubium, ſcrupulus, aut ſuſpicio de malitia actionis, aut de periculo ejuſdem, utraque tamen dici debet actualis, licèt una ſit perfecta, altera imperfecta reſpectu malitiæ cognitæ: quod addo, quia etiam poteſt eſſe perfecta aut imperfecta ex parte cognoſcentis, ſi nempè plenè aut ſemiplenè ſit ſibi præſens. His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

REquiritur ad peccatum mortale advertentia perfecta ex parte cognoſcentis, ſeu non ſufficit ut quis ſit ſibi tantùm ſemipræſens ratione ſomni, aut alterius impedimenti.

Ratio eſt, quia cùm peccatum mortale ſit quid grave, gravibuſque puniatur ſuppliciis, requirit in peccante talem rationis præſentiam, qualem requirit negotium magni momenti, & ideò excuſari poſſunt à mortali ſemiſopiti, ſemiſtulti ſeu habentes uſum rationis valdè debilem ratione ætatis teneræ, vel alterius indiſpoſitionis.

CON-

CONCLUSIO II.

SUfficit ad peccatum mortale advertentia virtualis, ſeu implicita, ad malitiam actionis, vel ejuſdem periculum. Eſt communis & certa.

Ratio eſt; quia eo ipſo, quo quis dubitat, aut ſuſpicatur de malitia ſuæ actionis, vel malitiæ periculo, & tamen rei veritatem inquirere negligens actionem ponit, cenſetur interpretativè & ipſam malitiam velle

CONCLUSIO III.

REquiritur ad peccandum contra legem tantùm poſitivam, ſive divinam, ſive humanam, advertentia formalis, aut virtualis ad malitiam actionis, ſeu non ſufficit, ordinariè loquendo, advertentia ad ſolum actum.

Ratio eſt; quia cùm id, quod prohibet lex tantùm poſitiva, non ſit per ſe & intrinſecè malum (aliàs etiam prohiberetur per legem naturalem) non ingerit per ſe, ſeu ratione ſui, cognitionem malitiæ operanti; & conſequenter ut operans cenſeatur peccare, advertere debet, certò aut fortè præceptam eſſe, aut prohibitam actionem, quam hic & nunc ponit, vel omittit, in quo involvitur reflexio, ſeu advertentia ad malitiam actionis. Hinc

Reſol. 1. Eos, quibus nunquam annuntiatum eſt Euangelium, non peccare ex eo quòd Fidem non amplectantur, quòd Sacramenta Baptiſmi, Pœnitentiæ, ant Euchariſtiæ non ſuſcipiant &c. & ideò docet D. Thom. 2.2. q 10. art. 1. Infideles qui nihil de Fide audierunt, damnandos quidem eſſe propter alia peccata, quæ ſine Fide remitti non poſſunt, non tamen propter peccatum Infidelitatis: quod clarè exprimitur Joan 15. *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent*. Plura hac de re in Tract. de ignorantia juris divini poſitivi.

Reſol. 2. Comedentem carnes die Veneris, omittentem Sacrum in die S. Matthæi v. g. operantem ſerviliter eodem die, non jejunantem in vigilia S. Laurentii, nullatenus peccare, ſi nullatenus advertat ad circumſtantiam diei. Aliud eſſet, ſi voluntariè neglexiſſet adire Parochiam, aut aliunde ſuas obligationes inquirere omiſiſſet: tunc enim peccaret, non quidem novo peccato, cùm deſit advertentia ſufficiens, ſed eodem peccato, quo illa voluit in cauſa.

. Circa præcedentia vix eſt ulla difficultas: ſed an requiratur etiam advertentia ad malitiam actionis ad peccandum contra legem naturæ? diſputatur acriter.

Nos ut faciliùs & diſtinctiùs procedamus in hac materia monemus diſtinguendum eſſe inter ea, quæ ſunt de jure naturæ, Primo modo, ut colere Deum, honorare parentes; ſecundo modo, ut non fornicari, non adulterare, non mentiri &c. & inter ea quæ ſunt tantùm tertio modo, ſeu nonniſi diſcurſu & labore ex primis principiis eruuntur, v. g. quòd quis non poſſit lucrari ex pecunia, non poſſit ſe polluere, etiam pro conſervatione vitæ &c. Pro quibus dirimendis ſit

CONCLUSIO IV.

AD peccandum in iis, quæ ſunt de jure naturæ tertio modo, non ſemper ſufficit advertentia ad ſolum actum. Eſt communior & verior.

Ratio eſt; quia quandoque non ſolùm rudibus & agreſtibus, ſed etiam litteratis & diſciplinatis, imò & ſimul Sanctis, etiam poſt longum tempus ſtudio & orationi impenſum, apparent licita, etſi coram Deo ſint illicita; & conſequenter cùm per ſeipſa non ingerant operantibus malitiæ (non dico cognitionem evidentem) ſed neque dubium, neque ſuſpicionem, aut ſcrupulum, non eſt mirum, ultra advertentiam ad actum, aliam requiri ad peccandum: unde ſicut dari poteſt in illis ignorantia invincibilis, ut ſuo loco dicemus, etiam dari poteſt defectus advertentiæ ad malitiam, qui ſit inculpabilis.

Confir. 1. ex D. Aug. l. 3. de lib. arb. c. 19. *Peccatum.... quod propriè vocatur peccatum, libera voluntate, & ab ſciente* (nempè ipſum peccatum, adeòq, malitiam actus, aliàs non ſciretur peccatum) *committitur:* ergo ad minimum in iis, quæ ſunt de jure naturæ Tertio modo, requirit advertētiam ad malitiā actionis.

Confirm. 2. Ex D. Thom. 1.2. q. 19. art. 5. ubi ait, *illud, quod eſt malum, rationem boni, propter apprehenſionem rationis, poſſe accipere:* ergo à fortiori rationem indifferentis, ſi non malitia, ſed indifferentia apprehendatur in objecto.

CONCLUSIO V.

AD peccandum in iis quæ ſunt de jure naturæ Primo modo, ſufficit quod quis advertat ſe ponere talem actionem; & idem eſt in illis quæ ſunt de jure naturæ ſecundo modo, niſi certè aliqua veſtirentur circunſtantia particulari. Hæc reſolutio quoad diſtinctionem eorum, quæ ſunt de jure naturæ primo modo, ſecundo & tertio videbitur fortè particularis, cùm omnis author doceat ſine diſtinctione ad peccandum in iis, quæ ſunt de jure naturę, vel ſufficere advertentiam ad ſolum actum, vel requiri inſuper advertentiam ad malitiam actionis; nihilominus, ut ſpero, non apparebit ingrata, nec infundata, imò ferè utramque ſententiam oppoſitam conciliabit.

Prob. 1. Concl. ſecundùm omnes ſufficit ad peccandum advertentia ad malitiam actionis; ſed qui peccat in iis quæ ſunt de jure naturæ Primo aut ſecundo modo, advertens ſe ponere talem actum, v. g. fornicationem, furtum, occiſionem, mendacium &c. advertit ad malitiam actionis. ergo Prob. Min. quia actiones illæ ſunt ex ſe & intrinſecè tales, ut ingerant operantibus cognitionem; vel certè dubium aut ſuſpicionem malitiæ ſibi annexæ, ut fatebitur omnis, qui in illis materiis peccaverit, ſi veritatem voluerit dicere.

Confirm. 1. Sicut enim non poteſt quis advertere ad objectum lucidum, niſi advertat ad lucem; ita non poteſt quis advertere ad actionem evidenter malam, qualis eſt omnis in noſtro caſu, niſi advertat ad malitiam.

Confirm. 2. Quæ ſunt de jure naturæ Primo aut ſecundo modo dicuntur per ſe nota; ſed ſi fornicatio, aut mēdacium poſſent cognoſci, non cognita eorum malitia, non eſſent per ſe nota; quandoquidem cognitio fornicationis ut res indifferentis, nō ſit cognitio fornicationis, cū hæc ſit ex ſuis intrinſecis mala: ergo.

Confirm. 3. Notitia eorum, quæ ſunt de jure naturæ Primo aut ſecundo modo, ita eſt ab authore naturæ in cordibus noſtris impreſſa, ſignata, & implantata, ut ſolus cœcus voluntarius nolit illa legere, licèt poſſit.

Dices 1. Dantur peccata ignorantiæ, ut patet ex Script. & PP. ſed ſi omnis ponens fornicationem v. g. adverteret ad ejuſdem malitiam, non darentur peccata ignorantiæ, ſaltem in illa materia, ut per ſe patet: ergo.

R. Diſt. Ma. dantur peccata ignorantiæ invincibilis, N. vincibilis: C. ſed illa importat malitiæ aut ejuſdē periculi ſuſpicionē.

Dices 2. Dantur peccatores ita habituati, ut cùm ſe in ſuas luxurias præcipitant, deſit illis mentis illuſtratio, ac omnis conſcientiæ remorſus: ergo falſum eſt præſata ſemper ingerere operantibus aliquam malitiæ cognitionem.

Reſp. N. Ant. Sicut enim eorum concupiſcentia, ac paſſio effrænata non tollit ab ipſis cognitionem actionis, quam ponunt; ita nec tollit omninò cognitionem malitiæ ipſi actioni intrinſecæ: nullos quidem patiuntur conſcientiæ remorſus; ſed hoc non indicat malitiæ inadvertentiam, ſed malitiæ contemptum, ita ut deglutiant iniquitatem inſtar aquæ.

Dices 3. Origenes, Plato, Caſſianus, & alii viri ſcientiæ, *ingenioque* celebres docuerunt mendacium jocoſum *non eſſe* peccatum: ergo illa quæ ſunt de jure naturæ *ſecundo* modo non ſemper ingerunt ſuæ malitiæ cognitionem.

Reſp. Præfatos authores tantùm voluiſſe loquentem contra mentem, ſine animo tamen expreſſo, aut tacito fallendi, non peccare: quod admiſimus & nos initio diſp. 8. Tractatus noſtri in Decal. ubi oſtendimus talem in rigore non mentiri. Ex dictis

Reſol. 1. Impudicos in luxuriis ſuis habitualiter, continuò, & quaſi naturaliter ſe volutantes, nunquam excuſari à mortali defectu advertentiæ, ubi mentis compotes operantur.

Reſol. 2. Idem eſſe de blaſphemantibus, aut pejerantibus, niſi certè tantus eſſet paſſionis furor, ut mentem omnino turbaret: tunc enim blaſphemiæ eſſent quidem voluntariæ in cauſa, non tamen nova peccata, ratione turbationis omnimodæ.

Reſol. 3. Adultum ignorantem Deum invincibiliter (ſi fieri poſſet) non excuſandum fore à peccato, ſi fornicaretur, occideret, furaretur &c. quia præfata non deſinerent proptereà ingerere operanti malitiæ ſuæ ſpeciem: non ageret quidem contra legem Dei cogniti, ut per ſe patet, quia tamen ageret contra legem naturalem, quæ à parte rei eſt lex Dei; ageret contra legem Dei: quod ſufficit ad peccatum.

Reſol. 4. A fortiori peccare formaliter illum, propter eandem rationem, qui præfata aut ſimilia operando, actu de Deo non cogitat, & ideò juſtiſſimè condemnata eſt ab Alex. VIII. Hæc propoſitio: *Peccatum Philoſophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum?*

QUÆSTIO IV.

Quæ ſit cauſa Peccati?

CAuſam deficientem inquirimus, non efficientem; quandoquidem peccati ut peccati, non detur cauſa efficiens, ut ex Aug. oſtendimus ſupra.

CONCLUSIO I.

DEus non eſt cauſa peccati. Patet tum ex dicendis in Primo ſentent. ubi hæc materia ex profeſſo tractatur; tum ex eo, quòd Deus non odio habeat illa quorum eſt author; odio autem habeat peccatorem & peccatum, tum etiam, quia licèt nobiſcum ponat entitatem Phyſicam actus peccaminoſi; cùm tamen id faciat nulla lege prohibente, imò conditione cauſæ univerſalis id exigente, defectus, qui in tali actu reperitur, non poteſt Deo imputari, ſicut imputatur creaturæ, quæ actum illum conſcientia & lege prohibente exercet: unde quando concurſum ſuum exhibet Deus ad entitatem Phyſicam actus peccaminoſi, id facit, ut libertati creaturæ ſeſe accommodet, permittatque illam juxta naturæ ſuæ conditionem operari, & naturale dominium ſuorum actuum exercere, ſine quo ejus actus nec poſſunt eſſe mali, nec boni moraliter. Sed de hac materia plura ſuis locis.

CONCLUSIO II.

VEra cauſa peccati ut peccati eſt ſola voluntas creata.

Ratio eſt; quia illius ſolius eſt peccare, cujus eſt contra legem agere, ut patet ex definitione Peccati, ſed ſolius voluntatis creatæ eſt verè & propriè contra legem agere, quandoquidem lex vel regula morum ſoli agenti libero imponatur: ergo. Hinc

Reſol. Quod licèt potentiæ à voluntate diſtinctæ, & habitus vitioſi Phyſicè concurrant ad entitatem actus, qui dicitur peccatum, non ſint tamen cauſa moralis peccati, defectu libertatis: unde ſi actus ab illis egredientes denominentur etiam peccata, hoc provenit à malitia voluntatis, actus illos imperantis.

Fatendum tamen eſt, ſæpe eſſe cauſas peccati occaſionales; habitus quidem vitioſos, inclinando voluntatem ad actus ſimiles iis, à quibus prodierunt; potentias verò à voluntate diſtinctas, proponendo voluntati objecta delectabilia, vel remotè, ut ſenſus externus, vel mediatè, ut phantaſia, vel immediatè, ut intellectus.

CONCLUSIO III.

DAntur & aliæ cauſæ peccati occaſionales.

1. Ignorantia vincibilis ex parte intellectus, in quantùm aufert cognitionem, quæ ſi adeſſet, fortè peccatum fieret.

2. Paſſio concupiſcentiæ, ſeu appetitus ſenſitivus, qui per ſuas affectiones & motus in corpore ſuſcitatos, ſympathica quadam propenſione allicit voluntatem ad ſimiles actus, & affectus liberè producendos.

3. Peccatum: nam, ut ait Gregor. lib. 25. Moral. cap. 9. (aliàs 12.) *peccatum quod pœnitentia non diluit, ipſo ſuo pondere mox ad aliud trahit*; tum quia ſæpè Dei timorem expellit; tum quia ad peccata ſimilia impellit relinquendo habitum vitioſum; tum etiam quia expulſa per peccatum gratia ſanctificante, minuuntur nonnunquam gratiæ actuales; tum denique quia ex certis peccatis ſæpè oriuntur alia, ut ex ebrietate luxuria, blaſphemiæ &c.

Porrò peccatum, quod fit appetitu ſenſitivo alliciente, dicitur infirmitatis; ignorantiæ verò, ſi fiat intellectu malitiam culpabiliter non conſiderante, malitiæ denique, ſi patratur à voluntate ad illud ſpecialiter aliunde non inclinata.

CONCLUSIO IV.

DAntur præterea aliæ cauſæ peccati occaſionales extrinſecæ (nam priores ſunt intrinſecæ) nempè *dæmon* per ſuggeſtionem ac tentationes; nam licèt ſit tantùm cauſa mediata omnis peccati actualis, inquantum cauſa fuit inductiva peccati originalis, ex quo tanquam radice omnia alia fluxerunt; eſt tamen verè cauſa immediata cujuslibet peccati ad quod impellit. 2. *Mundus*, per quem intelligit Auguſtinus homines perverſos, qui licentioſè vivendo alios in foveam peccati trahunt. 3. *Caro*, id eſt carnis blandimenta, ſicut & objecta delectabilia.

Advertendum tamen, quòd licèt omnes illæ cauſæ occaſionales, ſive intrinſecæ, ſive extrinſecæ multum ſollicitent hominem ad peccandum, nunquam tamen neceſſitent, ſed relinquant in homine libertatem ſufficientem ad quodlibet peccatum vitandum.

QUÆSTIO V.

Quinam ſint effectus peccati?

LIcèt ſint tres effectus peccati perſonalis, vulnus ſcilicet naturæ, peccati macula, & pœnæ reatus; quia tamen vulnus naturæ præſertim peccato originali tanquam cauſæ tribuitur: ideò omiſſo hic illo effectu, quem peccatum perſonale etiam cauſat intellectum excæcando, voluntatem indurando, concupiſcentiam augendo, ac bene operandi difficultatem aggravando, de duobus ultimis hic agemus, de primo acturi poſtea.

ARTICULUS I.

In quo conſiſtat peccati macula, ſeu peccatum habituale?

SUppono tanquam certum, peccatorem, commiſſo peccato, remanere maculatum, quamdiu non deletur per pœnitentiam macula. Patet ex Script. Joſue 22. *Uſque in præſentem diem macula hujus ſceleris in nobis permanet*. Eccl. 31. *Beatus dives, qui inventus eſt ſine macula*. Et alibi. In quo tamen conſiſtat iſta macula, quæ cum peccato habituali confunditur; diſputant Theologi.

CONCLUSIO I.

LIcèt privatio gratiæ ſit quædam macula, in quantum eſt privatio nitoris debiti ineſſe animæ ad finem ſupernaturalem elevatæ; in illa tamen non conſiſtit peccatum habituale.

Prob. 1. Si fuiſſet homo creatus in ſtatu naturæ puræ, commiſſo Peccato, v.g. furto, remanſiſſet maculatus & peccator; ſed non fuiſſet privatus gratia: ergo.

Prob. 2. Quia ſi peccatum habituale conſiſteret in privatione gratiæ, non magis eſſet maculatus, qui centum mortalia commiſiſſet, quàm qui unicum; quandoquidem in utroque tantùm foret unica privatio gratiæ: imò ſequeretur, quòd magis juſtus æqualiter, aut etiam minùs peccans, quàm minùs juſtus, majorem maculam incurreret, quandoquidem majori gratia privaretur. Præterea omnia peccata habitualia eſſent ejuſdem ſpeciei; quandoquidem forent privatio ejuſdem ſpeciei gratiæ.

Prob. 3. Exiſtens in ſtatu peccati contrahit novam malitiam, ſi committat novum peccatum; ſed non contrahit novam privationem gratiæ: ergo.

Prob. 4 Non poteſt eſſe in eodem gratia & privatio; ſed poteſt eſſe in eodem gratia & peccatum habituale de potentia Dei extraordinaria, ut dicemus: ergo.

Prob. denique. Peccatum veniale cauſat maculam, non privationem gratiæ: ergo.

Obji. 1. Sublata ſola gratia, & ſecluſo quocumque alio, habetur peccatum habituale: ergo &c

Reſp Ant. Eiſe talium; nam ſi Deus per omnipotentiam ſuam tolleret ab eo, qui eſt juſtus, gratiam habitualem, non ille propterea haberet peccatum habituale.

Obji. 2 Homo conſtituitur formaliter juſtus habitualiter per gratiam: ergo formaliter injuſtus habitualiter per ejus privationem; quandoquidem denominationes oppoſitæ ab oppoſitis rationibus petendæ ſint.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia tantùm inde ſequitur quòd homo per privationem gratiæ debeat dici formaliter privatus juſtitia, non autem poſitivè formaliter injuſtus.

CONCLUSIO II.

NOn conſiſtit etiam peccatum habituale in reatu pœnæ, ſeu in deſtinatione peccatoris ad pœnam peccato debitam. Eſt contra plurimos, etiam Scotiſtas, qui conantur Scotum in ſuam partem trahere, eo quòd 4 diſt. 14. q. 1. nu 5 dicat peccatum habituale eſſe relationem ad pœnam, cùm tamen non ſit intelligendus formaliter, ſed effectivè, eo quòd illa ordinatio ad pœnam ex ipſo actu peccaminoſo moraliter perſeverante proveniat, ut colligere eſt ex iis quæ habet tum ibidem, tum alibi.

Prob igitur 1. concl. quia ſi Deus nullam deſtinaſſet pœnam peccatoribus, etiam poſt peccatum commiſſum, remanerent maculati: ergo &c.

Prob. 2. Per pœnitentiam tollitur peccatum habituale; ſed non ſemper tollitur ordinatio ad pœnam; quandoquidem ſæpiſſimè non remittatur tota pœna in juſtificatione: ergo.

Prob. 3. Si peccatum habituale eſſet ordinatio ad pœnam, mortale eſſet ordinatio ad pœnam æternam, veniale ad temporalem, ſicque, dum pœna æterna mutaretur in temporalem, peccatum mortale fieret veniale; quod eſt inauditum.

Nec

Digitized by Google

Nec refert, quòd Auguſtinus dicat poſt actum peccati manere reatum; quia non vult quod remaneat ſolus reatus pœnæ, ſed etiam culpæ, ut patet ex illis quæ habet lib. 1. de nuptiis & concupiſcentia c. 26. nam poſtquam dixiſſet: *Si quiſquam v. g. fecerit adulterium, etiamſi nunquam deinceps faciat, reus eſt adulterii, donec reatus ipſius indulgentia remittatur*, addit, ut oſtendat ſe loqui de reatu culpæ; *habet ergo peccatum, quamvis illud quod admiſit, jam non ſit*, ſcilicet phyſicè.

CONCLUSIO III.

PEccatum habituale eſt formaliter ipſum peccatum actuale præteritum moraliter perſeverans, donec remittatur. Hæc eſt communior & probabilior.

Prob. 1. Quia in nullo alio reponi poteſt convenientiùs ratio formalis peccati habitualis, ut patet ex aliarum ſententiarum refutatione.

Prob. 2. Quia ſicut homo ab actu exiſtente dicitur peccator actualiter; ita ab eodem moraliter & habitualiter perſeverante denominatur peccator habitualiter. Quòd autem poſſit dici peccatum præteritum moraliter perſeverare, inde patet, quòd contractus, etiam tribus menſibus poſtquam factus eſt, dicatur perſeverare, ſicut & votum donec impleatur: quidni ergo & peccatum donec remittatur?

Dices: peccatum habituale eſt effectus peccati actualis; ergo non eſt ipſum actuale moraliter perſeverans.

Reſp. Diſt. Ant. Peccatum habituale, ideſt, habitus vitioſus per peccatum actuale generatus, eſt effectus peccati actualis; C. peccatum habituale ut hic ſumitur: N.

ARTICULUS II.

Quid ſit reatus pœnæ & qualis ſit pœna peccatis debita?

SUppono, pœnam rigoroſè ſumptam eſſe malum quoddam ſeu incommodum, naturæ vel voluntati contrarium, eo fine inflictum, ut culpa vindicetur.

Dicitur 1. *Malum*, non quidem ſimpliciter ſicut culpa, ſed ſecundùm quid, ideſt, patienti: nam reſpectu infligentis bonum eſt; quandoquidem punire ſit actus Juſtitiæ vindicativæ, adeoque ejus objectum, quæ eſt pœna, eſt aliquod bonum.

Dicitur 2. *Naturæ vel voluntati contrarium*; quia ut loquitur Aug. pęna eſt quoddam ſupplicium.

Addita eſt particula *vel*; quia licèt quis voluntariè ſuſcipiat pęnam, ſi tamen inclinationi naturali repugnet, ſemper pęna eſt: quòd ſi nec naturæ, nec voluntati repugnet, non eſt pęna, cùm non ſit incommodum.

Dicitur 3. *Eo fine inflictum, ut culpa vindicetur*; quia, ut ait Aug. l. 1. retract. c. 9. *Omnis pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium nominatur*.

CONCLUSIO I.

REatus pęnæ eſt obligatio orta ex peccato proprio ad ſubeundam pęnam. Ex hac definitione

Reſol. 1. Quòd licèt Chriſtus obligatus fuerit ad ſubeundam pęnam pro peccatis noſtris tanquam fidejuſſor, non tamen reatum penæ contraxerit; quandoquidem pro peccatis alienis, non pro ſuis, fuerit paſſus: ſicque patet diſcrimen inter pęnam & pęnæ reatum, quòd illa ſupponat culpam, ſive propriam, ſive alienam; hic verò neceſſariò propriam.

Reſol. 2. Reatum pęnæ non eſſe quid Phyſicum, ſed debitum morale, quod à peccatore contrahitur.

Reſol. 3. Reatum eſſe quid medium inter pęnam & culpam, reſpiciens pro termino pęnam, pro radice culpam.

Reſol. 4. Aliter procedere à peccato pęnam, & aliter pęnæ reatum; nam hic directè ab ipſo procedit, illa verò tantùm diſpoſitivè, in quantum homo per peccatum diſponitur ut ſit dignus, cui pęna juſtè infligatur.

CONCLUSIO II.

POena peccato mortali debita eſt æterna; ſive loquamur de pęna damni, quæ eſt carentia viſionis beatificæ; ſive de pęna ſenſus, quæ ab igne infernali infligitur.

Prob. 1. Ex Script. Matth. 25. *Ibunt hi in ſupplicium æternum*, quod utramque pęnam comprehendit.

Prob. 2. Quia potuit Deus peccato mortali juſtè pęnam ęternam deſtinaſſe, ob perfectiſſimum illius in creaturam rationalem dominium; feciſſe autem, conſtat tum ex Scriptura, tum ex Patribus, tum ex communi fidelium ſenſu.

Prob. 3. Peccatum mortale quantum eſt de ſe eſt æternum, cùm nunquam poſſit creatura rationalis propriis viribus ab illo ſe liberare: ergo & æternam meretur pęnam.

Dices. Deus bonus eſt & miſericors: ergo non punit pęna æterna peccatum mortale.

Reſp. Neg. Conſeq. quia licèt pęna æterna puniat peccatum mortale, adhuc tamen in hoc Miſericordiam ſuam oſtendit; quandoquidem, ut dicunt communiter Theologi, puniat infra condignum quod ſuo loco explicabitur. Præterea Deus oſtendit præſertim bonitatem ſuam in hac vita; in altera autem Juſtitiam.

CONCLUSIO III.

POena peccato mortali debita, non eſt ſimpliciter infinita: ſive interim fiat ſermo de pęna damni, ſive de pęna ſenſus.

Prob. 1. Pęna proportionatur culpæ; ſed culpa mortalis non eſt ſimpliciter infinita: ergo.

Prob. Mi. Ut eſſet ſimpliciter infinita deberet ita continere omnem malitiam, ut non poſſet dari major illa in genere malitiæ; ſed quolibet peccato mortali ſemper dari poteſt majus in genere malitiæ, cùm poſſit Deus cum majori ſemper & majori cognitione offendi: ergo &c. unde cùm nonniſi finitè creatura Deum cognoſcat, etiam nonniſi finitam malitiam contrahit illum offendendo; quandoquidem peccati malitia non excedat limites voluntarii, & cognitionis ad voluntarium requiſitæ.

Prob. 2. quia pęna damni conſiſtit in privatione viſionis beatificæ; ſed creatura tantùm finitè Deum videt & poſſidet, cùm poſſit ejus viſio & poſſeſſio ſemper in infinitum augeri: ergo. Pęna autem ſenſus conſiſtit in cruciatu ignis: ſed ignis non poteſt infinitè cruciare, cùm ejus actio non poſſit eſſe intenſivè infinita: ergo.

Prob. 3. Si peccato mortali deberetur pęna infinita, Sodomia non eſſet majus peccatum fornicatione; imò omnia mortalia eſſent æqualia, cùm æqualem mererentur pęnam, nempè ſimpliciter infinitam, qua nequit dari major.

Obji. 1. Culpa deſumitur ex dignitate perſonæ offenſæ; ſed perſona offenſa eſt infinita: ergo & culpa infinita: & conſequenter meretur pęnam infinitam.

Reſp. 1. N. Ma. univerſaliter loquendo; aliàs culpa venialis foret infinitæ malitiæ, cùm ſit offenſa perſonæ infinitæ.

Reſp. 2. Diſt. Ma. Culpa deſumitur ex dignitate perſonæ tantùm: N. ex dignitate & cognitione eidem proportionata, ſaltem quando materia eſt gravis. C. ſed unquam cognitio creaturæ adæquatur dignitati perſonæ offenſæ, cum illa ſit ſemper finita, hæc ſemper infinita.

Obji. 2. Culpa mortalis excederet infinitas malitias veniales, ſi darentur: ergo eſt ſimpliciter infinita, adeòque & pęna ipſi correſpondens.

Reſp. Neg. Conſeq. Ex hoc enim bene ſequitur quòd *malitia* mortalis, ſit ſuperioris ordinis, quàm ſit venialis: *non tamen* infinita, aliàs homo eſſet infinitæ perfectionis; quandoquidem excederet perfectionem infinitorum brutorum, ſi darentur: onde ſicut infinita materialia, ſi darentur, non attingerent perfectionem unius ſpiritualis, licèt finiti, ita nec infinita venialia attingerent malitiam unius mortalis, licèt in ſua malitia finiti: quia ſcilicet eſt ſuperioris ordinis, ſicut ſpirituale reſpectu materialis.

Obji. 3. Pœna damni privat bono infinito: ergo eſt infinita ſimpliciter.

Reſp. 1. Diſt. Ant. Privat bono infinito infinitè poſſidendo: N. finitè poſſidendo: C. ſed nego conſeq. quia inde tantùm ſequitur, quòd ſit infinita ſecundum quid, in quantum objecto infinito privat remotè mediante ſcilicet viſione beatifica qua privat immediatè, & à qua, utpote finita, ratio pęnæ finitæ ſimpliciter deſumitur.

Reſp. 2. Diſſimulato Ant. diſt. conſeq. eſt infinita extenſivè ſeu quoad durationem: C. intenſivè, ſeu in ratione pœnæ: N. quandoquidem illa poſſit dari major. Unde importat quidem pœna æterna infinitatem durationis, non tamen infinitatem eſſentiæ & intenſionis; cùm poſſit quoad eſſentiam variari, & quoad intenſionem augeri & minui. Ex dictis.

Reſol. Quòd ſicut peccatum ſecundùm quid eſt infinitum; ita etiam illi ex illa parte correſpondeat pęna extenſivè infinita: ſicut verò ſimpliciter eſt finitum; ita etiam eſt ſimpliciter finita intenſivè pęna.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS III.

An peccatum poſſit eſſe pœna peccati, & an aliqui puniantur pro peccatis alienis?

CONCLUSIO I.

NOn poteſt peccatum eſſe pœna peccati hoc ſenſu, quòd velit Deus hominem labi in peccatum ſecundum propter primum; poteſt tamen eſſe per accidens, in quantùm Deus ratione prioris peccati, ſubtrahit homini gratiam efficacem, qua ſubtracta facilè labitur in alia peccata.

Prob. 1. pars; quia aliàs Deus eſſet author & cauſa peccati, quod ejus ſanctitatem ſummè dedecet. Præterea culpa non poteſt eſſe pœna, cum illa in actione, hæc in paſſione conſiſtat; illa ſit voluntaria, hæc involuntaria; adeoque non poteſt Deus velle peccatum tanquam pœnam.

Prob. 2. pars ex illo ad Rom 1. *propter quòd*... (quia nempe malè uſi fuerant donis gratiæ & naturæ peccando) *tradidit illos Deus in reprobum ſenſum*, ideſt, illos ſine gratiis efficacibus aut proximè ſufficientibus ad evitanda nova peccata dereliquit, quo ſenſu dicitur etiam Deus tùm in Scriptura, tùm apud Patres, peccatores excæcare, in deſideria cordis tradere &c.

CONCLUSIO II.

NEmini infligitur pœna ſtrictè dicta propter peccatum alienum.

Prob. 1. ex Script. Jerem. 31. *In diebus illis non dicent ultra: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt, ſed unuſquiſque in iniquitate ſua morietur.* Ezech. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii.* Et ad Galat 6 *Unuſquiſque onus ſuum portabit.*

Prob. 2. ratione; pœna datur propter culpam: ergo juſtum eſt, ut qui fecit culpam, ſubeat & pœnam; & non alter.

Dices 1. Deuteron 5. dicitur; *Deus æmulator reddens iniquitatem patrum ſuper filios in tertiam & quartam generationem.*

Reſp. Verbis prædictis immediatè addi; *his qui oderunt me*, & conſequenter fit ibi ſermo de filiis non innocentibus, ſed menſuram patrum ſuorum implentibus, viis eorum peſſimis inhærendo, qua completa, graviùs punit Deus eorum peccata, non quidem quàm mereantur, ſed quàm puniviſſet, ſi parentes eorum non etiam deliquiſſent.

Dices 2. Multa millia hominum perierunt propter peccata Davidis. Item multi parvuli innocentes ſimul cum parentibus reis interfecti ſunt, ut patet in Madianitis, Sodomitis, Chananæis: ergo &c.

Reſp. 1. Quod ubi filii, aut ſubditi ſunt innocentes, mors ipſis inflicta non eſt propriè pœna reſpectu illorum, ſed reſpectu parentum, Principum &c. cùm enim filius ſit aliquid patris, ſubditus aliquid Principis, afflicto filio aut ſubdito, cenſetur puniri parens, aut Princeps, licèt reſpectu innocentium afflictio illa ſit vel ad augenda eorum merita, vel medicina præſervativa, ne diutius viventes innocentiam amittant: unde non tam filii puniuntur, quàm parentes in filiis, licèt poſſint & filii dici aliquo ſenſu puniri propter peccatum originale, ratione cujus mors nobis debetur.

Reſp 2. Ubi filii, aut ſubditi ſunt aliundè rei, tunc pro peccatis propriis puniuntur, dicuntur tamen pro peccatis patrum, aut Principum puniri, quia, niſi peccata illa acceſſiſſent, non fuiſſent adhuc puniti: illis ſiquidem non accedentibus, non fuiſſet adhuc impleta menſura, ante cujus completionem nondecreverat Deus Rempublicam, Imperium, aut familiam perire.

Dices 3. Poteſt Deus nullo præcedente, patrum, aut Superiorum peccato, de vita filiorum, & ſubditorum diſponere; cùm ſit Supremus mortis & vitæ Dominus: ergo à fortiori præcedente peccato.

Reſp. Conc. totum: non enim negamus Deum hoc poſſe, ſed tantùm volumus quòd ordinariè Deus non involvat filios aut ſubditos adultos in afflictione patrum, aut Principum, niſi ſint ipſimet rei.

QUÆSTIO VI.

Quodnam ſit ſubjectum peccati?

CErtum eſt peccatum ſecundùm materiale conſideratum eſſe in ea potentia, à qua procedit, v. g. hæreſim in intellectu, motum ſenſualitatis in appetitu ſenſitivo. Ratio eſt, quia cùm peccatum ſecundùm materiale nihil ſit aliud quàm ipſemet actus talis vel talis potentiæ, clarum eſt recipi in ea potentia, à qua proficiſcitur, cùm ſit actus immane. Idem eſt de privatione rectitudinis phyſicè ſpectata, ſeu quatenùs eſt privatio præcisè; quandoquidem illa ſit neceſſariò in eodem ſubjecto, in quo eſt ipſe actus, qui dicitur privari rectitudine. Sed an idem ſit de privatione rectitudinis formaliter, ideſt quatenus habet rationem malitiæ, ſeu quatenus eſt voluntaria? diſputatur.

CONCLUSIO I.

PEccatum, quod eſt actus voluntatis elicitus, ſubjectatur in ſola voluntate.

Ratio eſt; quia cùm actus ille peccaminoſus à ſola voluntate procedat phyſicè & moraliter, ideſt, tam ſecundùm eſſe, quam ſecundùm deformitatem, ratione cujus dicitur peccatum, ſitque aliundè actus immanens, in ſola voluntate ſubjectetur tam ſecundùm eſſe, quàm ſecundùm malitiam, neceſſe eſt.

CONCLUSIO II.

PEccatum, quod eſt actus à voluntate quidem imperatus, ſed ab alia potentia elicitus, ſubjectatur primariò in voluntate, & ſecundariò in potentia, à qua procedit. Ita Scot. 2. diſt. 42. §. *ad quæſt.* eſtque communis.

Prob. 1. pars; illud eſt ſubjectum primarium peccati, quod eſt cauſa primaria ejuſdem; ſed voluntas eſt cauſa primaria peccati: ergo. Prob. Min tum ex Auguſt. Lib. 3. de lib. arbit. c. 17. ubi ait: *Ipſa voluntas eſt prima cauſa peccandi.* Et Lib. 1. retract. cap. 9. *Voluntas eſt qua & peccatur & rectè vivitur*: tum etiam ratione; quia tota ratio peccati fundatur in voluntario libero, cùm nullum ſit peccatum niſi voluntarium nullum niſi liberum; ſed ſola voluntas operatur ex ſe voluntariè & liberè; aliæ autem potentiæ non niſi participativè ab ipſamet voluntate: ergo. Accedit quòd voluntas tanquam potentiarum domina teneatur tum ſuis, tum aliarum potentiarum actibus rectitudinem dare, aliæ autem potentiæ, ut pote naturaliter operantes, ad id non teneantur, & conſequenter ubi malè operantur, debet primariò malitia imputari voluntati.

Prob. 2. pars; quia cum aliæ potentiæ poſſint operari liberè, non quidem per actum ſuum, ſed per actum voluntatis, cui ſubſunt, ſeu libertate à voluntate participata, ita etiam mediante illa peccare poſſunt, adeoque & eſſe peccati ſubjecta: & ideo hæreſis, ſuſpicio infundata, judicium temerarium, quæ ſunt peccata, etiam ſubjectantur in intellectu, detractiones, blaſphemiæ &c. in potentia locutiva; viſio vel auditio rei illicitæ in potentia viſiva vel auditiva, & ſic de aliis.

CONCLUSIO III.

APpetitus ſenſitivus independenter à libertate ſibi per actum voluntatis imperantis communicata, non eſt ſubjectum peccati, ne quidem venialis. Eſt contra Cajetanum, Salmaticenſes, Gonet, & alios volentes ineſſe appetitui ſenſitivo humano, propter conjunctionem cum voluntate, libertatem ſufficientem ad veniale independenter à conſenſu & motione ipſius voluntatis.

Prob. 1. Ex Scripr. Gen. 4. ubi dicitur Caino: *ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*; atqui ſi poſſet appetitus independenter à motione voluntatis peccare, non dominaretur homo appetitui, cùm tantùm habeat dominium in ipſum mediante voluntate: ergo.

Prob. 2. Ex Trid Seſſ. 5. can. 5. Decreti de peccato originali, ubi definit concupiſcentiam, quæ in baptizatis manet, non nocere non conſentientibus; atqui de facto noceret non conſentientibus, ſi abſque voluntatis conſenſu peccare poſſet appetitus: ergo.

Prob. 3. Ex Auguſt. lib. de vera & falſa Religion. cap. 14. *aut negandum eſt peccatum committi, aut fatendum eſt voluntate committi.* Et alibi dicit: *non niſi voluntate peccatur*: quæ ſtare non poſſunt cum ſententia oppoſita.

Prob 4. Major eſt conjunctio Intellectus cum voluntate, quàm appetitus ſenſitivi cum eadem, ut patet; ſed intellectus propter illam conjunctionem non eſt ſufficienter liber ut poſſit venialiter peccare independenter à conſenſu voluntatis, ut fatentur adverſarii; ergo nec appetitus.

Prob. 5. Motus appetitus ſenſitivi primò-primi non ſunt peccata, & ſecundò-primi ſunt peccata, ſaltem venialia, ut conveniunt omnes; ſed nulla eſt alia ratio hujus diſcriminis, niſi quòd illi procedant ſine ullo voluntatis conſenſu; hi autem cum aliquo: ergo ſecluſo omni voluntatis influxu, nec pec-

cat, nec peccare poteſt appetitus. Unde quomodo quadrare poſſit doctrina Gonet docentis motus primò-primos appetitus non eſſe peccata, & tamen appetitum ſine ullo voluntatis influxu formali aut virtuali, poſitivo aut interpretativo, poſſe peccare, judicent oculatiores.

Dices 1. Apoſtolus pluribi motum concupiſcentiæ peccatum appellat: quod & facit Auguſt l. 5. contra Julian c. 3 ergo cenſent appetitum ex ſe poſſe peccare.

Reſp. Vocare peccatum, non quia peccatum eſt formaliter, ſed quia tale eſt effectivè & cauſativè, ſeu, ut definit Trident. ſupra, *quia ex peccato eſt*, nempe originali, *& ad peccatum inclinat*, nempe actuale.

Dices 2. S. Thom. 1 a q. 74. art. 3. expreſsè docet: *Relinquitur quod in ſenſualitate*, ideſt, appetitu ſenſitivo, *poſſit eſſe peccatum*.

Reſp. Diſt. Aſſump docet poſſe eſſe peccatum propter ſolam conjunctionem appetitus cum voluntate: N. propter influxum voluntatis: C.

Inſt. 1. S. Doctor ibid. ad 3. ſic habet: *motus ſenſualitatis rationem præveniens eſt peccatum veniale;* atqui quod prævenit rationem, prævenit & voluntatis influxum, cùm hic ab illa dependeat: ergo.

Reſp. Diſt. Maj Motus præveniens rationem advertentem, ſaltem ſemiplenè, eſt peccatum veniale: N. præveniens rationem conſiderantem, an motum reſpuet vel admitret: C. hæcque diſtinctio fundatur in ipſomet D. Th. 1. 2. q 46. art. 4. ad 1.

Inſt. 2. Si ratio aliqualiter adverteret, adeſſet conſenſus voluntatis interpretativus; atqui S Doctor etiam independenter à conſenſu interpretativo admittit peccatum in appetitu: ergo.

Prob. Min. nam q. 25. de veritate art. 5. ad 5. ſic loquitur: *Non dicitur eſſe peccatum in ſenſualitate propter interpretativum conſenſum*.

Reſp. Diſt. Min. independenter à conſenſu interpretativo perfecto: C. imperfecto conſiſtente in hoc quòd voluntas, ratione ſemiplenè advertente, motum nec approbet, nec reprobet: N. & hanc eſſe mentem Doctoris Angelici, patet ex eo quòd q 7 de malo art 6. ad 6. requirat, ut quis peccet venialiter circa motum illicitum, aliquam negligentiam, ſeu permiſſionem, ubi involvitur conſenſus aliquis interpretativus. Ex dictis

Reſol. 1. Motum ſenſualitatis totam rationem peccati trahere ab extrinſeco, nempe ab influxu voluntatis; & ideo ſi nullus ſit, ut in motibus primò-primis, nullum eſt peccatum; ſi imperfectus, ut in motibus ſecundò-primis, peccatum veniale; ſi perfectus, ut in motibus plenè deliberatis, peccatum mortale.

Reſol. 2. Quàm falſa ſit hæreticorum modernorum opinio, qua volunt concupiſcentiam, & omnes ejus motus circa illicita, etſi neceſſariò inſurgant, eſſe peccatum mortale Originem quidem habent, ut ajunt, à peccato originali quod nobis imputatur; ſed quid tum? Nunquid etiam inde originem trahunt phrænesis, inſania &c.? Si ergo actus phræneticorum non ſunt peccata, quia neceſſarii ſunt, cur eſſent peccata motus concupiſcentiæ neceſſariò inſurgentes? Si dicas, ſufficere ad peccatum quòd ſit voluntarium in capite, nempe Adamo, dicam ſufficere ad peccatum originale, non tamen ad perſonale, ad quod requiritur voluntas propria.

QUÆSTIO VII.

Quomodo dividatur peccatum?

CONCLUSIO I.

Dividitur peccatum in actuale & habituale. Actuale eſt ipſa præſens tranſgreſſio legis, ſive ſit opus, ſive operis debiti omiſſio. Habituale eſt præterita legis tranſgreſſio moraliter perſeverans uſque ad remiſſionem culpæ: & ab hoc deſumitur magis propriè denominatio peccatoris; nam peccator dicitur qui actualiter peccavit, & cui non eſt condonatum peccatum: ab actuali autem peccato, homo non tam dicitur actualiter peccator, quàm peccans. Peccatum habituale ſubdividitur in Originale & Perſonale.

Originale eſt, quod aliena voluntate commiſſum, à nobis naturali propagatione contrahitur: de hoc poſtea. Perſonale eſt, quod remanet ex actuali per propriam voluntatem commiſſo.

CONCLUSIO II.

Dividitur ſecundò peccatum in mortale & veniale. Peccatum illud dicitur mortale, quod mortem infert animæ, ideſt, quod eam privat vita ſecunda, quæ in gratia ſanctificante conſiſtit, eamque addicit pœnæ æternæ, quæ mors eſt ſecunda. Illud verò veniale appellatur, cujus remiſſio facilè obtineri poteſt; quia non ſolvit amicitiam cum Deo, neque hominem privat illius gratia, ſed tantùm ferventiorem amicitiæ uſum retardat. Aliter peccatum mortale eſt tranſgreſſio voluntaria præcepti graviter obligantis; Veniale autem, tranſgreſſio vel minùs voluntaria præcepti graviter obligantis, vel perfectè voluntaria præcepti leviter obligantis.

Petes in quibus differant peccatum mortale & veniale?

Reſp. 1. Non differre per hoc; quòd primum ſit contra præceptum, ſecundum contra conſilium; quia agere contra conſilium non eſt peccatum, quandoquidem Apoſt. 1. Corinth. 7. conſulat cœlibatum, & addat poſtea: *Si nupſerit virgo, non peccavit*.

Reſp. 2. In hoc differre primò quod mortale conſiſtat in contemptu divinæ amicitiæ, & averſione ab ultimo fine, quandoquidem peccans mortaliter illum conſtituat in creatura, adeoque plus diligat creaturam quàm Creatorem, cùm plus diligat ſuam delectationem quàm facere Dei voluntatem in iis, quæ ſunt neceſſaria ad ipſum Deum finem noſtrum ultimum poſſidendum. Non ſic autem veniale: quandoquidem, illo non obſtante, maneat homo conjunctus Deo per Charitatem, poſſitque finem ſuum ultimum conſequi, licèt aliquam inordinationem faciat circa ea quæ ſunt ad illum Secundo quòd mortale inferat reatum pœnæ æternæ; veniale autem, tantùm pœnæ temporalis. Tertio quòd veniale ex natura ſua leviter, & mortale graviter rationi repugnet. Quarta & præcipua differentia petitur ex eorum definitionibus.

CONCLUSIO III.

Dividitur ulteriùs peccatū in illud quod eſt contra Deum, contra proximum, & contra ſeipſum.

Ratio eſt; quia tripliciter conſiderari poteſt homo, ſcilicet ut Dei eſt, ſicque poteſt peccare contra Deum; ut animal ſociale, & ſic peccare contra proximum; & ut animal rationale, ſicque peccare contra ſeipſum. Cenſetur autem ſpecialiter peccare contra Deum (licèt ſit contra Deum quodlibet peccatum, cùm ſit contra legem illius) quando agit contra illas virtutes, quibus proximè ad Deum ordinatur, ut contra Fidem, Spem, Charitatem, Religionem, Pœnitentiam &c. Contra proximum verò, quando aliquid facit contra Juſtitiam, Miſericordiam, Pietatem &c. Contra ſeipſum denique, quando agit contra Temperantiam, Caſtitatem &c. unde corpus ejus & anima hebetes redduntur.

CONCLUSIO IV.

Dividitur præterea in peccatum cordis, quod *conſummatur* in corde, ut odium Dei, aut proximi invidia, &c. In peccatum oris, quod completur in ore, ut Blaſphemia, Detractio &c. & peccatum operis, quod conſummatur in opere, ut Fornicatio, Homicidium &c. Poteſt tamen una & eadem actio moraliter, eſſe peccatum cordis, oris, & operis, ut ſi quis velit fornicari, invitet mulierem, & fornicetur.

CONCLUSIO V.

Peccatum aliud eſt etiam carnale, aliud ſpirituale. Carnale eſt, cujus objectum eſt aliqua delectatio carnalis, ut Gula, & Luxuria, licèt uſus obtinuerit ut ſola Luxuria dicatur peccatum carnale. Spirituale eſt, quod habet objectum elevatum ſupra carnem, etiamſi pertineat ad appetitum ſenſitivum, ut alia peccata capitalia, ſcilicet Ira, Avaritia; maximè autem Superbia, Invidia, Acedia. Nihilominus poſſunt omnia ferè peccata dici carnalia, ſeu opera carnis, in quantùm ferè omnia ex carnis infirmitate, aut corruptione proveniunt: unde Apoſt. Galat. 5. vocat invidias, Idololatriam, & inimicitias opera carnis.

CONCLUSIO VI.

Peccata alia quoque ex infirmitate, alia ex ignorantia, alia ex malitia: ſeu alia in Patrem, alia in Filium, alia in Spiritum Sanctum.

Peccata ex infirmitate ſunt, quæ fiunt ex paſſione Iræ, Luxuriæ &c. dicuntur autem hæc peccata in Patrem, quia attribuitur ei Omnipotentia, cui opponitur infirmitas.

Peccata ex ignorantia ſunt, quæ fiunt cum ignorantia vincibili, adeoque culpabili, de quibus ſuo loco: ſunt autem peccata in Filium, quia ſunt contra Sapientiam, quæ attribuitur Filio.

Deni-

Digitized by Google

Denique peccata ex malitia ſunt, quæ fiunt ex plena voluntatis libertate per paſſionem, aut ignorantiam non diminuta, quæ ſunt contra Spiritum Sanctum, quia tribuitur illi Bonitas, cui peccata illa ſpecialiter repugnant.

Porrò ex peccatis jam recenſitis, quæ fiunt ex malitia ſunt, per ſe loquendo & cęteris paribus, majora; quæ ex infirmitate, minora; quæ autem ex ignorantia, adhuc minora.

Ratio eſt; quia in tantùm aliquid eſt peccatum, in quantum eſt voluntarium; atqui majus eſt voluntarium in primis quàm in ſecundis, & in ſecundis quàm in tertiis: ergo

Poteſt tamen quodlibet ex illis eſſe peccatum mortale; quia, non obſtante paſſione, aut ignorantia, poteſt remanere voluntarium ad illud ſufficiens: & quidem ordinariè remanet.

CONCLUSIO VII.

CElebris eſt peccati diviſio in peccatum commiſſionis, & omiſſionis.

Peccatum commiſſionis eſt illud, quod opponitur præcepto negativo aliquid fieri prohibenti; peccatum verò omiſſionis, quod opponitur præcepto affirmativo aliquid poſitivum fieri præcipienti. Ex quibus patet peccatum commiſſionis neceſſariò fieri per actum poſitivum, non ſic omiſſionis.

Porrò licèt peccatum commiſſionis & omiſſionis ſæpiſſimè ſpecie differant; non tamen ſemper, cùm aliquando opponantur eidem virtuti ſecundùm eandem rationem, ut patet in commiſſione furti, & omiſſione reſtitutionis; quia utrunque opponitur Juſtitiæ ſub eodem motivo.

QUÆSTIO VIII.

Quid ſpecialiter dicendum de peccato omiſſionis?

QUoniam varia de peccato omiſſionis occurrunt ſpecialiter dicenda, tenemur omnia diſtinctè explicaturi, hanc quæſtionem in varios articulos diſtribuere.

Quærunt hic aliqui, an dari poſſit omiſſio peccaminoſa ſine ullo voluntatis actu poſitivo? ſed hanc quæſtionem ad Tractatum de actibus humanis remittimus.

ARTICULUS I.

An actus conjunctus cum omiſſione peccaminoſa, ſit etiam peccaminoſus?

DUpliciter poteſt conjungi actus cum omiſſione. Primò: itaut ſit verè cauſa, cur habeatur omiſſio, ut dum quis, ne ludum interrumpat, Sacrum omittit. Secundò, itaut ſit tantùm occaſio, & merè concomitanter ſe habeat ad omiſſionem, ut ſi quis, poſtquam ex contemptu divinorum decrevit omittere Horas Canonicas, illo tempore, ne ſit otioſus, legat, laboret, ſtudeat &c.

CONCLUSIO I.

ACtus, qui merè concomitanter ſe habet ad omiſſionem peccaminoſam, non eſt peccaminoſus, ſi aliunde ſit indifferens, aut bonus. Eſt communis contra Valentiam.

Prob. 1. quia actus de ſe indifferens, aut bonus, non trahit malitiam ab omiſſione; niſi in illam aliqualiter influat, ut per ſe patet; ſed hic ſupponimus actum in omiſſionem nullatenus influere, aliàs non ſe haberet ad illam merè concomitanter: ergo.

Prob. 2. quia licèt actus ille concomitans poſſit de ſe impedire præcepti adimpletionem, v. g. Miſſæ auditionem, Officii recitationem &c. illam tamen hic & nunc non impedit, cum cenſeatur ſufficienter impedita per voluntatem efficacem non adimplendi: & certè ſi quis volenti intrare domum claudat primam portam de ſe ſufficientem ad impediendum ingreſſum, & nihilominùs claudat inſuper ſecundam, porta ſecunda, licèt de ſe ſufficiens ad impediendum ingreſſum non cenſetur de facto impedire, quia jam eſt ſufficienter impeditus per primam, ita & in noſtro caſu.

Dices 1. præceptum legendi Horas, v. g. inhibet omne incompoſſibile cum tali lectione, atqui actus concomitans, v. g. labor, eſt incompoſſibilis cum tali lectione: ergo

Reſp. Diſt. Maj. inhibet omne incompoſſibile quod in omiſſionem influit: C. quod non influit: N.

Dices 2. Labor ille fit tempore indebito: ergo eſt malus.

Reſp. Diſt. Ant. fit tempore indebito, nulla facta ſuppoſitione: C. facta ſuppoſitione quòd quis jam ſe efficaciter determinaverit Horas omittere: N. cùm tunc melius ſit laborare, quàm otioſus eſſe.

Dices 3. Inde ſequitur ineuntem Matrimonium poſt voluntatem efficacem non ſervandi votum Caſtitatis antea emiſſum, non peccare novo peccato, quod eſt falſum.

Reſp. Neg. Sequelam; quia ille non tantùm reddit ſibi impoſſibilem obſervantiam voti, ſed etiam voluntatem mutandi poſtea pravi propoſiti, quod tamen, ſecluſo matrimonio, facilè potuiſſet mutare, imendendo deinceps obſervantiam voti. Ex dictis

Reſol. 1. Eum, qui vovit nunquam eſſe otioſus, teneri eo tempore, quo ſacrum eſſet audiendum, ſtudere, legere, &c.

Reſol. 2. Garrientes, aſpicientes, aut ludentes tempore Sacri, cum eo, qui antea efficaciter decreverat Sacrum omittere, non peccare, quia ſi ille non peccet ludendo, cur peccarent illi colludendo? Excipe tamen niſi, ceſſante luſu, aut monitione facta, ſpes eſſet mutandi propoſiti.

Reſol. 3. Poſſe quandoque actum, qui videtur tantùm concomitanter ſe habere, eſſe etiam cauſam omiſſionis, ſi nempe diù, antequam urgeat præcepti adimpletio, inchoetur; cùm actus ille foveat voluntatem inordinatam, quæ ceſſante actu illo; facilè mutaretur: unde ordinariè loquendo, ut habeat ſe actus merè concomitanter, debet parùm diſtare ab hora præcepti adimplendi.

CONCLUSIO II.

ACtus, qui eſt cauſa omiſſionis peccaminoſæ, licèt de ſe ſit bonus, aut indifferens, trahit malitiam ab omiſſione. Ita communiter tenent Theologi.

Prob. 1. Voluntas omiſſionis peccaminoſæ contrahit malitiam omiſſionis, ut patet; atqui actus ille, v. g. ludus propter quem omittit aliquis Miſſam, continet formaliter aut virtualiter voluntatem omiſſionis: ergo

Prob. 2. Actus de ſe indifferens, ſi præbeat alteri occaſionem peccandi, fit peccaminoſus: ergo à fortiori actus, quo quis ſibi ipſi eſt cauſa omiſſionis peccaminoſæ, eſt peccaminoſus; cùm non minùs, imò magis teneamur vitare peccatum proprium, quàm alienum.

Dices 1. Si actus ille eſſet peccaminoſus, eſſet peccatum commiſſionis, cùm ſit actus poſitivus: ergo non trahit malitiam ab omiſſione.

Reſp. Neg. Aſſump quia licèt materialiter & phyſicè ſit quid poſitivum, moraliter tamen & in ratione peccati cenſetur quid privativum, cùm voluntas omittendi & ipſa omiſſio conveniant in ratione peccati.

Dices 2. Si labor v. g. dans cauſam omiſſioni eſſet peccaminoſus, plus peccaret omittens Sacrum propter laborem, quàm nude & otioſè omittens; quia hic unicum committeret peccatum, ille duo.

Reſp. Neg Aſſump quia uterque unius duntaxat peccati eſſet reus: & certè ſi voluntas omiſſionis & ipſa omiſſio ſit unicum peccatum, cur ludus, qui non eſt malus, niſi quia eſt virtualis voluntas omiſſionis malæ, eſſet diſtinctum peccatum ab omiſſione? dicunt quidem aliqui eſſe duplex phyſicè peccatum, eò quod actus, qui eſt cauſa omiſſionis, ſæpè exiſtat ante omiſſionem, imò etiamſi nunquam exiſtat omiſſio, ut patet in eo qui ſe dedit ſomno, dum urgeret præceptum Sacri, & poſtea ſubito expergefactus Sacrum audit; ſed quidquid ſit de duplic peccato phyſico, conveniunt tamen omnes eſſe unicum moraliter loquendo, & in ordine ad Tribunal Pœnitentiæ, quod hic præſertim attendimus.

ARTICULUS II.

Quandonam incipiat & conſummetur peccatum omiſſionis?

SUppono 1. Ponentem voluntariè actum, ex quo prævidet præceptum probabiliter, vel probabiliùs non adimplendum, v. g. ſe dantem ſomno, ubi Sacrum eſt audiendum, vel legendæ Horæ, peccare graviter, etiamſi poſtea rebus ſubitò mutatis, Sacrum audiat, Horas legat &c. quia licèt non peccaverit contra legem effectu, peccavit tamen affectu, in quantùm voluntariè ſe expoſuit præcepti non adimplendi periculo.

Suppono 2. Peccatum omiſſionis conſummari, ubi de facto contingit omiſſio, ſi tunc omittens ſit ſui compos, hocque concedunt omnes: ſed an etiam tunc conſummetur, ſi omittens ſit rationis expers propter ſomnũ, ebrietatem &c.? Hic quæritu

Suppono 3. Dicenda de peccato omiſſionis, applicanda eſſe peccato commiſſionis, v. g. homicidio, blaſphemiæ perjurio in ebrietate patratis, quæ quis prævidit, aut prævidere debuit ante ebrietatem, cùm ſit utrobique par ratio. His ſuppoſitis

CONCLUSIO I

INcipit peccatum omiſſionis, cùm incipit actus, qui eſt cauſa vel occaſio cur deinceps præceptum non poſſit adimpleri. Eſt communis & certa.

Ratio eſt; quia tunc incipit malitia omiſſionis, cùm incipit voluntas omittendi: ſed cùm incipit actus incompatibilis cum adimpletione præcepti, virtualiter & interpretativè incipit voluntas omittendi: ergo

CONCLUSIO II.

NOn conſumatur malitia omiſſionis (ſuppoſito libertatis impedimento in omittente, dum urget præceptum) cùm de facto adeſt omiſſio, ſed in inſtanti, quo liberè poſita eſt cauſa ſubſecutæ omiſſionis: colligitur ex D. Bonavent. 2. diſt. 36. art. 1. q. 2. ad arg. & ex Scoto 2. diſt. 40. & 42. initio & fine, quibus contrarii ſunt varii Thomiſtæ, non tamen S. Thomas, ut oſtendemus poſtea.

Prob. 1. Nullum eſt peccatum formaliter niſi liberum; atqui omiſſio, dum ponitur, non eſt libera. ergo non eſt peccatum, ſed effectus peccati jam completi. Si dicas non eſſe liberam in ſe, ſed in cauſa, dicam ego peccatum eſſe, non in ſe, ſed in cauſa, cùm eodem modo ſit peccatum, quo eſt libera.

Prob. 2. Nemo peccat in eo quod vitare non poteſt, ut docet Auguſt. ſed dormiens aut ebrius non poteſt omiſſionem Sacri vitare: ergo

Si dicas potuiſſe vitare in vigilia, dic & conſequenter omiſſionem fuiſſe vigilantis, non dormientis.

Prob. 3. Si omiſſio eſſet peccaminoſa, pro inſtanti quo urget præceptum, poſſet quis, poſtquam de cauſa omiſſionis doluit, pœnituit, & in gratiam Dei reſtitutus eſt, peccare formaliter, renitente voluntate: quod non videtur admittendum; imò inde ſequeretur, quod poſſet poni in eo ſtatu, in quo neceſſariò debeat peccare; nam ſi quis hodie ſe inebriet prævidens ſe incapacem fore die ſequenti ad jejunandum propter morbum ex ebrietate contrahendum, & tamen præcipiat ipſi Medicus, aut Superior die ſequenti, ut ratione morbi non jejunet, quidquid faciat, neceſſariò peccabit.

Nec ſatisfacis, ſi dicas, poſſe de cauſa poſita pœnitere, quo caſu omiſſio jejunii non erit peccaminoſa: nam cùm ſit peccaminoſa propter cauſam realiter poſitam, nec pœnitentia facere poſſit, ut cauſa realiter poſita non ſit taliter poſita; nec facere poteſt ut omiſſio non ſit in ſe peccaminoſa, ſi talis debeat eſſe independenter à pœnitentia.

Objic. 1. Poteſt quis propter omiſſionem illam externam, ſicut & propter homicidium in ebrietate commiſſum excommunicari: ergo ſignum eſt quod ſit peccatum.

Reſp. Neg. Ant. & dico excommunicationem non eſſe annexam omiſſioni externæ: aut actui in ebrietate commiſſo, ſed cauſæ illius; dependenter tamen ab effectu tanquam conditione, ſine qua cauſa illa non eſſet Eccleſiæ manifeſta.

Objic. 2. Peccatum conſiſtit in tranſgreſſione præcepti; atqui tranſgreſſio præcepti non fit quando ponitur cauſa omiſſionis, quandoquidem præceptum pro tunc non obliget: ergo

Reſp. Diſt. probationem Min. præceptum pro tunc non obligat ad audiendam Miſſam: C. ad non ponendum aliquid cum auditione Miſſæ incompoſſibile moraliter: N. nam lex obligans ad Miſſam audiendam, obligat & ad non ponenda impedientia, ſaltem proximè, ejus executionem, ut diximus de Legibus. Præterea licèt pro tunc non effectu, affectu tamen tranſgreditur quis præceptum audiendi Miſſam.

Objic. 3. Poteſt quis ſubitò ab ebrietate liberari, & audire Miſſam, atqui ille non violaret legem: ergo non fit formaliter peccatum dum cauſa ponitur.

Reſp. Diſt. Min. ille non violaret effectu, tranſeat, affectu: N.

Advertendum tamen, omiſſionem illam externam poſſe dici peccatum denominativè, ſaltem quando quis non pœnituit antea de cauſa talis omiſſionis.

Objic. 4. Omiſſio ſequens in ebrietate eſt complementum volitionis omittendi: ergo eſt formaliter peccatum, ſicut ipſa volitio.

Reſp. Diſt. Ant. eſt complementum phyſicè, & in genere naturæ: C. in genere moris, à quo petitur ratio peccati: N. quia non ſubeſt omittentis poteſtati.

Objic. 5. Omiſſiones illæ debent in confeſſione exprimi: ergo ſunt formaliter peccaminoſæ.

Reſp. 1. Retorquendo argumentum; ſecundùm adverſarios actus externi debent in Confeſſione exprimi: ergo ſunt formaliter peccaminoſi, quod tamen negant.

Reſp. 2. Non eſſe præcepti (licèt ſit conſilii) omiſſiones illas conſiteri, dummodo plenè & integrè cauſæ omiſſionum prævisarum, aut prævidendarum declarentur, & aliunde de reſtitutione, aut pœnis peccato annexis, notitia habeatur.

Objic. 6. Plus requiritur ad merendum, quàm demerendum; ſed poteſt quis mereri in ſomno, ut ſi habens in vigilia propoſitum Baptiſmi, aut Martyrii, dormiens baptizetur, aut pro Chriſto interficiatur: ergo

Reſp. Diſt. Min. Poteſt quis mereri in ſomno ex opere operantis: N. ex opere operato, ut in Baptiſmo, vel quaſi ex opere operato, ut in Martyrio: C. ſed nihil inde contra nos, cùm ad demeritum illud non requiratur libertas, ſed ſufficiat, in ſubjecto rectè diſpoſito, ſola Dei gratificantis voluntas.

Objic. 7. Somnus militis tempore ſtationis eſt peccatum: ergo poteſt quis dormiendo peccare.

Reſp. Non ſomnum, ſed applicationem ad ſomnum eſſe peccatum, eò quod tempore ſomni deſit libertas.

Objic. 8. Poteſt diſtractus involuntariè, verè orare & mereri: ergo & dormiens demereri.

Reſp. Diſparitatem eſſe, quòd actus non ſubjiciatur moraliter dormienti aut ebrio, ſicut ſubjicitur involuntariè diſtracto, qui facilè poteſt ſibi fieri præſens.

Objic. 9. S. Thomas 2. 2. q. 79. art. 3. ad 3. *Dicendum eſt quod omiſſio incipit et imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi;* atqui tempus operandi, v. g. Miſſam audiendi; erat tempore ſomni, aut ebrietatis, ut ibidem ſupponit: ergo

Reſp. S. Thom. loqui de imputatione ad culpam ſecundùm hominum exiſtimationem, qui non ſolent arguere aliquem omiſſionis niſi adſit, aut tranſierit tempus operandi; non autem de imputatione ſecundùm Deum, aliàs (quod negant adverſarii) nequidem inciperet malitia omiſſionis, quando ponitur actus omiſſionis cauſativus, cum tunc necdum ſit tempus operandi.

ARTICULUS III.

An voluntariè lapſo in infirmitatem, imputari debeant omnes omiſſiones inde ſequentes?

INordinatè bibit & comedit Petrus tempore Bacchanalium, unde infirmatur per totam Quadrageſimam, quæritur, an omnes Miſſæ, aut jejunii omiſſiones ſint ei imputabiles? Negant aliqui, etiamſi omnes illas prævideret, imò etiamſi nimio potu & crapula ſe ingurgitaverit eo fine, ut eximeretur à jejunio, & Miſſa audienda; quia ajunt, etſi peccet immoderatè vivendo, excutit tamen à ſe obligationem legis, quæ non obligat infirmos, ſed bene habentes.

CONCLUSIO I.

SE inebrians, aut ingurgitans, ut factus infirmus à jejunio Quadrageſimali, aut altero eximatur, ex tunc contrahit affectu omnes jejunii omiſſiones. Eſt contra Authores nimium carni & ſanguini indulgentes.

Prob. 1. Quia omnes illæ omiſſiones ſunt formaliter & expreſsè volitæ in cauſa; atqui ad peccandum ſufficit voluntarium in cauſa, ut concedunt omnes: ergo

Prob. 2. Quia ille de facto agit in fraudem legis; *fraus autem* & dolus nemini patrocinantur. Accedit quod reportaret commodum ex ſuo peccato; quandoquidem, illo ſecluſo, illi imputarentur omiſſiones, & illo admiſſo, non imputarentur.

Dices: lex non obligat infirmos ad jejunandum: ergo volens mediante infirmitate à jejunio eximi, non vult peccatum, ſed quid licitum.

Reſp. 1. Retorquendo Arg. Lex non obligat Clericum carentem Breviario, ad recitandum id, quod neſcit memoriter; cùm non obliget, nec obligare poſſit ad impoſſibile: ergo comburens Breviarium, ne legat Horas, non vult peccatum, ſed quid licitum.

Reſp. 2. Legem quidem non obligare infirmos ad jejunandum, obligare tamen ad non quærendam infirmitatem jejunii impeditivam. Et certè mirum eſſet, quòd magis eſſet culpabilis qui diceret ſimpliciter: *nolo jejunare in Quadrageſima:* quàm qui diceret: *volo, mediante peccato, me reddere incapacem ad jejunandum in Quadrageſima:* quid enim aliud ſonat coram Deo: *Volo me reddere incapacem ad jejunandum*, ac *nolo jejunare?* ſi ergo primo imputentur omnes omiſſiones quoad affectum, quidni & ſecundo?

CONCLUSIO II.

ETiam ſunt imputabiles, quoad affectum, omiſſiones illi, qui prævidit, aut prævidere debuit ſecuturas ex infirmitate voluntariè aſſumpta, etiamſi non eo fine intemperatè vixerit, imò optaverit eſſe capacem, poſt Intemperantiam, ad jejunandum.

Ratio eſt; quia licèt videatur nolle omiſſiones, illas tamen vult interpretativè, cùm velit & ponat cauſam, ex qua ſequuntur: unde eodem modo loquendum eſt de eo, qui mediante crapula, aut ebrietate, vult interpretativè infirmitatem impeditivam jejunii, ac de illo, qui tantùm vult ebrietatem impe-

impeditivam ejuſdem : ſivè enim mediatè, ſive immediatè impediat legis executionem, parum refert, ſi verè & realiter impediat.

Petes : quandonam cenſeatur quis ſufficienter prævidiſſe omiſſiones, ut ipſi imputentur ad culpam?

Reſp. 1. Quando eſt experientia convictus, quòd ſæpè ex ebrietate, aut infirmitate ſequantur omiſſiones illæ, etſi ſperet, aut ſibi perſuadeat non ſecuturas. 2. Quando advertit in alio æqualis complexionis ſimilia eveniſſe. 3. Quando crapula aut ſumptio potus eſt omninò extraordinaria, ita ut ſecundùm communem exiſtimationem, ſit periculum magnæ infirmitatis.

QUÆSTIO IX.

An omnia peccata ſint ejuſdem gravitatis.

DUplicem diſtinguunt Theologi gravitatem, eſſentialem unam ſeu ſpecificam, eſtque illa, quam habet peccatum ex ſua ſpecie : & Accidentalem alteram, quæ advenit actui in ſua ſpecie conſtituto. Ad hanc gravitatem reducitur. 1. Quòd actus fiat cum majori intenſione. 2. Cum majori extentione, ſive ad tempus, ut cùm actus diutiùs durat, ſive ad qualitatem objecti, ut furtum mille aureorum. 3. Cum perfectiori voluntario & libero. De gravitate Accidentali hìc non agimus, ſed de eſſentiali.

CONCLUSIO I.

PEccata ſolo numero diſtincta ſunt, per ſe loquendo, gravitate paria.

Ratio eſt; quia ſolo numero diſtincta non differunt eſſentia : ergo nec gravitate eſſentiali. Hinc omnes omiſſiones confitendi ſemel in anno, communicandi in Paſchate, audiendi Miſſam die Dominico aut Feſto, ſunt æquales; ſicut omnes fornicationes, omnia homicidia &c. Item omnes celebrationes factæ à Sacerdotibus non jejunis, ſive interim multùm, ſive parum comederint, aut biberint. Aliud eſt de modo celebrandi; graviùs enim peccat qui celebrat in loco profano, ſine lumine, & ſine vaſis ſacris, quàm qui ſine ſola Caſula. Ratio eſt; quia hic interveniunt plura præcepta formalia, vel ſaltem virtualia.

Dices : furtum unius aſſis, & furtum 100. aureorum ſolo numero differunt, cum idem habeant objectum primarium, nempe rem alienam; ſed furtum 200. aureorum gravius eſt furto unius aſſis : ergo

Reſp. Diſt. Ma. Solo numero differunt quoad ſpeciem phyſicam : tranſeat. Quoad ſpeciem moralem : N. unum enim eſt mortale, aliud veniale, quæ licèt non ſpecie phyſica differant, differunt tamen morali; & ideo concluſio intelligenda eſt de differentibus ſolo numero, non tantùm phyſicè, ſed etiam moraliter : unde volumus duo furta venialia, v. g. ſicut & duo mortalia eſſe ejuſdem gravitatis eſſentialis, licèt furtum unum mortale ſit unius aurei, & aliud centum aureorum.

CONCLUSIO II.

PEccata ſpecie diſtincta non ſunt ejuſdem gravitatis, ſed ſunt alia aliis graviora. Eſt contra Stoicos, & quoſdam hæreticos, qui volebant omnia peccata eſſe ejuſdem malitiæ; in hoc autem fundabantur, quòd omne peccatum privaret rectitudine rationis; nulla autem daretur privatio major altera; cujus ſolutionem ſuperiùs attulimus.

Prob. igitur concl. Malitia peccati deſumitur vel ex hoc, quod dedeceat rectam rationem, vel ex hoc, quod militet contra aliquam virtutem; quodlibet dicatur, datur unum majus altero : ergo

Prob. Min. Quoad primam partem; quia certum eſt magis dedecere rectam rationem, eripere vitam ab homine, quàm pataconem; Beſtialitatem aut Sodomiam committere, quam Fornicationem.

Prob. Quoad 2. partem, quia cùm detur una virtus nobilior altera, v. g. Charitas, Temperantia, conſequens eſt, ut peccatum militans contra virtutem nobiliorem ſit pejus, quàm aliud militans contra virtutem minus nobilem.

In dictis hactenus nulla apparet difficultas, ſed unde præcisè petatur peccatorum inæqualitas? nulla aſſignari poteſt regula generalis : unde aliquando petitur ex oppoſitione ad nobiliorem virtutem, ſic majus eſt peccatum odiſſe Deum, quàm occidere hominem, quia illud Charitati, hoc Juſtitiæ repugnat : aliquando ex intentione Legislatoris volentis aliqua præcepta obligare magis, quàm altera aliquando in peccatis eidem virtuti oppoſitis, ex eo, quòd unum primariò repugnet virtuti, aliud ſecundariò : ſic majus eſt peccatum Avaritia, quam prodigalitas, quia primariò inclinat Liberalitas ad dandum, ſecundariò autem ad non excedendum in donatione. Item majus eſt peccatum Superbia, quàm nimia abjectio; quia humilitas, cui opponuntur, primariò inclinat ad non appetendum immoderatè honores, ſecundariò verò, ut quis non nimiùm ſeſe abjiciat, quod poſſet eſſe peccatum in Superiore, quando ſcilicet ex nimia abjectione frangeretur regendi authoritas.

Dixi ter : *aliquando*, ad oſtendendum quod vix aliquid certi ex aſſignatis deduci poſſit pro praxi, quandoquidem dentur peccata nobilioribus virtutibus oppoſita, non tamen ideo graviora : nam furtum gravius eſt peccatum, quàm non auditio Sacri in die Feſto, cùm tamen illud opponatur tantùm Juſtitiæ, hæc Religioni. Item gravius eſt blaſphemare, quàm Deum non amare; adveniente diligendi præcepto, & tamen primum opponitur tantùm Religioni, ſecundum verò Charitati : unde ad cognoſcendam peccatorum malitiam majorem vel minorem, attendendum eſt ad prudens dictamen rationis, & commune Doctorum judicium, conſiderata peccatorum malitia, quæ quandoque major, vel minor cognoſcitur ex ipſiſmet terminis : nam de ſe patet gravius eſſe Deum, quàm hominem injuria afficere.

Interim pro praxi advertendum eſt, non debere nimium anxiari Confeſſarium circa peccata majora vel minora cognoſcenda, dummodo cognoſcat eſſe mortalia, ſciatque illorum inæqualitatem, ſaltem gravem & manifeſtamur ac eorundem ſpecificam & numericam diſtinctionem.

QUÆSTIO X.

Unde petatur diſtinctio ſpecifica peccatorum?

ADvertendum hic, præcepta inter ſe diſtingui ſpecie, non tantùm ratione principii, ſeu quia à diverſis Legislatoribus procedunt, v. g. à Deo potiùs, quàm ab homine, à Superiore Eccleſiaſtico, potiùs quàm à Civili, ſed etiam ratione objecti, ſeu juxta diverſitatem virtutum, quas præcipiunt, aut vitiorum, quæ prohibent, licèt ab uno & eodem Legislatore ferantur : unde aliud eſt ſpecie præceptum, quo Eccleſia præcipit jejunium, aliud quo præcipit auditionem Miſſæ; quia jejunium pertinet ad Temperantiam, & auditio Miſſæ ad Religionem.

Imò dari poſſunt diverſa ſpecie peccata circa eandem virtutem; nam cùm eadem virtus habeat actus ſpecie diverſos. (aliud eſt enim actus temperantiæ quo quis ſervat moderationem in cibo, alius quo eandem ſervat in ludo, aut in corporis voluptatibus) hinc eſt quòd diverſa ſpecie præcepta circa illam concurrere poſſunt. Hoc poſito

CONCLUSIO I.

NOn deſumitur pluralitas ſpecifica peccatorum ex pluribus ſpecie præceptis, quando verſantur circa eandem numero materiam ſub eodem motivo.

Prob. Quia ſenſus communis eſt, quòd qui committit Uſuram, v. g. unicum ſpecie & numero peccatum committat; at qui illa prohibetur diverſis ſpecie præceptis, cùm prohibeatur jure naturali, Divino, & humano : ergo

Dixi in concl. *ſub eodem motivo*; quia ſi res unica ſub diverſis motivis intrinſecis præcipiatur, aut prohibeatur, rem illam omittens, vel faciens, duplex committit peccatum; eo quod actus illius, aut omiſſio, privetur duplici rectitudine debita, & ideò ſit

CONCLUSIO II.

PEccata ut peccata ſpecificantur & multiplicantur ſpecie, ex diverſia ſpecie honeſtatibus, ſeu rectitudinibus debitis, quibus privant.

Prob. Concl. Peccatum ut peccatum eſt privatio rectitudinis debitæ, ſeu debitæ conformitatis cum præcepto : ergo ubi reperitur diverſitas ſpecifica privationum, reperitur & diverſitas ſpecifica peccatorum, licèt ſit unicus actus, vel plures; atqui ubi actus privatur diverſis ſpecie rectitudinibus debitis, adſunt diverſæ ſpecie privationes; quandoquidem privationes ſpecificentur à formis, quibus privant : ergo &c. Hinc

Reſol. 1. Minimum comedentem carnem die Veneris committere duplex ſpecie peccatum, ſicut & illum, qui ex præcepto Confeſſarii tenetur illo die à carnibus abſtinere. Idem eſt de aliis obligationibus eum proportione : & ratio eſt; quia quod tam Minimus, quam pœnitens, teneatur ex du-

plici motivo intrinſeco ſpecie diverſo à carnibus abſtinere; Minimus quidem ex motivo Religionis ratione voti; pœnitens verò ex motivo Pœnitentiæ ratione præcepti Confeſſarii, & uterque ex motivo abſtinentiæ ratione præcepti Eccleſiaſtici.

Reſol. 1. Furtum aut effuſionem ſanguinis in loco ſacro, item violentam clerici percuſſionem, eſſe duplex ſpecie peccatum, unum ſcilicet Injuſtitiæ ratione legis naturalis ex motivo Juſtitiæ prædicta prohibentis, alterum Sacrilegii ratione præcepti Eccleſiaſtici, ob reverentiam perſonæ & loci, illa ex motivo Religionis vetantis

Reſol. 3. Avaritiam & prodigalitatem eſſe peccata ſpecie diſtincta: nam licèt opponantur eidem virtuti ſcilicet Liberalitati, hæc tamen continet duplicem ſpecie rectitudinem, ut diximus.

Reſol. 4. Non diverſificari ſpecie peccara per oppoſitionem cum præceptis generalibus & communibus, v. g. Obedientiæ, Gratitudinis, nam quilibet actus peccaminoſus eſſet multiplex ſpecie peccatum, cum involvat quilibet Inobedientiam, Ingratitudinem, &c. unde oppoſitio illa potiùs pertinet ad gradum genericum peccati, quàm ad ſpecificum: quod tamen intellige ubi illa non intenduntur particulariter à tranſgrediente; aliàs ſi quis rem aliquam faceret, quia prohibita eſt, aut omitteret, quia præcepta reduplicativè, aut etiam ex contemptu formali Superioris, aut beneficii, ſpeciale peccatum committeret in Confeſſione neceſſariò exprimendum.

Objc. 1. Si peccata ſpecificarentur à rectitudinibus, quibus privant, eo majora eſſent peccata, quo nobilioribus rectitudinibus privarent; ſed hoc non eſt univerſaliter verum: ergo.

Reſp. Sequelam Maj. Eſſe veram, ubi concurrunt præcepta æqualiter obligantia, non tamen ubi unum præceptum obligat fortiùs, quàm aliud; quia tunc poteſt unum peccatum eſſe gravius altero, licet opponatur virtuti minus nobili, ut patet in Blaſphemia reſpectivè ad omiſſionem amoris Dei, de quibus anteà: inde tamen nihil concluditur contra nos; quia ſemper ſtat, quòd pluralitas ſpecifica peccarorum petatur ex diverſis ſpecie rectitudinibus quibus privant, licèt illorum majoritas & minoritas petatur ea præceptis magis & minus obligantibus.

Obj. 2. Actus privatus unica rectitudine debita, v. g. Juſtitiæ, poteſt eſſe duplex ſpecie peccatum: ergo

Prob. Ant. Quia poteſt habere difformitatem ad leges ſpecie diverſas, v. g. furtum ad legem naturæ, & ad legem humanam: à diverſis autem ſpecie legibus, diverſæ obligationes ſpecie oriuntur, & conſequenter diverſa ſpecie peccata, ubi adeſt tranſgreſſio.

Reſp. Neg. Ant. & Diſt. ejus probationem: poteſt habere difformitatem ad leges ſpecie diverſas materialiter & ex parte præcipientis: C. ſpecie diverſas formaliter, & ex parte rei præceptæ, aut prohibitæ: N. ab his autem, & non ab illis oriuntur diverſæ ſpecie obligationes.

Objic. 3. Peccatum, cùm ſit maximè voluntarium, debet ab eo ſpecificari, quod eſt à peccante magis intentum; ſed quod magis ab illo intenditur, eſtque ipſi magis voluntarium, eſt ipſum objectum; non autem privatio rectitudinis, cum illam tantùm velit indirectè, imò vellet non adeſſe; ergo.

Confirm. Quia ſpecies in moralibus ſumitur ab eo, quod per ſe intenditur; quod eſt objectum, & non privatio.

Reſp. Neg. Maj Quia ſi hoc eſſet, aliquando peccatum non eſſet peccatum; ſaltem quando haberet pro objecto quod non eſt intrinſecè malum; nam volens comedere carnes in Quadrageſima, v. g. magis intendit ipſam comeſtionem carnium, quàm illam ponere contra legem, & conſequenter cùm ipſa comeſtio carnium de ſe ſit quid Indifferens, ejus actio non eſſet mala, ſed indifferens; quandoquidem ſpecificaretur ab objecto indifferenti.

Ad Confirm Reſp. Hoc eſſe verum in habentibus per ſe ſpeciem; ſecus autem in peccatis quæ reductivè ponuntur in ſpecie, ſicut & reliquæ privationes.

Objic. 4. Privationes ſecundùm ſe præcisè non ſunt differentiæ conſtitutivæ peccatorum in certa aliqua ſpecie, aliàs ubicunque ſoret privatio, ſorer & peccatum: ergo id habent quòd adjunguntur ordini poſitivo ad tale vel tale objectum.

Reſp. Neg. Conſequ. Quia licèt non habeatur peccatum, niſi habeatur ordo ille poſitivus ad objectum; ille tamen non eſt niſi materiale, & fundamentum peccati formalis: unde privationes, non ab illo ordine, ſed ex eo quòd ſint talis & talis rectitudinis privationes, peccata ſpecie diverſificant.

QUÆSTIO XI.

Unde colligatur diverſitas numerica peccatorum?

ADvertendum hìc ante reſolutionem, ad ſtatuendam numericam peccatorum diſtinctionem multùm ad prudentem & communem hominum exiſtimationem eſſe attendendum, nam cum illorum numerus quæratur in ordine ad forum Sacramenti Pœnitentiæ, in quo & Rei & Judices ſunt homines, illud cenſebitur unum numero peccatum, quod, attenta prudenti hominum exiſtimatione, unicam numero habet malitiam, licèt coram Deo, & phyſicè plurimas fortè habeat malitias: quod ex dicendis clariùs patebit.

CONCLUSIO I.

NOn petitur diverſitas peccatorum numerica ex diverſis numero præceptis. Patet tùm ex communi Theologorum conſenſu, tùm ea recepta omnium Confeſſariorum & pœnitentium praxi, qui ob concurrentiam duorum præceptorum idem eodem die ſub eodem motivo intrinſeco præcipientium, non apprehendunt duplicem numero obligationem, ſed unicam ea duplici capite. Hinc

Reſol. 1. Non audientem Sacrum in die Dominico, in quem incidit feſtum alicujus Sancti, nonniſi unum ſpecie & numero peccatum committere, licèt concurrat duplex numero præceptum, unum ratione feſti, alterum ratione diei Dominicæ. Idem eſt de non iejunante in aliqua feria quatuor temporum, in quam incidit vigilia, v. g. S. Matthæi.

Nec refert, quòd legiſlator præcipiendo Miſſam in feſto S. Petri, v. g. intendat honorare S. Petrum; præcipiendo verò in Dominica, intendat ſanctificationem illius diei; quia fines illi ſunt tantùm extrinſeci & operantis, non verò intrinſeci & operis, nam finis intrinſecus hìc, eſt honeſtas Religionis: ſicut finis intrinſecus jejunii eſt honeſtas abſtinentiæ, licèt præcipiens intendat ſerenitatem, pluviam, aut pacem obtinere, vel etiam aliquem Sanctum honorare.

Reſol. 2. Idem propter eandem rationem eſſe dicendum de Franciſcano non jejunante feria 6. quatuor temporum, in quam incidit aliqua vigilia, licèt ultra duo præcepta allata, concurrat tertium ex Regula obligante ad jejunium ſingulis diebus Veneris.

Huic tamen opinioni contradicunt Vaſquez, Navarrus, Gonet, & quidam alii volentes Franciſcanum illo caſu peccare duplici peccato, ſicut & quando comedit carnes die Veneris, aut in ſacris conſtitutus non recitat officium Divinum. Quorum ratio eſt, quòd Franciſcanus voveat Regulam; & conſequenter præcepta in eadem contenta, & ideo *in caſibus* allatis etiam peccet contra Religionem, eo quod *violet* votum. Sed

Contra eſt. 1. Quòd ſi ex eo quòd voveat Regulam, obligaretur ſub duplici peccato abſtinere à carnibus die Veneris &c. etiam ſub duplici peccato teneretur ad omnia omnino Regulæ præcepta, ad non equitandum, ad non recipiendam pecuniam, ad non ferendos plures habitus, quia ad id teneretur ratione præcepti in Regula contenti, & Ratione voti, quo ſe obligaſſet ſervare Regulæ præcepta, ſicut qui vovit jejunare in Quadrageſima, obligatur ratione præcepti & ratione voti, ſicque melius eſſet, ut advertit Pater Herinx, ut omnia, quæ ſunt in Regula Fratrum Minorum, eſſent mera vota, & non præcepta; quia tunc aliquid tranſgrediendo, foret unicum peccatum

Contra eſt 2. Quòd Summi Pontifices Regulam præfatam accuratè examinantes, declarantes, ac 25. tantùm præcepta obligantia agnoſcentes, nuſquam duplicis illius obligationis meminerint, adeoque non videtur imponenda, cum ſit grave onus ſine ſufficienti fundamento.

Contra eſt. 3. Quod inde ſequatur, quòd non tantùm ad præcepta Regulæ, ſed etiam ad omnia omnino in Regula contenta obligarentur FF. Minores ratione voti, quandoquidem non dicat emittens profeſſionem: *Voveo præcepta Regulæ*, ſed *Voveo Regulam*, adeòque & alia à præceptis diſtincta, ſicque obligarentur ex voto ad laborandum, ad orandum pro defunctis &c. quam obligationem ne vel unus Franciſcanus agnoſcit: unde dicendum, quod vovens ſervare Regulam, tantùm directè voveat tria vota eſſentialia de quibus ſtatim ſubditur: *Vivendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate*, ſeu quòd voveat vitam regularem tali Religioni. Adeoque Franciſcanus ſic vovet vota eſſentialia, ut ſimul ſubjiciat ſe religioni & Regulæ, quæ præcipit, v. g. jejunium, & ponit alia præcepta, ad quæ Franciſcanus tantum obligatur intra terminos præceptorum. Hinc votum in Profeſſione emiſſum, aliquo modo cadit ſupra præcepta

Regu-

Digitized by Google

Regulæ, & aliquo modo non cadit: cadit in quantum voventem facit Regulæ ſervum, adeoque tranſgrediendo peccat, & fit punibilis, non tamen cadit ſupra præcepta, quaſi illa eſſent objectum directum voti.

Contra eſt 4. Quòd omnes omnino Religioſi violantes aliquod Obedientiæ præceptum in re gravi, duplex committerent peccatum, unum contra Religionem, quia voverunt obedientiam, adeoque & omnia præcepta ſub illa contenta, & aliud contra illam virtutem, cui opponeretur eorum Inobedientia.

Reſol. 3. Sacris Ordinibus initiatum, & ſimul Religioſum, unicum committere peccatum contra Religionem violando Caſtitatem, ad quam tenetur ex voto Sacri Ordinis & profeſſionis: quod à fortiori idem eſt de eo, qui voto ſimplici vovit Caſtitatem, & poſtea voto ſolemni. Item de eo, qui pluries vovit, vel pluries juravit facere rem aliquam, & frangit votum, vel juramentum, licèt omnes illi graviùs peccent; quia omnia illa vota, vel juramenta ſunt vincula ejuſdem ſpeciei, & relinquunt peccatum in eadem ſpecie, etiamſi vovens per iteratam voti emiſſionem intenderit ſibi novam obligationem imponere. Nec tenebitur in Confeſſione, voti ſæpius repetiti mentionem facere; quia omnia illa vota repetita ſunt ejuſdem obligationis; nam ſicut non poteſt voluntas unica vice, ſic nec pluribus vicibus diverſas obligationes aſſumere, quando materia, circa quam verſatur, eſt unica, & ſub unica ratione, & ex unica virtute.

Conſulendum eſt tamen in praxi (etiamſi non videatur abſolutè obligatorium) ut initiatus Sacris Ordinibus, præſertim Sacerdos, ac ſimul Religioſus, conditionem ſuam in Confeſſione exprimat; quia licèt polluendo ſe v. g. aut fornicando, duplex tantum ſpecie peccatum commiſerit; eò quod ultra Caſtitatem, unicam virtutem Religionis violaverit; graviùs tamen peccet, quàm ſi non foret in ſacris: & quidem, ſecundùm aliquos, multò graviùs; jam autem circumſtantias notabiliter aggravantes eſſe confitendas, ſuo loco dicemus.

CONCLUSIO I.

Colligenda eſt peccatorum numerica diverſitas ex pluribus numero rectitudinibus ſeu conformitatibus ad legem, quibus privant. Sequitur ex quæſt. præced. nam ſi ex illis ſpecie diverſis, diverſa ſunt ſpecie peccata, etiam ex illis numero diverſis diverſa eſſe numero peccata, concludendum eſt. Hinc

Reſol. 1. unico actu detrahentem de duabus perſonis, occidentem, vel odio habentem duos homines, nolentem audire Miſſam, aut jejunare duobus diebus obligatoriis, committere duo numero peccata; quia licèt ſit unicus phyſicè actus, duas tamen moraliter continet malitias.

Nec refert quòd actus, quo quis amat duos homines ſimul & ſemel, unicam habeat bonitatem; quia plus requiritur ad bonum, quàm ad malum; Præterea quid obeſt dicere, quod ille actus etiam duas habet numero bonitates, cùm videatur habere duas conformitates cum prudenti dictamine rationis, unam ſcilicet in quantùm tendit in Petrum v. g. alteram in quantùm tendit in Paulum.

Reſol. 2. Contra Navarrum & Bonacinam, volentem alicui mortem inferre & toti ejus familiæ, non comittere tantùm duo numero peccata, ſed tot, quot reperiuntur in illa perſona, ſicut duodecim committit peccata, qui blaſphemia unica appetit duodecim Apoſtolos, quidquid dicant authores præfati Ratio eſt, quod actus ille careat tot rectitudinibus, quot ſunt perſonæ occidendæ, vel impetitæ; quandoquidem non minùs debeat eſſe rectus tendens in ſecundum hominem, quàm in primum & ſic deinceps.

Nec obſtat. 1. Quod una familia in jure reputetur una perſona, adeoque & Apoſtolorum collegium quaſi unum quid reputari debeat, quia licèt in jure familia reputetur una perſona ficta, & idem videatur dicendum aliquo ſenſu de Apoſtolis; in foro tamen Sacramentali non conſideratur per modum unius: ſed tot reputantur perſonæ, quot ſunt reverà à parte rei; quia juxta communem hominum exiſtimationem non minus cenſetur commiſiſſe ſex homicidia, qui occidit ſex perſonas ejuſdem familiæ, quàm diverſæ.

Præterea ſi quis voluiſſet occidere omnes perſonas ejuſdem familiæ, in qua eſſent proprius parens, laici, & Clerici, credere ſe commiſiſſe volũtate Parricidium ratione patris, Sacrilegium ratione Clericorum, & homicidium ſimpliciter ratione laicorum: quidni ergo & varia numero peccata, ubi variæ ſunt perſonæ ejuſdem conditionis?

Nec obſtat. 2. quod volens comburere domum multis conſtantem partibus, aut ſurripere omnes oves unius gregis, vel omnes libros unius bibliothecę non tot committat peccata, quot ſunt partes in domo; quot oves in grege, vel quot ſunt libri in bibliotheca; quia omnes oves, idem eſt de aliis, reputantur communiter ab omnibus per modum unius, licèt graviùs peccet ſurripiens omnes oves, quàm ſurripiens tres tantùm, aut quatuor.

Reſol. 3. Baptizantem, abſolventem, inungentem &c. ſex perſonas v. g. in malo ſtatu, ſex committere numero peccata: quod etiam verum eſt, licèt unam immediatè poſt aliam abſolvat, baptizet &c. quia verè & realiter ſunt ſex ſacramenta integra & completa; nec ullo modo cenſentur moraliter uniri ex eo quod unum ſacramentum alteri immediatè ſuccedat. Aliud eſt probabilius, contra aliquos, de adminiſtrante communionem pluribus: quia cenſetur adminiſtratio unius & ejuſdem convivii, adeoque una moraliter actio, & unum numero peccatum, licèt tanto gravius, quanto plures perſonæ communicantur: imò hæc circumſtantia aggravans debet Confeſſione exprimi, cùm ſit notabilis; quandoquidem ſingulæ adminiſtrationes ſint de ſe ſufficientes ad peccatum mortale, ſi ſeorſim fierent; ideo exprimendus eſt in Confeſſione numerus perſonarum, aut certè, ſi numeri ſit immemor; debet exprimere tempus, dicendo, v. g. *diſtribui communionem in malo ſtatu per quadrantem*.

Sed quid de Sacerdote in malo ſtatu celebrante? unicum numero peccatum cõmittit, licèt panem & vinum conſecret, ac ſeipſum corpore & ſanguine communicet; quia etſi Conſecratio & Communio ſint duæ actiones phyſicæ, nihilominus reputantur unica actio formaliter, ſeu unum numero myſterium; eò quod Communio ſit complementum Sacrificii in conſecratione conſiſtentis: ſi tamen aliis Communionem diſtribuat, debet illud in Confeſſione exprimere, ſive dicatur eſſe novum numero peccatum, ſive tantùm circumſtantia aggravans; quandoquidem non intelligatur expreſſum in his verbis, *celebravi in malo ſtatu*, cùm ſæpiſſimè celebret Sacerdos abſque eo quòd aliis Communionem diſtribuat.

Reſp. 4. Conjugatum habentem copulam cum conjugata non ſua, committere duplex numero Adulterium licèt ſit unica actio phyſica; quia non minùs duplicem numero Injuſtitiam committit; quàm qui duos homines unico actu occidit; quandoquidem violet jus quod habet ejus uxor, ne alteri commiſceatur & aliud jus mariti conjugatæ, quam cognoſcit. Idem dic in aliis ſimilibus.

Reſol. 5. Fornicantem, aut polluentem ſe bis aut ter omnino ſucceſſivè, tot committere numero peccata; quia quælibet fornicatio, aut pollutio, eſt opus integrum & conſummatum, nec cenſentur moraliter uniri propter immediatam eorum ſucceſſionem.

Reſol. 6. Quòd plures actus phyſicè diſtincti, qui ſecundùm comunem hominum exiſtimatioñe unicam conſtituunt actionem moraliter, etiam unicum numero conſtituant peccatum in ordine ad Confeſſionem, licèt, ſi modum ordinarium notabiliter in duratione excedant, debeat tempus, quo durarunt, propter circunſtãtiam notabiliter aggravantem exprimi. Unde qui tria aut quatuor oſcula, vel totidem actus inhoneſtos exercet, qui alteri tres aut quatuor ictus infligit, qui alterum ſæpius furem, aut adulterum nominat, licèt intercedat inter illa morula phyſica, unicum committit peccatum, ſufficienterque ſeſe in Confeſſione exprimit dicendo: *Proximum graviter percuſſi gravi injuria affeci: tactus & oſcula impudica exercui*.

Sed an ſit etiam unica moralis actio, adeoque unicum peccatum, quando quis alterum injuriis, aut contumeliis ſpecie diverſis incontinenter afficit, v.g. appellando latronem, hæreticum, adulterum &c. Affirmant aliqui, negant alii; ſed ego diſtinguendum eſſe exiſtimo: vel enim ipſe impetens, impetitus, & adſtantes ſciunt omnia illa eſſe falſa; tantùmque procedere ex animo irato omnia indifferenter eructante, ut accidit ſæpe inter mulierculas; vel certe putant verè imputari: ſi primum, unicum dico eſſe peccatum: quia quælibet injuria, licèt verbo diſtincta, eundem prorſus effectum habet, nempe alterum ad iracundiam excitare, cum ſupponatur nullam eſſe honoris læſionem: ſi ſecundum dico tot eſſe peccata, non tantùm numero, ſed etiam ſpecie diſtincta, quot diſtinctæ proferuntur injuriæ; quia ſpecie differunt, quidquid in contrarium dicant aliqui: & certè læſus in honore propter impudicitiam, non cenſetur in eo læſus propter furtum aut aliud peccatum.

Reſol. 7. Actus minùs principales actum principalem antecedentes, concomitantes, aut proximè ſubſequentes, conſtituere unicum numero peccatum in ordine ad Confeſſionem cum ipſo actu principali, adeòque ſufficere illum unicum exprimere, modò tamen ex intentione, aut vi actus principalis, omnia illa fiant. Hinc qui ex intentione fornicandi, puellam ſollicitat, impudicè reſpicit, alloquitur, oſculatur, tangit, amplectitur, ac completa copula de peccato gaudet, loquitur, ac ſimilia præcedentibus exercet, unicùm peccatum fornicationis committit, modò tamen inter committendum ſubſequentia,

Digitized by Google

non adſit animus aut periculum novæ copulæ, & illa cum præcedentibus moraliter connectantur: quod cenſetur accidere, quando quis retinens penes ſe fœminam in eodem, aut ferè eodem ſitu & ſtatu perſeverat, quo peccavit. Modò etiam actibus illis Sodomitica quædam non intermiſcuerit, aliàs eſſent ſeparatim confitenda.

Similiter qui ex intentione furandi, inſtrumenta emit, portat, applicat, ac deinde furatur, unicum furti peccatum committit. Idem eſt de peccatis internis, adeoque qui ex voluntate fornicationis, turpia cogitat, tactus impuros deſiderat &c. ſeſe explicat ſufficienter in Confeſſione dicendo, quòd habuerit deſiderium fornicandi. Idem dic cum proportione de aliis peccatis internis.

Dixi: *Modo fiant ex intentione actus principalis*; nam, ut bene advertit Hurtado de Sacramentis diſp. 9. de pœnit. difficultate 6. quando actus præambuli non fiunt ex intentione actus principalis, ſed tantùm ob delectationem in ipſis repertam, debet pœnitens illos ſeparatim ab actu principali confiteri, ſi poſtea illum exerceat.

Advertendum etiam quòd debeat eſſe quidam ordo, & concatenatio actuum præambulorum cum actu ultimato, ad quem perveniunt; aliàs, ſi non ſit, non facient unum cum peccato principali. Hinc ſi quis proficiſcens ad inimicum occidendum, in itinere aliquem percutiat, ſegetes conculcet, furetur, blaſphemet &c. debet illa ſeparatim confiteri; quia non ordinantur per ſe ad homicidium; ſed tantùm ex malitia operantis.

QUÆSTIO XII.

An non petatur etiam aliunde multiplicatio peccatorum numerica?

CONCLUSIO UNICA.

TOties etiam multiplicantur numero peccata, quoties idem ſpecie actus moraliter interrumpitur, ſeu tot ſunt numero peccata intra eandem ſpeciem, quot ſunt actus voluntatis circa idem objectum moraliter diſcontinuati.

Ratio eſt; quòd, interrupto actu voluntatis, actus ſubſequens, licèt circa idem objectum verſetur, non habeat connexionem moralem cum præcedenti, nec illi ſubordinetur, ac ideo diſtincta ſit numero illius malitia à malitia actus præcedentis. Quandonam autem cenſeatur actus voluntatis moraliter interruptus ſeu diſcontinuatus? non ſatis conveniunt DD. interim pono ſequentes regulas.

REGULA I.

QUando prior voluntas vel per pœnitentiam, vel per contrariam voluntatem revocatur, cenſetur actus moraliter interruptus & diſcontinuatus; ita ut ſi quis poſtea eandem voluntatem reaſſumat, novum committat numero peccatum; quandoquidem actus illi nec ab invicem dependeant, nec in aliquo conjungantur. Hinc ſi quis velit furari, & poſtea peccati pœnitens voluntatem illam abjiciat, illamque deinceps reſumat, committit duo peccata numero diſtincta; quod etiam verum eſt, etiamſi inſtanti poſt illam retractationem, priorem voluntatem reſumeret; & ideo poſſet quis in eadem hora pluſquà viginti numero peccata committere, voluntatem ſcilicet peccandi modo abjiciendo, modò reſumendo. Similiter ſi quis Deum, aut proximum odio habeat, & poſtea amore proſequatur, ac deinceps odium reiteret, peccabit duplici peccato ratione voluntatis contrariæ inter utrumque odium intervenientis.

REGULA II.

INterrumpitur etiam moraliter actus per voluntariam ab eo ceſſationem non quidem phyſicam tantùm, ſed moralem. Hinc

Reſol. 1. Quòd ſi quis viſa puella moroſè delectetur, eandem delectationem voluntariè deſerat, & ſtatim viſa altera, aut eadem, iterum delectetur, duplex committat peccatum.

Reſol. 2. Conficientem iter trium aut quatuor dierum ad furandum, aut fornicandum, committere unicum numero peccatum furti, aut fornicationis, licèt in itinere nunc de peccato committendo, nunc de aliis rebus cogitet; imò licèt ſæpius dormiat; quia etſi voluntas illa quandoque phyſicè interrumpatur, nunquam tamen moraliter; quia prima ejus voluntas cenſetur perſeverare, ſaltem virtualiter, & interpretativè in actione itinerandi ſuſcepta.

Reſol. 3. Quidquid in contrarium dicant Suarez, Sylvius, & quidam alii, ad interruptionem moralem non ſufficere ceſſationem ab actu involuntariam, quæ accidere poteſt, vel per naturalem inadvertentiam, vel per ſomnum; quia licèt ceſſatio illa ſufficiat ad multiplicandos phyſicè actus, non tamen ad multiplicandos moraliter: & certè nunquid cenſetur una & eadem actio moraliter, Miſſa, licèt in Offertorio habeatur concio, & illius tempore parum dormiat Celebrans? unde poteſt fieri, quòd quis odio aut appetitu vindictæ proſequatur aliquem per menſem integrum, & tamen unicum numero peccatum committat in ordine ad Confeſſionem; ſi nempe toties, quoties de eodem cogitat, ſemper odio aut appetitu vindictæ in illum moveatur. Aliud eſſet, ſi ad injuriam ſibi à proximo illatam reflectens, ſeſe negativè haberet: tunc enim cenſeretur odium prius, aut vindictæ appetitus moraliter ceſſare. Nihilominus pro praxi

Advertendum 1. Quòd licèt unicum ſit peccatum moraliter, eandem peccandi voluntatem longo tempore continuare; circumſtantia tamen durationis ſit in Confeſſione exprimenda, ubi ordinarium modum excedit, hocque propter rationes ſæpius repetitas.

Advertendum 2. Quod ubi non poteſt Confeſſarius numerum peccatorum cognoſcere in odio veteri, v. g. aut in voluntate furandi, fornicandi &c. diu continuata, ſed ſæpiùs interrupta moraliter, idque propter pœnitentis incapacitatem, ſufficiat ipſi cognoſcere tempus, quo peccatum illud duravit, item frequentias occaſionum videndi, colloquendi, occurrendi &c. Et exinde numerum peccatorum, qualemcunque poterit colligere.

DISPUTATIO II.

De Peccato Mortali & Veniali.

QUÆSTIO I.

An dentur peccata Mortalia & Venialia, & unde habeatur, quòd unum ſit Mortale, aliud Veniale?

CONCLUSIO I.

DAntur de facto quædam peccata, quæ ſunt mortalia, & alia venialia.

Prob. 1. Pars. Dantur peccata, quæ generant mortem animæ, ut patet ex Script. Ezech. 18. *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur*. Et Jac. 1. *Peccatum cum conſummatum fuerit, generat mortem*; ſed ideo ſunt, & dicuntur mortalia, quia generant mortem animæ: ergo &c.

Præterea quis non videat Blaſphemiam, Perjurium, *Sodomiam* eſſe gravia peccata, quæ natura rationalis abhorret?

Prob 2. Pars 1. Ex Script. Prov. 24. *Septies cadit juſtus*; ſed certum eſt quemlibet juſtum non cadere ſepties mortaliter, etiam toto vitæ tempore, ut convincit experientia: ergo

Præterea ibi inſinuatur quòd juſtus manens juſtus ſepties peccet, ſed ſi vel ſemel peccaret mortaliter, non maneret juſtus; quandoquidem peccatum mortale tollat gratiam juſtificantem: ergo

Deinde juſtus erat Joannes Apoſtolus, & tamen dicebat Epiſt. 1. cap. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*.

Prob. 2. Ex Concil. Milevitano dicente Can. 7. hanc petitionem: *dimitte nobis debita noſtra*, juſtis etiam congruere, & Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. aſſerente peccata venialia utiliter in confeſſione exprimi: & ſeſſ. 6. dixerat, quantùmlibet juſtos venialiter peccare: ergo utrumque Concilium ſupponit dari venialia.

CONCLUSIO II.

QUòd unum peccatum ſit mortale, aliud veniale, non provenit ex ſola Dei Miſericordia nolente certum peccatum cruciatu æterno punire, licèt quodlibet de ſe illum mereatur.

Prob. 1. Ex condemnatione hujus propoſitionis Bajanæ *nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam*.

Prob. 2. Quia juxta communem hominum exiſtimationem, ſicut gravis culpa meretur de ſe gravem pœnam, ita levis culpa meretur de ſe levem pœnam; ſed peccatum veniale eſt de ſe levis culpa: ergo

Dices 1. Poteſt Deus peccato veniali infligere pœnam æternam: ergo

Reſp. Diſt. Ant. Poteſt tanquam juſtus judex: N. juſtitia enim poſtu-

poſtulat ut culpa levis leviter puniatur: poteſt tanquam ſupremus hominis Dominus, de quo poteſt pro ſuo libitu diſponere: C. ſed nego conſequentiam.

Dices 2. Potuiſſet prohibere Deus rem levem ſub pœna æterna: ergo quòd non fecerit, provenit ex ejus Bonitate & Miſericordia.

Reſp. Diſt. Ant. Potuiſſet ſecundum exigentiam naturæ: N. præter exigentiam: C. ſed inde non ſequitur quodlibet peccatum de ſe mereri pœnam æternam.

Dices 3. Pœna æterna non eſt tantum malum, quantum eſt peccatum, etiam leviſſimum: ergo

Reſp. Diſt. Ant. Non eſt tantum malum, hoc ſenſu, quòd potius deberet creatura eligere pœnam æternam, quàm peccare venialiter: C. hoc ſenſu quòd mereatur pœnam æternam: nego.

Inſt. Peccatum veniale offendit infinitam Dei Bonitatem: ergo meretur pœnam infinitam.

Reſp. Diſt. Ant. Offendit graviter: N. leviter: C. & ideo debetur ipſi pœna levis, qualis non eſt æterna.

Dices 4. Opera bona etiam leviſſima merentur vitam æternam: ergo & minima peccata æternam pœnam.

Reſp. Diſt. Ant. Merentur de ſe & ex natura ſua: N. merentur ratione conjunctionis cum gratia: C. ſed nego conſequentiam.

CONCLUSIO III.

QUod unum peccatum ſit mortale, aliud veniale, non provenit ex eo quòd peccantium unus ſit reprobus, alter prædeſtinatus, unus infidelis, alter fidelis. Eſt contra Calviniſtas volentes omnia reproborum peccata eſſe mortalia, &, omnia prædeſtinatorum venialia: & contra Lutheranos, qui dicunt infideles, dum peccant, ſemper peccare mortaliter, fideles verò, tantùm venialiter; quia (ut cum Wicleffo aſſerunt hi & illi) licèt omnia peccata ſint de ſe mortalia, Deus tamen non imputat illa prædeſtinatis, juxta Calvinum; nec Fidelibus juxta Lutherum.

Prob. 1. Concl. quia illius aſſerti nullum habetur fundamentum aut in Scriptura, aut in Conciliis, aut in Patribus, aut in ratione.

Prob. 2. Eò majus eſt peccatum, quò magis Deus cognoſcitur; ſed fideles ordinariè magis cognoſcunt Deum, quàm infideles, & prædeſtinati ſæpè magis quàm reprobi: ergo tantùm abeſt, quod minus peccent fideles & prædeſtinati, quin potiùs longè graviùs peccent: ſed non eſt credibile, quod Deus juſtus minùs imputet magis peccanti: ergo

Prob. 3. Juxta communem exiſtimationem magis dignus eſt pœna ille, qui offendit perſonam, cujus ſpecialem amorem erga ſeipſum experitur, quàm alter, qui talem amicitiam non ſentit; ſed Deus magis ſpeciali amore proſequitur prædeſtinatos, & fideles, quàm reprobos & infideles: ergo magis dignus eſt pœna fidelis, aut prædeſtinatus peccans, quàm infidelis aut reprobus. Et ecce tamen Hæretici noſtri aſſerunt Beſtialitatē, Sodomiam, Blaſphemiam, & alia enormia peccata, non niſi leviter imputari prædeſtinatis aut fidelibus: verbum autem jocoſum, aut riſum immoderatum imputari graviter, & quidem ad pœnam æternam reprobis aut infidelibus.

Dices 1. Electis omnia cooperantur in bonum: ergo &c.

Reſp. Diſt. Ant. omnia cooperantur in bonum, id eſt ipſorum peccata de ſe ſunt ipſis in bonum: N. generant enim in ipſis mortem primam, ſeu mortem animæ; & generarent ſecundam ſeu æternam, niſi de ipſis pœniterent. Omnia cooperantur in bonum finaliter, in quantùm ex peccatis commiſſis magis humiliantur & cautiores redduntur: C.

Dices 2. *Nihil eſt damnationis iis, qui ſunt in Chriſto JESU*; ad Rom. 8 ergo

Reſp. Diſt. Ant. iis qui ſunt actualiter in Chriſto Jeſu per gratiam: C. iis qui fuerunt & eſſe deſierunt per peccatum: N.

CONCLUSIO IV.

QUòd unum peccatum ſit mortale, aliud veniale, petitur ex natura rei; ita ut ſint aliqua de ſe gravia, alia de ſe levia.

Prob. 1. Ex Scriptura comparante quædam peccata cum trabe, cum camelo, quæ ſunt res graves: & quædam cum feſtuca, cum culice, quæ videntur res leves, tum in ſe, tum in comparatione trabis, aut cameli.

Prob. 2. Ex condemnatione hujus propoſitionis Bajanæ à Gregor. XIII. & Urbano VIII. *Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

Prob. 3. Quia reſpectu hominum quædam offenſæ ſunt & reputantur leves communiter: ergo etiam reſpectu Dei, quando vel materia eſt omnino levis, vel deeſt ex parte peccantis advertentia ſufficiens.

Dices 1. Quicunque peccat, peccat contra hoc præceptum maximum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: ergo peccat graviter.

Reſp. Hoc præceptum in quantùm eſt affirmativum non ſemper obligare; adeoque poſſe fieri ut peccans venialiter, illud non tranſgrediatur, ſi pro tunc non obliget: in quantum vero eſt implicitè negativum, & vetat aliquid fieri repugnans amicitiæ Dei, non violatur per peccatum veniale, cùm amicitiam illam non diſſolvat, ſicut nec diſſolvit amicitiam humanam parvula offenſa.

Dices 2. *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur*, Ezech. 18. ergo quodlibet peccatum eſt de ſe mortale.

Reſp. Diſt. Ant. Anima quæ peccaverit graviter: C. leviter N. & hoc tantùm voluit Ezechiel, cùm ibi agat de Adulterio, Idololatria, Uſura &c. quæ ſunt de ſe gravia, ſicut de peccato gravi immunditiei & iniquitatis agit Apoſt. cùm dicit ad Rom. 6. *Stipendia peccati mors*.

Dices 3. *Quicunque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus*, Jac. 2. ergo quicunque peccat, peccat graviter.

Reſp. Diſt. Ant. Qui offendit in uno, ad ſenſum illius Apoſtoli loquentis de peccatis contra legem Decalogi, & præſertim de homicidio & Adulterio, quæ ſunt de ſe mortalia, factus eſt omnium reus: C. quia perdit Charitatem, in qua omnia præcepta radicantur: qui offendit in uno leviter: N.

Dices 4. *Maledictus qui non permanet in ſermonibus legis hujus*: Deut. 27. ſed omnis peccans non permanet in ſermonibus legis: ergo eſt maledictus: adeoque peccat graviter.

Reſp. Legem ibi allatam prohibere Inceſtum, Idololatriam, & ſimilia peccata gravia, & ſic non eſt mirum, quòd illam violans ſit maledictus.

QUÆSTIO II.

Unde petenda ſit diſtinctio originaria peccatorum mortalium à venialibus?

ANtequam hæc quæſtio reſolvatur, præſupponi debet peccatum veniale eſſe triplex: Unum ex genere ſuo, quod quantumlibet intra eandem ſpeciem accreſcat, nunquam pervenit ad mortale, niſi gravitas ab extrinſeco emendicetur, ut verbum otioſum: ſicut mortaleè contra ex genere ſuo eſt illud, quod intra ſuam ſpeciem manendo, & independenter ab alio, eſt quid grave. Alterum ex imperfectione deliberationis, & tertium ex parvitate materiæ; & inde deduci poſſunt tres Regulæ 1. ex parte præcepti graviter vel leviter obligantis, 2. ex perfectione vel imperfectione deliberationis, & 3. ex quantitate materiæ.

CONCLUSIO I.

GRavis & levis obligatio præcepti colligenda eſt ex Scriptura, ſi in ea contineatur: unde ſi dicat peccatum aliquod eſſe abominabile, execrandum, horribile, dignum morte, excludens à Regno Dei, ſi dicat *Væ*, illud facienti, concludendum eſt inhibitum eſſe graviter, juxta illud Epheſ. 5. *Omnis fornicator, aut immundus......non habet hæreditatem in Regno Chriſti & Dei &c.* & ad Galat. 5. *qui talia agunt; Regnum Dei non conſequentur*. Quando autem mitius loquitur, colligitur eſſe tantùm veniale, ut cùm dicit Apoſtolus de ſtultiloquiis, ea ad rem non pertinere.

Si autem obligationis quantitas non contineatur in Scriptura, aut in aliqua lege poſitiva, recurrendum eſt ad Judicium naturale, & dictamen conſcientiæ: unde ſi ratio dictet aliqua graviter adverſari honeſtati, eſſe multùm aut Deo, aut proximo; aut ſibi injurioſa, nociva &c. Pro mortalibus habenda ſunt; ſin minùs, pro venialibus: ad quod etiam non parum conferre poteſt, tum conſenſus PP. tum judicium DD. & timoratorum.

CONCLUSIO II.

SI quis rem graviter inhibitam fecerit, aut graviter præceptam omiſerit cum deliberatione & advertentia ſufficienti, cenſendum eſt graviter peccaſſe, ſin minus, leviter. Videantur dicta de conſenſu quæſt. 3. art. 2. diſp. 1.

CONCLUSIO III.

SI illud, quod præcipitur, aut inhibetur, ſit materia gravis, illud facere, vel omittere eſt peccatum mortale: ſi materia

ria

Digitized by Google

ria levis, tantùm veniale; quia cenſendum eſt legislatorem nonniſi juxta materiæ capacitatem voluiſſe obligare: unde quando ſcriptura damnat certa peccata tanquam mortalia, non intendit propterea quòd non poſſint fieri venialia defectu materiæ ſufficientis: quis enim dicat furtum, quod eſt ex genere ſuo mortale, remanere mortale, ſi ſit tantùm ſemiquadrantis?

Porro materiæ levitas non eſt dijudicanda ex comparatione ad materiam totalem: nam poteſt fieri, ut aliquid ſit centeſima pars materiæ totalis, & tamen ſit adhuc in ſe materia gravis, ut patet in nummo aureo, qui eſt materia furti mortalis, licèt ſit tantùm centeſima pars 100. aureorum, qui nequidem ſunt materia totalis furti; cùm poſſit eſſe 1000. aureorum; & plurium: unde dijudicanda eſt materiæ levitas ex eo quòd non conducat ad finem legis gravem: ſi enim ad talem finem conducat; ſive interim ſit pars 3. ſive 4. ſive centeſima ſive milleſima, reſpectu materiæ totalis, cenſetur materia gravis & ſufficiens ad mortale: hinc laborans per tres horas in die feſto peccat mortaliter; ſicut & qui omittit Nocturnum matutini, nam licèt 3. horæ ſunt tantùm pars octava diei, & nocturnus 3. pars Matutini, ſunt tamen ſecundùm ſe ad finem legis materia notabilis. E contra verò peccat venialiter laborans per quadrantem, aut omittens pſalmum parvæ horæ, quia ſunt ad finem legis materia levis.

Quandonam autem materia graviter aut leviter ad finem legis conducat? colligendum eſt 1. ex communi DD. conſenſu, qui ſæpe plus valet in moralibus, quàm ipſa ratio: quis enim diceret, ſpectando ſolam rationem, parvulam Horam, quæ 4. parte quadrantis abſolvitur, ſicut & pauca verba in Canone Miſſæ, ad finem legis notabiliter conducere, niſi id communis Eccleſiæ & DD. conſenſus decerneret? 2. ex eo quòd multùm vel parum adverſetur fini legis neceſſariò. 3. ex certis circunſtantiis; ſic furtum acus poteſt notabiliter conducere ad finem legis non furandi, ſi ex ejus ablatione grave infertur detrimentum proximo.

QUÆSTIO III.

In quibus peccatis detur materiæ parvitas, & an multæ materiæ leves efficiant quandoque gravem?

CONCLUSIO I.

NOn poteſt dari parvitas materiæ in iis peccatis, quæ directè contra Deum committuntur, v. g. in odio, aut contemptu Dei, in Blaſphemia, Simonia, Perjurio aſſertorio, Superſtitione, Infidelitate, Deſperatione.

Ratio eſt; quia in illis peccatis, non obſtante quacunque materia apparenter parva, reperitur integra ratio, ac veluti tota quantitas irreverentiæ & deformitatis: quidquid enim in Deo oderis, contempſeris, indignè verbo aut facto tractaveris, per illud infinitam ejus bonitatem irreverenter attingis. Similiter quamcunque minimam propoſitionem à Deo revelatam negaveris, aut ipſum in teſtem rei minimæ falſæ adduxeris, mendacii capacem ipſum efficis: quod ſanè magna eſt irreverentia. Denique quamcunque Simoniam committas, cenſes practicè rem temporalem, v. g. pecuniam, eſſe pretium dignum rei ſpiritualis, ſicque rei ſpirituali magnam infers injuriam.

CONCLUSIO II.

DAtur in aliquibus peccatis materiæ parvitas, v. g. in illis quæ ſunt contra Charitatem, aut juſtitiam proximo debitam etiam contra virtutes juſtitiæ humanæ affines: item in quibuſdam contra Religionem. Ratio eſt; quia in illis nec eſt, nec reputatur moraliter integra offenſionis ratio, ut patet in furto unius aſſis, violatione voti in uno *Ave maria*, & ſimilibus.

CONCLUSIO III.

SI plurium peccatorum materiæ leves inter ſe moraliter coaleſcant, ſive ſecundùm ſeipſas, ſive ſecundùm effectum ab ipſis productum; efficiunt materiam gravem.

Ratio eſt; quia licèt materia ultimi peccati ſecundùm ſe ſit levis, ratione tamen connexionis moralis cum præcedentibus cenſetur unà cum aliis magna & notabilis. Hinc

Reſol. 1. Omittentem plures verſus in Horis ejuſdem diei peccare graviter, ſi tandem eò deveniat, ut jam partem notabilem omiſerit.

Ratio eſt; quia omnes Horæ unius diei per modum unius præcipiuntur, ut communiter cenſent DD. contra Leſſium, & quoſdam alios volentes ſingulas Horas præcipi tanquam actiones diverſas & à ſe invicem independentes, ac ideo omittentem pſalmum ex ſingulis Horis, non aliter peccare, quàm omittentem pſalmum ſeptem diebus conſequentibus, id eſt, ſepties venialiter, quia, ut ait, interveniunt ſingulis diebus ſeptem præcepta, ac ideo ſeptem peccata mortalia ubi omnes Horæ omittuntur.

Reſ. 2. Sæpius in die jejunii pauca comedentem, ſæpè in die Feſto per modica intervalla laborantem, ſingulis anni diebus unum aſſem furantem, aut dare omittentem, ſi ad id ex voto, vel aliunde obligetur graviter peccare, quia paucula illa moraliter connectuntur, cenſenturque unum quid efficere, quod ubi grave eſt, etiam grave peccatum incurritur. Idem eſt de eo, qui per modicos exceſſus in cibo aut potu ſibi tandem graviter nocet, aut de eo, qui alium ſæpius leviter percutiendo, tandem notabiliter lædit in corpore, vel in fama per varias detractiones de ſe quidem leves, ſed gravem unam in genere moris conſtituentes.

CONCLUSIO IV.

UBi plures materiæ leves non habent inter ſe connexionem moralem, vel ratione ſui, vel ratione effectus, non coaleſcunt in unam gravem.

Ratio eſt; quia non poſſunt plura unum efficere in genere moris, niſi in genere moris connectantur: ergo ubi non eſt illa connexio, nec erit illa unitas. Hinc

Reſol. 1. Clericum ſingulis diebus ex officio divino paucos verſus omittentem, Opificem ſingulis Dominicis per quadrantem operi ſervili vacantem, jejunio adſtrictum quotidiè in Quadrageſima fruſtulum panis comedentem, nunquam peccare mortaliter. Ratio eſt, quia præcepta jejunandi, non laborandi, Horas Canonicas recitandi, & ſimilia, reſpiciunt præcisè ſingulos dies in particulari, & unoquoque expirante, expirat & præceptum, ita ut peccans die ſequenti cenſeatur peccare contra aliud præceptum, & hinc fit, quòd materia peccati diei Veneris, v. g. non conjungatur cum materia peccati præcedentis diei.

Reſol 2. Idem eſſe dicendum de eo, qui obligatus ex voto recitare quotidie per annum Coronam B. Virginis, omitteret ſingulis diebus unum *Pater* & *Ave*, modo ſingula Roſaria reſpiciant ſingulos dies, aliàs ſi per modum unius omnia illa voviſſet, dicendo, v. g. voveo dicere 365. Roſaria, peccaret graviter, ubi forent tot parvæ omiſſiones, quæ unam notabilem efficerent.

Sed quid ſi voviſſet aliquis recitare ſingulis diebus *Salve Regina* in honorē B Virginis, Hymnum *Pange lingua* in honorem V. Sacramenti, Antiphonam aliquam in honorem alicujus Sancti, utrum poſſet peccare mortaliter omittendo *plura* parva ex illis? Videtur quod non, quia orationes *illæ*, *utpo*te diverſis myſteriis, aut Sanctis affixæ, non coaleſcunt moraliter in unum. Imò idem videtur dicendum, quando quis, propter idem motivum generale, v. g. in obſequium Dei vovet preces diſtinctas, v. g auditionem Miſſæ, Pſalmos Pœnitentiales &c. quia materiæ votorum habent ſe inſtar materiæ præceptorum, quæ non cenſerentur dictas materias inter ſe unire; quandoquidem communiter reputaretur reus duplicis peccati, qui auditionem Miſſæ, aut Pſalmos Pœnitentiales ſibi præcepta omitteret.

Hoc tamen intelligendum eſt ſecluſa intentione voventis, qui poſſet dictas materias inter ſe unire, & ad illas tanquam ad quid unum moraliter ſe obligare, ſicut de facto Eccleſia in die S. Marci præcipit per modum unius Officii divini Litaniæ Sanctorum cum 7. Horis ordinariis; ita ut omittens plura parva, tum ex Horis, tum ex Litaniis, peccet graviter.

Porro cenſetur vovens materias diſtinctas inter ſe unire, quando plura vovet propter idem motivum particulare, v. g. ſi quis videns domum ſuam incendio vaſtari, voveat dicere unum Roſarium, & poſtea advertens incendium ingraveſcere, voveat dicere eodem die adhuc unum: cenſetur illa inter ſe unire; ſi verò propter diverſa motiva particularia, diverſa voveat, v. g. propter incendium audire Miſſam, & propter litem decidendam, recitare eodem die Pſalmos Graduales, non cenſetur illa inter ſe unire.

Reſol. 3. Nec lethalem culpam committere illum, qui eodem die in quo concurrunt præceptum audiendi Miſſam, præceptum abſtinendi ab opere ſervili, aliud jejunandi, aliud recitandi Officium divinum &c. parum laboraret, parum comederet, parum ex Miſſa, aut ex Officio omitteret; quia illa omnia parva non faciunt quid unum moraliter, eò quòd præcipiantur ſingula tanquàm diſtincta, & à ſe invicem independentia.

Reſol 4. Dum Auguſt. in lib. de decem Chordis cap. 11. ait: *Illa dico quotidiana peccata, quæ aut per linguam facilè committuntur, ut eſt verbum durum, aut cùm labitur aliquis in riſum immo-*

Digitized by Google

immoderatum, aut in hujſumodi nugas quotidianas..... Quotidiana ſunt iſta quæ dico, ſed tamen peccata ſunt, & non levia, quia plura; tantùm velle, quòd peccata illa ſiut gravia diſpoſitivè, qui enim ſpernit venialia, faciliùs labitur in mortalia, non tamen formaliter; quia quantumcunque multiplicentur, ſecluſa materiarum connexione morali ſemper ſunt venialia, cùm propter multitudinem non mutent naturam, & conſequenter ſemper ſunt diſtinctæ ſpeciei à mortali.

Præterea mortale meretur pœnam æternam, veniale temporalem; pœnæ autem temporales, quantumcunque multiplicentur, non poſſunt æquiparari pœnæ æternæ, cum finita nunquam facere poſſunt infinitum. De;nde Eccleſia docet omnia mortalia neceſſariò eſſe confitenda, non tamen venialia, ſive pauca, ſive multa: ergo cenſet venialia, quantumcunque multiplicata nunquam conflare mortale.

QUÆSTIO IV.

An peccatum veniale poſſit fieri mortale?

NOn quærimus hic, an peccatum mortale poſſit fieri veniale: ſatis enim conſtat ex dictis poſſe fieri ratione parvitatis materiæ, & defectu conſenſus perfecti: nec quærimus, an veniale manens veniale poſſit fieri mortale? hoc enim implicat, quandoquidem eſſet veniale, & non eſſer. Sed au id, quod aliàs eſſet tantùm veniale: poſſit imbibere malitiam mortalem ratione circumſtantiæ graviter prohibitæ?

CONCLUSIO I.

POteſt peccatũ veniale fieri mortale, ratione finis mortalis.

Ratio eſt, quia media imbibunt malitiam finis, ad quem referuntur, quandoquidem volendo quis media, jam habeat affectum ad finem; affectus autem eſt ejuſdem malitiæ, ac eſt illud, ad quod eſt affectus: unde furtum clavis, etiam minimæ, eſt mortale, ſi referatur ad opprimendam puellam in ſuo cubiculo. Nolumus tamen ipſum medium habere malitiam mortalem ſpecie, aut numero diſtinctam à malitia ipſius finis: ideo ſatis eſt exprimere iu Confeſſione voluntatem finis, aut ipſum finem, ſi de facto ſequatur; quia cùm ipſum medium, ſepoſita malitia à fine emendicata, ſit tantùm culpa venialis, non eſt obligatio illud in Confeſſione exprimendi.

CONCLUSIO II.

POteſt etiam peccatum veniale fieri mortale, ſi quis in eo conſtituat finem ſuum ultimum.

Ratio eſt, quia conſtituere finem ultimum in aliquo actu, eſt illum Deo, & ejus amicitiæ præponere: quod eſt maximè inordinatum.

Porrò cenſetur quis in peccato veniali finem ſuum ultimum conſtituere, quando illud tali affectu committit, ut ſit actnaliter paratus tranſgredi præceptum graviter obligans, ut non impediatur ab ejus commiſſione: E. G. ſi Clericus mallet Horas Canonicas, quàm luſum relinquere.

Dixi: *actualiter paratus*; quia, ut bene notant Sanchez & Molina, non ſufficit affectus habitualis; quo quis opus ſuum veniale tam exerceret, licèt illud Deus graviter prohiberet, aut licèt non poſſet illud committere, niſi aliud præceptum graviter obligans tranſgrederetur: modo tameu illud veniale committens nullatenus advertat, aut advertere poſſit actualiter ad pravam diſpoſitionem; quam cenſetur aliàs habuiſſe.

Ratio eſt, quia ſicut non habitibus, ſed actibus meremur, ita nec habitibus, ſed actibus demeremur; ac ideo, ut quis in noſtro caſu peccet graviter, debet habere affectum actualem ad præfata quem in ſeipſo, aliqualiter ſaltem, advertat, aut advertere poſſit.

CONCLUSIO III.

POteſt ſimiliter peccatum veniale fieri mortale ratione ſcandali, conſcientiæ erroneæ, & detrimenti: ſcandali quidem, ut ſi puella excedat venialiter in ſuo ornatu, ex quo prævidet aliquem mortaliter peccaturum: Conſcientiæ erroneæ verò, ut ſi quis jocosè mentiatur credens, aut dubitans peccare mortaliter: Denique ratione detrimenti, ut ſi dicatur, aut fiat aliquid in ſe leve, ex quo prævidetur ſecutura læſio gravis in fama, aut in bonis fortunæ, vel etiam ndia, contentiones &c.

CONCLUSIO IV.

FIt etiam peccatum veniale quandoque mortale, ratione periculi proximi incidendi in culpam mortalem; nõ tamen ratione periculi remoti. Eſt autem periculnm remotum, in quo quis rarò peccat, proximum verò in quo peccat frequenter, vel probabile eſt, aut probabilius, attentis omnibus circuuſtantiis, peccaturum: & ideo poteſt quis eſſe in occaſione proxima reſpectu peccati, nunquàm aliàs commiſſi, ſi nempe circunſtantiæ reddant occaſionem lubricam.

Interim ad periculum proximum parum refert, ſive quis inducatur ad peccandum frequẽter peccato ejuſdem ſpeciei, ſive diverſæ: unde non minus eſt alicui occaſio proxima peccãdi perſona, ex cujus cõverſatione, modo inducitur ad blaſphemandũ, modo ad ſurandum, modo ad venerea committendum, quàm alia, à qua induceretur tantùm ad frequenter fornicandum.

Prob. autem 1. pars concl. Quia convincitur quis velle interpretativè ipſum peccatum, cujus periculo ſe exponit; quandoquidem ſciat homines ſuæ conditionis ex tali occaſione proxima frequenter induci ad mortale, vel certe experimento proprio noverit in ſe talem habere effectum.

Prob. 2. pars, quia non tenemur periculum peccati remotum vitare; & conſequenter qui, peccando venialiter, illi periculo ſe exponit, non cenſetur aliter peccare, quàm ſi tale periculum non foret; & certè ſi teneremur omnia peccandi pericula remota vitare, deberemus non tantùm omnes ludos & recreationes fugere, ſed etiam omnia negotia, dignitates, officia, imò cœlibatum, matrimonium &c. nam quid eſt in uſu hominum bono & licito, unde non poſſit pernicies irrogari? Ex dictis

Reſol. 1. Exponentem ſe periculo proximo peccandi lethaliter, eſſe reum ejuſdem materiæ ac eſt ipſum peccatum, cujus periculo ſe exponit: unde non ſufficit illi dicere in Confeſſione expoſui me periculo peccandi graviter, ſed expoſui me periculo talis peccati, v. g. fornicationis; quia eodem præcepto, quo tenemur peccatum vitare, tenemur & periculum illius proximum fugere.

Reſol 2. Chirurgum, qui debet in ſecretioribus puellæ partibus mederi: item Parochum, qui debet intrare domum illius, cum qua frequenter peccat, ut ibi parvulum morientem baptizet, aut ipſammet puellam abſolvat, debere Chirurgum, antequam incipiat, & Parochum, antequam intret, implorare fortiter opem divinam, aut etiam emittere vota quædam conditionalia, hoc vel illud faciendi, caſu quo labantur, ut ſi periculum, quod eſt proximum, fiat ratione illorum remotum.

Reſol. 3. Ablata à periculo proximitate peccandi, non eſſe ampliùs obligationem illud vitandi, cùm jam ſit factum remotum: quod non tenetur quis vitare: unde ſi cui puella rrat occaſio proxima peccandi præcisè quia comptula, aut juvenis, non tenetur illam fugere, ſi facta eſt deformis aut vetula.

Reſol. 4. Ad occaſionem uon requiri, quòd quis ratione illius ferè ſemper peccet, aut ſæpiùs peccet, quàm non peccet, ut volunt aliqui; quia aliàs peccans duodecies in menſe cum aliqua, quam quotidie iuviſit, non eſſet in occaſione proxima; quandoquidem nec fere ſemper, nec ſæpiùs peccet, quàm non peccet.

CONCLUSIO V.

DEnique poteſt peccatum veniale fieri mortale ratione contemptus formalis rei præceptæ ut præceptæ; ſeu præcipientis ut præcipientis, ſive interim præcipiens ſit Deus ſive homo.

Ratio eſt, quia, ut patebit ex dicendis grave eſt peccatum contemnere formaliter. Superiorem ut Superiorem, ſive rem præceptam ut præceptam, etiamſi levem: ergo peccatum veniale, quod fit ex tali contemptu, ſit mortale, ſeu imbibit malitiam illius mortalem.

Dixi 1. *Ratione contemptus formalis*; quia datur duplex contemptus: materialis ſcilicet & formalis. Materialis eſt, quo quis rem aliquam aliis poſtponit, licèt directè hoc non intendat, & taliter dicuntur Deum contemnere omnes peccantes mortaliter, in quantum poſtponunt Deum creaturis, ad quas convertuntur. Formalis verò quo quis alium ex directa intentione vilipendit, vel interiùs tantùm, vel etiam exteriùs verbis aut ſignis: & hic contemptus eſt peccarum ſpeciale, ſpecialiter in Confeſſione exprimendum: unde non ſufficit illi, qui non jejunavit ex contemptu Legiſlatoris, dicere: *non jejunavi*; ſed debet inſuper contemptum illum aperire.

Dices 2. *Rei præceptæ ut præceptæ*; quia contemptus rei præceptæ ſimpliciter ſine relatione ad præcipientem; non eſt ſemper peccatum mortale, ſed mortale, quando res contempta gravis eſt; veniale quando levis, cenſeturque tantùm contemptus materialis ipſius præcipientis.

Dices 3. *Seu præcipientis ut præcipientis*; quia contemptus præcipientis ut ſic, à pluribus confunditur cum contemptu rei præceptæ ut præceptæ; quia lex ut ſic contemni non poteſt, niſi per reſpectum ad Legiſlatorem, cujus poteſtas vilipenditur.

Addi-

Addidi: etiam *ut præcipientis*; quia ſi contemnatur Legiſlator, aut Superior humanus tanquam perſona defectuoſa, v. g. quia eſt homo clamoroſus, imperitus, ignobilis, imprudens, ſtupidus &c. & ex contemptu illorum defectuum, non tamen ex contemptu poteſtatis, rem ſibi præceptam nolit quis exequi, peccabit tantùm venialiter; quia contemptus ille fertur in ipſum ut hominem particularem, non ut Superiorem. Hoc tamen maximè fugiendum; quia facilè fieri poteſt, ut qui initio contemnit Superiorem propter defectus, tandem judicando Superioris incapacitatem renuat obedire, eò quòd nolit ipſi ſubjici; in quo includitur contemptus formalis Superioris ut Superioris.

Dixi denique: *Sive interim præcipiens ſit Deus, ſive homo*, licèt aliqui velint contemptum Legiſlatoris humani in materia levi non eſſe mortalem; quia contemnere voluntatem legiſlativam, aut levem quatenus reſpicientem materiam levem præcisè, non eſt abſolutè & ſimpliciter Legiſlatorem, aut ejus leges contemnere; quandoquidem ſupponatur quòd contemnens in re levi, paratus ſit in re gravi obedire, & Superioris poteſtatem agnoſcere. Nihilominus

Prob. De utroque Legiſlatore, ac 1. de Divino; quia magna eſt injuria de Deo indignè ſentire; ſed qui Dei poteſtatem, aut legem, etiam in re levi, contemnit, formaliter indignè de Deo ſentit: ergo. Imò idipſum verum eſt, licèt quis tantùm contemnat ejus conſilia Evangelica; quia etiamſi ad culpam non obligent, maximè tamen dedecet creaturam Creatoris ſui omnis ſapientiæ fontis conſilia tanquam vana aut inutilia deſpicere.

Prob. 2. De Legiſlatore humano: quia in quantùm Legiſlator & Superior, tenet locum Dei: ergo qui ipſum ut Superiorem formaliter contemnit, cenſetur ipſum Deum contemnere, juxta illud Luc. 10. *Qui vos ſpernit, me ſpernit*. Et certè ſi Rex aliquis injuriam ſuo Legato irrogatam, ſibi factam imputet, eò quòd Legatus perſonam Regiam repræſentet, quidni Deus ſibi factum imputavit contemptum Superioris? cùm hic ejus vices gerat in terris, & conſequenter quantumcunque levem materiam præcipiat, aut prohibeat, ſemper eſt peccatum grave ipſum contemnere: unde Religioſus, qui non tantùm ex pigritia, ſed etiam ex contemptu, ſtatuta aut mandata Superioris tranſgreditur, ut ſcilicet vel oſtendat ſe nihili illa facere, vel quia recuſat Superiori, aut ejus præceptis ſubjici, peccat mortaliter.

QUÆSTIO V.

An puer capax peccandi venialiter, ſit & peccandi mortaliter, & an peccatum originale poſſit eſſe cum ſolo veniali?

CONCLUSIO I.

NOn omnis puer capax peccandi venialiter, eſt capax peccandi mortaliter. Ita DD. plurimi contra Thomiſtas.

Prob. 1. Quia poteſt quis habere priùs uſum rationis imperfectum, qualis ad venialiter peccandum ſufficit, & poſtea perfectum, qualis ad peccandum mortaliter requiritur; quandoquidem uſus rationis ſucceſſivè acquiratur.

Prob. 2. Pueri comparari poſſunt ebriis, aut dormientibus, quantùm ad uſum rationis; ſed ebrii, & dormientes priùs aliquando reſumunt uſum rationis ſufficientem ad veniale, quàm ad mortale: ergo. Minor probatur ex ipſomet D. Thom. in 4. diſt. 9. q. 1. art. 4. ubi ait quòd in evigilatione ex ſomno complacere ſibi in pollutione ſit peccatum veniale, ſi ſit ex ſubreptione; mortale autem, ſi ſit cum conſenſu deliberante.

Dices 1. Qui poteſt cognoſcere materiam peccati venialis, poteſt à fortiori cognoſcere materiam peccati mortalis; ſed poteſt puer capax peccandi venialiter cognoſcere materiam peccati venialis: ergo

Minor ſupponitur. Prob. Maj. Quia materia peccatorum mortalium notior eſt, quàm venialium: nam notius eſt quòd occidere ſit malum, quàm jocosè mentiri, & ſic de aliis.

Reſp. Diſt. Min. Poteſt cognoſcere materiam peccati venialis perfectè ſecundùm totam rationem ſuæ malitiæ: N. valde imperfectè, ita ut vix ſufficiat ad peccandum: Tranſeat. Dico *Tranſeat*; quia ſuſtineo poſſe fieri, quòd puer aliquis capax peccandi venialiter, poſſit nullo modo cognoſcere malitiam peccati venialis ex ſuo genere defectu uſus rationis ad id ſufficientis: unde malè ſupponitur in objectione quòd capax peccandi venialiter, debeat poſſe cognoſcere materiam peccati venialis ex ſuo genere; quia ſufficit ad hoc quòd poſſit cognoſcere materiam peccati mortalis imperfectè, & ſic venialiter peccare defectu advertentiæ ſufficientis ad malitiam.

Dices 2. Capax peccandi venialiter, poteſt mereri: ergo poteſt & peccare mortaliter, cùm ad merendum requiratur judicium perfectum, quo intendatur honeſtas ipſa propter ſe. Prob. Ant. quia capax peccati venialis, eſt capax Confeſſionis, adeoque & Attritionis, qui eſt actus meritorius.

Reſp. Diſt. Ant. Poteſt mereri tam perfectè, quàm ſi haberet plenum uſum rationis: N. minus perfectè: C. ſed nego quòd ad taliter merendum requiratur judicium plenum & perfectum; & conſequenter nego etiam conſeq. quandoquidem ad peccatum mortale tale judicium de facto requiratur.

Ad probationem Ant. dico eſſe falſam, univerſaliter loquendo; quia poteſt quis aliqualiter apprehendere malitiam peccati, & tamen non ſufficienter apprehendere omnia requiſita ad validam Confeſſionem.

Dices 3. Si talis poteſt aliqualiter mereri, poteſt mereri Cœlum: ergo & mereri Infernum.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia Deus pronus eſt magis ad præmiandum, quàm ad puniendum, & Miſericordia ejus ſuperexaltat Judicium.

CONCLUSIO II.

POteſt peccatum veniale eſſe cum ſolo originali: Ita D. Bonav. Durand. Richard. Præpoſ. Herinx, & alii, eſtque communior hoc tempore extra ſcholam Thomiſtarum, qui ideo negant poſſe peccatum originale reperiri in eodem ſubjecto cum veniali, quia docent, teneri hominem eodem inſtanti, quo ad uſum rationis pervenit, ſeſe ad Deum convertere per amorem ipſius; ac ideo, ſi id fecerit, per gratiam ab originali juſtificari; ſi minus, peccare mortaliter ratione violationis præcepti naturalis quemlibet ad id graviter obligantis: & conſequenter non poteſt eſſe veniale cum ſolo originali.

Prob. 1. Enervando rationem Thomiſtarum; quia obligatio talis converſionis ad Deum pro illo inſtanti, nec in Scriptura, nec in Conciliis, nec in PP. imò nec in ipſa ratione fundatur; quandoquidem ratio naturalis vix ulli talem obligationem pro tunc intimaverit. Et certè ſi veritatem dicere velint ipſimet Thomiſtæ, fatebuntur ſe nunquam talem obligationem apprehendiſſe, donec Theologiam edocti id ipſum à ſuis Profeſſoribus intellexerint.

Prob. 2. Quia ſuppoſito quòd daretur tale præceptum, poteſt fieri quòd ad illud non advertat puer in illo inſtanti, aut non cogitet de Deo, aut, ſi de illo cogitet, ipſi tamen non repræſentetur ut objectum hic & nunc ſub gravi peccato neceſſariò amandum: & interim poteſt vel mentiri jocosè, vel parvum quid furari, & ſic habere peccatum veniale cum ſolo originali.

Prob. 3. Ratione quaſi, aut ferè totaliter convincente. Nemo tenetur ad moraliter impoſſibile, ſed converſio ad Deum per amorem pro primo inſtanti uſus rationis, eſt pluribus moraliter impoſſibilis: ergo Maj. certa eſt. Prob. Min. *nullus* poteſt Deum amare, niſi Deum cognoſcat, cùm *voluntas non feratur in incognitum*; ſed plurimi pro illo inſtanti Deum non agnoſcunt: nam ſi illum agnoſcerent, vel ex effectibus per diſcurſum; illius autem diſcurſus ſunt incapaces, non tantùm pueri 7. annorum, ſed plurimi & plurimi 8. aut 9. annorum; quandoquidem facultas diſcurrendi requirat expeditum rationis uſum: vel certè per revelationem; ſed hæc non fit unicuique, cùm ad primum inſtans uſus rationis pervenit, cùm non fiat communiter abſque prædicante, juxta illud Apoſt. ad Roman. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante?*

Quod confirmat ipſemet D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 1. ubi dicit dari in illis hominibus, ad quorum aures prædicatio Evangelii non pervenit, infidelitatem negativam, ſeu ignorantiam invincibilem Myſteriorum fidei: ergo cùm plurimi pueri pro primo inſtanti uſus rationis, non poſſint Deum cognoſcere, non poſſunt etiam illum amare.

Ad hanc probationem reſpondent aliqui Thomiſtæ, quòd non teneatur omnis puer pro tunc ſeſe ad Deum convertere formaliter & expreſſè, ſed eo modo, quo poteſt, juxta cognitionem, quam habet de Deo, ita ut, ſi illum explicitè cognoſcat, teneatur illum explicitè amare, ſi autem tantùm confusè, & in univerſali, cognoſcendo ſcilicet bonum honeſtum; nonniſi per amorem implicitum & virtualem debeat ſe ad illum convertere, proponendo ſcilicet ſequi in omnibus bonum honeſtum, in quo continetur Dei, illius boni finis & Authoris, amor virtualis & implicitus. Sed

Contra eſt 1. Quod amor boni honeſti ut ſic, ſit amor naturalis, qualis non ſufficit ad juſtificationem, ad quam requiritur amor Dei ut finis ſupernaturalis, qui eſt à virtute Charitatis, & ſic poterit puer, non obſtante illo amore, manere infectus peccato originali, & poſtea venialiter peccare. Præterea obſtat etiam juſtificationi, quòd plurimi tunc, ut dixi, non cognoſcant Deum per fidem, cùm dentur infideles negativè, teſte D. Thoma.

Digitized by Google

Contra eſt 2. quod bonum honeſtum io commuoi vix olli, aut fortè nemini pro tunc objiciatur, nam ſi omnes homines ad ultimum interroges, vix unum reperies, qui aſſerere aodeat ſe illius boni pro tunc propoſiti, memorem eſſe; docere autem Deum poſuiſſe omoibus præceptum de eo quod valde rarò, aot fortè nunquam objicitur, non eſt de ejus Bonitate ita congruè ſentire.

Nec refert, quòd Deus illuminet omnem hominem venientem in huoc mundum; non enim ſic illuminat, ot primo inſtanti uſus rationis, quilibet cognoſcat bonum honeſtum ot ſic, vel Deum ipſum; ſed ſicut aliqui citiùs, aliqui tardiùs cognitionem illam habeant.

Objic. 1. Tenetur homo aliquando Deum amare, & ſe ad illum convertere, juxta illud Zachar. 1. *Convertimini ad me... & convertar ad vos*; ſed non poteſt aſſignari tempus magis proportionatum, quàm illud inſtans, cùm tunc homo moraliter ingrediatur in mundum, & viam vitæ rationalis incipiat: ergo

Reſp. Neg. Min univerſaliter loquendo: nam commodiùs & meliùs aſſignatur pro prima ad Deum per amorem converſione, tempus illud, quo quis Deum, ſuamque ab illo dependentiam, tùm in eſſe naturæ, tum in eſſe gratiæ, clariùs cognoſcit; quod aliquibus prius, aliquibus poſteriùs accidit; pro tuoc enim non videtur poſſe hominem ab illo amore excuſari.

Objic. 2. Præceptum diligendi Deum eſt maximum & primum mandatum: ergo debet adimpleri primo tempore.

Reſp. Diſt. Conſeq. debet adimpleri 1. tempore quo ſufficienter proponitur: C. 1. tempore uſus rationis: N. uoiverſaliter loquendo.

Objic. 3. Angelus debuit 1. inſtanti, & 2. ſuæ creationis, Deum diligere: ergo tenetur homo idipſum præſtare 1. inſtanti uſus rationis, quod eſt quaſi 2. inſtans ſuæ vitæ.

Reſp. Diſt. Ant. debuit Angelus &c & Deum ſufficienter ad hoc non cognovit: N. & ſufficienter cognovit: C. ſed nego conſeq. de omni prorſus homine intellectam; quia non omnis homo in primo inſtanti uſus rationis Deum ad hoc ſufficienter cognoſcit.

Objic. 4. Si non daretur tale præceptum pro illo inſtanti, ſaltem omnibus, poſſet homo peccare ſaltèm venialiter antequam peccatum originale remitteretur; & conſequenter poſſet mori cum ſolo originali & veniali; ſed hoc non poteſt dici: aliàs nullus eſſet locus in quo collocaretur; non quidem in Cœlo, aut Purgatorio, cùm non eſſet in gratia: non in Limbo puerorum cum ſolo originali decedentium, quia peccaſſet actualiter: non etiam in Inferno, quia non eſſet inquinatus peccato actuali mortali.

Reſp. Quòd moriens cum ſolis originali & veniali, in Inferno puniretur, ſi ibidem puniantur decedentes cum ſolo originali: ſi autem hi ſint in loco ſeparato, illi antequam ad locum illum accederent, punirentur aliquo tempore pœna ignis in loco à Deo deſtinando, in quo nulla apparet repugnantia.

QUÆSTIO VI.

Quæ ſit pœna peccati venialis in hac, & in altera vita?

DE pœna peccatis mortalibus debita hic non agimus, cùm cuilibet Chriſtiano ſatis notum ſit eſſe privationem gratiæ in hac vita, & pœnam æternam damni & ſenſus in altera.

CONCLUSIO I.

POEna peccati venialis in hac vita, non eſt diminutio Charitatis, ſed bene illius fervoris.

Prob. 1. pars; quia ſi peccatum veniale habitum Charitatis ex parte minueret, multiplicatis venialibus, poſſet hujuſmodi habitus totaliter deſtrui; cùm non ſit ratio, cur primum veniale, potiùs illum minueret, quàm ſecundum, & potiùs ſecundum quàm tertium, & ſic de aliis: & ſic poſſet quis propter ſola venialia damnari. quod nemo fidelis dixerit.

Prob. 2. pars; quia hominem Charitate præditum ex parte retardat, aut impedit quominus perfectiſſimè Deum diligat, aut etiam peccata levia deteſtetur; & ideò dicitur Charitas tepere & frigeſcere, ſicut dicitur fervere, dum opus ſuum & officium implet.

Dices: fervor Charitatis eſt Charitas, ſicut fervor caloris eſt calor: ergo ſi culpa venialis minuit fervorem Charitatis, minuit Charitatem.

Reſp. Quidquid ſit de calore: Neg. Ant. qoia hic per fervorem non intelligimus magnitudinem, aut intenſionem habitus Charitatis, ſed frequentem illius uſum & exercitationem, quæ retardatur, aut ſuſpenditur per peccatum veniale.

CONCLUSIO II.

PEccati venialis pœna in hac vita eſt quandoque ſubſtractio gratiæ copioſioris, imò quandoque mors temporalis.

Prob. 1. pars; quia Deus cùm ſit gratiæ ſuæ Dominus abſolutus, illam à nobis quandoque ſubſtrahit ſine culpa noſtra: ergo à fortiori propter culpam.

Prob. 2. pars; quia Moyſes mortuus eſt aotequam intraret terram Promiſſionis, propter ſolum veniale, ut volunt Interpretes & DD. Similiter Oza præciſè quia manum extenderat, ut Arcam ſuſtentaret, quod erat tantùm culpa venialis.

Dices: pœna mortis eſt pœna gravis; ſed levi culpæ tantùm debetur pœna levis: ergo

Reſp. Diſt. Maj Pœna mortis eſt pœna gravis reſpectu Judicis humani, qui non ſolet tali pœna mulctare niſi graviter delinquentes theologicè, licèt ſuſtineant aliqui ad hoc ſufficere gravem culpam civilem: C. reſpectu Dei: N. cùm enim ſit Dominus vitæ noſtræ, & poſſit illam à nobis auferre ſine culpa noſtra, non cenſetur reſpectu illius pœna gravis, dum illam infligit homini propter culpam venialem.

CONCLUSIO III.

POEna peccati venialis in altera vita eſt tantùm temporalis, ſaltem in iis qui in Domino moriuntur.

Ratio eſt; quia non eſt ullo modo credibile, quòd Deus bonus & miſericors, propter levem ſui offenſam, puniat amicos ſuos & filios cruciatibus æternis.

Dixi: *Saltem in iis qui in Domino moriuntur*; quia lis eſt inter Thomiſtas & Scotiſtas, an culpa venialis in damnatis non puniatur pœna æterna, ſaltem per accidens, ob ſtatum damnationis: ob quam dirimendam ſit

CONCLUSIO IV.

POEna peccati venialis in damnatis non eſt æterna. Eſt Scoti 4. diſt. 21. q. 1. num. 16. quem antiquorum & recentiorum plurimi ſequuntur.

Prob. 1. Deus non ſumit majorem pœnam de peccato, quàm mereatur, cùm proclivior ſit ad ignoſcendum, quàm ad puniendum; ſed peccatum veniale tantùm meretur pœnam temporalem: ergo

Dices, mereri quidem tantùm pœnam temporalem per ſe, per accidens tamen ratione ſtatus damnationis, vel conjunctionis cum mortali, mereri pœnam æternam. Sed

Contra eſt, quòd pœoa infligitur propter malitiam, & major pœna propter majorem malitiam; ſed veniale non contrahit majorem malitiam; eò quòd ſit cum ſtatu damnationis, aut cum peccato mortali: ergo

Prob. 2. Nullum eſt inconveniens dicere quòd damnati per certum tempus graviùs puniantur propter venialia, quibus ſolutis, pœna minuatur; cùm nulla ſit gratia, aut redemptio, ſed vera debiti ſolutio ad ultimum rigorem; ſicut rigoroſè diceretur pœnam ſolvere, qui perpetuò condemnatus ad triremes & flagellationem, ibidem 1. die recipiendam, non amplius flagellaretur 2. die.

Dices 1. Non poteſt relaxari pœna ſine Chriſti meritis; ſed non voluit Chriſtus ſua merita eſſe cum damnatis communia: ergo

Reſp. Diſt. Ant. Non poteſt relaxari pœna debita ſine Chriſti meritis: C. pœna ex parte ſoluta, & ex ea parte qua ſoluta eſt: N. jam autem quando damnatis relaxatur pœna temporalis, quæ eſt ipſis inflicta propter venialia, illam ſufficienter ſolverunt, ſeu pro illis venialibus ſatis paſſi ſunt.

Inſt. 1. Pœna peccatis venialibus damnatorum debita, ſemper eſt debita. Prob. Aſſump quamdiu quis eſt io culpa, tamdiu pœnæ reus & debitor eſt; ſed nunquam damnatis remittitur culpa venialis: ergo &c.

Reſp. Neg. Aſſump. ad probationem Diſt. Maj quamdiu quis eſt in culpa, debitor eſt pœnæ, ſi illam non ſolvit: C. ſi illam ſolvit: N. unde poteſt quis remanens in culpa veniali (ſicut de facto remanent damnati cum illis venialibus, cum quibus diſceſſerunt) ſufficienter pro illa ſolviſſe, ſicque non eſſe ulteriùs debitor pœnæ: quod manifeſtè declaratur exemplo: nam ſi quis graviter, aut leviter offendiſſet ſuperiorem, & ab eo pœnam culpæ proportionatam recepiſſet & ſolviſſet, ille non diceretur amplius debitor pœnæ, licèt de facto Superior maneret ipſi offenſus, nec illi culpam commiſſam condonaret. Applica ſimiliter in noſtro caſu.

Inſt. 2. Ideo præciſè quis meretur pœnam, quia habet culpam; ſed damnatus ſemper habet culpam venialem, cum qua diſceſſit: ergo ſemper meretur pœnam.

Reſp.

Reſp. Cauſalem eſſe falſam; nam non ideo præciſè meretur quis pœnam, quia habet culpam, ſed quia habet culpam pro qua necdum ſufficienter ſolvit: unde ſemper quidem comitatur peccati maculam dignitas pœnæ ſolutæ aut ſolvendæ, non tamen ſemper pœnæ ſolvendæ.

Dices 2. Si viator ſemper continuaret aliquod crimen, ſemper mereretur pœnam, licèt illam quandoque ſolveret; atqui damnatus ſemper continuat crimen quo eum mortuus eſt. ergo.

Reſp. Neg. Conſeq. diſparitas eſt, quòd viator ſit in ſtatu demerendi, & ſic licèt ſolvat pœnam pro crimine, ſemper tamen meretur novam, eò quòd crimen continuet: damnatus autem, ſicut non eſt in ſtatu merendi, ita nec in ſtatu demerendi; & ideo, ſoluta pœna crimini in via commiſſo debita, nihil reſtat ſolvendum; quandoquidem criminis continuatio in illo nullam pœnam mereatur.

Dices 3. Damnatus non poteſt ſatisfacere pro peccatis, cùm pœnam ſuſtineat invitus: ergo

Reſp. Diſt. Ant. Non poteſt ſatisfacere ſatisfactione rigoroſa: C. hæc enim poſtulat voluntariam pœnæ acceptationem: ſatisfactione latè ſumpta pro ſatispaſſione N. nam ſicut poteſt ſatis-pati pro mortalibus, ſubeundo pœnam æternam, ita & ſatis-pati pro venialibus, ſubeundo pœnam temporalem. Et certè ſi reus ſecundùm communem exiſtimationem ſatis-patiatur pro crimine ſubeundo pœnam proportionatam, licèt invitus, quidni & ſatis-pateretur damnatus?

Inferes: Si poſſit damnatus ſatisfacere pro venialibus: ergo poſſumus & pro ipſis orare, Sacrificia offerre, Indulgentias lucrari &c. ut eorum pœnæ abbrevientur.

Reſp. Neg. Illat. Cùm enim damnatus ſit extra Communionem Sanctorum, non poſſunt ei ſuffragia noſtra prodeſſe.

Objicere ſolent nonnulli, ad ſatisfaciendum pro peccatis requiri ſtatum gratiæ qualis non eſt in damnatis; ſed oſtendunt contrarium Scotiſtæ in 4. Sentent. ubi probant ſatisfactionem Sacramentalem in ſtatu peccati mortalis adimpletam, eſſe verè ſatisfactionem; quandoquidem ſit verè punitiva peccati & ſolutiva pœnæ, licèt non ſit meritoria; & ideò nonniſi in ſtatu gratiæ conſulenda & practicanda. Ex dictis

Reſol. 1 Quòd damnatis nulla fiat gratia, favor, redemptio, aut pœnarum mitigatio; quia licèt mitiùs puniantur poſtea, quàm initio, ſolvunt tamen ad ultimum rigorem quidquid debent; quandoquidem, ſolutis venialibus, pro quibus initio acerbiùs cruciantur, nihil aliud debeant quàm pœnam peccatis mortalibus debitam.

Reſol. 2. Idem, propter eandem rationem, eſſe dicendum de peccatis mortalibus remiſſis, ſed nondum plenè ſolutis; cùm illis, ſicut & venialibus, debeatur tantùm pœna temporalis.

DISPUTATIO III.

De Peccato Originali.

QUÆSTIO I.

An quilibet ſecundùm legem communem ab Adamo propagatus contrahat peccatum originale?

NEgavit occultè Rufinus, & poſt ipſum apertè Pelagius naturæ amicus, gratiæ inimicus, qui docuit Adæ peccatum ipſi ſoli nocuiſſe, tum in anima, tum etiam in corpore; ac ideò ejus poſteros non tantùm nullum in anima peccatum contrahere, ſed etiam nullos in corpore defectus, quos omnes ipſis naturales eſſe aſſeruit.

Diſcipuli tamen Pelagii hanc hæreſim aliquo modo temperarunt aſſerentes eos, qui deſcendunt ex Adamo, neceſſitatem mortis corporeæ, & pœnarum temporalium contraxiſſe ex peccato illius, non tamen aliquod peccatum: unde communis fuit Pelagii & Pelagianorum expoſitio, hæc verba ad Rom. 5. *In quo omnes peccaverunt*, intelligenda eſſe ſecundùm imitationem, non verò ſecundùm propagationem: ſed quàm infundata ſit hæc expoſitio, inde ſolum patet, quòd pluſquam media pars hominum moriatur, antequam ſint peccati committendi capaces: quomodo autem illi Adamum imitarentur peccando, quibus peccatum eſt impoſſibile? Hinc errorem jam ſopitum denuò excitarunt Armeni, Albigenſes, Albanenſes, & Anabaptiſtæ, quorum ultimi voluerunt ideo pueros non eſſe baptizandos. Contra quos omnes, ſicut & contra Zuinglium, & quoſdam alios ſit

CONCLUSIO UNICA.

OMnis homo ab Adamo naturaliter propagatus contrahit peccatum originale, ſi B. V. Mariam exceperis. Eſt de Fide.

Prob 1. ex Script. ad Rom. 5. *Sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, ita & in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*; ſed non peccaverunt omnes perſonaliter, cùm tunc non eſſent: ergo originaliter.

Dices hæc verba: *Per unum hominem peccatum in Mundum intravit*, accipienda eſſe hoc ſenſu, quòd Adam primus omnium peccaverit, non verò quòd ejus poſteri, illius peccato fuerint infecti, adeoque verba ſequentia: *in quo omnes peccaverunt*, intelligenda eſſe ſecundùm imitationem, non ſecundùm propagationem. Sed

Contra eſt, quòd conſtet peccatum Angelorum fuiſſe in mundo ante peccatum Adami. Quòd ſi de hominibus ſit ſermo, conſtat etiam Evam peccaſſe antequam peccaret Adam, ſicque non deberet dicere Apoſtolus per unum hominem peccatum intraſſe in mundum, ſed per unam fœminam.

Nec dici poteſt per hominem, quod eſt nomen communis generis, intelligere Evam; quandoquidem addat: *in quo omnes peccaverunt*, ubi relativum *in quo* maſculinum eſt. unde ſenſus D. Pauli eſt peccatum per Adam intraſſe in mundum, hoc eſt, in Genus humanum, quod ſæpe in ſcriptura intelligitur nomine *mundi*: hocque confirmant verba inferiùs relata, *per inobedientiam unius peccatores conſtituti ſunt multi*, ubi per ly *multi*, intelligit omnes Adami poſteros, qui ſunt verè multi.

Ratio autem cur dixerit Apoſtolus *multos*, & non *omnes*, ſicut dixerat ſuperiùs, eſſe poteſt, ut oſtenderet quod ly *omnes* non eſſet ita univerſaliter accipiendum, ut nulla prorſus foret exceptio; quandoquidem nec Chriſtus, nec Eva, nec B. Virgo in Adamo peccaverint.

Præterea quandoque in Scriptura pro eodem ſumuntur *multi & omnes*; nam Gen. 17. dixit Deus Abrahamo: *Patrem multarum gentium conſtitui te*, & c. 22. *Benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes.* Ubi ſecundùm Auguſt. ſicut ſumitur ly *multarum* pro *omnium*, & ly *omnes* pro *multæ*; ita etiam ly *multi* pro *omnes*, & ly *omnes* pro *multi*.

Prob. 2. Ex veteri Teſtamento: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*: Pſal. 50. ubi David, ut docuit eleganter Auguſtin. non loquitur de peccato actuali ſuorum parentum; cùm genitus fuerit ex Matrimonio legitimo, & parentibus juſtis, ſed de peccato originis, in quo conceptus eſt, quod pluraliter appellat iniquitates & peccata; quia peccatum originale, eſt origo & ſeminarium omnium peccatorum.

Eandem veritatem aperuit Job, cùm dixit cap. 14. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es?* ſcilicet mundus. Quid clarius? tranſtulerunt ſeptuaginta: *nemo mundus à ſorde, nec infans, cujus eſt unius dies vita.*

Prob. 3. Ex Conciliis, Paleſtino, in quo damnata fuit Pelagii hæreſis, Milevitano 2. can 2. Arauſicano 2. can 2. Florentino in decreto Eugenii, & Trid. Seſſ. 5. can. 2. ubi iiſdem Conciliorum Milevitani & Arauſicani verbis hanc veritatem nobis aperit.

Prob. 4. Ex PP. Cypriano lib. 3. Epiſt. 8. ad Fidum; *Infans recens natus .... contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit.* Origine hom. 8. in Leviticum poſt init. *Quæcunque anima in carne naſcitur, iniquitatis & peccati ſorde polluitur.* Ambroſio in Pſal. 50. *Antequam naſcamur, maculamur contagio, & ante uſuram lucis, originalis ipſius excipimus injuriam, in iniquitate concipimur.* Auguſt. in Pſal. 50. *Quid eſt quod ſe dicit*, nempe David, *in iniquitate conceptum, niſi quia trahitur iniquitas ex Adam*: & Anſelmo lib. de conceptu virginali cap. 7. *in Adam omnes peccaverunt, quando ille peccavit.*

Prob 5. Argumentis Theologicis 1. *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*: 2. ad Corinth. 5. ergo omnes indiguerunt Redemptione & conſequenter omnes peccaverunt; ſed non omnes peccaverunt actualiter, cùm multi moriantur ante uſum rationis: ergo originaliter.

2. Nullus poteſt ingredi Cœlum, niſi baptizatus, ex Joan. 3. ſed ſolum peccatum impedit ingreſſum Cœli: ergo omnes maculantur peccato, non quidem actuali, propter rationem dictam: ergo originali.

3. Exorciſmus, inſufflatio, & renuntiatio, quæ ab Eccleſia ante Baptiſmum adhiberi ſolent, denotant baptizandos, eſſe ſub poteſtate dæmonis; ſed non niſi in peccatores habet poteſtatem: ergo.

Obji. 1. *Filius non portabit iniquitatem patris*, Ezechiel. 18. ergo Adæ filii non contrahunt peccatum originale.

Reſp.

Reſp. 1. Neg. Conſeq. quia peccatum originale non eſt ſolius Adami, ſed etiam filiorum ejus; quandoquidem non ipſe ſolus: ſed etiam filii in ipſo peccaverint: nam in illo velut humanæ naturæ capite conſtituti, Dei legem cum ipſo tranſgreſſi ſunt, ſicque ferunt iniquitatem, non patris, ſed propriam.

Reſp. 2. Locum illum Ezechielis intelligendum eſſe de iniquitate perſonali, non originali.

Objic. 2. Lex de non comedendo fructu fuit data Adamo, non ejus poſteris: ergo illo peccante non peccaverunt filii.

Reſp. Neg. Ant. nam cùm omnium voluntates eſſent moraliter in Adamo conſtitutæ, inſeque perſonam omnium gereret, lex ipſi data, cenſetur & moraliter data fuiſſe illius poſteris.

Objic. 3. Apoſt. ad Rom. 5. dicit: *Regnavit mors uſque ad Moyſen, etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*; ergo cenſet non omnes in Adam peccaſſe.

Reſp. Neg. Conſeq. quia per illa verba, *qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*, tantùm vult Apoſt. quòd illi, qui non peccaverunt actualiter, ſive voluntate propria, ſicut fecit Adam comedendo fructum vetitum, morti fuerint obnoxii, & ita explicat Auguſt. lib 1. *de peccatorum meritis* c. 11. in quo nihil eſt impugnans, ſed potius propugnans ſententiam noſtram.

Quando autem dicit ibidem Apoſt. gratiam Chriſti in plures abundaſſe, quàm Adami peccatum, dicendum eſt vel per ly *plures* non facere comparationem, ſed intelligere multos, ut intelligit Auguſt. vel certè totum eſt concedendum; quandoquidem in Evam & B. Virginem abundaverit Chriſti gratia, in quas non abundavit Adami peccatum.

Objic. 4. Chryſoſtomus Homilia ad Neophytos, tom. 5. *Infantulos*, inquit, *baptizamus, quamvis non ſint coinquinati peccato*: ergo non admittit in illis culpam originalem.

Reſp. 1. in Codicibus editis Pariſiis anno 1556. haberi: *Infantulos baptizamus, ut non ſint coinquinati peccato*: ergo ſupponit coinquinatos.

Reſp. 2. Ipſum eſſe intelligendum de peccato perſonali, ut intelligit Auguſt. lib. 1. c. 2. circa med. contra Julian. ubi ait: *comparans ergo eos* (ſcilicet parvulos) *Joannes* (ſcilicet Chryſoſtomus) *majoribus, quorum propria peccata dimittuntur in baptiſmo, dixit illos non habere peccata* (ſcilicet perſonalia) ſicut habent aut habere poſſunt majores.

Objic. 5. Auguſt. l. 16 de civit. Dei c. 27. docet parvulos naſci *non propriè, ſed originaliter peccatores*: ergo cenſet originale non eſſe propriè peccatum.

Reſp. Neg. Conſeq. & dico Auguſtinum tantùm velle parvulos non eſſe propriè, ideſt, propria voluntate peccatores, quamvis verè & propriè coinquinentur peccato, ut declarat Trident. Seſſ. 5. can. 2. ubi anathematizat aſſeverantem Adæ prævaricationem in omne genus humanum non transfudiſſe peccatum, quod eſt mors animæ.

Objic. 6. Anima à Deo creatur: ergo non eſt infecta peccato originali. Ant. certum eſt. Prob. Conſeq. quia aliàs Deus eſſet cauſa peccati; nam quidquid convenit rei ab origine, producenti attribuitur.

Reſp. Neg. Conſeq. ad probationem diſt. aſſump. quidquid Phyſicum convenit rei ab origine, producenti attribuitur: C. quidquid morale: N. jam autem nihil eſt phyſicum in parvulis, quod habeat rationem peccati, ſed bene morale, ſcilicet ipſum Adæ peccatum quatenus moraliter noſtrum, & in nobis moraliter perſeverans, donec remittatur.

Objic. 7. De ratione peccati eſt eſſe voluntarium; ſed in pueris ante uſum rationis nihil poteſt eſſe voluntarium: ergo &c.

Reſp. Diſt. Maj. De ratione peccati eſt eſſe voluntarium voluntate propria, vel aliena: C. ſemper propria: N. unde licèt ad peccatum perſonæ requiratur voluntas perſonalis; non tamen ad peccatum naturæ, ad quod ſufficit voluntas capitis, ex qua tota natura vitiata eſt; jam autem peccatum originis, quod contrahunt parvuli, non eſt peccatum perſonæ, ſed naturæ: quod rectè probant Theologi illis verbis Apoſtoli Epheſ. 2. *Eramus natura filii iræ*.

Inſt. 1. Peccatum originale eſt peccatum parvuli: ergo debet eſſe voluntarium voluntate parvuli.

Reſp. Diſt. Ant. Eſt peccatum parvuli tanquam Phyſicè committentis: N. tanquam moraliter committentis, quatenus ſcilicet ejus voluntas poſita fuit in voluntate Adami ab ipſo Deo voluntatum noſtrarum ſupremo Domino, ſicut ponitur à Principe voluntas pupilli in voluntate Tutoris: C. ſed ad hoc non requiritur voluntarium perſonale.

Inſt. 2. Peccatum originale nullo modo eſt à principio intrinſeco parvuli: ergo nullo modo eſt ipſi voluntarium.

Reſp. Diſt. Ant. Nullo modo phyſicè eſt à principio intrinſeco parvuli: C. moraliter: N. eſt enim ab Adamo perſonam omnium hominum gerente; adeoque, cùm ſit ipſi Phyſicè intrinſecum, reputatur hominibus intrinſecum moraliter.

Inſt. 3. Si peccatum originale propter hoc eſſet nobis moraliter voluntarium, omnia alia ejus peccata, eſſent etiam nobis moraliter voluntaria: ſed hoc nemo dixerit: ergo nec illud eſt aſſerendum.

Reſp. Neg. Sequel. Maj. Quia conſtat nobis ex Script. Concil. & PP. Adam fuiſſe conſtitutum caput poſteritatis quantùm ad præceptum de non comedendo fructu vetito; quantùm autem ad alia præcepta, ex nullo prorſus capite conſtat; & ideo primum aſſerimus, ſecundum negamus.

Objic. 8. Parvuli non ſunt liberi ut vitent originale: ergo illud non contrahunt; cùm nemo peccet in eo quòd vitare non poteſt.

Reſp. Diſt. Ant. Non ſunt liberi in ſe: C. non fuerunt liberi in Adamo vices eorum gerente. N.

Objic. 9. Si hoc eſſet, Matrimonia eſſent vitanda; quandoquidem forent ſeminaria peccatorum.

Reſp. cum Auguſt. Matrimonia & generationes producere perſonas, non peccata: nam licèt parentes gignendo filios, propagent naturam vitiatam & corruptam; quia tamen hujus corruptionis cauſa, non eſt viri & fœminæ conjunctio, ſed Adæ prævaricatio, ideo culpa non in ipſos, ſed in Adam eſt refundenda; verum quidem eſt, quòd non generando impedirent aliqua originalia; ſed non eſt obligatio impediendi peccatum alterius, quando adeſt juſta cauſa non impediendi; hic autem bonum commune naturæ humanæ, quod in ejus propagatione conſiſtit, præbet cauſam ſufficientem parentibus Matrimonium exercendi.

Objic. 10. Adamo & parentibus immediatis remiſſum eſt peccatum originale: ergo non poſſunt illud in parvulos transfundere; cùm nemo det quod non habet.

Reſp. Cum Auguſt. Quòd ſicut triticum purgatum producit aliud non purgatum, ſed paleis involutum, quia hoc & illud eodem modo naſcuntur; ita parentes mundati producunt filios immundos, quia hi & illi eodem modo generantur, nempe ex virtute ſeminis & concupiſcentia naturæ corruptæ, in qua virtute præhabent parentes virtualiter peccatum originale, à quo formaliter per Baptiſmum mundati ſunt: quod ſufficit, ut illud in proles transfundere poſſint.

QUÆSTIO II.

In quo conſiſtat formaliter peccatum originale?

HOc peccato antiquo *nihil eſt ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum ſecretius*, inquit Auguſt. lib. *de moribus Eccleſiæ* c. 22. ac ideo tot circa illius naturam prodierunt opiniones, ut dicere liceat: quot capita tot ſententiæ: antequam tamen probabiliorem ſtabiliamus, quædam antea breviter refutabimus.

CONCLUSIO I.

PEccatum originale non eſt qualitas animæ morbida, ab alia morbida qualitate in carne ſubjectata in ipſam derivata. Eſt contra Gregor. Ariminenſem, Gabrielem, & Guilielmum Pariſienſem, qui volunt carnem Adæ peccato infectam, inficere & ipſam animam, ſicut vas gravè-olens & fœtidum inficit liquorem in eo receptum.

Prob. 1. Quia qualitas materialis non poteſt producere qualitatem ſpiritualem, cùm ſit extra ſphæram illius activitatis; ſed illa qualitas morbida in carne eſſet materialis: ergo non poſſet producere qualitatem in anima, quæ deberet eſſe ſpiritualis.

2. Quia nullam qualitatem experitur homo in anima aut corpore ante Baptiſmum, quam non experiatur poſt illum.

3. Quia illa qualitas in anima deberet eſſe cauſa cujuſdam languoris ad bonum, & propenſionis ad malum, cùm illius qualitatis nullus alius appareat effectus; ſed etiam baptizati illos effectus in ſe experiuntur, licèt non habeant qualitatem illam morbidam: ergo. Unde ſi qui PP. dicant animam conſortio corporis maculari, langueſcere &c. nolunt propterea poni qualitatem aliquam phyſicam in anima, ſed tantùm hoc intelligunt moraliter, quatenùs homo peccato originali infectus ita ſe habet negligenter ad bonum, & avidè ad malum, ac ſi de facto haberet in ſe qualitatem aliquam morbidam.

CONCLUSIO II.

PEccatum originale non eſt etiam formaliter concupiſcentia habitualis, ſeu fomes peccati. Eſt de Fide contra Lutheranos & Calviniſtas.

Prob. Poſt Baptiſmum remanet in nobis juſtis concupiſcentia & fomes inclinans ad peccatum, ut convincunt nos motus inor-

Digitized by Google

inordinati, quos etiam inviti patimur; ſed non remanet peccatum originale; quia *nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto JESU*, ad Rom. 8. cùm tollatur per Baptiſmum quidquid habet veram & propriam rationem peccati, ut definitur in Trid. ſeſſ. 5. can. 5. ergo &c. Unde ſi quandoque Scriptura, aut PP. concupiſcentiam vocent peccatum, intelligendi ſunt, non formaliter, ſed vel effectivè, in quantùm eſt effectus peccati originalis, vel cauſaliter, in quantùm eſt cauſa peccati actualis, vel utroque modo, ut ſæpe diximus.

CONCLUSIO III.

NEc eſt culpa originalis ipſa animæ rationalis ſubſtantia per Adami peccatum ſubſtantialiter vitiata, & ex imagine Dei, quam in creatione acceperat, in imaginem diaboli transformata, ut ſomniavit Matthias Flaccius Illiricus.

Ratio eſt 1. Quia per Baptiſmum tollitur originale; ſed non tollitur aliquid de ſubſtantia animæ cùm ſecundùm ſe totam ſit immortalis & incorruptibilis: ergo.

2. Deus cauſat totam animæ ſubſtantiam, & non cauſat peccatum, cùm non poſſit eſſe illius author; ergo.

3. Hic error coincidit cum hæreſi Manichæorum aſſerentium peccatum eſſe quandam ſubſtantiam.

CONCLUSIO IV.

NOn poteſt etiam dici conſiſtere formaliter peccatum originale in privatione Juſtitiæ originalis Eſt contra Thomiſtas communiter, qui volunt fomitem concupiſcentiæ, ut habet annexam privationem juſtitiæ originalis debitæ, eſſe peccatum originale, ita tamen, ut fomes ſit velut materiale, & privatio formale: unde D. Th 1. 2. qu. 82. art. 3. *Peccatum originale materialiter quidem eſt concupiſcentia, formaliter verò eſt defectus originalis juſtitiæ*.

Prob. 1. Peccatum perſonale habituale non conſiſtit in privatione gratiæ, ut ſuo loco oſtendimus: ergo ſimiliter peccatum originale, quod eſt habituale, non conſiſtit in privatione juſtitiæ originalis, cùm videatur par ratio: unde probationes illic allatæ, hic poſſunt inſervire.

Prob. 2. Peccatum originale eſt propriè peccatum; ſed privatio juſtitiæ originalis non eſt propriè peccatum, cùm ſit à ſolo Deo, qui ſicut poteſt ſolus Juſtitiam originalem creaturæ conferre, ita ſolus eandem ab illa auferre: ergo &c.

Prob 3. Poteſt quis habere privationem Juſtitiæ originalis, & tamen non habere peccatum: ergo.

Prob. Ant. Quia ſi Deus dediſſet alicui homini Juſtitiam originalem, ſicut dedit Adamo, poſſet illam ab eo auferre citra omne peccatum; quia ſicut non tenetur illam conferre; ita nec tenetur datam conſervare; atqui, illa ablata, haberet privationem Juſtitiæ originalis ſine peccato: ergo.

Prob. 4 Privatio Juſtitiæ originalis eſt pœna inflicta propter peccatum originale: ergo non eſt ipſum originale; quandoquidem pœna præſupponat culpam; idem autem non poſſit ſeipſum præſupponere.

Prob. Ant Quia vera eſt hæc cauſalis: ideo Adamus & ejus poſteri privantur juſtitia originali quia peccaverunt originaliter, quod fatetur ipſemet D. Th. ſup. quæſt. 85. art. 5. ubi ſic ait: *Subtractio originalis Juſtitiæ habet rationem pœnæ*: Et quæſt. 5. de malo art. 1. *conveniens pœna peccati originalis*, inquit, *eſt ſubstractio gratiæ*.

Nec dicas cum Thomiſtis privationem Juſtitiæ originalis conſiderari poſſe dupliciter: 1. ut tollit debitam ſubjectionem appetitus inferioris ad ſuperiorem, & ſic eſſe pœnam: 2. ut tollit ſubjectionem Deo debitam, & ſic eſſe culpam; quia quocunque modo ſumatur, ſemper eſt poſterior peccato originali, cùm propter illud infligatur. Pro ſolvendis objectionibus

Adverte 1. Si quæ Concilia, aut PP dicant peccatum originale eſſe mortem animæ, nuditatem aut privationem Juſtitiæ originalis, intelligi debere non formaliter, ſed cauſaliter, in quantùm illa cauſat peccatum originale.

Adverte 2. Peccatum originale verè transfundi & ineſſe Adæ poſteris, non quidem phyſicè, ſed moraliter, ſicut peccatum perſonale verè ineſt peccatori poſt illius commiſſionem, licèt non ſit in illo phyſicè, ſed tantùm moraliter.

Adverte 3. Quod per ſe primò tollitur per Baptiſmum, non eſſe privationem gratiæ ſanctificanti, ſed ipſum peccatum, quo ſublato, infunditur gratia, per cujus infuſionem tollitur ipſius privatio: unde primarius Baptiſmi effectus eſt peccati remiſſio, gratiæ autem infuſio, ſecundarius.

Adverte 4. Privationem Juſtitiæ originalis non eſſe formaliter averſionem habitualem à Deo ut fine ultimo; nam, ut diximus, poſſet quis ſine culpa habere talem privationem, adeoque ſine averſione habituali à Deo; cum habitualis ſupponat actualem, adeoque culpam.

Adverte 5. Nobis non adverſari Scotum, cum 2. diſt. 32. n. 7. aſſerit peccatum originale eſſe privationem Juſtitiæ originalis debitæ, nam, ut ipſum explicat Cavellus & quidam graves Scotiſtæ, loquitur de privatione Juſtitiæ ſeu rectitudinis actualis debitæ actui ipſius Adami, quod ipſemet ſatis indicat dicens, tali privationi correſpondere pœnam; cùm privationi Juſtitiæ originalis habituali, utpotè effectui peccati, non correſpondeat pœna.

CONCLUSIO V.

PEccatum originale eſt formaliter ipſum Adæ peccatum, prout moraliter noſtrum in nobis moraliter perſeverans, donec remittatur. Ita Cajetanus, Sotus, Zumel, Cavellus, Herinx, Martinon, Fraſſen, & plurimi recentiores.

Prob. 1. Peccatum perſonale habituale, eſt ipſum peccatum actuale præteritum moraliter perſeverans, donec remittatur, ut diximus: ergo peccatum originale, cùm ſit habituale, nihil eſt aliud quàm peccatum Adami actuale moraliter noſtrum, in nobis remanens, donec per Baptiſmum, aut aliter tollatur.

Prob. 2 Peccatum illud, per quod conſtituimur originaliter peccatores & Deo odibiles, eſt peccatum Adami moraliter noſtrum, ut patet; ſed non eſt peccatum Adami phyſicè perſeverans; ergo perſeverans moraliter.

Prob. 3. Quia nihil poteſt accommodius aſſignari, in quo reponatur illius eſſentia, ut patet ex aliarum opinionum refutatione. Hinc

Reſol. 1. Peccatum Adami phyſicè quidem & origine eſſe unicum numero, adeoque ut ſic commune eſſe omnibus illius poſteris: moraliter tamen eſt multiplex, & toties multiplicatum, quot ſunt Adæ poſteri, & hoc ſenſu dicitur unicuique proprium, & ita proprium, ut quando remittitur uni, non remittatur alteri, ſed maneat exoſus Deo, eodem modo ac ſi particulariter peccaſſet.

Reſol. 2. Non minus verè ineſſe peccatum originale Adæ poſteris, quàm inſit peccatum perſonale peccatoribus poſt illius commiſſionem, cùm his & illis inſit eodem modo, nempe moraliter; ex quo ſequitur, quòd ſicut peccatum perſonale præteritum dicitur verè ineſſe donec remittatur, ita & originale.

Reſol. 3. Quòd licèt non ſit diſcrimen inter peccatum Adami & noſtrum in ratione habitualis; ſit tamen in ratione actualis, cùm illius fuerit Phyſicum, noſtrum tantùm morale, illius perſonale, non ſic noſtrum: unde meritò dixit Anſelmus lib. de Conceptu Virginali c. 4. *Aliud fuit peccatum Adæ, aliud peccatum parvulorum*.

Reſol. 4. Peccatum Adami non eſſe propriè cauſam peccati noſtri originalis, quaſi verò noſtrum eſſet effectus illius, ſed tantùm hoc caſu, quod ſi non peccaſſet, nec nos peccaſſemus.

Reſol 5. Quòd licèt in Chriſto fuerint moraliter peccata noſtra, non fuerit tamen peccator, ſicut ſunt homines, *in quibus* eſt moraliter peccatum; quia hoc peccatum dicitur eſſe moraliter in hominibus, eò quòd in Adamo peccaverint, in Chriſto verò dicuntur fuiſſe moraliter peccata noſtra, quia ſuſcepit in ſe onus pro illis ſolvendi, non autem quia peccavit.

QUÆSTIO III.

Quomodo & in quos traducatur peccatum originale?

CONCLUSIO I.

TRaducitur peccatum originale in Adami poſteros, per hoc quòd deſcendant ex ipſo via communi per ſeminalem propagationem, ſeu per ſeminalem commixtionem maris & fœminæ, ita ut in 1. inſtanti, quo anima corpori unitur, peccatum illud contrahant. Ita DD. communiter.

Prob. 1. ex Trid. ſeſſ. 6. c. 3. *Sicut revera homines, niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur injuſti; cùm ea propagatione, per ipſum dum concipiuntur, propriam injuſtitiam contrahant*.

Prob. 2. ex D. Anſelmo c. 19. *De Conceptu virgin.* ubi aſſerit cauſam ſufficientem cur Chriſtus non contraxerit peccatum originale, eſſe quia non erat filius naturalis Adæ, ſeu quia non fuerat ex ipſo via generationis ordinaria propagatus: ergo cenſet Adæ poſteros incurrere originale, quia taliter ex ipſo propagantur: quod etiam docuit cap. 7. & 10. ipſique præluxerat Auguſtinus lib. 2. de nupt. & concupiſc. cap. 5. ubi ait, *ideo illos* (ſcilicet homines) *eſſe ſub Diabolo, quia de ſexus utriuſque commixtione naſcuntur*.

Prob. 3. Ratione. Ideo, ſuppoſito pacto divino, omnes in Adam peccavimus, quia ſumus filii ejus naturales: ergo ideo omnes originale contrahimus, quia filii ejus naturales naſcimur; ſed ideo naſcimur filii ejus naturales, quia ab ipſo via naturali generationis deſcendimus. ergo &c.

Dixi 1. In Concl. *per hoc quod deſcendant ex Adamo*; non quidem præciſè quia Adamus eſt principium & caput phyſicum naturæ humanæ, aliàs non unum tantùm, ſed omnia ejus peccata contraherent, imò cuncta illorum omnium, ex quibus deſcenderunt, ſed quia caput eſt morale, quatenus ſcilicet Deus pactum eum illo inierat, ut, ſi Juſtitiam originalem quam pro ſe & ſuis poſteris acceperat, ſervaret, illam via generationis naturalis in poſteros transfunderet; ſi autem illam perderet, tranſgrediendo præceptum de non comedendo fructu vetito, ſe & ſuam poſteritatem ab illo via naturali deſcendentem inficeret.

Porrò videtur Pactum illud non fuiſſe formale (aliàs cùm tale pactum ſit conſenſus duorum, fuiſſet requiſitus Adami conſenſus, quem non debet ſupremus creaturarum dominus exigere) ſed tantùm virtuale contentum in his verbis Gen. 2. *in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*, per quæ Deus independenter ab Adami conſenſu ita ipſius voluntati, poſterorum voluntates alligavit, ut ſe & ſuos poſteros morti, tum corporali, tum ſpirituali obnoxios redderet; ſi ex illo fructu comederet.

Dixi 2. *Per ſeminalem propagationem* &c. quia ratio formalis cur peccatum originale transfundatur in Adæ poſteros, eſt ipſa propagatio naturalis, non autem concupiſcentia & libido, quam in ipſo uſu conjugii experiuntur parentes; nam ſi aliqui ſine concupiſcentia naſcerentur, adhuc peccatum originale contraherent: unde quando SS PP. dicunt per concupiſcentiam traduci peccatum originale, nolunt concupiſcentiam ſeu libidinem actualem eſſe cauſam originalis peccati, quaſi verò ſi hæc abeſſet ab actu generationis, proles genita peccato non fœdaretur, ut vult Lutherus; ſed intendunt oſtendere concupiſcentiam ſemper concomitari actum generationis, per quem peccatum traducitur; ita ut concupiſcentia, licèt non ſit cauſa illius traductionis, ſit tamen indicium ordinarium; quandoquidem ne Sanctiſſimi quidem conjuges ſine concupiſcentiæ motibus generent.

Dixi 3. *Ita ut 1. inſtanti quo anima unitur corpori illud contrahant*; quia pro illo inſtanti generatur homo & fit filius Adæ naturalis, qui cùm totus cenſeatur ab Adamo propagatus, eò quòd terminus totalis generationis ſit ipſe homo conſtans anima & corpore, etiam totus coinquinari dicitur tam ſecundùm corpus, quàm ſecundùm animam. Ex quo ſequitur quod prius ſit hominem inquinari, quàm inquinetur ejus anima: imò quòd vera ſit hæc cauſalis: ideo inquinatur anima, quia inquinatur homo; & conſequenter cùm prius ſit, ſaltem natura, eſſe animam, quàm hominem, cùm prior ſit pars intrinſecè componens, quàm compoſitum, ſequitur animam à Deo creari immunem à peccato.

CONCLUSIO II.

SOli & omnes ab Adamo per ſeminalem propagationem deſcendentes contrahunt originale, ſi, ut dixi, B.V Mariam exceperis.

Ratio eſt, quia ſoli & omnes ſic deſcendentes ſunt filii naturales Adæ. Hinc

Reſol. 1. Chriſtum non contraxiſſe peccatum originale, non tantùm quia conceptus eſt Homo Deus, qui non debuit peccatum habere, cum ad peccatum delendum veniret; ſed etiam quia non ex virili ſemine; ſed ex puriſſimo Virginis Mariæ Sanguine fuit miraculosè conceptus: unde quando ad Rom 1. dicitur *factus . . . ex ſemine David ſecundùm carnem*, non intelligitur fuiſſe in Adam ſecundùm rationem ſeminalem per commixtionem maris & fœminæ, ſed ſecundùm corpulentam ſubſtantiam.

Reſol. 2. Quòd ſi, Eva peccante, Adam non peccaſſet, poſteri peccatum originale non contraxiſſent, quia licèt ipſi etiam datum fuerit præceptum de non comedendo fructu, datum fuit tamen tanquàm perſonæ privatæ, & non tanquàm capiti morali generis humani ſicut Adamo: unde ſcriptura dicit nos omnes in Adam peccaſſe, in Adam mori, non autem in Eva. Et Trid. ſeſſ. 5. can 2. definit, nulla facta mentione Evæ, *Adæ prævaricationem non ſibi ſoli*, ſed etiam *ejus propagini nocuiſſe*. Et ideo eùm Eccl. 25. dicitur: *A muliere initium factum eſt peccati*, intelligendum eſt per modum occaſionis & ſuaſionis, non autem per modum principii transfuſionis.

Reſol. 3. Quod idem ſit dicendum, ſi, Adamo non peccante, peccaſſet ejus filius, v. g. Abel, aut Cain, quia filius illius non fuit conſtitutus caput morale generis humani, quantùm ad transfuſionem Juſtitiæ, aut peccati originalis.

Reſol. 4. Quod ſi quis fuiſſet ab Adamo genitus, aut tantùm conceptus antequam peccaſſet, non incurriſſet originale; quia non fuiſſet in lumbis ejus quando peccavit: imò probabilius eſt quòd neque ab hoc Adami filio deſcendentes contraxiſſent; quia licèt producti fuiſſent poſt illam culpam, & quidem virtute illius ſeminis, non tamen virtute ſeminis infecti, ſed deciſi ab Adamo juſto.

Reſol. 5. Natos ex dæmone incubo contrahere peccatum originale; quia naſcuntur ex ſemine virili aliundè advecto.

Reſol. 6. Quòd ſi Eva ex coſta Adami prodiiſſet poſt ejus peccatum, ſicut prodiit ante, non fuiſſet fœdata peccato originali, ſicut nec fœdaretur qui miraculosè naſceretur ex brachio aut ſimili parte alicuius viri, vel mulieris; quia licèt eſſet in Adamo ſecundùm corpulentam ſubſtantiam, non tamen ſecundùm rationem ſeminalem. Jam autem homines, niſi ex ſemine Adæ propagati naſcantur; non naſcuntur injuſti, ut inquit Trident. ſupra.

Unde puer ille formatus in fœmore viri prope Dixmudam in Flandria anno 1330. ut conſtat ex Regiſtro Parochiæ, Monumento patris dicti infantis, & traditione incolarum; non incurrit originale: debuit tamen baptizari, tum ut inſigniretur caractere Baptiſmali, ſicque eſſet de familia Chriſti, & fieret capax aliorum Sacramentorum, quorum Baptiſmus eſt janua: tùm etiam ut reciperet gratiam juſtificantem, & habitus ſupernaturales.

Dices 1. Infans ille fuit ſubjectus morbis, doloribus, morti, & aliis huius vitæ miſeriis: ergo habuit originale.

Reſp. neg. conſeq. quia illi omnes defectus ſunt naturales, fuiſſentque ſecuti naturam in ſtatu naturæ puræ: dicuntur tamen pœnæ peccati originalis; ſi homo in juſtitia originali manſiſſet, ab omnibus illis ſpeciali Dei privilegio fuiſſet præſervatus.

Dices 2. Si talis puer mortuus fuiſſet ante Baptiſmum, nullus fuiſſet ei locus in alia vita: ergo dicendum eſt quod contraxerit originale. Prob. Ant. non quidem Paradiſus, aut Purgatorium, quia non habuiſſet gratiam ſanctificantem: non Infernus, quia non habuiſſet peccatum mortale: non etiam Limbus puerorum; quia non fuiſſet infectus originali.

Reſp. Quod licèt ad nullum præfatorum locorum iviſſet, non defuiſſet tamen ei locus; Deus enim cui omnia abundant, de loco proportionato ſapientiſſimè providiſſet.

QUÆSTIO IV.

Quæ ſint pœnæ peccati originalis in hac vita?

SUppono 1. Quòd Deus, qui ab initio *fecit hominem rectum*, ut habetur Eccl. 7 non abſtulerit ab ipſo aliquam partem ſubſtantialem, aut facultatem naturalem propter originale peccatum, cùm nulla talis pars, aut facultas poſſit aſſignari, quam amiſerit.

Præterea in Angelo peccatore manſerunt omnia ſubſtantialia, quidni & in homine? unde tantùm vitiatus eſt in quibuſdam accidentalibus, per quæ in deterius mutatus eſt ſecundùm corpus & animam, ut loquitur Trid. ſeſſ 5. can. 1.

Suppono 2. Adamum, & in ipſo poſteros, non tantùm fuiſſe ſpoliatos per originale peccatum, ſed etiam vulneratos: ſpoliatos quidem gratuitis, & vulneratos in naturalibus: hinc cognoſcens hoc Propheta Regius dicebat Domino Pſal. 40. *Sana animam meam, quia peccavi tibi*: ubi oſtendit peccatum, non tantùm ipſum ſpoliaſſe gratia ſanctificante; ſed etiam vulneraſſe & sauciaſſe; aliàs non poſtularet ſanari. Quod videtur etiam adumbraſſe Chriſtus per Parabolam hominis deſcendentis ab Jeruſalem in Jericho, quem latrones ſpoliaverunt & vulneraverunt: unde hic de Adami & ejus poſterorum ſpoliis & vulneribus tanquam culpæ originalis pœnis & effectibus breviter dicemus.

CONCLUSIO I.

VAriis donis gratuitis ſpoliatus eſt Adam, & in ipſo ejus poſteri, ratione peccati originalis, nam ſpoliatus eſt juſtitia originali, quæ ultra gratiam ſanctificantem importabat varia dona accidentalia, tùm interna tùm externa, Interna erant Fides, Spes, Charitas, dona Spiritus Sancti, gratiæ actuales, ſubiectio partis inferioris ſuperiori, optima humorum temperies & diſpoſitio membrorum in omnibus qui nati fuiſſent: Externa erant protectio Dei naturæ indebita, præſervatio à noxiis tum animæ, tum corpori, præparatio variorum donorum, quibus homo perpetuam incolumitatem & immortalitatem habuiſſet.

CONCLUSIO II.

VAriè etiam admodum vulneratus eſt in naturalibus, nam eo ipſo quo peccavit, ſtatim ab ipſo peccato tanquam virulento omnium malorum fonte prodiit in Genus humanū mo-

riendi neceſſitas, morbus, dolor, ſitis, ſames, defatigatio, & aliæ omnes corporis & animæ ærumnæ, quibus toto vitæ noſtræ decurſu jactamur, & à quibus in illo fœlici innocentiæ ſtatu fuiſſemus liberi, tunc enim nullus fuiſſet ardor urens, nullum frigus ſtringens, nulla aeris intemperies, nullum in cibo & potu nocumentum, nihil denique unde corporum organa à naturali temperie dejicerentur: fuiſſet quidem tunc homo, ſicut nunc, compoſitus ex quatuor elementis, ſubindeque ex quatuor primis qualitatibus contrariis inter ſe pugnantibus, juſtitia tamen originalis perfectè ſubjiciens & ſubordinans corpus animæ, quoslibet defectus indè naſcentes impediviſſet.

CONCLUSIO III.

Quatuor præcipuè recenſentur vulnera humanæ naturæ per peccatum originale inflicta, nempe ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, concupiſcentia in appetitu concupiſcibili, & infirmitas in iraſcibili.

Primum vulnus eſt ignorantia, non quidem tanta, ut homo nullum valeat bonum cognoſcere, ut volunt Lutherani, ſed tanta, ut ille, qui in ſtatu innocentiæ tam excellentem habuiſſet rerum naturalium cognitionem, ut nunquam potuiſſet decipi niſi volens, jam nequidem beſtiolæ, aut vermiculi naturam perfectè noverit, imò tanta ſuimet ipſius laborat inſcitia, ut mens humana nihil minus quàm ſeipſam noverit; imò nequidem opera propria intelligat: unde ut etiam confuſam & obſcuram ſui ipſius & aliarum rerum notitiam acquirat, tantus labor, tanta aſſiduitas, tot vigiliæ ſunt adhibendæ, ut aliqui malint ſemper in inſcitiæ tenebris vivere, quàm tot incommoda ſuſtinere.

Secundum vulnus eſt malitia, ratione cujus homines: 1. Inordinato ſui amore flagrant: 2. In vitiis ſuperandis pigreſcunt: 3. Frequenti admodum laborant inconſtantia, ut immediatè poſt amplectantur malum, quod antea fugerant, aut fugiant bonum, quod antea fuerant amplexati: 4. Ita ſunt tardi ad virtutem ſectandam, ut niſi liberum arbitrium gratia divina vegetetur, & roboretur, omninò ſit ad illam aſſequendam infirmum & invalidum: unde licèt homines non perdiderint liberū arbitrium quoad ſubſtantiam per peccatum originale, perdiderunt tamen illam perfectionem libertatis, quam habebant in ſtatu innocentiæ ad operandum facillimè quodcunque bonum.

Tertium vulnus eſt concupiſcentia ſeu appetitus ut rebellis rationi, in quo ſcilicet, ſicut & in membris generationi ſubſervientibus, oriuntur quandoque motus contra rationem & voluntatem, imò nonnunquam ita importuni, ut voluntatem alliciant, & ad carnalia pertrahant: & hic ſomes, qui in nobis poſt Baptiſmum remanet ad agonem, ut loquitur Trid. ſeſſ. 5. can. 5. ita nobis ſævum & crudele gerit bellum, ut exclamaret Apoſtolus ad Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus.*

Quartum denique naturæ vulnus, eſt infirmitas, illa ſcilicet quæ fortitudini opponitur, & qua fit, ut homo ſit valdè tardus ad bona ardua & difficilia, ac debilis ad tolerandum adverſa: ita ut propterea exclamare poſſit cum Pſalmiſta: *Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea.* Pſal. 37.

Licèt autem hæc quatuor vulnera ſint effectus peccati originalis, creſcunt tamen per peccata actualia: per illa ſiquidem ratio quandoque hebetatur, vel etiam excœcatur, & creſcit vulnus ignorantiæ; quandoque induratur voluntas ad bonum, & tota eſt ad malum, creſcitque malitia; interdum appetitus concupiſcibilis per vitioſam conſuetudinem magis exardeſcit, magiſque fit rebellis rationi, & augetur concupiſcentia: denique nonnunquam fiunt homines debiliores ad ſuſtinendum adverſa, & creſcit infirmitas.

QUÆSTIO V.

Quæ ſint pœnæ in altera vita decedentium cum ſolo originali?

Tres ſunt in altera vita pœnæ decedentium cum peccato actuali, pœna ſcilicet damni, quæ eſt æterna privatio viſionis beatificæ, & reſpondet averſioni à Deo. Pœna ſenſus, qui eſt cruciatus ab igne infernali, & ab aliis ad torquendos damnatos deſtinatis; & reſpondet converſioni ad creaturam; denique pœna vermis, quæ eſt conſcientiæ remorſus & reſpondet delectationi, quam quis peccando expertus eſt: hujus triplicis pœnæ mentionem facit Scriptura: nam Matth. 25. dicitur reprobis: *Diſcedite à me maledicti*, en pœna Damni, *in ignem æternum*, en pœna ſenſus, & Marci 9. *Ubi vermis eorum non moritur*, en conſcientiæ remorſus. Et de hac triplici pœna moveri poteſt quæſtio.

CONCLUSIO I.

Parvuli cum ſolo originali decedentes non patiuntur pœnam vermis.

Ratio eſt: quia illa pœna correſpondet delectationi, quam quis peccando experitur, ut diximus: ſed parvuli nunquam talem delectationem experti ſunt: ergo &c.

CONCLUSIO II.

Probabilius eſt nec pati pœnam ignis. Ita DD. Angelicus & Subtilis, eſtque communiſſima inter Scholaſticos.

Prob. 1. ex cap. Majores, de Baptiſmo §. 3. ubi Innocent. III. aſſerit pœnam peccati actualis eſſe cruciatum Gehennæ, originalis verò privationem viſionis beatificæ, quod & videtur inſinuare Florentinum ſeſſ. ult. in litteris Unionis, circa fin. ubi definit *illorum animas, qui in actuali mortali peccato vel ſolo originali decedunt, mox deſcendere in infernum, pœnis tamen diſparibus puniendas?* Quod cùm non poſſit commodè intelligi de diſparitate in intenſione pœnæ ſenſus, quandoquidem ſic etiam peccata actualia pœnis diſparibus puniantur; intelligi debet de tali diſparitate, ut pœna ſenſus ſit debita peccato actuali, & pœna damni debita originali.

Prob. 2. quia juxta Nazianzenum oratione in Sanctum Baptiſma circa med. Ambroſium in cap. 5. ad Rom. v. 12. & Auguſtinum lib. 3. de lib. arb. c. 23. debetur aliquod medium inter ſupplicium & præmium, decedentibus cum ſolo originali; ergo cenſent non pati pœnam ignis: aliàs verum & proprium paterentur ſupplicium. His conformis eſt D. Bernar. ſerm. 3. de Reſurrectione, ubi ait: *Ceſſet propria voluntas & Infernus non erit: in quem enim ignis ille deſæviet, niſi in propriam voluntatem?* Sed pueri nunquam peccarunt propria voluntate, ſed tantùm aliena; ergo &c.

Prob. 3. ex alio Auguſtini loco, nempe Enchir. c. 93. ubi fatetur illos habere damnationem mitiſſimam. Ex quo ſic argumentor: mitior eſt damnatio privari ſola Dei viſione, quàm illa privari & ſimul pati pœnam ignis: ſed pueri patiuntur damnationem mitiſſimam: ergo ſolam viſionis beatificæ privationem patiuntur, & non pœnam ignis.

Prob. 4. Pœna ignis correſpondet delectationi inordinatæ, quam quis ſumpſit ſeſe convertendo ad creaturam per peccatum: ſed pueri nullam delectationem experti ſunt peccando originaliter: ergo. Min. certa eſt. Prob. Maj. ex illo Apoc. 18. *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum.*

Objic. 1. *Qui non inventus eſt in Libro vitæ ſcriptus: miſſus eſt in ſtagnum ignis*: Apoc. 20. ſed pueri decedentes cum *ſolo originali*, non ſunt ſcripti in Libro vitæ: ergo.

Reſp. Ibi tantùm fieri mentionem de iis, qui *judicandi* ſunt ſecundùm opera ſua, adeoque de ſolis adultis. Nec refert quod antea dicatur: *Vidi mortuos magnos & puſillos . . & judicati ſunt mortui*; quia per *puſillos* non intelliguntur infantes, ſed plebei, ſeu homines vilis conditionis.

Objic. 2. Tantùm erunt in judicio duæ claſſes judicandorum, nempe eorum qui exiſtentes à dextris ibunt in vitam æternam, & eorum qui exiſtentes à ſiniſtris ibunt in ignem æternum; ſed parvuli decedentes cum originali erunt à ſiniſtris ergo ibunt in ignem æternum.

Reſp. Parvulos fore quidem à ſiniſtris, ſed non ituros in ignem; quandoquidem ſubjungens Chriſtus cauſam cur à ſiniſtris exiſtentes ſint in ignem ituri, ait: *Eſurivi enim & non dediſtis mihi manducare* &c. quod reſpicit ſolos adultos.

Inſt. 1. Matth. 3. comparatur Genus humanum areæ in qua ſunt grana & paleæ, grana quidam recludenda in horreum, id eſt, Cœlum, paleæ verò, inter quas ſunt illi parvuli, mittendæ in ignem.

Reſp. Per aream rectè intelligi Eccleſiam, ad quam cùm non pertineant parvuli decedentes ſine Baptiſmo, non cenſentur ſub paleis comprehendi.

Inſt. 2. Auguſt. ſerm. 14. *De verbis Apoſtoli*, aſſerit parvulos igne ſempiterno eſſe cruciandos: unde docet ultima verba ſententiæ Chriſti, Matth. 25. id eſt, *ite in ignem æternum*, eoſdem afficere. Idem docet Fulgentius *De fide ad Petrum*, c. 27.

Reſp. 1. Auguſtinum, Fulgentium & alios SS. PP. per *ignem, cruciatum, tormentum, gehennam, ſupplicium*, intelligere quamlibet pœnam, ut videtur inſinuare ipſemet Auguſt. quæſt. 9. ſuper Joſue tom. 4. adeoque & pœnam Damni, unde ſumpſerunt ſpeciem pro genere.

Reſp. 2. aliqui: intellexiſſe per *ignem* locum infernalem, in quo eſt ignis; non autem pœna ab igne inflictam. parvulos autem fore quidem in eodem loco cum damnatis, ſed nihil ab igne paſſuros.

Reſp.

Reſp. 3. Cum Doſt. Seraphico diſt. 3. art. 3. q. 1. ad 1. Auguſtinum ſicut & Fulgentium exaggeraſſe pœnam parvulorum, ut deſtruerent hæreſim aſſerentium parvulis illis nullam ineſſe culpam; adeòque nec pœnam, & ideò non ſunt abſolutè intelligendi: & certè quomodo ad litteram intelligeretur? cùm Fulgentius ſupra, velit hoc eſſe de fide, & Aug. epiſt. 28. ad Hieronymum dicat ſe non invenire, quid dicat de pœnis parvolorum, imò Enchir. 93. dicat eorum damnationem eſſe mitiſſimam?

Inſt. 3. Aug ſerm. citato de verbis Apoſt. docet nullum relictum eſſe locum medium à Chriſto pro infantibus: ergo cenſet abſolutè eos fore cum damnatis.

Reſp. diſt. conſeq. cenſet fore cum damnatis in eodem loco, ut dixi: tranſeat. In eadem pœna. N. vel dic, non eſſe pro ipſis locum medium ad ſenſum Pelagianorum, qui volebant ipſos fore beatos extra cœlum:

Initabis. 4. Ipſamet detentio in loco infernali, aut etiam in Lymbo, eſt pœna ſenſus: ergo &c.

Reſp. neg. ant. Ibi enim nec ligantur, nec deprimuntur, nec quidquam patiuntur, ſed patienter corporum ſuorum reſurrectionem expectant.

Inſt. 5 Etiam poſt reaſſumptionem corporum retinebuntur in illo loco ſubterraneo & obſcuro, ubi nihil videre poterunt: hoc autem eſt pœna ſenſus.

Reſp. Suppoſito quòd tunc ibidem ſint manſori (quia volunt aliqui habitaturos ſuper faciem terræ) non fore ipſis pœnale non videre, aut non exercere operationes aliorum ſenſoum; quia, Deo ſic diſponente, illas non appetent, ſicut nec appetent eſſe alibi.

Inſt. 6. Homines viatores exiſtentes in ſimili loco, verè paterentur, ut convincunt nos incarcerati: atqui puerorum illorum corpora non erunt impaſſibilia, cùm non ſint habitura dotem impaſſibilitatis: ergo.

Reſp Quod viatores verè paterentur; quia appeterent eſſe alibi, ibique contra voluntatem, tanquàm mancipia detinerentur: quod non accidet dictis pueris ſua ſorte contentis.

Prætereà eorum corpora, licèt de ſe paſſibulia, nihil tamen patientur; quia, tunc ceſſante rerum ortu & interitu, non agent amplius in ſe mutuò cauſæ naturales actione corruptiva.

Obj. 3. Peccatum originale punitur in hac vita (ubi eſt locus miſericordiæ) fame, ſiti, morte, & aliis doloribus: ergo à fortiori punietur pęna ſenſus in altera, ubi eſt locus juſtitiæ.

Reſp. cum D. Thom. neg. conſeq. quia pœnæ hujus vitæ ſequuntur naturalem corporis mortalis conſtitutionem; ubi autem immortalia erunt corpora, naturaliter ceſſabunt illæ pęnæ, quæ non ſunt nobis directè ratione peccati inflictæ, ſed tantum indirectè, in quantùm, ablata juſtitia originali, per quam impediebatur mors, ſitis, fames &c. illa naturaliter ſequuntur.

Obj. 4. Chriſtus paſſus eſt pęnam ſenſus pro peccato originali expiando: ergo & illam patiuntur dicti infantes.

Reſp. neg. conſeq. Chriſtus enim aſſumpſit pęnam ſenſus, non quia erat debita peccato originali; aliàs debuiſſet etiam privari viſione beatifica, ſed quia voluit per illam pro peccatis noſtris, tum actualibus, tum originali ſatisfacere.

Obj. 5. In noſtra ſententia nullum eſſet diſcrimen inter hos parvulos, & eos qui nati fuiſſent in ſtatu naturæ puræ.

Reſp. neg. aſſumpt. quia licèt utrique caruiſſent viſione beatifica; his tamen illa carentia non fuiſſet pęna, ſicut eſt illis.

Obj. 6. Peccato veniali debetur in altera vita pęna ſenſus: ergo à fortiori originali

Reſp. neg. conſeq. quia licèt originale ſit majus veniali, in quantùm hoc non excludit Dei amicitiam, ſicut illud, quia tamen veniale committitur voluntate propria, origioale autem tantum aliena, illi potiùs, quàm huic debetur pęna ſenſus.

Obj. 7. Pęna ſenſus minor eſt pęna damni, atqui hanc patiuntur infantes: ergo & illam.

Reſp. 1. Diſt. Maj. Pęna ſenſus eſt minor pęna damni juncta cum triſtitia & deſperatione, ut eſt in damnatis, qui norunt ob propriam malitiam ſibi illam infligi: C. ſeparata ab omni triſtitia, ut eſt in illis parvulis, qui ſciunt ſe nunquam actu proprio demeruiſſe: N.

Reſp. 2. Puniri pęna damni, non ſenſus, non quia major eſt, aut minor altera; ſed quia pęna ſenſus correſpondet delectationi inordinatæ, quæ reperitur in peccato actuali non in originali.

CONCLUSIO III.

PArvuli ſine baptiſmatis gratia morientes puniuntur pęna damni, id eſt, privantur viſione beatifica. Sic ſentiunt communiter Catholici.

Prob. 1. Ex Scrip. Joan. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua &c. non poteſt introire in Regnum Dei*, adeòque nec videre Deum; ſed illi non ſunt renati: ergo.

Prob. 2. Ex Innocen. III. c. *Majores de Baptiſmo* §. *ſed adhuc*, ubi docet in terminis pęnam peccati originalis eſſe carentiam divinæ viſionis.

Prob. 3. Ratione; quia gratia eſt ſemen gloriæ; conſequenter ubi non eſt gratia, nec eſt gloria.

Dices: Pęna debet proportionari peccato, ita ut peccato minori debeatur pœna minor, majori major, & maximo maxima; ſed pœna damni eſt pœna omnium maxima, & peccatum originale omnium mortalium minimum: ergo.

Reſp. Pœnam damni eſſe quidem in ſe pœnarum graviſſimam, ſed quia, Deo permittente, illis inerit ſine ulla triſtitia, videtur originali proportionata.

QUÆSTIO VI.

Qui ſit futurus ſtatus & occupatio puerorum cum originali decedentium?

CONCLUSIO I.

PUeri cum originali decedentes cognoſcent ſe eſſe beatitudine privatos. Eſt probabilior contra varios Thomiſtas, qui volunt nequidem in judicio generali hoc agnituros.

Prob. 1. Ex D. Thoma 2. diſt. 33. q. art. 2. *Quidam dicunt quod pueri nullum dolorem ſuſtinebunt, quia in eis ratio adeo obtenebrata erit, ut non cognoſcant ſe amiſiſſe quod amiſerunt: quod probabile non videtur, ut anima ab onere corporis abſoluta ea non cognoſcat, quæ ſaltem ratione inveſtigari poſſunt, & etiam multò plura.*

Prob. 2. Ex D. Bonav. 2. diſt. 33. art. 3. q. 2. *Parvuli bene ſcient ex cauſa ſe eſſe privatos*, ſcilicet viſione Dei, de qua ibidem agit.

Prob. 3. Ratione: pueri illi aſſiſtent in judicio generali, videbunt ſe eſſe à ſiniſtris, audient Chriſtum dicentem, ſe pro omnibus mortuom eſſe, ut vitam æternam a ſe quærerentur, obſervabuntque vitam illam non ſibi, ſed à dexteris exiſtentibus promitti: ergo &c.

Dices non poſſunt cognoſcere beatitudinem, niſi per fidem ſupernaturalem; ſed nec in judicio, nec ante illam habuerunt: ergo

Reſp. Neg. Maj Si enim hæretici, adeòque privati fide ſupernaturali; poſſint illam cognoſcere, eò quòd de illa audierint à viris fide dignis, quidni & parvuli iſti, qui idipſum ab ipſomet Chriſto ſunt audituri.

CONCLUSIO II.

SAtis probabile eſt pueros illos ex privatione beatitudinis æternæ non eſſe triſtitia afficiendos. Ita DD. Angelicus, Seraphicus, & Subtilis cum innumeris aliis tum antiquis, tum recentioribus.

Prob. 1. Authoritatibus 1. D. Thomæ loco cit. ubi de illis pueris ſic loqoitur: *nihil omnino dolebunt de carentia viſionis*. 2. D. Bon. ſup. *æqua lance divino judicio eorum cognitio & affectio libratur, & in tali ſtatu perpetuatur, ut nec triſtitia dejiciat, nec lætitia reficiat*. 3. Scoti 2. diſt. 33. num. 2. ubi cùm dixiſſet nullam habituros eſſe pęnam exteriorem, addit: *nullam etiam habebunt interiorem, ut triſtitiam &c.*

Prob. 2. Ratione D. Bon. quia ſicut illi pueri quaſi medium tenent inter habentes gratiam, & habentes culpam actualem; ita ſunt in quodam medio inter beatos & damnatos conſtituendi: ita ut communicent cum damnatis in uno, nempè in carentia viſionis beatificæ, & in altero cum Beatis, nempe in abſentia omnis afflictionis tum exterioris, tum interioris.

Prob. 3. Ratione Div. Thomæ: nullus homo prudens dolet de abſentia ejus, ad quod poſſidendum eſt improportionatus: ſic non dolet homo ſapiens, quòd non poſſit volare nec plebejus prudens, quòd non poſſit Regis, aut Imperatoris dignitatem obtinere; ſed pueri illi fuerunt improportionati ad vitam æternam poſſidendam, cùm nec eis deberetur ex principiis naturæ, nec potuerint illam per actus proprios mereri: ergo.

Prob. 4. Ratione Scoti; quia voluntas illorum puerorum erit voluntati Divinæ conformis, utpotè nullo actuali peccato obliquata, aut depravata; ſed non eſſet conformis, ſi adeſſet triſtitia ob carentiam Beatitudinis, cùm ſciant ita eſſe à Deo juſtiſſimè diſpoſitum: ergo.

Dices 1. Si ex duobus omninò & per omnia æqualibus aſſomatur unus ad magiſtratum, alter relinquatur, poterit hic prudenter dolere: ergo ſimiliter parvulus videns alios ad Cœlum deſtinari, mediante Baptiſmo, & ſe relinqui.

R. Diſt. Ant. poterit prudenter dolere, ſi propter merita erat promovendus, C. quia fit ipſi injuria. Si omninò gratis, ſicut parvuli deſtinantur ad Cælum, N. quia nec per ipſum ſtabat Magiſtratum adipiſci, nec aliundè fit ipſi injuria.

Dices 2. Si non triſtarentur pueri de carentia Beatitudinis, eſſent æquè felices; ac Patres veteris Teſtamenti in gratia defuncti; ſed hoc non eſt credibile, cùm hi eſſent Deo amici, illi ſint inimici: ergo:

R. Neg. Ma. Quia Patres illi afficiebantur gaudio magno ob certitudinem beatitudinis aliquando poſſidendæ: quod non contingit parvulis iſtis.

Dices 3. Sicut non poteſt homo non amare ſummum bonum clarè viſum; ita non poteſt non dolere de ejus amiſſione; præſertim cùm ex privatione Beatitudinis ſequatur naturaliter triſtitia.

R. Diſt. Aſſumpt. Non poteſt non dolere, ſi illam amiſerit ex voluntate propria & ob culpam evitabilem; C. ſi ex voluntate aliena; & ob culpam ſibi inevitabilem, N. quia, ut inquit D. Thomas ſupra, recta ratio (qualem ſecundùm ipſum habent pueri illi) *non patitur ut aliquis perturbetur de eo quod in ipſo non fuit, ut vitaretur*. Dato autem, quòd naturaliter ſequatur triſtitia ex amiſſione Beatitudinis; non tamen quando aliundè lenitur, aut potiùs ſuſpenditur, ſicut dictis parvulis, qui per conſolationem, quam habent, quòd nunquàm propria voluntate & actione peccaverint, quòd non exponantur dæmonum inſultibus, conſcientiæ remorſui, & cruciatibus æternis, ſicut damnati, impediunt triſtitiam quam aliàs conciperent. Sicque manent in quodam æquilibrio; ita ut *nec triſtitia* (eos) *dejiciat, nec lætitia reficiat*, ut loquitur D. Bonav. ſupra. Adde cum Scoto, Deum, qui tunc impediet quominùs eorum corpora lædantur à cauſis naturalibus & indigeant cibo, aut potu, etiam impediturum quominùs ab objecto triſtabili moveantur.

CONCLUSIO III.

PRobabilius eſt, pueros cum Originali decedentes eſſe in loco damnatorum, ſeu in Inferno, licèt ibi, ut diximus, nihil patiantur ab igne; nihilque à dæmonibus præter detentionem in tali loco. Eſt contra Pelagium, qui ipſos collocat extra Cœlum & Infernum in loco, ubi etiam Dei viſione beatificantur; & contra quoſdam Catholicos volentes ipſos eſſe in loco quodam ſubterraneo, quem Lymbum vocant.

Prob. 1. ex Scrip. Apocalypſis 10. *qui non inventus eſt in Libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis*; atqui pueri illi non inveniuntur in Libro vitæ ſcripti, nec inveniuntur in Judicio: ergo nunc, tunc, & ſemper erunt in Inferno.

Prob. 2. ex Conc. Florentino ſub Eugenio IV. ſupra, ubi dicitur, decedentes in mortali, vel originali mox in Infernum deſcendere, ſed pœnis inæqualibus puniendos.

Prob. 3. Ex Auguſt. lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione Cap. 28. *Nec eſt ulli medius locus, ut poſſit eſſe, niſi cum diabolo, qui non eſt cum Chriſto*; & ideo ſerm. 14. de verbis Apoſtoli in principio: *Nullus*, inquit, *relictus eſt medius locus ubi ponere queas infantes*.

Prob. 4. Quia cùm nec Scriptura, nec Traditio, nec Concluſio nec Patres locum medium aſſignent, nec nos aſſignare debemus.

Dices 1. Cùm illi infantes non ſint ab igne infernali cremandi, non eſt quòd in Inferno collocentur, præſertim cùm non deſit Deo alibi locus.

Reſp. N. Aſſumpt. Quia cùm peccatum originale ſit verum peccatum, meretur Infernum; quia tamen non habuit annexam delectationem, non meretur combuſtionem.

Dices 2. Script. per *Infernum* intelligit ſæpè Lymbum: ergo etiam quandoque locum pro infantibus diſtinctum.

Reſp. N. Conſeq. quia ipſamet Scriptura nobis ſubminiſtrat rationes ſufficientes credendi primum (ut cum Geneſ. 37. dicebat Jacob qui tamen erat Juſtus; *Deſcendam ad filium meum lugens in Infernum*, & alibi; non tamen credendi ſecundum.

CONCLUSIO IV.

VArii varia referunt de occupatione præfatorum infantium poſt diem Judicii: volunt enim aliqui ipſos in ſuperficie terræ habitaturos: alii in loco quidem ſubterraneo ſed luce illuſtrato; ita ut poſſint ambulare, ad ſe accedere, recedere, inter ſe colloqui, ſe invicem agnoſcere &c. alii docent naturali felicitate eſſe donandos, Angelorum conſortio & apparitionibus recreandos &c. ſed cùm hæc nullo nitantur fundamento, ſaltem alicujus momenti, probabiliùs credimus futuros tunc in eadem occupatione, eadem manſione, eodemque ſtatu, ac nunc; ſi conjunctionem animæ cum corpore exceperis.

DISPUTATIO IV.

De Peccatis Capitalibus.

SEptem recenſentur peccata capitalia, nempe Superbia, Avaritia, Luxuria, Ira, Gula, Invidia, Acedia; quorum initiales litteræ exprimuntur, memoriæ ergo, per verbum *ſaligia*. Porrò vocantur *capitalia* à capite; ſicut enim caput influit in alia corporis membra, ita hæc ſeptem influunt in alia peccata. Non tamen rectè vocantur *mortalia*; quia inde oriri poſſet deceptio in rudibus, qui crederent hæc ſola peccata eſſe mortalia, alia autem venialia.

Doctor Seraphicus 1. parte centiloquii ſect. 15. horum vitiorum connexionem non minus doctè, quàm eleganter oſtendit: *Superbus*, inquit, *non vult ſubeſſe majoribus, vult præferri æqualibus, vult conculcare minores, & ſi non poteſt, invidet majoribus, quia principantur; æqualibus, quia proſperantur; minoribus, quia exaltantur: & cùm ſic nihil proficiat, concipit iram de factis ad majores, mediocres, minores; deinde decidit in Acediam, qua mentis tranquillitas perturbatur; & tunc cùm interiorem conſolationem amiſerit, ad exteriorem per Avaritiam ſe convertit, & factus opulentus immoderatè per ingluviem farcit ventrem, & poſtremò ad Luxuriam reſolvit carnem, à ſummo rationis vertice, uſque ad carnis infimum, depravatus*. Inter hæc autem peccata, alia ſunt carnalia; quia conſummantur in parte carnali, nempè corpore, ut Gula & Luxuria: alia ſpiritualia, quia conſummari poſſunt in parte ſpirituali, nempè anima, ut alia quinque. De ſingulis hic tractandum.

QUÆSTIO I.

Quid Superbia? Quale peccatum? Quinam ejus actus? Quæ filiæ? Quæ remedia?

CONCLUSIO I.

SUperbia eſt appetitus inordinatus propriæ excellentiæ ſuper alios.

Dicitur 1. *Appetitus*, id eſt, amor, complacentia, vel deſiderium.

Dicitur 2. *Inordinatus*, idque ex duplici capite, 1. per reſpectum ad humilitatem, in quantùm ſuperbus refugit aliis ſubjici. 2. Per reſpectum ad magnanimitatem, quatenus in rerum magnarum appetitu mediocritatem excedit.

Dicitur 3. *Excellentiæ*; id eſt, perfectionis quam quis habet, aut ſibi ineſſe imaginatur.

Dicitur 4. *Propriæ*; & ideò ſi pater nimiùm *appetat* excellentiam filii, aut filius patris, non eſt propriè Superbia, ſed quoddam vitium ipſi propinquum.

Addidi *ſuper alios*; quia Scotus 2. diſt. 6. qu. 2. dividit ſuperbiam in propriè dictam, & latè dictam. Primam docet importare, ultra amorem inordinatum excellentiæ propriæ, quandam eminentiam ſuper alios, hocque ſatis congruit ejus vocabulo: quid enim eſt aliud *ſuperbire*, niſi velle ſuper alios ire? latè dicta autem, quæ proprio nomine dicitur Philautia, quamque vocat Scotus Luxuriam quandam ſpiritualem, conſiſtit in immoderata propriæ perfectionis complacentia, nullo habito ad alios reſpectu.

CONCLUSIO II.

SUperbia completa, peccatum eſt ex genere ſuo mortale; imò omnium peccatorum graviſſimum. Eſt autem Superbia completa, quæ excludit ſubjectionem hominis ad Deum, ut loquitur D. Th. 2. 2. qu. 126. art. 6. in corpore & ideo dicitur Eccleſ. 10. quòd *initium Superbiæ hominis* (fit) *apoſtatare à Deo*.

Prob. 1. Concl. ex Script. Rom. 1. ubi inter eos, qui digni ſunt morte, recenſentur *Superbi*. Et Eccl. 10. legitur: *Initium omnis peccati eſt ſuperbia*: nec mirum; qui enim Creatori non vult ſubjici, facilè in omnia creata diffluit.

Prob. 2. Ex D. Thoma ſup. *Ex parte averſionis Superbia habet maximam gravitatem, quia in aliis peccatis homo à Deo avertitur, vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, ſive propter deſiderium cujuſcumque alterius boni, ſed Superbia habet averſionem à Deo, ex hoc ipſo quòd non vult Deo, & ejus regulæ ſubjici*.

Probat. 3. Ratione; quia maxima eſt deordinatio, abjecta Superioris regula, velle in omnibus capricio ſuo inhærere.

Prob.

Digitized by Google

Prob. 4. Superbiæ gravitas ex comparationibus, quas refert D. Bon. io Dieta ſalutis tit. 1. cap. 3. primò comparat eam *vento*, ſicut enim *ventus extinguit lucem*, *exſiccat rorem & exſufflat pulverem: ſic ſuperbia extinguit lucem ſapientiæ*, *exſiccat rorem gratiæ*, *& exſufflat pulverem vanitatis mundanæ*. 2. *Stillæ aquoſæ*, *quæ* ſicut ſtatim *inflat*, *& ſtatim annihilatur; ſic ſuperbus mox inflando deficit*, *& punctus modica febre*, *vel tribulatione anaihilatur*. 3. *Fumo qui ſicut magis aſcendendo deficit; ſic ſuperbus plus exaltatus plus evaneſcit*: 4 *Araneæ*, *quæ*, *ſicut ſe eviſcerat texendo telam*, *ut muſcas capiat*, *ſic ſuperbus perdit animam ut capiat laudem humanam*. 5. *Gallinæ*, quæ *ſicut ſtatim cantat*, polito ovo; ità *ſuperbus ſtatim vult videri*, poſito bono opere: ità ferè D. Seraph. qui alias comparationes ibidem refert.

Dices: Deus loquens de Chriſti Eccleſia ſub Typo Jeroſolymæ, dicit Iſa. 6. *Ponam te in ſuperbiam ſæculorum*: ergo ſuperbia non eſt peccatum.

Reſp. Superbiam, prout præcisè dicit quandam eminentiam, eſſe indifferentem ad bonum & malum, & ideò dicitur Mauſolæum ſuperbum, domus ſuperba &c. & hoc ſenſu intelligi debet paſſus allegatus; hic autem ſumitur in malam partem pro vitio.

CONCLUSIO III.

QUatuor actus ſuperbiæ refert poſt S Greg. lib. 23. Moral. c 4. (alias 7.) D. Thomas ſupra art. 4. 1. Nempè dum quis credit ſe bonum quod habet, ſive naturale, ſive ſupernaturale, à ſeipſo habere. 2. Cùm deſuper datum exiſtimat ſe ſuis meritis obtinuiſſe. 3. Dum gloriatur ſe habere quod non habet. 4 Cùm, aliis deſpectis, vult videri ſingularis. Duo primi actus ſunt mortales ex genere ſuo, eò quòd exeludant ſubjectionem & dependentiam debitam Deo: primus enim negat bonum poſſeſſum dependere à Deo: à quo tamen bona cuncta procedunt; & ideò taliter ſuperbiendi dicit Apoſt. 1. Cor. 4. *Quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti*, *quid gloriaris*, *quaſi non acceperis?* ſecundus verò facit quidem Deum boni collati authorem, ſed ex debito, non ex liberalitate. Duo ultimi actus ſunt etiam mortales, ſi adſit gravis proximi, aut Superiorum deſpectus, vel detrimentum; aliàs veniales: ideò ſi aliquis exiſtimans ſe veluti Phœnicem in aliqua ſcientia, aut arte, reſolvat, conſulat, ſcribat, operetur, præcipiat &c. cum gravi aliorum nocumento, peccat graviter teneturque, ad omnium damnorum reparationem; ſi autem ſiſtat in ſola ſui exiſtimatione, aut etiam in ea quam vult alios de ſe habere, abſque eo quòd proximo noceat, peccat tantùm venialiter.

CONCLUSIO IV.

TRes præcipuæ aſſignantur Filiæ ſuperbiæ, Vana gloria, Ambitio, & Præſumptio.

Vana gloria eſt appetitus inordinatus laudis humanæ, ſeu manifeſtationis propriæ excellentiæ, ſive veræ, ſive fictæ. Ordinariè non excedit peccatum veniale, niſi fieret ob finem mortalem, v. g. ad decipiendum graviter proximum; quia tunc imbibit totam malitiam finis. Hoc vitium familiare eſt ſuperbis, odioſum hominibus juſtis. Unde S. Gregor. lib. 26. Moral. cap. 23. (aliàs 30.) *Laus ſua juſtos cruciat*, *iniquos exaltat; ſed juſtos*, *dum cruciat*, *purgat*, *iniquos dùm lætificat*, *reprobos monſtrat: illi enim ſua laude paſcuntur .... iſti cruciantur*.

Ambitio eſt honorum vel dignitatum immoderata cupiditas. Dico: *immoderata*, vel quia indignus eſt appetens, defectu ſcientiæ, morum, prudentiæ &c. vel quia modis indignis appetit, puta per fraudem, per Simoniam, per vim &c. vel quia ex motivo indigno, v. g. ut aliis præſit, ad inſtar Pharisæorum, qui quærebant primos accubitus in cœnis, primas cathedras in ſynagogis, & vocari ab hominibus Rabbi. Ambitio eſt tantùm venialis, ubi modus & finis appetentis non ſunt graviter mali, & aliunde res appetita non ſuperat capacitatem appetentis, nec fit cum nocumento tertii, ſi autem vel unicum horum reperiatur, eſt mortalis: & ideò peccat graviter. 1. Qui per ſubornationem quærit fieri Superior. 2. Qui ambit Canonicatum ut facilius ſerviat Baccho aut Veneri. 3. Qui vult Officium vel Beneficium obtinere cum alterius injuria.

Præſumptio eſt appetitus inordinatus functionum proprias vires ſuperantium: & ideò dicitur *præſumptuoſus*, qui tentat id dicere, vel facere, quod eſt ſupra vires. Tantùm eſt venialis, ubi inde nullum imminet periculum injuriæ Dei, damni proximi, aut ſalutis propriæ, aliàs eſt mortalis: unde graviter peccat. 1. Qui præſumit exercere, aut quærere officium Confeſſarii, Superioris, Conſiliarii, Judicis, Medici, aut Theologiæ Profeſſoris, ſine ſcientia ſufficienti. Qui ad venerea proclivis & facilis, audet cum puella juveni ſolus habitare, aut conſortia impudica frequentare, licèt abſque animo peccandi. 3. Qui ſine experientia equum ferocem aſcendit, aut ſimile quid facit cum periculo ſibi graviter nocendi. Præſumptuoſum ad vivum depingit B. Bernard. tract. de 12. gradibus humilitatis, gradu 7. *Primus* (ait) *in Conventibus reſidet*, *in conſiliis primus reſpondet*, *non vocatus accedit*, *non miſſus ſe intromittit*, *reordinata ordinat*, *reficit facta*, *quidquid ipſe non fecerit aut ordinaverit*, *nec pulchrè factum*, *nec pulchrè æſtimat ordinatum*, *judicat judicantes*, *præjudicat judicaturos: ſi cum tempus advenerit*, *non promoveatur ad Prioratum*, *ſuum Abbatem aut invidum judicat*, *aut deceptum*.

CONCLUSIO IV.

SEx aliæ dantur filiæ ſuperbiæ, quæ licèt aliqualiter ſub prioribus contineantur, diſtinctè tamen de illis, ad majorem legentium inſtructionem, dicemus breviter.

1. Ex illis eſt *Jactantia*, quæ eſt inanis de ſe, & ſtulta prædicatio: contra quam monet Sapiens Proverb. 27. *Laudet te alienus*, *& non os tuum*, *extraneus*, *& non labia tua*. Vitium hoc licèt ex ſuis intrinſecis tantùm ſit veniale, fit tamen mortale, quando in divinum vergit dedecus, aut notabile proximi nocumentum: ſic contingit quando propter jactantiam committitur æger Medico ignaro, cauſa Advocato ignoranti, opus artifici neſcio: ſic contingit dum aliqui jactant ſe de culpa mortali; de quibus Sapiens Proverb. 2. *Lætantur cùm malè fecerint*, *& exultant in rebus peſſimis*. Eheu! quàm id frequens eſt inter juvenes diſſolutos, qui impudenter ſua jactant ſcelera, fornicationes, adulteria, rixas, pugnas, vulneraque in illis inflicta, ebrietates, dolos, quibus puellas intemeratas circumvenerunt: &, quod pejus eſt, de fictis gloriantur criminibus, alioſque ad ſimilia exſtimulant. Poſſent quidem tantùm peccare venialiter, ſi, narrando crimina, præcisè intenderent jactare dexteritatem, induſtriam, ingenium, aſtutiam &c. ſine ulla ſceleris patrati approbatione, aut affectu, ſed hoc rarum eſt, ob periculum ſcandali, aut delectationis propriæ.

2. Eſt *Hypocriſis*, quæ eſt ſimulatio virtutis, aut bonitatis, quam quis non habet. Erit mortalis, ſi finis, aut intentio ſimulantis, graviter repugnet Charitati, ut ſi quis Sacramenta ſæpiùs frequentet, ut habeat acceſſum ad puellam, quam intendit corrumpere, aut per matrimonium decipere; vel etiam ut pauperum eleemoſynas ad ſe attrahat, quod faciebant Phariſæi hypocritæ, quibus Chriſtus Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ*, *quia comeditis domos viduarum*, *orationes longas orantes*. Item erit mortalis, ſi hypocrita ſit ita diſpoſitus, ut mallet grave aliquod præceptum tranſgredi, quàm perdere famam ſibi per fictam devotionem acquiſitam, quod non eſt ita rarum quibuſdam puellis.

3. Eſt *Pertinacia*, qua quis nimis adhæret proprio judicio, propriæ ſententiæ, proprio conſilio, nolens cedere meliùs intelligenti: & talibus dicitur Proverb. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*. Unde refert Caſſianus collat. 16. can. 11 in titul. *quod impoſſibile ſit quemquam*, *qui proprio fidit judicio*, *diaboli illuſione non decipi*. Hoc vitium licèt de ſe veniale, eſt tamen valde pernicioſum ob periculum hæreſis, aut vitæ non rectè inſtituendæ, imò & tranſgrediendi Superiorum mandata, quæ quis poſtponit ſuo capricio; & ideò Div. Bernard. Epiſt. 87. ultra med. *Qui ſe ſibi Magiſtrum conſtituit*, *ſtulto ſe diſcipulum ſubdit*. Pertinaciæ affinis eſt *Contentio*, quæ eſt inordinata verborum contrarietas; ſicut & *Diſcordia*, quæ eſt proterva voluntatum diſgregatio circa bonum, in quo tenemur ex Charitate conſentire. Utraque eſt quandoque venialis, quandoque mortalis, prout malum grave vel leve cauſaverit.

4. *Inobedientia*, qua quis ſentimenta ſua Superiorum mandatis præferens, dedignatur ſubeſſe. Inobedientiæ culpam adauget rebellio, ſuperbiæ genus peſſimum, ſive illa ſit ſubditorum erga Principes, ſive filiorum erga parentes, ſive parochianorũ erga Paſtores, ſive aliorum inferiorum erga Superiores.

5. *Contemptus aliorum*: unde ſuperbus Phariſæus dicebat arroganter Luc. 18. *Non ſum ſicut cæteri hominum*. Hoc vitium (quod eſt mortale ubi inde gravem patitur injuriam proximus) ad oculum demonſtrat in ſuperbo Innocent. III. lib. 2. de contemptu mundi: cap. 30. *Statim ut ambitioſus promotus eſt ad honorem*, *in ſuperbiam extollitur*, *in jactantiam effrænatur*, *non curat prodeſſe*, *ſed gloriatur præeſſe*. *præſumit ſe meliorem*, *quia crevit in Superiorem .... priores dedignatur amicos*, *notos ignorat heſternos*, *comites contemnit antiquos*, *vultum avertit*, *viſum extollit*, *cervicem erigit*, *faſtum*

oſtendit: grandia loquitur, ſublimia meditatur, ſubeſſe non patitur, præeſſe molitur: Prælatis infeſtus, ſubditis oneroſus, moleſta non ſuffert, concepta non differt: præceps & audax, glorioſus & arrogans, gravis & importunus.

6. Eſt *Ingratitudo*, qua quis beneficium acceptum, aut nihili facit, aut voluntariè obliviſcitur. Ingratitudo erga homines, eſt peccatum quidem veniale, ſed valde odioſum, & homine omninò indignum: erga Deum poteſt eſſe mortale, ſi per illam reddat ſe homo indignum gratiarum ulteriorum.

CONCLUSIO VI.

REmedia contra ſuperbiam ſunt ſequentia. 1. Eſt animo recolere nihil nos à nobis habere præter peccatum; alia autem omnia & naturalia, & ſupernaturalia ex mera Dei liberalitate procedere.

2. Conſideratio vilitatis noſtræ, quales fuerimus in ortu: quales ſimus in proceſſu, quales erimus in exitu, in ortu ſperma fœtidum; in proceſſu ſaccus ſtercorum, in exitu eſca vermium.

3. Eſt Notitia ſui; quomodo enim ſuperbire poteſt homo quando videt ſe criminibus obrutum, virtutibus vacuum, terrenis intricatum, carnalibus fœdatum, mille obſcuratum ignorantiis; expoſitum mille periculis, mille difficultatibus anxium, mille ſuſpicionibus obnoxium, mille neceſſitatibus ærumnoſum, proclivem ad malum, difficilem ad bonum.

4. Eſt expendere brevitatem eorum, ex quibus ſumimus occaſionem ſuperbiendi. Unde D. Baſilius hom. 3. var. arg. ad pop. ultra med. ſollicitè ad hanc conſiderationem ſuperbum inducit dicens: *Luxu profuſiore divitiarum inſoleſcis? tibi unimetipſi places ob avitæ gentis claritudinem? immodico gaudio ſubſilis ob patriæ celebritatem, ob elegantiam decuſvè corporis, denique ob honores ab omni omnium gradu tibi exhibitos? Attende tibi, mortalis enim tu; quippè terra es, & in terram abibis,* & citiùs quàm credideris: & certè ubi nunc Alexand. ubi Ceſar? ubi Cicero; ubi tot Reges, tot Imperatores? ubi tot nobiles, tot ſapientes? Eheu! pulvis erant, & in pulverem redacti ſunt. Accede ad eorum Sepulchra, vide cineres male-olentes, oſſa putrida, carnes fœtidas, vermium reliquias, & recordare hunc eſſe corporum finem & honorum.

5. Eſt perpendere omnia quæ ſunt in ſuperbis; 1. *ſervitutem*, qua ex filiis Dei fiunt mancipia diaboli. 2. *ignominiam* eò quòd ab omnibus reputentur ſtolidi; 3 *inquietudinem* horribilem, qua diu noctuque lacerantur ob ſolam umbram honoris imaginarii; 4. *modum agendi omnibus odioſum*, & quidem Deo, qui *ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam* Jacob 4. Angelis, qui Luciferum ſuperbum in ima tartari præcipitaverunt; Hominibus, qui illorum, tanquam peſtiferorum, conſortia fugiunt; ipſiſmet Superbis, qui æquales non compatiuntur: imò & ſibi ipſis ad ſe reverſis unde D. Bernar. De interiori domo c..... loquens in perſona Dei ait. *O homo ſi te videres, tibi diſpliceres & mihi placeres, ſed quia te non vides, tibi places, & mihi diſplices. Veniet tempus quando nec mihi, nec tibi placebis: mihi, quia peccaſti; tibi, quia in æternum ardebis. Soli Diabolo tua placet ſuperbia, quia ſuperbus eſt valde &c.* 5. Tandem *finem ordinariè funeſtum*, ut videre eſt in Luciſero, in Abſalon, in Aman, & aliis.

6. Libenter converſari cum humilibus & modeſtis.

7. Denique & præcipuum: attentè conſiderare nos eſſe filios illius, qui nobis continuò inculcat Matth. 11. *diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde;* illius inquam, cujus nativitas fuit humilis in ſtabulo, vita & converſatio humilior in mundo; & mors humillima in patibulo.

QUÆSTIO II.

Quid Avaritia, quale peccatum, quæ ejus filiæ, & quæ Remedia?

AVaritia, græcè Philargyria, ſumitur generaliter pro cupiditate immoderata cujuslibet rei, ſive utilis, ſive delectabilis: quo ſenſu accipitur quandoque ab Aug. & aliis PP. ſed hic ſumitur ſtrictius: nempè pro appetitu rerum quatenus utilium, ſeu quatenus cedunt in uſum hominis: & ideo amor voluptatum, honorum &c. etiam immoderatus, non dicitur ſpecialiter Avaritia.

CONCLUSIO I.

AVaritia eſt appetitus inordinatus divitiarum.

Dicitur 1. *Inordinatus*; quia divitias appetere pro vita honeſtè tranſigenda, prolibus educandis, familia ſuſtentanda &c. non eſt vitioſum; aliàs dediſſet Deus magnam peccandi occaſionem veteris Teſtamenti Patribus, cùm ipſis agros, poſſeſſiones, & alia abundanter promiſit.

Dicitur 2. *Divitiarum*, quo nomine veniunt aurum, argentum, gemmæ, agri, vineæ, domus, aliæque rerum mobilium, & immobilium poſſeſſiones, ſivè habitæ, ſivè habendæ, ſive magnæ, ſive parvæ, & ideò æquè poteſt eſſe avarus pauper, ac dives, cùm nempè vel paucis habitis nimio affectu inhæret, vel habendis inhiat immoderato deſiderio: unde Aug. in Pſalm. 51. V. 9. *quid tibi prodeſt ſi eges facultate, & ardeas cupiditate?* Conſiſtit ergo avaritiæ malitia, non in abundantia, non in penuria, ſed in eo, quòd quis divitiis ſive parvis, ſive magnis velit cor apponere.

CONCLUSIO II.

AVaritia, lethalis eſt ex ſuo genere, ubi opponitur Charitati, aut Juſtitiæ; venialis autem, ubi opponitur ſoli liberalitati.

Prob. 1. pars; Quia 1. modo ſumpta, etiam ſe extendit vel ad violandum eleemoſynæ præceptum, ubi graviter obligat, vel ad aliena indebitè, & per nefas deſideranda, conquirenda, poſſidenda, retinenda; putà per Simoniam, uſuram, dolos, fraudes, furta, rapinas &c. Et de hac præſertim avaritia loquuntur divina eloquia, & SS. Patres; dum dicunt impoſſibile eſſe ſervire Deo & Mammonæ: ſervit autem Mammonæ, qui ſervit nummo & pecuniæ: plus ſollicitus de pecunia, quàm de divina gratia: plus curans lucrum in arca, quàm damnum in conſcientia; & ideò velut Idololatra magis cenſetur colere nummum, quàm Deum. De tali Avaro egregiè diſſerit Innocentius III. lib. de vilitate conditionis humanæ. *Sicut idololatra ſervit ſimulachro, ſic Avarus ſervit theſauro; nam ille cultum idololatriæ diligenter ampliat, & iſte cumulum pecuniæ libenter augmentat: ille cum diligentia colit ſimulacrum, & iſte cum omni cura cuſtodit theſaurum, ille ſpem ponit in idololatria & idolo, & iſte ſpem ponit in pecunia & numero: ille timet mutilare ſimulachrum, & iſte timet minuere theſaurum.*

Prob. 2. pars; Quia 2. modo ſumpta avaritia, eſt mera illiberalitas, ſeu affectus nimius divitiarum in hoc conſiſtens, quòd licèt quis eas ſuperfluè quærat, amet, poſſideat &c. non tamen earum amorem amori divino præferat; & ideò ſupponitur paratus potius velle omnium divitiarum jacturam facere, quàm præceptum aliquod graviter obligans violare. Hoc tamen rarum eſt & difficilè avaro, qui divitias non poſſidet, ſed poſſidetur à divitiis. Ut hujus peccati enormitatem exponat Doctor Seraph. variis utitur comparationibus in Dieta ſalutis Tit. 1. c. 6. 1. comparat avaritiam *morti* & *inferno*. Sicut enim nunquam ſatiatur illa occidendo, iſte deglutiendo, ſic nec Avarus pauperum, aut viduarum ſubſtantiam *devorando*, & abſorbendo. 2 *Mari*, quòd ſicut omnes *fluvios* recipiens non redundat; ita Avarus aliorum ſudore & *ſanguine* repletus; nunquàm redundat in pauperes.

Comparari etiam poteſt hydropico, cui *quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ:* ſic etiam Avarus nunquam dicit: *ſatis eſt*, ſed ſemper affer, affer. 3. *Porco*, qui ſicut non prodeſt vivus, ſed occiſus, ità etiam Avarus vivens nulli benefacit, moriens autem relinquit ea, quæ non poteſt ſecum portare. 4. *Sterquilinio*, quod ſicut congregatum corrumpitur. & diſperſum facit agros fructificare; ità Avari divitiæ congregatæ corrumpunt ejus animam, diſperſæ nutriunt & fovent pauperes. 5. *Pixidi perforatæ ſuperius*, vulgò *epargne*, quæ ſicut non reddit pecuniam quam recipit, niſi frangatur, ita nec ablata reſtituit Avarus, niſi fractus.

CONCLUSIO III.

VAriæ ſunt Filiæ Avaritiæ 1. eſt *Neglectus divinorum*; cum enim impoſſibile ſit ſervire Deo & Mammonæ: hinc fit quòd Avarus totus divitiarum ſitibundus, nihilque mente revolvens, niſi modos habendi & accumulandi, vix oret, niſi diſtractus, vix Sacramenta frequentet, Officia Divina negligat, examen conſcientiæ prætermittat, fugiat Concionatores, virtutes contemnat, mortis & judicii voluntariè obliviſcatur, imò & Dei: Unde S. Bern. ſerm. 3. in cant. *Avaritia rotis vehitur quatuor vitiorum, quæ ſunt puſillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, mortis oblivio.*

2. Eſt *immiſericordia in pauperes*, quos Avarus durè alloquitur, immitigabiliter repellit, vacuos dimittit, dumque parietes veſtit tapetibus, equos ornat phaleris, canumque multitudinem reficit, miſeros immiſericorditer excludit jejunos & nudos; ſed quiſquis ſis, avare, audi Baſilium loquentem in perſona Chriſti judicis hom. 7. varior. argum. ad Popul circa med. *Non te miſeret, miſericordiam non invenies: non ape-*

ruiſti

ruiſti domum tuam, à Regno Dei excluderis: non dediſti panem, non vitam recipies æternam. Hæ ſunt Judicis minæ, quas præcavere deberes.

3. Eſt *Inquietudo*, ſeu anxietas continua, qua crudeliter lacerantur viri divitiarum, & ideo quinque infortuniis ſubjectos eſſe docet D. Bonav. ſup. 1. ſunt *miſeri*; quia divitias cum labore acquirunt, & acquiſitas cum timore cuſtodiunt. 2. Sunt *pauperes*; quia illas cum dolore perdunt. 3. Sunt *cæci*; quia nihil aliud reſpiciunt. 4. Sunt *nudi*; quia nullum aliud bonum operantur. 5. ſunt *ſervi*: nam divitiæ non ſunt Avarorum, ſed Avari ſunt divitiarum.

4. Eſt *dolus*, qui ſi fiat verbis, erit *fallacia*, imò & *perjurium*, ſi addatur juramenti confirmatio, ſi autem committatur in opere, erit *fraus* quantùm ad res, *proditio* quantum ad perſonas. Ita fere D. Thom. 2. 2. q. 118. art. 8.

5. Eſt violentia, vel metus injuſtè illatus, in ordine ad aliquid ſibi utile comparandum. De aliis Avaritiæ filiis tractatur alibi

CONCLUSIO IV.

APplicari poſſunt Avaris remedia ſequentia 1. Expendere debent divitias omnes eſſe relinquendas in morte, & quidem eò majori cum dolore, quò majori affectu fuerunt poſſeſſæ, relinquendas, inquam, hæredibus ſæpe ingratis, ſæpè prodigis, ſæpe inde damnationis ſuæ occaſionem ſumpturis: unde Eccl. c. 2. *deteſtatus ſum omnem induſtriam meam.... habiturus hæredem poſt me, quem ignoro utrum ſapiens, an ſtultus futurus ſit: & dominabitur in laboribus meis, quibus deſudavi, & ſollicitus fui & eſt quidquam tam vanum?* Audi, Avare, & ſacculos tuos pauperum miniſterio in cælos præmitte: hos poſt mortem reperies, hos ingratis non relinques, ſed in æternum ſine ulla ſollicitudine poſſidebis.

2. Efficaciter conſiderare divitias omnes, quantaſcunque, nunquam poſſe Avarum ſatiare: ſicut enim non ſatiatur habitis, nec ſatiabitur habendis, ſemper eſuriens, ſemper ſitiens, ſemper avidus, nunquam ſatiatus, nunquam contentus, nunquam quietus: ubi pauper aut mediocris, cum gaudio & ſatisfactione panem ſuum comedit in ſaturitate. Contemne igitur & fuge, o Avare: tyrannum illum inſatiabilem, divitias dico, *quarum acquiſitio*, Idiota de Amore divino cap. 33. *magni laboris eſt poſſeſſio magni timoris, & amiſſio magni doloris.*

3. Animo recolere Avaros omnibus eſſe ingratos, odibiles, omnibus abominabiles; 1. pauperibus, quorum ſanguinem ſugunt, & patrimonium furantur. 2. Viduis, quarum ſubſtantiam devorant. 3. Suis prolibus, quibus neceſſaria tyrannicè denegant. 4. Domeſticis, quibus ſalarium, aut nullum, aut tenue largiuntur. 5. Operariis, quorum defraudant mercedem. 6 Emptoribus, quos dolo aut fraude circumveniunt. 7 Cum ipſis converſantibus, quibus vel obſunt; vel nunquam proſunt: unde dicitur in Oſea cap. 9. *facti ſunt abominabiles ſicut ea, quæ dilexerunt.*

4. Seriò animadvertere *quàm difficile eſt confidentes in pecuniis in Regnum Dei introire! facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in Regnum Dei* Matth. 10. quis crederet, niſi veritas ipſa loqueretur? niſi diceret ille, qui fallere neſcit, aut mentiri?

5. Sæpiùs reflectere, ſe poſſe per divitias amiſſibiles inamiſſibiles, per terrenas cœleſtes, per corruptibiles incorruptas, per temporales æternas, imò & per terram Cœlum, per lutum Deum, per creaturam Creatorem obtinere, & quidem omnium amorem, tum in hac vita, tum in altera ſibi conciliando. Igitur *nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur: & ubi fures effodiunt & furantur, theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo: ubi neque ærugo, neque tinea demolitur; & ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Matth. 6.

Denique oculos mentis intendere in paupertatem Chriſti Domini, qui cùm dives eſſet, pro nobis factus eſt pauper, ut nos faceret divites, non in terra, ſed in Cœlo.

APPENDIX.

De Prodigalitate.

QUoniam eidem virtuti, nempe Liberalitati, opponuntur Avaritia & Prodigalitas, illa per defectum, hæc per exceſſum, congruit ut poſtquam de Avaritia diximus pauca de prodigalitate ſubnectamus.

CONCLUSIO I.

PRodigalitas eſt vitium inclinans ad dandum ultra menſuram ratione præſcriptam.

Dico: *ultra menſuram ratione præſcriptam*: non enim omnis qui dat, aut multum dat, eſt prodigus, cùm poſſit fieri quòd plura dans ſit liberalis, & minora, ſit prodigus, ſed quia donatio fit in iis circumſtantiis, in quibus ratio dictat non eſſe dandum, aut non tantùm. Hinc

Reſol. 1. Diſtribuentem omnia bona ſua pauperibus, ut Chriſtum ſequatur, non eſſe prodigum, ſed perfectè liberalem; quia ratio docet nos, prudentiam eſſe commutare temporalia cum æternis.

Reſol. 2. Prodigum eſſe qui devorat ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, hiſtrionibus, adulatoribus &c. quia ratio oſtendit pecuniam non eſſe homini ad illos uſus conceſſam.

Reſol. 3. Etiam Prodigum fore Regem, qui pecuniam, qua pro conſervandis ſubditis omninò indigeret, impenderet in conſtruendis Monaſteriis, dotandis Xenodochiis &c. idem eſt de parente, qui neglectis prolibus, uxore &c. ſimilia præſtaret; quia ratio nos admonet priùs his, quàm illis neceſſitatibus eſſe providendum. Unde D. Ambr. lib. 2. offic. cap. 2. *Etiam bonorum operum ſumptibus immoderatum eſſe non docet. Pulchra liberalitas erga ipſos quoque pauperes tenere menſuram, &c.*

Reſol. 4. Liberalitatem ſic rectè definiri, nempe quòd ſit virtus inclinans ad diſpenſanda bona in uſus proprios & alienos, juxta præſcriptum rationis.

CONCLUSIO II.

PRodigalitas eſt genere ſuo peccatum veniale; & quidem levius avaritia, cæteris paribus.

Dico: *ex genere ſuo*; nam poteſt ab extrinſeco fieri mortale, ſi nempe prodiga bonorum dilapidatio ſit in cauſa, cur non poſſit prodigus debita ſolvere, familiam ſuſtentare, ſit inde aliis ſcandalo, aut gravi detrimento &c.

Prob. 1. Pars Concl. quia etſi prodigus nemini noceat, imò aliis proſit, ſtultè tamen & imprudenter utitur bonis ſibi à Deo conceſſis; cùm non ſequatur ductum rationis, ſed paſſionis: unde Proverb. 21. legitur: *Theſaurus deſiderabilis, & oleum in habitaculo juſti: & imprudens homo diſſipabit illud.* Omnis autem imprudentia ſonat aliquam deordinationem, ſaltem venialem.

Dices: juxta Apoſt. 1. ad Timot. 6. Cupiditas, id eſt, Avaritia, eſt radix omnium malorum; ſed non eſt radix prodigalitatis: ergo prodigalitas non eſt peccatum.

Reſp. Dici radicem omnium malorum, non quia ſemper cauſat omnia mala, ſed quia nata eſt cauſare quodlibet malum, & etiam prodigalitatem, ut dum quis prodigè ſua conſumit ex intentione obtinendi alterius favorem, ac poſtea divitias. Ita D. Thom. 2. 2. q. 119. art. 2 ad 1.

Prob. 2. Pars. Concl. triplici ratione, quam adfert D. Thom. art. 3. 1. quia Prodigalitas minùs differt à Liberalitate, quàm Avaritia: magis enim ad liberalem pertinet dare, in quo ſuperabundat prodigus, quàm accipere vel retinere, in quo ſuperabundat avarus. 2. Quia prodigus multis eſt utilis, avarus autem nulli, imo vix ſibi-ipſi. 3. Quia Prodigalitas, propter majorem cum Liberalitate ſimilitudinem, faciliùs eſt ſanabilis, quam Avaritia: unde experientia convincimur Prodigalitatem paulatim decreſcere, Avaritiam è contra ſemper creſcere; ita ut, quo quis ſit magis ſenex, fiat magis avarus: cujus ratio ulterior eſt, quia quò magis natura deficit, eo magis indiget divitiarum adminiculo & ideo prodigus, ſenior factus incipit manum retrahere, & avarus fortius claudere.

Tertium capitale peccatum eſt Luxuria, de qua egimus in ſextum Decalogi præceptum.

QUÆSTIO III.

Quid Invidia, quale peccatum, quæ ejus filiæ, quæ remedia?

CONCLUSIO I.

INvidia eſt triſtitia de bono alieno quatenus eſt propriæ gloriæ, vel excellentiæ diminutivum.

Dicitur 1. *Triſtitia*; quia licèt non poſſit quis triſtari de bono ut bono, poteſt tamen de bono apprehenſo ut malo: jam autem bonum alienum apprehenditur ab invido ut malum proprium, quatenus credit excellentiam ſuam inde minui.

Dicitur 2. *De bono alieno*; & ideo ſi quis de bono proprio apprehenſo ut malo triſtaretur, non eſſet invidus; cùm nullus ſibi invideat, ſed alteri.

Dicitur 3. *Quatenus eſt propriæ excellentiæ diminutivum*; quia ſi triſtitia reſpiciat aliud motivum, non erit Invidia, ſed vel odium, vel Zelus, vel Æmulatio, juxta motivum apprehenſum. Ex hac definitione

Reſol. 1. Triſtitiam de bono alieno, in quantùm creditur proximus tali bono indignus, non eſſe invidiam, ſed Indignationem, & quidem juſtiſſimam, ſi fiat propter Deum, vel bonum commune, quod creditur ab indigno lædendum.

Reſol. 2. Neceſſe invidiam, triſtitiam de bono proximi ex ipſiuſmet proximi diſplicentia, ſed odium, quod eſt peccatum gravius Invidia.

Reſol 3. Mercatorem triſtatum, quòd vicinus vendat, non ipſe, non eſſe propriè invidum, ſed æmulatorem; quia triſtitia ejus non verſatur circa bonum alienum, ſed circa malum proprium, quod eſt carentia venditionis: unde non triſtatur quia alter vendit, ſed quia ipſe non vendit tantùm, quantùm alter: quod ordinariè accidit inter homines ejuſdem artis, negotii, aut profeſſionis, quos peccati venialis tantùm accuſant Doctores communiter.

Dices: Si alter non venderet, non triſtaretur; ergo triſtatur de venditione alterius, adeoque de bono alieno.

Reſp. Inde ſequi venditionem alterius eſſe occaſionem triſtitiæ, non tamen motivum: quod requiritur ad Invidiam.

Reſol 4. Illum eſſe propriè invidum, qui triſtatur, quòd alter officium, dignitatem, beneficium, hæreditatem &c. obtinuit, quia inde fit quòd præ ſe excellat, & major habeatur.

Reſol. 5. Supremum Invidiæ peccatum eſſe invidiam fraternæ Charitatis, qua quis invidet fratri virtutes, gratiam, dona Spiritus Sancti &c. quia quo majus eſt bonum proximi, de quo triſtatur invidus, eò gravior eſt illius invidia: unde dicitur peccatum in Spiritum Sanctum; quia qui ſic invidet, etiam Spiritui Sancto invidet, qui in donis ſuis & operibus glorificatur.

CONCLUSIO II.

INvidia eſt peccatum ex genere ſuo mortale.

Dico: *Ex genere ſuo*; quia poteſt eſſe veniale, vel defectu conſenſus, aut advertentiæ ſufficientis, vel ex parvitate materiæ, ut contingere ſolet quandoque inter pueros.

Prob. Concl. tum ex Script. ad Galat 5. ubi inter opera carnis à Regno Dei excludentia, ponuntur *Invidiæ*. Tum ex SS. PP. contra invidiæ malitiam mirum in modum invehentibus: unde D. Greg. Nicæn de vita Moyſis poſt med. *Invidia, malorum principium, mortis mater, prima peccati janua, vitiorum radix, doloris initium, calamitatis parens, inobedientiæ cauſa, ignominiæ principium, mortifer ſtimulus, mucro reconditus, naturæ morbus, bilis venenoſa, tabes ſponte adhibita, telum amarum, figens animam clavus, flamma cordis, inteſtinorum ignis*. Tum etiam quia Invidia opponitur Charitati; cùm hæc gaudeat, illa triſtetur de bono proximi; peccatum autem Charitati oppoſitum eſſe ex genere ſuo mortale, docet D. Thom 2. 2. qu. 36. art. 3. & certè ſi ſit de ſe peccatum grave contra Juſtitiam deſtruere bonum proximi, quidni etiam eſſet peccatum grave contra Charitatem dolere non eſſe deſtructum? Fatendum tamen plus materiæ requiri ad peccatum mortale in Invidia, quàm in deſiderio efficaci nocendi proximo; cujus ratio eſt, quòd Invidia importet tantùm dolorem & diſplicentiam abſque voluntate quidquam exequendi; & conſequenter ſi volens efficaciter furari ſeminummum, peccet mortaliter, non ſequitur graviter etiam delinquere invidentem alteri ſeminummum: unde ad peccatum mortale requirerem (ſalvo meliori judicio) nummum circiter.

Hujus peccati gravitatem oſtendit D. Bonav. in Dieta ſalutis tit 1. cap 4. per varias comparationes: 1. Invidiam comparat *vermi* in ligno, *rubigini* in ferro, & *tineæ* in veſtimento: nam ſicut illa magis corrumpunt proprium ſubjectum, quàm alia; ita invidus magis ſibi nocet, quàm iis, quibus invidet. 2. *Diabolo*, qui ſicut vellet, ut nullus eſſet bonus; ita invidus, ut nullus eſſet ſibi ſimilis 3 *Oculo menſtruatæ*; nam ſicut illa inficit ſpeculum, dum illud reſpicit; ita invidus conatur inficere proximum, dum reſpicit ejus bonum. 4 *Draconi*; quia ſicut Draco inſidiatur Elephantis partui ut ipſum pungat, & mordeat, vel comedat, ſic invidus bono alieno inſidiatur judicio pravæ ſuſpicionis, & poſtea mordet vel pungit aculeo murmurationis, & inficit veneno detractionis. Ita ferè Doct. Seraph. ſup.

CONCLUSIO III.

FIliæ Invidiæ ſunt Odium, Detractio, Contumelia, Suſurratio, Judicium temerarium, Suſpicio infundata, Calumnia, Convitium, Improperium, Exultatio in adverſis, Triſtitia in proſperis &c. unde S Ambr. precat. 2. ante Miſſam tom 5. *De Invidia odium, ſuſurratio, detractio, exultatio in adverſis proximi, afflictio autem in proſperis ejus propagatur, o mala progenies! quæ ſi animo intromiſſa dominari cœperit, omnem ſanctitatis ſobolem extinguit*. Quoniam tamen de detractione & cæteris ſufficienter egimus in octavum Decal. Præceptum, hic de ſolo Odio pauca dicemus.

Eſt ergo præcipua & magis familiaris Invidiæ filia *Odium*, quod eſt averſio voluntatis ab eo, quod apprehenditur ut malum: ſicut autem duo ſunt amorum genera, nempe amor amicitiæ, & amor concupiſcentiæ, ita & duo ſunt odia, unum inimicitiæ, quo volumus proximo malum, ut ipſi male ſit, & aliud abominationis, quo fugimus perſonam ut nobis incommodam, ex ipſiuſmet perſonæ diſplicentia. Quod addo; quia ſi quis alterum odio habeat, quia fur eſt, aut luxurioſus, ita ut non perſonam, ſed ejus furtum aut luxuriam abominetur, odium illud non eſt peccatum, adeoque nec Invidiæ filia, de qua hic agimus.

Odium inimicitiæ, tum erga Deum, tum erga proximum, eſt peccatum de genere ſuo graviſſimum; cùm formaliter & directè opponatur Charitati, quæ admonet nos, ut id nolimus alteri, quod nollemus nobis fieri: ſi tamen odium illud tantùm verſetur in proximum, poterit eſſe veniale ob materiæ parvitatem, ſi nempe malum, quod alteri optamus, ſit in ſe leve; quandoquidem totam malitiam ſuam trahat à malo imprecato: imò ſi odium noſtrum tendat, non in perſonam, ſed in vitium perſonæ, & ideo optemus malum, non ut perſonæ malè ſit, ſed ut malo correpta, v. g. morbo, vitium deſerat, non erit peccatum, modò tamen malum optatum ſit proportionatum malo vitando.

Ratio eſt; quia tunc in rei veritate & ſecundum Deum, non malum imprecamur, ſed bonum; cùm ſit medium ad vitæ emendationem. Vide dicta de Maledictione in octavum Decal. Præceptum.

Odium abominationis, ſi reſpiciat Deum, ſemper eſt mortale, ſi proximum, ordinariè eſt veniale.

Ratio prioris eſt, quòd malitia odii creſcat proportionatè ad bonitatem ſui objecti; ita ut majus ſit peccatum, ubi major eſt objecti bonitas: & conſequenter cùm Deus ſit infinitè bonus, ſumma eſt deordinatio Deum odiſſe, & ideo qui propter infirmitatem, paupertatem, afflictionem &c. Deum odio proſequuntur, ſunt graviſſimè culpabiles, licèt malum nullum ei imprecentur.

Ratio poſterioris eſt, quòd reſpectu proximi, ſit mera perſonæ creatæ, multiſque imperfectionibus ſubjectæ diſplicentia, abſque eo quod ei malum aliquod aut fiat, aut imprecetur, in quo non videtur tanta deordinatio.

Dixi: *Ordinariè*; quia ſi averſio illa duret, ubi urget proximi diligendi præceptum, eſt mortalis. Item mortalis eſt, ſi ſit cauſa gravis ſcandali, aut tanta ſit, ut quis nolit veniam petenti condonare, aut recuſet proximo communia Charitatis officia, ſaltem graviora, exhibere, ut graviter indigenti eleemoſynam dare, in foveam lapſo ſuccurrere &c.

CONCLUSIO IV.

COntra Invidiam applicari poſſunt remedia ſequentia.

Conſiderare quòd reddat hominem omninò infœlicem: invidus enim inquit D. Bonav. ſup *De bonis aliorum affligitur, de melioratione deterioratur, de profectu deficit, de pinguedine marceſcit, de ſanitate infirmatur, de vita moritur, & ipſe amittere ſe putat quod alii lucrantur, & ſicut diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ita invido omnia cooperantur in malum*.

2. Reflectere quòd omnes homines ſint fratres, tum ex parte naturæ, tum ex parte gratiæ: ex parte naturæ, una eſt omnium origo, nempe Deus; unus omnium pater, nempe Adam; una omnium mater, nempe Eva: ex parte gratiæ etiam unus eſt omnibus pater Deus, una mater Eccleſia, unus Redemptor Chriſtus, unus communis omnium frater, idem Chriſtus: quod ſi ergo fratres ſumus in Domino, cohæredes in Chriſto, ejuſdem corporis membra, eodem redempti Sanguine eadem muniti Fide, ad eandem gratiam & gloriam vocati, procul abeſſe debet omnis Invidia, procul omnis æmulatio & diſcordia: ſit cor unum, anima una, ſcopus unus, voluntas eadem.

3. Sibi perſuadere, Invidiam nihil prodeſſe invido, niſi ad peccatum, & inutilem cruciatum: nam ſuppoſito, quòd per Invidiam tuam, privaretur proximus bonis, quæ ipſi invides, equidem illa non haberes: unde præcipuus & fortè unicus Invidiæ effectus eſt nocere authori ſuo & ſpiritualiter & corporaliter. Et ideo Iſidorus lib. 2. Synonim. cap. 8. *Invidia ſibi primum nocet, primum ſe mordet, primum authorem ſuum rodit.....ſenſum comedit, pectus urit, mentem afficit, cor hominis quaſi quædam peſtis depaſcit*.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO IV.

Quid dicendum de Gula?

GUla ex primaria ſua ſignificatione, eſt meatus ille per quem cibus & potus tranſmittitur ad ſtomachum; quia tamen illius meatus extremitas ſuperior percipit, ſicut lingua, rerum ſaporem; ideo SS. Patres & Theologi, comedentes aut bibentes potiùs ut ſatisfaciant illi parti corporis, quàm naturæ neceſſitati, vocarunt *guloſos*, & eorum vitium *Gulam*. Porro etſi Gula nonunnquam ſumatur pro ſola inordinatione cibi; generalitet tamen accepta etiam comprehendit inordinationem potus; & ideo dividitur in Crapulam, & Ebrietatem: illa reſpicit cibum immoderatum, hæc potum ſuperfluum. De hac duplici Gulæ ſpecie varia occurrunt diſcutienda Articulis ſequentibus.

ARTICULUS I.

Quid Crapula; quale peccatum, & quot modis exerceatur?

CONCLUSIO I.

CRapula eſt appetitus inordinatus eſculentorum.

Dicitur 1. *appetitus*, per quem non tantùm intelligimus, delectationem inordinatam, quam quis immoderatè comedendo percipit, ſed etiam deſiderium inordinate comedendi.

Dicitur 2. *inordinatus*; nam cùm cibus & potus ſint ad corporis ſuſtentationem à Deo ordinati, qui illis utitur juxta præſcriptum rationis, & neceſſitatis; tantùm abeſt ut peccet, ut è contra poſſit mereri.

Sed poteſtne quis ſine peccato ſumere delectationem ex cibo aut potu, dum actualiter reficitur?

Reſp. Poſſe dummodo delectatio ſit proportionata rerum ſapori, & aliunde non ſit affectata.

Ratio eſt; quia cui licèt actus, licet & delectatio ex actu naturaliter proveniens, ut patet in actu conjugali; at qui ex ciborum ſapore ſequitur naturaliter quædam delectatio, ut convincit experientia: ergo &c. Imo ſicut natura annexuit actui matrimoniali quandam delectationem, ne homines illum contemnendo, generis ſui multiplicationi nocerent; ita & quandam annexuit ciborum ſumptioni, ne homines, præſertim infirmi, illam negligerent cum vitæ periculo. Unde Aug. l. 4 contra Julian. cap. 14. *Non ſolum cibo, ſed etiam cibi ſapore indiget infirmitas corporis noſtri, non propter exſaturandam libidinem, ſed propter tuendam ſalutem.*

Aliud eſſet, ſi quis comederet ob ſolam delectationem: tunc enim venialiter peccaret, etiam ſecluſo corporis nocumento: ut patet tum ex condemnatione hujus propoſitionis ab Innoc. XI. *Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum modo non obſit valetudini*: tum etiam quia cibus & potus non ſunt propter ſolam delectationem guſtus, ſed mediante ipſa propter ſuſtentationem, ita ut delectatio ſit finis ſubordinatus ſuſtentationi, quem finem pervertit qui comeſtionem ordinat ad ſolam delectationem: unde de ipſo dici poteſt quòd vivat ut comedat, & non comedat ut vivat.

CONCLUSIO II.

CRapula ordinariè tantùm eſt peccatum veniale: ubi autem enormis eſt, poteſt eſſe mortale.

Prob. 1. Pars 1. authoritate D. Aug. ſerm. 4. in die Animarum, Tom. 10 ubi ait: *quoties aliquis in cibo aut potu plus accipit, quàm neceſſe ſit, ad minuta peccata pertinere noverit.*

2. Ex D. Thoma 1. 2. qu. 148. art. 2. *Si verò in vitio gulæ intelligatur inordinatio concupiſcentiæ tantùm ſecundam ea, quæ ſunt ad finem, utpote quia nimis concupiſcit delectationes ciborum...... eſt peccatum veniale.*

3. Ratione; quia ubi commeſſatio non eſt enormis: nec cenſetur enormiter præſcriptum rationis lædere.

Dixi. *ordinariè*; quia variis caſibus poteſt eſſe peccatum mortale 1. Ratione ſcandali: dicit enim Apoſt. 1. Cor. *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.* 2. Ratione infirmitatis, ut ſi quis ex ingurgitatione prævideat, aut prævidere debeat contracturum ſe morbum notabilem. 3. Ratione periculi, v. g. incidendi in pollutionem, aut aliud carnale peccatum. 4. Ratione impotentiæ ſervandi præcepta graviter obligantia, ut ſolvendi debita, alendi familiam, ſtudendi in Judice, aut Advocato, ubi res urget &c. 5. Si quis ob gulam ſit paratus violare omnia jura divina & humana, quod eſt ultimum finem ſuum in ventris cultu ponere, ut olim faciebant Epicuræi, de quibus ad Philip. 3. dicitur: *quorum Deus venter eſt*. Et Rom. 16. *Chriſto Domino noſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri.*

Prob. 2. pars concl. quæ eſt contra varios volentes ingurgitationem enormem, etiam uſque ad vomitum, non eſſe de ſe peccatum mortale: quod etiam extendunt ad eum, qui eo fine vomeret, ut ſe iterum ingurgitaret. Prob. inquam, 1. ex Script. ad Gal. 5. ubi inter opera carnis à regno Dei excludentia, enumerantur *commeſſationes*, ſcilicet ad minimum *enormes*.

2. Ratione; quia monſtruoſa illa, & pluſquam beſtialis ingurgities videtur intellectui ſano præſcriptum rationis graviter tranſcendere. Ex quo ſequitur dari poſſe peccatum mortale intra limites crapulæ.

CONCLUSIO III.

POteſt quis gulæ peccatum committere quinque modis hoc verſu expreſſis.

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, ſtudioſè.

Præproperè comedentes peccant mortaliter, ſi in die jejunii notabiliter præveniant tempus ordinarium refectionis, venialiter autem ſi aliis diebus, vel nimis manè, vel ante orationem, vel ſæpius quàm deceat ad patinas currant ſine neceſſitate. Sed quid ad iis, qui diebus dominicis & feſtis jentaculum præponunt auditioni Miſſæ? Non auſim condemnare peccati, ſi antea preces fuderint; & aliundè tempus ordinarium non præveniant; laudo tamen ſecùs agentes.

Lautè comedere cenſetur, qui nimia ſollicitudine quærunt cibos pretioſos, delicatos, aut particulares, idque ex ſola Gulæ aviditate. In hunc abuſum lapſi ſunt Iſraelitæ in deſerto; quibus cùm plueret manna de Cœlo in Carnium concupiſcentiam exarſerunt; ſed Deum ita irritaverunt, ut viginti tria millia hominum perierint. *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum & ira Dei aſcendit ſuper eos.* Pſal. 77.

Dixi: *Ex ſola Gulæ aviditate*; nam propter infirmi conſolationem, Principis adventum, convivii occurrentiam, vel ordinariam ſeſe lautiùs certo die recreandi conſuetudinem, fieri poteſt ſine peccato: unde dicit Auguſt. lib. 3. de Doctrina Chriſtiana cap. 12. *In omnibus talibus, non uſus rerum, ſed libido utentis in culpa eſt. Fieri enim poteſt, ut ſine aliquo vitio cupiditatis vel voracitatis pretioſiſſimo cibo ſapiens utátur: inſipiens autem fœdiſſima Gulæ flamma in viliſſimum ardeſcat.* Idem ait Gregor. lib. 30. moral. cap 14. *Neque enim cibus*, inquit, *ſed appetitus in vitio eſt. Unde & lautiores cibos plerumque ſine culpa ſumimus, & abjectiores non ſine reatu conſcientiæ deguſtamus.*

Nimis denotat ciborum ſumptionem immoderatam, quæ mortalis eſt, aut venialis, ſecundùm ea quæ diximus concl. præced. difficile tamen eſt limites debitæ comeſtionis non excedere; quia venter eſt exactor inquietus, niſi temperantiæ frænum ei injiciatur: unde S. Gregorius lib. 30. moral. cap. 14. (aliàs 28) hic à S. Thoma relatus: *Quia per eſum voluptas neceſſitati miſcetur, quid neceſſitas petat, & quid voluptas ſuppetat, ignoratur*: & ideo debet unuſquiſque complexionem ſuam conſulere, & inde ſibi regulas præſcribere.

Ardenter ſumitur cibus, cùm nimis avidè; aut voluptuosè ſumitur: quod contingere poteſt etiam in cibis vilioribus: ut in piſis, fabis, lenticula &c. Teſtis eſt experimentalis Eſau, qui fratris ſui lenticulæ nimium avidus, pro ea, primogenita ſua ſtultè commutavit: unde Aug. lib. 10. Confeſſ. cap. 31. *Non ego immunditiam obſonii timeo, ſed immunditiam cupiditatis.... ſcio Eſau lenticulæ concupiſcentia deceptum &c.*

Studioſè manducare dicuntur, qui nimis accuratam & exquiſitam in ciborum condimentis præparationem exquirunt: unde Hugo de diſciplina cap. ult. *Quidam ſunt, qui in præparandis cibis, nimium ſtudium adhibent, infinita decoctionum genera excogitantes, modo mollia, modo dura, modo calida, modo cocta, modo aſſa deſiderant, & tanta ſollicitudine præparantur, ut devoratis jam quatuor aut quinque ferculis, prima non impediant noviſſima, ſemper novos ſapores deſiderant, inſtar fœminarum prægnantium...... ad irritandam autem gulam hæc ſunt, non ad ſuſtentandam naturam: ad aviditatem explendam, non ad neceſſitatem ſupplendam.*

Quærunt hic aliqui, an liceat comedere carnes crudas, & in extrema neceſſitate humanas; Dico: *in extrema neceſſitate*; quia extra illam, comeſtionem carnium humanarum eſſe graviter peccaminoſam, dictat ſenſus communis, & horror ingenitus omnibus in quibus non eſt ſepulta humanæ naturæ dignitas: unde nonniſi apud nationes omnino barbaras, belluinas, & pecudum more viventes, hoc fieri legimus. Ad quæſtionem

Reſp. 1. Comedere carnes animalium crudas ex neceſſitate, v. g. quia aliæ deſunt, & non eſt coquendi commoditas, aut etiam quia morbus id exigit, nullum eſt peccatum, quia comeſtio illa veſtita talibus circumſtantiis non adverſatur rationi: ubi

tamen

Digitized by Google

tamen nulla foret neceſſitas, eſſet peccatum veniale, quia videtur hoc magis belluinum, quàm humanum, imò foret mortale, ſi quis inde graviter ſibi noceret, quandoquidem teneamur ex Charitate vitam propriam conſervare.

Reſp. 2. Non videri graviter prohibitum comedere carnes hominis occiſi, aut mortui; in extrema neceſſitate. Ratio eſt; quia etſi dictet pietas impediendum eſſe corporibus mortuis officium ſepulturæ, non tamen in omnibus caſibus: & certè, ſi liceat ad aliorum terrorem & exemplum cadaver hominis ſupplicio affecti exponere avibus & feris dilaniandum, quidni & eius carnes comedere ad conſervationem vitæ? Non licebit tamen propterea hominem occidere; quia cùm ſit intrinſecè malum occidere innocentem; nullo caſu poteſt fieri licitum.

Dices, comeſtionem illam cauſare horrorem.

Reſp. Non omnia quæ cauſant horrorem ſemper eſſe illicita: abhorremus enim æquè, imò magis comedere mures, ſtercora &c. & tamen horum comeſtionem licitam eſſe in extrema neceſſitate, nullus dubitavit. Interim cùm medium illud ad conſervandam vitam ſit omnino extraordinarium, & aliunde non obligemur vitam noſtram omnibus modis conſervare, non tenemur illo uti, & ideo forte quando in obſidione 4. Regum 6. venundabatur caput Aſini octoginta argenteis, & quarta pars cabi ſtercoris columbarum quinque argenteis, non conſuluit Eliſæus, ut veſcerentur cives cadaveribus humanis.

ARTICULUS II.

Quid Ebrietas, & quale peccatum?

CONCLUSIO I.

EBrietas eſt ſumptio potus uſque ad violentam uſus rationis privationem.

Dicitur 1. *Sumptio potus*; quia dupliciter accipi poteſt Ebrietas, 1. pro defectu uſus rationis ex nimio potu proveniente, & ſic non eſt peccatum, ſed effectus peccati, 2. pro nimia potatione, & ſic eſt peccatum capitale, quod hic definimus.

Dicitur 2. *Uſque ad violentam &c.* quia dupliciter auferri poteſt uſus rationis, naturaliter & violenter: naturaliter aufertur in dormientibus per ſomnum, in febricitantibus per nimiam ſpirituum abundantiam; in hypocondriacis per vaporem noxium, cerebrum per intervalla occupantem, violentè per nimiam corporis agitationem, ut in phræneticis; per iram vehementem, ut in cholericis, per fumum tabaci aut per odorem lupuli, ut in debilibus; & per nimiam potus inebriativi ſumptionem, ut in ebriis.

Addunt hic aliqui noſtræ definitioni, *cauſa voluptatis*, ſed infundatè, quia ſi aliquis, cui omnino ingratus eſſet potus, optaretque ex animo abſtinere, potum tamen continuaret ob amici importunitatem, culpam ebrietatis incurreret, ubi inciperet uſu rationis privari.

CONCLUSIO II.

EBrietas ſive expreſsè ſive interpretativè volita, eſt mortalis ex ſuo genere. Eſt autem expreſsè volita, cùm quis bibendo ebrietatem directè intendit: quod rariùs accidit. Interpretativè verò, cum quis vult bibere tantùm, quantùm poteſt, non curans, an ebrietas ſequatur necne: ſicut & quando advertens ſe inebriandum ſi pergat, nihilominus non deſiſtit: aut etiam dum negligit inquirere de potus generoſitate aut fortitudine, quod ſæpius contingit.

Prob. autem concl. 1. ex Script. quia ebrii ad Galat. 5. excluduntur à Regno Dei, & Iſa 5. legitur *Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam &c.* & iterum: *væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem*. *Væ* autem non uſurpat ſcriptura, niſi contra peccatum mortale.

Prob. 2. Ex SS.PP. vehementiſſimè contra ebrietatem declamantibus, ex quorum dictis ac præſertim Aug. de ſobrietate c. 1. ante med. eruitur hæc ebrietatis deſcriptio: *animæ corruptela, inſania voluntaria, procella corporis, tempeſtas linguæ, naufragium caſtitatis, amiſſio temporis, bonorum prodigalitas, omnium vitiorum mater, omniumque flagitiorum origo*.

Prob. 3. Ratione, quia maxima eſt deordinatio, quòd quis ſciens & volens privet ſe potentia proxima utendi ratione, etiam occurrentibus quibuſcunque negotiis, præſertim cùm ratio ſit præcipuum hominis bonum, ipſumque à brutis ſecernat, quibus tamen per ebrietatem aſſimilatur, imò fit pejor ipſis; ut experientia convincit.

Obj. 1. legitur Gen. 43. Joſeph & fratres ipſius fuiſſe inebriatos; ſed non eſt credibile quòd Joſeph vir juſtus id feciſſet, ſi ebrietas fuiſſet peccatum, ſaltem mortale: ergo.

Reſp. Cum interpretibus, Scripturam ibi tantùm velle fuiſſe copioſè ſatiatos, non ebrios: unde etiam alibi uſurpat ebrietatem pro ſatietate, ut pſal. 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*, id eſt, plenè ſatiabuntur.

Obj. 2. Aug. ſerm. 41. de Sanctis, qui eſt 4. de animabus defunct. computans ebrietatem inter peccata mortalia, addit: *ſi aſſidua ſit*, & ſerm. 232. de temp. circa fin *ſi frequens fuerit*: ergo ubi non eſt aſſidua, aut frequens non eſt mortalis.

Reſp. Sanctum Doct. non intendere quòd ſola aſſiduitas aut frequentia reddat ebrietatem mortalem, ſed quòd denotat ipſam certò eſſe mortalem; quia aſſiduè & frequenter ebrius meliùs novit potus fortitudinem, & ſuam bibendi capacitatem; ubi rarò ebrius poteſt vel ex parte vini, vel ex parte ſui decipi, & ideo à gravi peccato excuſari.

Obj. 3. D. Thomam q. 2. de malo, art. 8. & q. 7. art. 4. ad 1. qui aſſerit ebrietatem, per ſe loquendo, tantùm eſſe venialem.

Reſp. Quidquid ſit de illis locis, in quibus videtur nobis contrarius, expreſſiſſimè ſententiam noſtram tenere in Summa 2. 2. q. 150 art. 2. ubi concludit: *unde ebrietas per ſe loquendo, eſt peccatum mortale*. Similiter ſect. 3. in cap. 13. ad Rom. *eſt conſiderandum quòd ebrietas ex ſuo genere eſt peccatum mortale*. Idem habet alibi.

CONCLUSIO III.

POteſt quis peccare mortaliter per exceſſum potus, etiamſi non ſit ebrius.

Ratio eſt; quia poteſt quis adhuc rationis compos potu exceſſivo enormiter temperantiam lædere, ut ſi ejus potitatio, attento uſu communi, ſit monſtruoſa, & omninò extraordinaria: quod non obſcurè inſinuat Scriptura dum dicit, *væ*, non ſolum ebriis, ſed etiam iis, *qui potentes* ſunt *ad bibendum vinum* Iſaiæ 5. & *his qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis*. Proverb. 23. Quantus autem requiratur exceſſus ad peccatum mortale? non poteſt particulariter determinari; cùm ſpectanda ſit circumſtantia temporis, continuationis, imo & perſonæ potitantis: unde fieri poteſt quòd potatio non ſit enormis reſpectu quinque aut ſex horarum, ſit tamen reſpectu unius aut alterius horæ. Item quòd non ſit monſtruoſa reſpectu corporis magnæ molis, ſit tamen reſpectu alterius.

ARTICULUS III.

An liceat ſe inebriare ſanitatis recuperandæ aut mortis vitandæ cauſa?

QUantum ad primam partem, caſus eſt fortè metaphyſicus, cùm vix aut ne vix excogitari poſſit morbus; pro cujus ſanatione requiratur potus inebrians in tanta quantitate, ut infirmus uſu rationis ſit privandus: ſed quidquid ſit, loquimur hic in ſuppoſito.

CONCLUSIO I.

PRobabiliùs eſt non licere ſe inebriare, etiam ex præſcripto Medici, ad recuperandam ſanitatem. Ita S. Antoninus, Angelus, Sylvius & alii.

Prob. 1. Nullo caſu licitum eſt, quod intrinſecè malum eſt, ſed violenter privare ſe uſu rationis, intrinſecè malum eſt, cùm de ſe & ſuis intrinſecis repugnet naturæ rationali: ergo.

Prob. 2. Ebrietas ſecundùm D. Thomam & omnes alios, eſt per ſe loquendo peccatum mortale, ſed illo caſu eſt vera, propria, & formalis ebrietas, cùm ſit voluntaria ſumptio potus, uſque ad violentam uſus rationis privationem: ergo.

Dices: tunc non intenditur uſus rationis privatio, ſed ſanitas.

Reſp. 1. Si ad ebrietatem deberet intendi illa privatio, nullum unquam fore ebrium; cùm ne unus illam intendat: ſed vel ſatisfacere amico importuno, vel ſenſualitati, vel vanæ jactantiæ fortiter potitandi &c.

Reſp. 2. Etſi non intendatur directè uſus rationis privatio, intenditur tamen efficaciter, cùm ſcienter ponatur cauſa per ſe & directè inebriativa.

Prob. 3. Non licèt ſe inebriare ad vitandam mortem ab alio intentatam, ut poſtea evidenter oſtendemus ex Aug. ergo nec ad vitandam mortem ex morbo eventuram.

Objic. 1. Tanta ſumptio potus in tali homine non eſt ſuperflua, aut immoderata, cum illam requirat infirmitas: unde D. Thomas 2. 2. qu. 150. art. 2. ad 3. *ſicut quandoque contingit ut cibus, vel potus qui eſt moderatus ſano, ſit ſuperfluus infirmo, ita etiam poteſt è converſo contingere ut ille, qui eſt ſuperfluus ſano, ſit moderatus infirmo*.

Reſp. diſt. aſſumptum. Non eſt immoderata reſpectu morbi expellendi: tranſeat, reſpectu uſus rationis, ad cujus privationem de ſe ordinatur, nego.

Obj. 2.

Objic. 2. Poteſt mulier ſumere medicinam directè tendentem in curationem morbi, etſi meritò timeatur ejectio fœtus inanimati ſecutura: ergo etiam licèt infirmo ſumere potum directè tendentem ad procurationem ſanitatis, etſi putetur ebrietas eventura.

Reſp. neg. conſeq. Diſparitas eſt quòd potus in 2. caſu etiam directè tendat ad uſus rationis privationem; cum ex ſe & ex natura ſua ſit inebriativus, non ſic medicina in 1. caſu, cùm ſupponatur non eſſe de ſe expulſiva, aut extinctiva fœtus, aliàs etiam illicitè ſumeretur, ut diximus in Diſput. de abortu, in quintum Decalogi præceptum.

CONCLUSIO II.

NEc licet ſe inebriare ad vitandam mortem ab alio intentatam. Eſt communis contra paucos.

Prob. 1. Ex Auguſt. ſerm. 231 de temp. in init. ubi ait. *qui enim alterum cogit ut ſe, pluſquam opus eſt bibendo, inebriet, minus malum ei erat, ſi carnem ejus vulneraret gladio, quàm animam ejus per ebrietatem necaret.* Ubi clarè oſtendit etiam coactè potitantem, necare animam ſuam, ſi ſe inebriet. Sed rem clariùs, imò in terminis decidit ſerm. 232. *Etiamſi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur: aut bibas, aut morieris, melius erat ut caro tua ſobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur.* Conantur quidem aliqui verba Auguſtini in alium ſenſum extorquere, ſed immeritò, cùm ibidem tam clarè, tam aperte, tam evidenter mentem ſuam exprimat, ut non relinquatur dubitandi locus.

Prob. 2. Quia quod ex ſe, & ex ſuis intrinſecis malum eſt, nullo unquam ſine poteſt cohoneſtari; aliàs eſſet intrinſecè malum, & non eſſet.

Objic. 1. Licet ſibi amputare manum ad vitandam mortem à tyranno intentatam: ergo & ſe inebriare; cùm videatur minùs, privare ſe uſu rationis ad breve tempus, quàm privare ſe manu in perpetuum.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quod homo manu, aut alio membro mutilatus retineat dignitatem, conditionem, & gravitatem hominis, privatus autem uſu rationis, ſolùm hominis nomen retineat, fiatque jumento ſimilis aut pejor, & ideo ratio, quæ dictat exponendam eſſe aliquando partem corporis pro conſervatione totius, nunquam dictat eligendam eſſe ideo ebrietatem.

Objic. 2. Ebrietas illo caſu non eſt intenta, ſed permiſſa, & quidem ex cauſa graviſſima.

Reſp. Neg. Aſſumpt. quia quando intenditur aliquid, ex quo per ſe ex natura ſua aliud ſequitur, intenditur & ipſum aliud in actu exercito, ut per ſe patet.

ARTICULUS IV.

Quid dicendum de Cauponibus promentibus potum iis, quos inde prævident inebriandos?

CErtum eſt, 1. Graviter peccare caupones, ſi inebriandos, plura vendendi ac lucrandi prætextu, ad potum continuandum provocent; nam ſi, teſte Apoſtolo Rom. 1. Digni ſunt morte, non tantùm qui malè agunt, ſed etiam qui malè agentibus conſentiunt, à fortiori qui alios ad malè agendum provocant & inducunt.

Certum eſt 2. teneri caupones tali caſu ipſis inſinuare verbis honeſtis potus hauſti ſufficientiam, ſibi nocendi periculum, noctis adventum, & alia, quibus à potu continuando poſſunt cohiberi; quia urget nos Charitatis vinculum, ut proximi peccatum impediamus, quantùm poſſumus.

CONCLUSIO I.

MOrtaliter peccant caupones, qui potum miniſtrant iis, quos inde prævident inebriandos, ſi ex denegatione non timeantur gravia incommoda. Eſt communis & certa.

Prob. 1. Quia licèt vendant & miniſtrent rem de ſe indifferentem; quia tamen hic & nunc eſt materia ebrietatis, adeoque & peccati, tenentur illam denegare, ſicut tenentur peccatum proximi impedire.

Prob. 2. Quia lex de impediendo proximi peccato non minùs afficit caupones, quàm alios; & conſequenter ſi teneantur proximi ebrietatem impedire, à fortiori tenentur materiam ebrietatis non ſubminiſtrare.

Dices 1. Si ita agerent cum potitoribus, pauci ad eorum tabernas confluerent, ſicque grave detrimentum paterentur.

Reſp. Excuſationem eſſe in peccatis: quò quis enim magis Deum timet, leges ejus obſervando, eò magis proſperari ordinariè videmus, Deo, à quo bona cuncta, etiam temporalia, procedunt, ſic diſponente.

Dices 2. Sic equidem potitantium ebrietatem non impedient, cùm ſint alibi potum reperturi.

Reſp. Nullibi reperturos, ebrietatemque vitandam, ſi caupones omnes munere ſuo fungantur.

Præterea ſicut vicinus tuus non miniſtrabit potum talibus ſine peccato; ita nec potes ſine peccato miniſtrare.

Dices 3. In partibus hæreticorum poſſunt caupones Catholici miniſtrare hæreticis carnes in Quadrageſima, licèt peccent hæretici comedendo. ergo ſimiliter in noſtro caſu.

Reſp. Diſt. Ant. Si abſque gravi incommodo nequeant illas denegare: C. aliàs N.

Dices 4. Si potus eis denegetur, non ſolvent expenſas priùs factas.

Reſp. Periculum illud eſſe remotum; quia ſi non ſolvant die præſenti, ſolvent ſequenti, aut ſaltem ſolvere cogentur. Præterea vel expenſæ ſunt leves, & ſunt poſtponendæ peccato mortali, vel graves, & tunc ſi nulla ſpes appareat ſolutionis, cenſetur non poſſe potus denegari ſine detrimento notabili: & ideo dixi in concl. *Si ex denegatione non timeantur gravia incommoda.*

Unde ſi blaſphemiæ, jurgia, rixæ, & alia graviora meritò timeantur, tenent communiter DD. non eſſe peccatum eis plus promere, quàm poſſint ferre; quia nec intenditur, nec quæritur eorum ebrietas, ſed miniſtratur res indifferens, & quidem ad vitanda gravia inconvenientia. Ex dictis

Reſol. 1. A fortiori culpabiles eſſe caupones, qui, ut videantur vinum generoſum, aut cereviſiam fortem ſubminiſtrare, potus ſuos intermiſcent liquoribus, aut herbis inebriativis.

Reſol. 2. Similiter reos eſſe, qui de ſui potus fortitudine juvenes, aut inſcios non admonentes, incautos decipiunt; quia hi, ſicut & præcedentes, cenſentur ad eorum ebrietatem concurrere.

Reſol. 3. Hoc eſſe diſcrimen inter eos, qui ultro potum exhibent ſe inebriaturis, & eos, qui nonniſi ut evitent gravia incommoda, quòd illi, non quidem phyſicè, ſed moraliter concurrant ad ebrietatem; hi autem nec phyſicè, ut patet, nec moraliter; quandoquidem nullus hominum dixerit eum, qui potum exhibet præciſè ut blaſphemias, aut alia gravia inconvenientia impediat, cauſam eſſe ebrietatis.

Reſol. 4. Idem eſſe dicendum cum proportione de iis, qui carnes aut ſecundam refectionem miniſtrant in die jejunii, ac de illis, qui potum promunt ſe inebriaturis, cùm ſit par ratio.

ARTICULUS V.

Variæ quæſtiunculæ de Ebrietate.

PEtes 1. Quæ ſint excuſationes ebriorum?

Reſp. ſequentes. 1. Dicunt vinum creatum eſſe à Deo ad recreationem, & conſequenter licere eo uti copioſè: ſi autem quandoque eveniat ebrietas, per accidens eſſe, & contra intentionem. Sed audiant Scripturam Eccl. 31. *Vinum in jucunditatem creatum eſt, & non in ebrietatem*: unde Chryſoſt. hom. 58. in Matth. *Ebrio... dicas*, inquit, *datum eſſe vinum ad lætitiam & non ad turpitudinem noſtram: datum eſt ut rideamus, non ut derideamur: ut rectè valeamus, non ut ægrotemus: ut imbecillia corpora reficiamus, non ut robur animi dejiciamus.*

2. Alii culpant vinum dicentes: *utinam non eſſet vinum* Contra quos Chryſoſtomus ſupra dicit: *Utinam non eſſet ebrietas, non eſſent deliciæ: ſi verò dicis utinam non eſſet vinum, ordine paulatim progrediens optabis ne ſit ferrum propter homicidium, ne ſit nox propter fures, ne ſit lux propter calumniatores, ne ſit fœmina propter adulterium, & ſic omnia Dei opera tibi deſtruentur. Non igitur... vinum, ſed ebrietatem crimineris.*

3. Alii objiciunt ſibi conſuetudinem bibendi feciſſe, nonniſi cum maxima difficultate evitabilem: illis remedium præbet Auguſt. ſerm. 231. de temp. *qui ſe de hoc malo deſiderat liberare, quomodo ſibi intervallo dierum potum addendo ad ebrietatis tenebras pervenit; ita paulatim ſubſtrahendo ad ſobrietatis lucem redeat.*

4. Prætendunt aliqui, præſertim Belgæ & Germani, ebrietatem exiguum eſſe peccatum; ſed audiant Apoſtolum, 1. Cor. 6. *Neque ebrioſi regnum Dei poſſidebunt*: audiant & Auguſt. ſer. 232. de temp. *qui ergo credit ebrietatem parvum eſſe peccatum, ſi ſe non emendaverit, & pro ipſa ebrietate pœnitentiam non egerit, cum adulteris & homicidis æterna ſine remedio illum pœna cruciabit.*

5. Denique volunt alii ſatisfaciendum eſſe amico, qui credet potum ſibi ægrè concedi, niſi invitatus egregiè potitet: quibus Auguſt. ſerm. 231. de temp. *Non ſit tibi amicus qui te Deo vult facere inimicum... Si te & alium inebriaveris, habebis hominem amicum, habebis Deum inimicum; & ideo ſapienter conſidera ſi juſtum ſit, ut te à Deo ſepares, dum te ebrioſo conjungis.*

Petes 2.

Digitized by Google

Petes 2. unde oriatur quòd ebrietas ſit ſatis communis Belgis & Germanis, rara autem Italis & Hiſpanis, cùm hi ſint calidiores illis?

Reſp. Nullam aliam cauſam aſſignari poſſe, quàm pravam conſuetudinem in his patriis ſub ſpecie amicitiæ, liberalitatis, & munificentiæ introductam, & à viris, aliàs etiam honeſtiſſimis & devotis, imo & à ſuperioribus quandoque, ſub eodem prætextu frequentatam: volentes enim amicitiam ſinceram (quæ ipſis ſuper alias nationes familiaris eſt) exteriùs manifeſtare, convivia ſæpiùs inſtituunt, compotitationes exercent, continuant, majoribus phialis accendunt, & tandem ebrietate capiuntur. Ex quo fit, quòd plebæi & inferiores tali exemplo invitati, ferè ſine ſcrupulo ebrietatem ſectentur: nam *peccata, quamvis magna & horrenda, cùm in conſuetudinem venerint, aut parva, aut nulla eſſe creduntur*, inquit Auguſt. Enchir. cap. 80. Unde huic malo inveterato remedium præberent Gubernatores, Magiſtratus, Patres-familias, Sacerdotes &c. ſi compotationes ſuperfluas ſugerent, fierentque, ut monet Apoſtolus ad Titum 1. & 2. *Sobrii non multo vino ſervientes.*

Petes 3. An liceat provocare ſocios ad hauſtus æquales?

Reſp. Eſſe graviter illicitum, ubi inde prævidetur, aut prævideri debet ebrietas, aut ebrietatis periculum, ſive in ſe, ſive in alio. Ratio eſt; quia per hoc, ſi non directè, indirectè tamen intenditur ſua, aut alterius ebrietas, quod intrinſecè malum eſt; imò quamvis nullum foret ebrietatis periculum, ſemper inordinata eſt talis provocatio; cùm non ratio, aut neceſſitas, ſed alterius venter ſtatuatur bibendi regula.

Petes 4. Ex quibus ſignis colligi poſſit aliquem fuiſſe ebrium?

Reſp. Ex ſequentibus: 1. Si quis aliàs modeſtus & pacificus, die præcedenti pugnaverit, blaſphemaverit, uxorem percuſſerit, varia utenſilia fregerit &c. Quia tunc præſumitur ſimilia animo turbato perperraſſe. 2. Si poſtridie deſit reminiſcentia factorum aut dictorum, ſaltem principalium. Ratio eſt; quia talia ab homine ſibi præſente exercita ſicut maturè fiunt, ita facilè retinentur. Dixi *ſaltem principalium*; quia oblivio eorum, quæ quaſi ſine advertentia fieri ſolent, non videtur ſignum ſufficiens ebrietatis: nam cùm illa vix advertenter fiant, etiam vix retinentur. Non ſufficit etiam omnibus ad denotandam ebrietatem mortalem linguæ balbuties, aut greſſus titubatio; quia illa quandoque accidunt iis, in quibus remanet plenus, aut ferè plenus rationis uſus.

Petes 5. An ſtatim acquieſcendum pœnitenti dicenti ſe fuiſſe ebrium?

Reſp. Neg. Quia multi confitentur ſe fuiſſe ebrios, qui non fuerunt, & aliqui ſe non fuiſſe, qui fuerunt: credunt enim nonnulli (licèt non plus æquo biberint) ſe eſſe graviter ebrios, ubi ad vomitum provocantur, non attendentes id ex corporis indiſpoſitione procedere.

Item non diſtinguunt aliqui, an ebrietas proveniat ex culpa, vel ex ſubreptione, vel ex nimio calore, nimia loquacitate, vini aut cereviſiæ malitia &c. impræviſis. E contra ſibi perſuadent ſe non fuiſſe graviter ebrios, ubi poſſunt currum in platea tranſeuntem divertere, domum redire, lectum invenire &c. cùm tamen reputandi ſint ebrietatis mortalis culpabiles, ubi officia communia, ſaltem groſſiora & corporalia, non poſſunt rationabiliter exequi: & ideo ut poſſit Confeſſarius inter lepram & lepram diſtinguere in hac materia, ſicut & in multis aliis, interrogatione opus eſt.

Petes 6. An quis blaſphemando, v. g. in ebrietate, quæ ſibi ſit tantùm venialis, ob defectum advertentiæ ſufficientis, peccet mortaliter?

Reſp. Neg. quia cùm blaſphemia illa non ſit in ſe voluntaria, ſed tantùm in cauſa, in tantùm culpabilis eſt, in quantùm culpabilis eſt cauſa. Præterea non fuit aliter præviſa blaſphemia, quàm ebrietas; ſed hæc defectu præviſionis ſufficientis, eſt tantùm venialis: ergo & illa: unde ſi nullatenus fuiſſet præviſa ebrietas, non eſſet peccatum formale blaſphemia.

Petes 7. An quis peccando mortaliter ſe inebriando, poſſit tantùm peccare venialiter in ebrietate blaſphemando?

Reſp. Affirm. quia ſi fieri poſſit ut nullatenus peccet, ſi nempe blaſphemiæ futuræ nulla inciderit ipſi cogitatio, dubium, aut timor (quod accidere poteſt, nunquam aut raró blaſphemare ſolitis) quidni ut peccet tantùm venialiter, ſi leviter admodum blaſphemia futura timeatur? quod autem de blaſphemia dicimus, de aliis peccatis in ebrietate commiſſis dictum eſſe volumus: unde Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum cap. 44. videtur Loth ebrium ab inceſtu in ebrietate commiſſo excuſare: *Inebriaverunt eum*, inquit, *& ſe neſcienti miſcuerunt: quapropter culpandus eſt quidem, non tamen quantùm ille inceſtus, ſed quantùm illa meretur ebrietas.*

Petes 8. An poſſit uxor denegare debitum marito ebrio?

Reſp. Affirm. Quia tunc ſolùm tenetur reddere, ubi humano modo exigitur; petitio autem ab homine ebrio facta non eſt actus humanus, ſicut nec eſt actus dormientis, aut ſomniantis, quocum videtur ebrius ejuſdem eſſe conditionis. Imò graviter peccaret uxor reddendo, ſi adverteret periculum effuſionis ſeminis extra vas naturale. Ubi tamen periculum illud non adeſſet, & aliunde timeret pollutionem in marito, vel ne accederet ad aliam, teneretur ex charitate reddere, ut nempe mariti peccatum vitaret.

ARTICULUS VI.

Quot ſint filiæ Gulæ, & quæ ejus remedia?

QUinque poſt D. Gregorium lib. 3. Mor. cap. 17. (aliàs 31.) aſſignat gulæ filias S. Thom. art. 6. Nempe ineptam lætitiam, Scurrilitatem, Multiloquium, & Hebetudinem mentis: de quibus breviter.

1. Filia Gulæ eſt *Inepta lætitia*; quod inſinuat Scriptura Exodi 32. *Sedit populus* (nempe Iſraeliticus) *manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere:* unde S. Greg. lib. 1. Mor. cap. 4. (aliàs 5) *Pene omnes epulas comitatur voluptas; nam cùm corpus in refectionis delectationem reſolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur.* Dicitur autem illa lætitia *inepta*; vel quia tunc gaudet homo de iis quæ nullam delectationem nata ſunt cauſare, ſpectato rectæ rationis judicio, vel ſi aliquam parere nata ſunt, in iis tamen inordinatè ſe gerit, ſtultè loquendo, ridendo, ſaltando &c. Non excedit ordinariè peccatum veniale, niſi certè adhibeantur geſtus, verba, aut ſaltus ad libidinem provocantia.

2. Eſt Scurrilitas & Turpiloquium; nam temulentorum guttur eſt ſepulchrum patens facile fetorem exhalans: unde Chryſoſt. hom. 57. ad pop. *ubi ebrietas, ibi diabolus, ibi turpia verba; ubi ſaturitas, illic dæmones choros agunt, &c.*

Eheu! quot in popinis ſpurcitiæ, quot cantilenæ turpes, quot verba impudica, quot æquivocationes? ſales vocantur, ſed ſine ſale ab hominibus ſalacibus prodeunt cum magno juventutis ſcandalo. Ubi autem Scurrilitas fit in materia indifferenti eum ſolo exceſſu in jocis, & facetiis, tantùm eſt venialis.

3. Eſt *Immunditia*, non ſolùm conſiſtens in vomitu, & aliis ſuperfluorum fœdis excretionibus, ſed etiam quandoque in vitiis carnalibus, ut pollutione, tactibus impudicis, & aliis pejoribus: ventri enim proxima eſt libido & loco & vitio: unde Apoſt. ad Ephes. 5. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Rationem dat S. Hieron. Epiſt. 83. ad Oceanum circa fin. *venter*, ait, *mero æſtuans citò deſpumat in libidines. In vino luxuria, in luxuria voluptas, in voluptate impudicitia eſt.* Et in cap. 1 ad Titum: *ubicunque ſaturitas & ebrietas fuerint, ibi libido dominatur, ſpecta ventrem & genitalia, pro qualitate vitiorum, ordo membrorum. Nunquam ego ebrium caſtum putabo.*

4. Eſt *Multiloquium* ſæpiſſimè degenerans in detractiones & colloquia temeraria, etiam contra Principes, Prælatos, Sacerdotes, Religioſos, Concionatores &c. Hos egregiè deſcribit Ambroſ. cap. 12. de Elia & jejunio: *Sedentes in foribus tabernarum homines, tunicam non habentes, nec ſumptum ſequentis diei, de Imperatoribus, & poteſtatibus judicant, imò regnare ſibi videntur, & exercitibus imperare. Fiunt ebrietate divites, qui ſunt in veritate inopes; aurum donant, diſpenſant pecunias populis, civitates ædificant, qui non habent unde cauponi potus ſui pretium ſolvant.*

5. Filia eſt *Mentis hebetudo*, tum ratione affectus ad cibos & pocula, tum ratione vaporum, quibus cerebrum obruitur; & ideo monuit Chriſtus Luc. 21. *Attendite autem vobis, ne fortè graventur corda veſtra in crapula & ebrietate.* Hinc Chryſoſt. hom. 44 in Joannem: *Nihil Gula pernicioſius, nihil ignominioſius eſt: hæc obtuſum & craſſum ingenium, hæc carnalem animam reddit: hæc cæcat intellectum: nec ſinit ut quidquam perſpiciat.*

CONCLUSIO II.

REmedia contra Gulam, ſunt ſequentia.

1. Fugere conſortia & epulas ebrioſorum & commeſſatorum: facile enim capitur quis cibo & potu delicatioribus, præſertim ubi aliorum verbis & exemplis accenditur, & ideo monet Scriptura Proverb. 43. *Noli eſſe in conviviis potatorum.*

2. Efficaciter conſiderare voluptatem illam potius eſſe beſtialem, quàm humanam, cùm reddat ipſum hominem jumentis ſimilem, aut pejorem, ſiquidem intellectum obnubilat, affectum depravat, bona deſideria extinguit, evertit prudentiam, tollit verecundiam, inſaniam inducit, & ipſam animam quodammodò facit brutam.

3. Animo revolvere mala horribilia, quæ ex Gula ſequuntur. 1. enim morbos generat innumeros, calculum, podagram,

chira-

chiragram, capitis vertigines, ſtomachi cruditates, oculorum caliginem & ſuffuſionem, viſcerum corruptionem & aduſtionem, totius corporis graveolentiam, & ad omnia inutilitatem.

2. Mater eſt omnium ferè criminum, guloſus ſiquidem ut ventri obediat eleemoſynam omittit, ſpernit pauperes, aliena rapit, familiæ ſubſtantiam devorat, puerorum educationem negligit, committit uſuras, lædit juſtitiam, aliaque innumera perpetrat ſcelera. Et certè quid primos parentes impulit ad inobedientiam, Sodomitas ad Sodomiam, Iſraelitas ad cultum Idolorum? niſi Gula.

4. Attentè reflectere quòd per Gulam invertatur ordo naturæ, cùm non vivant homines ut comedant & bibant; ſed bibant & comedant ut vivant; ſenſuales autem guloſi & ebrioſi, quorum Deus venter eſt, quique Regnum Dei in eſca & potu videntur ponere, non eſcam & potum ad vitam ordinant, ſed vitam ad potum & eſcam.

5. Denique conſiderare quantam indignitatem committat homo, dum os illud, quod Chriſti Sanguine rubeſcit; dum corpus, quod Chriſti corpore ſaginatur, fit inſtrumentum crapulæ, eructationis, & vomitus ſordidiſſimi.

APPENDIX.

De Jejunio.

CUm præcipuum contra Gulam Antidotum ſit jejunium; & ideo nonnunquam guloſis & ebrioſis à Confeſſariis imponendum: non incongruum fore judicavi, ſi quæſtioni præcedenti, appendicem hanc ſubnecterem.

QUÆSTIO I.

Quotuplex jejunium, & quid, præſertim Eccleſiaſticum?

CONCLUSIO I.

JEjunium (quod phyſicè loquendo eſt quoddam hominis inteſtinum ſubtile & vacuum) quadruplex eſt, Metaphoricum, Naturale, Morale, & Eccleſiaſticum.

Metaphoricum *conſiſtit in abſtinendo à quibuslibet nocivis, quæ maximè ſunt peccata* Ita D. Th. 2.2. q. 147 art. 2. ad 1. juxta illud Iſaiæ 58 *Nonne hoc eſt magis jejunium quod elegi? diſſolve colligationes impietatis* &c. & ideo Auguſt. Tract 17. in Joan. *Jejunium magnum & generale eſt abſtinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus ſæculi, quod eſt perfectum jejunium.* Et certè parum eſt quòd abſtineat corpus à cibo, ſi non abſtineat anima à peccato.

Naturale (quale requiritur à duodecima nocturna ad dignam Euchariſtiæ ſumptionem) eſt abſtinentia ab omni cibo & potu etiam per modum medicinæ ſumpto, modò trajiciatur ad ſtomachum: quod addo; quia ſi quis vinum, juſculum, carnes, aut quid ſimile guſtaverit, & expuerit, jejunium non violavit. De hoc jejunio plura in Tractatu de Euchariſtia.

Morale, quod & parſimoniæ dicitur, eſt abſtinentia à cibo & potu juxta regulam prudentiæ, ita ut non plus ex illis ſumatur, quàm ratio prudens dictet eſſe ſumendum, attentis circumſtantiis perſonæ, complexionis, diſpoſitionis, laboritii, &c.

Quartum eſt Eccleſiaſticum, de quo jam & deinceps.

CONCLUSIO II.

JEjunium Eccleſiaſticum eſt abſtinentia à carnibus & quibuſdam aliis cibis ab Eccleſia imperata, cum unica refectione hora competenti ſumenda. Ex qua definitione eruitur, tria ad jejunium Eccleſiaſticum requiri, nempe delectum ciborum, refectionem unicam, & illius ſumendæ tempus determinatum.

Dixi 1. *Abſtinentia à carnibus*, per quas intelligimus ſubſtantiam animalium, prout condiſtinguuntur à piſcibus, qui etſi in rigore carnem ſuam habeant; illa tamen uſu inter Chriſtianos recepto non venit nomine carnis hic prohibitæ; ubi autem dubitatur, an aliquid ſit caro, necne, conſulendus eſt uſus communis, vel, illo deficiente, Medicorum opinio. Hinc

Reſol. 1. Non licere in die jejunii comedere inteſtina animalium à piſcibus diſtinctorum; quia communiter illa veniunt nomine carnis. Comeduntur quidem in aliquibus locis diebus ſabbathinis, ſaltem ſub veſperam, ſed ex conſuetudine legi communi derogante.

Reſol. 2. Nec licere ſumptionem juſculi carnium: quamvis enim non dicatur caro, quia tamen ſubtiliorem carnis ſubſtantiam continet, ideo cenſetur ex uſu communi interdictum.

Reſol. 3. Similiter prohibitum eſſe uſum ſanguinis, & pinguedinis, quia etſi in rigore non ſint caro, ſed ex carne, non eſt tamen recedendum à ſenſu communi, qui illa carnibus annumerat.

Reſol. 4. Conceſſam eſſe diebus illis comeſtionem ranarum, teſtudinum, cochlearum, gallinarum aquaticarum, lutrarum &c. quia reputantur piſces, eò quòd vel ſanguis ſit ipſis frigidus, vel quia non poſſunt diu extra aquam vivere.

Dixi 2. *Quibuſdam aliis cibis*; circa quod debet unuſquiſque Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem ſervare, quia etſi prohibeatur ubique ovorum comeſtio in Quadrageſima, non eſt tamen idem de lacticiniis, ut caſeo, lacte, butyro &c. quæ ex conſuetudine recepta & juri communi derogante, conceduntur Belgis, & quibuſdam aliis in Quadrageſima, exceptis quibuſdam diebus. In jejuniis verò extraquadrageſimalibus nec ovorum, nec lacticiniorum commeſtionem prohibet Jus commune, ut docet S. Thom. ſup. Dico *jus commune*, quia jus particulare, teſte Navarro, illa interdicit Hiſpanis, & quibuſdam Gallis in quolibet jejunio.

Dixi 3. *Ab Eccleſia imperata*, quia omnia jejunia univerſaliter obſervanda originem habent ex Eccleſiæ inſtitutione. Volunt quidem aliqui à Chriſto inſtitutum eſſe jejunium quadrageſimale, eò quòd S. Leo ſerm. 12. de quadrageſima dicat *divinitus eſſe inſtitutum.* S Aug. ſer. 25. *indictum à Domino* D. Ambroſ. ſer. 23. à Chriſto *conſecratum*, ſed ita locutus eſt S. Leo, quia Apoſtoli illud ex divina inſpiratione conſtituerunt, & ideo ait ſerm. 6 *in Quadrageſima. Apoſtolica inſtitutio quadraginta dierum jejuniis impleatur.* Quia verò per quadraginta dies jejunaverat Chriſtus in deſerto, dicitur jejunium quadrageſimale, nempe ſuo exemplo, indixiſſe & conſecraſſe.

Dixi 4. *Cum unica refectione*, cui conſuetudo ubique recepta adjunxit collatiunculam veſpertinam, nihil tamen ultrà, & ideo.

Reſol. 1. Sumentem in die jejunii duplicem refectionem peccare mortaliter; quia, ut habet communis ſenſus, frangit jejunium, quod ſub gravi culpa obligat, ut declarat ſequentis propoſitionis condemnatio Alexand. VIII. *frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel ex inobedientia hoc faciat.*

Reſol. 2. Eum, qui, ſumpta ſecunda refectione, ſumit tertiam, incurrere novum numero peccatum neceſſario in confeſſione exprimendum, & ideo non ſatisfacit dicendo ſimpliciter: *non jejunavi.* Ratio eſt, quia licèt præceptum jejunii videatur quoad verborum formam affirmativum, eſt tamen reipſa negativum, qui enim dicit: *ſumes unicam refectionem*, æquivalenter dicit: *non ſumes ſecundam, nec tertiam* &c. ita ut tam prohibeatur tertia, quàm ſecunda, ut patet in aliis præceptis negativis, quæ violantur, non tantùm per actum primum, ſed etiam per ſecundum, tertium, & quemlibet ipſis oppoſitum. Et certè ſi Sacerdos ter in die celebrans, aut laicus ter communicans peccet duplici peccato, quia Sacerdoti unica licet in die celebratio, & laico unica Communio; quidni bis peccaret ſumens tres refectiones, cùm ipſi tantùm liceat una refectio?

Dices 1. Ei, qui ſumpſit ſecundam refectionem, impoſſibilis eſt jejunii obſervatio: ergo poteſt ſumere tertiam.

Reſp. Diſt. Ant. Impoſſibilis eſt obſervatio integra: C. quoad aliquid: N. jam autem qui non poteſt totam legem implere, tenetur ad partem, ut ſuo loco dicitur.

Dices 2. Qui fregit poculum alterius, poteſt ulteriùs ſine novo peccato frangere: ergo ſimiliter.

Reſp. Diſt. Ant. Poteſt ulteriùs &c. ſi fractum ſit omninò inutile: C. ſi ſit adhuc utile, ſicut utilis eſt, ad carnis macerationem, abſtinentia à tertia refectione: N.

Reſol. 3. Sæpiùs fruſtula comedentes in die jejunii extra refectionem, tandem graviter peccare, ubi omnia ſimul ſumpta conſtituunt quid notabile. Ratio eſt; quia omnes illæ tranſgreſſiones, utpote uni & eidem præcepto oppoſitæ, cenſentur in unum coaleſcere. Unde hanc propoſitionem condemnavit Alexand. VII. *qui ſæpiùs modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* Secus eſſet, ſi quis parum comederet ſingulis diebus Quadrageſimæ; quia cùm tot ſint numero præcepta, quot ſunt dies, tranſgreſſio hodierna non conjungitur cum heſterna.

Reſol. 4. Non peccare Concionatorem, aut Cantorem ſi mane ante concionem aut cantum diu continuandum ſumat parvum quid ad vocis conſervationem; quia non cenſetur illud ſumi per modum cibi, ſed medicinæ, & ideo debet eſſe ex natura ſua vocis conſervativum, aliàs illicitè ſumitur.

Reſol. 5. Nec peccare eum, qui ſumpſit medicinam, ſi ad ipſam excitandam ſumat juſculum herbarum, aut quid ſimile; quia cenſetur illud pars medicinæ.

Dixi denique: *hora competenti ſumenda*, quod olim fiebat circa tertiam pomeridianam in jejuniis extraquadrageſimalibus, circa veſperam autem in Quadrageſima; ſed nunc ex uſu ab Eccleſia approbato fieri poteſt circa meridiem moraliter

ter

Digitized by Google

ter computatam, non ante, poſt meridiem verò, qualibet hora. Hinc

Reſol. 1. Comedentem hora XI. cum dimidio aut paulò poſt non peccare; quia jam conſuetudo, etiam apud Religioſos auſteriores, invaluit, ut tunc cenſeatur meridies incipere in ordine ad refectionem; imo aliquibus conceſſum eſt ex privilegio refectionem ſumere hora XI.

Reſol. 2. Contra quoſdam Caſuiſtas circumſtantiam temporis, ſive interim dicatur accidentalis, ſive ſubſtantialis jejunio, inducere peccatum grave, ubi notabiliter anticipatur. Ita communior & ſanior Theologorum ſententia. Ratio eſt, quia circumſtantia illa multùm conducit ad corporis mortificationem, ut patet in iis qui jentaculum ſumere ſoliti, famem ſuſtinere coguntur per plures horas, cum ſatis magna difficultate: imò ſi poſſet pro libitu tempus anticipari, jejunium vix haberet quidquam difficultatis; quia ſtatim ubi quis famem ſentiret, poſſet optimam refectionem ſumere, & ſic facilè collatiunculam expectare.

Dices: ſi quis manè ſumat refectionem, famem patietur ante collationem, & ſic in idem redit.

Reſp. Famem matutinam eſſe longè ſenſibiliorem, ut quemlibet convincit experientia.

Reſol. 3. Sumentem refectionem hora X. ſine juſta cauſa ſufficienter anticipare tempus ut peccet mortaliter; quia tenent DD. communiter (à quorum prudenti judicio videtur illud pendere) anticipationem illam eſſe notabilem: imò volunt aliqui ſufficere ad mortale, anticipationem mediæ horæ, quibus non ſuffragor. Hac de re, ſicut & de cibis vetitis, ac de refectione unica plura dicemus quæſtionibus ſequentibus.

QUÆSTIO II.

Seu potiùs Quæſtiunculæ concernentes cibos vetitos?

PEtes 1. An in comeſtione carnis detur parvitas materiæ?

Reſp. Affirm. Quia ſic ſemper intellexerunt Fideles, Parochi, & Caſuiſtæ, quibus nunquam contradixerunt Epiſcopi, aut ſummi Pontifices. Præterea ſumptio carnis modica eſt quid leve, non tantùm in ſe, ut patet, ſed etiam in ordine ad finem, ad quem ordinatur ejus abſtinentia, cùm per hoc corpus nihil aut ferè nihil reficiatur: ubi autem res levis eſt ex omni parte, nec præcipitur, nec præcipi poteſt ſub peccato gravi, ut dicitur in Tract. de Legibus. Quid autem hic cenſeatur parvum? vix poteſt determinari. Docet Diana, eſſe parvum, quod ſumere ſolent coqui aut pincernæ, ad prægustandos cibos; plus autem, eſſe materiam gravem. Paſqualigus vult eſſe quid leve semiunciam, non plus: hoc tamen videtur certum, ſumptionem unciæ eſſe mortalem, quia, etſi videatur modicum quid, plus tamen reficit & nutrit, quàm ſemilibra piſcis, ut teſtantur Medici.

Petes 2. An comeſtio ovorum in Quadrageſima ſit mortalis? Negant Facundes & Pellizarius. Sed

Reſp. Affirm. Cum DD. communiter, qui textum cap. Denique diſt. 4. ubi prohibetur ovorum comeſtio, ſemper crediderunt graviter obligare; taliſque eſt ſenſus fidelium communis. Præterea ſi textus ille tantùm importaret convenientiam, ut volunt, nequidem obligaret ſub veniali; & ſic fruſtraneæ eſſent ovorum diſpenſationes tempore belli, aut in aliis neceſſitatibus, quod nemo dixerit. Utitur quidem Pontifex verbis: *par eſt: ut* &c. ſed ut patet ex contextu, non convenientiam, ſed præceptum inculcant, cùm reſpondeat interroganti an eſſet illicitum veſci ovis in Quadrageſima: unde proſcripta eſt hæc propoſitio ab Alexand. VII. *Non eſt evidens quod conſuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadrageſima, obliget.*

Petes 3. An Religioſo exempto licitum ſit comedere ova in Quadrageſima, ubi Epiſcopus pro ſua diœceſi diſpenſavit?

Reſp. Neg. Sive domi ſuæ maneat, ſive apud ſeculares diverſetur. Ratio eſt; quia cùm non ſubdatur, quantum ad hoc, juriſdictioni Epiſcopi, ſed ſui Provincialis; diſpenſatio Epiſcopi Attrebatenſis v. g. non plus ipſum afficit, quam diœceſanum Cameracenſem. Præterea jejunia ſpecialiter ab Epiſcopo indicta, ſecluſo ſcandalo, non obligant Religioſos exemptos: ergo nec ejus diſpenſatio exonerat ipſos, ſi aliunde obligentur. Ant. probatur ex eo, quòd Tridentinum Seſſ. 25. cap. 12. de Regul. referens præcepta Epiſcopalia, in quibus tenentur Religioſi exempti ſæcularibus ſe conformare, tantùm loquatur de Cenſuris, Interdictis, & feſtis, non de jejuniis. Prob. Conſ. quia nullibi legitur plùs juriſdictionis habere Epiſcopum in Religioſos exemptos ad diſpenſandum in hac materia, quàm ad præcipiendum: ergo ſi non poteſt hìc præcipere, nec poteſt diſpenſare.

Dices 1. Poſſunt FF. Minores in ſuis jejuniis uti cibis, quibus utuntur ſæculares: ergo &c.

Reſp. Diſt. Ant. Quibus utuntur ordinariè, ſeu ſecluſa diſpenſatione: C. Quibus utuntur extraordinariè, ſeu ex diſpenſatione: N. & certè mirum eſſet, quòd plus concederetur Religioſis, in hac materia, quàm ſæcularibus: unde ſicut debent hi, ut ova comedant, diſpenſationem ab Epiſcopo obtinere, ita & illi à ſuo Superiore.

Dices 2. Religioſi in Belgio poſſunt comedere lacticinia ſine ſui Superioris diſpenſatione: ergo & ova.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt quòd jam de conſuetudine in Belgio recepta, lacticinia ſint cibi ordinarii Quadrageſimæ, ad quorum comeſtionem, ſicut non indigent ſæculares diſpenſatione, ita nec Religioſi.

Petes 4. Sub quo peccato prohibeantur lacticinia in Diœceſi Tornacenſi, Mechlinienſi &c. in die Cinerum, & quibuſdam aliis diebus?

Reſp. Sub peccato gravi, ubi materia gravis eſt. Ratio eſt; quia eodem modo prohibentur ac prohibentur in Hiſpania, & in aliis locis per totam Quadrageſimam; ſed ibi prohibentur ſub peccato gravi, ubi materia gravis eſt: ergo & hic præfatis diebus. Minor certa eſt; cùm in jure communi antea citato, eodem modo prohibeantur lacticinia & ova. Prob. Major, quia in diebus illis, ante abrogationem quoad alios dies, obligabantur Belgæ ſicut Hiſpani; ſed abrogatio non reſpicit illos dies: ergo etiam nunc eodem modo obligant. Petrus quidem Marchantius videtur nobis contrarius, ſed ſupponit materiam eſſe levem, quod tamen non videtur admittendum in eo qui totam refectionem ſumeret ex lacte, caſeo, & butyro.

Petes 5. An ille, cui conceſſum eſt comedere carnes aut ova propter infirmitatem, poſſit comedere piſces?

Reſp. Quòd etſi talis peccare poſſit comedendo piſces, ſi nempè noceant ſanitati, non tamen violat legem jejunii; quia poteſtas ipſi conceſſa comedendi carnes, vel ova, non adimit ipſi poteſtatem veſcendi aliis cibis, jure communi ſibi conceſſis; cùm diſpenſatio nullum onus imponat, ſed aliunde impoſitum minuat, aut tollat.

Petes 6. An cui conceditur plus in hac materia, concedatur & minùs?

Reſp. Affirm. Si aliqualiter minus ſub majori continеatur: ſic cui conceduntur carnes, conceduntur & ova; & cui ova, conceduntur & lacticinia. Ratio eſt; quia talem eſſe mentem diſpenſantis, uſus & praxis, etiam à timoratis frequentata, confirmat. Præterea ſi jus prohibens carnes, prohibeat & ova & lacticinia, quia trahunt originem ex carne, à contrario dicendum eſt concedentem uſum carnium, concedere & uſum ovorum &c. propter eandem rationem.

Petes 7. An ad ſitim ſedandam liceat comedere uvas, poma communia, aut granata, extra refectionem?

Reſp. Neg. Quia illa non ſunt potus, ſed cibus; & ideo non dicuntur bibi, ſed manducari. Fateor tamen duplo & triplo plus ex illis requiri ad fractionem jejunii mortalem, quam ex pane, cùm illa leviſſimè admodum tranſeant.

Petes 8. An liceat in Quadrageſima manducare panes biſcoctos, in quibus ſunt ova?

Affirmant aliqui eo quòd ova ſint in ſubſtantiam panis converſa; ſed immeritò, cùm ad nutritionem parum referat, an ova ſeparatim comedantur, an mixta cùm alio, cùm equidem ſint æqualiter nutritiva.

Petes 9. Quibus cibis veſci debeat obligatus jejunare ex voto, pœnitentia, aut Jubilæi lucrandi cauſa?

Reſp. Cibis illis, quibus utuntur Fideles ſuæ Eccleſiæ in jejuniis tunc occurrentibus; ita ut in his locis debeat abſtinere ab ovis, ſi ſit Quadrageſima, & à ſolis carnibus, ſi non ſit; quia præſumitur voventem, Confeſſarium, ſicut & Pontificem, non aliud intendiſſe, quàm juxta morem temporis & patriæ obligare; & inde ſequitur, quòd ſi Fideles manducent ova in Quadrageſima ex diſpenſatione, poſſe etiam manducare, ſaltem ſi votum aut pœnitentia cœperint tempore diſpenſationis.

Petes 5. An liceat extra refectionem parum comedere, ne potus noceat?

Reſp. Neg. contra aliquos id permittentes, etiam ſæpius in die, ſi ſæpius bibatur. Ratio eſt; quia vel neceſſarius eſt potus, vel non: ſi primum, non nocebit, etiamſi nihil cibi ſumatur: ſi ſecundum, non bibatur, & ſic non erit opus cibi ſumptione.

Nollem tamen condemnare illum, qui urbanitatis cauſa, comederet unum aut alterum amygdalum, vel quid ſimile, cùm in moralibus parum reputetur pro nihilo.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An liceat bibere extra refectionem in die jejunii, & quid dicendum de uſu Caffæi, Thæi, Salviati, & Chocolati?

SUppono 1. Licitum eſſe extra refectionem, tantum aquæ, vini temperati, aut cerevisiæ ſumere, quantum neceſſe eſt ad ſitim urgentem extinguendam; quia id clementer indulget Mater Eccleſia, ut apertè patet ex conventu Aquiſgranenſi c. 12. anno 817. ubi pro Religioſis ſic legitur: *Si neceſſitas popoſcerit ob laborem operis, poſt refectionem veſpertinam, etiam & in Quadrageſima pari modo, & quando Officium mortuorum celebratur, priuſquam lectio Completorii legatur, bibant.*

Suppono 2. Fuiſſe olim per legem jejunii prohibitum bibere extra refectionem, ſine neceſſitate, ut patet ex Prudentio in Hymno SS. Fructuoſi & Sociorum.

Quoſdam de populo videt Sacerdos,
Libandum ſibi poculum offerentes,
Jejunamus, ait, *recuſo potum...*
Nunquam convíolabo jus dicatum.

Imò ſatis credibile eſt interdictum fuiſſe in jejuniis priſcorum Chriſtianorum, uſum vini; nam Clemens Romanus lib. 5. can. 1. conſtit. Apoſt. ſic habet; *A vino & carnibus vos abſtinete in iis diebus*: & Cyrillus Jeroſolimitanus Catecheſi 4. *Jejunamus à vino & carne abſtinentes.* Item S. Theophyl. Alex. Epiſt. paſq. 3. circa med. *Jejuniorum tempore à vino & carnibus abſtinendum.*

Suppono 3. Quòd etſi per legem jejunii non prohiberetur nunc potus extra refectionem, prohibeatur tamen per virtutem temperantiæ ſuperfluus; & ſic dato, quòd potus exceſſivus non frangat jejunium; ſæpè tamen illud ſubmergit, tollendo totam rationem meriti; ut loquitur S. Thomas. hocque toties accidit, quoties notabilis eſt exceſſus, vel etiam quoties ita repletur venter vino, aut cerevisia, ut vix fames ſentiatur.

De hoc nulla difficultas; ſed eſt quæſtio nunc ſatis agitata. An bibens extra refectionem ſine neceſſitate, non tantum lædat Temperantiam, ſed etiam violet legem jejunii? Huic quæſtioni ſatisfaciet D. Th.

CONCLUSIO I.

INſtituendo jejunium, non intendit Eccleſia interdicere abſtinentiam potus, qui magis ſumitur ad alterationem corporis, & digeſtionem ciborum aſſumptorum, quàm ad nutritionem, licèt aliquo modo nutriat, & ideo licet pluries jejunantibus bibere. Verba ſunt Doct. Angelici 2. 2. q. 147. art. 6. ad 2. Hunc ſecuti ſunt DD innumeri; imò tot, ut aſſerat Baſſæus eſſe communem omnium ſententiam, nempè pro iis locis, in quibus jure aut primitivo, aut conſuetudinario, non eſt introductum contrarium, ſicut dicitur introductum in Gallia, & in quibuſdam Diœceſibus vicinis, quæ ideò tenentur, etiam ex mente ipſiuſmet Divi Thomæ, Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem ſervare: nam in fine articuli 8. ſic concludit: *Diverſæ conſuetudines exiſtunt apud diverſos, quas quiſque obſervare debet ſecundum morem eorum inter quos converſatur. Unde Hieronymus dicit de jejuniis loquens: unaquæque Provincia abundet in ſuo ſenſu, & præcepta Majorum, leges Apoſtolicas arbitretur.*

Prob. 1. Concluſio D. Thomæ, ratione ipſiuſmet: ea cadunt ſub jejunio, quæ Eccleſia intendit interdicere; ſed non intendit interdicere ſumptionem potus: ergo.

Prob. 2. Potuit Eccleſia inſtituendo jejunium, non interdicere potum extra refectionem, ſicut potuit interdicere ſolas carnes, non ova; tertiam refectionem, non ſecundam; ſed ita feciſſe, jejunium reſtituendo, aut poſtea moderando, teſtis eſt irrefragabilis D. Thomas, qui manſit Romæ, fuitque ſummo Pontifici, & aliis Eccleſiæ Prælatis familiaris: ergo.

Prob. 3. Ex eodem 4. diſt. 13. q. 3. art. 4. ubi dicit potum ſumptum in fraudem jejunii, ſeu ad ſedandam famem frangere jejunium: ergo ubi non ſumitur in illum finem, non officit jejunio.

Objic. 1. Eccleſia inſtituendo primariò jejunium, prohibuit extra refectionem potum ſuperfluum, ut patet ex ſuppoſito. 2. ergo etiam nunc.

Reſp. Quod ſicut totum Belgium, totaque Germania & aliæ Provinciæ potuerunt derogare juri primitivo quoad lacticinia in Quadrageſima: ita & plurima loca quoad potum, præſertim accedente Eccleſiæ Romanæ conſenſu, quem ſupponit D. Thomas.

Objic. 2. Juxta D. Thomam, qui immoderatè bibit, perdit meritum jejunii: ergo non cenſetur jejunare.

Reſp. diſt. Ant. perdit meritum jejunii, quia violat in aliquo jejunium: N. quia non ſentit difficultatem jejunii ob ventris repletionem, vel etiam quia peccat mortaliter contra Temperantiam: C. nec plus vult D. Thomas; aliàs ſibi contradiceret.

Objic. 3. Inſtitutum eſt jejunium ad domandam carnis concupiſcentiam; ſed magis provocat concupiſcentiam potus vini, quàm eſus carnium? ergo.

Reſpondet D. Th. quòd quidem vinum accendat calorem, & eſus carnium humorem, qui concurrunt ad actum generationis; quia tamen calor citò tranſit, & humor diù manet, ideo potius interdicitur jejunantibus uſus carnium, quàm vini.

Objic. 4. Inde ſequitur, ita potitantem per totum diem, ut non poſſit manducare, propter ventris repletionem, ſtrictiùs jejunaturum, quàm jejunantem in ſolo pane; cùm hic ſumat unam refectionem, ille nullam.

Reſp. diſt. ſequelam: ſequitur ſtrictius jejunaturum, jejunio inutili, aut potiùs demeritorio: C. jejunio utili, & ſalutifero: N.

Objic. 5. Jejunium dicit eſſentialiter abſtinentiam; ſed potu ingurgitatus non abſtinet: ergo.

Reſp. diſt. min. non abſtinet à potu: C. à carne & pluribus refectionibus, quas poterat inter bibendum ſumere: N.

Objic. 6. Potus eſt pars refectionis: ergo bibens ante, vel poſt prandium ſumit pluſquàm refectionem unam.

Reſp. diſt. Ant. eſt pars refectionis hoc ſenſu, quòd ſumatur tempore refectionis, tanquam vehiculum ciborum: C. hoc ſenſu quòd ordinetur ad reficiendum: N. ordinatur enim, ut diximus ex D. Thoma, ad ciborum digeſtionem.

Hæc dicta ſint, non ad laxandas potitationibus habenas (cùm adverſentur Temperantiæ, tollant jejunii meritum, hominem reddat hebetem, ineptum virtuti, promptum vitio, impediantque hominis Chriſtiani perfectionem) ſed ut D. Thomæ ſententiam defendamus, pro iis locis ſolùm, in quibus non eſt introducta laudabilis conſuetudo conſtituens ſub jejunio abſtinentiam à potu, ſicque valeant Confeſſarii diſtinguere quid ſit peccatum, & quid non.

CONCLUSIO II.

LIcita eſt ſumptio Caffæi, Thæi, Salviati, & Chocolati in die jejunii, ubi illa ſumuntur medicinaliter ad curandam infirmitatem realem, aliàs non.

Prob. 1. pars; quia tunc non habent rationem cibi, aut potus, ſed medicinæ, à qua in die jejunii abſtinere, nullibi præſcriptum eſt.

Prob. 2. pars; quia etſi illa non ſint propriè cibus, aut potus, & ideò nec dicantur bibi aut comedi, ſed ſumi; aliquid tamen participant ex utroque; cùm, ultra aquam, reperiatur non tantùm ſaccharum, ſed etiam in Thæo & Salviato ſubſtantia herbarum, in Caffæo autem ſabarum, & in Chocolato plurium maximè nutritivorum. Fatendum tamen in iis locis, ubi non eſt ſpecialiter prohibitus potus extra refectionem, raró admodùm ſumptionem Caffæi, Thæi, & Salviati ad peccatum grave pertingere, cùm mixtio ſacchari ſit valdè modica, & aliunde quod ex ſabis, aut herbis trahitur, ſit ferè nihil. Aliud eſt de Chocolato, quod eſt maximè nutritivum, cùm, teſte Strabba Medico Anglico, uncia cacao, ex quo partialiter conficitur Chocolatum, plùs producat humoris nutritivi, quàm libra carnis bubulæ.

Dices: In iis locis, ubi non præcipitur abſtinentia à potu licitum eſt bibere cerevisiam extra refectionem licèt ſit ex grano confecta: ergo & præfata.

Reſp. neg. conſeq. Diſparitas eſt quòd cerevisia ſit potus ordinarius, & conſequenter non attenditur an nutriat, necné ſed ſumitur ad refrigerationem: non eſt idem de aliis, cùm non veniant ratione potus.

QUÆSTIO IV.

Quid dicendum de refectione in die jejunii?

QUædam de hac materia diximus quæſt. 1. cùm tamen aliqua reſtent explicanda, hic breviter illa exponemus.

CONCLUSIO I.

NOn eſt licitum dividere refectionem ſine cauſa in die jejunii. Eſt communis. Hoc tamen intellige de diviſione morali, ſeu tali, quæ cenſeatur partes moraliter disjungere.

Ratio concluſionis eſt, quia tunc non cenſetur una refectio ſed plures minores, cùm non dicant ordinem ad invicem, plures autem in die jejunii refectiones, ſive plenas, ſive ſemiplenas, rejicit ſenſus Fidelium communis cum apprehenſione culpæ gravis.

Dixi: *Sine cauſa*; quia ubi ſubeſt cauſa rationabilis, diviſio illa poteſt licitè fieri: quænam autem ſit ratio ſufficiens; vix

poteſt

Digitized by Google

poteſt determinari, propter caſuum occurrentium multitudinem. Interim ponemus aliqua corollaria, ex quibus facilè poterunt alia colligi.

Reſol. 1. Parochum disjungentem partes refectionis ut miniſtret Sacramentum Pœnitentiæ, Baptiſmi, Euchariſtiæ, Extremæ-unctionis &c. non peccare, ubi illa non poſſunt commodè fieri; quia inter omnes rationes diviſionis, videtur hæc juſtiſſima.

Reſol. 2. Idem poſſe Mercatorem, ut vendat aliquid notabile, aliàs non venditurus; ſicut & locatorem ut recipiat pecuniam à locatario ruſtico diſcedere volenti, ubi eſſet periculum ſolutionis aliàs non recipiendæ, quia talia authorizavit praxis communis, ſaltem ubi inter partes non intercedit mora notabilis.

Reſol. 3. Non eſſe accuſandum eum, qui inter prandendum garrit, nugatur, nova nuntia legit &c. ſi tempus refectionis non excedat duas horas; quia ordinariè tantum temporis conceditur refectioni ſumendæ, nec cenſentur tunc partes moraliter dividi.

Reſol. 4 Non eſſe idem de eo, qui, abſoluto prandio, menſam reliquit ſine animo continuandi: ille enim cùm moraliter loquendo prandium abſolverit, ſi iterum comedat, cenſetur novam refectionem ſumere, etiamſi tempore duarum horarum omnia illa peragantur. Dixi, *Sine animo continuandi:* ſi enim menſam relinquens in uno loco intendat abſolvere in alio, ubi expectatur, non videtur culpandus, ſaltem peccati gravis, modo prandium non excedat duas horas, nec intervallum quadrantem circiter Ratio eſt; quia diverſitas locorum non videtur hîc ad rem facere, præſertim ubi id requirit honeſtas

Reſol. 3. Praxim etiam apud timoratos receptam, concedere menſæ Lectoribus & Miniſtris, ut aliquid ſumant antequam legant aut miniſtrent, modo tamen id non faciant ante horam legitimam refectionis, & ſtatim, abſoluta menſa, perficiant.

Reſol. 6. Non eſſe culpandos pauperes, qui circa meridiem tantùm habentes unde ſemi-plenè reficiantur, illud ſumunt cum intentione continuandi, ubi novam eleemoſynam receperint; quia non eſt credibile benignam Matrem Eccleſiam plus ab ipſis exigere.

CONCLUSIO II.

UBi non ſubeſt cauſa rationabilis refectionis dividendæ, non debet excedere ſpatium duarum horarum, nec collatiuncula, de qua poſtea, tempus mediæ horæ.

Prob 1. pars de refectione; quia tempus illud eſt ſufficiens & pluſquam ſufficiens, ut quilibet etiam cum magna commoditate ſatisfaciat ſuæ neceſſitati; & ideo debent menſis ſtruentes, ſicut & illis præſidentes ita omnia diſponere, ut illo ſpatio abſolvatur refectio, alias præbent aliis cauſam excedendi: debent & aſſidentes menſis diutius protractis, ubi tempus effluxerit, deſinere, & alios de hora lapſa, ubi commodè fieri poteſt, ex Charitate monere.

Prob. 2. Pars de collatiuncula; quia cùm ſatis communiter permittatur in ea quarta pars refectionis, videtur etiam rationabiliter concedenda quarta pars temporis.

CONCLUSIO III.

QUi propter infirmitatem, aut alia juſta de cauſa permittitur comeſtio carnium, non permittitur ideo multiplex refectio Eſt contra nonnullos Caſuiſtas, nimium carni & ſanguini indulgentes.

Prob. 1. quia etſi præceptum jejunii videatur unicum; eſt tamen virtualiter multiplex, & æquivalens duobus, quorum unū prohibet eſum carnium, & aliud plures refectiones, ſicut præceptum Officii Divini, licèt unicum, æquivalet ſeptuplici; atqui incapax ſervare unum præceptum, non eximitur ab altero, cujus eſt capax. ergo &c.

Prob. 2. Quia licèt jejunii præceptum foret omnimodè unicum, adhuc ſtaret concluſio: quandoquidem, ut dicitur in Tr. de Legibus, impotens ſervare totam legem, teneatur ad partem ſibi moraliter poſſibilem.

Dices 1. Acceſſorium ſequitur principale; atqui in jejunio abſtinentia à carnibus eſt principale, & abſtinentia à refectione multiplici eſt acceſſorium: ergo cui licent carnes, licent & plures refectiones.

Reſp. Quidquid ſit de Majori, neg. Min. quia abſtinentia à pluribus refectionibus eſt æquè de eſſentia jejunii, ac abſtinentia à carnibus, ut patet in diebus Veneris & ſabbati, in quibus ob facultatem ſumendi plures refectiones, non dicitur eſſe jejunium, ſed tantùm abſtinentia.

Dices 2. Equidem comedens carnes non poteſt jejunare: ergo &c.

Reſp Poſſe jejunare inadæquatè, ad quod tenetur: ſicut carens Breviario & ſciens memoriter omnia officia præter Matutinum, tenetur ad officium inadæquatè; quia ubi materia legis diviſibilis eſt, qui non poteſt totum tenetur partem ponere, ut ſuo loco dicemus.

Dices 3. Cui neceſſariæ ſunt carnes, neceſſariæ ſunt & plures refectiones. ergo.

Reſp diſt. Ant. cui neceſſariæ ſunt carnes ob magnam naturæ debilitatem, neceſſariæ ſunt &c. tranſeat, & quidem hoc pendet à Medicorum judicio. Cui neceſſariæ ſunt carnes ob antipathiam ſtomachi cum piſcibus & ovis, vel etiam ob illorum nauſeam, aut detrimentum: N. Res per ſe patet.

QUÆSTIO V.

Quænam ſint diſcutienda circa horam ſumendæ refectionis?

PRætermiſſis illis, quæ hac de re diſcuſſimus quæſt. 1. pauca hic ſubjiciemus.

CONCLUSIO I.

LIcèt anticipans notabiliter tempus refectionis peccet graviter, ut diximus, excuſatur tamen ab omni peccato, ubi ſubeſt cauſa rationabilis.

Ratio eſt; quia ſi tota ratio jejunii ceſſet, ubi adeſt cauſa rationabilis non jejunandi, à fortiori ceſſare debet obligatio ſervandi horam competentem pro refectione, ubi talis cauſa reperitur Imò ſicut longè minùs eſt horam prandii prævenire, quàm non jejunare; ita etiam longè minor cauſa requiritur: Hinc

Reſol. 1. Poſſe Miſſionarios hora X. vel ante prandere ſi iter conficiendum, concio habenda, aut confeſſiones audiendæ id requirant; cùm illa cauſa ſit juſtiſſima.

Reſol. 2. Poſſe etiam Superiorem, aut etiam alterum cum eo, anticipare refectionem per mediam horam aut circiter, ſi expediat, honeſtatis ergo, perſonam gravem diſcedere volentem in prandio aſſociare, quia cum illa anticipatio non ſit notabilis, ita etiam nec requirit cauſam notabilem Idem dic in ſimilibus.

Reſol. 3. A fortiori licitam eſſe anticipationem illi, qui ob naturæ debilitatem; non poteſt tempus ordinarium expectare; cùm rationabiliter præſumi poſſit talem eſſe Eccleſiæ voluntatem.

Reſol. 4. Id etiam permitti occupatis ex officio publico tempore refectionis, v. g. judicando, docendo, concionando, catechizando, excubias agendo &c. præſertim ſi non poſſint ſine incommodo ſerius comedere; quia non eſt juſtum, ut quia ſerviunt bono publico, incommodum patiantur.

Reſol. 5. Poſſe mercatores ferè toto die fori occupatos, vendendo, aut emendo, ſumere collationem meridie, & veſperi refectionem, quia cùm tranſmutatio illa ſit levis, ut dicemus, etiam levis requiritur cauſa.

Reſol. 6. Non eſſe culpandos itinerantes, qui manè ſumunt collatiunculam, veſperi cœnaturi, ſi non prævideant occaſionem collationis in itinere ſumendæ, quia non eſt rationabile, ut uſque ad veſperam maneant jejuni.

CONCLUSIO II.

QUi manè culpabiliter ſumpſit jentaculum æquivalens refectioni, tenetur illo die à refectione abſtinere, vel certè à collatione, ſi jentaculum fuerit modicum.

Ratio eſt; quia etſi jejunium factum ſit ipſi impoſſibile quoad circumſtantiam temporis, poteſt tamen ſervari quoad alia; & ideo ſi iterum comedat quaſi nihil manè ſumpſiſſet, incurrit novum peccatum.

Dices: Inde ſequitur, ſumentem in die jejunii duas refectiones, unam manè, alteram veſperi, aut meridie, committere duo peccata, unum ratione temporis anticipati, alterum ratione ſecundæ refectionis, ſed hoc eſt contra praxim Confeſſariorum non inquirentium an ſecunda refectio ſumpta ſit manè, an veſperi: ergo.

Reſp Quidquid faciant aliqui Confeſſarii, hoc tamên eſſe exprimendum; cum duo illa ſint ab invicem ſeparabilia, & unum non includat aliud. Et certè ſi Joannes peccet uno peccato præveniens tempus refectionis, & Paulus altero peccato ſi ſumat ſecundam refectionem, quidni Petrus & tempus præveniens, & duas refectiones ſumens, peccaret duplici peccato?

Sed quid ſi mane ſumpſiſſet mediam refectionem? Exiſtimo veriſimiliter non peccaturum poſtea, ſi facti pœnitens jungat ſuæ collatiunculæ alteram mediam refectionem. Ratio eſt, quia etſi Eccleſia ſit ipſi juſtè irata ob violatam legem, non cenſetur

tamen

tamen ipſi denegare id quod neceſſe eſt ad integram refectionem, quia ſemi-plenè refecto nimis durum eſſet à mane diei præcedentis uſque ad meridiem diei ſequentis nihil ſumere, niſi collatiunculam.

CONCLUSIO III.

QVi inculpabiliter ſumpſit manè jentaculum, vel ratione jejunii vincibiliter ignorati, vel ratione itineris conficiendi, à quo poſteà, rebus mutatis, abſtinet, poteſt ſecundum aliquos, eodem modo ſe gerere, ac ſi nihil ſumpſiſſet, adeoque adhuc refectionem & refectiunculam ſumere. Alii concedunt ſolam collationem, ſi id poſſit ſine gravi incommodo.

Ego viam mediam carpens probabiliùs exiſtimo, poſſe adhuc ſumere refectionem, non tamen refectiunculam, idque ſub veſperam, niſi prius debeat adeſſe Communitati prandenti.

Ratio mea eſt, quia non cenſetur benigna Mater Eccleſia velle ut patiatur plus incommodi, quàm alter ordinariè jejunans, cùm egerit bona fide, ſed ſi à manè diei præcedentis uſque ad meridiem diei ſequentis tantùm poſſet ſumere collationem, plus pateretur incommodi, ut per ſe patet; ergo.

QUÆSTIO VI.

An liceat collatiuncula veſpertina, qualis, & quanta?

COllationem ab initio non admiſit Eccleſia, ſed ex quo tempus refectionis ex ejus indulgentia mutatum eſt à veſperi in horam tertiam, & tandem ab hora tertia in meridiem, cœperunt aliqui, ne potus, quem veſperi ſumebant ad extinguendam ſitim, noceret, modicum quid comedere, quod paulatim non amplius per modum medicinæ, ſed per modum alimenti & ad naturæ confortationem ſumptum eſt.

CONCLUSIO I.

LIcita nunc eſt Collatio, etiam ad nutritionem ſumpta. Eſt communis.

Ratio eſt; quia etſi initio peccaverint illam introducentes: uſus tamen illius ita nunc introductus eſt, ſciente, vidente, & non contradicente Eccleſia, ut etiam timoratiſſimi nullum de ea ſcrupulum faciant. Non ſolet autem ſumi ante quintam, aut ſextam veſpertinam, licèt ejus anticipatio nunquam videatur mortalis, ubi ſaltem non ſit notabiliter ante tempus meridianum, quia cùm Collatio ſit tantùm quarta aut quinta pars refectionis, videtur illius ſumendæ circumſtantia temporis eſſe quid leve, & ideò putamus ſumentem Collationem in prandio, & prandium veſperi, etiam ſine cauſa, tantum peccare venialiter. Ratio ulterior eſt; quòd, cùm ſit licitum, imò perfectius ſumere refectionem veſperi, tota deordinatio petatur ex anticipatione ſolius Collationis, & quidem eo tempore, quo jam licitum eſt comedere. Accedit, quod difficilius ſit jejunanti expectare veſperam pro ſumenda refectione, quàm meridiem, ut convincit experientia.

CONCLUSIO II.

PRo qualitate ciborum in refectiuncula ſumendorum variant admodum Doctores: aliqui enim concedunt ſolos fructus, alii ſolum panem; alii panem cum fructibus, ſuperaddunt aliqui caſeum & butyrum, alii etiam piſciculos, non tamen piſces, alii non tantùm piſces magnos, ſed & juſculum & ova, alii denique omnis generis cibos, quorum comeſtio licita eſt in prandio in die jejunii, modò ſervetur quantitas. Sed dixerim ego, ſalvo meliori judicio, ſervandam eſſe conſuetudinem & praxim quam in qualibet Eccleſia ſequuntur timorati.

Ratio eſt: quia cùm refectiuncula illa non ſit ab Eccleſia univerſali inſtituta, ſed tantùm à particularibus paulatim introducta, & tandem à S. Sede tolerata, eo modo ſumi debet, quo fuit in ſingulis Provinciis introducta, & à timoratis recepta.

CONCLUSIO III.

TAnta eſt circa ciborum quantitatem controverſia, quanta circa eorundem qualitatem: recurrunt ſiquidem aliqui ad menſuras Mathematicas, præſcribendo æqualiter omnibus certum numerum unciarum panis, fructuum &c. puta tres, quatuor, quinque, imò octo & decem ſine peccato gravi, convertentes cœnulam in cœnam. Aliqui refectionem dividunt, permittuntque pro Collatiuncula, ſextam, quintam, aut quartam partem refectionis ordinariæ, & horum opinio longe probabilior eſt præcedenti; quandoquidem pondus rerum comeſtibilium non poſſit eſſe regula certa refectiunculæ? Et certè fieri poteſt ut panis quatuor unciarum bene piſtus ex ſimila pura prævaleat, quoad nutritionem, alteri octo unciarum. Item uncia certorum fructuum ut Amigdalarum &c. plus cauſat humoris nutritivi, quàm tres unciæ aliorum. Accedit, quòd cùm Collatio ſit tolerata ad refocillandam in modico naturam, non poſſit ſtatui regula omnibus communis; quandoquidem quod parum refocillat in uno, multum refocillet in altero, & quod eſt refectiuncula uni, poſſit eſſe integra refectio alteri juxta cujuſque appetitum voracem, aut moderatum: Unde ſecundam ſententiam ſecutus exiſtimo ſtatui poſſe omnibus pro collatione, leve, aut ſemiplenum jentaculum ordinarium, quod in idem redit cum quarta aut quinta parte refectionis, quàm quiſque ordinariè ſumit. Et hanc regulam eſſe omnium optimam.

Prob. Quia ſubvenit humanæ neſſitati ſecundùm uniuſcujuſque exigentiam, ita ut qui plus ordinariè comedit in prandio, majorem refectiunculam; qui minus, minorem ſumere poſſit.

Petes 1. An liceat major Collatio in vigilia Nativitatis? Affirmat Diana cum quibuſdam aliis volens poſſe ſumi 16. uncias, quod eſt refectio integra; ſed

Reſp. Quidquid ſit de locis, ubi hoc legitimè introductum eſt, non licere in his partibus, quia hoc non probatur ſufficienter apud timoratos introductum. Crediderim tamen ratione laboris extraordinarii poſſe plus ſumi ab iis, qui de nocte per quatuor aut quinque horas integras debent cantare, cùm hoc videatur rationabile.

Petes 2. An meritò concedant aliqui authores majorem Collationem Nobilibus, quàm plebeis?

Reſp. Neg. Imò è contra, cùm meliorem ſumant refectionem Nobiles, quàm alii, potius his, quàm illis major Collatio eſſe concedenda.

Petes 3. An Conſiliarii, Lectores, Componiſtæ &c. multum ſtudentes, ſumere poſſint Collatiunculam majorem?

Reſp. Affirm. Quia cùm longè plures ſpiritus tum animales, tum vitales conſumant, & aliunde ſtudium ſit quædam lima inſenſibiliter corrodens hominis vitam, etiam majori indigent refocillatione. Non aſſentior tamen illis, qui ipſos eximunt à jejunio, cum experientia convincat, timoratos, ſecundam refectionem integram non eſſe ipſis neceſſariam, & poſſe ſine illa abſque gravi incommodo ſuis ſungi muniis: niſi certè aliud inſinuaret naturæ debilitas.

QUÆSTIO VII.

Quos obliget jejunium, quando incipiat, & deſinat obligare?

JEjunium imperfectis, & non perfectis, eſſe impoſitum voluerunt olim Begardi & Beguinæ, ut refert D. Antoninus p. 4. tit. 11. c. 7. §. 4. ſed eorum hæreſis à Clem. V. proſcripta eſt in Concil. Vienn. Nec mirum, cùm dicat Scriptura Apocal. ult. *Sanctus ſanctificetur adhuc*, nempè jejunando, orando, & alia obſervando: unde D. Paulus, licèt perfectus, dicebat 1. Corinth. 9. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo* &c. Quem ſecuti ſunt viri etiam Sanctiſſimi, qui quo erant Sanctiores, eò erant in ſuis jejuniis auſteriores, & ideò ſit

CONCLUSIO I.

JEjunium obligat omnes omninò Chriſtianos, quibus eſt ætas competens. Eſt communis & certa.

Prob. 1. Ex D. Leone ſerm. 11. de Quadrag. cap. 1. *Adeſt maximum ſacratiſſimum jejunium quod obſervantiam ſui univerſis Fidelibus ſine exceptione denuntiat*.

Prob. 2. ratione; quia cum jejunium poſſit eſſe omnibus Chriſtianis proficuum, nempè corpus domando, carnem ſpiritui ſubjiciendo, peccata abluendo, Deum iratum placando &c. ita cenſetur eſſe omnibus impoſitum. Hinc

Reſ. 1. Præceptum jejunii obligare etiam Hæreticos, cum ſint Chriſtiani, & Eccleſiæ ſubditi, & ideò cum, hæreſi abjurata, Confeſſionem inſtituunt, debent omnes jejuniorum violationes aperire.

Reſol. 2. Præceptum illud non afficere infideles, ſeu illos, qui nunquam, actu Baptiſmi, Eccleſiam ingreſſi ſunt; qui cùm non ſint Eccleſiæ ſubditi, ita nec Eccleſiæ præceptis ligantur.

Reſol. 3. Obligari Chriſtianos illos, qui nec carnis rebellionem ſentiunt, nec indigent pro peccatis ſatisfactione, ſi qui reperiantur. Ratio eſt; quia, ceſſante fine legis in uno particulari, non ceſſat lex ipſum obligare, ut dicitur in Tract. de Legibus. Accedit quod ſi jejunium non ſit neceſſarium ad domandam carnem, ſit tamen neceſſarium ad conſervandam carnis ſubjectionem.

Digitized by Google

CONCLUSIO II.

JEjuninm adæquatè ſumptum incipit obligare quoslibet anno ætatis 21. completo, noo ante inadæquatè verò ſumptum, ſeu pro ſola abſtinentia à carnibus, incipit obligare, cùm incipit uſus rationis: quod accidit ordinariè circa ſeptimum annum.

Prob. 1 Pars; quia etſi ligentur fideles ferè omnibus aliis Eccleſiæ præceptis, ubi uſum rationis adepti ſunt, noluit tamen Eccleſia, ut teſtatur praxis communis, jejunii obſervationem adoleſcentibus imponere ante dictum tempus, eo quòd, ob creſcentem ætatem, & caloris abundantiam crebriori indigeant refocillatione. Ubi autem quis annum 21. complevit, ſtatim ſubditur huic legi; ita ut ſi compleverit circa meridiem, debeat veſperi contentus eſſe Collatiuncula & certe ſi factus Subdiaconus hora 9. debeat Officium iſti horæ correſpondens recitare, quidni deoeret adoleſcens à 2. refectione abſtinere in noſtro caſu? ſi quis autem dubitet, an ætatem ſufficientem expleverit, nec poſſit, adhibita ſufficienti diligentia, veritatem adipiſci, tutior pars eſt ipſi eligenda juxta regulas ſuo loco tradendas.

Prob. 2. Pars concluſionis; quia ſi tunc pueri teneantur confiteri, Miſſam audire &c. quidni & à carnibus abſtinere? non tenentur autem anteà; quia nullis ante uſum rationis ligantur Eccleſiæ legibus; & ideò non peccant parentes aut alii, qui infantibus, ante uſum rationis præbent carnes, aut ova in Quadrageſima.

Petes, an Frater Minor vovens Regulam ante annum ætatis vigeſimum primum teneatur ad Jejunia Eccleſiæ & Regulæ?

Reſp. 1. Quoad jejunia Eccleſiæ nullatenus teneri ante dictam ætatem, niſi etiam cadant ſub præceptis Regulæ, ut eſt Quadrageſima, Reſurrectionis. Ratio eſt; quia nullibi legitur voluiſſe Eccleſiam prius obligare Religioſum ad ſua jejunia, quàm ſecularem: ergo cùm aliunde Frater Minor non teneatur ad illa jejunia vi regulę, quæ expreſsè dicit: *aliis autem temporibus*, id eſt, extra Quadrageſimam omnium Sanctorum, & Reſurrectionis, *non teneatur niſi ſexta feria jejunare*, ſequitur, ex nullo capite obligari.

Reſp. 2. Teneri ad jejunia regulæ. Ratio eſt; quia cùm ante annum ætatis vigeſimum primum ſint ad jejunandum ſufficientes, ut patet ex eo, quòd ipſis quandoque à Confeſſariis imponantur jejunia ob carnis petnlaotiam, nec poſſint Jubilæi indulgentias lucrari, niſi jejunent ſicut ætate provectiores, ſequitur, ubi ſe per vota ad jejunandum obligarunt, ad id teneri. Noluit quidem Eccleſia ante illud tempus obligare adoleſcentes, non quia credebat impotentes, ſed ex mera indulgentia, cui poſſunt, ſi velint, renuntiare.

CONCLUSIO III.

OBligatio jejunii non deſinit pro omnibus anno ætatis 60. ſi ſpectetur ſola ratio, Eſt communior.

Prob. 1. Quia lex jejunii obligat omnes jejunandi capaces, ſed plurimi ſexagenarii jejunare poſſunt ſine gravi incommodo, imò æquè commode ac varii quinquagenarii, aut quadragenarii, cùm de ſe dicat Navarrus, quòd octogenarius adhuc jejunaret, perinde ac cùm eſſet ſexagenarius, aut quinquagenarius: ergo.

Prob. 2. Quia excuſari non poſſunt, niſi quia ſenes, & quia ſenectus ipſa morbus eſt, ut habet adagium commune; ſed licèt juxta computum ordinarium diſtinguendi vitæ ætates, omnes ſexagenarii dicantur ſenes, non tamen omnes ſunt tales juxta corporis diſpoſitionem: ergo.

Prob. 3. Sexagenariis impudicis imponi poſſunt à Confeſſariis jejunia, quæ tenentur exequi, ut nullus dubitat: ergo ſupponuntur jejunii capaces.

Dices: ſententia illa exponit homines innumeris ſcrupulis; cum non habeant regulam certam, quam ſequantur.

Reſp. neg. aſſumpt. ubi enim advertunt ſe non poſſe jejunando functiones ordinarias exequi, liberantur à jejunio: ſi dubitent, conforment ſe judicio Medici experti & timorati.

Dixi in concl. *Si Spectetur ſola ratio*; quia refert Lianas 3. p. Methodi c. 5. §. 20. Pium V. Aono 1570. declaraſſe vivæ vocia oraculo ſexagenarios non ampliùs ligari jejuniis Eccleſiaſticis, affirmatque ſe hujus declarationis fuiſſe oculatum teſtem, & ideò concludit: *Gratias Deo quod regula deinceps tenebitur certa à ſummo Eccleſiæ Paſtore decreta* &c. Sed miror quoſdam Authores, etiam modernos, huic privilegio adhærere, cùm omnia vivæ vocis oracula fuerint per Greg. XV. & Urbanum VIII. expreſſiſſimè revocata.

QUÆSTIO VIII.

Quæ cauſæ excuſent à Jejunio?

QUinque præſertim cauſas reperio, ob quas poſſet quis à jejunio excuſari, nempè infirmitatem, laborem, itinerationem, paupertatem, & pietatem. De quibus articulis ſequentibus.

ARTICULUS I.

Quæ infirmitas excuſet à Jejunio?

CONCLUSIO UNICA.

OMnis illa infirmitas excuſat à jejunio, quæ ſpectato viri prudentis conſilio, aut potius Medici experti & timorati judicio, credatur notabiliter obfutura corpori, ſi jejunetur. Eſt certa.

Ratio eſt; quia cùm infirmus ſæpe non poſſit de infirmitatis ſuæ ſufficientia judicare; imò licèt poſſet, cùm tamen ejus judicium ſæpe ſit aut nimis adulatorium, aut nimis ſcrupuloſum, prudenter ſequitur judicium Doctoris aut Medici experti & timorati.

Dixi: *Medici experti & timorati*: experti quidem; quia non ſufficit quod medici nomine & veſtibus indnatur, aut etiam in aliqua Univerſitate ſit ad Licentiatum promotus, ſed debet ea, quæ ſui ſunt muneris, callere: timorati verò, quia plurimi repeſiuntur hoc tempore nimium faciles, qui carni & ſanguini ſupra modum blandiuntur, qui ferè omnium petitioni acquieſcunt, qui domicellis propter futilem, aut forte imaginariam infirmitatem, etiam carnes concedunt, aliorum corpora foventes, animas autem ſuas occidentes. Hinc

Reſol. 1. Non valentem dormire, niſi ſumpta cęna, non poſſe dnas refectiones ſumere, ſed debere Collationem in prandio ſumere & refectionem veſperi, quia illa infirmitas ſecundùm prudens judicium non plus requirit, unde merito proſcripta eſt hæc propoſitio ab Academia Lovanienſi: *qui dormire nequit, niſi veſperi ſumpta cæna, non tenetur jejunare; imò neque in prandio Collationem ſumere., quamvis hoc modo iſti incommodo obviare poſſit; quia nemo tenetur pervertere ordinem refectionum.*

Reſol. 2. Non quoslibet infirmos ſumere poſſe multiplicem refectionem, quia ratio dictat quaſdam infirmitates curandas eſſe per dietam, non per abundantiam.

Reſol. 3. Quòd etſi mulieribus gravidis (quæ aliqua ex parte æquiparantur infirmis) concedatur uſus plurium refectionum, ſicut & lactantibus, non tamen uſus carnium, quia indigene quidem majori alimento, cum ſe & prolem nutriant, non tamen carnibus, ut experientia declarat. Si tamen prægnanti eſſet valdè vehemens appetitus carnium, poſſet pro iſta vice carnibus veſci, ut vitaretur periculum abortus.

Reſol. 4. Virum, qui jejunando noo poſſet reddere debitum uxori illud exigenti, non teneri jejunium frangere. Ratio eſt, quia non ſe obligavit ad illud opus Juſtitiæ, niſi quantùm poſſet ſervando Dei & Eccleſiæ mandata, & conſequenter nullam facit comparti injuriam: ſi tamen indè immineat uxori periculum evidens incontinentiæ, debet maritus ſæpius comedere, non quidem ex virtute Juſtitiæ, ſed Charitatis, cui debet præceptum Eccleſiaſticum cedere.

Reſ. 5. Non debere uxorem obedire marito jejunium Eccleſiaſticum prohibenti, quia magis Deo & Eccleſiæ obediendum eſt, quàm marito, aliud eſſet, ſi juſtè timeret blaſphemias, diſcordias notabiles &c. quia non cenſetur Eccleſia in illis circumſtantiis obligare.

Reſol. 6. Nec poſſe puellam jejunium violare, eo quòd jejunando fiat pallida, ſicque minus placeat Amaſio, cui deſiderat Matrimonio conjungi, quia prætextus illi ſunt nimium intereſſati, humani, & Chriſtianis indigni.

Reſol. 7. Poſſe quandoque, etiam tenoiter infirmum, à jejunio eximi, ſi nempè ob jejunium immineat morbus gravis, quia prudentiæ eſt morbos noo tantùm curare, ſed etiam prævenire. Idem eſt de iis, qui ex priori infirmitate reſtant debiles, quia juſtum eſt, ut paulatim vires reſumant. Pro coronide

Notandum 1. Ubi omnibus pēſatis, adhuc dubitatur de ſufficientia infirmitatis, petēdam eſſe à legitimo Superiore diſpenſationē ut ſuppleat ſua authoritate, quod fortè deeſt in rei veritate.

Notandum. 2. Proportionandam eſſe exemptionem infirmitati, ita ut quandoque infirmus ſumat carnes & plures refectiones, aliquando plures refectiones, ſed non carnes, aut è contra aliquando ultra refectionem ordinariam, jentaculum manè, aliquando refectionem veſperi, & refectiunculam meridie, prout infirmitatis ratio exegerit.

A R-

Digitized by Google

ARTICULUS II.

An labor encuſet à jejunio?

CONCLUSIO I.

OMnis labor honeſtus vitæ ſuſtentandæ neceſſarius moraliterque incompoſſibilis cum jejunio, ideſt, talis, ut jejunans non poſſit illum ponere ſine gravi incommodo, eximit laborantem à jejunio.

Ratio eſt; quia etſi Eccleſia voluerit ut jejunando aliquid pateremur, non tamen ut redderemur inhabiles, aut ferè inhabiles ad functiones ordinarias, ut ſemper intellexit communis omnium fidelium ſenſus. Hinc

Reſol. 1. Excuſari foſſores, agricolas, ſaccigeros, cœmentarios, trahentes naves ſine equorum adminiculo (non tamen ipſas regentes) fabros ferrarios, lignarios, argentarios, ænearios, ſtannearios, & alios hujuſmodi, ubi occupantur in operibus gravioribus; & fere per totam diem. Ratio eſt; quia tales artes præter vehementem & continuam corporis agitationem non poſſunt diu exerceri ſine magna ſpirituum exhalatione, & corporis debilitate. Idem dic de ſimilibus.

Reſol. 2. Etiam eximi poſſe lapicidas, piſtores, ſutores, coriarios, fullones, pannos, telas, & alia hujuſmodi opere textorio fabricantes; quia cùm etiam oneroſo brachiorum motu agitentur, etiam indigent frequentiori alimento ad ſubſtantiæ exhauſtæ reparationem.

Reſol. 3. Non excuſari Pictores, Sartores, Acupingentes, Notarios, Scribas, Mercatores, Typographos componentes (aliud eſt ſi prælo immediatè inſudent) Medicos, Chirurgos, Pharmacopolas, Barbitonſores, &c. quia cùm horum & ſimilium labor non exhauriat vires, etiam non requirit ſpecialem reſtaurationem.

Reſol. 4. Non videri totaliter exemptos Judices, Advocatos, Conſiliarios, Procuratores, Componiſtas, Profeſſores, Scholares &c. quia etſi ſtudium nonnullos ſpiritus animales conſumat, qui ſunt maximè ad vitam neceſſarii; fatebuntur tamen, ubi fuerint jejunio aſſueti, ſe vix ullam pati difficultatem in ſuis functionibus obeundis. Si tamen ſint in ſtudin aſſidui, largiorem, ut ſupra dictum eſt, concedimus Collatinnem, imò & ſecundam refectionem, ſi aliter non valeant officiũ ſuum exequi.

Reſol. 5. Immeritò liberari à lege jejunii Reipublicæ Officiales, niſi laborem exemptioni proportionatum exerceant. Ratio eſt; quia nullibi legitur plus eſſe illis conceſſum in hac materia, quàm aliis: & ideò hanc proſcripſit propoſitionem Alex. VII. *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati obligatione Jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio.*

Petes: An opifices liberi à jejunio, ſint etiam liberi in die Feſto in quo non laborant?

Reſpondet Sylvius Neg. quia ſi die præcedenti laboraverunt, etiam plenè corpus reſtaurarunt, ſicut & reſtaurabunt die ſequenti pro labore iſtius diei, ſi tamen ob jejunium redderentur inſufficientes ad laborem ſequentis diei, poſſent eximi juxta judicium prudentis viri.

CONCLUSIO II.

ETiam liberat à jejunio labor honeſtus, qui non eſt vitæ ſuſtentandæ neceſſarius, niſi fiat in fraudem legis.

Prob. 1. Pars; quia divites laborando ſufficienter in die jejunii eximuntur à jejunio, ſed non eſt ipſis neceſſarius labor ad vitæ ſuſtentationem, ut per ſe patet: ergo. Prob. Ma. tum ex praxi ubique recepta, tum ex declaratione Eugenii IV. Anno 1440. his verbis à Baſſæo V. Jejunium a. n. 7. relata: *Opifices ſuas artes exercentes, aut coloni colendis, ſerendiſque agris aut aliis ejuſmodi rebus operam dantes, ſive ſint divites, ſive pauperes, ad jejunia ſub peccato mortali non tenentur, & à Confeſſariis abſolvi poſſunt conſulendo illis, ut in eleemoſynis, aliiſque piis operibus occupentur.* Loquitur autem Pontifex (ut intelligitur ab iis, qui declarationē referunt) de opificibus artes laborioſas exercentibus.

Prob. 2. Pars; quia etſi lex faveat laborantibus ſimpliciter, non tamen illis, qui ea tantùm intentione ſordida laborant, ut ventrem multiplici refectione repleant, quandoquidem, ut ſæpe diximus, fraus & dolus nemini patrocinentur.

Porro cenſetur quis laborare in fraudem legis, quando laborat; aliàs, ſi exemptionem à lege non expectaret, non laboraturus, ita ut labor ſit præcisè propter exemptionem. Ubi autem quis ita laborat, ut ſi non eſſet Jejunium, adhuc eſſet laboraturus, non agit in fraudem legis, ſive de neceſſitate laboret, ſive non, ſed utitur Jure ſuo. Hæc magis patebunt ex dicendis infra art. ſeq.

CONCLUSIO III.

LAbor illicitus non eximit defatigatos, à Jejunio, niſi ſit periculum alicujus morbi contrahendi.

Ratio eſt; quia non poteſt rationabiliter præſumi velle Eccleſiam tales eximere, cùm illa, licèt benigna, nunquam faveat peccatoribus, & ideò ſi debeant defatigationem illam cum aliquo incommodo tolerare, ſuæ iniquitati debent imputare; unde hanc propoſitionem condemnavit Facultas Lovanien. *Defeſſus ex quocumque labore licito vel illicito, v. g. cum fœminis commixtione, liberatur à lege jejunii.*

Dixi: *Niſi ſit periculum morbi contrahendi*, quia cum teneamur ex lege naturali vitam noſtram conſervare, ex eadem lege tenemur morbum, etiamſi ex crimine proveniat, impedire, legi autem naturali cedit Eccleſiaſtica. Aliud eſt de corporis fatigatione, quæ non cenſetur infirmitas, ſed quoddam incommodum, quod poſſumus licitè, imò & meritoriè tolerare ſine remedio, ut patet in cæmentariis & aliis, qui licèt valdè fatigati, ſæpè tamen Jejunant die veneris in Quadrageſima, & quidem cum magno merito.

ARTICULUS III.

An iter, quale, & quantum enimat à Jejunio?

CONCLUSIO I.

QUodlibet iter ſive pedibus, ſive equo, ſive curru, ſive aliter confectum eximit itinerantem à jejunio, ubi ex eo notabiliter defatigatur. Hoc eſt certum, ſed quanta debeat eſſe illa fatigatio ut ſit notabilis, & quantum iter pedibus, quantum equo, quantum curru, ut cenſeatur parere defatigationem ſufficientem? nihil magis incertũ. Regulam dabimus Concl. 3.

CONCLUSIO II.

OMne iter non ſuſceptum in fraudem legis, nec in finem illicitum (ſi aliunde graviter fatiget itinerantem) liberat à lege jejunii.

Ratio eſt; quia eodem modo debemus loqui de itinere, ac de labore, cum equidem ſit quidam labor corporalis, ſed omnis labor talis excuſat laborantem à jejunio, ut patet ex art. præced. ergo &c. Hinc

Reſol. 1. Nobilem aut divitem itinerantem pedibus, honeſtæ recreationis, aut exercitationis ergo, cùm poſſet incedere equo, curru, aut navi, non teneri ad jejunium, ubi ſufficienter defatigatus eſt; quia ſi dives non teneatur ceſſare à labore ut jejunet, nec ab itinere pedeſtri.

Reſol. 2. Studioſum, qui tempore vacationum pedeſtris ambulat de civitate in civitatem, animi cauſa, non obligari in die jejunii intermedio quieſcere, ut præcepto ſatisfaciat, quia id Eccleſia non requitit, ut declarat praxis timoratorum.

Reſol. 3. Eum, qui venando, aut piſcando in die jejunii, graviter defeſſus eſt ex curſu, aut labore, abſolvi à jejunio, etiamſi non ex arte, aut officio, ſed ex ſola recreatione honeſta id fecerit: modò tamen non fuerit venatus aut piſcatus, quia dies erat jejunii; aliàs ob fraudem teneretur, ut antea diximus. Ratio eſt; quia talis utitur jure ſuo; cùm nullibi prohibeatur venari aut piſcari in die jejunii.

Reſol. 4. Exemptum eſſe peregrinantem ad Loca Sancta, etiamſi poſſit in alium diem iter differre, modò antea ſtatuerit illo die diſcedere. Videtur quidem contrarius D. Thom. 2. 2. q. 147. art. 4. ad 3. ſed cùm in fine dicat: *Ex hoc ipſo quod Prælati diſſimulant, videntur annuere*, & aliundè declaraverit Eugen. IV. Poſt D. Thomæ tempora, opificem divitem à jejunio exemptum, licèt commodè poſſit laborem omittere, ut patet; non eſt dubium quin à fortiori in caſum noſtrum conſentiret, ſi adhuc viveret.

Reſol. 5. Itinerantem expreſsè ut eximatur à jejunio, etiamſi ad Loca Sancta, ſicut ut corrumpat puellam, teneri ad jejunium, etiamſi notabiliter ſit defeſſus, modò non ſit periculum morbi: hocque propter rationes allatas art. præced. concl. 2 & 3.

CONCLUSIO III.

NOn bene ſtatuitur regula certa quãtitatis itineris pro omnibus perſonis indeterminatè; cùm aliqui plus graventur confectis duabus leucis, quàm alii, confectis octo aut decem.

Præterea variæ occurrunt circumſtantiæ tum ex parte itinerantis, tum ex parte viarum, tum ex parte temporis, quæ impediunt quominus eadem menſura longitudinis itineris aſſignetur omnibus. Quare, relicta opinione illorum, quorum aliqui

requirunt quatuor leucas, alii quinque, alii ſex, hanc pono Regulam generalem.

Quodcumque iter ita alterans hominem, ut ea, in quibus ordinariè occupatur, non poſſit niſi cum magna difficultate exequi, ſolvit itinerantem à lege jejunii, ſive interim iter fiat pedibus, ſive equo, ſive curru. Hanc Regulam ſine anxietate, ſine ſcrupulo, poteſt quilibet etiam plebejus aut ruſticus ad praxim deducere; cùm facilè videre poſſit unuſquiſque, an cum magna difficultate necne, poſſit opera ſua ordinaria exequi. Si tamen non poſſit quis eſſe ſibi arbiter, credat viro prudenti, & maxime directori, cujus eſt hac de re judicium ferre.

Dixi in præfata regula: *ſive iter fiat equo*; quia licèt ordinariè incedentes equo, non ſint à jejunio immunes, præſertim cùm equus placidus eſt & obtemperans; ubi tamen iter, vel greſſu valdè præcipiti debet confici; quod accidit curſoribus; vel pluribus diebus continuari cum urenti ſolis ardore, aut vento impetuoſo, etiam excuſare poteſt à jejunio.

Dixi etiam: *ſive curru*; quia poteſt quandoque ſedens per 10. aut 12. horas in vectura non penſili & incedente ſuper pavimento aſpero & prærupro ita fatigari, ac ſi quinque aut ſex leucas pedeſter confeciſſet. Ex hac regula

Reſol. Meritò damnatam eſſe ab Alexand. VII. hanc propoſitionem: *Excuſantur abſolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant*, quia propoſitio illa nimis univerſalis eſt, excuſatque indiſcriminatim fatigatos & non fatigatos.

ARTICULUS IV.

An paupertas & pietas poſſint eſſe cauſæ ſufficientes, ut non ſervetur Jejunium?

CONCLUSIO I.

Dicendum quòd pauperes, qui poſſunt ſufficienter habere quod eis ſufficiat ad unam comeſtionem, non excuſentur propter paupertatem à jejuniis Eccleſiæ. Ita D. Th. ſup. art. 4. ad 4.

Ratio eſt; quia ſicut paupertas nihil facit ad rem, ut quis eximatur à Miſſa, à Communione Paſchali, à Confeſſione annua &c. Ita nec ut eximatur à jejunio, ſi cum ſua paupertate ſufficienter habeat unde reficiatur.

Dixi tamen ſuperiùs, poſſe quandoque refectionem dividere. Vide quæſt 4. In fine concl. 1.

Petes 1. An illi, quibus tantùm eſt panis & aqua, ſed ſufficienter ad integram refectionem, teneantur jejunare? Affirmativa multis apparet dura: Negativa autem videtur D. Thomæ contraria, cùm ipſos obliget, ubi habent ſufficientia ad unam comeſtionem, nihil determinando circa qualitatem potus aut cibi. Ego viam mediam amplexatus ſic Reſp. Vel tales ſunt illis aſſueti, ita ut pane & aqua non nauſeantibus ſumere poſſint ex eis plenam & integram refectionem, vel non: ſi ſecundum, non videntur ad jejunium obligandi, cùm propter panis nauſeam non poſſint niſi pluties comedendo refici: ſi primum, tenentur; modò ea ſumendo ſint æquè fortes & robuſti ac alii, qui cibis melioribus veſcuntur. Ratio eſt; quia nihil occurrit unde eximantur, cùm corpus plenè reficiatur.

Dices: Si inde eorum corpus non mortificetur, mortificatur tamen guſtus.

Reſp. Si ratio illa valeret, poſſet aſſuetus comedere bonos piſces, non jejunare, ubi tantum haberet varia legumina, etiam bene condita; quandoquidem plus mortificetur hic in guſtu, comedendo legumina, quàm pauper comedendo panem, cui eſt aſſuetus: unde non eximitur quis à jejunio propter guſtus mortificationem, aliàs ſumens cibos amaros in ſaturitate, non teneretur ad jejunium: quod nemo dixerit.

Petes 2. An miles in caſtris teneatur veſci pane nudo diebus veneris, ſi nihil aliud habeat præter panem & carnes?

Reſp. Probabilius poſſe carnes adjungere, non quia panis non poſſit ſufficere ad refectionem; ſed quia præſumitur talem eſſe Eccleſiæ intentionem: cùm enim permittat militibus certis diebus in Quadrageſima comeſtionem carnium, dum ſunt in urbibus, poſſuntque habere legumina, caſeum, ova, &c. idque ut ſint pro expeditionibus futuris magis nervoſi & robuſti, præſumendum eſt etiam die veneris idipſum illis concedere, dum omnibus præfatis deſtitui, coguntur manere ſub dio, ſinguliis momentis pugnæ expoſiti, ſaltem ubi diebus præcedentibus fuerunt male nutriti.

Petes 3. Quid faciendum militi, dum conſocii camerarii carnes diebus prohibitis comedunt?

Reſp. Debere ſi poſſit, expenſas ſuas particulariter facere; quia tenetur, quantum poteſt, legem obſervare: ſi tamen id non poſſit, vel quia non recipit ſtipendium particulariter, vel aliunde non tenetur, aliis comedentibus carnes, ſolo pane contentus eſſe. ſaltem ſi hoc fiat pluribus diebus, qui non eſt credibile velle Eccleſiam tam durè cum ſuis agere, ubi Superiores nolunt favere abſtinere volenti.

CONCLUSIO II.

NOn excuſat pietas à jejunio niſi involvat laborem, aut peregrinationem, quæ ſit de ſe ſufficiens ad excuſandum independenter à motivo pietatis.

Ratio eſt; quia pietas à præfatis abſtracta, nec corpus aggravat, nec animam, & conſequenter non eſt unde eximat exercentem opera pietatis à lege jejunii. Hinc

Reſol. 1. Orantem, meditantem, Horas Canonicas in Choro canentem, Sacramenta miniſtrantem &c. teneri ordinariè ad jejunium, etiamſi opera præfata ſatis diu protrahat, quia non involvunt laborem corporis alterativum, ſaltem notabiliter.

Dixi: *Ordinariè*: nam ſi quis tempore Paſchali à ſummo mane ad veſperam exciperet Confeſſiones laborioſas, tum ob Pœnitentum ignorantiam, tum ob caſuum difficultatem, poſſet eximi, quia hoc opus eſt valdè laborioſum, cauſatque magnam capitis, adeoque & totius corporis debilitatem: unde in hac materia debet unuſquiſque eſſe ſincerus ſuæ cauſæ arbiter.

Reſol. 2. A jejunio abſolvi Concionatores Adventuales & Quadrageſimales, ſi quotidie, aut ferè quotidie concionem habeant cum magno labore & ſtudio. Ratio eſt, quia cum Concionator fervidus debeat habere ſtomachum fortem & vires corporis vividas, quæ aliunde graviter alterantur & debilitantur per longum ſtudium & oneroſam memoriæ exercitationem, Juſtum eſt ut frequentiori reſtauratione utatur.

Dixi: *Cum magno labore, & ſtudio*; quia ſi quis ob conciones alibi repetitas, vel ob memoriæ facilitatem non indigeat longo ſtudio, non eſt eximendus; cùm ceſſet cauſa exemptionis, nempè labor notabilis.

Reſol. 3. Concionatorem, qui ob ſtipendium aut mercedem concionatur, non teneri ideò jejunare, ſi aliunde ſufficienter laboret ut eximatur. Ratio eſt; quia merces hic nil facit ad rem; nam ſi opifici diviti permittatur laboritium ſervile, ob quod eſt à jejunio excuſandus, quidni cum jejunii exemptione permitteretur laboritium ſpirituale Concionatori ſtipendium expectanti?

Reſol. 4. Flagellantes ſe in hebdomada ſancta poſſe à jejunio eximi, ſi in ſanguinis effuſione videant ſe valdè debiles; quia ſi Eccleſia eximat debilitatos ex labore, ſive corporali, ſive ſpirituali, etiamſi ſtipendium laboris accipiant, cur non eximeret debilitatos ex opere pietatis ob ſolum Chriſti patientis amorem. Dixerim tamen æquè perfectum, aut fortè perfectius eſſe ita caſtigationem moderari, ut cum illa ſit jejunium compatibile; quia ſummè placent Deo opera ex obedientia humili ſuſcepta. Imò condemnarem illum, qui ſe flagellaret ex motivo exemptionis, idque ob fraudem legis, Idem dic in ſimilibus.

QUÆSTIO IX.

Quis poſſit in lege jejunii diſpenſare?

CONCLUSIO I.

POteſt Papa in lege jejunii diſpenſare pro tota Eccleſia. Epiſcopus pro ſuis Diœceſanis, & Parochus pro ſuis ſubditis, ſaltem ubi non eſt Epiſcopus.

Prob. 1. pars; quia cum Papa tanquam Chriſti Vicarius, ſit Paſtor univerſalis Eccleſiæ, poteſt in omnes Eccleſiæ ſubditos juriſdictionem ſuam exercere, diſpenſando in lege jejunii, & in aliis Eccleſiaſticis, ubi juſtum fuerit, quandoquidem ab ipſo dependeant omnes Eccleſiæ leges, aut in fieri, aut in conſervari; & ideò poteſt, non ſolum alicui concedere ut nunquam jejunet, ſed etiam jejunii legem omninò tollere: validè quidem, etiam ſine cauſa, licitè verò ubi adeſt cauſa rationabilis.

Prob. 2. Pars; quia poſtulat ratio & prudens Eccleſiæ regimen, ut in caſibus frequenter accidentibus, ut ſunt caſus jejunii, ſit penes Epiſcopos poteſtas diſpenſandi, ne propter facilem caſuum occurrentiam, & difficilem ad Papam recurſum, non ſit ſufficienter Fidelium neceſſitati proviſum. Non poſſunt tamen legem jejunii univerſalem tollere, cùm non habeat Inferior poteſtatem in leges Superioris. Aliud eſſet, ſi ipſimet, aut eorum prædeceſſores jejunium aliquod inſtituiſſent; in illud enim eandem haberent poteſtatē, ac Papa in leges Eccleſiæ univerſales.

Prob. 3. Pars; quia licèt Jus id non concedat Parochis, concedit tamen conſuetudo Fidelium praxi firmata, & Prælatorum conſenſu roborata.

Dixi: *Saltem ubi non eſt Epiſcopus*; quia cùm tunc ſit facilis ad ipſum recurſus, videndum eſt quid circa hoc conſuetudo ibidem introduxerit.

No-

Digitized by Google

Notandum hìc Parochorum diſpenſationem eſſe propriè dictam, & non tantùm declarationem exemptionis, ſicut eſt Medici, Confeſſarii, Theologi, aut alterius viri prudentis, & ideò ubi dubium eſt de cauſa juſta exemptionis, ſatiùs eſt ad Parochum recurrere, quàm ad Medicum aut Confeſſarium, cùm ille ſua Juriſdictione ſuppleat, cauſamque reddat quodammodò ſufficientem, quod hi non faciunt.

CONCLUSIO II.

POſſunt etiam Prælati Regulares, tum Provinciales, tum Locales cum ſuis in jejunio diſpenſare.

Prob. De Provincialibus, quia ex Jure communi habent in ſuos poteſtatem ſeu Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & conſequenter ſicut poſſunt Epiſcopi cum diœceſanis, ita & illi cum ſuis Religioſis diſpenſare, ubi occurrerit cauſa rationabilis.

Prob. De localibus; quia ſunt veri Parochi & Ordinarii reſpectu ſuorum, & ſicut conſuetudo recepta introduxit ut diſpēſare poſſint Parochi cum ſuis, ita etiam ut diſpenſare poſſint Priores, Guardiani, Rectores &c. cum ſuis inferioribus. Eſt tamen diſparitas inter Prælatos provinciales, & locales, quòd primi, ſicut Epiſcopi, permittere poſſint ob piſcium raritatem, comeſtionem ovorum in Quadrageſima, non alii, quibus non plus competit in hoc, quàm Parochis, qui debent diſpenſationem Epiſcopalem expectare.

QUÆSTIO X.

Seu variæ quæſtiunculæ utiles & curioſæ de jejunio.

PEtes 1. Quis inſtituerit jejunia quatuor temporum?

Reſp. Quatuor temporum jejunia (ſicut & Quadrageſimæ, de quibus quæſt. 1.) inſtituta fuiſſe ab Apoſtolis. Patet ex Leone I. Epiſt 81. Cap. 1. Ubi ait, *ex Apoſtolica venire doctrina; ut ſacræ ordinationes (quæ fiunt ſabbatho quatuor temporum) præmiſſo jejunio conſecrentur.* Quod & reperit ſerm 2. De Pentecoſt. *Jejunium, quod ex Apoſtolica traditione ſubſequitur, ſancta obſervantia celebremus.* Legebatur quidem olim in Breviario Romano de S. Calixto: *inſtituit quatuor anni tempora, quibus jejunium ſervaretur*, ſed cum jam in Breviario correcto habeatur: *conſtituit quatuor anni tempora, quibus jejunium ex Apoſtolica traditione acceptum, ab omnibus ſervaretur*, ſatis apparet S. Calixtum determinaſſe quidem tempus quo fierent, non tamen ipſa jejunia, in quibus celebrandis non ſervabantur anteà ab omnibus eadem tempora.

Dies cap. *Jejunium* diſt. 76. legitur voluiſſe S. Pontificem ut jejunium ter in anno celebratum, quater celebraretur: ergo ſaltem unum inſtituit.

Reſp. Sic voluiſſe; quia ſatis probabiliter unum è quatuor erat abrogatum. Porrò inſtituta ſunt illa jejunia tum ut pro fructibus obtinendis Divinam moveremus Clementiam, tum ut pro obtentis grates rependeremus; tum etiam ut pro regendo fideli populo digni conſecrarentur Miniſtri. Fiunt autem feria quarta, ſexta & ſabbatho; quia Feria quarta fuit Chriſtus venditus, Feria ſexta crucifixus, & in ſepulchro requievit ſabbatho.

Petes 2. An ſit jejunandum Feria ſexta & ſabbatho?

Reſp. Jejunium fuiſſe olim feria ſexta, imò & quarta, ut teſtatur Epiſtola S. Ignatii ad Philippenſes in fine his verbis: *quarta & ſexta feria jejunate*: quod & confirmat Origines hom. 10. In Levitic. *habemus quartam & ſextam ſeptimanæ dies, quibus ſolemniter jejunamus.* Sabbatho autem fuit aliquando jejunium Romæ, non ubique: undè Auguſtinus veniens cum matre Roma Mediolanum, conſuluit S. Ambroſium, an deberet Mediolani, ſabbatho jejunare, ſicut Romæ? cui reſpondit: *Cùm Romam venio jejuno: cum Mediolani ſum, non jejunio; ſic & tu quamcumque Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva.* Nihilominus his temporibus, extra Quadrageſimam; quatuor tempora, & feſtorum vigilias, nec feria quarta, nec ſexta, nec ſabbatho eſt jejunandum, ſed tantùm feria ſexta & ſabbatho à carnibus abſtinendum; ut fidelium praxis teſtatur. Imò ſabbathis inter diem Natalem Salvatoris (in quo ex jure communi non eſt abſtinentia à carnibus, ubi incidit in feriam ſextam aut ſabbathum) & Purificationem B. M. Virginis incluſivè, carnes comedunt Galli & Belgæ, conſuetudine ſic permittente ob Dominicæ Nativitatis lætitiam. Dixi *incluſivè*; quia etiam ipſa die Purificationis, ſi cadat in ſabbathum, comeduntur.

Petes 3. An etiam Fratri Minori licita ſit comeſtio carnium in Die Natalis Domini, feria ſexta occurrente

Reſp. Neg. Sic eorum Regulam praxi, & Summorum Pontificum declaratione interpretante.

Petes 4. An in die Sancti Marci, ſicut & tribus diebus ante Aſcenſionem, ſit jejunium?

Reſp. Eſſe abſtinentiam à carnibus; non tamen à pluribus refectionibus; ita ut nequidem ſit prohibitum refectionis horam prævenire. Ita communis DD. conſenſus, & recepta fidelium praxis: Excipe tamen, niſi alicubi præceptum ſynodale, aut conſuetudo aliud introduxerit, prout dicitur introductum in Diœceſi Cameracenſi, ut jejunetur uſque ad prandium, vel ſaltem donec ſint abſolutæ Litaniæ publicæ.

Petes 5. An iis, quibus ex conſuetudine Licitum eſt comedere adipem diebus Sabbathinis, licitum ſit & præfatis diebus?

Reſp. Neg. Quia conſuetudo contra jus commune non eſt amplianda, ſed potiùs reſtringenda.

Petes 6. An liceat jejunare diebus Dominicis?

Reſp Fuiſſe olim prohibitum, tum ob hæreſim Manichæorum, qui, ut oſtenderent Chriſti Reſurrectionem non eſſe verā, dies Dominicos in jejunio & luctu tranſigebant; tum in deteſtationem eorum, qui id faciebant vel in contemptum Eccleſiaſticę conſuetudinis, vel ob vitium ſingularitatis; nunc tamen, ceſſante ſcandalo, errore, aut contumacia, nō eſt prohibitum, quidquid dicant Cajetanus, Navarrus, & Sayrus. Ratio eſt; quia, ceſſante univerſaliter fine legis, ceſſat ipſa lex; ſed jam ceſſarunt rationes, propter quas olim fuit vetitum die Dominico jejunare, ut evidenter patet: ergo.

Reſ. 1. Poſſe Epiſcopū, urgente gravi neceſſitate, v. g. cōflictu hęreticorū contra Catholicos, jejunium indicere die Dominico; quia etſi id non ſoleat Eccleſia, hoc tamen non prohibet, ut dixi.

Reſol. 2. Votum jejunandi diebus Dominicis jam obligare, cùm ſit de re licita, & meliori.

Reſol. 3. Votum jejunandi per menſem integrum, non obligare diebus Dominicis; niſi aliud intendatur; qui vota tantum obligant ad inſtar præceptorum Eccleſiæ, quæ non ſolet diebus illis jejunium imponere: eſſe tamen à carnibus abſtinendum.

Petes 7. Unde initium habuerit jejunium Adventus à Religioſis celebratum?

Reſp. A Romanis, apud quos olim etiam vigebat vel præcepto, vel conſilio, ut refert Rodulſus Tongrenſis Lib. de Canonū obſervantia: *Apud Romanos*, inquit, *etiam in Adventu Domini jejunium agitur.* Undè Innoc. III. Cap. *Conſilium*. De obſervatione jejuniorum: *Jejunium etiam apud nos in Adventu Domini agitur:* quod jejunium licèt non fuerit univerſale, univerſaliter tamen manſit apud Religioſos, ſi valdè paucos exceperis.

Petes. 8. Cur in omnibus ferè Religionibus ſit jejunium plenum, vel ſemiplenum feria ſecunda & tertia ante diem Cinerū?

Reſp. Propter Epiſtolam Decretalem Teleſphori, quæ refertur c. 4 *ſtatuimus* diſt 4. ubi legitur: *Statuimus ut ſeptem hebdomadas plenas ante Sanctam Paſcha omnes Clerici in ſortem Domini vocati à carne jejunent &c.* Undè Gratianus c. 5. *Quadrageſima* diſt. 4. *Quadrageſima ſex ſeptimanas habet, cui addidit Teleſphorus Pontifex ſeptimam hebdomadam* nempè pro Clericis, ut dixerat c. præced. *& vocatum eſt hoc jejunium Quadrageſima.* Quia tamen hujus jejunii obligatio deſuetudine ablata eſt, hinc fit quòd à Clericis ſæcularibus nullatenus, & à multis Religioſis nonniſi imperfectè obſervetur.

Petes 9. Quando olim inceperit & finierit Quadrageſima?

Reſpondet Alcuinus lib. de Divinis Officiis: *Quadrageſima incipit à ſequenti Dominica poſt Quinquageſimam, & finitur 4. feria ante Paſcha Domini.* Quod confirmat Rabanus lib. 2. de inſtitut. Clericorum c. 34. & ſic illo tempore jejunium quadraginta dierum non erat perfectum: cùm tunc, ſicut & nunc, licitæ eſſent refectiones diebus Dominicis. Ut autem Quadrageſimale jejunium foret ex omni parte plenum, ſtatutum eſt jure novo, ut inciperet à die Cinerum incluſivè, & terminaretur cum Sabbatho Sancto; quia ſic, detractis ſex Dominicis; in quibus jejunium non eſt plenum, reſtant quadraginta dies jejunii perfecti.

Petes 10. Quare immediatè ante Paſcha fuerit inſtitutum hoc jejunium?

Reſp. Ob varias cauſas 1. Ut eſſemus magis prompti & expediti ad celebranda Dominicæ Paſſionis & Reſurrectionis Myſteria. 2. Ut à cibis corporalibus magis ſolito abſtinentes, cibum ſpiritualem, Communionem dico Paſchalem, majori cum animi præparatione reciperemus. 3. Quia illo tempore, nempè verno, magis abundant humores, magiſque effervescit ſanguis, undè facilè oriuntur motus libidinoſi, quos refrænat jejunium illud ſalutare.

Petes 11. An ſit jejunandum illi, qui gravioribus agitatur carnis ſtimulis jejunando, quàm non jejunando.

Reſp. Affirm. quia cùm jejunium carnium maceret, cohibeat ſtimulos, tentationes illæ non proveniunt ex jejunio, ſed aliundè, & ideò ſunt aliis mediis vincendæ

Sed teneturne, qui nullam patitur carnis rebellionē? Tenetur: quia non tantùm imponitur jejunium, ut caro ſubjiciatur, ſed etiam ad ſatisfactionem peccatorū, mentis in Deum elevationē, iræ divinæ placationem, aut impetrationē alterius boni publici.

Digitized by Google

Sed eſto, quòd finis adæquatus legis jejunii eſſet ſubjectio carnis, adhuc tamen obligaretur; quia, ut dicitur in Tract. de legibus, ceſſante fine legis in caſu & perſona particulari, non ceſſat propterea legis obligatio.

Petes 12. Quid requiratur ad Chriſtiané jejunandum?

Reſp. requiri 1. ut jejunans à cibo, jejunet præſertim à vitio: nec enim *fructuosé corpori eſca ſubtrahitur, niſi mens ab iniquitate revocetur*, inquit S. Leo Serm. 4. de Quadrageſima: & ideò ſic eſt temperanda edendi libertas, ut refrænetur vitiorum cupiditas 2. Ut abſtineatur, maximé in Quadrageſima à ludis & jocis, ſaltem cogitationum ſalutarium diſſipativis: *non enim lamenta cum jocis conveniunt; & fallax ac deceptrix lætitia veraces lachrymas producere neſcit in proximo.* Nicolaus I. ad conſulta Bulgar. c. 47. 3. Ut quod ſubſtrahitur corpori, concedatur pauperi: unde S. Leo Serm. 2. de jejunio decimi menſis; *fiat refectio pauperis, abſtinentia jejunantis*.

Petes 13. Quid agendum Confeſſario cum Pœnitentibus, qui ſæpius in Quadrageſima non jejunarunt?

Reſp. debere ipſos interrogare, an annis ſuperioribus ita egerint, &, ſi recidivos repererit, debere ipſis jejunia imponere, ante quorum executionem non eſt eis beneficium abſolutionis impendendum, tum ut videat, an propoſitum emendæ ſit efficax; tum ut lapſus futuros præcaveat.

Petes 14. Quid nobis objiciant hæretici circa abſtinentiam à carnibus?

Reſp. ſequentia. 1. Illud Matth. 15. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem.* 2. Illud Apoſt. ad Coloſſ. 2. *Nemo vos judicet in cibo aut in potu*. 3. Illud 1. Corinth. 10. *Omne quod vobis apponitur, manducate*. Et c. 8. *Eſca autem nos non commendat Deo*. Idem ad Titum 1. dicit omnia munda eſſe mundis. Et 1. ad Timoth. 4. prædicit cavendum eſſe ab iis, qui prohibituri eſſent cibos à Deo creatos. Quibus

Reſpondendum eſt in præfatis locis nihil aliud intendi, quàm quòd non ſit abſtinendum à carnibus, & aliis cibis tanquàm natura ſua immundis, quod volebant Judæi, & quidam hæretici; quodque negant Catholici, qui ab illis abſtinent, non quia immundi ſunt: ſed quia eorum abſtinentia corpus macerat, carnem ſubjicit ſpiritui, mentem elevat &c. ob quos fines ab Eccleſia præcipitur; & quidem juſtiſſimé: nam ſi præcipiat quandoque Medicus infirmo abſtinentiam à carnibus, & hic teneatur obedire, ut vitam corporalem conſervet; quidni id poſſit Eccleſia erga ſuos, ad vitam eorum ſpiritualem conſervandam, cùm non minus, imò longe magis competat Eccleſiæ regimen animarum, quàm Medico regimen corporum?

QUÆSTIO V.

Quid ſit ira, quale peccatum, quæ ejus filiæ, & quæ remedia?

INdifferens eſt Ira ad peccatum, ſive phyſicé ſpectetur, ſive moraliter. Phyſicé ſiquidem nihil eſt aliud, quàm ebullitio ſanguinis in corde proveniens ex fellis turbatione & evaporatione; moraliter autem, eſt appetitus vindictæ; ubi autem nec in uno, nec in altero exceditur, tantùm abeſt, ut ira ſit mala, ut è contra poſſet eſſe meritoria, imò & ejus abſentia peccaminoſa: undè peccant quandoque Superiores, & quandoque parentes defectu iræ in ſubditos, ſicut peccavit Heli. 1. Reg. 2. fuitque ideò juſta morte punitus, quod filiis diſcolis, eorumque vitiis non fuerit iratus: unde Eccl. 7. legitur: *melior eſt ira riſu, quia per triſtitiam vultus, corrigitur animus delinquentis*. Dixit quidem Chriſtus Matth. 5. *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio*; ſed ibi de ira ad homicidium proximé vel remoté tendenti loquitur, ut manifeſté patet tum ea Interpretibus. Præterea non condemnari ibi omnem iram, inde manifeſté colligitur, quòd ipſemet Chriſtus, à quo longe erat omne peccatum, circumſpexit *cum ira* Marc. 3. & pſalmo 4. dicitur: *Iraſcimini & nolite peccare*. De ſola ira in malam partem ſumpta, quæ peccatum eſt capitale, ſoletque dici *Iracundia*, hic agimus.

CONCLUSIO I.

IRa ut vitium capitale, eſt immoderata cupiditas vindictæ, aut quaſi vindictæ.

Dicitur 1. *Immoderata*, quod accidere poteſt vel ex parte modi iraſcendi ut ſi motus iræ nimium efferveſcat, aut interius, aut exteriùs, vel ex parte appetibilis, ſeu vindictæ; & ideò *Si aliquis appetat quod fiat vindicta qualitercumque contra ordinem rationis, puta, ſi appetat puniri eum qui non meruit, vel ultra quam meruit, vel etiam non ſecundùm legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, qui eſt conſervatio juſtitiæ, & correctio culpæ, erit appetitus iræ vitioſus*, inquit D. Th. 2. 2. q. 158. art. 2. O.

Dicitur 2. *Vindictæ*, quæ eſt objectum ſeu terminus iræ; non eſt tamen neceſſe ad iram, ut vindicta feratur in eum, à quo quis ſe læſum arbitratur; nam ſi quis optaret ut latro v.g. gravius puniretur, quàm mereatur delictum, eſſet vera ira, licèt ab eo nec in ſe, nec in ſuis fuiſſet læſus.

Dicitur. 3. *Vel quaſi vindictæ*; quia dum homo iraſcitur in res inanimatas, ut dum artifex ex cholera frangit, aut projicit inſtrumentum non ita idoneum, dum ſcholaris comminuit calamum male ſcribentem, pictor penicillum &c. non eſt proprié vindicta, & tamen eſt proprié ira; licèt ordinarié venialis; niſi ab extrinſeco fiat mortalis.

CONCLUSIO II.

IRa exceſſiva ex parte vindictæ eſt peccatum ex genere ſuo mortale; exceſſiva autem ex parte modi iraſcendi, ordinarié tantum eſt veniale.

Prob. 1. Pars; quia talis ira adverſatur Charitati & Juſtitiæ; Charitati quidem; cùm optemus proximo malum, quod nobis non optaremus fieri: Juſtitiæ verò: nam ſicut ad juſtitiam commutativam requiritur æqualitas inter datum & acceptum, ita ad juſtitiam vindicativam æqualitas inter pœnam & culpam.

Dixi: *Ex genere ſuo*; quia poteſt eſſe peccatum veniale ob imperfectionem actus, quæ ſpectatur vel ex parte voluntarii, ut cùm motus iræ prævenit judicium rationis perfectum ex parte objecti, ut cum levis eſt vindictæ optatæ exceſſus.

Prob. 2. Pars; quia homo per ſolum emotionis exceſſum nec intendit nocere, nec nocet niſi ſibi.

Dixi tamen: *ordinarie*; quia ut non minus docté, quàm veraciter advertit noſter Marchantius, tom. 2. Trib. tract. 6. tit. 2. q. 2. concl. 5. ſi emotio ſit tam enormis, ut privet hominem ſenſu aut ratione, aut ipſum exagitet in voces horrendas, membrorum contorſiones, ſpumas &c. erit mortalis, cum non minus, imò fortius Dei imaginem, naturamque rationalem deturpet, quàm ebrietas. Unde de ſimili ira dicit Ambr. precat. 2. ad Miſſam. *Ira inter cætera vitia nihil aſperius, nihil invenitur amarius: quæ dum ultra modum efferbuerit, atrociter mentem exulcerat, ſenſum hebetat, linguam immutat, oculos obumbrat, totumque corpus perturbat: hinc protinus rixæ, contumeliæ, clamor, indignatio, tumor mentis, & blaſphemiæ ſuſcitantur*.

Ex quo ſequitur eum, qui enormi commotioni agitatur, etſi nec vindictam, nec quaſi vindictam appetat, graviter delinquere, vel ob alteratam humanæ naturæ conſtitutionem, vel ob ſenſus & rationis privationem.

CONCLUSIO III.

SEx à D. Thom art. 7. poſt S. Gregor. ſupra, congrué aſſignantur filiæ iræ, nepmé Rixa, Tumor mentis, Clamor, Contumelia, Blaſphemia, Indignatio: vel enim ira conſummatur in corde, vel ore exprimitur, vel opere completur: ſi in corde, eſt *Indignatio*, qua quis ob injuriam ſibi aut ſuis factam, alterum reputat indignum, cui exhibeat officia aliis exhiberi ſolita, ut alloqui, ſalutare, aſpicere, converſari &c. poteritque interdum eſſe peccatum mortale, ut diximus de odio quæſt. 5. de Superbia: illuc recurre. Si autem indignatus excogitet diverſa media vindictæ, & talibus cogitationibus animum repleat, dicitur *Tumor mentis*, qui eſt mortalis aut venialis juxta exceſſum vindictæ. Si ira voce exprimatur, vel per verba confuſa & inordinata, & erit *Clamor*, qui ordinarié tantùm eſt venialis; vel per injurias apertas, & erit *Contumelia*, ſi reſpiciat proximum, Blaſphemia, ſi Deum aut Sanctos. De Blaſphemia egimus diſput. 2. & de Contumelia diſput. 8. Tractatur noſtri ſuper Decalogum. Si autem opere compleatur, dicitur *Rixa*, *per quam intelliguntur*, inquit D. Thom. *omnia nocumenta quæ facto proximis inferuntur ex ira*, adeòque pugnæ, duellum, ſeditio, mutilatio, homicidium &c. de quibus ſuis locis.

CONCLUSIO IV.

REmedia contra iram adhiberi poſſunt ſequentia.

1. Sibi ob oculos ponere exemplum Chriſti ita manſueti & patientis, ut cùm ad victimam tanquam ovis duceretur, non aperiret os ſuum, ut cum malediceretur, non malediceret; cum pateretur, non comminaretur, cum cruci ligeretur, pro ſuis interfectoribus oraret, *diſcite*, ergo *à me*, inquit Matth. 11 *quia mitis ſum, & humilis corde*: diſcite, & perſecutionibus, injuriis, afflictionibus patientiam opponite.

2. Non ſolum primos iræ motus, ſed etiam primas cogitationes, imò & omnes occaſiones evellere, quia inſtar ignis eſt ira, & ſicut à ſcintilla augetur ignis, niſi illicò ſuffocetur, & extinguatur, ita facilé à primo motu ad iram vehementer devenitur; unde *incomparabiliter ſalubrius eſt*, inquit Aug. Epiſt. 149.

Etiam

Digitized by Google

Etiam iræ juſtæ pulſanti non aperire penetrale cordis, quàm admittere non facile receſſuram, & perventuram de ſurculo ad trabem: audet quippè impudenter etiam creſcere citiùs quàm putatur: non enim erubeſcit in tenebris, cùm ſuper eam ſol occiderit.

3. Seriò advertere quot & quanta mala ex ira proficiſcantur, quot bella, quot clades, quot duella, quot ſeditiones, quot homicidia, quot parricidia, uxoricidia, & fratricidia. Iratus Cain fratrem Abel interfecit: iratus Abſalon ſæpius patri Davidi necem intentavit: iracundia ſævus Herodes non ſolùm filios, ſed & uxorem, corporis forma, & animæ virtutibus eximiam enecavit. Lege ſcripturam, revolve hiſtorias, & ubique horribiles iræ effectus invenies.

QUÆSTIO VI.

Quid Acedia, & quotuplex, quale peccatum, quæ ejus filiæ, quæ comparationes, & quæ remedia?

VAriè ſumi poteſt Acedia. 1. Pro quodam corporis torpore, & virium naturalium hebetudine in ordine ad laborem ſuſcipiendum. Hæc gravedo accidere ſolet circa meridiem, vel ob ſolis ardorem, vel ob ſumptam refectionem. 2. Sumitur pro paſſione appetitus ſenſitivi, operis laborem & difficultatem refugientis: & his duobus modis ſumpta Acedia non eſt ſecundùm ſe peccatum. 3. Sumitur Acedia prout eſt quædam incuria ſalutis, ita hominis mentem aggravans, ut nihil agere lubeat in ordine ad vitam æternam. De hac movetur hic quæſtio.

CONCLUSIO I.

ACedia eſt torpor mentis bona ſpiritualia inchoare abhorrentis, & inchoata perficere faſtidientis. Eſt duplex, generalis una, ſpecialis altera.

Prima eſt quoddam faſtidium de bono ſpirituali communiter accepto, ſeu ut convenit cuilibet virtuti: & ſic ſumpta non eſt ſpeciale vitium (cùm omne vitium refugiat ſpirituale bonum virtutis oppoſitæ) ſed eſt vitium illi virtuti oppoſitum, de cujus bono, & exercitio triſtatur quis in quantum eſt carni & ſanguini moleſtum, ac delectationis impeditivum, ita ut ſi triſtetur de bono Temperantiæ, ſit Guloſitas, ſi de bono Fortitudinis, ſit Ignavia; & ſic de aliis.

Hoc peccatum aliquando mortale eſt, aliquando veniale. Mortale erit, ſi inde ſequatur alicujus præcepti graviter obligantis tranſgreſſio, aut tranſgreſſionis periculum, veniale verò, ſi præcepta quidem adimpleantur, ſed cum diſplicentia & triſtitia.

Secunda ſeu ſpecialis, eſt tædium ſeu triſtitia de bonis divinis ut ad nos pertinentibus, ut ſi quis doleat quod Deus ſit finis noſter, beatitudo noſtra, ſalus noſtra, quòd ſimus ejus filii adoptivi, amici, hæredes &c. eo quòd ad beatitudinem, ſeu hæreditatem obtinendam, dura & difficilia ſint practicanda, & delectabilia fugienda.

Dixi: *De bonis divinis ut ad nos pertinentibus*; quia ſi quis triſtetur de bonis divinis ut Dei ſunt, v.g. De ſanctificatione divini nominis, de converſione infidelium, de pœnitentia peccatorum, de profectu Juſtorum &c. non erit Acedia, ſed odium.

CONCLUSIO II.

ACedia ſpecialis (quæ ſola eſt vitium capitale) eſt peccatum ex genere ſuo mortale. Eſt communis.

Ratio eſt; quia per illam apertè vilipenduntur Dei amicitia & æterna Beatitudo: cùm reputentur indigna, quæ comparentur difficili virtutum exercitio, vitiorumque fuga obtineantur, quod eſt Deum creaturis, ſenſibus, carni, & ſanguini, delectationibuſque brutalibus poſtponere.

Confirm. Sicut enim cenſeretur Principem vilipendere, qui triſtaretur ſe in ejus familiaritatem aſſumendum, eo quòd deberet ideò à ſcurrarum conſortio abſtinere, ita & Deum parvi facere, qui de ejus amicitia & fruitione dolet, eo quòd infamem ideò vitiorum uſum debeat relinquere. Ex dictis hac & præcedenti concluſione

Reſol. 1. Acediæ ſpecialis reum eſſe illum, qui etſi ad litteram quædam præcepta obſervet, ut non adulterari, non furari, certis diebus à carnibus abſtinere, Miſſam audire &c. vix tamen ſuſtinet loquentes de Deo, de Salute, de Cœlo, de Virtutibus, de Sacramentis frequentandis &c. totamque ponit conſolationem in voluptatibus, cibo, potu, ſomno, inertia, converſationibus &c. quia interpretativè cenſetur, neglecto bono divino, ſalutem contemnere, & bonum, quod facit, credibile eſt ex frigida conſuetudine, & timore merè ſervili procedere.

Reſol. 2. Ejuſdem Acediæ convictum fuiſſe adoleſcentem illum, qui dixerat Chriſtus Marci 10. *Quæcumque habes, vende & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cœlo:* ille enim *abiit mœrens*, nempè quod Cœlum, divitiarum contemptu eſſet obtinendum: ubi involvitur triſtitia de bono divino, facta ad terrena divitiarum ſolatia comparatione.

Reſol. 3. Ob eandem rationem, non minus culpabiles eſſe voluptuoſos & carnales illos homines, qui ſordibus Epicureis immerſi nollent ſe ad aliam fœlicitatem eſſe creatos.

Reſol. 4. Tantùm Acediam venialem incurrere illos, qui triſtati de Miſſa audienda, eo quòd tempore frigido debeant è lecto ſurgere, illam tamen audiunt, licèt cum aliqua diſplicentia; quia tantum eſt animi remiſſi languor, qui non Charitati, ſed ejus fervori adverſatur.

Reſol. 5. Non eſſe acedioſos illos, qui ob annexas ſuo ſtatui difficultates triſtantur quòd facti ſint Sacerdotes aut Religioſi; modò tamen obligationibus ſuis ſatisfaciant. Ratio eſt; quia poſſunt de vocatione aſſumpta triſtari, & tamen ſine triſtitia ſuo munere fungi.

Hoc tamen (niſi triſtitia illa compeſcatur) periculoſum eſt, paratque viam non tantum ad Acediam generalem, ſed etiam ſpecialem.

CONCLUSIO III.

SEx Acediæ filias aſſignat D. Gregorius 31. Moral. cap. 17. nempè malitiam, rancorem, puſillanimitatem, deſperationem, torporem circa præcepta, & mentis evagationem circa illicita. *Malitia* hic non ſumitur prout eſt quid commune omnibus vitiis, ſed pro affectu diabolico, quo quis Deo, Chriſti ſanguine, Virtutibus, Sacramentis, omnibuſque ſpiritualibus ſpretis, in omnem ſeſe præcipitat iniquitatem. *Rancor* eſt quædam indignatio contra eos, qui ad divina, ſpiritualia, aut ſalutaria hortantur, inducunt &c. ita ut de acedioſo dici poſſit illud pſalmi 35. *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Etſi autem peccatum illud, ſecluſo odio, & ſecundum ſe ſit tantum veniale; ordinariè tamen eſt mortale, eo quòd vel ignorentur neceſſaria ad ſalutem, vel facilius & ſæpius omittantur. *Puſillanimitas* eſt animi dejectio ſeu mollities, qua quis formidat aggredi ea, quæ ſunt perfectionis, ne aliquando deficiat; ut cælibatum amplecti, Religionem ingredi, jejunia voluntaria, aut caſtigationes aſſumere &c. eſt quidem ſecundum ſe tantum venialis, ſed nonnunquam ex ea gravia mala ſequuntur: nam, ut ait D. Bernardus epiſt. 32. *Tribulatio parit puſillanimitatem, puſillanimitas perturbationem, perturbatio deſperationem, & illa interimit:* & ideò ut monet Eccleſiaſticus cap. 7. *Noli eſſe puſillanimus in animo tuo.* *Deſperatio* eſt peccatum in Spiritum Sanctum, quo quis beatitudinis aſſecutionem ſibi impoſſibilem ſtultè exiſtimans, de ea obtinenda diffidit, eſtque ex genere ſuo graviſſimum, ex quo ſequitur quandoque tanta vitæ diſplicentia, ut aliqui etiam nefandas ſibi manus injiciant. *Torpor circa præcepta*, juxta D. Bonav. eſt voluntas gravedinis impatiens, tepida vel pigra ad expletionem agendorum: illum confundit S. Doctor cum tepore, qui eſt languor ſpiritualis circa bonum agendum. Hoc peccatum eſt mortale, vel veniale prout præcepta vel nullatenus, vel tardè, vel frigidè adimplentur. Tepor vomitum Deo provocat; atque tunc à Deo tepidus evomi incipit, quando in deteriora labitur: perfectè verò evomitur, dum impœnitens moritur: unde Apoc. 3. dicitur: *Utinam frigidus eſſes aut calidus; ſed quia tepidus es.... incipiam te evomere ex ore meo.* Ultima Acediæ filia *eſt evagatio mentis*, quæ reſpectivè ad ipſam mentem ſeſe ad diverſa diffundere volentem, dicitur *mentis importunitas*; reſpectivè ad cognitionem, *curioſitas*, reſpectivè ad locutionem *verboſitas*; reſpectivè ad potentiam loco motivam, *corporis inquietudo*; reſpectivè ad propoſitum, *inſtabilitas*. Hoc peccatum ſecundùm ſe leve eſt, erit tamen mortale, ſi fiat eo tempore, quo requiritur ex præcepto mentis attentio, ut in auditione Miſſæ, Officii Divini recitatione &c.

CONCLUSIO IV.

SEquentes Acediæ comparationes dicuntur ex Doct. Seraphico in Dieta ſalutis cap. 7.

1. Comparat acediam *ſalicibus*, quæ ſicut ſunt infructuoſæ, & tantùm faciunt umbram tranſeuntibus; ita acedioſus nullum fructum faciat, tantumque facit umbram diabolo.

2. *Febri hecticæ:* oritur enim acedia defectu humoris dilectionis Dei & devotionis, ſicut febris hectica defectu humoris naturalis: & ſicut hæc vix unquam curatur; ita acedioſus, quia ſemimortuus, vix corrigitur.

3. *Cani famelico:* acedioſi enim *famem patientur ut canes*, pſalm. 58. os ſiquidem eorum eſurit cibaria delicata; lingua verba vana; manus vilia; cor honores; auris rumores & oculi vanitates.

4. *Ferro, terræ, aquæ, & veſti*; quia ſicut ferrum, quod non

Digitized by Google

tractatus, cito rubiginatur; terra quæ non colitur, malas herbas generat; aqua, quę non movetur, brevi corrumpitur; veſtis, quæ non portatur, facilè à tinea corroditur; ita acedioſus, qui ſe non exercet in opere & oratione, tandem vitiis ſuccumbit.

CONCLUSIO V.

Acediæ opponi poſſunt hæc remedia.

1. Aſſiduè conſiderare quid pro nobis toleraverit Chriſtus, quot fatigationes, quot itinera, quot jejunia, quot agones, quot tormenta, quid in ſtabulo, quid in vitæ decurſu, quid in deſerto, quid in Paſſione, quid in Cruce, quid ante Crucem. Si ergo tanta pro ſalute noſtra paſſus eſt Chriſtus, quanta nos pro eadem ſalute aſſecuranda facere convenit? Non decet ſub capite ſpinoſo membra eſſe mollia & delicata.

2. Aures erigere ad tubam divini judicii, quæ continuò minatur negligentibus & deſidioſis exciſionem: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Matth. 3. & 7. *Jam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt.* Matth. 3. & de ficulnea infructuoſa dicitur Luc. 13. *Succide illam, ut quid etiam terram occupat?* Quæ eſt autem arbor illa infructuoſa, niſi anima bonorum operum ſterilis & inanis, deſidioſo languore torpida?

3. Seriò reflectere ad labores, itinera, fatigationes, ſudores, pericula, quibus exponuntur continuò homines pro adipiſcendis opibus in ictu oculi perituris: & inde cogita, Chriſtiane piger, quid tibi pro divitiis cęleſtibus & æternis agendum ſit: aperi oculos, vide illorum ſolicitudinem pro re futili, & tuam ignaviam pro re divina & perenni. Audi Thomam à Kempis de imit. li. 3. c. 3. qui introducit Chriſtum ſic loquentem: *Promittit mundus temporalia, & parva, & ei ſervitur aviditate magna: ego promitto ſumma & æterna, & torpeſcunt mortalium corda.... pro modica præbenda, longa via curritur, pro æterna vita à multis vix pes ſemel à terra levatur .... erubeſce ergo ſerve piger & queruloſe, quòd illi paratiores inveniuntur ad perditionem, quàm tu ad vitam.*

4. Fugere ignavos & deſidioſos; è contra conſortium illorum quærere & amare, qui in practicandis virtutibus, Sacramentis frequentandis, concionibus audiendis ſunt aſſidui, quippè ſpretis hujus vitæ oblectamentis, continuò ad æternæ beatitudinis bravium anhelant.

5. Efficaciter conſiderare cruciatus futuros in tormentis, vel gloriam futuram in cęleſtibus: quod nihil erit impunitum, nihil irremuneratum; & ideò S. Pater noſter Franciſcus, ut à ſuorum cordibus Acediam eliminaret, dicebat: *O dilectiſſimi fratres, & in æternum benedicti filii, audite me, audite vocem Patris veſtri: magna promiſimus, majora promiſſa ſunt nobis: ſervemus hæc, ſuſpiremus ad illa: voluptas brevis, pœna æterna: modica paſſio, gloria infinita: multorum vocatio, paucorum electio: omnium retributio.*

Denique perpendere infinita mala quæ ex Acedia & Tepiditate ſequuntur, ut ſatis patet ex dictis: unde S. Bernard. Serm. 63. in Cantica, ut hujus peccati horrorem inculcet Religioſis, ſic loquitur. *Hoc frigus, ſcilicet tepiditas, ſi ſemel animam.... pervaſerit, mox ſubit quidam animi rigor, & vigor lenteſcit, timor ſollicitat paupertatis, contrahitur animus, ſubſtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, ſopitur ratio, ſpiritus extinguitur, deferveſcit novitius fervor, ingraveſcit tepor faſtidioſus, refrigeſcit fraterna Charitas, blanditur voluptas, fallit ſecuritas, revocat conſuetudo, Quid plura? Diſſimulatur lex, abdicatur jus, fas proſcribitur, derelinquitur timor Domini. Dantur poſtremo impudentiæ manus: præſumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpiſſimus, plenus ille ignominia & confuſione ſaltus de excelſo in abyſſum, de pavimento in ſterquilinium, de ſolio in cloacam, de cœlo in cœnum, de clauſtro in ſæculum, de Paradiſo in Infernum.*

TRACTATUS SECUNDUS.

De Virtutibus.

Sicut vitium dici poteſt omnium malorum fons & origo ita virtus omnium bonorum parens fertilis & fęcunda. Et ideò ſicut non ſufficit homini, præſertim Chriſtiano, malum fugere, niſi etiam ſtudeat & bonum practicare; ideò, inquam, poſtquam de Vitiis Tractatum unum inſtituimus, alterum de Virtutibus inſtituere, neceſſarium duximus. Præcipuæ autem inter virtutes, aliæ ſunt Theologicæ, aliæ Cardinales: Theologicæ ſunt Fides, Spes, & Charitas: Cardinales, Prudentia, Juſtitia, Temperantia & Fortitudo. Ideò de Theologicis tractant omnes Theologi, de Cardinalibus, ſaltem omnibus, pauci Theologi, multi morales Philoſophi. Nos autem, quoniam de Juſtitia ſuperabunde diſſeruimus in Tractatu *de Jure & Juſtitia*; de Temperantia verò in Appendice de Jejunio, & aliunde notio Prudentiæ, & Fortitudinis potius ſit Philoſophicæ, quàm Theologicæ Conſiderationis, ideò de ſolis virtutibus Theologicis tractabimus.

Hæ ſunt autem inter omnes virtutes nobiliſſimæ, utpotè quæ proximè circa Deum ipſum tanquam objectum ſuum immediatum verſantur: aliæ quidem virtutes etiam hominem ad Deum conducunt, ſed à longè & quaſi per vias obliquas, in quantum ſcilicet vel ipſius paſſiones moderantur, vel ejus actiones dirigunt, vel à terrenis avellunt &c. Theologicæ autem, quaſi recto tramite in Cęlum conſcendentes ipſam Dei Majeſtatem in ſupremo Gloriæ throno venerantur, vel diligendo per *Charitatem*, vel concupiſcendo per *Spem*, vel dictis ejus aſſentiendo per *Fidem*. De his tribus breviter, ſed clarè & ſolidè, diſſerere conabimur, præmiſſa de virtute Theologica in genere, quæſtione unica.

QUÆSTIO PROOEMIALIS.

Quid virtus Theologica, an ſit neceſſaria, & qualiter ſe habeat reſpectu potentiarum?

CONCLUSIO I.

Virtus Theologica communiter ſumpta eſt habitus ſupernaturalis à Deo infuſus elevans animam, ut immediatè feratur in Deum tanquam objectum.

Dicitur 1. *Habitus*, non actus, quia certum eſt in Baptiſmo virtutes Theologicas infundi parvulis, qui tamen actuum ſunt incapaces: unde Innocent. III. Cap. *Majores*. De Baptiſmo. *Quamvis nonnulli concedant quòd parvuli* (nempè Baptizati) *credant, non per uſum,* id eſt per actum, *ſed per habitum Fidei quem ſuſcipiunt in Baptiſmo*; ſi autem virtus Theologica ſit habitus in parvulis, quidni & in adultis? Imò niſi foret habitus, periret tempore ſomni, quod non admittitur.

Dicitur 2. *Supernaturalis*, quia licèt ſit ens Creatum, adeòque naturale, hoc ſenſu, quòd ſit intra naturam, cùm tamen nec ſit producibilis à cauſa naturali, nec exigat ab ea produci, ſequitur eſſe ſupernaturalem, & quidem in ſubſtantia. Accedit, quòd ad Deum tanquam finem ſupernaturalem dirigatur.

Dicitur 3. *à Deo infuſus*; ut diſtinguatur ab habitu Fidei, Spei, & Charitatis per actus virtutum infuſarum acquiſibili, quia longè probabilius eſt dari poſſe virtutem Theologicam naturalem, ſeu quæ per actus comparata, etiam circa Deum tanquam objectum immediatum verſetur. Et ratio eſt, quia ex eo, quòd frequenter aſſentiamur certis Fidei articulis, v. g. exiſtentiæ Chriſti in Euchariſtia, experimur in nobis quandam facilitatem ad credendum articulum illum, quam non experimur circa alios articulos, illa autem facilitas non provenit ab habitu Fidei infuſo, cùm æqualiter ſe habeat ad omnes articulos, & conſequenter ab habitu per actus comparato proveniat, neceſſe eſt. Accedit, quod Chriſtianus in Hæreſim lapſus eandem facilitatem ſentiat ad credendum certis articulis, ac ante hæreſim; ſed poſt Hæreſim facilitas illa non provenit ab habitu Fidei infuſo, utpote amiſſo: ergo nec ante ab eodem proveniebat, ſed ab habitu comparato, adeòque naturali.

Dices 1. Actus virtutum infuſarum, quales ſunt Fides, Spes, & Charitas infuſæ, non poſſunt producere habitum naturalem: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Non poſſunt producere quatenus ſunt ſupernaturales: C. Quatenus ſunt actus vitales in objectum tendentes. N.

Dices 2. Habitus ille acquiſitus differret ſpecie ab habitu infuſo, cùm hic ſit ſupernaturalis, ille naturalis: & non differret, cùm actus uterque idem haberet objectum motivum & terminativum.

Reſp. Quòd ſpecie differret, non ratione objecti, ſed ratione principii, in quantum principium habitus infuſi ſit ſolus Deus, & acquiſiti ſit repetitio actuum: unde hoc axioma; *actus ſpecificantur ab objectis*, hoc ſenſu verum eſt, quòd quoties objecta ſpecie differunt, etiam ſpecie differant actus; non autem hoc ſenſu, quòd à ſolis objectis ſumatur actuum ſpecificatio.

Dices 3. Si daretur habitus ille acquiſitus, fruſtraneus eſſet infuſus.

Reſp. 1. Non poſſe dici fruſtraneum, cùm habitus acquiſitus ortum habeat ex actibus ab habitu infuſo procedentibus.

Reſp. 2. Habitum infuſum requiri, ut actus ſint meritorii & ſupernaturales, quales non ſunt procedētes ab habitu acquiſito.

Dicitur 4. *Elevans animam*, cui virtus Theologica non tantùm dat facilè poſſe operari, ſicut virtus naturalis, ſed etiam ſimpliciter poſſe, ut dicemus poſteà.

Di-

Digitized by Google

Dicitur 5. *Ut immediatè feratur in Deum tanquam objectum &c.* Ut diſtinguatur ab aliis virtutibus, quæ quidem ad Deum ordinantur, ſed tantùm mediatè.

CONCLUSIO II.

Triplex eſt præcisè virtus Theologica, nempe Fides, Spes, & Charitas. Eſt communis

Ratio eſt; quia plures ſuperfluerent, & pauciores non ſufficerent: ſuperfluerent quidem plures, cùm quælibet excogitabilis in Deum immediatè tendens, ſit ad hanc triplicem reducibilis: non ſufficerent autem pauciores, quia cum Deus pro hoc ſtatu nobis tripliciter proponatur, nempe ut cognoſcibilis, ut nobis bonus, & ut bonus in ſe, etiam triplici modo debemus ipſum reſpicere, ſcilicet ut cognoſcibilem per Fidem, ut nobis bonum per Spem, ut bonum in ſe per charitatem, & ideo dixit Apoſt. 1. Cor. 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas tria hæc.*

Dices 1. Virtutis Theologicæ unicum eſt objectum, nempe Deus: ergo unica virtus.

Reſp. Diſt. Ant. Unicum eſt objectum materiale: C. formale: N. aliter enim tendit in Deum Fides, aliter Spes &c. ut patet ex dictis.

Dices 2. Etiam Theologia reſpicit Deum immediatè ut objectum; ergo ſunt plures.

Reſp. Theologiam non eſſe habitum ſupernaturalem, ut ſuo loco dicitur.

CONCLUSIO III.

Neceſſaria eſt ad ſalutem triplex virtus Theologica, non ſunt tamen inter ſe neceſſariò connexæ.

Prob. 1. Pars; quia nec parvulo, nec adulto ſtatuit Deus conferre gloriam, niſi habenti gratiam, adeòque niſi his tribus virtutibus inſtructo; quandoquidem, Deo ita ordinante, ſint à gratia inſeparabiles. Præterea non poteſt adultus ſalvari, niſi credat, ſperet, & diligat; ſed actus credendi, ſperandi & diligendi neceſſariò ex Dei ordinatione ab eorum habitibus procedũt; ergo. Unde Scot. 3. diſt. 34. n. 6. *Fide tenemus tres virtutes Theologicas eſſe neceſſarias, perficientes immediatè animam reſpectu objecti increati*: cui præluxerat Aug. ſer. 53. de temp. *tria quædam propoſuit animæ noſtræ neceſſaria beatus, & egregius Gentium Doctor dicens, nunc autem manent Fides &c.*

Prob. 2. Pars; quia in Patria remanebit charitas ſine Fide & Spe; imò & in Via, amiſſa per peccatum charitate, remanent Fides & Spes in peccatore, ut docet Trid. ſeſſ. 6. can. 28. *ſi quis dixerit*, inquit, *amiſſa per peccatum gratia*, quæ eſt ipſamet charitas ſecundùm nos, *ſimul & Fidem ſemper amitti.... anathema ſit*: ergo virtutes Theologicæ non ſunt inter ſe neceſſario connexæ.

Dices: Fides ſine charitate mortua èſt: ergo &c.

Reſp. Diſt. Ant. Mortua eſt, id eſt, nullatenus ſubſiſtit: N. id eſt nihil proficit ad meritoriè operandum: C. & ideo dixit Auguſtinus libro 19. de Civitate Dei Fidem, & alias virtutes ſine charitate non eſse vera, virtutes', quia non proſunt homini ad meritum, licèt in ſua ſpecie ſint veræ & perfectæ virtutes.

CONCLUSIO IV.

Virtus Theologica dat animæ noſtræ potentiis poſſe operari, & cum iiſdem partialiter operatur.

Prob. 1. Pars; quia in hoc differunt virtutes Theologicæ à naturalibus, quòd hæ ſupponant in potentiis poſse, & ſolùm dent facilè poſſe; illæ verò etiam dent poſſe, eò quòd potentiæ naturales ſint de ſe improportionatæ ad operandum ſupernaturaliter; hocque patet in intellectu, qui niſi à lumine Gloriæ perficeretur & compleretur in ratione potentiæ, nunquam beatificè Deum attingeret.

Prob. 2. Pars; quia eodem modo loquendum eſt de virtute Thelogica in ordine ad actus Fidei, Spei, & Charitatis, ac de lumine Gloriæ in ordine ad viſionem beatificam, ſed ad hanc partialiter concurrit lumen gloriæ, ut dicitur in 1. ſententiarum: ergo & partialiter ad actus præfatus Virtus Theologica. Et certè, ſi illos totaliter efficeret potentia, non eſſent ſupernaturales, ſi totaliter virtus, non eſsent vitales.

DISPUTATIO PRIMA.

DE FIDE.

Multiplex eſt Fidei acceptio apud Scriptores tum Sacros, tum profanos: ac 1. ſumitur pro Fidelitate, quam quis ſervat in promiſſis adimplendis, ut 1. Machab. 10. *Perſeverate adhuc conſervare Fidem.* 2. Pro fiducia, ſeu ſpe firma & ſolida poſtulationem conſequendi, ut Jac. 2. *Poſtulet in Fide nihil hæſitans.* 3. Pro conſcientia ut Rom. 14. *Omne quod non eſt ex Fide*, id eſt ex conſcientia dictante eſſe licitum, *peccatum eſt.* 4. Pro objecto ſeu doctrina Fidei, ut in ſymbolo S. Athanaſii: *Hæc eſt Fides Catholica, quam niſi quiſque &c.* 5. Relictis aliis Fidei acceptionibus, ſumitur tandem pro credulitate, ſeu pro actu vel habitu quo quis aſſeutitur aliorum dictis propter dicentis authoritatem; quæ, ſi ſit hominis, erit Fides humana, ſi Dei, divina: hujus autem Fidei, de qua ſola hîc agimus, tanta eſt dignitas, tanta præſtantia, tanta neceſſitas, ut vix poſſit exprimi: hæc eſt enim quæ, ut ait Auguſt. ſerm 18. De temp cap. 12. *Peccatores homines ſalvat, cæcos illuminat, infirmos curat, cathecumenos Baptizat, Fideles juſtificat, pœnitentes reparat, juſtos augmentat, martyres coronat.* Hæc eſt, teſte D. Bern. ſerm. 76. in Cantica, quæ *neſcia falli* (ut ait ibid. ſerm. 28.) *attingit inacceſſa, deprehendit ignota, comprehendit immenſa, apprehendit noviſſima &c.* Hæc denique dicere poteſt. *Ego idola proſtravi, dæmones fugavi, templa ſanctificavi, terram mundavi, Dei cultum reſtitui.* Guillelmus Pariſienſis Tract. De moribus cap. 1.

QUÆSTIO I.

Quid Fides, & quotuplex?

Fidem deſcribit Apoſt. ad Hebræos XI. his verbis: *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. Subſtantia* quidem, ſeu ut fert textus Græcus, *hypoſtaſis*, id eſt, ſulcimeutum, baſis & fundamentum ſpei noſtræ, in quantùm Fides ſic nobis ſperanda proponit, ut niſi omninò crederemus, non ſperaremus. *Argumentum* verò, ſeu, ut habetur in Græco, *elenchos*, id eſt, convictio ſeu fortis perſuaſio *non apparentium*, id eſt, non viſorum, ſeu obſcurorum.

Dicitur autem: *ſubſtantia ſperandorum*, non quòd ſola ſperanda credamus; cùm multa credere teneamur, quæ nequidem ſperare poſſumus, ut Infernum &c. ſed quia Deus, quem ſperamus, eſt præcipuum Fidei objectum, ad quod alia omnia revelata referuntur, vel tanquam effectus ad principium à quo procedunt, vel tanquam tendentia ad finem, ad quem redeunt.

CONCLUSIO I.

Fides rectè definiri poteſt virtus Theologica, qua aſſentimur firmiter veritatibus obſcuris propter authoritatem.

Dicitur 1. *Virtus Theologica*, quæ eſt genus ad Fidem, & charitatem.

Dicitur 2. *qua aſſentimur*, ut oſtendatur Fidem pertinere ad intellectum, ſicut Spes & Charitas pertinent ad voluntatem.

Dicitur 3. *Firmiter*, ſicque diſtinguitur aſsenſus Fidei ab aſsenſibus Infirmis opinionis & ſuſpicionis, ſicut à dubitatione.

Dicitur 4 *Veritatibus obſcuris*; quia Fides non eſt tantùm illarum rerum, quæ ratione naturali demonſtrantur, ut hæreticè aſserebant Manichæi, teſte Auguſt. lib. *De utilit. credendi cap.* 1. Sed illarum, quæ tum ex ſe, tum ex principiis, ex quibus deducitur aſsenſus, ſunt inevidentes, & ideò dicitur Fides ab Apoſtolo *argumentum non apparentium*. Et ab Aug. Tract. 40. in Joann. *Credere quod non vides*. Dicitur denique: *propter authoritatem Dei revelantis*, quæ eſt motivum & ratio aſsentiendi: & certè quomodo aſsenſus rebus obſcuris poſſet eſse firmus & certus, niſi authoritate Dei loquentis fulciretur?

CONCLUSIO II.

Dividitur 1. Fides in actualem & Habitualem. Primo eſt actus intellectus, quo, propter authoritatem Dei revelantis, aſsentimur alicui propoſitioni obſcuræ, V.G. huic *Deus eſt trinus*. Secunda eſt habitus, ſeu qualitas nobis permanenter inhærens; adeoque etiam dormientibus, qua actus Fidei producimus, aut producere poſſumus ſuo tempore. Dico, *ſuo tempore*,

re, quia licèt parvulis in Baptiſmo Fides habitualis infundatur cum Spe & Charitate, non ſunt tamen actus Fidei eliciendi capaces ante uſum rationis.

Dividitur 2. Fides in Formatam & Informem. Formata eſt, quæ in eodem homine adjunctam habet charitatem ſeu gratiam; Informis, quæ eſt ſine charitate. Porro charitas dicitur forma Fidei, non quidem intrinſeca & conſtitutiva, cùm Fides ſit in intellectu, charitas in voluntate; Fides ſit in peccatore Catholico, non charitas, ſed extrinſeca, in quantùm confert ad operandum meritoriè, quo ſenſu dicit Apoſt. Ad Galat. 5. *Fides quæ per Charitatem operatur*; & in quantùm Fidem roborat, ad reſiſtendum tentationibus, quibus facilius ſuccumberet ſine Charitate; & inde ſequitur Fidem habitualem poſse eſse modo formatam, modò informem, prout ei accedit, vel ab ea recedit charitas, ſeu gratia ſanctificans.

Dividitur 3. In Vivam, & Mortuam: Viva (quam aliqui confundunt cum Formata) eſt illa, qua credimus & facimus. Mortua, quæ etiam ab aliis dicitur Informis, eſt ea qua credimus, ſed non facimus, & ideo dicitur Jac. 2. *Fides ſine operibus mortua eſt*.

Dividitur 4. Fides in Explicitam & Implicitam. Per primam, aſsentimur alicui articulo ſpeciali, & determinato, V. G. Quòd Verbum ſit Incarnatum, quòd Chriſtus ſit in Euchariſtia: per ſecundam aſsentimur omnibus à Deo revelatis, & per Eccleſiam propoſitis, nulla facta ad ſpecialem articulum reflexione.

QUÆSTIO II.

Quodnam ſit Fidei ſubjectum?

NOn inquirimus hìc de ſubjecto immediato, ſeu de potentia, in qua ſubjectetur Fides, cùm in confeſso ſit apud omnes ejus actum & habitum ſubjectari in intellectu; ſed de ſubjecto mediato, ſeu de perſonis, in quibus Fides reperiatur.

ARTICULUS I.

An Fides fuerit in Angelis, primis Parentibus, an ſit in Damnatis, Animabus Purgatorii, & Beatis?

CONCLUSIO I.

FUit in Angelis pro ſtatu Vitæ, & in primis Parentibus pro ſtatu innocentiæ Fides Theologica. Eſt ſatis communis contra quoſdam veteres, quibus immeritò annumeratur Scot. cum 3 diſt. 25. q. 1. n. 2. dicat *Fides infuſa fuit neceſſaria homini ſalvando pro omni ſtatu*.

Prob. 1. Nemo poteſt Beatitudinem promereri, niſi habeat Fidem, juxta illud Apoſtoli Hebr. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum &c.* ſed poterant illi ab exordio creationis beatitudinem mereri, cùm ex tunc eſſent ad illam creati, nec adhuc eam poſſiderent, utpote Viatores; ergo pro illo ſtatu erant Fide præditi.

Prob. 2. Quamdiu peregrinamur à Domino, opus habemus vivere ex Fide, juxta Apoſt. Rom. 1. & 2. Cor. 5. atqui pro tunc Angeli & primi Parentes peregrinabantur à Domino, cùm eſſent Viatores: ergo.

Prob. 3. Tenebantur in illo ſtatu Deo placere, cùm tenerentur ipſum diligere; atqui *ſine Fide impoſſibile eſt placere Deo*, Hebr. 11. ergo. Accedit quòd in illo ſtatu eſsent ornati gratia ſanctificante, quæ ordinariè non infunditur ſine virtutibus Theologicis.

Dices 1. Docet Scotus Angelum habuiſse in Via ſpeciem diſtinctè repræſentantem Deitatem & perſonas: ergo non habuit Fidem.

Reſp. diſt. conſ. Ergo non habuit Fidem circa præfata, tranſeat Dico *tranſeat*; quia licet illa ſpecies cauſaret cognitionem Deitatis & perſonarum diſtinctam, id eſt, non confuſam, non tamen intuitivam, ſicque non erat Fidei impeditiva. Non habuit Fidem circa Deum ut remuneratorem, & Incarnandum: N. quod ſufficit ad veritatem concluſionis.

Inſt. Cognitiones Angelorum fuerunt evidentes, ut ait S. Bonav. 3. diſt. 23. art 2. q. 3.

Reſp. Diſt. Aſſump. Fuerunt evidentes ex parte revelationis, quia nempè Deus ipſis immediatè revelabat: C. ex parte objecti revelati: N. quia revelatio quantumvis evidens relinquit objectum in ſeipſo obſcurum, adeoque adhuc objectum Fidei.

Dices 2. Beati non habent Fidem; ſed Angeli fuerunt ab initio Beati, juxta Auguſtinum lib. 11. de Civit. c. 13. & alios PP. ergo.

Reſp. diſt. Mi. fuerunt Beati beatitudine conſummata: N. beatitudine inchoata, in quantùm fruebantur Dei contemplatione excellenti, licèt non intuitiva; C.

Inſt. Angeli non fuerunt creati miſeri; ſed miſer eſt omnis ille, qui privatur viſione beatifica, teſte Aug. ergo.

Reſp. diſt. Mi. miſer eſt qui privatur ob peccatum: C. quia deſperat illam aliquando obtinere. Qui privatur eo quòd necdum illam meruerit: N. quia tantùm indè magis accenditur ut illam obtineat, meritoriè operando.

Dices 3. In Angelis & primis Parentibus omnia fuerunt perfecta; ſed Fides eſt cognitio imperfecta: ergo.

Reſp. diſt. Min. Eſt imperfecta in ſe & abſolutè: N. reſpectu viſionis beatificæ: C.

CONCLUSIO II.

FIdes infuſa non remanet in Dæmonibus, aut hominibus damnatis. Eſt communis.

Prob. Ibi fruſtra ponitur habitus, ubi impoſſibilis eſt actus, ſed damnatis impoſſibilis eſt actus Fidei, cum procedat ex gratia & pio affectu, quibus carent damnati: ergo. Accedit quod Damnati nihil amplius poſſint ſperare; Fides autem ſit baſis ſperandorum.

Dices 1. Fides in Damnatis, qui nunquam fuerunt infideles, non habet contrarium à quo corrumpatur.

Reſp. In iis Fidem tolli, non à contrario, ſed à Deo in primo inſtanti damnationis, ſicut tollitur gratia in primo inſtanti peccati mortalis.

Dices 2. Non tollitur in Damnatis Character Baptiſmalis; ergo nec Fides.

Reſp. N. conſ. diſparitas eſt, quòd habitus Fidei ſit præcisè propter operationem, quæ hic ſit impoſſibilis; Character autem, ſit ad ornatum in bonis, & ad confuſionem in malis, quam ſane merentur Damnati.

Dices 3. Si Fides non ſit in Damnatis, nulla eſt in Inferno inter fideles & infideles diſtinctio.

Reſp. Eos ſatis pœnis diſtingui; cùm, cæteris paribus, acerbius puniantur Catholici ob ſuam ingratitudinem, gratiarumque contemptum, quam Infideles.

Dices 4. *Dæmones credunt & contremiſcunt*. Jac. 2.

Reſp. Credere, non Fide infuſa, ſed naturali, convicti ſcilicet miſerabili experientia, qua inſeipſis vindicem Dei manum experiuntur.

Inſt. Apoſtolus comparat Fidem peccatorum Fidei Dæmoniorum; ſed illa eſt infuſa: ergo & hæc.

Reſp. Diſt. Maj. Comparat Fidem quantum ad naturam: N. quantùm ad ſterilitatem, eò quod neutra proficiat ad ſalutem: C.

CONCLUSIO III.

FIdes reperitur in Animabus Purgatorii, non in Beatis. Eſt etiam communis

Prob. 1. Pars: ubi reperitur Spes, reperitur & illius fundamentum, nempè Fides; ſed in animabus Purgatorii eſt Spes Beatitudinis, ut dicemus: ergo & Fides. Accedit, quòd adhuc peregrinentur à Domino, in quantum necdum ad ſtatum illum pervenerint, in quo evocatur Fides per viſionem Dei facie ad faciem; & ideo licèt non ſint amplius in Via in ordine ad meritum, ſunt tamen in ordine ad ſupernæ retributionis bravium.

Prob. 2. Pars ex Scriptura 1. ad Corinth. 13. *Cum venerit quod perfectum eſt*, nempè Beatitudo, *evacuabitur quod ex parte eſt*, nempè Fides. 2. Ex Aug. lib. 14. de Trin. c. 2. *Neque enim jam Fides erit* (in Cœlo) *qua creduntur quæ non videntur, ſed ſpecies, qua videantur quæ credebantur*. 3. Ratione, quia Fides tantùm inclinat ad verum latens & obſcurum; in Patria autem, erit verum patens & apertum; & conſequenter otioſus foret ibi Fidei habitus.

Dices 1. Tertullianus & Irenæus aſserunt tres Virtutes Theologicas manere in Cœlo.

Reſp. Vel illis opponendum eſſe Auguſtinum jam citatum, vel certè dicendum eſt tantùm voluiſse Fidem & Spem manere eminenter, non formaliter.

Dices 2. Beati credunt futurum eſse diem Judicii, corporum reſurrectionem &c.

Reſp. Illa non credere, ſed intuitivè in Verbo conſpicere quando autem aliqua cognoſcunt extra Verbum, id ſit per proprias rerum ſpecies, adeoque ſuperfluit Fidei habitus.

Dices 3. Poteſt eſſe Prophetia in Beato, cum fuerit in Chriſto: ergo & Fides.

Reſp. N. conſ. Diſparitas eſt, quòd non ſit neceſſe objectum Prophetiæ eſse obſcurum, ſicut objectum Fidei; ſed ſufficiat ſi longè diſtet ab iis quibus loquitur Propheta, ut ſuo loco dicetur.

Di-

Digitized by Google

Dices 4. Remanebunt in Beatis aliquæ potentiæ; quæ nunquam operabuntur: ergo & habitus Fidei licèt non ſit operaturus.

Reſp. Neg. conſeq. quia licèt illæ potentiæ ſint inutiles ad actum, ſunt tamen utiles, & neceſſariæ ad hominis integritatem: quod non militat in habitu Fidei.

ARTICULUS II.

An Fides remaneat in Hæretico & peccatore?

PEr *Hæreticum* hic non intelligo illum, qui diſcredens omnibus Fidei articulis Religionem Chriſtianam deſerit; nam tùm ipſius error tollat adæquatum Fidei objectum, etiam totaliter Fidei habitum tollere conveniunt DD. Sed intelligo hominem, qui diſcredens voluntariè & pertinaciter alicui, aut aliquibus Fidei veritatibus, v. g. quòd Chriſtus ſit in Euchariſtia, credit tamen alia myſteria.

Dico: *Voluntariè & pertinaciter*; quia ut quis ſit Hæreticus, non ſufficit quilibet error contra Fidem, ſed requiritur voluntarius & pertinax, ut poſtea dicemus.

CONCLUSIO I.

HÆreticus ille non habet Fidem Theologicam, ne quidem circa veritates, quibus adhæret. Eſt communis contra Durandum, de cujus opinione non ita bene ſentitur ab aliquibus.

Prob. 1. ex Trident. Seſſ. 6. c. 15. *Aſſerendum eſt non modo Infidelitate, per quam & ipſa Fides amittitur &c.* ſed quælibet hæreſis, etiam circa unum articulum, eſt Infidelitas; ergo.

Prob. 2. Authoritate D. Thomæ 2. 2. q. 5. art. 3. *Manifeſtum eſt quòd talis hæreticus circa unum articulum, fidem non habeat de aliis articulis*. Idem & Scoti 3. diſt. 23. num. 4. *Hic eſt aliquis baptizatus credens omnes articulos, poſteà errat circa unum tantum ...., tamen ſentit firmiter adhærere omnibus aliis ....*, ſed *ſine fide infuſa*.

Prob. 3. Quia ex ſenſu communi, Hæreticus non eſt fidelis, ſed ſi talis Fidem Theologicam retineret, eſſet adhuc Fidelis, cùm quis Fidelis dicatur a fide: ergo. Accedit quòd habitus Fidei ſit indiviſibilis, & conſequenter, ubi perit ob aliquam Infidelitatem, totus pereat neceſſe eſt. Eſſe autem indiviſibilem, inde patet quod licèt inclinet ad credendum veritates ſpei diſtinctas, ad omnes tamen inclinat ſub eo & indiviſibili motivo, nempè ob infallibilem Dei loquentis authoritatem.

Obji. 1. Hæreticus eandem facilitatem ſentit ad credendum aliis articulis poſt hæreſim, ac ante: ergo reſpectu illorum remanet habitus Fidei.

Reſp. Facilitatem illam haberi, non ex Fidei habitu ſupernaturali, ſed naturali, per actus virtutum infuſarum acquiſito, ut dictum eſt in quæſt. proœmiali.

Inſt. 1. Adhuc credit alios articulos propter infallibilem Dei revelantis authoritatem: ergo remanet habitus ſupernaturalis.

Reſp. Videri quidem ideò credere, non tamen ſic eſt à parte rei, cùm diſcredendo vel uni articulo, in nullis agnoſcat infallibilem Dei authoritatem. Præterea actus ille credendi procedit à principio naturali.

Inſt. 2. Poſſum adhibere fidem homini narranti unum quid, & diſcredere eidem narranti aliud: ergo ſimiliter.

Reſp. Diſparitatem eſſe, quòd motivum adæquatum cur credamus homini, non ſit ſola ejus authoritas, ſed etiam veriſimilitudo rei aſſertæ: & hinc fit quòd credamus ei in uno, diſcredamus autem in altero, defectu veriſimilitudinis; in materia autem Fidei, motivum credendi non eſt partim rei aſſertæ veriſimilitudo, ſed ſola loquentis authoritas, quam ideò non poſſumus credere fallibilem in uno, niſi credamus fallibilem in altero.

Inſt. 3. Hæreticus non negat aliquem articulum, quia credit Deum fallibilem, ſed quia credit non revelatum.

Reſp. Nos hic ſupponere ſufficienter proponi ut revelatum, aliàs diſcredens non eſſe Hæreticus; ubi autem quis diſcredit articulo ab Eccleſia ſufficienter propoſito, credit Deum eſſe fallibilem; cùm revelaverit Eccleſiam in proponendis fidei articulis non poſſe deficere.

Obji. 2. Apoſtoli in triduo mortis credebant Myſterium Trinitatis &c. Et tamen non habebant Fidem in Chriſtum.

Reſp. Diſt. Aſſumpt. Non habebant Fidem in Chriſtum, ideſt, non credebant in illum, N. ideſt non exercuerunt profeſſionem Fidei ſicut tenebantur, C. ſed in hoc nulla Infidelitas poſitiva.

Obji. 3. Actus, quo Calviniſta credit Chriſtum non eſſe in Euchariſtia, non opponitur actui, quo credit Deum eſſe trinum: ergo per actum priorem non deſtruitur habitus inclinans ad actum poſteriorem.

Reſp. Diſt. Conſeq. Non deſtruitur phyſicè habitus, C. moraliter, ſuppoſita Dei ordinatione; N. undè ſicut ſtatuit Deus, ut, adveniente unico peccato mortali, tolleretur gratia, licèt non opponatur ei phyſicè, ut ſuo loco dicitur, & è contra, ita etiam voluit ut, adveniente unico Infidelitatis actu, tolleretur Fidei habitus.

Obji. 4. Theologus errans in uno, non perdit habitum Theologiæ circa alia: ergo ſimiliter.

Reſp. Diſparitatem eſſe, quòd habitus ſcientiæ ſit multiplex coaleſcens ex variis ſpecie actibus, & ideò ſit per partes amiſſibilis: habitus verò Fidei, indiviſibilis, propter rationem antea datam.

CONCLUSIO II.

FIdes remanet in peccatore, qui non commiſit peccatum Infidelitatis. Eſt de Fide.

Prob. 1. Ex Script. 1. Corinth. 13. *Si habuero omnem Fidem... Charitatem autem non habuero*. Ubi ſupponit Apoſtolus poſſe eſſe Fidem ſine Charitate, ſeu gratia adeoque in peccatore.

2. Ex Trident. Seſſ. 6. can. 28. *Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia, ſimul & Fidem ſemper amitti.... anathema ſit*.

3. Ratione. Ideò per Infidelitatem deſtruitur habitus Fidei, quia deſtruitur ratio formalis ipſius objecti; ſed non deſtruitur per quodlibet peccatum; aliàs fur V. G. per hoc quòd furaretur, deſineret credere Deum eſſe infallibilem in revelando: quod nullus admiſerit; & ideò ſi quandoque Patres dicant, non eſſe veram Fidem in peccatore, loquuntur de Fide formata, ſeu viva, quæ non habetur ſine Charitate.

ARTICULUS III.

Variæ Quæſtiunculæ de ſubjecto Fidei.

PEtes 1. An Fides poſſit eſſe major in uno, quàm in altero?

Reſp. Non poſſe eſſe majorem ex parte objecti formalis; quandoquidem ſit una & ſimplex omnibus, nempè authoritas Dei revelantis, poſſe tamen aliundè eſſe majorem tum extenſivè; tum intenſivè: ſive extenſivè quidem, in quantum poteſt unus præ alio habere plurium articulorum notitiam explicitam: intenſivè verò, in quantum poteſt intellectus certiùs & firmiùs revelatis adhærere & voluntas promptiùs & devotiùs revelanti ſe ſubmittere: quam veritatem inſinuat Chriſtus Matth. 15. Dicens: *ò mulier, magna eſt Fides tua*.

Petes 2. An etiam poſſit eſſe in eodem, modo major, modo minor

Reſp. affirm. Quia ſicut in diverſis; ita & in eodem poteſt eſſe pro diverſo tempore modo major, modò minor firmitas ex parte intellectus, ſicut & devotio ex parte voluntatis? unde major erat fides Petri dum dicebat ipſi Chriſtus Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.* Quàm dum gradienti ſuper aquas dixit Matth. 14. *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* Et ideò fortè dicebant Apoſtoli Domino Luc. 17. *Adauge nobis Fidem*.

Petes. 3. An poſſit Fides eſſe major in homine peccatore, quàm fuerit in eodem juſto?

Reſp. affirm. Quia credibile eſt Deum augere Fidei habitum proportionatè ad actum: ſed poteſt fieri, quòd homo cum Dei auxilio ſit firmior & promptior ad credendum in ſtatu peccati, quàm fuerit in ſtatu gratiæ: ergo. Actus quidem non eſt meritorius de condigno, eſt tamen aliqualiter de congruo; & confidimus Deum, qui Fidem infundit peccatori (ut dum exiſtens in peccato ſuſcipit Fidem Catholicam) illam augere, ubi majorem reperit diſpoſitionem. hoc tamen non eſt certum.

Petes 4. An aucta Charitate, aut Spe augeatur & Fides?

Reſp. Neg. Quia cùm illæ virtutes ſint habitus ſpecie diſtincti, imò ab invicem ſeparabiles, ut oſtendimus, non apparet unde habeatur tanta illorum connexio, ut, una aucta, augeatur & altera; & ideò dicendum, habitum Fidei augeri actu Fidei, & ſic de aliis: augetur quidem ſæpe habitus Charitatis per actus Fidei, aut Spei, ſed in quantum imperantur à Charitate.

Petes 5. Quomodo fiat augmentum Fidei?

Reſp. Probabilius fieri per additionem gradus ad gradum, ut dicemus fuſius de Charitate.

QUÆSTIO III.

Quodam ſit objectum Fidei?

QUot capita, tot ſententiæ: ſed magis apparenter quàm realiter diverſæ; cùm ratio, Fidei objecti diverſificandi, ferè apud omnes proveniat ex diverſo modo illud dividendi: unde, omiſſis variis & ferè innumeris illius objecti diviſionibus, quæ magis tyronum intellectui obſcurando, quàm illuminando

ſubſer-

ſubſervlunt, dividimus objectum Fidei in mate iale & Formale: per primum intelligimus id omne, circa quod, vel in quod Fides tendit: per ſecundum intelligitur ratio, ſeu motivum ſub quo, vel propter quod objectum materiale attingitur. Quoniam tamen varia de objecto Fidei occurrunt dicenda, quæſtionem hanc in varios articulos ſecabimus.

ARTICULUS I.

Quodnam ſit objectum materiale Fidei?

OBjectum Fidal materiale, aliud dici poteſt Immediatum ſeu Complexum, aliud Mediatum ſeu Incomplexum; Primum eſt integra una propoſitio cui credimus, V. Gr. hæc: *Chriſtus mortuus eſt pro omnibus*. Secundum eſt extremum propoſitionis creditæ, ut in dicta propoſitione; *Chriſtus*: ſicut & *mortuus*; ità ut tamen ab aliquibus prædicatum dicatur ſimpliciter objectum incomplexum; ſubjectum verò objectum incomplexum per modum ſubjecti; ſed cùm hæc diviſio non appareat nobis adeò utilis, illa confundemus.

CONCLUSIO I.

OBjectum materiale Fidei immediatum ſeu completum, ſunt omnes propoſitiones à Deo revelatæ & revelabiles, ut v g. *Deus eſt unus*, *Trinus*, *Omnipotens*, *Creator*, *Redemptor*, *Sanctificator*, *Incarnatus*, *&c.* Sicut & omnes propoſitiones in Scriptura à Spiritu S. inſpiratæ.

Prob. Concluſio 1. Quia illud eſt objectum Fidei immediatum, cui immediatè per Fidem aſſentimur; ſed per eum immediatè aſſentimur propoſitioni revelatæ, cùm non credamus Dei Trinitatem v.g. niſi credamus hanc propoſitionem, *Deus eſt Trinus*: nec Verbi Incarnationem, niſi quia credimus, *Verbum eſt Incarnatum*: ergo. Accepit quòd nihil immediatè credamus niſi verum; ſed propoſitionibus, & non rebus competit veritas propriè dicta; ergo.

Dices 1. Inde ſequitur Fidem non eſſe virtutem Theologicam; cùm non Deum, ſed propoſitionem habeat pro objecto immediato.

Reſp Neg. ſequelam; quia, licèt phyſicè loquendo dici poſſit mediare propoſitionem inter aſſenſum & Deum, moraliter tamen nihil mediat, cùm aſſenſus tendens in hanc propoſitionem; *Deus eſt*, cenſeatur & in Deum ſimul tendere: undè ſicut dicimur diligere immediatè Deum, licèt id non fiat niſi mediante cognitione Deum repræſentante; ita & dicimur immediatè ipſum credere, licèt mediet propoſitio ipſum proponens: indè malè inferres, Religionem eſſa virtutem Theologicam, cùm ipſa nec phyſicè nec moraliter immediatè Deum attingat; ſed cultum ejuſdem.

Dices 2. Propoſitiones revelabiles non attinguntur immediatè à Fide infuſa: ergo ſolæ revelatæ, & non revelabiles ſunt objectum Fidei immediatum.

Reſp. Diſt. Ant. Non attinguntur, id eſt, non ſunt attingibiles actu: tranſeat. Suppoſito quòd revelarentur: N. Undè tanto volumus quod habitus Fidei ſit de ſe ſufficiens ut feratur immediatè, non ſolùm in propoſitiones jam revelatas, ſed etiam in revelabiles, ſi revelarentur.

CONCLUSIO II.

QUodlibet ſubjectum & prædicatum cujuſlibet propoſitionis revelatæ eſt objectum incomplexum, & aliquo ſenſu mediatum Fidei.

Dico: *Aliquo ſenſu mediatum*; quia, ut diximus, moraliter loquendo poteſt dici *Immediatum*.

Prob. concl. Quia non poteſt propoſitio eſſe objectum Fidei, niſi etiam ejus partes, id eſt ſubjectum & prædicatum ſint ejuſdem objectum, alias non propoſitio, ſed quid chimericum eſſet objectum Fidei, & ideo Deus, Chriſtus, Angelus, homo, Antichriſtus, Moyſes, Petrus, Paulus &c. ſunt, aut eſſe poſſunt objectum Fidei, ſi nempe reperiantur in aliqua propoſitione revelata. Quod addo, quia quomodo poſſint eſſe objectum Fidei extra propoſitionem, non video, cùm intellectus non aſſentiatur voci ſolitariæ: unde Deus, Verbum &c. ſunt objectum Fidei, quia revelatæ ſunt hæ propoſitiones: *Deus eſt*, *Verbum eſt. Incarnatum*, & ſic de aliis:

CONCLUSIO III.

INter objecta fidei incomplexa primum eſt Deus, non tantùm dignitate, ut patet, ſed etiam attributione, inquantùm alia omnia ad ipſum referuntur;

Prob. 1. Ex Aug. 4 de Civit. Dei cap. 20. *Fidei primum & maximum officium eſt, ut in unum credatur Deum.*

Prob. 2. Authoritate D. Thomæ 2. 2. q. 1. art. 1. ad 1. *Ea quæ pertinent ad Humanitatem Chriſti, ad Sacramenta Eccleſiæ, vel ad quaſcumque creaturas, cadunt ſub Fide, in quantùm per hæc ordinamur ad Deum.* Item & Doctoris noſtri 3. d. 23. q. un. litt. G. *Oportet ponere, Fidem infuſam propter firmum aſſenſum, ut reſpiciat Deum pro objecto primo.*

Prob. 3. Ratione: Illud eſt objectum attributionis alicujus habitus, ad quod referuntur omnia quæ per talem habitum cognoſcuntur, ſed quidquid per Fidem apprehendimus, ad Deum vel credendum, vel timendum, vel aſſerendum, vel colendum, vel amandum, vel poſſidendum, ordinantur: ergo.

Obj. Deus non eſt objectum adæquatum Fidei noſtræ: ergo nec attributionis.

Reſp. N. Conſ. Aliud eſt enim objectum ſimpliciter adæquatum Fidei, & aliud attributionis, primum enim complectitur omnia quæ per actus Fidei immediatè attinguntur, ſecundum verò tale eſt, ut licèt omnia non complectatur, omnia tamen ad ipſum aliqualiter referantur. Quamvis autem ad Deum omnia revelata conducant, ut diximus, non complectitur tamen omnia, v. g. quod David eſſet rufus, quod Judith obtruncaverit corpus Holofernis &c.

Obj. 2. Multa referuntur in Scriptura quæ nullatenùs ordinantur ad Deum, v. g. quod Salomon habere concubinas, Abraham duos filios, Tobias canem, canis ipſe caudam &c.

Reſp. N. aſſumpt. Deus enim minutiſſima illa aſſerendo, extollit veracitatem ſuam, quæ nec in minimis poteſt deficere.

Obj. 3. Deus eſt objectum Theologiæ: ergo non Fidei.

Reſp. N. conſ. quia etſi implicet, ut ſit idem objectum formale Fidei & Theologiæ, non tamen ut ſit idem materiale, cùm ab objecto formali, non materiali, ſpecificentur.

Obj. 4. Cum Calvino: Chriſtus eſt etiam objectum Fidei noſtræ: ergo Scholaſtici decipiunt animas, dum Fidei objectum conſtituunt ſolum Deum.

Reſp. Ipſummet decipi, cùm non excludant Theologi Chriſtum ab objecto Fidei, ſed tantùm ab objecto primario, volentes interim eſſe objectum ſecundarium, & quidem inter ſecundaria primarium, in quo oporteat nos ſalvos fieri.

ARTICULUS II.

Quidnam ſit objectum Fidei formale?

VOluerunt olim Manichæi, teſte Auguſtino lib. de utilitate credendi, nihil eſſe credendum, niſi ratio naturalis demonſtraret eſſe tale: ſicque Fidem cum ſcientia confundebant; quandoquidem hujus objectum ſit etiam ratio evidens. Quorum hereſim ſepultam ſuſcitavit Abaillardus ut refert D. Bernardus Ep. 16.

CONCLUSIO UNICA.

OBjectum Fidei formale eſt Dei veritas in dicendo, ſeu veracitas. Eſt communis: ſed ante probationem

Adverte triplicem diſtingui in Deo veritatem; aliam in eſſendo, & eſt ipſa Deitas; aliam in cognoſcendo, quæ excludit ab intellectu Divino omnem omnino errorem; & aliam in dicendo, ſeu Veracitatem, qua Deus, qui non poteſt falli in ſuis cognitionibus, fallere non poteſt in verbis ſuis.

Prob. 1. Ex Scriptura, quæ volens inducere ad credendum, ſolùm adducit ad hoc divinum teſtimonium, ut Jo. 5. *Qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me.* Item 1. Joan. 5. *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt.* Quod confirmat Apoſtolus ad Gal. 1. *Notum vobis facio fratres Evangelium . . . . quia non eſt ſecundùm hominem, nec enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti.*

Prob. 2. Authoritata D. Thomæ 3. diſt. 20. qu. 1. art. 2. ad 5. *Objectum Fidei non eſt veritas prima ſecundùm quod eſt in re exiſtens tantum, ſed ſecundùm quod eſt nobis divinitùs annuntiata.* Sicut & D. Subtilis 3. diſt. 23. num. 6. *Fides infuſa aſſentit alicui revelato, quia credit Deo vel Veracitati Dei aſſerentis illud.*

Prob. 3. Eſt de ratione formali Fidei in communi inniti teſtimonio ſeu authoritate dicenti tanquam motivo credendi: ergo de ratione Fidei Divinæ inniti divino teſtimonio.

Confir. Aſſenſus Fidei Divinæ debet eſſe firmiſſimus, omnemq; omnino excludere dubitationem; atqui non poſſet homo ità firmiter aſſentiri rebus obſcurè cognitis, & quandoq; rationi apparenter contrariis, niſi inniteretur Dei teſtimonio, quòd nec falli, nec fallere poſſe cognovit; ergo.

Obj. 1. Illud eſt formale objectum Fidei; In quo ratio credendi ultimò ſiſtit; ſed ultimò ſiſtit in Deitate: ergo Deitas, &

non

non Veracitas, eſt objectum Fidei. Prob. Min. quia quærenti à me cur credam Incarnationem? aptè reſpondebo, quia Deus, qui eſt prima Veritas, revelavit. Si autem ulteriùs inquirat, cur Deus ſit prima Veritas, reſpondere teneor, quia Deus eſt, ſeu ens infinitè perfectum: ergo.

Reſp. Diſt. Min. Siſtit in Deitate tanquam motivo credulitatis: N. tanquam in ratione eſſendi. C. Undè fateor quòd ratio cur Deus ſit prima Veritas, oriatur ex eo quòd Deus ſit, diffiteor tamen, quòd ratio cur aſſentiar propoſitioni revelatæ; ſit Deus, ſed benè ejus Veracitas in qua ſiſto: & ideò quando dico, me credere revelatis, quia Deus eſt prima Veritas, loquor ut Fidelis; quando autem dico Deum eſſe primam Veritatem, quia Deus eſt, loquor ut Theologus.

Confirm. 1. Reſponſio. Si quæratur cur paries videatur? Reſpondetur, quia eſt coloratus, ibique ſiſtitur, licèt detur ratio ulterior cur ſit coloratus: ergo ſimiliter.

Confirm. 2. Si Deus per impoſſibile non eſſet Deus, eſſet tamen prima Veritas in dicendo; teneremur illi credere; cùm eſſet adhuc infallibilis activè & paſſivè. ergo non Deitas, ſed prima Veritas eſt ratio aſſentiendi.

Obji. 2 Per Fidem captivamus intellectum in obſequium Fidei, ſed obſequium captivi non reſpicit ſuperiorem ut veracem, ſed ut dominum: ergo non Dei Veritas, ſed Dominium eſt objectum Fidei.

Reſp. Diſt. Min. Obſequium captivi obedientis non reſpicit Superiorem ut veracem: C. obſequium captivi domino credentis: N. unde cum credendo revelatis, obediamus Deo præcipienti: & credamus Deo loquenti, obedientia noſtra habet pro objecto Deum ut dominum, Fides autem ut veracem.

Obji. 3. Veracitas Dei eſt objectum Fidei materiale, cùm ipſa credatur, ſicut creditur Dei Sapientia, Omnipotentia &c. ergo non eſt formale.

Reſp. Nullam eſſe implicantiam, quod Dei Veracitas dicatur objectum Fidei materiale, & formale ſub diverſo reſpectu: materiale quidem, quatenus res credita, formale, quatenus motivum credendi. Et certè ideò idem Dei cultus eſt objectum materiale Religionis, quatenus cultus, & formale quatenus debitus; undè in noſtro caſu creditur Dei Veracitas propter ſeipſam, ſicut lux quæ eſt ratio videndi, videtur per ſeipſam.

Obji. 4. Objectum Fidei formale neceſſariò importat tam Veracitatem Dei in cognoſcendo, quàm ejuſdem Veritatem in dicendo: ergo malè hæc ſola conſtituitur. Prob. Ant. quia etſi ratione veracitatis præcisè repugnet Deo falſum dicere ex malitia, non tamen falſum dicere ex ignorantia?

Reſp. Hæc omnia poſſe negari: nam cum Dei Veracitas ſit infinitè perfecta ex omni capite, repugnat ipſi fallere; attamen dici poteſt ipſam connotare ſeu præſupponere Dei Veracitatem in cognoſcendo, non tamen æqualiter importare; quandoquidem non moveamur immediatè ad credendum; quia Deus omnia ut ſunt agnoſcit; ſed quia omnia cognoſcendo non poteſt fallere.

Obji. 5. Debemus ex Scriptura examinare credenda: *Probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint.* 1. Joan. 4. ſed ſi ratio credendi eſſet authoritas Dei loquentis, non liceret examinare: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Debemus examinare, quando conſtat Deum fuiſſe locutum; N. quando dubitamus, an proponentes verè, aut falsò proponant. C.

Obji. 6. Ex hac ſententia ſequitur, multos pueros & ſimplices non credere Fide divina, cùm credant ob dictum Parochi aut parentum, non autem ob Dei loquentis authoritatem.

Reſp. De facto eorum Fidem non eſſe divinam ſi ideò præcisè credant; & ideò interrogare debent Confeſſarii ſuos pœnitentes, ſaltem rudiores, aut juniores; non tantùm quid credant, ſed ob quid credant, ipſiſque motivum fortiter inculcare: quod à fortiori facere debent Parochi catechizãdo undè ſuo munerinõ ſatisfaciunt, qui contenti ſunt Parochianis ſuis formulam Fidei præſcribere, ſi rationem, cui credant ipſis non inculcaverint. Heu! ſæpe fit, ut formulas illas Pſitacorum more recitent, & tamen ſignificationem nõ ſatis apprehendant. Hujus occaſione

Advertendum hic, cùm ad Juſtificationem neceſſariò requiratur Fides, omnes Confeſſiones factas à credentibus ob motivum humanum fuiſſe nullas, imò ſacrilegas; ſi ignorantia fuit vincibilis, adeoque repetendas: ſi tamen crediderint quia Parochus hoc dixit nomine Eccleſiæ, cui credunt Deum fuiſſe locutum, non videntur ad Confeſſionum repetitionem obligandi: undè hoc pendet à prudentis Confeſſarii examine.

ARTICULUS III.

An revelatio ingrediatur rationem objecti formalis?

NEceſſariam eſſe revelationem ad actum Fidei conveniunt omnes; indicatque Scriptura Rom. 10. Ubi legitur: *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* Sed an ſit etiam objectum Fidei partiale, ita ut cum Dei veracitate integret objectum Fidei totale? Diſputatur. Ante reſolutionem

Adverte revelationem (quæ nihil aliud eſt quàm rei abſconditæ manifeſtatio facta à Deo) aliam eſſe publicam, quæ fit coram multis; aliam privatam, quæ fit uni tantùm perſonæ. Item una eſt immediata, quæ fit vel externè per ſigna ab ipſo Deo, vel internè per inſpirationes: altera mediata, qua Deus Angelorum, aut hominum miniſterio aliquam veritatem nobis aperit. Illa autem revelatio quatenus ſe tenet ex parte Dei loquentis dicitur *activa*, quatenus ex parte recipientis, *paſſiva*.

CONCLUSIO UNICA.

REvelatio non ingreditur objectum formale Fidei, ſed eſt mera objecti credibilis applicatio.

Prob. 1. Illud eſt objectum formale, ſeu motivum Fidei, propter quod aſſentior objecto credibili; atqui non aſſentior propter revelationem, ſed propter veracitatem revelantis, cum hæc det credibilitatem infallibilem, non revelatio: ergo.

Prob. 2. Non credimus homini, quia loquitur; ſed quia loquendo verax eſt: ergo nec aliter facimus reſpectu Dei loquẽtis.

Prob. 3. Sicut actus intellectus repræſentat voluntati objectum amandum, ità revelatio repræſentat nobis objectum credendum; atqui actus ille intellectus non movet voluntatem ad amandum, ſed tantùm objecti bonitatem potentiæ applicat: ergo ſimiliter in noſtro caſu.

Prob. Illud eſt objectum Fidei, in quod ipſa ultimò reſolvitur; ſed non reſolvitur ultimò in revelationem, quandoquidem ipſam credamus, quia revelans verax eſt: ergo.

Obji. 1. Credimus objectis credibilibus propter Dei teſtimonium, ut patet ex innumeris Scripturæ paſſibus; ſed divina revelatio, & Dei teſtimonium ſunt quid idem: ergo.

Reſp. Diſt. Maj. Credimus propter Dei teſtimonium ut verax eſt. C. Unde Joan. 3. dicitur: *qui accepit ejus teſtimonium, ſignavit quia Deus verax eſt.* Propter teſtimonium ut ſic, quod præcisè dicit revelatio: N.

Inſt. 1. Credimus Divina myſteria; quia Deus locutus eſt: Ergo ejus teſtimonium ut ſic eſt ratio credendi.

Reſp. Diſt. Ant. Credimus, quia Deus locutus eſt, ſicut locutio ſit ratio credendi: N. ſicut veritas locutionis ſit ratio credendi, C.

Inſt. 2. Niſi eſſet Dei locutio, non crederemus: ergo propter ipſam credimus.

Reſp. 1. Retorquendo argumentum: niſi eſſet approximatio, ignis non combureret: ergo comburit propter ipſam, quod eſt falſum, cùm comburat propter ſuum calorem.

Reſp. 2. Diſt. Ant. Niſi eſſet Dei locutio tanquam manifeſtativa veritatis credendæ, non crederemus, quia non aſſentimur ignoto: C. tanquam motivum credendi: N.

Obji. 2. Quærenti, cur Chriſtus ſit in Euchariſtia? aptè reſpondetur, quia Deus revelavit: ergo revelatio eſt etiam motivum credendi.

Reſp. Diſt. Ant. Aptè reſpondetur, eo quòd revelatio applicet potentiæ objectum credendum: C. eo quòd moveat ad credendum: N.

Obji. 3. Si revelatio ſit tantùm objecti applicatio: ergo non ſe habet aliter reſpectu credentis, ac teſtimonium hominis dicentis aliquid eſſe in Scriptura; cùm etiam applicet objectum credendum.

Reſp. Neg. Sequel. Licèt enim teſtimonium hominis, ſicut & Dei applicet objectum potentiæ; quia tamen teſtimonium hominis eſt fallibile, & Dei infallibile, longè fortiùs & ſecuriùs aſſentior huic, quàm illi.

Obji. 4. Ideò Veracitas Dei eſt objectum formale, quia eſt infallibilis; ſed etiam infallibilis eſt Dei revelatio. ergo.

Reſp. Diſt. Min. Etiam infallibilis eſt Dei revelatio ratione ſui præcisè: N. quia procedit à teſte veraciſſimo: C.

ARTICULUS IV.

An revelatio debeat eſſe obſcura, immediata, publica?

CONCLUSIO I.

LIcèt objectum Fidei debeat eſſe obſcurum, ut dicemus non eſt tamen neceſſe, ut revelatio ſit obſcura, ſeu poteſt quis habere Fidem circa articulum, quem evidenter cognoſcit eſſe revelatum. Eſt ſatis communis in utraque Schola.

Prob. 1. Authoritate DD. Angelici & Subtilis, quorum primus 2.2.q 2.art.2. aſſerit potuiſſe Prophetas habere evidentem revelationem, & ſecundus 3.diſt.24.n.57. de facto habuiſſe ſine præjudicio Fidei.

Reſp.

Digitized by Google

Prob. 2. Quia evidentia revelationis nec actum Fidei impedit, nec variat ejus objectum. non primum; quia tantum abeſt, ut retrahat à credendo, ut è contrà magis excitet ad credendum, ut per ſe patet; non etiam ſecundum; quia claritas revelationis non tollit obſcuritatem objecti: ſive enim Deus dicat mihi evidenter, Chriſtum eſſe in Euchariſtia, ſive obſcurè, myſterium illud eodem modo manet intellectui meo abſconditum eò quòd revelatio non proponat rationes objecti intrinſecas, quibus cognoſcatur in ſe & penetretur.

Confir. 1. Quia ſupremo Angelo adhuc viatori revelatum eſt myſteria Incarnationis; illudque credidit Fide Theologica, ſicut & alii Angeli, ut ſuo loco dicitur; ſed ſupremus Angelus ſciebat revelationem illam eſse à Deo, cùm ſciret Angelum ſuperiorem non illuminari ab inferiori: ergo.

Confirm. 2. Evidentia teſtimonii non tollit fidem humanam; ergo nec tollit divinam, cum ſit par ratio. Prob. Ant. Quia ex eo quod quis apertiſſimè mihi dicat Regem Galliæ eſſe virum magni ingenii, illique aſsentiar, aſſenſus meus non eſt actus ſcientiæ, ut patet; & conſequenter tantùm eſt actus Fidei.

Obj. 1. Cognitio Fidei debet eſse obſcura, quia videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate; ſed ubi evidens eſt revelatio, cognitio non eſt obſcura; ergo.

Reſp. diſt. Min. Cognitio non eſt obſcura ex omni parte: C. ſecundùm quid, ſeu ex parte objecti crediti. N. Hoc autem ſufficit ad Fidem, ut patet ex dictis.

Obj. 2. Qui credit Fide divina, Fidem ſuam exercet tam circa revelationem, quàm circa objectum creditum; ſed non poteſt exerceri Fides circa revelationem evidenter cognitam: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Fidem exercet tam circa revelationem &c. quando ipſa obſcurè proponitur; C. quando evidenter: N. quia tunc circa illam habet ſcientiam, & circa objectum Fidem.

Obj. 3. Ideo Beati dicuntur non habere Fidem, quia revelatio eorum, quæ agnoſcunt extra Verbum, eſt ipſis evidens, ſed concluſio noſtra rationem illam evertit: ergo.

Reſp. Neg. Ma. Sed oritur ex eo quòd objectorum extra Verbum cognitorum infundat Deus Beatis ſpecies claras, & evidentes, ſicque nec revelatio, nec objecta revelata ſunt ipſis obſcura.

Obj. 4. Non poſſumus habere Fidem circa Dei exiſtentiam evidenter cognitam per effectus; ergo nec circa eamdem cognitam per revelationem evidentem.

Reſp. Diſſimulato Ant. Neg. Conſequ. Diſparitas eſt, quòd cùm effectus ingerant nobis cognitionem evidentem exiſtentiæ cauſæ, ideo, viſo effectu, cauſa non creditur, ſed ſcitur: revelatio autem Dei, licèt evidens, adeoque infallibilis, dat quidem certitudinem exiſtentiæ rei revelatæ, non tamen evidentiam, & ideo res illa non ſcitur, ſed creditur, remanetque objectum Fidei.

CONCLUSIO II.

REvelatio non ſemper debet eſse immediata, ſeu poteſt dari propoſitio de Fide, licèt non ſit in ſe & immediatè revelata, ſed tantùm virtualiter & implicitè in propoſitionibus revelatis contenta. Sed ad majorem horum intelligentiam

Advertendum 1. Poſse concluſionem, ſeu propoſitionem deduci vel ex duabus præmiſſis revelatis, vel ex una revelata, & altera naturaliter cognita: ſi deducatur ex utraque revelata, erit & ipſa revelata, ſeu de Fide, modò tamen diſcurſus, per quem deducitur, ſit tantùm conditio applicativa revelationis, non autem ratio aſsentiendi, aliàs eſset Theologica, non revelata, cùm inniteretur, ſaltem partialiter, evidentiæ conſequentiæ, non ſoli primæ veracitati, quod ad actum Fidei requiritur. Si autem inferatur ex una revelata, & altera naturali, non erit de Fide: nam cum concluſio ſequatur debiliorem partem ſui antecedentis, nec neceſse eſt, ut ibi præmiſſa una eſt de fide aut ſcientia humana, talis ſit & concluſio, licèt altera præmiſſa ſit de Fide divina: unde hæc concluſio *Chriſtus eſt riſibilis* non eſt revelata; quia major præmiſſarum quę ſunt: *omnis homo eſt riſibilis, Chriſtus eſt homo*, non eſt revelata, licèt ſit revelata Minor.

Advertendum 2. Quòd licèt propoſitio ut ſequitur ex una non revelata, & altera revelata, non ſit de Fide, eo ipſo tamen quo definitur ab Eccleſia, ſit de Fide & non tantùm certa; quia eo ipſo quo Eccleſia, cui ſemper aſſiſtit infallibiliter Spiritus S. judicat & declarat aliquam propoſitionem eſse de Fide, de Fide credenda eſt, non præcisè quia virtualiter in alia contenta, ſed quia ab Eccleſia declarata. His notatis

Prob. 1. Concluſio: quia talis eſt concluſio, quales ſunt præmiſsæ, & ideò ſi ſint probabiles, probabilis eſt concluſio: ſi evidentes, evidens: ergo ubi revelatæ ſunt præmiſsæ, revelata eſt concluſio. Accedit quòd ſignificatum concluſionis contineatur in ſignificato præmiſſarum: ergo ubi hoc eſt revelatum, eſt & illud. Undè quia revelatum eſt, omnes Apoſtolos accepiſſe Spiritum S. & Petrum eſſe unum ex Apoſtolis; revelatum eſt Petrum accepiſſe Spiritum S.

Confirm. Eadem eſt veritas concluſionis & præmiſſarum: ergo eadem Fide credenda.

Prob. 3. Quia Eccleſia nobis plurima proponit de Fide credenda, quæ non continentur explicitè, formaliter, & immediatè in Scripturis, ſed tantùm ex illis per conſequentias deducuntur ut Filii Conſubſtantialitas, æqualitas Spiritus S. cum Patre & Filio, Chriſti Perſonæ unitas &c.

Dices 1. Non licèt addere quidquam revelatis: undè *Licèt nos* (inquit Paulus ad Galat. 1.) *aut Angelus de Cœlo Evangelizet vobis, præter quam quod evangelizavimus vobis. anathema ſit*.

Reſp. Nec nos revelatis addere, cùm præfata ſunt implicitè revelata, nec annuntiare aliud Euangelium, id eſt contrarium, ut intelligit Apoſtolus, ſed idem exponere, & declarare, ut ſæpè facit Scriptura.

Dices 2. Ex hac propoſitione univerſali revelata: *Omnis Hoſtia conſecrata continet Chriſtum*, ſequitur; ergo hæc Hoſtia in Altari expoſita continet Chriſtum; ſed hæc propoſitio non eſt de Fide; ergo.

Reſp. diſt. Min. Non eſt de Fide, quia non conſtat eſſe ritè conſecratam: C. ſuppoſito, quòd conſtaret eſſe ritè conſecratam; N. undè ſicut de Fide eſt omnem Hoſtiam ritè conſecratam, continere Chriſtum; ità de Fide eſt quamlibet Hoſtiam, ex quo certò conſtat eſſe conſecratam continere Chriſtum. Ex dictis

Reſ. 1. Has propoſitiones eſſe de Fide: *Chriſtus eſt animal*: *Chriſtus eſt rationalis*: quia ſunt de primario conceptu hominis; quem Chriſtus eſſe docet Fides.

Reſ. 2. Omnes propoſitiones particulares contentas ſub aliqua univerſali revelata, etiam eſſe de Fide: & conſequenter de Fide eſt, Petrum moriturum, Joannem reſurrecturum, Paulum infantem ritè baptizatum eſse in gratia &c. quia revelatum eſt, quòd omnes moriemur, omnes reſurgemus, quòd omnes ritè baptizati recipiant gratiam: Et certè, ſi omnes particulares non eſsent de fide in noſtro caſu, nihil eſset de fide; quandoquidem propoſitio generalis prout abſtrahens à ſingularibus ſit quid merè ſpeculativum, nihilque conſerat ad Fidem: undè ipſa propoſitio generalis revelata nihil aliud eſt, quàm ſingulæ particulares ſub ea contentæ; & ideò ſi quandoque deducantur ex univerſali per diſcurſum, diſcurſus habet ſe ut mera applicatio revelationis; non autem motivum aſſentiendi.

CONCLUSIO III.

NOn eſt neceſſe ad aſſenſum Fidei, ut revelatio ſit publica, ſed ſufficit privata, modò ſit vera. Eſt contra quoſdam Thomiſtas volentes perſonam privatam, cui nunc fit talis revelatio, non aſsentiri rei revelatæ per actum Fidei Theologicæ, ſed vel per donum conſilii, vel per cognitionem propheticam, vel per actum Fidei inter gratias gratis datas enumeratæ.

Prob. concl. Ad aſsenſum Fidei Theologicæ, ſufficit quòd feratur in aliquid quod cadit ſub objecto Fidei ob veracitatem Dei loquentis: ſed poteſt Deus tale quid revelare perſonæ privatæ, ipſaque perſona illi aſsentiri ob veritatem Dei revelantis, ut per ſe patet: ergo erit aſsenſus Fidei Theologicæ.

Confir. Multa per Fidem Theologicam crediderunt Abraham, Iſaac, Jacob, & alii Patres Veteris Teſtamenti, licèt illa non eſsent ipſis publicè, ſed privatim revelata: ergo & idem nunc facere poſsent perſonæ privatæ, quibus aliqua ad Fidem pertinentia privatim revelarentur, cùm ſit omnino par ratio, nec temporum varietas variet Fidei rationem. Hinc

Reſol. 1. Perſonam privatam illo caſu teneri ad actum fidei Theologicæ; cùm objectum Fidei materiale & formale ſupponatur ipſi ſufficienter propoſitum.

Reſ. 2. Alios, quibus perſona privata ſuam revelationem patefaceret, non ſore obligatos ad credendum; quandoquidem perſona privata non ſit regula ſufficiens ad proponendum, cum obligatione credendi, Fidei objectum.

Reſ. 3. Dum S. Thomas 1. p. q. 1. art. 8. ad 2. dicit. *Innititur Fides noſtra revelationi, Apoſtolis & Prophetis factæ, qui Canonicos Libros ſcripſerunt, non autem revelationi, ſi quæ fuit aliis DD. facta*; loqui de Fide quatenus Catholica ſeu univerſali, quæ tantùm verſatur circa virtutes communes toti Eccleſiæ à Prophetis & Apoſtolis propoſitas, non autem de fide Theologica præcisè ut Theologica.

A R-

Digitized by Google

ARTICULUS V.

A quo debeat fieri divinæ revelationis propoſitio, at obliget ad credendum?

HIc loquimur de revelatione reſpiciente articulos ab omnibus Fidelibus credendos. Hanc ab Eccleſia ſola fieri debere, ſaltem ordinariè loquendo, ſuſtinent Catholici, ſed inſuper à privato cujuſque ſpiritu proponendam eſse, docent hujus temporis hæretici nonnulli, volentes ſpiritum illum non ſolùm manifeſtare quis ſit ſcripturæ ſenſus, qui Libri ſint Canonici, ſed etiam efficere, ut quilibet diſcernat revelata à non revelatis, adeoque credenda à non credendis. Alii aſserint ſufficientem revelationis propoſitionem fieri à ſola Scriptura, alii à Scriptura cum Symbolo, contra quos ſit

CONCLUSIO I.

SPiritus ille privatus non eſt Regula ſufficiens ad proponendam circa Fidei articulos Dei revelationem.

Prob. 1. Quia nec Scriptura, nec Traditio, nec Concilia, nec Patres illius regulę meminerunt, imo hanc non eſse neceſsariam inſinuatur Matth. & Marc. ult. ubi dicitur, credentes Apoſtolis (ſi reliqua præſtiterint) eſse ſalvandos, non credentes eſse condemnandos.

Prob. 2. Quia regula illa non poteſt eſse niſi fons, & origo confuſionum, errorum, diſputationum, altercationum, diviſionum & ſchiſmatum inter Chriſtianos, quandoquidem privato illi Spiritui innixi; contradictorios fingant ſibi Fidei articulos; ita ut in hac ſummæ veritatis materia, non ſolùm Calviniſta Lutherano, & è contra, ſed Calviniſta Calviniſtæ, & Lutheranus Lutherano adverſetur.

Prob. 3. Vel ſpiritus ille privatus eſt Spiritus S. vel Spiritus uniuſcuiuſque proprius: non primum, quia impoſſibile eſt, ut Spiritus veritatis inſpiret mendacia, inſpirando autem Lutherano Chriſtum eſse in Euchariſtia, & Calviniſtæ, non eſse ibidem, neceſsariò alterutri deberet mendacium inſpirare: non etiam ſecundum, cùm Spiritus mendax & fallibilis non poſſit eſse regula infallibilis, qualis debet eſse Regula Fidei.

Prob. 4. Quia talium credulitas ſuper chimeram fundatur: ſi enim petam à Calviniſta ut credat Chriſtum non eſse realiter in Euchariſtia, dicet mihi, quia ſpiritus privatus illud revelavit; ſed ſi inquiram unde ſciat ſpiritum illum ſibi verum revelare potius, quàm Lutherano contrarium credenti? Tenebitur reſpondere: quia ſum in vera Eccleſia, non Lutheranus, ſi ulterius interrogem, unde conſtat, Eccleſiam Calvini eſse veram, & non Lutheri, neceſsariò iterum ad ſpiritum privatum recurrendum erit, ſicque fiet circulus, & tandem meram imaginationem pro fundamento credulitatis reperient.

Dices: Rom. 7. legitur: *Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro &c.* & Matth. 10. *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri &c.*

Reſp. Quandoque extraordinariè inſpirare Spiritum S. certis perſonis quid debeant credere, quid loqui, quid prædicare, quid agere, ſicut olim fecit Prophetis & Apoſtolis; & ideo dixit Chriſtus Petro Matth. 16. *Caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus &c.* Et Paulus dicit ad Galat. 10. ſe Euangelium didiciſse per revelationem JESU CHRISTI; id tamen non fit ordinariè; nec mirum, cùm enim prę videret Deus, quòd aliqui ſuas imaginationes, phantaſias, ſomnia, imò & dęmonum inſufflationes pro revelationibus eſsent accepturi, dicturique eſsent: dicit Dominus, cùm Dominus non fuiſset locutus, noluit divinę revelationis propoſitionem à privato cujuſlibet ſpiritu dependere, ſed ab authoritate Eccleſiæ revelata proponentis, ùt infra dicemus.

CONCLUSIO II.

NEc Scriptura ſola, nec Scriptura cum Symbolo, eſt regula ſufficiens ad diſcernenda revelata à non revelatis.

Probatur prima pars; quia Scriptura independenter à judicio Eccleſiæ Canonicam à non Canonica diſcernentis, eſt regula fallibilis; cùm ex hominum malitia ſit expoſita variis mutationibus & ex Typographorum inadvertentia aut negligentia innumeris erroribus. Accedit quòd variis in locis Scripturæ ſenſus ſit obſcurus, & ità obſcurus, ut legentes imò & Doctores illum diverſimodè interpretentur; & ideo aſſignari debet alia regula, nempè Eccleſia, quæ verum ſenſum aperiat, difficultateſq; componat. Et certè, ſi in materia civili aſſignetur regula animata, nempè Judex, qui ſenſum legum exponat, quidni aſſignaretur in materia fidei pro aperiendo vero Scripturę ſenſu?

Prob. 2. pars; quia non minùs Scriptura cum Symbolo, eſt expoſita mutationi, quàm Scriptura ſola; atqui hæc ideo non eſt regula infallibilis: ergo nec illa. Plura hac de re poſteà.

CONCLUSIO III.

SOla Eccleſia, ordinariè loquendo, eſt regula ſufficiens ad proponendas veritates revelatas, adeoque credendas.

Prob. 1. Ex Aug. lib. contra Ep. Manachæi, ſeu fundamenti c. 5. *Ego Evangelio non crederem; niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret authoritas*, id eſt, non crederem Euangelium eſſe Dei verbum, niſi id mihi Eccleſia proponeret credendum: & conſequenter agnoſcit ſolam Eccleſiam eſſe regulam ordinariam & ſufficientem in proponendis veritatibus revelatis.

Prob. 2. Quia omnes aliæ regulæ ab Hæreticis aſſignatę ſunt fallibiles, ut oſtendimus; Eccleſia autem infallibilis propter continuam Spiritus ſancti aſſiſtentiam, quam inſinuavit Chriſtus Matth. 28. dicens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. Et certè ſi Eccleſia non eſſet infallibilis, cur dixiſſet Chriſtus Matth. 18. ſtandum eſſe illius judicio. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.*

Dices 1. cum Hæreticis. Credimus Scripturam eſſe verbum Dei; quia Eccleſia ſic credendum proponit, & credimus Eccleſiam eſſe in proponendo infallibilem, quia Scriptura dicit: ergo ſit manifeſtus circulus.

Reſp. Inde nihil mali quòd Eccleſiæ authoritatem per Scripturam, & Scripturam per Eccleſiam cognoſcamus: habet ſe enim inſtar duorum Prophetarum, quorum primus teſtimonium perhibet de ſecundo, & ſecundus de primo, in quo nulla implicantia imò idipſum reperitur in Euangelio, ubi Chriſtus teſtimonium perhibet de Joanne, & Joannes de Chriſto, idque ob divinam revelationem utrique factam.

Dices 2. ſaltem committitur alius circulus vitioſus, cùm credamus revelationi propter Eccleſiæ authoritatem, & Eccleſiæ authoritati propter revelationem.

Reſ. circulum illum non eſſe vitioſum; cùm non ſit eadem, ſed diverſa ratio credendi: aſſentimur enim revelationi propter Eccleſiam tanquam Regulam revelata proponentem, & aſsentimus Eccleſię proponenti ob Dei revelationem, tanquam rationem formalem & motivum credendi.

Dices 3. Quòd Eccleſia ſit regula infallibilis in proponendis Fidei myſteriis, habetur ex Scriptura tanquam fundamento; ſed Scriptura eſt fundamentum fallibile, cùm, ex conceſſis, ſit expoſita mutationi & depravationi: ergo &c.

Reſp. Nullum poſſe nobis rationabiliter eſſe dubium de integritate Scripturæ, cum illam à noſtriſmet inimicis, nempè Judæis, acceperimus, & ad nos uſq, per continuam traditionem pervenerit innumeris confirmata miraculis. Ex dictis hac queſt.

Reſ. 1. Quod etſi perſona particularis teneatur aſſentiri Fide divina veritatibus ſibi privatim revelatis, ubi de revelatione conſtat, non tamen alii Fideles; etſi millies aſſerat & juret perſona illa revelationem ſibi eſſe factam; quandoquidem non ſit regula communis & ordinaria propoſitiva revelationis.

Reſ. 2. curandum eſſe Parochis & confeſſariis, ut ſuos inſtruant non eſſe credendos fidei articulos ob ſolam Eccleſię authoritatem, ſed ob Eccleſiam tanquam credenda proponentem, & ulterius ob Dei veracitatem ad credendum moventem.

QUÆSTIO IV.

Quale ſit objectum materiale Fidei?

OBjectum Fidei materiale ſunt propoſitiones, ſeu articuli à nobis credendi, & de illis quæritur, quales ſint, nempe an evidenter credibiles, an neceſſariò, obſcuri, veri, an poſſint extendi &c. & de illis ſequentibus articulis.

ARTICULUS I.

An Fidei articuli ſint evidenter credibiles, & unde?

CUm veritas revelata, imò & ipſa revelatio ordinariè ſit obſcura, & aliundè dicat ſapiens. Eccl. 19. *Qui credit citò, levis corde eſt*, quæritur, an Fidei myſteria non poſſint per quædam motiva ſic reddi credibilia, ut credere nolentes ſint coram Deo inexcuſabiles.

CONCLUSIO I.

FIdei articuli ſunt evidenter credibiles evidentia morali, id eſt, tali evidentia, ut non poſſit quis rationabiliter de illis dubitare. Eſt communis inter Catholicos.

Prob. 1. Ex Scrip. Pſ. 92. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*: id eſt, ut exponit noſter Lytan *magis quàm prima principi-*

ſipia ſcientiarum, idque ob Chriſti doctrinam à ſeipſo, ab Apoſtolis, à Martyribus, à Viris Apoſtolicis per ſigna & prodigia confirmatam; & ideò Chriſtus Joan. 10. arguens incredulos ajebat: *Si mihi non vultis credere, operibus credite*, quaſi diceret; ſi doctrina mea ſolitariè ſumpta non appareat vobis credibilis, ſaltem opera mea reddunt illam credibilem: quod confirmat *c.* 15 ubi aſſerit eos, quibus fuit locutus, excuſationem non habere de peccato, eo quòd ejus doctrina, concurrentibus miraculis, non tantùm eſſet probabilis, (unde excuſationem ſumere potuiſſent) ſed evidenter credibilis.

Prob 2. Ex Aug lib. contra Epiſt. Fundamenti cap. 4. *Multa ſunt quæ in* (Eccleſiæ) *gremio me juſtiſſimè teneant. Tenet conſenſio populorum atque gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata* &c. & ideò lib. 12. contra Fauſtum cap. 43. ſic alloquitur Manichæos: *Quid ad hæc reſpondetis inſani? nempè iſta manifeſta ſunt: nempè omnes, non dico calumnias contradictionis, ſed etiam nebulas dubitationis expellunt.*

Prob. 3. Ratione; quia motiva credibilitatis ſunt tam multa, tam aperta, tam prodigioſa, ut homini ſanæ mentis, relicta præventione, paſſione & carnalitate, non poſſint Fidei noſtræ myſteria non apparere vera: & ideò dicebat Aug. lib 7. Confeſſ. c. 10. *facilius dubitarem vivere me, quàm non eſſe veritatem, quæ per ea quæ facta ſunt intellecta conſpicitur.* Undè hanc propoſitionem tanquam temerariam, & errorem inducentem condemnavit Clerus Gallicanus anno 1700. *Evidens non eſt evidentia morali, propriè dicta, & phyſica, Religionem Catholicam eſſe veram.*

Confirm. Præcipit Deus ſub pœna Damnationis æternæ, ut Fidei myſteria firmiſſimè teneamus, juxta illud Marc. ult. *Qui non crediderit, condemnabitur*, ſed non poteſt intellectus noſter ad aſſenſum firmiſſimum determinari, niſi proponantur ipſi motiva credibilitatis evidentia, ſeu quod prima veritas falli & fallere neſcia, illa revelaverit: ergo.

Obji. 1. Omnibus ſæculis reperti ſunt Viri ſapientiſſimi, qui Religionem noſtram negaverunt: ergo non eſt evidenter credibilis, cùm evidenter credibili refragari non ſit ſignum ſapientiæ? ſed dementiæ.

Reſp. diſt. Ant. reperti ſunt Viri ſapientiſſimi ſapientia carnali & mundana, qui &c. tranſeat: ſapientiſſimi ſapientia ſpirituali & à terrenis defœcata: N. illi enim (ſi ipſis fuerint debitè propoſita Fidei objecta, ut ſupponendum eſt) fuerunt rebelles lumini, magis diligentes tenebras quam lucem, idque vel ex præventione, vel ex paſſione, vel ex inſufficienti attentione, vel ex vano Chriſtianarum auſteritatum timore, vel etiam quia ob peccata privati fuere lumine efficaci, juxta illud Apoſt. 2. ad Corinth. 4. *Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti.*

Obji. 2. Si Fidei noſtræ myſteria eſſent evidenter credibilia, eſſent evidenter vera, adeoque clara, cùm tamen Fidei objectum ſit eſſentialiter obſcurum.

Reſp. diſt. Ant. eſſent evidenter vera propter rationes intrinſecas in ipſis myſteriis effulgentes: N. propter rationes extrinſecas: C. ſed hæ licèt evidenter oſtendant Fidei myſteria ſubſiſtere, non tamen ipſa clarificant, ſicque remanerent in ſe obſcura: unde Fidei motiva non afficiunt immediatè myſteria, ſed revelationem divinam, ſeu oſtendunt eſſe à Deo revelata.

Obji. 3. Si articuli Fidei eſſent evidenter credibiles, vix ullus eſſet hæreticus. Prob. aſſumpt. quia evidenter credibili ſufficienter propoſito, neceſſariò aſſentimur.

Reſpondeo N. aſſumptum, cujus prob. diſt. evidenter credibili ab intrinſeco, neceſſariò aſſentimur: C. evidenter credibili ab extrinſeco, ſeu propter motiva tantùm extrinſeca; N. quia tale objectum eſt adhuc in ſe obſcurum, & ſic ad credendum requiritur ulteriùs imperium voluntatis, & quidem gratia præventæ.

CONCLUSIO II.

VArii varia referunt credibilitatis motiva; ſed præcipua videntur ſequentia.

Primum eſt Religionis noſtræ antiquitas, quæ movere deberet tum Infideles, tum Hæreticos: Infideles quidem, quandoquidem eorum Religio vel potiùs Idololatria ſit nova, adeoque ſuſpecta, poſſitque probari initium habuiſſe à diabolo, vel ab homine perverſo; cùm noſtra ſit tam antiqua quàm mundus ipſe, ipſamque inſpiraverit Deus primo Parenti, juxta illud ſapientiæ 10. *Eduxit illum à delicto ſuo, & dedit illi virtutem continendi omnia.* Quæ poſteà mediantibus Patriarchis, Judicibus, Prophetis, deſcendit uſque ad Chriſtum, & deindè per Apoſtolos eorumq; ſucceſſores ad hæc tēpora, ſemper eadem, ſemper integra incolumis; cùm ſēper fuerit Fides Dei unius & trini, imò & incarnati, ſaltem implicita. Hæreticos verò, præſertim modernos; cùm aſſignari poſſit tempus, quo ſub prætextu reformationis à Religione vera ad falſam tranſierunt. Enim verò, Calviniſta, interroga patres tuos, & dicent tibi ſe realitatem Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia credidiſſe: interroga Majores tuos, Lutherane, & annuntiabunt tibi, ſe non fuiſſe impanatores, ſed credidiſſe, ſicut credimus nos, & crediderunt Apoſtoli, omneſque veri Chriſtiani. Reformationem obtrudis; ſed quæſo, in quo deficimus? quando defecimus? an aliud tenuerunt Apoſtoli circa Euchariſtiæ myſterium, quàm teneant Catholici moderni? ſi id affirmas, adeoque Apoſtolos vel negaſſe Chriſti realitatem in Euchariſtia ſecundum Calvinum, vel fuiſſe impanatores ſecundum Lutherum, tempus aſſigna in quo ab illa Fide Patrum noſtrorum receſſimus? quòd cum facere non poſſis, conclude eandem eſſe noſtram & Apoſtolorum Fidem, adeoque Religionem noſtram utpote antiquam eſſe veram, tuam verò utpote novam eſſe falſam; cùm potior ſit in jure, qui prior eſt tempore, ut habet regula juris.

2. Eſt Religionis noſtræ ſtabilitas, quam nec Barbarorum rabies, nec tormentorum vis, nec perſecutionum tempeſtas, nec munerum aut dignitatum tentatio, nec porta inferni, imò nec tota diabolorum machina potuit evertere; imò tantò fuit glorioſior Catholicorum triumphus, quantò fuit crudelior oppugnantium exceſſus; & quo magis ſatagebant tyranni Martyrum ſanguine Fidem noſtram extinguere, eo magis accendebatur, creſcebat, & multiplicabatur, cum eorum confuſione. Quod egregiè ipſis improperat Tertullianus, eos his verbis alloquens in Apolog. contra Gentes in fine: *Plures efficimur, quoties metimur à vobis: ſemen eſt ſanguis Chriſtianorum.* Aliorum autem Sectæ aut Religiones ſemper mutationi, inconſtantiæ, & variationi expoſitæ. Et certè, ubi jam Ariani, Pelagiani, Manichæi, Monothelitæ? ubi Genuini Anabaptiſtæ, Tremuli, Calviniſtæ, Lutherani? imò ubi priores Janſeniſtæ? tanta irrepſit in eorum dogmatibus, ſectis & opinionibus diverſitas, ut non ſolùm Lutheranus à Calviniſta, ſed Calviniſtæ, Lutherani, Janſeniſtæ inter ſe differant in materia Fidei, quod ſignum eſt apertum falſitatis. Lege Variationes Illuſtriſſ. D. Bouſſet Epiſcopi Meldenſis, & convinceris.

3. Eſt prodigioſa multitudo miraculorum in confirmationem Fidei noſtræ, à Chriſto, ab Apoſtolis, ab innumeris Sanctis patratorum: enimvero quot muti, ſurdi, cæci ſenſum receperunt, quot claudi greſſum, quot infirmi ſanitatem, quot mortui vitam? hinc ſedata maris tempeſtas, illinc fugati dæmones, iſthinc ardor ignis compreſſus: modò redditur aqua calcabilis, modò ſolis precibus mons de loco transfertur; modò baculus aridus creſcit in arborem virentem. Adde plura Sanctorum corpora poſt ducentos, aut trecentos annos adhuc integra, mollia & flexibilia. Quòd ſi hæc prodigia negaveris, novum prodigium ingeris, nempè quòd innumeri homines terreni, carnales, ſuis ſuperſtitionibus addicti, nullis viſis ſignis aut prodigiis, amplexati ſunt Religionem carni, ſanguini & cupiditatibus omninò adverſantem, ubi prædicatur Deus crucifixus, ubi præcipitur peccatorum confeſſio, amor inimicorum, divitiarum contemptus, corporis mortificatio.

4. Eſt ſtupenda Fidei noſtræ propagatio: quid enim mirabilius, quàm quòd piſcatores, plebei, rudes, illiterati, indigentes, contempti, non armando, non pugnando, non vim inferendo, non divitias, honores, aut ſenſualia proponendo, ſed perſonam divinam incarnatam, flagellatam, crucifixam, mortuam prædicando, ſolaque inviſibilia & à ſenſibus remota promittendo, potuerint homines ſapientiſſimos, & potentiſſimos, imò & ferè totum mundum ad Catholicam Religionem amplexandam inducere; idque carne & ſanguine, mundo & dæmone reluctantibus, ac ipſis Idolorum Miniſtris contraſuadentibus.

5. Eſt doctrinæ Catholicæ puritas: in ea enim docetur Charitas Dei & proximi, paſſionum refrænatio, ſenſuum mortificatio, amor honeſti, fuga inhoneſti, terrenorum contemptus, divinorum amplexus, vitiorum deteſtatio, virtutum exercitatio: in ea nihil niſi ſanctum, ſublime, divinum: in ea juvenes & virgines relictis parentibus, contemptis honoribus, & divitiis, ſpretis carnis & mundi illecebris ac voluptatibus, uni Deo tanquam Angeli famulaturi, vitam pauperem, deſpectam, ſolitariam & monaſticam amplexantur.

6. Eſt aliarum Sectarum errores aperti: apud aliquos enim coluntur tanquam dii animalia ſordida, imò & dæmones: apud alios promittitur, tanquam merces laboris, porcorum fœlicitas, quæ cibo & libidine conſtat: apud alios fingitur animarum tranſmigratio: apud alios alia, ſola hominis cogitatione indigna proponuntur. Sed quid hæretici moderni? Quid Calviniſtæ? Præcepta Decalogi impoſſibilia aſſerunt, Deum peccati authorem faciunt, tollunt ab homine libertatem, à bonis operibus meritum apud Deum, ſolamque Fidem requirentes, liberius peccandi occaſionem ingerunt. Quid Lutherani? Ultra quod nonnullis ex præfatis erroribus inficiantur, volunt infantibus,

dum

Digitized by Google

dum baptiʒantur, infundi lumen rationis, ac pro tunc credere, ſperare, ac amare, cùm tamen videant infantes pro tunc ejulare, clamare, imò, quantùm poſſunt ablutioni Sacramentali ſe opponere.

7. Eſt manifeſta ultio cœleſtis in eos, qui Chriſtianam Religionem impetierunt. Et certe nunquid Pilatus, qui hujus authorem condemnaverat, ſibi mortem intulit? nunquid etiam nunc Judæi, crucifixo à ſeptemdecim ferè ſæculis fidei noſtræ conſummatore, vagantur in orbe ſine duce, ſine Eccleſia, ſine Judice, ſine Sacerdote, ſine Sacrificio, ſine terra? nunquid Nero Chriſtiani Sanguinis crudeliter prodigus ſeipſum interemit, exclamans *turpiter vixi, turpius moriar*? Nunquid Decium abſorpſit terra, Maximianum laqueus, Severum hauſtus veneni, Adrianum ſanguinis fluxus, Julianum Apoſtatam vermium corroſio? Sed quid Hæreſiarchæ? In latrina communi animam cum viſceribus ſordidè emiſit Arius, conſumptus colica, calculo, podagra, aſmate, pthiſi, emicrania ac tandem ſordido vulnere; expirat blaſphemans & dæmonem invocans Calvinus, ſi Belzeo credimus. Lutherus ad latus Monialis à ſe corruptæ repentina morte corripitur. A dœmone in terram colliſus, effuſis hinc inde viſceribus, impiam animam effudit Bucerus. Deſperatione periit Carloſtadius, Bello Zuinglius. Alii aliis modis miſerabiliter perierunt.

His motivis adde Sybillarum oracula, Prophetarum vaticinia, Gentilium, Judæorum, Mahumetanorum teſtimonia imò & ipſorummet dœmonum confeſſionem; adde tantam Martyrum pro defendenda Fide noſtra multitudinem, ut ſingulis diebus aſſignari poſſint pluſquàm tria millia. Poſt hæc cum Pico Mirandulano conclude. *Magna inſania eſt Euangelio non credere, cujus veritatem ſanguis Martyrum clamat, Apoſtolicæ reſonant voces, prodigia probant; ratio confirmat, elementa loquuntur, & dæmones confitentur*: conclude & cum Richardo à S. Victore; lib. de Trinit. c. 2. *Domine ſi error eſt, à te decepti ſumus: nam iſta in nobis tantis ſignis & prodigiis confirmata ſunt, & talibus, quæ nonniſi per te fieri poſſunt.*

ARTICULUS II.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

RESol. 1. Cæterarum Sectarum inſtituta non eſſe prudenter credibilia; cùm enim, teſtante Apoſtolo Epheſ. 4. ſit *unus Deus, una Fides, unum Baptiſma*, adeoque unica Religio, ſicut eſt una vita, una via, una veritas, qui eſt Chriſtus, manifeſtum eſt illam unicam Religionem eſſe prudenter amplectendam, quæ pro ſe longè majora habet credibilitatis motiva, ſed nulla alia Religio talia motiva habet ſicut noſtra, imò ne unicum quidem fundamentum reperies apud alios: ergo Paucos oppones, qui pro ſuſtinendis ſectæ ſuæ dogmatibus mortem ſubierunt, ſed ultra quod fuerit ſuperbia, obſtinatio, pertinacia, omni ratione & fundamento ſolido deſtituta, tibi contra unicum Pſeudo-martyrem centum millia opponemus verorum Martyrum: unde meritò hanc propoſitionem condemnavit Clerus Gallic. Anno 1700. *Evidens non eſt, quod omnium Religionum, quæ in terris exiſtunt, veriſimillima ſit Chriſtiana.*

Reſol. 2. Falſum eſſe dictum illud hæreticorum, poſſe quemlibet in ſua Secta ſalvari: cùm enim, ut diximus, ſit unica Fides, ſequitur omnes illos, qui in illa unica non ambulant, in tenebris ambulare, cùm ſequantur id, quod ipſis non præventis potius apparet falſum, quam verum: fundant ſe quidem in eo hæretici plurimi, quòd Deum credant & Chriſtum; ſed quid tum? Deum & Chriſtum agnoſcebant Galatæ, & tamen quia Circumciſionem ad ſalutem neceſſariam credebant, dicit ipſis Apoſt. cap. 5. *Si circumcidamini Chriſtus vobis nihil proderit*: nihil igitur vobis proderit Chriſtus, o Calviniſtæ, ſi ipſum in Euchariſtia realiter exiſtentem non creditis: nihil vobis, o Lutherani, ſi impanationem non rejicitis; nihil vobis heterodoxi quilibet, ſi vel in unico Fidei articulo deficitis.

Reſol. 3. Immeritò obtrudere hæreticos Catholicis eorum Sectas condemnantibus, illud Luc. 6. *Nolite judicare, & non judicabimini*, cùm judicium noſtrum ob rationes articulo præced. relatas, non ſit temerarium; ſed prudentiſſimè fundatum. Præterea non judicamus eos, ſed judicium ab ipſomet Chriſto jam prolatum referimus: *Qui non credit jam judicatus eſt*. Joan. 3. qui autem uni articulo credit, & alteri diſcredit, nulli fide divina credit; vel potiùs ſibi credit, & non Deo. Unde Aug. l. 17. contra Fauſt. cap. 3. *Qui in Euangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potiùs, quam Euangelio creditis.*

Reſol. 4. Frivolam eſſe objectionem illorum, qui dicunt in tanta Religionum diverſitate vix poſſe unam eligi, ſaltem à rudioribus, cùm cuilibet veritatem in ſimplicitate cordis quærenti, noſtra prima fronte appareat longè veriſimilior: unde non credimus hæreticum, cui Religio noſtra propoſita eſt, poſſe credere fidenter Sectam ſuam eſſe veram.

ARTICULUS III.

An fidei articuli ſint neceſſariò obſcuri?

CONCLUSIO I.

ARticuli fidei, ſeu propoſitiones revelatæ ſunt neceſſariò obſcuræ, ita ut ſi videantur, ac ſciantur, deſinant eſſe articuli Fidei. Eſt Scot. 3. diſt. 23. q. unica dicentis, non poſſe eſſe fidem & ſcientiam de eodem objecto, eò quòd objectum ſcientiæ debeat eſſe evidens, & objectum fidei inevidens, ſeu obſcurum. Eſtque communis.

Prob. 1. Ex Script. quæ Fidem vocat Hebr. 11. *Argumentum non apparentium*; atqui quod non apparet obſcurum eſt: ergo Et ideò *videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*, 1. Corinth. 13.

Prob. 2. Ex SS. PP. Greg. homil. 26. in Euangelia: *quæ apparent, jam fidem non habent, ſed agnitionem*. Aug. Tract. 40. in Joan. *Quid eſt fides, niſi credere quod non vides?* Et Tract. 68. *Si vides, non eſt Fides.*

Prob. 3. Ratione. Ideò, ſecundùm PP. dicuntur Beati non habere Fidem in cœlo, quia vident facie ad faciem, quod nos videmus in ænigmate, ſeu vident clarè, quod nos cognoſcimus obſcurè, ſed illa ratio nulla eſſet ſi objectum Fidei poſſet eſſe viſum, aut evidens. ergo

Prob. 4. Quia qui rem evidenter cognoſcit, non aſſentitur illi propter authoritatem dicentis, ſed propter ipſiuſmet rei evidentiam.

Dices 1. S. Thomas palpando Chriſti vulnera, credidit quod videbat: ergo

Reſp. Neg. Ant. Quia, ut ait Aug. Tract. 79. in Joan. *Non hoc credidit quod vidit, ſed aliud vidit, aliud credidit: vidit enim hominem, credidit Deum.*

Inſt. Credidit Thomas Chriſti Reſurrectionem, de qua anteà dubitaverat; & conſequenter cùm videret vivum, quem anteà viderat crucifixum & mortuum, credebat quod videbat.

Reſp. Neg. aſſump. Non enim credidit Thomas Reſurrectionem; ſed ſcivit, & hujus ſcientia experimentali habita, credidit eum, quem videbat hominem, eſſe Deum, & ideo dixit: *Dominus meus, & Deus meus.*

Inſt. 2. Id credidit Thomas, de quo dubitaverat, ſed tantùm de Chriſti Reſurrectione dubitaverat: ergo

Reſp. Neg. Min. Videns enim Chriſtum crucifixum & mortuum dubitavit, an eſſet Deus, donec, viſa ipſius Reſurrectione, contrarium credidit. Et certè ſi tantùm dubitaſſet de Reſurrectione, ad quid dixiſſet verba illa: *Dominus meus, & Deus meus*, ut oſtenderet ſe credere Chriſti Reſurrectionem; cum ne vel umbram talis fidei præferant.

Inſt. 3. Chriſtus addens poſteà. *Beati qui non viderunt & crediderunt*, ſatis inſinuat Thomam credidiſſe quod viderat; ſed non viderat Divinitatem, ſed Reſurrectionem: ergo Fides Thomæ fuit circa Reſurrectionem, non circa Divinitatem.

Reſp. Chriſtum tantum velle dicere: quia vidiſti, Thoma, me propria virtute potuiſſe reſurgere, credidiſti me Deum: Beati verò qui id non viderunt, & me Deum crediderunt, quia majus habent Fidei ſuæ meritum.

Inſt. 4. B. Virgo & Apoſtoli crediderunt Symbolum fidei, cùm ſit ab omnibus credendum, ſed B. Virgo ſcivit experimentaliter ſe concepiſſe ſine virili ſemine, ſcivit & vidit, ſicut & Apoſtoli Chriſtum in cruce morientem, reſurgentem, in cœlos aſcendentem &c. juxta illud 1. Joan. cap. 1. *quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus &c.* Ergo.

Reſp. Cum Scot. 3. diſt. 24. n. 21. quòd Apoſtoli (idem eſt de B. V.) qui viderunt Chriſtum in cruce; *non crediderunt pro tunc nec unquam poſtea recogitando illius crucifixionem, habuerunt Fidem de ea ......habebant tamen habitum quo illud credidiſſent, ſi non vidiſſent*. Fides autem actualis illorum myſteriorum quæ clarè viderant, non erat reſpectu illorum obligatoria, utpote impoſſibilis. Vel certè, ſi vis, etiam illorum myſteriorum Fidem habuiſſe, dic cum Doct. Seraph. 3. diſt. 24. art. 2. q. 1. aliud vidiſſe & aliud credidiſſe, vidiſſe quidem hominem, & credidiſſe hominem Deum concipi, mori, crucifigi, reſurgere &c.

Dices 2. Tenetur quilibet credere Fide divina exiſtentiam Dei, juxta illud Apoſtoli Hebr. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum quia eſt*; ſed doctis eſt omninò evidens per demonſtrationem: ergo

Reſp. Diſt. Ma. tenetur quilibet credere Fide divina exiſtentiam Dei, ut authoris naturæ: N. nam ut ſic eſt objectum ſcientiæ naturalis, ſaltem Deum ex effectibus evidenter cognoſcentis: ut authoris gratiæ: C. ſed ſub tali reſpectu non eſt, etiam Philoſopho doctiſſimo, objectum evidens. Datur ergo omnibus præceptum tum ex Symbolo; tum ex illo Apoſtoli, credendi

Deum ut authorem gratiæ; quia notitia illa præparat & requiritur ad juſtificationem, ſed cùm notitia exiſtentiæ Dei ut authoris gratiæ præſupponat cognitionem exiſtentiæ Dei ſimpliciter, datur & præceprum iis, qui exiſtentiam illam non norunt lumine naturali, ut cognoſcant lumine Fidei tanquam quid præambulum & neceſſarium ad cognitionem exiſtentiæ Dei ut authoris ſupernaturalis.

Dices 3. Ex noſtra ſententia ſequitur ignorantiam eſſe feliciorem ſcientia, quandoquidem homo rudis poſſit habere Fidem de Dei exiſtentia, quam non poteſt habere homo litteratus, Deum agnoſcens lumine naturali: imò ſi de Dei exiſtentia aliquando fidem habuerit, illam perdit, ubi per demonſtrationem Deum agnoſcit.

Reſp. Ex omnibus jam aliatis, quæ vera ſunt, non ſequi fœliciorem eſſe hominem rudem, quàm doctum; cùm hic idem meritum habeat ac ille, non quidem propter aſſenſum Fidei, cùm non habeat, ſed propter affectum credendi, ſi evidentiam non haberet. Aſſenſus quidem indocti circa Dei exiſtentiam videtur certior, cùm nitatur motivo certiori, nempè teſtimonio Dei revelantis, ſed cùm doctus etiam noverit id eſſe revelatum (licèt non aſſentiatur propter revelationem, ſed propter evidentiam) ſequitur eſſe æquè aut ferè æquè certum. Prætereà minoritatem certitudinis, ſi quæ ſit, compenſat ſufficienter evidentia cognitionis, quæ non eſt in aſſenſu fidei. Ex dictis

Reſol. 1. Non poſſe eſſe in eodem intellectu de eodem objecto ſcientiam & fidem, cùm ſcientiæ objectum debeat eſſe evidens; fidei verò inevidens; idem autem ſecundùm idem non poſſit eſſe evidens & inevidens.

Reſol. 2. Non ſtare replicam adverſariorum dicentium ſufficere ad Fidem quòd aſſenſus fiat propter teſtimonium dicentis, licèt objectum ſit in ſe evidens; quia ſi propriæ experientiæ credimus, ſtatim fatebimur nos non aſſentiri objecto evidenti ob dictum alterius, ſed propter ipſiuſmet objecti evidentiam: & certè ſi quis mihi ſolem videnti dicat: ortus eſt ſol, an credam quia alter dicit, an non quia video? Utrum autem poſſit divinitus circa idem objectum eſſe ſimul Fides & ſcientia, ſeu an eodem tempore poſſim objecto evidenti aſſentiri propter ipſius evidentiam, & propter dictum alterius? De hoc diſputant Logici, illos conſule.

CONCLUSIO II.

Rei revelatæ obſcuritas non eſt de ratione formali objecti, ſed eſt tantùm conditio requiſita ad Fidei aſſenſum.

Prob. 1. Quia ratio formalis objecti eſt id quod movet potentiam ad actum; ſed obſcuritas rei revelatæ non movet intellectum noſtrum ad aſſenſum Fidei, cùm potiùs illum retrahat & retardet: ergo.

Prob. 2. Quia ſicut voluntas fertur in objectum quia bonum, ita intellectus fertur in illud quia verum; ſed objectum non creditur verum quia obſcurum, inevidens, aut non viſum, ut per ſe patet: ergo &c.

Prob. 3. Illud eſt objectum formale Fidei, quod tribuit ejuſdem objecto materiali veritatem infallibilem; ſed illam non tribuit obſcuritas, ſeu inevidentia, cum potius præferat apparentiam falſitatis, aut ſaltem inducat dubium de veritate: ergo. Inde concludendum eſt, obſcuritatem tantum eſſe conditionem neceſſariò concomitantem objectum Fidei materiale, non autem ingredientem objectum formale; quandoquidem non aſſentiamur revelatis, quia Deus obſcurè revelat, ſed quia revelat veraciter & infallibiliter.

Dices: Claritas eſt objectum formale ſcientiæ: ergo obſcuritas objectum formale Fidei, cùm per hoc opponantur.

Reſp. neg. conſeq. Diſparitas eſt, quòd claritas, utpotè perfectio, movere poſſit intellectum ad aſſenſum, obſcuritas verò, cum ſit imperfectio & defectus, non moveat, ſed potius removeat.

Inſt. 1. Oppoſitorum oppoſita debet eſſe ratio; atqui ſcientiæ objectum formale eſt claritas: ergo Fidei objectum formale obſcuritas.

Reſp. diſt. Maj. oppoſitorum in omnibus, oppoſita debet eſſe ratio: tranſeat. Oppoſitorum tantùm in aliquibus &c. N. jam autem objectum formale ſcientiæ & Fidei non opponuntur, cùm ſcientiæ objectum formale ſit rei claritas ſeu evidentia; Fidei autem, non rei obſcuritas, ſed teſtimonium Dei revelantis præſupponens in articulo revelato obſcuritatem tanquam conditionem.

Inſt. 2. Illud eſt objectum formale actus, quod diſtinguit actum ab omni alio; ſed obſcuritas diſtinguit Fidem ab omni alio: ergo.

Reſp. 1. Neg. Min. Quia in opinione reperitur etiam quædam obſcuritas.

Reſp. 2. Majorem univerſaliter eſſe falſam; quandoquidem diverſitas actuum etiam petatur ex modo tendendi in objectum, ex objecti materialis qualitatibus &c.

Reſp. 3. Cùm obſcuritas, utpotè negatio, non poſſit eſſe ſpecificativum Fidei, etiam nequit eſſe diſtinctivum ejuſdem à quolibet alio, cùm idem ſit in re diſtinctivum & ſpecificativum.

ARTICULUS IV.

An Fidei articuli ſint neceſſariò veri?

In idem redit, ſi quæratur, an id quod Deus revelat, ſit ita verum, ut non poſſit ei ſubeſſe falſum? Item, an homo poſſit credere Fide divina tanquam verum, quod eſt de facto falſum?

CONCLUSIO I.

Nunquam Deus poteſt revelare falſum, & conſequenter omnes Fidei articuli ſunt neceſſariò veri. Eſt communis & certa inter Catholicos.

Prob. 1. Ex Script. Numer. 23. *Non eſt Deus quaſi homo ut mentiatur.* Et Hebr. 6. *Impoſſibile eſt mentiri Deum*, atqui ſi poſſet revelare, poſſet mentiri, cùm ſint ſynonima: ergo.

Prob. 2. Ex PP. Athan. lib. de Incarnat. Verbi: *abſurdum eſt dicere Deum poſſe mentiri*, Chryſ. hom. 1. in Symbol. *aliqua non poteſt* (Deus) *utpotè falli, fallere, mentiri &c.* Anſel. l. 1. *Cur Deus homo* c. 12. *nequaquam poteſt velle mentiri voluntas, niſi in qua corrupta eſt veritas.* Aug. lib. 1. de Symb. ad Cathecum. c. 1. *Deus .... mori non poteſt, falli non poteſt, mentiri non poteſt.* Idem habent Dionyſ. Bernardus & alii.

Prob. 3. Ratione; quia Deus eſt ſumma veritas, ſicut eſt ſumma ſanctitas; atqui ſumma ſanctitas non poteſt peccare: ergo nec ſumma veritas fallere, aut falſum dicere, cùm opponatur mendacium veritati, ſicut ſanctitati peccatum.

Confirm. 1. Quia ſi Deus falſum revelaret, eſſet vel ex ignorantia, vel ex malitia: non ex ignorantia, cùm ſit omniſcius: non ex malitia, cùm ſit eſſentialiter bonus: ergo

Confirm. 2. Quia ſi Deus poſſet falſa revelare, nulla eſset apud nos Scripturæ authoritas, cùm dubitare poſsemus, an non falſa eſſent, quæ ibidem proponuntur.

Objic. 1. Deus falſum revelavit per ſuos Prophetas, qui tamen loquebantur in ejus perſona Prob. Ant. dixit Jonas cap. 3. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*, & tamen non fuit ſubverſa, Dixit Iſaias Ezechiæ 4. Reg. cap. 20. *Morieris tu, & non vives*, & nihilominus adhuc vixit per 15. annos.

Reſp. Neg. Ant. Ad 1. probationem dico, prædictionem Jonæ fuiſſe conditionatam, id eſt, niſi pœnitentiam agerent Ninivitæ: quam cum fecerint, ſubverſio non eſt ſecuta.

Ad 2. Reſp. Iſaiam voluiſse Ezechiæ moriendum eſse, attenta corporis diſpoſitione morbi violenta, cauſarum ſecundarum concurſu, & ſecluſo miraculo, per quod ejus vita prolongata eſt.

Obji. 2. Deus decepit Principes & Pſeudo-Prophetas: ergo Prob. Ant. quia Job 12. dicitur: *qui immutat cor Principum...... & decipit eos......& errare eos facies quaſi ebrios*: & Ezech. 14. *Ego dominus decepi prophetam.*

Reſp. Neg. Ant. ad Prob. dico Deum quoſdam decipere, non poſitivè quaſi verò infunderet ipſis ſpiritum erroris, aut mendacii; ſed vel negativè, ſubſtrahendo ſapientiæ lumen, vel effectivè impediendo effectum rerum quas prædixerant, idque ad eorum confuſionem, vel etiam permiſſivè, ſicut dicitur quoſdam indurare, excæcare &c.

Obj. 3. Mendacium non eſt intrinſecè malum: ergo Deo non repugnat falſum dicere. Prob. Ant. quia Scriptura certis caſibus laudat mentientes, ut Rahab meretricem, quæ exploratores celaverat, falſum civibus imponendo, Judith, quæ Holofernem decepit, & interfecit Obſtetrices, à quibus decepto Pharaone, ſervati ſunt Hebræorum pueri.

Reſp. Scripturam nullibi laudare mendacium, ſed benè Charitatem, aut aliam virtutem eorum, qui mendacio uſi ſunt. Adde quòd licèt à mendacio excuſari non poſſunt, Rahab & Obſtetrices, Judith tamen excuſat Auguſtinus in 2. Decal. Præcept. De Reſtrictione mentali.

Objic. 4. Deus quandoque præcipit mendacium, ut dum quis credit bona fide ſe debere mentiri, ad ſalvandam vitam proximi.

Reſp. Neg. aſſumpt. Quia tunc præceptum divinum naturale præcipit, ut ſequamur ductum rationis, & quidem in eo caſu, in quo mendacium non apparet peccatum. Plura in Tract. de conſcientia.

Obj. 5. Deus poteſt facere oppoſitum ejus, quod revelavit: ergo

Reſp. Diſt. Ant. poteſt facere oppoſitum in ſenſu compoſito revelationis: N. aliàs mentiretur: in ſenſu diviſo, ſeu poſſet

facere

facere oppoſitum, ſi illud nec revelaſset, nec ab æterno decreviſset: C. Ex dictis

Reſol. 1. Nec poſse Deum per alium mentiri. Ratio eſt; quia vel ille alius referret quod à Deo didicit, vel aliud: ſi primum, alio mentiente, mentiretur & Deus, cùm uterque idem enuntiaret: ſi ſecundum mentiretur alius, & non Deus.

Reſol. 2. Non poſse etiam infundi à Deo habitum erroris; quia cùm habitus ille inclinet per ſe ad falſum, cenſeretur & Deus velle ad falſum inclinare: quod ſummè repugnat primæ Veritati.

Reſol. 3. Similiter implicare, ut Deus ſit nobis cauſa aſsenſus falſi ut falſi. Ratio eſt: quia ſicut non poteſt eſse cauſa actus mali ut mali, quia ſumma Bonitas ità non poteſt eſse cauſa aſſenſus falſi ut falſi, quia ſumma Veritas.

CONCLUSIO II.

NOn poteſt homo credere Fide divina propoſitionem falſam, etiamſi credat invincibiliter eſse veram. Eſt communis & certa.

Prob. 1. Ex Trid. Seſs 6. cap. 9. dicente: *Fidei non poteſt ſubeſſe falſum.* 2. Ex S. Thoma 2. 2. q. 1. art. 3. ad 3. *Poſſibile eſt ex conjectura humana hominem fidelem falſum aliquid æſtimare, ſed quod ex fide falſum æſtimet, hoc eſt impoſſibile.* 3. Ex Scoto Quodlib. 14 N. 17. *Fides infuſa non poteſt inclinare in aliquod falſum.* 4. Ratione. Nullus habitus fertur, aut inclinat extra objectum ſuum formale, ſed objectum formale Fidei eſt veritas ut à Deo revelata: ergo non poteſt ferri aut inclinare in falſum. 5. Non poteſt Deus inclinare ad falſum ut diximus; ſed ſi Fides inclinaret quandoque hominem ad credendum falſum, hoc à Deo proveniret, cùm ab ipſo ſolo ſit Fides: ergo. 6. Lumen Fidei eſt quædam participatio divini luminis, & quaſi inchoatio luminis beatifici, ergo ſicut mediante lumine divino aut beatifico non poteſt attingi falſum, ita nec mediante lumine Fidei. Et ideo ſi quandoque feratur homo in aliquid falſum, credens invincibiliter eſse revelatum, illud credit fide humana non divina.

Obj. 1. Sicut fides habet pro objecto revelatum, ita intellectus verum, & voluntas bonum; ſed poteſt intellectus ferri in apparenter verum, & voluntas in apparenter bonum: ergo & Fides in apparenter revelatum.

Reſp. Objectum intellectus eſt eſse quidem *verum*, & voluntatis *bonum*, ſed tam apparens, quàm reale; objectum autem Fidei, id quod eſt realiter *revelatum*, & conſequenter non ſufficit quòd proponatur ab intellectu ut revelatum ſi à parte rei non ſit tale.

Inſt. Objectum Charitatis, quæ eſt etiam virtus Theologica, poteſt eſse bonum apparens (ſic poſsum amare hypocritam quem credo ſanctum; dare eleemoſynam diviti quem exiſtimo pauperem) ergo & objectum Fidei apparenter revelatum.

Reſp. Neg. conſeq. Diſparitas eſt quòd motivum Charitatis ſit bonitas per intellectum propoſita; & ideo cùm poſſit malum aut indifferens proponere ut bonum, non eſt mirum quòd bonum apparens poſſit eſse objectum charitatis; motivum autem Fidei eſt prima veritas, de facto revelans, quod non reperitur, ubi creditum, eſt falſum, licèt apprehendatur ab intellectu ut verum.

Obj. 2. Actus, quo Judæi pridie Nativitatis credebant Chriſtum venturum, erat verus, & poſtridie Nativitatis erat falſus, quia jam venerat: ergo &c.

Reſp. Diſt. Ant. pro 2. parte; erat falſus actus quo credebant Chriſti Nativitatem, N. actus quo credebant futuram: C. ſed non erat actus Fidei. Quod ut melius intelligatur

Advertendum duos actus interveniſſe pridie Nativitatis, unum quo credebant Chriſti Nativitatem ſecundùm ſe, & alterum quo credebant futuram, uterque erat verus, & Fidei; quia & Nativitas & ejus futuritio erant tunc revelata, & etiam duos interveniſſe poſtridie, unum circa ſubſtantiam Nativitatis, & alium circa temporis circumſtantiam: prior erat verus & Fidei, & quidem indiſtinctus à primo è duobus ante Nativitatem, cum idem haberet objectum revelatum: poſterior falſus & Fidei humanæ, quia tunc non erat revelata futuritio Nativitatis, ſed præteritio.

Objic. 3. Tenemur ex Fide credere Chriſtum eſſe in hoſtia poſt verba conſecrationis; ſed quando deſuit intentio in Miniſtro, non eſt ibi Chriſtus: ergo. Fide credimus falſum.

Reſp. Dict. Maj. Tenemur abſolutè: N. ex ſuppoſito quod ritè facta ſit conſecratio: C. quia autem ordinariè ſic fit, ideo ſemper credimus, licèt actus noſter non ſit Fidei, ubi de facto non eſt Chriſtus.

Objic. 4. In hoc ſyllogiſmo: *ubi eſt unica natura, unica eſt & perſona, ſed in Deo unica eſt natura. ergo & unica perſona*, concluſio eſt falſa; atqui ad hanc inclinat una præmiſſa de Fide, nempè Minor: ergo

Reſp. Diſt Min. Ad hanc inclinat una præmiſſa de Fide, credita fide divina: N. credita fide humana: C. cùm enim quis credendo Majorem univerſaliter, fiat hæreticus, perdatque Fidem infuſam, credit Minori fide humana, & ſic tantùm aſſenſus naturalis inclinat ad concluſionem.

Inſt. Saltem in hoc ſyllogiſmo: *Omnis homo eſt irrationalis: ſed Chriſtus eſt homo: ergo Chriſtus eſt irrationalis*; Minor creditur Fide divina, cùm Major non ſit hæretica, ſed naturaliter falſa.

Reſp Minorem credi quidem Fide divina, ſed cùm objectum concluſionis non ſit revelatum, utpote falſum, aſſenſus Minoris non influit in concluſionem, quatenus fide divina creditus, ſed præcisè quatenus creditus.

Obj. 5. Parocho ex ignorantia aut malitia proponenti aliquid falſum, tanquam de Fide, tenentur Parochiani credere, ubi de contrario non dubitant: ergo

Reſp. Diſt. Ant. Tenentur credere Fide divina: N. hoc enim eſt ipſis impoſſibile, cùm Fides divina tantùm feratur in revelatum: tenentur putare ſe credere Fide divina: tranſeat. Cùm enim putent propoſitum à Parocho eſſe revelatum, debent ſe gerere circa illud eodem modo, ac ſi eſſet revelatum, ſed ibi nihil contra nos.

ARTICULUS V.

An articuli Fidei poſſint extendi?

SEnſus quæſtionis eſt, an articuli Fidei ſucceſſu temporis poſſint accreſcere, ità ut nunc ſint plures veritates credendæ, quàm à mille annis? plures in Lege nova, quàm veteri? Ante reſolutionem.

Suppono, Fidei articulos accreviſſe quoad modum credendi: nam primò multa credenda ſunt explicitè in lege nova, quæ tantùm implicitè credebantur in Teſtamento veteri, ſaltem à communi populo, eò quòd ipſis tantùm involutè proponerentur, ut Myſterium Trinitatis, plures circumſtantiæ Incarnationis: undè Apoſt. Epheſ 3. *Aliis generationibus non eſt agnitum filiis hominum, ſicut nunc revelatum eſt Sanctis Apoſtolis ejus & Prophetis in Spiritu.* Secundò clariùs & apertiùs exponuntur aliqua Fidei Myſteria Chriſtianis, quàm fuerint olim expoſita Judæis; & ideo Luc. 8. dicitur: *Vobis datum eſt noſſe Myſterium Regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Tertiò firmior eſt, cæteris paribus, Fides Chriſtianorum, quàm Judæorum; hinc S. Leo ſerm 2 de Aſcenſ. *Ut Fides excellentior eſſet ac firmior viſioni doctrina ſucceſſit*; & ideò concludit Doct. Seraph. 3. diſt. 25. art. 2. q. 2. Fidem creviſſe *quoad luminis plenitudinem, ſecundùm ſtatum communem, propter veritatis exhibitionem, propter majorem gratiæ diffuſionem, atque pleniorem inſtructionem*; ſed an creverit etiam quoad credendorum ſubſtantiam; ità ut nunc ſint plura credenda, quàm olim, hic quæritur?

CONCLUSIO I.

IN nullo Eccleſiæ ſtatu, ſive naturæ, ſive Scripturæ, ſive gratiæ, aucta eſt ſubſtantialiter Fides quoad articulos ad ſalutem neceſſarios. Eſt communis.

Prob. 1. Ex Aug. in pſal. 50. circa fin. *Ità à Sanctis Patribus diſpenſatio ſuſceptæ carnis futura credebatur, ſicut à nobis facta creditur. Tempora variata ſunt, non fides.* Et ſerm. 7 de Sanctis. *Una eſt Fides novi & veteris Teſtamenti*, Et lib. 1. Retract. cap. 13 aſſerit Religionem Chriſtianam cum mundo incepiſſe: *Res ipſa quæ nunc Chriſtiana Religio nuncupatur erat & apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quouſque ipſe Chriſtus veniret in carnem, unde vera Religio, quæ jam erat, cæpit appellari Chriſtiana.*

Prob. 2. Ex D. Leone ſerm. 3. c. 4 de Nativit. *Quod prædicaverunt Apoſtoli, hoc annuntiaverunt Prophetæ, nec ſerò eſt impletum, quod ſemper eſt creditum.*

Prob. 3. Articuli Fidei ad ſalutem neceſſarii, reſpiciunt præſertim Deum, vel ſubſiſtentem in ſua Divinitate, vel in noſtra humanitate, juxta illud Joan. 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*; atqui fuit in quolibet Eccleſiæ ſtatu Fides Dei exiſtentis & in carne venturi: *exiſtentis* quidem, cùm ſine Fide Dei exiſtentis & remuneratoris ſit impoſſibile placere Deo, multi autem in omni ſtatu Deo placuerint; *in carne venturi* autem: cùm omnium Fidelium ſpes & ſalus fuerit collata in Chriſto tanquam omnia gratiæ fonte, & Dei ac hominum Mediatore, & ideo ſic ipſum alloquitur David Pſalm. 21. *In te ſperaverunt patres noſtri, ſperaverunt & liberaſti eos. Ad te clamaverunt & ſalvi facti ſunt.*

Prob. 4. Specialiùs à tempore Apoſtolorum uſque nunc quia non poteſt dubitari quin Apoſtoli fuerint de omnibus ad

ſalutem neceſſariis plenè inſtructi, vel ab ipſo Chriſto, vel in die Pentecoſtes à Spiritu ſancto juxtà illud Joan. 16. *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. ergo quotquot ſunt nobis Fidei articuli ad ſalutem neceſſarii, fuerunt Apoſtolis revelati, & ab ipſis, Fidelibus propoſiti. Hinc

Reſol. 1. Quòd dum Eccleſia definivit contrà Arium Verbum Divinum non eſſe creaturam, ſed Deum de Deo, contrà Neſtorium, in Chriſto eſſe unicam perſonam; contra Eutychen, eſſe duas Naturas; contra Monothelitas, eſſe duas voluntates; contra Wicleffum, Calvinum & alios, Chriſtum eſſe realiter in Euchariſtia, contrà Lutherum, non remanere ſubſtantiam panis cum Chriſti corpore; contrà Janſeniſtas, Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum, gratiæ interiori quandoque reſiſti &c. non fecit novos Fidei articulos, ſed anteà in Scripturis & Traditionibus contentos, apertius manifeſtavit, explicavit, declaravit, ac deinceps de illis dubitare prohibuit.

Reſol. 2. Conciliis, & Summis Pontificibus aliquid tanquàm dogma Fidei definientibus, non infundi novas revelationes, ſed quid in Scripturis, Traditionibus, ac unanimi Patrum conſenſu contineatur inquirunt, & ubi, aſſiſtente Spiritus ſancti lumine, aliquid revelatum reperiunt, Fidelibus credendum exhibent.

CONCLUSIO II.

POteſt aliquo ſenſu ſuſtineri auctam eſſe Fidem, quoad certos articulos doctrinæ Apoſtolicæ accidentales.

Ratio eſt, quia nunc ſunt aliqua tanquam de Fide credenda; quæ non ſemper fuerunt, ne quidem implicitè credita: nam à quingentis annis nullatenus credebatur S. Franciſcum mortuum eſſe in gratia, ac frui viſione beatifica (quis enim hoc credat de homine adhuc vivente) & tamen ex quo Gregorius IX. ipſum Sanctorum catalogo adſcripſit, illa ſunt Fidei dogmata à Fidelibus credenda.

Confirm. Si Deus ſtatim ab obitu Petri revelaret ipſum in gratia eſſe defunctum, cœlitibus aſſociatum, eſſet novus Fidei articulus: cùm aliquid nunquam creditum proponeret credendum: ſed hoc ipſum fecit de innumeris Sanctis à temporibus Apoſtolorum: ergo. Prob. Min. quia dum confirmat patrata per illorum invocationem, aut Reliquiarum venerationem miracula evidentia, ab ipſis Eccleſiæ Prælatis, totoque populo approbata, quid aliud facit, quam ipſorum gloriam nobis revelare?

Dices. Hoc fuiſſe implicitè creditum in hac univerſali: omnis cujus gloriam revelat Deus per miracula evidentia, eſt Beatus. Sed

Contrà eſt, quod licèt credam, omnem docentem per 20. annos plus minuſvè in aliqua Univerſitate, eſſe Comitem Palatinum, nullus tamen dicit me credere implicitè Petrum qui intrà ducentos annos per tantum temporis docturus eſt, eſſe Comitem Palatinum, ità nec à mille annis creditum eſt S. Franciſcum eſſe Beatum.

ARTICULUS VI.

Per quos debeant proponi articuli Fidei, ut teneamur credere eſſe revelatos?

NOn quærimus hic ſicut art. 5. Quæſt. præcedentis à quo debeant proponi revelatio & revelata? an à ſpiritu privato, an à Scriptura, an à Symbolo, an ab Eccleſia, ſed ſupponendo hoc fieri ordinariè per Eccleſiam, ut ibidem diximus, inquirimus per quos de Eccleſia proponi debeant, ut credendi obligationem inducant.

CONCLUSIO I.

PEr quemlibet proponantur Fidei dogmata, inducunt obligationem credendi, ſi exhibeantur motiva credibilitatis urgentia.

Ratio eſt; quia ut quis teneatur credere aliquem articulum tanquam de Fide, ſufficit quòd videat eſſe revelatum; ſed ubi exhibentur ipſi motiva credibilitatis ità urgentia, ut non relinquatur locus prudenter dubitandi, videt ſufficienter eſſe revelatum: ergo

Dixi: *Si exhibeantur &c.* quia cùm nobis dicat Joannes Ep. 1. c. 4. *Nolite omni ſpiritui credere*: & Chriſtus Matth 7 *Attendite à falſis Prophetis*, non tenentur Fideles credere cuilibet objecta Fidei proponenti, niſi exhibeat ſufficientia credibilitatis motiva, aut niſi ſit ex officio, aut ex delegatione ad munus prædicandi, catechizandi, aut docendi Fidei dogmata deputatus. Quando tamen homo privatus aliquid exponit alteri tanquam de Fide, etſi non teneatur audiens ſtatim credere, tenetur tamen de rei veritate inquirere, & interim à judicio contrario abſtinere; quia hoc exigit vera prudentia.

CONCLUSIO II.

UT fideles pueri, aut adulti rudes teneantur credere Fidei articulos, ſatis eſt, ſi eis proponantur per parentes, vel patrinos, vel magiſtros, vel parochos, ut à Deo revelati.

Prob. De pueris; quia parentes, & præfati habent reſpectu puerorum obligationem ipſos erudiendi: ergo & habent pueri obligationem ipſis credendi, cùm illa ſint reciproca. Prob. Ant. De parentibus, de quibus dicitur Iſaiæ 38. *Pater filiis notam faciet veritatem tuam*. Patrini verò jubentur Can. *Vos ante omnia* ſuſceptos de Baptiſmo Symbolum & orationem Dominicam edocere: quod & præcipitur in diverſis Conciliis, ubi ſaltem non ſunt aliundè edocti. De Magiſtris autem, conſtat ex Concil. Lateran V. Seſſ. 9. & Conſtitut. Leonis X *Supernæ* ibid. Can. *ſtatuimus & ordinamus, ut ...... Præceptores pueros ſuos ſeu adoleſcentes ......docere teneantur ea, quæ ad Religionem pertinent, ut ſunt præcepta divina, articuli Fidei &c.* Denique de Parochis non poteſt dubitari, cùm ipſis incumbat ex officio regimen animarum.

Prob. De adultis rudibus; quia eodem modo de ipſis loquendum eſt, ac de pueris, cùm hi & illi ſint æqualiter incapaces motiva credibilitatis concipiendi; & ideo debent præfatis objecta fidei proponentibus acquieſcere: niſi certè ipſi parentes, aut patrini eſſent æquè rudes; & ideo eſſet dubium, an vera proponerent, necne: tunc enim ad Parochum aut æquivalentem eſſet recurrendum.

CONCLUSIO III.

UBi Epiſcopus in ſua Diœceſi per ſe, vel per delegatos, ſicut & Parochus in ſua Eccleſia proponit Fidei dogmata, jam pro revelatis per totam Eccleſiam recepta, tenentur omnes illius diſtrictus, ſive fideles, ſive infideles credere.

Prob. De Epiſcopo; quia ſi Epiſcopi tanquam veri Apoſtolorum ſucceſſores teneantur prædicare Euangelium omni creaturæ, docere omnes gentes, Eccleſiam Dei regere, ſintque a Chriſto miſſi ſicut fuerat ipſe à Patre miſſus, ut doceant & illuminent in tenebris & in umbra mortis ſedentes; conſequens eſt, ut illi, quibus in ſuo diſtrictu Fidei myſteria exponunt, teneantur credere; aliàs fruſtrà imponeretur ipſis onus prædicandi, ſi non eſſet in aliis obligatio credendi.

Prob. De delegatis; quia certum eſt ex Rom. 10. poſſe aliquos mitti ad prædicandum, quibus obligantur audientes Fidem adhibere; ſed jam non mittuntur ordinariè à Chriſto immediatè: ergo ab ejus Vicario, nempe à Papa pro tota Eccleſia, & ab Epiſcopo pro ſua Diœceſi. Prætereà juxtà regulam juris, quod quis per alium facit, per ſe ipſum facere cenſendus eſt: & ideò annuntians Epiſcopus per delegatos myſteria Fidei, per ſe ipſam cenſetur annuntiare: unde eadem fides adhibenda eſt delegatis, ac Epiſcopis.

Prob. De Parocho; quia non minus eſt Parochi inſtruere Parochianos de neceſſariis ad ſalutem, quàm Epiſcopi Diœceſanos. ergo, ſi teneantur Diœceſani credere Epiſcopo proponenti, tenentur & parochiani Parocho.

Dixi in concluſione: *ubi proponit dogmata, jam pro revelatis per totam Eccleſiam recepta*, quia ſi tantùm noviter declarata ſunt, non tantùm debet Epiſcopus, aut Parochus illa voce tenus exponere; ſed etiam decreta, & definitiones Conciliorum, aut Summi Pontificis, debet in ſuis Eccleſiis publicare. Can. *Decernimus* Diſt. 18. Quibus publicatis, tenentur omnes ſub anathematis pœna illa recipere, ex decreto Nicolai V. Cap. *Siquis* 18. 25 quæſt. 2. Imò tenetur quilibet, ubi de Eccleſiæ definitionibus conſtat, etiam ante publicationem credere.

ARTICULUS VII.

Quid dicendum de Symbolis?

CUm potiſſima Fidei puncta contineantur in Symbolis, operæ pretium judicavi hic pauca de illis exponere. Eſt autem Symbolum ſumma, ſeu collecta brevis præcipuorum Fidei Chriſtianæ articulorum: ſicut enim præcipua ad mores ſpectantia compendiosè continentur in Decalogo; ita potiſſima ad Fidem pertinentia breviter concluduntur Symbolo.

Quadruplex Symbolum agnoſcit, reſervat & veneratur Eccleſia, nempe Apoſtolicum, Nicænum, Conſtantinopolitanum, & Sancti Athanaſii, de quibus concluſionibus ſequentibus.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO I.

De Symbolo Apoſtolorum.

SYmbolum Apoſtolicum ſeu Apoſtolorum, quod quotidie in Matutino, Prima, & Completorio recitatur in Eccleſia Romana, fuit ab Apoſtolis compoſitum, eodem anno, quo paſſus eſt Chriſtus, ut vult Rufinus; vel certè anno decimo poſt Paſſionem, ut docet Baronius.

An autem ſinguli Apoſtoli ſingulas Symboli ſententias compoſuerint; ita ut primus dixerit: *Credo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cœli & terræ*: ſecundus: *& in JESUM Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum*, & ſic de aliis, incertum eſt; id inſinuare videtur S. Leo Epiſt. 13. his verbis: *Ipſa Catholici Symboli brevis & perfecta confeſſio, quæ duodecim Apoſtolorum totidem eſt ſignata ſententiis* &c. Et ideo fortè author ſermonis 115. de tempore apud Auguſtinum Reperti, hanc tenuit Sententiam, quam poſt ipſum amplexus eſt D. Bonav. 3. diſt. 25. art. 1. q. 1. & plurimi Theologi; ſed quidquid ſit, certum eſt ſaltem contentam in Symbolo doctrinam, ab Apoſtolis tum ſcripto, tum viva voce Fidelibus, quibus prædicarunt, fuiſſe traditam.

Petes 1. Cur hoc Symbolum non recipiatur à Fidelibus tanquam Scriptura Sacra?

Reſp. Quia licèt conſtet fuiſſe ab Apoſtolis traditum, non conſtat tamen fuiſſe ab illis ſcriptum. Præterea illud quidem tradiderunt, Spiritu S. aſſiſtente, & illuminante, non tamen propriè dictante: quod ad Scripturam Canonicam videtur neceſſarium.

Petes 2. Cur præter Apoſtolicum, tradita ſunt alia Symbola, cùm illud unum ſufficiat, imò contineat omnia in aliis contenta, teſte D. Bonav. ſup.

Reſp. Sufficere quidem Apoſtolicum, ut ſciat fidelis; quid debeat explicitè credere circa myſteria Divinitatis, Trinitatis, Incarnationis, &c. alia tamen fuiſſe neceſſaria Eccleſiæ rectoribus, tum ad majorem credendorum in Symbolo Apoſtolico explanationem, tum ad variarum hæreſum confutationem, imò & neceſſaria fuerunt Fidelibus in iis locis, ubi vigebant hæreſes per illa confutatæ, ut ſic non ita facile deciperentur. Omnia ergo ſymbola ſunt unum & idem quoad ſubſtantiam, tantùmque differunt, quòd unum alio ſit clarius & explicatius. Intelligo quoad articulos in ipſis contentos, quia quoidam omittit Nicænum, ut dicemus poſtea.

Petes 3. Cur Eccleſia Rom. ſemper retinuerit ſymbolum Apoſtolorum, ſine mutatione, additione, aut detractione?

Reſp. Quia nullæ hæreſes per alia ſymbola confutatæ ſumpſerunt ibi exordium, ſicut ſumpſerunt in aliis Eccleſiis, præſertim Orientalibus: undè non fuerunt alia ſymbola huic Eccleſiæ ità neceſſaria, ſicut aliis.

Petes 4. Quis finis fuerit ſymboli condendi? varii varios fines referunt. Sed

Reſp. Ex Patribus hunc triplicem colligi. 1. Ut Apoſtoli haberent eandem Fidei regulam, quam omnes omnibus populis uniformiter proponerent. 2. Ut præcipua Fidei dogmata breviter & ſummatim collecta, faciliùs à fidelibus addiſcerentur, retinerentur, crederentur, & ubi opus eſſet, aliis exponerentur. 3. Ut fideles ſymbolo tanquam Fidei clypeo muniti hæreticorum verſutias, fraudes, dogmata, erroreſque declinarent, & intrepidi in ſua Fide permanerent.

Petes 5. Occaſione primi articuli, quòd ſit diſcrimen inter credere in Deum, credere Deo, & credere Deum?

Reſp. Hoc eſſe, quòd credere in Deum ſit in ipſo tanquam ſummo bono, & fine ultimo ſpem collocare. Credere Deo autem, ſit eidem aſſentiri, ſive per Scripturam ſacram, ſive per Traditionem, ſive per Eccleſiam aliquid revelanti. Credere Deum verò, eſt credere ipſum exiſtere, unum in natura, & Trinum in perſonis.

Petes 6. Quid intelligatur per tertium articulum: *Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto?*

Reſp. Intelligi Chriſtum non fuiſſe (ſicut alii homines) ex ſemine virili conceptum, ſed per operationem miraculoſam totius Trinitatis, quæ operatio, cùm ſit opus Charitatis, tribuitur ſpecialiter Spiritui ſancto, cui utpotè per amorem procedentis appropriantur, ſecundùm Theologos, opera Charitatis externa, licèt omnibus perſonis communia.

Petes 7. Quid ſignificent hæc verba articuli quinti: *Deſcendit ad inferos?*

Reſp. Significare Chriſtum deſcendiſſe, non ſecundùm corpus, quod jacebat in ſepulchro, ſed ſecundùm animam, Verbo hypoſtaticè unitam, non quidem in carcerem reproborum, aut in locum ubi purgantur ad tempus animæ adhuc juſtitiæ divinæ debitrices; ſed in receptaculum Sanctorum veteris teſtamenti, qui, quia uſque tunc non erant apertæ hominibus paradiſi portæ, expectabant Redemptoris mortem, per quam reſerarentur.

Petes 8. Quid innuant hæc Verba: *Sedet ad dexteram Dei Patris &c.*

Reſp. Denotare Chriſtum æqualem eſſe Deo, ſeu pari potentia, gloria, & majeſtate regnare & gubernare cum Deo Patre, non quidem ratione humanitatis, ſed Divinitatis.

Petes 9. Quid velit articulus ſeptimus: *Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos?*

Reſp. per *Vivos* non intelligi illos, qui necdum mortui fuerint; nam cùm ſtatutum ſit hominibus ſemel mori, omnes ante judicium morientur; & ideo per *vivos*, intelligimus juſtos; per *mortuos*, injuſtos. *Poteſt & ſic intelligi vivos, juſtos, mortuos, injuſtos*, inquit Auguſt. lib. 1. de Symbolo ad Catechum. cap 4. *Utroſque enim judicat, ſua cuique retribuens*. De aliis articulis, utpotè ſatis evidentibus, nihil videtur dicendum.

CONCLUSIO II.

De Symbolo Nicæno.

QUoniam hoc ſymbolum non ità habemus ad manum, ac alia, non ingratum fore Lectoribus judicavi, ſi ipſum referrem. His autem Verbis exprimitur in Actis ipſius Concilii à Binio collectis l. a. in fin. *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium viſibilium & inviſibilium factorem. Et in unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Filium Dei, de Patre natum, unigenitum, id eſt de ſubſtantia Patris: Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum, ex Deo vero. Natum, non factum*, Omouſion *Patri, hoc eſt, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ, per quem omnia facta ſunt, quæ in cœlis, & quæ in terra.*

Qui propter nos, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt, homo factus, paſſus eſt, & reſurrexit in tertia die. Et aſcendit in cœlos, inde venturus judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum Sanctum.

Eos autem qui dicunt: erat aliquando, quando non erat, & antequam naſceretur, non erat, & quia ex iis quæ non ſunt factus eſt, aut ex alia ſubſtantia vel eſſentia dicunt eſſe vel creatum, vel convertibilem, vel mutabilem Filium Dei; anathematizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia.

Fuit autem conditum hoc ſymbolum anno 325. à trecentis decem & octo Patribus, in primo Concilio Nicæno, ut Arii hæreſis, impietas & blaſphemia confunderetur, & ideo ante hanc hæreſim nullum erat in tota Dei Eccleſia ſymbolum, niſi Apoſtolicum. Ubi autem conditum eſt, omnes græcorum Eccleſiæ illo uſæ ſunt; ita tamen, ut non omiſerunt Apoſtolicum, aliàs non tradidiſſent Fidelibus articulos de ſancta Eccleſia, de Sanctorum communione, remiſſione peccatorum, carnis reſurrectione, & vita æterna, qui fuerant in Nicæno omiſſi. Ita erat apud Orientales ſymbolum Nicænum reverentia, & authoritate, ut etiam Conſtantinopolitanum jam in Nicæni loco ſuffectum, adhuc Nicænum appellarent. Porro quia Ariani dicebant, *Verbum eſſe ex nihilo*, poſuerunt Patres Nicæni in ſuo Symbolo *ex Patre*, quia volebant eſſe *creatum*, dixerunt *natum*. Quia Filium Dei adoptivum, poſuerunt *unigenitum*. Sed quia Euſebius Nicomedienſis, eique adhærentes per fraudem admiſerunt eſſe unigenitum, non quia crederent eſſe ex ſubſtantia Patris, ſed quia ante omnes creaturas eſſet à Deo ſolo conditus, & cætera omnia à Deo per ipſum, ut loquitur Athanaſius in Epiſt. ad Epiſcopos Africanos, Patres Nicæni, cognita eorum aſtutia, addiderunt: *Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum, ex Deo vero, natum, non factum, conſubſtantialem Patri*: Denique quia Ariani dicentes Verbum eſſe meram creaturam, dicebant conſequenter eſſe ex nihilo, incepiſſe, eſſe mutabile &c. Concluſum eſt ſymbolum per hæc Verba: *eos autem quis dicunt, erat aliquando &c.* ut ſuprà.

CONCLUSIO III

De Symbolo Conſtantinopolitano.

HOc ſymbolum, quod à centum quinquaginta Patribus Concilii Conſtantinopolitani primi conditum eſt anno 381. ſub Damaſo Papa, eſt ipſummet, quod legimus in Miſſa, paucis mutatis, quæ rei ſubſtantiam non tangunt: excepto quòd Latini circa annum 600. ut refert Bellarmin. lib. 2. de Chriſto cap. 29. addiderunt, *filioque*, & hoc ad confutandum Græcorum errorem, qui volebant Spiritum ſanctum ex ſolo Patre procedere.

Conditum fuit autem ad variarum hæreſum pullulantium

confutationem; nam 1. additum eſt ſymbolo Apoſtolico *in unum*, nempe Deum, contra Manichæos, & alios, binos Deos fingentes. *Omnipotentem*, contra Origenem, qui docuit Deum exhauſiſſe ſuam potentiam; ita ut nihil de novo poſſit facere *Factorem cæli & terræ*, contra Gnoſticos volentes Cœlum & terram non eſſe à Deo vero. *Et inviſibilium*, contra duorum Deorum fabulatores, qui & fingebant animas noſtras, ſicut & Angelos, eſſe incertas, eo quòd putarent eſſe partes & præciſiones Divinitatis.

Additum eſt 2. *Et in unum Dominum*, contra Apollinariſtas imponentes Catholicis, quod duos admitterent in Chriſto Filios, unum ex Patre, alterum ex Matre, eò quòd duas agnoſcerent in eo naturas. *Et Patre natum ante omnia ſæcula*, contra Photinum Epiſcopum Syrmienſem, non aliam tribuens nativitatem Chriſto, (quem purum hominem affirmabat) niſi temporalem ex Matre. *Natum non factum*, contra Arium, ejuſque ſectatores.

Additum eſt 3. Symbolo Nicæno, non Apoſtolico, *de Spiritu Sancto*, contra Apollinarem, qui, ut volunt aliqui, contendebat carnem humanam non niſi ex ſemine virili poſſe naſci.

Additum eſt ſimiliter Nicæno, non Apoſtolico, *ex Maria Virgine*, contra Apollinariſtas, qui volentes cœleſtem eſſe Chriſti carnem (quod & antea Valentinus tenuerat) negabant carnalem ejus nativitatem ex Virgine.

Adjectum eſt ſymbolo Apoſtolico, non Nicæno, *& homo factus eſt*, etiam contra Apollinariſtas, quorum aliqui negabant Chriſto carnem ex fœmina aſſumptam, alii animam, alii mentem.

Additum eſt 4. Tam Apoſtolico, quàm Nicæno, *cujus regni non erit finis*, ob delirium Marcelli Ancyrani fingentis Chriſti regnum aliquando terminandum, ipſumque in communem Sanctorum ſortem eſſe reducendum.

Additum eſt 5. Utrique ſymbolo ad confutationem hæreſis Eutychis & Neſtorii, qui dixerunt Spiritum ſanctum ſervum eſſe Patris & Filii, ut refert D. Bonavent. ſuprà, additum eſt, inquam, poſt *Spiritum Sanctum*, verbum, *Dominum*. Et quia Macedonius dicebat eſſe creaturam, adjectum eſt, *& vivificantem*, quod ſoli Deo convenit, cùm ille ſolus vitam nobis largiatur. Additum eſt etiam non à Patribus Conſtantinopolitanis, ſed Latinis, ut diximus antè, *Filioque* contra Græcos. Hæc autem verba, *Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur & conglorificatur*, ſunt Patrum Conſtantinopolitanorum contra Macedonium negantem Spiritui ſancto (quem fingebat creaturam) adorationem & conglorificationem cum Patre & Filio. Additur: *qui locutus eſt per Prophetas*, contra eos, qui contendebant Prophetas fuiſſe locutos ut phanaticos.

Denique quia quædam Eccleſiæ Orientales ſibi arrogabant nomen veræ Eccleſiæ, addita ſunt his verbis *Sanctam Eccleſiam Apoſtolicam*, ſequentia, *unam*, & *Catholicam*.

CONCLUSIO IV.

De Symbolo S. Athanaſii.

CIrca hoc Symbolum, quod legitur diebus Dominicis ad Primam, non videtur immorandum; cùm omnia in eo contenta ſint valdè clara & aperta. Dubitant quidem aliqui, an ſit S. Athanaſii Epiſcopi Alexandrini, qui 4. ſæculo conſubſtantialitatem Verbi acerrimè propugnavit: ſed cùm jam Eccleſia univerſalis illud fecerit ſuum, & non tam ab Athanaſio, quàm ab ipſamet Eccleſia, ſummæ ſit authoritatis, inutile judico de authore laborioſè inquirere, quandoquidem conſtet de authoritate.

DISPUTATIO II.

De veræ Fidei Regulis.

SEx reperio Fidei regulas, tres inanimatas, nempè Scripturam Sacram, Traditiones, & Symbolum; & tres animatas, nempè Eccleſiam, Pontificem, & Concilia. De Symbolo egimus, de aliis reſtat breviter agendum.

QUÆSTIO I.

An Scriptura Sacra ſit infallibilis regula Fidei, & an unica?

QUoniam, ut hæc quæſtio plenè intelligatur, opus eſt ſcire, quid ſit Scriptura ſacra, qui Libri Sacri, qui Canonici, qui Apocryphi, quis Scripturæ ſenſus &c. ideo ante hujus quæſtionis (quàm in varios articulos ſecabimus) reſolutionem, pauca de illis præmittemus.

ARTICULUS I.

Quid Scriptura Sacra, qui Libri Canonici, qui Apocryphi, qui perierint?

SCriptura ob divinam ſui nobilitatem, innumeris inſignitur nominibus; nam 1. dicitur *Biblia* à voce græca *biblion*, quæ libellum ſignificat. 2. *Liber* antonomaſticè, eò quòd ſit omnium Librorum Liber, tum ſui origine, tum ſanctitate, tum præſertim utilitate. 3. *Teſtimonium, Fœdus, Pactum*, quo de firmiſſima & irrevocabili divinæ voluntatis determinatione nobis conſtat, nullaque relinquitur filiis adoptatis de obtinenda hæreditate diffidentia. 4. *Lex* nempe illuminans oculos, & convertens animas. *Inſtrumentum*, quaſi inſtruens mentem. 6. *Os Spiritus Sancti*, per quod vocat credentes ad vitam. Denique juxta Rupertum & alios, *Turris David*, ex qua pendent mille clypei, ad debellandos diabolum, mundum, & hæreticos, juxta Didimum, *Menſa ſpiritualis*, reficiens omnes cœleſti pabulo: juxtà D. Baſilium, *Medicina animarum*: juxtà Ambroſium, *Paradiſus*, in quo inſpirat Deus homini ſpiraculum vitæ cœleſtis: juxtà alios, *Fons*, *Fluvius*, *Puteus Jacob*, *Currus Eliæ*, *Mons Sion*. *Liber Vitæ*, *Liber Scriptus intus & foris*, *morum Regula*, *errorum Cenſura* &c. quæ omnia ſupremam ejus dignitatem denotant.

CONCLUSIO I.

SCriptura ſacra definiri poteſt breviter: Verbum Dei Scriptum; fuſiùs autem & explicatiùs: volumen Sacrum, dictante Spiritu Sancto, ad ſalutem hominis conſcriptum, & ut tale ab Eccleſia receptum.

Dicitur 1. *Volumen*; quod eſt aggregatum quoddam ex 72. Libris particularibus, nempe 45. Veteris Teſtamenti & 27. Novi in unum codicem redactum.

Dicitur 2. *Sacrum*, ſeu Sanctum, quæ appellatio deſumitur ex Apoſt. 2. ad Tim. 3. v. 15. *Sacras litteras noſti* & ad Rom. 1. verſ. 2. *In Scripturis Sanctis*. Et triplici autem capite dicitur *Scriptura Sancta*, 1. Ratione cauſæ, tum principalis, qui eſt Deus Sanctus Sanctorum, tum inſtrumentalis, qui ſunt Prophetæ, Apoſtoli, aliique Hagiographi, ſeu Sacri Scriptores. 2. Ratione materiæ, quæ ſunt divina myſteria, hiſtoriæ Sacræ, Sancta vitæ præcepta &c. 3. Ratione finis, qui eſt hominis ſanctificatio: unde Clemens Alexandrinus in Parænet. Ad gentes 29. *Sunt verè Sacræ litteræ, quæ ſacros faciunt & deificant*.

Dicitur 3. *Dictante Spiritu Sancto*: quia ſcribentibus, exterius hominibus, interius inſpirabat, loquebatur & dirigebat Deus: unde nihil familiarius apud ſcriptores ſacros, quàm hæ locutiones: *hæc dicit Dominus*; *dicit Dominus exercituum*: *factum eſt Verbum Domini* &c. unde 2. Pet. 1. *non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines*. Non eſt tamen improbabile, quòd dictata non eſſent ſingula verba, ubi ſcribenda erant ſcriptoribus ſacris naturaliter nota, ut quando ponebant in Epiſtolis ſuis ea, vel quæ fecerant vel quæ viderant, v. g. Quòd aliquis eſſet in tali urbe, eſſet infirmus, feciſſet naufragium, ſalutaret amicos &c. ſed quòd tunc permitteret Spiritus ſanctus ut ſcriptor, quem ſpecialiter dirigebat, ne quid falſum aut incongruum exponeret, propriis uteretur verbis.

Rationem reddunt; quia ſicut Deus non deeſt in neceſſariis, ità non redundat in ſuperfluis. Et hoc ipſum nobis inſinuat author Eccleſiaſtici in Prologo, & author libri 2. Mach. in fine cap 15. Dum veniam petunt ſi in Verborum compoſitione defecerint. Quòd certè non viderentur facere, ſi verba ſingula eſſent à Spiritu ſancto dictata. Nihilominus probabilius eſt contrarium.

Dicitur 4. *Ad ſalutem hominis*: nam ut ait Greg: Lib. 4. Ep. Cap 84. *Quid eſt Scriptura, niſi quædam Epiſtola omnipotentis Dei ad creaturam ſuam?* ut ſciat quid debeat fugere, quid amplecti, quid credere, ut vitam aſſequatur æternam; & ideo dicit Apoſt. Ad Rom. 15. *quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*.

Dicitur 5. *Conſcriptum*; ut diſtinguatur à Traditione, quæ eſt verbum non ſcriptum.

Dicitur denique. *& ut tale ab Eccleſia receptum*: licèt enim illæ particulæ non ſint neceſſariæ ad definitionem ſcripturæ in actu 1. ſeu quoad ſe, requiritur tamen ad Scripturam ſacram in actu 2. ſeu quoad nos; quandoquidem nihil nos ut Sacram ſcripturam neceſſariò recipiamus, niſi quod ut tale recepit, & nobis proponit Eccleſia.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO II.

Libri Canonici ſic dicti, vel quia continent normam, quam in Fide & moribus ſequi tenemur, vel quia in catalogum ſeu Canonem librorum Divinorum ſunt ab Eccleſia relati, recenſentur ſequentes à Conc. Trid. Seſſ. 4. Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Joſue, Liber Judicum, Ruth. 4. Libri Regum, duo Paralipomenon, duo Eſdræ, Tobias, Judith, Eſther, Job, Pſalterium 150 Pſalmorum, Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica, Sapientia, Eccleſiaſticus, quatuor Majores Prophetæ, Baruch, duodecim Minores, & duo Libri Machabæorum, qui pertinent ad vetus Teſtamentum. Quatuor Euangelia, Acta Apoſtolorum, quatuordecim Epiſtolæ D. Pauli, tres Joannis, duæ Petri, una Jacobi, una Judæ, Apocalypſis Joannis, quæ ſunt novi Teſtamenti.

Porro ex Libris jam recenſitis alii dicuntur Proto-canonici, & alii Deutero-canonici. Priores ſunt illi, de quibus nunquam dubitatum eſt inter Catholicos, & ſunt omnes præfati, exceptis jam aſſignandis. Poſteriores, de quibus à certis Catholicis, imò & ab aliquibus Sanctis PP Dubium fuit, ante apertam Eccleſiæ definitionem, an ſacri eſſent, necne, & ſunt ſequentes. Tobias, Judith, Baruch, Sapientia, Eccleſiaſticus, Hymnus trium puerorum, Hiſtoria Suſannæ, & Draconis, Oratio Azariæ & Jeremiæ, primus & ſecundus Machabæorum, Marci caput ultimum ab his verbis; *ſurgens autem JESUS* Hiſtoria de Chriſti ſudore ſanguineo, & conſortatione per Angelum, Luc. 22. Hiſtoria de muliere adultera Joan. 8. Epiſtula ad Hebræos, Epiſtola Jacobi & Judæ, duæ Petri, ſecunda & tertia Joannis, & Apocalypſis.

Sed jam à nullo Catholico de illis dubitari poteſt, ſuntque infallibilis authoritatis, non minùs, quàm alii. Unde Trident. loco citato. De his ait, ſicut & de illis: *Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro ſacris & Canonicis non ſuſceperit......anathema ſit.*

Canonem autem Librorum Canonicorum Seſſ. 4. relatum acceperunt Patres Concilii Trid ut refert Carranza in ſumma Conciliorum, ab Eugenio IV. in Concilio Florent. Eugenius à Gelaſio Papa, in Concilio Rom. 70. Epiſc. Gelaſius ab Auguſtino Lib. 2. de doctrina Chriſtiana Cap. 8. Auguſtinus ab Innocentio I. Epiſt. 3. ad Exuperium c. 7. Innocentius autem, qui vixit anno 402. ſicut per continuam traditionem ab aliis acceperat, ita ſimiliter ad nos tranſmiſit.

Dices 1. Cum Hæreticis modernis: in Canone Hebræorum, poſt captivitatem Babylonicam confecto ab Eſdra, vel ſaltem ipſius tempore, non reperiuntur Libri Tobias, Judith, Sapientia, Eccleſiaſticus, Baruch, & Libri Machabæorum: ergo nec debent poni in noſtro.

Reſp. Ant. Eſſe verum, cùm Hieronymus in Prologo galeato ad calcem Bibliorum poſito, referens illum Canonem, non faciat mentionem præfatorum Librorum, ſed neg. conſeq. Si enim potuit Synagoga, quæ tunc temporis nihil definivit circa dictos Libros, poſtea idipſum definire, ubi rationes ſufficientes habuiſſet; quidni circa hoc, nihil definiente Synagoga, potuit Eccleſia id præſtare ob rationes & fundamenta ſufficientia; quandoquidem non minor ſit potentia Eccleſiæ, quàm fuerit Synagogæ?

Præterea, quomodo potuiſſet Eſdras Libros Machabæorum Canonicis adſcribere, cùm poſt illius tempora libri illi fuerint conſcripti?

Dices 2. Non potuit Eccleſia habuiſſe alias rationes circa præfatos Libros; quas non habuerunt Judæi, cum hi longe eſſent viciniores: ergo ſi non habuit cauſas ſufficientes ſynagoga adſcribendi libros illos Canonicis, nec habuit Eccleſia.

Reſp. Si Eccleſia nullas alias rationes habuit, habuit tamen ſpecialiorem Spiritus ſancti aſſiſtentiam, qui dum expedire judicat, impedit Eccleſiam ad declarandum uno tempore, quod non fuit alio declaratum. Varias objectiones circa ſingulos Libros præfatos refert & ſolvit Bellarm. Initio Tom. 1. Illum conſule Hoc unum pro ſolvendis omnibus retine: ſi potuit ſynagoga texere Canonem, cui credunt Hæretici, quidni à fortiori Canonem texere poſſet Eccleſia, cui teneantur credere.

CONCLUSIO III.

Libri apocryphi (ſic dicti, quia non ſunt in Canone ab Eccleſia recepti, licèt fortè ſint aliqui aut divini, aut boni) numerantur ordinariè ſequentes.

1. Liber tertius & quartus Eſdræ, qui ponuntur ad calcem Bibliorum vulgatæ editionis alio caractere, ne pereant, & ut à Patribus citati reperiantur. Licèt autem libro tertio maneat ſua authoritas hiſtorica, liber tamen quartus favet errori & fabulæ: nam cap. 4. animas Sanctorum collocat in promptuariis inferni, uſque ad diem Judicii, quo tempore & non ante, ſunt Deum viſuræ.

Qui error à Conc. Florentino damnatus eſt. Capite autem 5. narrat creata eſſe duo animalia Henoch & Leviathan, quibus capiendis ſufficiebat ſeptima Pars maris.

2. Liber tertius & quartus Machabæorum, qui ſunt & à Canone & à Bibliis excluſi. Liber quidem tertius citatus S. Clemente in Canonibus Apoſtolorum can. 84. ſed cum Canones illi habeantur à multis & gravioribus authoribus ut ſuppoſititii & adulterini, rejicitur à Canone liber tertius, ſicut & quartus, qui non redolet gravitatem ſcriptoris ſacri.

3. Oratio Manaſſe, quæ nec Græcè reperitur, nec Hebraicè.

4. Appendicula libri Job, deſcribens ejus Genealogiam, illi tamen ineſt maxima poſt Canonicam, authoritas, eò quòd omnes SS. PP. Hieronymo excepto, illam agnoſcant ut Canonicam, aut quaſi Canonicam.

5. Præfatiuncula Threnorum, ſeu lamentationum Jeremiæ, his verbis expreſſa: *Et factum eſt poſtquam in captivitate reductus eſt Iſrael, & Jeruſalem deſerta eſt, ſedit Jeremias Propheta flens, & planxit Lamentatione hac in Jeruſalem, & amaro animo ſuſpirans & ejulans dixit.* Fateor quidem reperiri in Bibliis correctis ex mandato Sixti V. & Clem. VIII in quibus, ut habet præfatio, *nihil non Canonicum, nihil adſcititium, nihil extraneum apponere viſum eſt.* Attamen cùm nec in Hebraico nec Caldaico, nec Syro, nec Arabico textu reperiatur, & aliunde ipſamet verba ſatis denotent non eſſe à Jeremia, ſed ab alio, clarum eſt non poni in bibliis tanquam aliquid de ejus corpore, ſed tanquàm aliquid extraneum, ut ſunt etiam tituli capitum.

6. Excluditur à novo Teſtamento liber quidam dictus, *Paſtor*, qui, ut referunt Origenes in cap. 16. ad Rom. & D. Hieronymus de Scrip. Eccl. N. 20. compoſitus eſt à quodam Herma, cujus meminit Apoſtolus ad Rom. ult. *ſalutate.....Phlegontem, Hermam, Patrobam, &c.*

Denique quia tantùm quatuor admittuntur Euangelia in Canone, manifeſtum eſt excludi Euangelium Nicodemi, ſicut & Euangelium ſecundum Hebræos à D. Hieronymo ſæpe citatum.

CONCLUSIO IV.

Plures libri ſacri perierunt. Ità Abulenſis, Bellarm. de Verbo Dei lib. 4. cap 4. & alii communiter: hocque patet evidenter ex ipſiſmet Bibliis, in quibus varii citantur nobis incogniti: nam in 1. libro Paralipomenon fit mentio libri Samuelis Videntis, & Nathan Prophetæ cap. ult. & in libro 2. Addo Videntis, & Abiæ Silonitis cap 9. Semeiæ Prophetæ cap. 12. Jehu Filii Hannani cap. 20 Rerum geſtarum Oziæ per Iſaiam cap. 26 Sermonum Hozai cap. 33. Item citatur liber bellorum Domini, Num. 21. Liber Juſtorum, Joſue 10. & in 3. Regum, Verba dierum Regum Juda & Regum Iſrael, cap. 14. Dierum Salomonis cap. 11. Tria millia Parabol. Salomonis, carminum 1005. Ejuſdem naturalia de plantis cap. 4. Denique liber Jaſonis Cyrenæi 2. Machab. 2. Liber Enoch in Epiſtola Judæ, & alia alibi, quæ Dominus perire permiſit, vel quia homines ſe illis indignos præbuerunt, vel quia deſinebant eſſe utiles, vel propter alias rationes ſibi notas.

ARTICULUS II.

Quot fuerint Scripturæ Sacræ editiones, & quæ ſit præferenda?

Suppono Libros Veteris Teſtamenti à Judæorum Synagoga ad Chriſtianorum Eccleſiam tranſiiſſe incorruptos, hocque patet tum ex Divina Providentia, quæ ſemper Eccleſiæ ſuæ proſpiciens, nunquam patietur tot Sanctorum & Prophetarum oracula, vel potius ſua, generaliter falſificari; tum ex tenaci Judæorum adhæſione ad Libros Sanctos: nam, ut refert Bellarm. lib. 2. de verbo Dei cap. 2. citans Philon lib. de egreſſu filiorum Iſrael ex Ægypto, per bis mille annos & amplius ne verbum quidem in lege ſua mutarunt; tum etiam ratione S. Hieronymi in cap. 6. v. 10. Iſaiæ: ſi aliquando corrupiſſent Scripturam Judæi; vel ante Chriſtum, vel poſt: ſi ante, cur Chriſtus & Apoſtoli nunquam eos de tam inſigni crimine reprehenderunt, præſertim cùm leviora non tacuerint? cur eos remittit Chriſtus ad Scripturas Joan. 5. ſi ſint corruptæ? ſi poſt, cur omnia ferè à Chriſto & Apoſtolis citata etiam nunc in Moyſe & Prophetis reperiuntur? ergo ſignum eſt Scripturas non fuiſſe à Judæis vitiatas. Unde Auguſt. lib. 5. de civit. c. 13. dicit quòd nullus prudens debet credere Judæos tam

longè lateque diſperſos conveniſſe & conſpiraſſe in Sacrorum Voluminum corruptione. Vide Bellarm. ſuprà.

Fatendum eſt tamen etiam tempore D. Hieronymi textum Hebraicum fuiſſe in aliquibus, paucis tamen, corruptum, partim ex ignorantia & negligentia Librariorum, partim ex inſcitia vel malitia Rabbinorum; ſed hi errores, ſi benè inſpiciantur, inquit Bellarm. ſup. in fine, non ſunt magni momenti.

CONCLUSIO I.

PRima editio Scripturæ facta eſt Hebraicè quoad ferè totum Vetus Teſtamentum. Eſt recepta omnium, aut ferè omnium ſententia.

Dico: *Quoad ferè totum*; quia libri Eſdræ & Danielis, teſte Hieronymo Epiſt. 120. præfat. in Daniel. ſcripti ſunt chaldeo ſermone, ſicut & aliqua pars Jeremiæ; quibus annumeratur à nonnullis liber Tobiæ, ex eo quòd Hieronymus Epiſt. 119 ad chromatium & Heliodorum, apertè dicat ſe hunc librum ex chaldaico idiomate in Hebræum traoſtuliſſe, & ex Hebræo in Latinum. Idem dicunt aliqui de libro Judith, eò quòd idem D. Hieronym. in præſatione in eundem, aſſerat Chaldeo ſermone fuiſſe conſcriptum, ſeque uſum eſſe Chaldeis exemplaribus; ſed cùm non dicat an 1. an 2. ſic fuerit conſcriptum, & aliundè ejus author ſit probabiliùs Joachimus, qui & Eliachim, Pontifex Hebræus, etiam probabilius eſt fuiſſe ſcriptum Hebraicè. Quantum ad librum 2. Machab. *Græcus eſt*, inquit Hieronymus in Prologo Galeato, *quod ex ipſa quoque phraſi probari poteſt*. Et idem docet Epiſt. 115. ad Chromatium de libro Sapientiæ his verbis: *Stylus libri .... qui ſapientia Salomonis inſcribitur .... Græcam eloquentiam redolet*: aliqui tamen volunt & hunc, & 2. Machab. fuiſſe Hebraicè conſcriptos, eò quòd Machabei & Salomon author Sapientiæ, Hebræo uteretur idiomate. Denique librum Job, Syriacum putamus; cum in fine editionis 70. quæ Romæ prodiit opera Cardinalis Caraffa, legatur: *hic interpretatione redditur ex libro Syriaco*. Fatendum eſt tamen Arabicis vocibus fuiſſe permixtum; & ideò fortè dixit Hieronymus Epiſt. 120. præfat. in Daniel *Sciendum .... Job quoque cum Arabica lingua plurimam habere ſocietatem*.

Quantùm ad novum Teſtamentum, ſi Evangelium Matthæi & fortè Marci, exceperis, ſicut & Epiſtolam ad Hebræos, ſcriptum fuit Græcè.

Ratio eſt, quòd Apoſtolorum tempore, maximè uſitatum apud Judæos idioma eſſet Græcum.

Dixi 1. *Si Evangelium Matthæi &c.* quia vox eſt communis omnium ferè Patrum, & Theologorum fuiſſe Hebraicè compoſitum: undè Hierooymus lib. de Script. Eccleſiaſticis n. 5. loquens de Matthæo: *Evangelium Chriſti Hebraicis litteris verbiſque compoſuit*.

Dixi 2. *Et fortè Marci*, quia volunt aliqui ipſius Evangelium fuiſſe Latinè conſcriptum, eò quòd illud in gratiam Romanorum compoſuerit, & indè inferunt Epiſtolam D. Pauli ad Rom etiam Latino idiomate fuiſſe compoſitam, ſed hæc ratio non videtur ſufficiens, quia licèt Romani eſſent Latini, illo tamen tempore, ut notat Aug. Epiſt. 200. in fine, apud Romanos communis erat lingua Græca, & ideò Hieronym. Epiſt. 123. & Auguſt. lib. 1. cap. 2. de conſenſu Evang. doceat Evangelium Marci fuiſſe Græcum. Idem docetur communiter de Epiſt. ad Rom. tertia tamen ſententia primam & ſecundam inter ſe concordans, & ſatis mihi arridens, eſt quod Marcus Evangelium 1. ſcripſerit latinè, in gratiam Romanorum & 2. Græcè, in gratiam Alexandrinorum; quod ſatis videtur probabile, cum aſſerat Genebrardus lib. 3. ad ann. Chriſti 32. originale Latinum aſſervari Venetiis, & Græcum, teſte Petro de Natalibus in Catalog. SS Libro 4. c. 86. Aquilejæ, ubi fuit Epiſcopus.

Dixi 3. *Sicut & Epiſtolam ad Hebræos*, quam communis ſententia tenet fuiſſe Hebraicè ſcriptam; & ideò Hieronymus loquens de D. Paulo in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis num. 15. *Scripſerat ut Hebræus, Hebræis Hebraicè*.

CONCLUSIO II.

SEcunda editio, eſt Paraphraſis Chaldaica Veteris Teſtamenti, quam Hebræi Targum vocant. Eſt autem diſcrimen inter translationem ſeu verſionem, & paraphraſim, quod in illa verba authoris transferantur in aliam linguam, ſine additione & mutatione, ſeu de verbo in verbum; in hac verò magis ſenſus de ſenſu, quàm verbum de verbo exprimatur; & ideò reperiuntur mutationes & additiones. Hinc fit, quòd Paraphraſis apud nos, ſit explicatio rei per ſermonem copioſiorem, & dilucidiorem.

Porrò Paraphraſis Chaldaica triplicem habet authorem, nempè Onkelum, qui Pentateuchum integrum; Rabbi Jonatham Uzielis Filium, qui libros Joſue, Judicum, Regum, & Prophetas majores & minores, & Rabbi Joſeph cœcum: qui reliqua tranſtulit in Chaldaicum. Malè autem aliqui confundunt Onkelum cum Aquila, cùm hic tempore Adriani Imperatoris, ille tempore Chriſti floruerit. Licèt hæ Paraphraſes magni fiant apud Hebræos, nobiſque ideò ſint utiles, ut eos convincamus, non ſunt tamen in Eccleſia magni ponderis; imò, ut rectè advertit noſter Franciſcus Ximenez in præfat. complut. Biblior. excepta illa, quæ eſt in Pentateuchum, reliquæ ſunt Judaicis fabulis & Thalmudiſtarum nugis conſperſæ.

CONCLUSIO III.

TErtia ſolemnis editio fuit 70. Interpretum, qui anno Ptolomæi Philadelphi 17. & ante Chriſtum 272. ut habet probabilior ſententia, incluſi in cellulis ſeparatis, & non in eadem Baſilica conferentes, ut vult Hieronymus Epiſt. 104. contrà ferè communem aliorum PP. conſenſum, totum vetus teſtamentum ex Hebræo in Græcum tranſtulerunt, 72. dierum ſpatio, non ſine ſpeciali Spiritus Sancti aſſiſtentia, quandoquidem ſeparatim ſcribentes non tantùm in eundem ſenſum, in eaſdem ſententias, ſed etiam in eadem verba, eandem verborum ſeriem, imò & in eoſdem apices coinciderint: undè Chryſoſt. hom. 4. In Geneſ. hanc translationem vocat: *Rarum miraculum*.

Sed cùm jam hæc translatio vitiari cœpiſſet, tum ex malitia hominum, tum ex ignorantia Typographorum, alias ex Hebræo in Græcum translationes fecerunt Aquila, Symmachus, & Theodotion; qui, cùm hæretici eſſent, multa de ſuo addiderunt.

Corruptam 70. editionem emendavit etiam Origenes: & poſt ipſum Lucianus Mart. & poſt hunc Heſychius in Paleſtina monachus, & omnes Græco idiomate: imò Heſychius non ſolum vetus, ſed etiam novum Teſtamentum Græcè publicavit. Harum translationum mentionem facit Hieronymus, Præfatione in libros Paralipomenon, ad Chromat. Epiſt. 107.

CONCLUSIO IV.

HIs verſionibus Græcis ſucceſſerunt Latinæ, Teſtamentum vetus, ex Hebræo, & novum, ex Græco transferentes, fueruntque innumeræ, ut patet ex D. Hieronymo Epiſt. 105. Præfat. in Joſue: *Cùm apud Latinos tot ſint exemplaria, quot Codices; & unuſquiſque pro arbitrio ſuo vel addiderit, vel ſubtraxerit quod ei viſum eſt*. Idem habet Aug. lib. 2. de doct Chriſtian. c. 11. Inter illas duæ fuerunt vulgatæ, una vetus, ante Hieronymum, cujus author eſt incognitus, altera nova ab ipſo Hieronymo, qui vetus Teſtamentum 1. ex Græco, 2. ex Hebræo vertit in Latinum. Novum tamen etſi Græcæ reſtituerit Fidei, in Latinum non tranſtulit. Accidit autem, teſte Spondano in Epitome Annalium Baronii ad An. Chriſti 233. ut poſt tempora Gregorii Papæ (quoto anno incertum eſt) duæ ſimul editiones vulgatæ; vetus & nova, diſſentionum & contentionum interdum miniſtrarent occaſionem, dum alii veterem, novam alii ſequerentur, pſallendo, legendo, concionando, tractando &c. ſed divino afflante Spiritu proviſum eſt, ut ad communem Eccleſiæ uſum ex duabus una fieret, quæ, exploſa veteris & novæ nomenclatura, communis & vulgata diceretur, paulatimque ab univerſali Eccleſia reciperetur, & tandem per Concil. Trid. Seſſ. 4. definiretur, habendam eſſe ut authenticam. Porrò hæc *vulgata editio*, ut ait Bellarm. libr. 2. de verbo Dei c. 11. *Non eſt unius authoris, ſed quædam habet ex Sancto Hieronymo, quædam ex Luciano, quædam ex Theodotione, quædam ex alio quodam interprete innominato*; ita tamen ut ferè tota ſit à D. Hieronymo aut verſore, aut aliorum correctore: nam ipſi ut verſori tribuuntur Pentateucus, Joſue, Judicum, Ruth, libri Regum, Paralipomenon, Eſdræ, Tobias, Judith, Eſther, Job, Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica, & Prophetæ omnes, alii autem libri veteris Teſtamenti, ſunt translationis veteris, quam Auguſtinus libr. 2. de Doctr. Chriſt. c. 15. Italam vocat, excepto tamen Pſalterio, quod nec eſt Hieronymi, niſi ut Correctoris, nec veteris translationis, ſed Luciani Martyris. Novum autem Teſtamentum, correctore Hieronymo, legitur ſecundum veterem Editionem.

Petes 1. Cur Eccleſia non receperit translationem Pſalterii à D. Hieronymo factam?

Reſp. Cauſam eſſe ignotam, ſed dici poteſt non recepiſſe,

tum

tum ut Choriſtarum, juxtà antiquam editionem pſallentium, non confunderetur memoria, tum ut parceret infinitis ſumptibus, qui per totam Eccleſiam fieri debuiſſent pro conficiendis novis Pſalteriis.

Petes 2. De quo Pſalterio fiat mentio, dum in capite 3. Regulæ noſtræ dicitur: *Clerici faciant divinum officium ſecundùm ordinem S. Romanæ Eccleſiæ, excepto Pſalterio, &c.*

Reſp. De Pſalterio tranſlationis 70. quo in Eccleſia Romana utuntur Cardinales, & quod extrà muros Urbis non eſt in uſu.

ARTICULUS III.

Quænam ex editionibus præfatis ſit præferenda?

CONCLUSIO I.

OMnibus præferenda eſt editio vulgata communis. Eſt certum apud Catholicos.

Prob. 1. Quia ſtatuit & declaravit Eccleſia congregata in Spiritu Sancto, in Concilio Trident. ſeſſ. 4. hanc eſſe authenticam, quod de nulla alia decrevit.

Prob. 2. Quia tota Eccleſia Catholica, quæ eſt *columna & firmamentum veritatis* ad Timoth. 3. hac una uſa eſt per mille circiter annos in concionibus, in lectionibus, imò & in decidendis Fidei & morum dogmatibus: dicere autem Chriſtum ſponſam ſuam, cui ſpecialem promiſit aſſiſtentiam, in erroribus & falſitatibus reliquiſſe, pluſquàm abſurdum eſt, & conſequenter ſi hæc vera eſt, omnibus aliis, de quibus ob corruptionem meritò dubitari poteſt, eſt præferenda.

Prob. 3. Quia editio noſtra partim eſt veteris tranſlationis, partim Hieronymi; ſed hæ verſiones omnibus aliis prævalent ex Judicio veterum: ergo. Major certa eſt ex dictis. Prob. min. Quia veterem communem omnibus aliis eſſe præferendam, nitidè aſſerit Aug. ſupra. Verſionem autem Hieronymi laudat 1. idem Aug. lib. 18. de Civit. Dei c. 43. ubi aſſerit ipſius in ea laborem etiam ab Hebræis vocari veracem. 2. S. Iſidorus lib. 1. de officio divino c. 12. *cujus editione generaliter omnes Eccleſiæ uſquequaque utuntur, pro eo quòd veracior ſit in ſententiis, & clarior in verbis.* Alia teſtimonia, etiam Hæreticorum, vide apud authores.

Hoc unum dixero, quòd D. Hieronymus tantæ eſſet æſtimationis, ut Damaſus Papa, Aug. Paulin. Chromat. Heliodor. multique alii paſſim per Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Africam, Palæſtinam, & Græciam eruditiſſimi Epiſcopi, ad hunc unum confugerent, tanquàm ad eum, qui multiplici linguarum varietate adjutus, omnes legiſſet divinæ Scripturæ interpretes, Græcos, Hebræos, & Latinos. Ità Sixtus Senenſ. lib. 4. Biblioth.

Obj. 1. Editio vulgata non eſt conformis textui Hebraico; ergo non eſt omnibus præferenda.

Reſp. diſt. Ant. Non eſt conformis textui puro: N. textui corrupto, ut eſt ille, qui nunc legitur à Judæis ex Maſarétharum correctione, qui ſicut Chriſtum cruxifixerant, ità & quotidiè Scripturam crucifigunt novis punctis, diſtinctionibus, aliiſque corruptelis, ut fatentur Lutherus & Calvinus: C.

Inſt. 1. Textus Hebraicus erat purus tempore D. Hieronymi, cùm eſſet authenticus: atqui extant in Vaticano & alibi exemplaria Hebraica ejuſdem, imò & anterioris temporis, quàm fuerit Hieronymus: ergo.

Reſp. C. totum, ſed nego editionem vulgatam non eſſe illis exemplaribus conformem: vide quæ diximus initio: art. 2.

Inſt. 2. Editio vulgata tota eſt ferè Hieronymi, ſed fatetur ipſemet; quod in ſua verſione aliqua quæ mutanda videbantur, conſultò immutata relicta ſunt: loquens enim de 4. Evangeliis à ſe tranſlatis ſic ait: Ep. 123. ad Damaſum: Quę (nempè Evangelia) *ne multum à lectionis Latinæ conſuetudine diſcreparent ità calamo temperavimus, ut iis tantùm, quæ ſenſum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur, ut fuerant:* ergo nec eſt conformis textui Hebraico puro.

Reſp. Diſt. Min. quædam mutanda levioris momenti, ut vitia Grammaticalia, non fuerunt mutata: C. quædam alicujus ponderis, v. g. contra Fidem, bonos mores, aut veritatem: N. Magis ergo curarunt Interpretes rem, quàm verba, magis ſenſum, quàm regulas Grammaticales, magis ſermonis gravitatem, quàm fucatam orationis novitatem: *non enim curæ nobis eſt vitare ſermonum vitia, ſed ſcripturæ ſacræ obſcuritatem quibuſcumque verbis diſſerere*, inquit Hieronymus in c. 40. v. 13. Ezechiel. Unde Sixtus V. in ſua Conſtitut. *Prorſus indignum eſt, S. Gregorio teſte, ut ſub Donati regulis, Verba Cœleſtis oraculi perſtringantur.*

Inſt. 3. Cùm mutanda, ſive ſint levis, ſive gravis momenti, non ſpecificentur, legens vulgatam editionem debet circa omnia dubitare, an fortè non ſit hoc, vel illud mutandum.

Reſp Neg. aſſump. Nam cùm mutanda tantùm, aut ferè tantùm concernant leges Latinitatis; per ſe patent legentibus, v. g. *Attendite popule meus*; pro *attende popule mi*: *ſcrutamini Scripturas*, pro *ſcrutemini*, *partibor*, *metibor*, pro *partiar*, *metiar*, & ſimilia: unde ſicut mendæ ex librariorum incuria, aut vitia ex verſorum inadvertentia non reddunt nobis hiſtoriam Cæſaris incertam, ità nec ſcripturam ſacram.

Obj. 2. Quoties in Latinis verſionibus occurrit dubium, recurrendum eſt, Auguſtino lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 12. & 15. & Hieronymo Ep. 135. teſtibus, ad textum Hebræum aut Græcum: ergo prævalent noſtro.

Reſp. Hoc dixiſſe SS. Patres; quia ſuo tempore textus illi erant adhuc puri & incorrupti: quod ſanè non dixiſſent, ſi vidiſſent depravationes, Rabbinorum fraude vel malitia immixtas. Ex dictis

Reſol. 1. Temerarios & ridiculos eſſe illos, qui in ſuis argumentis de editione vulgata appellant ad Hebræos codices modernos, quaſi verò Judæi impii & perfidi jam exortes, & toto orbe vagabundi, apud quos nulla eſt authoritas publica, nulla peculiaris Spiritus S. aſſiſtentia, voluiſſent aut potuiſſent accuratiùs ſervare Codicum ſuorum integritatem, quàm Eccleſia Catholica, quæ eſt *columna & firmamentum veritatis*, & à Sancto Spiritu ſpecialiter adjuta.

Reſol. 2. Etiam textum Græcum modernum, Latinè editum, Vulgatæ eſſe poſtponendum; quia, ut ait Bellarmin. ſup. *vix dubitari poteſt, quin ſicut Latina Eccleſia conſtantior fuit in Fide retinenda, quàm Græca, ità etiam vigilantior fuerit in ſuis Codicibus à corruptione defendendis.*

Reſol. 3. Hæreticorum objectiones contra Vulgatam, potiùs procedere ex libidine ablatrandi Eccleſię Romanæ ejuſque Prælatis, quàm ex animo veritatis reperiendæ; quandoquidem non niſi fere de verbis, aut Verborum caſibus nos arguant, ubi convincuntur de rei veritate.

ARTICULUS IV.

An authentica ſcriptura reperiatur apud Lutheranos, & Calviniſtas?

AD authenticam ſcripturam tria requiruntur authentica, nempè Canon, Verſio, & Interpretatio. Si ergo concluſionibus ſequentibus oſtendero; nec Canonem, nec Verſionem, nec Interpretationem eſſe apud ipſos authenticam, concludendum erit neceſſe apud eos veram ſcripturam.

CONCLUSIO I.

LUtherani & Calviniſtæ non habent Canonem authenticum.

Ratio clara eſt; Quia Canon, quem admittunt, nunquàm ab Eccleſia, (cujus ſolius eſt ſacrorum librorum Canonem authenticum texere, ſicut ſolius eſt ipſius definire an aliqui libri ſint ſacri necne, ut fuſiùs poſteà) fuit approbatus, quandoquidem circa Innocentii I. tempora, nequidem duo Authores ſecuti ſint in omnibus Lutheranorum aut Calviniſtarum Canonem, & ab illo tempore ſemper eundem agnoverint Catholici DD. SS. Patres, totaque Eccleſia, quem confirmavit Sacra Synodus Trident. Præterea cùm in aſſignando Canone diſcrepent Hæretici, quis habebitur legitimus? An Calviniſtarum, an Lutheranorum, an Anabaptiſtarum, an Zvvinglianorum, an aliorum? quis rem decidet? an Lutherani? non credent Calviniſtæ: an Calviniſtæ? non credent Lutherani, & ſic de aliis.

Credant ergo Innocentio I. Auguſtino, Gelaſio, toti poſteritati, Spiritus S. deciſionibus nobis per Eccleſiam manifeſtatis, & non ſuo capricio. Si qui autem Patres videntur dubitaſſe, hoc fecerunt antequam rem definiret Columna veritatis Eccleſia; non poſteà. Plura hac de re art. 1. concl. 2.

CONCLUSIO II.

NEc eſt eorum Verſio authentica; quandoquidem ſint ferè tot verſiones diverſæ, quot ſunt Hæretici principaliores: alia eſt enim verſio Lutheri, alia Bezæ, alia Oecolampadii, alia Junii, alia Munſteri, alia Caſtalionis, alia Tremelii, alia Theodori, alia Eraſmi, alia aliorum. Imò alia eſt Bezæ & Bezæ, Caſtalionis, & Caſtalionis, Eraſmi & Eraſmi, Junii & Iunii, & aliorum: nam ſi poſteriores eorum Verſiones cum prioribus conferas, non unius Verſionis unicum Interpretem, ſed diverſarum diverſos exiſtimes. Sed

in hoc

Digitized by Google

in hoc excelluit Lutherus ex pura malitia diſcordans à ſeipſo in duplici Verſione: ità ut cauſam mutationis ſciſcitanti, & præſertim cur diceret ad Rom. 3. hominem juſtificari *ſola* Fide, cùm non habeatur vox *ſola*? Hoc unum impudentiſſimè reſponderet: *ſi ergo Papiſta jam multa vult garrire, de hac voce ſola, ei confeſtim dicito ſic: Martinus Lutherus vult ſic habere, & dicit Papiſtam & aſinum eſſe rem unam. Sic volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas: nolumus enim Papiſtarum ſcholares, aut diſcipuli eſſe, ſed magiſtri & judices &c.* O egregium Eccleſiæ reformatæ ſundamentum! Hæc & alia refert Gretſerus lib. de novis tranſlationibus c. 12.

Confirm. 1. Noſtra concluſio; quia Verſionum illarum depravationes (quæ ab aliquibus in una Lutheri Verſione mille numerantur) non tantum convincunt diverſitas, mutatio, additio, ablatio, corroſio, falſificatio, ad hæreſes ſuas contorſio &c. ſed etiam mutua condemnatio: nam Oſiandrini objiciunt Luthero dolum & falſitatem, Bucerus plures lapſus manifeſtos, Munſterus multorum verſuum omiſſionem Lutherus Luthero varios errores ex nimia Rabinorum Gloſſis adhæſione, ut refert Cochlæus in actis Lutheri, & alibi: imò Lutheri verſionem carpunt Tigurini, Tigurinorum Lutherus, Bezæ Caſtalio, Caſtalionis Beza, volens in ſuis annotationibus ipſius verſionem eſſe ineptam, audacem, imperitam, falſam, ridiculam, vitioſam, blaſphemam, erroneam, execrandam, impiam &c.

Ecce o infatuati Calviniſtæ! o ſimplices Lutherani, quibus principiis, quibus ſundamentis, quibus columnis fulcitur veſtra Religio. Ecce quomodo Magiſtri veſtri *cæci ſunt, & duces cæcorum*, ſua malitia & ſuperbia excæcati. Quid vobis reſtat, niſi ut ambo in foveam cadatis æternam? niſi ad Matrem veſtram, quam auſu temerario & impio reliquiſtis, redeatis.

Confirm. 2. Neceſſe eſt, ut verſiones Hæreticorum ſint falſæ, vel noſtræ, cum diſcrepent etiam in eſſentialibus: inimici autem noſtri ſint judices in propria cauſa, & videant an ſuis vel noſtræ ſit fidendum: noſtra eſt una, ſimplex, conſtans, antiqua, immutata, eadem Gallis & Hiſpanis, Italis & Germanis, Europæis & Africanis, Aſiaticis & Americanis, ita ut de omnibus omninò Catholicis per totum orbem longe lateque diffuſis dici poſſit: *Ecce unus eſt Populus, & unum labium omnibus* Geneſ. 11. Hæreticorum autem verſio eſt multiplex, varia & inſtabilis, ſpuria, novitia, fœdata, corroſa cujuſque capricio accomodata: alia Anglis & Helveticis, Hollandis & Pruſſianis, Danis & Svecis, Genevenſibus & Iſlandis, alia huic & iſti urbi, imò alia & alia ejuſdem urbis, aut pagi incolis; ita ut etſi ſint in parvulo Europæ angulo collimati, innumeris loquantur Scripturæ linguis; quod nonniſi confuſionem poteſt parere: quod optimè, ſed non fructuosè, advertit Lutherus, dum dicit: *Noſtra ætate tot ſunt Bibliorum Verſores, ut temporis ſucceſſione, tam multa fortaſsè futura ſint Biblia, quàm multi ſcioli in Hebraica lingua magiſtros ſeſe profitebuntur, ubi nec finis, nec modus erit.*

CONCLUSIO III.

NEc eſt apud ipſos Interpretatio Scripturæ authentica. Res per ſe patet; quia cùm donum interpretandi Scripturas authenticè, ſoli competat Eccleſiæ Catholicæ, in qua non ſunt Lutherani aut Calviniſtæ, clarum eſt eorum interpretationes non eſſe authenticas, niſi illas à nobis acceperint. Recurrunt igitur ad ſpiritum privatum, ſed quàm falſus ſit ſpiritus ille privatus, indè patet, quòd interpretationes apertè falſas, & ſibi contradictorias ſuis exponant: ut fuſiùs poſtea. Ex quibus concludo, non eſſe apud Hæreticos veram Scripturam; & ideò ſi inter diſputandum velint ad Scripturam recurrere, ad noſtram recurrant neceſſe eſt: ſi velint quidquam evincere.

ARTICULUS V.

Quid dicendum de lectione S. Scripturæ lingua vernacula.

SUppono 1. linguam vernaculam eſſe linguam vulgarem, & omnibus alicujus Patriæ communem, ut eſt lingua Wallonica Tornacenſibus v. g. Flandrica Gandenſibus &c.

Suppono 2. Tranſlationem S. Scripturæ in linguam vernaculam nec eſſe per ſe malam, cùm ſit ſubſtantialiter eadem cum Hebraica, Græca, aut Latina, quæ ſunt intrinſecè bonæ & Sanctæ; nec ab Eccleſia prohibitam; cùm ubique imprimatur quolibet idiomate, permittentibus imò & mandantibus Epiſcopis, ac Summis Pontificibus. His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

NOn expedit in Officiis Divinis, precibus, aut aliis lectionibus publicis uti Sacra Scriptura vernaculè. Eſt contrà ferè omnes Hæreticos hujus temporis, qui Pſalmos ſuos & alias preces decantant in Templis ſuis lingua vulgari.

Prob. 1. Quia ſi hoc expediret, ſanè illo medio uſi fuiſſent Apoſtoli, eorumque Succeſſores in Eccleſia Catholica; ſed nunquam in lectionibus publicis uſi ſunt alia lingua, quàm Hebraica, Græca, & Latina, licèt agerent, canerent, docerent, concionarentur apud populos, quibus ignotæ eſſent linguæ ſacræ, id eſt, tres præfatæ, ut evidenter probat Bellarmin. de Verbo Dei lib. 2. cap. 15. (quem conſule) ergo.

Prob. 2. Quia ſi cuilibet Eccleſiæ liceret officia ſua celebrare lingua vulgari, tandem perirent linguæ ſacræ, deſtrueretur que communicatio Eccleſiarum, cum magno Fidelium diſpendio.

Prob. 3. Quia finis, quem intendunt Hæretici per lectionem vernaculam, plus eſt nocivus, quàm proficuus Fidelibus; nam equidem Prophetas & Pſalmos, qui in Eccleſiis leguntur, non intelligent vernaculè, cùm & nos Latinam linguam callentes vix intelligamus ſine interpretatione. Si autem indè fructum aliquem percipere poſſint, detrimentum, quod imminet, longè majus eſt; cùm omnes, aut ferè omnes Hæreſes, ex Scriptura Sacra malè intellecta originem habeant; & ideò Lutherus Scripturam, librum Hæreticorum vocavit.

Obj. 1. Apoſt. 1. ad Corinth. 14. *Niſi manifeſtum ſermonem dederitis*, inquit, *quomodo ſcietur id quod dicitur*: ergo Eccleſiæ preces publicæ, de quibus loquitur, debent fieri manifeſta lingua ſeu vulgari.

Reſp. Non fieri ibi mentionem Scripturæ, ſed exhortationum & collationum, quas aliqui Corinthii, ut donum linguarum oſtenderent, lingua peregrina exprimebant, quos ideò redarguit Apoſtolus. Ità Cyprianus in Epiſt. ad Pompejum, & aliis quos citat Bellarmin. ſup. cap. 16.

Obji. 2. Saltem infrà agit de Divinis Officiis, adeòque Scripturis: *Qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet amen ſuper tuam benedictionem, quoniam quid dicas, neſcit.*

Reſp. Non loqui ibi de Divinis Officiis, quia cùm à Græcis Græcè fierent in Græcia, ut fatentur Hæretici, non erat cur moneret canentes, uti lingua vulgari, cum vulgaris eſſet Græca, ſed Canticis Spiritualibus, quæ, ut fatentur Dionyſius de Divinis Nomin. cap. 3. & Tertull. in Apolog. cap. 39. fiebant tempore Collationum ſpiritualium; & hæc vult Apoſtolus fieri vernacule, ut qui non poſſunt illa componere, poſſint ſaltem illa confirmare dicendo, *Amen*.

Obji. 3. Cum Calvino: nullus eſt fructus orationis non intellectæ: ergo &c.

Reſp. Si Judæi, teſte Aug lib. 3. de Doctr. Chriſt. c. 9. Deum colebant utiliter figuris & cæremoniis, quarum plurimi ſignificationem ignorabant, quidni Chriſtiani utiliter orarent lingua ignota, cùm ille, ad quem cæremoniæ & preces diriguntur, illas intelligat? Præterea publica Eccleſiæ oratio non fit populo, ſed Deo pro populo, adeòque non requiritur, quòd populus intelligat, ſed Deus, ſicut quando Orator Latinus interpellat Epiſcopum pro Ruſtico.

Obji. 4. Finis Officii Divini eſt populi inſtructio & conſolatio; ſed illa non poſſunt percipi ex lingua peregrina: ergo.

Reſp. Neg. Maj. quia finis illius principalis eſt Dei cultus. Inſtructionem quidem & conſolationem ex Scripturæ lectione percipiunt Docti, non tamen indocti, qui etſi verba Scripturæ intelligerent, ſenſum non caperent; quandoquidem non in verbis, ſed in verborum ſenſu ſit inſtructio & conſolatio, & ideò ut ex Scriptura inſtructionem & conſolationem percipiant, ipſis in Concionibus explicatur, quantum neceſſe eſt.

Obji. 5. Innocentius III. cap. *Quoniam in pleriſque* 14. *de Offic. Judicis ordinarii*, præcepit, ut ubi eſſent diverſi idiomatis homines, ibi eſſent diverſi Miniſtri, linguis diverſis Officia celebrantes: ergo.

Reſp. Pontificem tantùm loqui de lingua Græca & Latina, quæ ſunt in Officiis Divinis uſitatæ, hocque fecit, quia, capta à Latinis Conſtantinopoli, ibidem erant permixtim Græci & Latini, pro quibus cùm peterentur duo Epiſcopi, Græcus unus, Latinus alter, reſpondit Pontifex, quoad aſſumerent Miniſtros idoneos, qui Græcè Græcis, & Latinè Latinis Officia celebrarent, ut patet ex cap. 9. Concil. Generalis Lateran.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO II.

NEc eſt conveniens ut privata S. Scripturæ lectio omnibus indifferenter permittatur lingua vulgari, & ideò iuſtiſſimè id prohibuit Eccleſia per regulam 4. Indicis Librorum prohibit. in fine Concil. Trid. poſitam.

Prob. 1. *Cum*, ut ait præfata regula, *Experimento manifeſtum ſit, ſi Sacra Biblia vulgari lingua paſſim ſine diſcrimine permittatur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri*. Et certè undè tot Hæreſes unde in mulieribus ambitio docendi, & prædicandi, undè Clericorum contemptus, undè in Eccleſiam Romanam convitia, undè tot Apoſtatæ? niſi ex Scriptura malè intellecta, ut convincuntur Hiſtorias legentes.

Prob 2. Quia promiſcua Sacra Scriptura poteſt eſſe aliquibus ſcandalo, nam ſi rudes audirent vernaculè Cantica Canticorum, & illud Oſeæ 1. *Fac tibi filios fornicationum*: item mendacia ſaltem apparentia Judith & Jacob, adulterium Davidis, inceſtum Loth, quod Joſeph Fratres ſuos inebriaverit, quod Sara, Rachel, & Lia dederunt ancillas viris ſuis in concubinas, & alia facta à Viris quos extollit Scriptura, ſicat & apparentes Scripturæ contradictiones, certè periculum eſſet, ne multa peſſima putarent, vel licita, vel tolerata, vel non ita mala: vel etiam Scripturam rejicerent. Unde refert Bellarm. ſup. c. 15 Mulierem in Anglia audientem in Eccleſia cap. 23. Eccleſiaſtici (in quo multa de malitia mulierum) impudenter dixiſſe, illud non eſſe Verbum Dei, ſed potius Diaboli. Unde meritò dixit Jeſus Matth. 7. *Nolite Sanctum dare canibus, nec mittatis margaritas veſtras ante porcos*, id eſt, ut ajunt SS. PP. ante malignos, perverſos, aut ignorantes.

Prob. 3. Quia Eccleſia ſufficienter & tutiùs providet Fidelibus per Exhortationes, Conciones, Catechiſmos, Scripturæ explicationes, Libros pios, &c. unde doctrinam ad ſalutem neceſſariam abundantiſſimè poſſunt depromere.

Prob. 4. Si expediret legere promiſcuè Scripturam, cur Judei prohibebant omnibus, teſte Hieronymo Epiſt. 103. lectionem principii & finis Ezechielis, & initii Geneſeos ante annum ætatis 30. cur docet Origenes, ut refert P. Bottens Tom. 1. œconom. Sacræ diſp. 2. in fine, abſtinendum eſſe adhuc ſubjacenti carnis ſuæ affectibus, à legendis Canticis? certè ſi, tot mala, tot Hæreſes, tot ſcandala, quæ poſtea inde provenerunt, vidiſſent, quid non dixiſſent?

Prob. 5. Ex ipſo Luthero: quia ipſo teſte, poſt longam in Sacris Scripturis exercitationem, poſt ſtudium diurnum nocturnumque, poſt ferventem orationem, poſt meditationem aſſiduam, erravit in Scripturarum intelligentia Auguſtinus, hallucinatus eſt Hieronymus, decepti ſunt Ambroſius, Hylarius, Cyprianus, Baſilius, Chryſoſtomus, quis ſibi perſuadeat non eſſe decipiendos Sutores, Laniatores, Cerdones, & alios ejuſdem farinæ homines?

Obj. 1. Cum Luthero: Scripturam Sacram eſſe apertiſſimam & præſertim novum Teſtamentum.

Sed ſi ita eſt, cur fabulatur erraſſe SS. PP. præfatos, cur erravit Arius? cur Neſtorius? cur Macedonius? cur ipſemet Lutherus qui ſeipſum in variis poſtea redarguit? ſi ita eſt, cur Doctores etiam profundiſſimi, circa intellectionem tot Parabolarum, ſimilitudinum, & locutionum figuratarum laborant.

Obj. 2. Chryſoſtomum Scripturæ lectionem omnibus inculcantem hom. 9. in Epiſt. ad Coloſſ. *audite*, inquit, *obſecro ſæculares omnes, comparate vobis Biblia animæ pharmaca*. Idem habent multi Patres, & ipſemet alibi: ergo expedit &c.

Reſp. diſt. Conſeq. Expedit hoc tempore: N. expediebat tempore Chryſoſtomi, Hieronym. &c. quando indè nihil timebant: C. unde Eccleſia aliqua permittit, imò præcipit certo tempore, quæ alio prudenter prohibet, ut patet in Communione ſub utraque ſpecie, & poſteà ſub unica. Item in nocturnis vigiliis currebant omnes utriuſque ſexus ad ſepulchra Martyrum, quod defendit & laudavit Hieronymus tom. 5. demonſtrat. adverſus Gentiles, circ. med. & tamen ob abuſus idipſum prohibuit Concilium Elibertinum c. 35.

Obj. 3. Ridiculum eſt prohibere filiis, ne legant Teſtamentum Patris.

Reſp. Non eſſe ridiculum, ſed prudentiſſimum, ubi ex lectione varia apprehenduntur inconvenientia.

Obj. 4. Lectio Scripturæ eſt per ſe bona, & *utilis ad docendum, & arguendum*, ut ait Apoſt. 2. Tim. 3. ergo &c.

Reſp. Quòd ſicut bonus eſt gladius militi, & nocivus furioſo; bona carnis comeſtio ſano, & nociva infirmo; ità bona eſt ſcriptura intelligenti, ſed quandoque nociva rudi & bardo, non ratione ſui, ſed defectu diſpoſitionis in ſubjecto.

Obj. 5. Dicit Chriſtus Joan. 5. *Scrutamini Scripturas*, & ejus Vicarius; nolite legere Scripturas, cui ergo obediendum?

Reſp. Ex verbis Chriſti nihil poſſe colligi contra nos, cùm non præcipiat ibi indifferenter lectionem Scripturæ; ſed Phariſæos & Scribas contumaces remittat ad Scripturas ut confundantur.

CONCLUSIO III.

LIcèt ab initio non tantùm Sacram Scripturam, ſed etiam Controverſias Fidei, imò & compendia Scripturæ hiſtorica, ſicut & ejuſdem partes, ut Epiſtolas, Euangelia, Paſſionem &c. ſub peccato gravi prohibitum eſſet legere vernaculè, ut patet ex Regula 4. & 6. Indicis, & annotatione ad Regulam 4. in editionibus novis Concil. Trid. reperta; fatendum eſt tamen conſuetudinem in his locis pluribus derogaſſe, aut certè rigorem præcepti temperaſſe: nam 1. leguntur ſine ſcrupulo Epiſtolæ & Euangelia Miſſæ, ſicut & Hiſtoriæ Paſſionis in libellis Hebdomadæ ſanctæ. 2. Hiſtoriæ ſummatim referentes acta veteris & novi Teſtamenti. 3. Fidei Controverſiæ à Scriptoribus Catholicis compoſitæ, ut hiſtoria variationum, Illuſtriſs. D. Boſſuet Epiſcopi Meldenſis, & ſimilia. 4. Explicationes Epiſtolarum & Euangeliorum totius anni, licèt ibidem Epiſtolæ & Euangelia reperiantur. 5. Sine contradictione Prælatorum vendunt Biblia vernacula Bibliopolæ, non inquirentes an emptores facultatem habeant in ſcripto, necne, licèt id prohibeatur in Regula quarta. 6. Invaluit uſus in tota Germania, ut etiam Biblia ab omnibus legantur Germanicè, ut refert Gretſerus, & hoc ne decipiantur per Hæreticorum Verſiones, quæ ſunt ibi frequentes, imò & idem eſt in Gallia, ſaltem quoad novum Teſtamentum, quod, annuentibus Epiſcopis, Gallicè imprimitur, omnibus indifferenter venditur, & etiam à mulierculis legitur.

Quid autem facere debeamus nos, aliique Gallis vicini, apud quos ſunt innumera Biblia Gallica, ſaltem novi Teſtamenti, in omnibus ferè familiis honeſtioribus diſperſa, apud quos, inquam, aliqui Epiſcopi & Paſtores plurimi, non ſolùm novi Teſtamenti lectionem permittunt, ſed præcipiunt aut inſinuant? certè nec ſcio, nec video, niſi quod in illis ſervet unuſquiſque Eccleſiæ ſuæ morem receptum. Unum tamen addidero, non facilè permittendam lectionem veteris Teſtamenti, niſi Viris illud intelligentibus: item nec debere quemquam etiam novum retinere aut legere, ſi editio ſit Montenſis, ob Eccleſiæ prohibitionem; nec editiones Hollandicas, Germanicas, Anglicas, aut aliorum locorum ſuſpectorum, niſi priùs illas Paſtoribus examinandas tradiderint.

ARTICULUS VI.

Quotuplex Scripturæ ſenſus? Accedunt variæ quæſtiunculæ.

SUppono hic per ſenſum Scripturæ, intelligi ſignificationem Scripturæ, in qua relucet Authoris mens, illiuſque genuinus conceptus, & germana intentio, ut conveniunt omnes PP. & DD. Catholici.

CONCLUSIO I.

DUplex eſt Scripturæ ſenſus, litteralis unus, ſpiritualis alter ſeu Myſticus. Ità omnes Catholici: qui tamen variant non tam in re, quàm in modo loquendi.

Litteralis eſt ille, qui immediatè ſignificatur per Verba: ſpiritualis, qui non immediatè per Verba, ſed per res ipſis Verbis ſignificatas; ità ut litteralis ſit ſenſus Verborum, & ſpiritualis ſenſus rerum: nam Verba ſignificant res ſecundùm litteram, & res quandoque ſignificant aliam rem ſecundùm myſterium.

Probatur autem eadem Verba importare duplicem illum ſenſum, tum in diverſis ſcripturæ locis, tum in eodem loco: nam 1. *aqua*, ut alia innumera taceam, ſignificat uno loco litteraliter elementum, ut Geneſ. 1. *Congregentur aquæ ..... in locum unum*. Alio loco ſpiritualiter tribulationes, ut Pſal. 65. *Tranſivimus per ignem & aquam*. Alio loco gratiam, mundi proſperitates, Baptiſmum, populos &c.

2. Eadem verba eodemque loco ſignificant litteraliter & myſticè: nam duo Filii Abrahæ, quorum unus de ancilla, alter de libera, etiam ſignificant myſticè vetus & novum Teſtamentum, ſecundùm Apoſt. ad Gal. 4. Item *manna* ſignificat myſticè Euchariſtiam, Jonas in ventre Ceti, Chriſtum in ventre terræ, exitus filiorum Iſrael ex Ægypto per Moyſen, exitum noſtrum de ſervitute peccati per Chriſtum, & ſic de aliis.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO II.

SUbdividitur ſenſus litteralis in proprium, & translatum ſeu Metaphoricum:

Proprius, eſt ille, quem habent verba ex primaria ſua inſtitutione, ſic *aqua* propriè ſignificat elementum quod terram alluit & interluit: *ignis*, elementum calefactivum, & ſic de aliis.

Translatum eſt, dum verba transferuntur ad ſignificationem impropriam, ut quando accipiuntur tropicè, metaphoricè &c. Sic Chriſtus dixit ſe vitem, & diſcipulos ſuos palmites, Joan. 15.

Addunt hic aliqui ſenſum parabolicum, ſed continetur ſub ſenſu translato, ſeu metaphorico; quandoquidem parabola propriè dicta ponat unum pro alio, ità ut aliud dicat grammaticaliter, & aliud ſignificet inſtar tropicæ vel figuratæ locutionis, ut patet Matth. 13. *Simile eſt Regnum Cælorum fermento* &c. Quæ verba denotant grammaticaliter factum mulieris, quæ ex fermento & ſatina maſſam præparat, ut fiat panis: transferuntur autem per metaphoram, ut ſignificent Verbum Evangelii, & illius efficacitatem: unde omnis parabola propriè dicta importat metaphoram, non tamen omnis metaphora parabolam, cùm hæc ultrà ſenſum translatum importet comparationem unius cum alio.

Dixi: *Parabola propriè dicta*; quia impropriè ſumpta tantùm importat ſermonem ſimilitudinarium, ſeu comparationem unius cum alio.

Dices: ſenſus translatus eſt litteralis; ſed parabolicus non eſt litteralis, cùm non ſit ſignificatio verborum, ſed rerum: ergo.

Reſp. Neg. Min. Eiuſque probationem; quia ſenſus litteralis non eſt ille, quem verba, prima fronte exhibent (ille enim eſt grammaticalis ſolum litteræ corticem explicans) ſed ille, qui juncta intentione loquentis immediatè deſignatur: unde Abulenſis in cap. 13. Matth. q. 20. Loquens de parabolis & Metaphoris: *id quod ſignificatur ibi in cortice litteræ non eſt ſenſus litteralis, ut cùm dicitur*: Oculi Domini ſuper juſtos Pſ. 33. *Quia non eſt ſenſus quòd oculi Domini ſint ſuper juſtos, quia ſenſus litteralis ſemper eſt verus, & tamen falſum eſt, quòd Deus habeat oculos; litteralis autem ſenſus eſt hic, quòd Deus ſemper habeat curam de bonis.* Ex dictis

Reſol. 1. Quaslibet Scripturæ ſententias habere ſenſum litteralem; vel enim ſignificant id quod voces prima facie oſtendunt, & eſt ſenſus proprius, vel id ad quod ſignificandum à Spiritu Sancto transferuntur, & eſt translatus, ſeu metaphoricus.

Reſol. 2. Ubi ſenſus proprius ſeu purè litteralis eſt falſus, ut quando Deus dicitur iraſci, pœnitere, ambulare, aſcendere, deſcendere, habere oculos, manus, pedes &c. ſenſum eſſe translatum; nam cùm non poſſit falſum ſignificare Spiritus Sanctus, ſequitur verba illa eſſe ab ipſo ad aliam ſignificationem translata.

Reſol. 3. Hoc eſſe diſcrimen inter ſenſum litteralem translatum, & ſpiritualem ſeu myſticum, quòd ſenſus litteralis translatus habeatur ex rebus ut verbis, ſeu loco verborum poſitis; myſticus verò ex rebus ut rebus: unde quando Matth. 5. dicitur: *Quòd ſi oculus tuus dexter ſcandalizet te, erue eum &c.* ſenſus ibi non eſt myſticus, ſed litteralis translatus; quia oculus ibi non ſumitur per modum rei ut rei, aliàs eſſet eruendus, ſed per modum verbi ad ſignificandum amicum, proximum &c. quem debemus à nobis repellere, ubi nobis eſt ſcandalo. E contra in hoc paſſu Pſ. 15. *pluit illis manna* &c. ultra ſenſum litteralem proprium, datur myſticus; quia *manna*, quod quatenus verbum ſignificat cibum levem, etiam per modum rei ut rei ſignificat figurativè Euchariſtiam.

Reſol. 4. Quando aliqua propoſitio Scripturæ Sacræ falſa eſt ſecundùm ſenſum litteralem proprium, ut quando Chriſtus dicitur Leo, Petra &c. ſemper habere translatum: Ratio eſt; quia cùm omnis Scripturæ propoſitio habeat ſenſum litteralem, ut diximus, & Spiritus S. non poſſit intendere falſum, ſequitur propoſitionem falſam ſecundùm corticem litteræ, habere ſenſum translatum, ſecundùm quem ſit vera.

Reſol. 5. Senſum purè accommodatitium, non eſſe ſenſum Scripturæ; quandoquidem nec Scriptor Sacer, nec Spiritus S. illum intenderit primariò aut ſecundariò, hiſtoricè aut myſticè, ſed vel S. Pater, vel Doctor, vel Concionator, vel Eccleſia, quæ quandoque in Officio Divino applicat Sanctis novi Teſtamenti, quæ dicta ſunt in Scriptura de perſonis veteris Teſtamenti.

Dixi: *Purè accommodatitium*; quia ſi Sacer Scriptor verba Scripturæ de uno dicta, tribuat alteri, ut quando Joannes in ſua Apocalypſi cap. 11. de duobus teſtibus in fine mundi (qui erunt Enoch & Elias, ut volunt aliqui, vel Moyſes & Elias, ut volunt alii) dicit: *Iſti ſunt duæ olivæ*, quod anteà dixerat Zacharias cap. 4. de Jeſu filio Joſedech, & Zorobabel ducibus Juda, tunc verba illa continent ſenſum Scripturæ; quia ultra accommodatitium habent verum ſenſum litteralem, eo modo ac ſi non fuiſſent alteri attributa.

CONCLUSIO III.

SUbdividitur etiam ſenſus myſticus ſeu ſpiritualis in Allegoricum, correſpondentem Fidei, Anagogicum correſpondentem Spei, & in Moralem ſeu Tropologicum correſpondentem Charitati; ſiquidem Allegoricus eſt, dum verba ultra ſenſum litteralem ſignificant aliquid pertinens ad Fidem aut Eccleſiam Militantem, ſic Jonæ ſignum ſignificat allegoricè Chriſti ſepulturam & Reſurrectionem, Serpens æneus Chriſti crucem.

Anagogicus eſt, dum voces præter ſenſum litteralem important aliquid ſpectans ad Beatitudinem, aut Eccleſiam Triumphantem, ſic hæc verba: *introibunt in requiem meam* intelliguntur litteraliter Pſ. 94. de terra promiſſionis in Palæſtina, & Anagogicè de cœleſti patria. Hebr. 4.

Moralis ſeu Tropologicus eſt, ubi ultrà ſenſum litteralem importatur aliquid ad morum inſtructionem pertinens, ut quando geſta in veteri Teſtamento nobis indicant per modum figuræ quid agere debeamus in novo. Licèt autem ſenſus litteralis etiam inſtruat; in hoc tamen differt à Morali, quòd hic inſtruat per res verbis ſignificatas, ille per verba immediatè. Ex dictis hac quæſtione

Reſol. Senſum ſcripturæ generaliter ſumptum eſſe quadruplicem, quatuor Eccleſiæ Doctoribus attributum, Litteralem Hieronymo, qui eſt de rebus geſtis. Allegoricum Ambroſio, qui de credendis. Anagogicum Auguſtino, qui de ſperandis; & Moralem Gregorio, qui de faciendis: qui omnes ſenſus exprimuntur his verſibus.

Littera geſta docet, quid credas Allegoria:
Moralis, quid agas; quid ſperes, Anagogia.

Petes 1. an 4. illi ſenſus poſſint reperiri in uno Scripturæ paſſu?

Reſp. affirm. ut videre eſt ad Gal. 4. ubi exprimuntur omnes in filiis Abrahæ. Imò reperiuntur omnes in hac voce *Jeruſalem*, quæ litteraliter ſignificat urbem Palæſtinæ, Allegoricè Eccleſiam Militantem; Anagogicè Triumphantem, & Moraliter animam juſti in hoc mundo.

Petes 2. An ſenſus litteralis prævaleat myſtico?

Reſp. Prævalere in aliquibus 1. *Ordine prioritatis*; quia litteralis eſt fundamentum myſtici 2. *In efficacia* ad convincendos Hæreticos, probandaque Fidei dogmata; eò quod Myſticus ſæpè ſit obſcurus, & quandoque tantùm probabilia præbeat argumenta, quando nempè de illo non conſtat vel per alium ſcripturæ paſſum, vel per Eccleſiæ definitionem, aut Traditionem. 3. *In generalitate*, eò quod in omnibus ſcripturæ paſſibus detur ſenſus litteralis, non myſticus. Prævalet tamen etiam ſuo modo ſenſus Myſticus 1. *Dignitate*; quia res ſignificat præſtantiores, putà Chriſtum, Eccleſiam, vitam cœleſtem &c. 2. *Intentione Spiritus Sancti*, qui ordinariè principaliter intendit ſenſum myſticum: undè vetus Teſtamentum, etſi referat litteraliter acta illius temporis, principaliter tamen præfigurat Chriſtum. 3. *Nobilitate*, eò quòd myſticus comparetur quandoque nucleo, litteralis cortici; ille Divinitati, hic Chriſti Humanitati; ille animæ, hic carni; ille grano, hic paleis: ex quibus patet, ſenſum litteralem & myſticum habere ſe ad invicem tanquam exceſſa & excedentia.

Petes 3. Cur omnes ſcripturæ paſſus non habeant ſenſum myſticum?

Reſp. Quia varii allegari poſſunt, ubi nullus eſt ſenſus myſticus cum rationabili fundamento excogitabilis; nam in his verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Matth. 22. item in his: *Honora patrem tuum*. Matth. 19. ſicut & in ſequentibus: *Euntes docete omnes gentes*. Marc. ult. quænam apparentia ſenſus myſtici? unde bene monet Aug. lib. 17. de Civit. cap. 3. *Multum audere, qui prorſus ibi omnia ſignificationibus allegoricis involuta eſſe contendunt*. Et certè hallucinationi exponuntur, dum quos quærunt & non inveniunt ſenſus myſticos, ſcripturas torquendo, extorquere conantur.

Petes 4. An in eodem ſcripturæ paſſu poſſit eſſe duplex ſenſus litteralis?

Reſp. Affirm. quia poteſt Deus, qui unico Verbo ſuo æterno,

Digitized by Google

no, ſeipſum & omnia dicit, etiam uno verbo ſcripto plura arcana declarare & revelare; cùm hoc non involvat implicantiam, ſed ſummam Dei Sapientiam: unde hoc ipſum fecit per hæc verba: *generationem ejus quis enarrabit?* Iſaiæ 53. quæ ſecundum Aug. hom. 36. inter 50. & Hieronymum in præfat. locum, intelliguntur de æterna & temporali Chriſti generatione. Idem reperitur in pluribus aliis.

ARTICULUS VII.

An Scripturæ ſenſus ſit obſcurus & quare?

CONCLUSIO I.

LIcèt Scripturæ ſenſus multis in locis ſit clarus, pluribi tamen eſt obſcurus. Eſt contra hæreticos qui ut oſtendant ſcripturæ lectionem omnibus eſſe utilem, ab omnibus volunt eſſe intelligibilem.

Prob. 1. ex Script. 2. Petri 3. ubi loquens de Epiſtolis D. Pauli, ait: *In quibus ſunt quædam difficilia intellectu &c.* 2. ex SS. PP. Aug. Epiſt. 119. cap 21. ad Januarium: *Miror, quia hoc te latet, quòd in ipſis Sanctis Scripturis multò neſciam plura, quàm ſciam.* Hieronymo Epiſt. 103. ad Paulinum. *Iſaiam, Jeremiam, Ezechielem, & Danielem, quis poteſt vel intelligere, vel exponere?* Idem docent omnes SS. PP. qui hanc materiam tractarunt. 3. Exemplis ipſiuſmet Scripturæ, ut Eunuchi, qui Philippo interroganti, an intelligeret Iſaiam, quem legebat, reſpondit Actor. 8. *Et quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi?* Item Judæorum, qui non intelligentes, illud Joan. 2. *Solvite Templum hoc* &c. Chriſtum calumniati ſunt. Item ipſorummet Apoſtolorum: *Ipſi nihil horum intellexerunt*, Luc. 18. *ediſſere nobis parabolam zizaniorum*, Matth. 13. Denique diſcipulorum euntium in Emmaus, quibus Scripturam interpretatus eſt Chriſtus. 4. Ratione: ſi enim facilis eſt intellectu Scriptura, ad quid tot Interpretes, tot controverſiæ, tot commentaria, tot quæſtiones, tot circa illam inter ipſoſmet Hæreticos altercationes & diſſentiones? 5. Ex teſtimonio ipſius Lutheri, qui, ut omittam innumeros alios, poſtquam dixit lib. de ſerv. arbit. *Si Scriptura eſt vel ambigua, quid illam opus fuit nobis divinitus tradi? an non ſumus ſatis obſcuri & ambigui, niſi de cœlo nobis augeatur obſcuritas & tenebræ?* ingenuè fatetur in Sympoſiac. cap. 1. *In Scripturis vix ſcimus A, B, C, adhuc non rectè.*

Obj. 1. Deuteron. 30. dicitur: *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non ſuprà te eſt*: ergo &c.

Reſp. neg. Conſeq. ex hoc enim quòd mandatum (per quod intelligit Deus legem Moſaicam, præcepta Decalogi, cæremonialia, & judicialia continentem) ſit clarum & intellectu facile, non ſequitur idem eſſe de tota Scriptura.

Obj. 2. Verbum Dei dicitur *lux, lucerna, lumen, præceptum lucidum illuminans oculos*: ergo clara eſt Scriptura ſacra.

Reſp. diſt. Ant. dicitur, *lux* &c. quantùm eſt de ſe, aut quando bene intelligitur: C. quando non capitur, N. ſic hædera appenſa tabernæ ad ſignificandum vinum venale, eſt lux de ſe, ſicut & ſcientibus ejus ſignificationem, non tamen aliis, qui neſciunt quid ſignificet.

Obj. 3. illud 2. Corinth. 4. *Quod ſi etiam opertum eſt Evangelium noſtrum, in iis, qui pereunt, eſt opertum*: ergo aliis non eſt opertum, ſed clarum.

Reſp. Apoſtolum non loqui ibi de Evangelio nudè ſumpto, ſed explicato & expoſito per prædicationem, quod credentibus erat clarum & perſpicuum; Judæis autem & Gentibus, quia Apoſtolo prædicanti credere nolebant, opertum, ſtultitia, & ſcandalum; & ideò dicit 1. Ad Corinth. cap. 1. *Nos prædicamus Chriſtum Crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam.*

CONCLUSIO II.

CAuſæ cur Scriptura Sacra ſit obſcura, aliæ ſunt formales, aliæ motivæ. Formales ſunt 1. Materia ſeu res tractata, quæ aliquando ſublimis eſt, ut quando referuntur Myſteria SS. Trinitatis, Incarnationis, &c. aliquando abſens, præterita, futura, vel aliàs ignota.

2. Modus quo materia interdum tractatur, ſcilicet per tropos, ſchemata, hyperbolas, parabolas, & omnis generis figuras: Item quòd unum verbum in eadem ſententia aliquando ſumatur propriè, aliquando figuratè ut vox *aqua* Joan. 4. verſ. 13.

3. Linguarum diverſitas, per quas ad nos tranſiit, nempè ex Hebræa in Græcam, ex Græca in Latinam, quo enim magis diſtat aqua à fonte, magis turbida eſt.

Cauſæ motivæ ſunt. 1. *Subordinatio*, ut in hac materia, ſicut in aliis, alii docerent, alii diſcerent; contra quod enormiter peccant Hæretici, permittentes etiam mulierculis Scripturæ Sacræ interpretationem. 2. *Conſervatio* authoritatis, reſpectus & venerationis Scripturæ Sacræ, quæ facilè vileſceret, ſi ejus cognitio communis eſſet. 3. *Depreſſio* arrogantiæ noſtræ omnia penetrare præſumentis. Denique *recurſus adorationem*, ut dicamus cum Propheta Regio: *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam*, Pſ. 118. & ante: *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.*

ARTICULUS VIII.

Reſolvitur tandem quæſtio quod Scriptura ſit Fidei regula infallibilis, licèt non ſit ſola.

CONCLUSIO I.

SCriptura, ſaltem vulgatæ editionis, eſt Fidei regula infallibilis. Eſt de fide.

Prob. 1. Vel nulla datur Fidei regula infallibilis, vel maximè Scriptura; quandoquidem ſit ipſum Dei verbum, qui, utpotè prima veritas, nec fallit, nec fallere poteſt; & ideò Chriſtus ipſemet Judæos incredulos remittit ad Scripturam: *Scrutamini Scripturas*, inquit Joan. 5. *Illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me*. Quod ſanè non feciſſet, niſi in exponendis Fidei veritatibus infallibiles eſſent.

Prob. 2. Quia Concilia, Summi Pontifices, Sancti Patres, Doctores, Theologi, Concionatores, Controverſiſtæ, omnes quotquot ſunt, pro definiendis, exponendis, probandis, explicandis Fidei dogmatibus, ad Sacram Scripturam recurrunt tanquam ad divinum & infallibile oraculum.

Dixi in concluſ. *Saltem vulgatæ editionis*; quia textus Hebraicus, utpotè jam in multis vitiatus, non eſt Fidei regula infallibilis, ſicut nec verſio 70. quæ licèt fuerit emendata à Noſtro Ximenez Cardinali, & Archiepiſcopo Toletano, & poſtea à noſtro Sixto V. Opera aliquorum Cardinalium & Doctorum; non fuit tamen primæ ſuæ puritati reſtituta, & ideò licèt ſit magnæ authoritatis in Eccleſia, nullo tamen decreto cautum eſt pro authentica eſſe recipiendam.

Dices contra concluſ. cum Eraſmo, multa ſunt in Scripturis quæ non ſunt à Deo revelata, ſed à ſcriptoribus de ſuo poſita, ut ſalutationes in Epiſtolis D. Pauli, & Sancti Joannis, & plurima ſimilia, quæ videntur divina revelatione indigna: ergo Scriptura non eſt Fidei regula infallibilis, ſaltem quoad omnia.

Reſp. Neg. Ant. Quia etiam illa, imò & minutiora à Deo dictante proceſſerunt, tum propter hiſtoriæ integritatem, tum ut ſuam erga homines amicitiam & bonitatem oſtenderet, tum propter alia motiva ſibi cognita. Si dubitas, Eraſme, lege Chryſoſtomum hom. 1. ad populum in princ. *nec illas quidem*, inquit, *quas tenues eſſe putantur Scripturarum ſententias prætermittamus: nam & ipſa de Spiritus gratia ſunt.* Lege Hieronymum in cap. 3. ad Epheſ. v. 6. *ſinguli ſermones, Syllabæ, apices, puncta, in divinis Scripturis plena ſunt ſenſibus*, id eſt, nihil ibi vacat myſterio.

CONCLUSIO II.

SCriptura non eſt ſola Fidei regula. Eſt contra Calvinianos & Socinianos, qui hanc unicam agnoſcunt.

Prob. 1. Quia in Scripturis, ut fusè probavimus art. præc. multa ſunt obſcura & intellectu difficilia; ita ut in illis explicandis varient Interpretes: ergo tunc ad alium controverſiarum judicem recurrendum eſt

Prob. 2. Si Scriptura Sacra, quam claram & perſpicuam dicunt Hæretici, ſufficiat ad dirimendas omnes Fidei difficultates, cur à tot annis inter ſe litigant Lutherani & Calviniſtæ de Baptiſmo parvulorum, de prædeſtinatione, de reali præſentia Chriſti in Euchariſtia? neceſſe eſt ergo fateantur, vel ſe pertinaces eſſe, vel Scripturam non legere, vel illam ad litem dirimendam non ſufficere. Primum & ſecundum cavebunt fateri: ergo tertium debent amplecti.

Prob. 3. Si Scriptura ſufficeret, vel ſufficeret ſecundùm litteram, vel ſecundùm ſenſum, cùm nihil ſit aliud aſſignabile; neutrum ſufficit: ergo. Prob. Min. de littera quia, ut ait Apoſt. 2. ad Corint. 3. *littera occidit*, id eſt, in lapſum, & errorem inducit: & certè nunquid occidit Judæos, qui necdum Meſſiam adveniſſe arbitrantur, eò quod propter litteram Iſaiæ 6. ipſum expectent divitem &c. Nunquid occidit Sabellianos, qui Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum unicam eſſe perſonam credebant ſub tribus nominibus, ex hac littera occidente, *ego & pater unum ſumus*, Joan. 10. cum unum ſint in eſ-

ſentia

Digitized by Google

ſentia non in perſonis? Nunquid occidit Arianos, qui Chriſtum non Deum, ſed Deo inferiorem volebant propter litteram: Joan. 14. *Pater major me eſt*, cùm tamen hoc ſit dictum de Chriſto ut homine.

Præterea quid impulit Pelagianos ut negarent in Adæ poſteris peccatum originale? hæc littera occidens: *Non portabit filius iniquitatem patris*, Ezechiel 18. quod dictum eſt de peccatis perſonalibus. Quid Macedonianos, ut negarent Spiritum Sanctum eſſe Deum? hæc littera occidens: *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei*, 1. Corinth. 2. qui ſcrutatur enim, ajebant, quærit, qui quærit, dubitat; qui dubitat, ignorat; qui ignorat, non eſt Deus, cùm tamen ibi *ſcrutatur* ſumatur ſecundùm Eccleſiæ interpretationem, pro *comprehendit*. Quid Manichæos? Quid innumeros alios? littera occidens. Imò quid ipſoſmet Calviniſtas? etiam littera occidens; ex eo enim quòd Joan. 6. dicitur: *Caro non prodeſt quidquam*, inferunt Chriſtum non dare nobis in Euchariſtia ſuam carnem. Sed cur admittunt *Verbum caro factum eſt*, Chriſti carnem pro nobis Cruci affixam, ſi caro non prodeſt quidquam?

Prob. eadem Min. *De ſenſu*, nam cùm Scripturæ ſenſus ſæpè ſit obſcurus & difficilis intellectu, ut dictum eſt, & inde plurimæ oriantur controverſiæ, ut fateri debent ipſimet Lutherani, & Calviniſtæ, qui ſemper diſputarunt, & diſputabunt de vero hujus propoſitionis ſenſu: *Hoc eſt corpus meum*, donec aliam regulam, aut judicem agnoſcant; ad alium recurrendum eſt, qui determinet, quis ſit verus & legitimus Scripturæ ſenſus.

Si dicatur paſſum obſcurum intelligi per alium clariorem: cur Hæretici adhuc litigant de vero dictæ propoſitionis ſenſu? cur non currunt ad paſſum clariorem pro difficultate terminanda? Deinde ſi ſenſus, qui apparet Lutherano clarus, appareat Calviniſtæ obſcurus, quis ipſos conciliabit? non Scriptura, ut patet; non Traditio, cùm illam rejiciant: ergo alio judice opus eſt, qui, altercantium controverſiis auditis, examinatis, & in ſtatera Domini libratis, ſententiam ferat, ſicque litem dirimat; & Judex ille eſt Chriſti Eccleſia, ut poſtea oſtendemus.

Sed dicet Lutheranus: Si Calviniſta paſſum obſcurum per clariorem non intelligat, & ideò contra nos altercetur, oritur ex eo quòd ſit excæcatus? ſed ſi Calviniſta dicat è contra Lutheranum excæcatum, quis erit judex, niſi jam aſſignatus?

CONCLUSIO II.

Male aſſignant Hæretici, pro dirimendis Fidei controverſiis, ſpiritum uniuſcujuſque privatum.

Ratio eſt; vel enim ſpiritus ille eſt Spiritus S. vel ſpiritus cujuſque proprius: ſi Spiritus S. cur contradictoria revelat Lutherano & Calviniſtæ circa hanc propoſitionem: *Hoc eſt corpus meum*: imò cur contradictoria Lutherano & Lutherano, Calviniſtæ & Calviniſtæ circa plurima Fidei dogmata? cùm ille non ſit ſpiritus erroris & mendacii, ſed veritatis. Si ſpiritus proprius; quis judex erit ubi duo ſpiritus erunt contrarii an utrique credendum? contradictiones erunt in materia Fidei: an neutri? & ſic ſuperfluus eſt ſpiritus ille privatus.

Dicet Calviniſta ſpiritum ſuum eſſe Spiritum S. non Lutherani. Sed

Contra eſt: dicat Lutheranus è contra, quis judicabit de veritate utriuſque ſpiritus?

Confirm. 1. Concluſio: Non permittunt Hæretici privato cujuſque ſpiritui Legum Civilium interpretationem, cur permitteretur eidem Legum Divinarum & materiarum Fidei interpretatio? an plus periculi eſt in rebus temporalibus & periculis, quàm in rebus ſpiritualibus & æternis?

Confirm. 2. Vel S. Petrus illum ſpiritum habuit, vel non: ſi habuit, quidni ejus ſucceſſor? ſi non habuit: ergo non fuit Fidelis.

Confirm. 3. Vel fuit in Auguſtino, Hieronymo, & aliis Patribus antiquis ſpiritus ille: vel non; ſi fuit: ergo illi, quos Hæretici fallibiles faciunt, utpotè homines, errare non potuerunt: ſi non: ergo novus eſt ille ſpiritus, ſuiſque denegatus Eccleſiæ fundamento, ejuſque columnis, ut reſervaretur Sartoribus, & mulierculis.

Brentius videns hunc ſpiritum privatum etiam mulierculis conceſſum poſſe varia brodia excitare, poſtquam conceſſit privatis privatam de doctrina Religionis judicandi poteſtatem, concedit publicam Principibus; ſed ſi Principibus civilibus inſit illa poteſtas (quod tamen falſum eſt, cùm illorum ſit cauſas humanas, non divinas, naturales, non ſupernaturales decidere) quidni Principibus Eccleſiaſticis; homines ſunt, ais, adeoque fallibiles: ſed nunquid homines ſunt Principes ſæculares? nunquid homo Lutherus? nunquid homo Calvinus? nunquid homo Brentius.

QUÆSTIO II.

An dentur Traditiones quæ ſint Fidei Regulæ infallibiles.

Suppono 1. Etſi nomen *Traditionis* generaliter ſumptum ſignificet doctrinam ſucceſſive per tempora ab uno in alterum tranſmiſſam, ſive interim ſcripta ſit ſive non; moris eſſe tamen apud SS. PP. & Theologos, ut ſumatur pro doctrina non ſcripta, ſaltem à ſui exordio: quod addo; quia doctrina quam Chriſtus ſine Scriptura tradidit Apoſtolis, & Apoſtoli primis Chriſtianis, & hi ſuis poſteris, tandem aliquando fuit à SS Patribus conſcripta, & per codices ad nos tranſmiſſa.

Suppono 2. Traditionem aliam eſſe divinam, aliam Apoſtolicam. 1. Immediatè à Chriſto Apoſtolos inſtruente proceſſit, ut doctrina concernens materiam & formam Sacramentorum, in Sacris Paginis non reperta. 2. Immediatè ab Apoſtolis, quæ ſi à Deo fuerit illis inſpirata, etiam *Divina* dicitur, & pro divina eſt habenda; ſi autem ab illis tantùm ut Eccleſiæ Prælatis emanaverit, dicitur *Eccleſiaſtica*; quamvis Divina nonnunquam *Eccleſiaſtica* etiam dicatur non quia illius eſt auctrix Eccleſia, ſed depoſitaria.

Suppono 3. ex Bellarmino Tom. 1. lib. 4. de verbo Dei c. 9. quinque eſſe regulas ex quibus colligere poſſumus Traditiones ex Apoſtolis deſcendere, 1. eſt quando Eccleſia univerſa credit aliquid tanquam de Fide, quod non reperitur in ſacra Scriptura, ut quòd Mater Dei ſemper fuerit Virgo, etiam poſt partum. Ratio eſt; quia cùm Eccleſia non regatur novis revelationibus, neceſſe eſt, ut quod nunc revelatum credimus, per Prophetas, aut Apoſtolos revelaverit Deus.

2. Quando univerſalis Eccleſia ſervat aliquid non ſcriptum divinis litteris, quod à ſolo Deo potuit conſtitui, ut quòd parvuli, in quibus necdum eſt Fides actualis, poſſint baptizari: erraret enim graviſſimè Eccleſia, inquit, Bellarm. ſupra, ſi abſque Dei mandato parvulos, qui actu non credunt, baptizaret. Quocirca Aug. lib. 10. de Geneſ. ad litter. cap. 23. *Conſuetudo Matris Eccleſiæ in Baptizandis parvulis nequaquam ſpernenda eſt, neque alio modo ſuperflua deputanda, nec omninò credenda, niſi Apoſtolica eſſet Traditio.*

3. Dum aliquid ſemper in Eccleſia ſervatum eſt, nec legitur inſtitutionis initium, ut jejunium Quadrageſimale.

4. Quando omnes Eccleſiæ Doctores, vel ſeorſim ſcribentes, vel in Concilio generali congregati aſſerunt unanimiter aliquid ex Apoſtolis deſcendere, ut veneratio Imaginum, in Concil. Nicæno 2. Act. ult.

5. Dum in Eccleſiis, in quibus probatur integra & continua ſucceſſio ab Apoſtolis per Epiſcopos Orthodoxos, aliquid creditur ab Apoſtolis deſcendere. Quibus ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

Dantur de facto in Eccleſia Traditiones divinæ, quæ ſunt Verbum non ſcriptum, ad nos per Apoſtolos ſucceſſivè tranſmiſſum. Eſt contra modernos Hæreticos, quorum aliqui certas, alii nullas admittunt Traditiones: unde Calvinus l. 4. Inſtit. c. 8. § 8. *Eſto hoc firmum axioma, non aliud habendum eſſe verbum Dei, cui detur in Eccleſia locus, quàm quòd lege primum ac Prophetis, deinde ſcriptis Apoſtolicis continetur.*

Prob. 1. Concl. ex Script. 2. ad Theſſal. 2. *Tenete Traditiones quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.* Ibi autem fieri mentionem de Traditionibus ad Fidem pertinentibus, adeòque divinis, inde manifeſtum eſt, quod ipſos exhortetur Apoſtolus ut firmi permaneant in Fide.

Prob. 2. Ex 7. Synodo Act. 7. in definitione Fidei: *Fatemur autem unanimiter nos Eccleſiaſticas traditiones ſive ſcripto, ſive conſuetudine valentes, & decretas retinere velle, quarum de numero eſt Imaginum figuratio.* Idem docent Concil. Conſtantin. IV. can. 1. & noviſſimè Trident. Seſſ. 4.

Prob. 3. Ex SS. Patribus magno numero à Bellarm. relatis, ex quibus ſufficiant aliqui. 1. Baſilius lib. de Spiritu S. cap. 27. *Dogmata quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus è doctrina ſcripto tradita, quædam rurſus ex Apoſtolorum Traditione in myſterio, id eſt, in occulto, tradita recepimus.* 2. Chryſ. homil. 4. in 2. ad Theſſ. *Patet, quod non omnia per Epiſtolam tradiderint, Apoſtoli, ſed multa ſine litteris.* 3. Damaſcenus l. 4. de Fide c. 17. *Quod plurima Sancti Apoſtoli tradiderint ſine ſcripto, ſcribit Paulus Gentium Apoſtolus.* 4. Auguſtinus lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſt. cap. 7. *Multa non inveniuntur in litteris.* Apoſtolorum ..... quæ *tamen non niſi ab ipſis tradita & commendata creduntur.* 5. Origenes in cap. 6. Epiſt. ad Rom. *Eccleſia ab Apoſtolis traditionem accepit, etiam parvulis Baptiſmum date.*

Prob.

Prob. 4. Si annis bis mille, id eſt, ab Adamo ad Moyſen, potuit vera Religio conſervari, cum ſuis ritibus, cæremoniis, ac Fidei articulis per ſolam traditionem, quidni potuiſſent aliqua per Apoſtolos, eorumque ſucceſſores ad nos deſcendere.

Prob. 5. Tenemur credere eſſe Libros Sacros, item aliquos eſſe Canonicos, alios non: ſed hoc neſcire poſſumus ex ipſa Scriptura: ergo ex traditione. Prob. Min. quia etſi dicat Scriptura ſe eſſe à Deo, niſi mihi aliundè conſtet ipſam eſſe divinam, non teneor ipſi credere: nam aliàs eò quòd in Alcorano legerem ipſummet Alcoranum eſſe à Deo miſſum, tenerer ipſum ut divinum credere.

Prob. 6. Nunquam mihi vel unum ex tota antiquitate referrent verum Chriſtianum Hæretici, qui traditiones divinas rejecerit, ſed ſolos homines excæcatos, & ab Eccleſia profligatos, ut Gnoſticos, Eunomianos, Macedonianos, Marcionem, Neſtorium, Eutichium & alios ejuſdem farinæ heterodoxos? nos autem & Pontifices, & Concilia, & Patres, totamque antiquitatem proferimus: quibus igitur credendum? an nobis, an Hæreticis? judicent oculati.

Obj. 1. Illud Deuteron. 4. *Non addetis ad verbum quod loquor vobis*: atqui admittentes traditiones aliquid addunt: ergo.

Ridicula conſequentia: præcipit Deus Judæis, ut nihil de ſuo addant præceptis impoſitis: ergo Chriſtiani non poſſunt recipere verbum Dei non ſcriptum. Nihilominus

Reſp. diſting. Maj. *Non addetis*, prava interpretatione mandata mea corrumpendo: C. *non addetis*, id eſt, non recipietis verba mea, ſi poſtea locutus fuero: N. aliàs omnes Libri Sacri poſt Deuteronomium conſcripti eſſent rejiciendi.

Obj. 2. Illud ad Galat. 1. *Licèt nos, aut Angelus de Cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizavimus vobis, anathema ſit*: atqui traditionum aſſertores aliud Euangelizant: ergo.

Reſp. Apoſtolum ibi non rejicere traditiones, cùm illas admittat 2. ad Theſſ. 2. *Tenete Traditiones* &c. ſed rejicit Circumciſionem, & aliàs cæremonias Moſaicas, quas falſi quidam Apoſtoli volebant, ultra Fidem in Chriſtum, neceſſarias eſſe ad ſalutem.

Obj. 3. Apocal. 22. legitur: *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto*: ergo &c.

Reſp. Joannem non rejicere omnia præter ſuam Apocalypſim; aliàs rejiceret Euangelia, Prophetas, &c. ſed tantùm vult addentes aliquid de ſuo tanquam eſſet pars hujus libri, aut detrahentes quaſi non eſſet pars, eſſe puniendos: quocirca timere debent ſibi Lutherani, qui non partem, ſed totam Apocalypſim tollunt & rejiciunt.

Obj. 4. Matth. 15. Reprehendit Chriſtus Judæorum traditiones: *Irritum*, inquit, *feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram*. Idem legitur alibi: ergo.

Reſp. diſt. Ant. Reprehendit traditiones quas à Moyſe aut Prophetis acceperant: N. traditiones à Phariſæis receptas, quarum aliquæ erant inutiles; ut quòd ante ſumptionem cibi eſſent lavandæ manus, aliæ periculoſæ, ut quòd non eſſet cum peccatoribus comedendum: C. Ubi autem etiam bonas Phariſæorum traditiones arguit, id non facit propter ipſaſmet, ſed propter jactantiam & vanam gloriam, quam in earum adimpletione quærebant, juxta illud Matth. 23. *Omnia verò opera ſua faciunt ut videantur ab hominibus*.

Obj. 5. Illud 2. ad Timoth. 3. *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum &c.* ergo ſuperfluunt traditiones.

Bella conſequentia; quaſi diceretur: utile eſt vetus Teſtamentum ad docendum: ergo ſuperfluit novum: utilis oratio ad ſalutem: ergo ſuperfluit eleemoſyna. Quis ſanæ mentis conſequentias illas non rideat; & ideò objectionem alia reſponſione indignam judicamus.

Obj. 6. Sanctos PP. præſertim Auguſtinum lib. 2. de doctrin. Chriſt. cap. 9. *in iis*, inquit, *quæ apertè in Scriptura ſunt, inveniuntur illa omnia quæ continent Fidem*. Et cap. ult. *Quidquid homo extra didicerit, ſi noxium eſt, ibi damnatur, ſi utile eſt, ibi invenitur*.

Reſp. Auguſtinum & alios PP. per *Scripturam* intelligere quandoque omne verbum Dei, ſive ſcriptum, ſive non; utuntur autem voce Scripturæ eò quòd omnia revelata, paucis exceptis, continentur in Bibliis explicitè vel implicitè.

Obj. 7. Satis fuit Hebræis vetus teſtamentum: ergo ſatis eſt Chriſtianis vetus & novum.

Reſp. Neg. Ant. Nam, ut alia taceam, nulla fit mentio in veteri Teſtamento de remedio, quod pro peccati originalis deletione neceſſarium erat fœminis & maſculis ante octavum diem, imò & Gentilibus, qui non tenebantur circumcidi. Prætereà ſicut erat ipſis neceſſaria Traditio, ut ſcirent quinam libri eſſent Canonici, ita & nobis.

Obj 8. Impoſſibile eſt Traditiones tanto tempore immaculatas conſervari.

Reſp. Si per bis mille annos potuerunt omnia ad Fidem neceſſaria conſervari per Traditiones in lege naturæ; quidni potuiſſent aliqua ſimiliter apud Chriſtianos conſervari per 17. ſæcula, præſertim cùm illa ſemper fuerint in uſu, imò & à SS. Patribus primis ſæculis fuerint conſcripta?

Obj 9. Ex iis quæ ab Apoſtolis revelata ſunt, ridiculum eſt dicere alia fuiſſe ſcripta, alia non, cùm potuerint omnia ſcribere: nec ſit ratio, cur unum ſcripſerint, & non aliud, ubi utrumque eſſet de Fide, adeòque ab omnibus credendum.

Reſp. Hoc non eſſe ridiculum, ſed ſapientiſſimum: ſicut enim Deus noluit ex juſta cauſa conſcribi remedium pro fœmellis & parvulis ante octavum diem in lege veteri, ita & aliqua in novo Teſtamento. Deinde neceſſaria fuit Traditio, ut oſtendimus ſupra probatione 5. ergo non potuerunt omnia ſcribi.

Obj. 10. Si ſint admittenda certa dogmata in Scripturis non reperta, dabitur locus viſionariis ſua ſomnia jactandi tanquam revelationes.

Reſp. Nihil ſimile ſequi ex noſtra doctrina: cùm enim ſciant non teneri Fideles aliquid credere tanquàm verbum Dei, niſi ſufficienter probetur ut tale, non poſſunt ex Traditionibus admiſſis quidquam præſumere. Imò ſi valeret objectio, nequidem Sacra ſcriptura eſſet recipienda, cùm aliqui ſumpſerint inde occaſionem libros falſos circumferendi, tanquam Canonicos; ut patet ex Gelaſio in Conſilio 70. Epiſcoporum.

CONCLUSIO II.

TRaditiones illæ divinæ ſunt infallibiles Fidei regulæ. Eſt etiam certa de Fide.

Prob. 1. Verbum Dei ſcriptum eſt Fidei regula infallibilis, ut oſtendimus: ergo etiam non ſcriptum. Prob. Conſeq quia non habet quòd ſit regula infallibilis ex eo quòd ſcriptum ſit, ſed ex eo quòd à Deo procedat, ſed ſive ſit ſcriptum, ſive non, ſemper à Deo procedit: ergo &c. unde ſcriptura confert ad memoriæ commoditatem, non ad rei veritatem.

Prob. 2. Quando Apoſtoli in exordio Eccleſiæ annuntiabant Gentibus viva voce Fidei myſteria tanquàm à Deo revelata, tenebantur omnes credere; quia Deus fuerat locutus; nam *Qui non crediderit, condemnabitur*, Marc. ult. ſed ſi tunc verbum Dei, quod necdum erat ſcriptum, non fuiſſet authoritatis infallibilis, non fuiſſent obligati credere, ut per ſe patet: ergo &c. Prætereà tenebantur Fideles ante tempora Moyſis (qui fuit primus Scriptor Sacer) verbum Dei ſola voce traditum, tanquam infallibile recipere: ergo tenemur & nunc.

CONCLUSIO III.

TRaditiones Eccleſiaſticæ, quæ vel ab ipſis Apoſtolis principaliter, vel poſt ipſorum tempora ab aliis Eccleſiæ Prælatis emanarunt, vel circa ritus quoſdam Eccleſiaſticos, vel circa certas cæremonias, vel circa Sacramentorum accidentalia, aut pias Fidelium conſuetudines, non habent parem cum Traditionibus Divinis authoritatem. Attamen ſunt ab omnibus ſervandæ, ſi ſint univerſales.

Prob. 1. Pars; quia non ſunt verbum Dei, ſed hominum, quibus etſi uteretur Chriſtus ad Eccleſiæ ſuæ regimen, non tamen omnia quæ poſteris tradiderunt, à Deo principaliter emanarunt; ſed etiam aliqua de ſuo, ubi expedire judicarunt, vel dixerunt, vel fecerunt cum Dei adjutorio, & hoc præſertim in Conciliis plenariis.

Prob. 2. Pars ex Auguſt. Epiſtol. 118. cap. 5. qui loquens de Traditionibus illis: *Si quid horum*, inquit, *tota per orbem frequentat Eccleſia ..... quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt*.

QUÆSTIO III.

An Eccleſia ſit Fidei regula infallibilis?

NOmen *Eccleſiæ*, quod Græcè evocationem, ſeu cœtum ſignificat, aliquando ſumitur generaliter, aliquando particulariter. Sumptum generaliter eſt quid commune ad Eccleſiam *triumphantem*, qui eſt cœtus in Cœlis regnantium, ſive hominum, ſive Angelorum; ad Eccleſiam *patientem*, quæ eſt congregatio hominum in igne, pro purgandis peccatorum reliquiis, probatorum, & ad Eccleſiam *militantem*,

quæ

Digitized by Google

quæ eſt adunatio Chriſtiaoorum in terris contra ſalutis hoſtes pugnaotium.

Particulariter ſumptum tantùm ſignificat Chriſti Eccleſiam militantem, ſaltem ſi ſumatur abſolutè; nam cum adjuncto, quandoque accipitur in malam partem, ſic Pſal. 25. dicitur *Eccleſia malignantium*; quandoque in bonam, ſic Pſ. 88. dicitur *Eccleſia Sanctorum*.

Porrò Chriſti Eccleſia prout comprehendebat populum veteris Teſtamenti, dicebatur *Synagoga*; prout verò comprehendit populum novi Teſtamenti, dicitur ſimpliciter *Eccleſia*, licèt duo illa nomina idem prorsùs ſignificent, nempè congregationem, de Eccleſia novi Teſtamenti hic quæritur. Sed ante reſolutionem varia ſunt articulis ſequentibus enodanda.

ARTICULUS I.

Quid ſit Chriſti Eccleſia, & quinam ſint de illius corpore?

CONCLUSIO I.

SIc poteſt definiri Chriſti Eccleſia: Societas viſibilis Baptizatorum ſub uno capite Chriſtò in Cœlis, & ejus Vicario Pontifice Romano in Terris, inter ſe in eadem Fide, eodem cultu, iiſdem Sacramentis colligatorum.

Dicitur 1. *Societas viſibilis*, contra Hæreticos fingentes duas Eccleſias, unam inviſibilem Prædeſtinatorum, alteram viſibilem ex bonis & malis coaleſcentem. Sed quæſo, ubi duarum Eccleſiarum meminit Chriſtus? ubi Eccleſia inviſibilis? Jubet ut ſuo tempore adeamus Eccleſiam, dicamus Eccleſiæ, audiamus Eccleſiam, ut Eccleſiam regant Paſtores; & quomodo adire, alloqui, audire, & regere inviſibilem, adeòque inſenſibilem? Eccleſiam comparat monti, convivio, ovili, ſagenæ miſſæ in mare &c quænam autem comparatio viſibilium ad inviſibilia? loquitur, ais, de Eccleſia bonorum & malorum; ſed eſto, loquitur ſaltem de Eccleſia vera, & non chimerica: ergo vera Eccleſia eſt viſibilis, quod eſt intentum noſtrum.

Præterea tempore D. Auguſtini erat vera Eccleſia, ut fatentur adverſarii volentes defeciſſe tantum 6. ſæculo: ſed Eccleſiam ſui temporis evidentiſſimè declarat fuiſſe viſibilem Expoſ. 2. in Pſ. 18. *in manifeſtatione*, inquit, *poſuit Eccleſiam ſuam non in occulto*. Idem habet Epiſt. 166. ad Donatiſtas: ergo &c. Præterea ſi Reſpublica Batavorum eſt viſibilis, quia ultra affectum internum membrorum dantur ſubditi viſibiles, & regimen Superiorum viſibile, quidni viſibilis eſt Eccleſia, quæ ultra Fidem & Charitatem, quibus uniuntur Fideles, habet ſubditos viſibiles, nempè homines, & Paſtorum regimen viſibile, docendo, hortando, judicando, puniendo, Sacramenta miniſtrando, &c.

Obj. Nos credere Eccleſiam, objectum autem Fidei non eſſe viſibile; ſed ſicut Thomas aliud vidit, & aliud credidit, vidit enim humanitatem, & credidit Divinitatem; ita aliud videmus, & aliud credimus; videmus ſiquidem homines ſubditos, & Superiores, cæremonias, ritus externos &c. & credimus tradere veram Chriſti doctrinam, &c.

Dicitur 2. *Baptizatorum*; quia nullus cenſetur Eccleſiæ membrum, aut intrare Eccleſiam, niſi per Baptiſmum, qui eſt porta unica & omnibus communis.

Dicitur 3. *Sub uno capite Chriſto*: nam Deus *ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam* Epheſ. 1. & cap. 5. *quoniam vir caput eſt mulieris, ſic Chriſtus caput eſt Eccleſiæ*. Plura hac de re in Tract. de Incarn.

Dicitur 4. *Et ejus Vicario &c.* ipſi enim in perſona Petri dixit Chriſtus Joan. 21. *Paſce oves meas*: eſt quidem etiam Epiſcoporum, Paſtorum &c. Eccleſiam regere, ſed cum ſubordinatione ad illum.

Dicitur 5. *In eadem Fide, eodem cultu* &c. Eſt enim Eccleſia nomeo Religionis, ſignificans cœtum illorum, qui ſicut uni & eidem Deo ſerviuot, ità eodem cultu, eadem Fide &c.

Dicitur denique: *Inter ſe colligatorum*; quia non ſufficit ad veram Societatem, qualis eſt Eccleſia, ſola multitudo, ſed requiritur inſuper aliqua communicatio per preces, Charitatem &c.

CONCLUSIO II.

OMnes & ſoli illi ſunt de corpore Eccleſiæ, qui baptizati amplectuntur Chriſti Fidem & doctrinam, ſub uno poſt Chriſtum Paſtore & capite. Sequitur ex definitione Eccleſiæ. Hinc

Reſol. 1. Contra Calvinum, non ſolos Prædeſtinatos, ſed etiam reprobos poſſe eſſe de corpore Eccleſiæ; cùm hi, ſicut illi, poſſint Chriſti Fidem profiteri ſub uno capite: unde Chriſtus Eccleſiam comparat *decem Virginibus*, ex quibus quinque prudentes, & quinque fatuæ. *Areæ*, in qua eſt triticum & palea. *Ovili*, in quo ſunt oves & hædi. *Agro*, in quo eſt bonum ſemen & zizania, per quæ intelliguntur Prædeſtinati & reprobi.

Reſol. 2. Contra Pelagianos, nec ſolos perfectos peccato carentes ad Eccleſiam pertinere; quandoquidem peccantes peccato adulterii, aut homicidii v. g. non rejiciant propterea Fidem Chriſti, aut Eccleſiæ ſubjectionem.

Reſol. 3. Excludi ab Eccleſia Catechumenos, quia licèt ſint Fideles, poſſintque, ſi ſic moriantur, ſalvari, cùm tamen nondum Baptiſmum receperint, inter actualia Eccleſiæ membra non numerantur; quandoquidem juxtà Sanctos PP. & Concilium Florent. homines fiant de corpore Eccleſiæ, cùm baptizantur. Quòd ſi dicas, neminem poſſe extra Eccleſiam ſalvari, dicam hoc eſſe verum de iis, qui nec in re, nec in voto, ſunt de Eccleſia. Catechumeni autem, quos comparat Auguſtinus l. 2. de Symb. c. 1. hominibus non natis, ſed conceptis, dici poſſunt de Eccleſia in voto, non in re.

Reſol. 4. Nec eſſe Eccleſiæ incorporatos Hæreticos, & à Fide Apoſtatas; quia ex Concilio Lateran. cap. *firmiter* de ſumma Trinit. Eccleſia dicitur congregatio Fidelium, quales non ſunt Hæretici, qui Fidem oon profitentur; & ideò in Concil. Nicæno cap. 8. dicuntur poſſe recipi in Eccleſiam, ſi redeant; quod ſignum eſt ab ea fuiſſe ſeparatos.

Præterea nullum membrum diviſum, eſt in corpore; ſed Hæretici ſunt membra diviſa & ſeparata, cùm perdiderint unionem præcipuam ad alia membra, quæ eſt ejuſdem Fidei profeſſio: ergo &c. Poteſt quidem Eccleſia Hæreticos judicare & punire; non quia ſunt de Eccleſia, ſed quia debent eſſe, & ab ea ſponte receſſerunt. Ubi autem in Euangelio dicuntur eſſe in eodem agro, bonum ſemen & zizania, per zizania non intelliguntur Hæretici, ſed mali Catholici.

Reſ. 5. Non eſſe idem de Hæreticis internis; quia cùm Eccleſia ſit Fidelium congregatio viſibilis, cenſetur viſibiliter Fidem profitentes viſibiliter ſeu exteriùs in ſuo corpore retinere, licèt à parte rei defectu veri humoris ſint membra arida, ſicca, & putrida: unde ſicut in corpore humano (cui Eccleſiam comparat Apoſtolus ad Rom. 12.) aliqua membra vivunt & ſentiunt, aliqua vivunt & non ſentiunt, aliqua nec vivunt nec ſentiunt; ita in Eccleſiæ corpore, aliqui habent Fidem & Charitatem, aliqui Fidem, non Charitatem, & aliqui oec Fidem nec Charitatem, ſed tantùm externam conjunctionem.

Reſol. 6. Non eſſe de corpore Eccleſiæ, Schiſmaticos; quia etſi idem credant ac *nos*, ubi ſunt præcisè Schiſmatici, quia tamen unionem oon habent cum capite, oec locum habere poſſunt in corpore: unde Eccleſia in die Paraſceves, orat pro Hæreticis & Schiſmaticis, ut Deus ad Eccleſiam dignetur eos revocare. Et Auguſt. lib. de Fide & Symb. c. 10. *Nec Hæreticus pertinet ad Eccleſiam Catholicam, quoniam diligit Deum, nec Schiſmaticus, quoniam diligit proximum.*

Reſol 7. Nec eſſe membra Eccleſiæ, excommunicatos; quia licèt veram Fidem retineant, ac ſubjectionem Prælatis legitimis, & ideò dici poſſint eſſe de Eccleſia animo & deſiderio; poſſintque ſalvari ſi verè pœniteant, cùm tameo priventur omoi commercio ſpirituali, quod habent Eccleſiæ membra inter ſe, non cenſentur cum aliis colligati: undè 11. q. 3. Can. *Omnis* 32. legitur: *Omnis Chriſtianus qui à Sacerdotibus excommunicatur, ſatanæ traditur. Quomodo? quia ſcilicet extra Eccleſiam diabolus eſt &c.*

ARTICULUS II.

Quot ſint notæ veræ Eccleſiæ, & quæ dicenda ſit vera Eccleſia?

LIcèt diſconveniant inter ſe DD. Catholici in aſſignando notarum veræ Eccleſiæ numero; cùm alii referant duas, alii tres, alii ſex, alii 12. alii 15. omnes tamen in hoc conveniunt, quòd ſingulæ ſint ad has quatuor in Symbolo Conſtantinopolitano expreſſas, aliquo modo reducibiles, nempè *unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam*, & ideò has ſolas hic exponemus. Velim tamen advertat anteà lector, has notas non efficere evidentiam veritatis, aliàs non eſſet Fidei articulus, Eccleſiam noſtram eſſe veram; cùm veritas non evidens, ſed obſcura, ſit Fidei objectum; ſed efficiunt evidentiam credibilitatis; ita ut vir prudens non poſſit non credere. Undè evidenter verum eſt id quod videtur; evidenter autem credibile, quod etſi non videatur, meritò tamen debet credi, ob teſtimoniorum multitudinem & gravitatem: ſic non eſt mihi evidenter verum

eſſe

Digitized by Google

eſſe Romam, cùm illam non viderim; eſt tamen mihi evidenter credibile, ob multorum & gravium relationem.

CONCLUSIO I.

PRima veræ Eccleſiæ nota eſt *Unitas*: hac inſinuat Scriptura variis locis: nam Cant 6. dicitur *una columba*, Joan. 10. *unum ovile*, Epheſ. 4. *unum corpus*: unde Cyprianus libro de unitate Eccleſiæ c. 4 *Eccleſia Domini .... unum lumen eſt .... unum caput, & origo una, & una mater &c.* Porro variis titulis eſt una. 1 unitate principii, ſcilicet Dei vocantis, & Chriſti fundantis, & ideo dicitur Epheſ 4. *Unus Dominus*. 2. Unitate capitis; ſicut enim unum eſt ovile; ità eſt *Unus paſtor*, Joan 10. 3. Unitate conjunctionis; *Unum corpus multi ſumus* 1. Corint. 10. & Act 4. *Cor unum, & anima una*. 4 Unitate Fidei, *Una Fides* Epheſ. 4. & ibidem: *Donec occurramus omnes in unitatem Fidei*. 5. Unitate mediorum tum internorum, quæ ſunt Fides, Spes, & Charitas, tum externorum; quæ ſunt Sacramenta, & ideo Epheſ. 4. *Unum Baptiſma*, quod eſt reliquorum janua & fundamentum 6. Unitate ſacrificii: *Omnes, qui de uno pane participamus*, 1. Cor. 10. 7. Unitate finis, qui eſt ipſe Deus poſſidendus.

CONCLUSIO II.

SEcunda veræ Eccleſiæ nota eſt *Sanctitas*; unde Cantic. 6. dicitur Eccleſia, *decora, columba, pulchra ut luna, electa ut ſol*. Item 1 Per 2. *Gens ſancta*, & paulò ante: *Genus electum*. & Rom 1. *Omnibus qui ſunt Romæ . . . vocatis Sanctis*. Eſt autem Sancta, 1. Propter ſponſum Chriſtum, qui eſt *Sanctus Sanctorum*. 2. Propter Baptiſmum & alia Sacramenta, & ideo 1. Corinth. 6. *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis*. 3. Propter Chriſti mortem: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret*. Epheſ. 5. 4. Propter leges & præcepta; *Lex Domini immaculata*. Pſalm. 18. 5. Propter ritus, cæremonias, & officia publica, quæ omnia Sanctitatem redolent. 6. Propter doctrinam, cujus finis eſt, vel ut Sanctitatem acquiramus, vel ut in acquiſita vivamus, creſcamus, & perſeveremus.

CONCLUSIO III.

TErtia veræ Eccleſiæ nota eſt, quòd ſit *Catholica*, ſeu univerſalis. 1. Ratione loci, quia per totum orbem diffuſa: *In omnem terram exivit ſonus eorum*, Pſalm. 18. & Marci 16. *Euntes in mundum univerſum &c* 2. Ratione perſonarum: quia vocat & complectitur omnes omninò rationes, ſi velint Euangelio obedire & ſalvari, & ideo Marci 16. *Prædicate Evangelium omni creaturæ*. 3. Ratione doctrinæ, quia proponit omnia credenda, docet omnia practicanda, & prohibet omnia vitanda. 4. Rationis durationis: quia ſemper durabit; *Suſcitabit Deus cœli Regnum quod in æternum non diſſipabitur*, Daniel. 2.

CONCLUSIO IV.

ULtima veræ Eccleſiæ nota eſt, quòd ſit *Apoſtolica*. 1. Quia à Chriſto, qui dicitur *Apoſtolus confeſſionis noſtræ*. Hebr. 3. fundata eſt. 2. Quia per Apoſtolos propagata, firmata, & eorum ſanguine purpurata: unde Epheſ 2. dicuntur Fideles *ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum* 3. Quia ab ipſis Apoſtolis uſque ad nos per continuam Virorum Apoſtolicorum ſucceſſionem deſcendit: unde Aug. lib contra Ep. fundamenti c. 4 *Tenet (me) in Eccleſia ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas .... Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum, ſucceſſio Sacerdotum*.

CONCLUSIO V.

LUtheranorum, aut Calviniſtarum ſecta non eſt dicenda vera Eccleſia, cùm ne una quidem ex quatuor notis recenſitis ipſi conveniat, ut breviter ad ſingulas deſcendendo oſtendemus.

Prob. De *Unitate* 1. Non eſt una unitate principii, quia eorum Eccleſiæ, quam reformatam dicunt, nec Chriſtus principium eſt, ſed omnes diaboli, qui ſūt origo diviſionum & ſchiſmatum: unde ne vel tenuem umbram miraculi nobis aſſignare poſſunt, quæ probet Lutheri, Calvini, aut ſuorum ſequacium miſſionem, aut reformationem à Deo proceſſiſſe: & ideò de illis ſcribit Eraſmus in diatribe de libero arb. *Nullum eorum adhuc extitiſſe, qui vel equum claudum ſanare potuerit*. Secundò: Nec eſt una unitate capitis, cùm tot habeant capita, quot miniſtros; dicunt quidem Regem Angliæ eſſe caput Eccleſiæ Anglicanæ, ſed cùm oſtendent mihi in Scriptura dixiſſe Chriſtum Regi ſæculari: *paſce oves meas*, ſicut dixit Petro Jo. 21. tunc eis credemus. Tertiò: Non eſt una unitate conjunctionis, cùm inter ipſos nihil ſit niſi diviſio, contentio, ſchiſma, ità ut ex ſolo Lutheraniſmo pluſquam centum ſectæ prodierint: Quartò; Non eſt una unitate Fidei; nam cùm pro Fidei regula ſequantur ſpiritum privatum, vel potiùs cerebrum, tot ſunt fermè in materia Fidei opiniones contrariæ, quot capita: imò iidem homines aliud hodie credunt, aliud cras, ut objiciebat Witebergenſibus Georgius Saxoniæ Dux, & videre eſt in Scriptis Lutheri & Calvini. Quintò: Nec eſt una unitate mediorum; nam aliqua Sacramenta agnoſcit Lutheranus, quæ reprobat Calviniſta, ut Sacramenta Euchariſtiæ &c. imò ex Lutheranis, Sacramentum Pœnitentiæ admittunt aliqui, rejiciunt alii. Circa ſacrificium etiam variant, ut ſuo loco dicitur. Ex quibus ſequitur evidentiſſimè eorum ſectam non eſſe unam.

Probatur de *Sanctitate*; nam Primò: Quæ Sanctitas in ejus Fundatoribus? Quæ Sanctitas in Luthero? quæ Sanctitas in Calvino? uterque erat voti-fragus, impudicus, ſeductor; primus per decem annos laboravit ut conſcientiam extingueret; ſecundus ob crimina fuit publicè flagellatus &c. En Eccleſiæ reformatæ Fundatores, Apoſtoli, Prædicatores, & homines à Deo miſſi. Secundo: Quæ Sanctitas in eorum legibus? Clauſtra deſtruunt, Monachorum bona devorant, jejunia tollunt, Religionis vota deſpiciunt, Moniales ad nuptias ſcrilegas trahunt, auferunt à Sacerdotibus cœlibatum, abſtinentiam à carnibus reſpuunt, & denique omne quod carnis mortificationem ſapit, procul abigunt. Tertiò: Quæ Sanctitas in eorum doctrina? Deum impoſſibilia jubere contendunt, nulla volunt imputari peccata habentibus Fidem, adeoque nec fornicationem, nec Sodomiam, nec his horribiliora. Deum authorem eſſe peccati, imò & ad peccandum cogere docet Calvinus. En Eccleſiæ reformatæ Sanctitas.

Prob. 3. Quòd non ſit *Catholica*, ſeu univerſalis: enim verò an Lutheraniſmus aut Calviniſmus in India, in Japonia, in Braſilia, in Chinæ Regno? an in Aſia, in Affrica, in America, in Græcia, in Ægypto? an in multis Galliæ, Hiſpaniæ, Italiæ partibus? latitat in parvulo Europę angulo: en quoad locum. An vocat omnes, qui volunt ſalvari? è contrà expreſsè docet poſse quemlibet ſalvari in ſua Religione. En quoad perſonas. An nunquam defeciet? oſtendant vel leviſſimum aut ex Scriptura, aut ex Patribus aut ex ratione hujus rei fundamentum, & dabimus manus, imò jam ex parte defeciſſe, teſtis eſt experientia, tum in multi Belgii partibus, tum in ampliſſimo Galliæ Regno. Et quoad durationem.

Prob 4. Quod non ſit *Apoſtolica*, Primò: Non ex parte fundamenti, ſeu Chriſti; cùm Eccleſiæ reformatæ non ſit author, ut diximus. Secundò: Non ex parte Apoſtolorum, cùm alia fuerit Apoſtolorum doctrina, alia Hæreticorum modernorum, nunquam enim docuerunt illi Deum impoſſibilia jubere, eſſe authorem peccati, cogere ad peccatum, ſicut docent Pſeudo-Apoſtoli. Tertiò, Non ex parte ſucceſſionis; quia nec Calvinus, nec Lutherus aſſignare potuiſſent vel unicum prædeceſſorem ſibi omninò in Fide conformem; quod ſignum eſt non ab Apoſtolis, ſed à diabolo deſcendere: unde Tertull. lib. de præſcriptionibus c. 32. *Edant origines Eccleſiarum ſuarum: evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ità per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverint, habuerit authorem, & anteceſſorem: hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt*. Ex quibus conclude Hæreticorum modernorum Eccleſiam non eſſe Chriſti ſponſam, ſed meretricem & adulteram.

CONCLUSIO VI.

ECcleſia Pontificia ſeu Romana eſt vera Chriſti Eccleſia. Eſt de fide:

Prob. Illa eſt vera Chriſti Eccleſia, cui competunt quatuor notæ prætatæ; ſed competunt Eccleſiæ Romanæ: ergo. Prob. Min. Notæ illæ competunt Eccleſiæ, quæ duravit quingentis circiter poſt Chriſtum annis, ut fatentur Hæretici moderni, qui admittunt Concilium Conſtantinopolitanum, in quo anno trecenteſimo octogeſimo primo, editum fuit Miſſę Symbolum, ubi legitur; *Et unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam*; ſed Eccleſia Romana eadem eſt prorsùs Eccleſia quæ fuit quingentis primis annis, cùm vera Eccleſia non poſſit deficere, ut art. ſeq. oſtendemus; ergo. Præterea ſi quis velit notas veræ Eccleſiæ à nobis explicatas, cum Eccleſia Romana conferre, fatebitur primo aſpectu, illas ipſi exactiſſime convenire.

ARTICULUS III.

An poſſit vera Eccleſia deficere?

CUm duas Eccleſias admittant Hæretici moderni, viſibilem unam, inviſibilem alteram, ut diximus: inviſibilem nec errare, nec deficere poſſe contendunt, in iis quæ ad ſalutem pertinent; viſibilem verò, ideſt, Papam, Cardinales, Epiſcopos, Clericos, Religioſos, & cæteram Catholicorum multitudinem congregatam, ſeu quatenus unum corpus efficiunt, poſſe errare & deficere, etiam in iis quæ ſalutem concernunt, imò volunt ſexto circiter poſt Chriſti Nativitatem ſæculo de facto erraſſe & defeciſſe uſque ad Lutheri tempora, ubi ſucceſſit Eccleſia reformata, quæ, ſublatis Papiſtarum ſuperſtitionibus, & corruptelis, pura, integra, & incorrupta facta ſit. Contra quos ſit

CONCLUSIO UNICA.

CHriſti Eccleſia viſibilis non poteſt deficere. Eſt de Fide.

Prob. 1. Ex Script. Matth. 16. *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam:* atqui ſi defeciſſet, adverſus eam prævaluiſſent portæ inferi: ergo &c. Item 1. ad Timoth. 3. dicitur: *Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis*, atqui non poteſt deficere veritas: ergo nec ejus columna; cùm, deficiente ſuſtentaculo, ſuſtentatum corruat neceſſe ſit. Inſuper Apoſtolos & diſcipulos Eccleſiam viſibilem componentes alloquebatur Chriſtus, dum dicebat Matth. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*: Quomodo autem deficere poteſt, cui, ne deficiat, ſemper aſſiſtit Chriſtus? Præterea Pſal. 47. de Eccleſia dicitur, teſte Aug. in hunc locum: *Deus fundavit eam in æternum.*

Prob. 2. Ex Patribus Ambroſio lib. 4. Exameron cap. 2. *Eccleſia tempora ſua habet perſecutionis & pacis: nam videtur ſicut Luna deficere, ſed non deficit: obumbrari poteſt, deficere non poteſt.* Hieronymo in Iſaiæ cap. 4. verſ. 6. *Eccleſia nulla tempeſtate concutitur, nullo turbine ventiſque ſubvertitur.* Chryſoſt. ſerm de Pent. tom. 3. *Putas eam te poſſe lædere, ſed non poteris: Chriſtus enim propter eam paſſus eſt, portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Et paulò ante: *Non ſeneſcit, nec contrahitur, & multis impugnantibus non opprimitur.* Gregorio Magno in Pſal. 5. pœnit. verſ. 26. *Sancta Eccleſia in hoc ſæculo à Catholica Fide nequaquam deficiet.* Auguſtino lib. 1. de Symb. ad Catechum. cap. 5. *Ipſa eſt Eccleſia Sancta.... pugnare poteſt, expugnari tamen non poteſt. Hæreſes omnes de illa exierunt, tanquam ſarmenta inutilia de vite præciſa; ipſa autem manet in radice ſua, in vite ſua, in Charitate ſua: portæ inferorum non vincent eam.* Quid clarius? Quid expreſſius?

Nec dicas loqui de Eccleſia inviſibili, nam contextus evidentiſſimè contrarium evincit: & certè quomodo pugnare poteſt inviſibile? Quomodo obumbrari? Quomodo perſecutionem pati? Quomodo impugnari? Quomodo poſſunt ex ea hæreſes exire?

Prob. 3. Quia ſi tota Eccleſia defeciſſet, ut volunt hæretici, cur non poſſent certum defectionis tempus aſſignare? Cùm defectio univerſalis ſit res tam aperta, tam evidens, tam palpabilis. Ecce tamen volunt aliqui defeciſſe Anno Chriſti 600. alii 606. alii 763. alii 1200. alii fatentur ſe tempus ignorare, & non ſunt *convenientia* eorum *teſtimonia*. Quod ſignum eſt manifeſtæ falſitatis.

Dices cum junioribus quibuſdam Lutheranis, diverſa à diverſis aſſignari defectionis tempora, eo quòd non defecerit ſimul & ſemel in omnibus Fidei articulis, ſed ſucceſſivè, modò in uno, modò in altero. Sed

Contrà eſt, quòd nec etiam aſſignare poſſint in quo Fidei articulo tota Eccleſia defecerit anno 600. in quo, anno 763. in quo, 1200. &c.

Replicant defectiones illas particulares factas eſſe occultè, & hominibus non advertentibus, & ideò non poſſe aſſignari tempus, in quo ſingulæ acciderunt, licèt jam videamus de facto accidiſſe. Sed

Contrà eſt, quòd ibi manifeſta involvatur implicantia: quomodo enim, ſi occultè, & hominibus non advertentibus acciderunt, quomodo, inquam, potuerunt homines certa defectionum tempora determinare?

Inſtant, non eſſe curandum de tempore defectionis, ubi conſtat de defectione: conſtat autem, ajunt Eccleſiam Romanam defeciſſe circa Purgatorium, invocationem Sanctorum, Tranſubſtantiationem, cultum imaginum, liberum arbitrium, opera meritoria &c.

Contra eſt, quòd ubi credunt nos defeciſſe, defecerint illi. Conſulant primorum ſæculorum Patres, apud quos veram Eccleſiam viguiſſe fatentur, & in præfatis articulis eandem eſſe noſtram & illorum Fidem evidentiſſimè reperient. Interim omnia ſuis locis oſtendemus.

Prob. 4. Concluſio: ſi tota Eccleſia deficere poteſt, ergo deficere poteſt Eccleſia Lutheranorum, Eccleſia Calviniſtarum? Unde ſciunt autem jam non defeciſſe, cùm defectio accidat, ut ajunt, hominibus non advertentibus? Præterea quis ſecurus, quis tutus eſſe poteſt de ſua Fide in Eccleſia defectibili? Vel enim ſequitur dogmata ſuæ Eccleſiæ, & forte errat, cùm ipſa errare poſſit: vel non ſequitur, & magis exponitur errori; ſi enim tota Eccleſia errare poſſit, à fortiori particulares. Ex quo ſequitur Chriſtum non ſufficienter fidelibus providiſſe, volendo ut audiremus Eccleſiam defectibilem, fallibilem, & erraticam.

Confirm. Vel potuit facere Deus, ut Eccleſia eſſet indefectibilis, vel non: ſi non potuit, non eſt omnipotens, quod eſt blaſphemia: ſi potuit, cur non feciſſet, cùm aliàs etiam ſanctiſſimè viventes & perſeverantes exponerentur errori, adeòque & damnationi.

Obji. 1. Eccleſia comparatur lunæ; hæc deficere poteſt: ergo & illa.

Reſp. diſt. Maj. comparatur lunæ; quoad omnia: N. quoad aliqua, C. comparatur primò Lunæ; quia ſicut hæc à ſole, ità Eccleſia à Chriſto lumen accipit: unde Aug. in Pſ. 10. *Luna intelligitur Eccleſia, quòd ſuum lumen non habeat, ſed ab unigenito Dei Filio, qui.... Sol appellatus eſt, illuſtratur.* Secundò: Quia paulatim crevit Eccleſia, ſicut ſucceſſivè creſcit Luna: & ideò Aug. in hunc verſum Pſ. 103. *Fecit lunam, &c. intelligimus*, inquit, *ſpiritualiter Eccleſiam creſcentem de minimo.* Tertiò: Quia mutationi expoſita eſt Eccleſia, ſicut Luna; cùm aliquando ſit tranquilla, aliquando à perfidis agitata. Hinc Ambroſ. ſup. *Eccleſia tempora ſua habet perſecutionis & pacis.*

Obji. 2. Defecit viſibilis Eccleſia tempore Eliæ, nam 3. Reg. 19. dicit Elias: *derelictus ſum ego ſolus.* Reſpondet quidem ipſi Dominus: *derelinquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum*, ſed cùm Eliæ eſſent ignoti, non pertinebant ad Eccleſiam viſibilem.

Reſp. Licèt ſeptem illa millia eſſent Eliæ ignota, non tamen omnibus; cùm plurimi viderint ipſos non curvaſſe genua ante Baal. Præterea loquebatur Elias de populo Iſrael, qui erat ſub Rege Samariæ; non autem de populo Juda, qui Eliæ tempore erat in Jeruſalem perſiſtens in vera Religione ſub Rege Aſa, cui ſucceſſit Joſaphat, ut patet ex lib. 3. Reg.

Obji. 3. Cùm Exod. 32. expoſuit Aaron vitulum adorandum exclamavit totus populus: *Hi ſunt Dii tui Iſrael*: ergo tunc defecit Eccleſia viſibilis.

Reſp. Neg. Conſeq. Quia remanſit caput, nempè Moyſes, & omnes Levitæ, quorum nullus vitulum adoravit, ut videre eſt ibidem.

Obji. 4. Jeremiæ 2. legitur: *Omnes dereliquiſtis me, dicit Dominus*: ergo.

Reſp. Quòd vellit Deus multos defeciſſe, non tamen omnes; cùm ſemper fuerint aliqui juſti ex Judæorum Synagoga: aliàs nequidem remanſiſſet Eccleſia inviſibilis; quod negant adverſarii. Præterea fuit quidem Eccleſia particularis Synagoga, non tamen univerſalis, de qua loquimur, & ad quam pertinebat Melchiſedech, Job, Ninivitæ, & alii qui non erant Judæi.

Obji. 5. Daniel. 9. dicitur: *Deficiet hoſtia & ſacrificium*: ergo Eccleſia.

Reſp. diſt. Conſeq ergo & Eccleſia Judæorum: tranſeat. Dico *tranſeat*, quia non tam defecit, quàm ſit in meliùs mutata. Eccleſia Chriſtianorum tempore Anti-Chriſti, nego: quia Prophetia illa juxta Tertull. Chryſoſt. Clem. Alexandrin. Theophilact. Euſeb. Hieronym. Aug. & communem Hebræorum opinionem, intelligitur de everſione Jeroſolymorum, & ceſſatione Sacrificii Judæorum. Præterea volunt Adverſarii jam veniſſe Anti-Chriſtum, nempè Pontificem Romanum, & tamen necdum ceſſavit hoſtia & Sacrificium: ergo non poteſt Prophetia illa de tempore Anti-Chriſti intelligi.

Obji. 6. Illud Apoſt. 2. ad Theſſalon 2. *Niſi venerit diſceſſio primum*, ideſt defectio à Fide, ſeu apoſtaſia, *& revelatus fuerit homo peccati*, ideſt Anti-Chriſtus &c. ergo circa Anti-Chriſti tempora deficiet Eccleſia.

Reſp. Diſt Ant. Niſi venerit diſceſſio plurimorum: C. omnium: N. nec uſſibi dicit Scriptura, omnes tunc à Fide diſceſſuros. Pro aliis objectionibus ſolvendis

Adverte. 1. Etſi admitteretur defeciſſe Synagogam aliquando, non eſſe tamen admittendum deficere poſſe Chriſti Eccleſiam; cùm de hac dictum ſit: *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, non de illa. Item: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.*

Advertè 2. Dum Luc. 18. legitur: *Putas, inveniet fidem in terra?* Nempè tempore Anti-Chriſti, non agitur ibi de Fide ſimpli-

ſimpliciter, ſed de fide excellenti & eximia, quæ tunc in paucis reperietur.

ARTICULUS IV.

An poſſit Eccleſia in materia Fidei errare?

SIcut hæretici admittunt Eccleſiam viſibilem poſſe deficere ità & admittunt errare poſſe tum credendo, tum Fidei dogmata proponendo; contra quos ſit

CONCLUSIO UNICA.

NOn poteſt Eccleſia univerſalis in materia Fidei credenda aut proponenda, errare, ſive interim propoſita reperiantur in Scriptura expreſsè ſive implicitè; ſive ſint abſolutè ad ſalutem neceſſaria ſive non: ex quo ſequitur eſſe Fidei Regulam infallibilem: ità ut quidquid omnes Eccleſiæ Epiſcopi credunt & proponunt tanquam de Fide, ſit revera de Fide, & ut tale ab omnibus credendum.

Prob. 1. concluſio; non poteſt Eccleſia univerſalis deficere, ut diximus; ſed ſi poſſet in credendis & proponendis fidei dogmatibus errare, poſſet tandem deficere, ut patet: ergo.

Prob. 2. ex Script. Luc. 10. Ubi Chriſtus alloquens Eccleſiæ Paſtores: *Qui vos audit*, inquit, *me audit*; ſed ſi omnes ſimul poſſent errare, qui ipſos audiret errantes, non Chriſtum audiret, cum non poſſit falſum proponere: ergo.

Prob. 3. ex Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus*; cur autem habendus eſſet tanquam Ethnicus, qui non audiret fallibilem, & fortè errores proponentem.

Prob. 4. ex hoc Jo. 16. *Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*; quod Chriſtus promittebat immediatè Apoſtolis, & mediatè eorum ſucceſſoribus; atqui ſciens omnem veritatem non poteſt errare in materia Fidei; aliàs ſciret & non ſciret: ergo. Aliæ probationes tum ex Scriptura tum ex patribus, petendæ ſunt ex articulo præc.

Obj. 1. Apoſtoli omnes tempore Paſſionis fidem amiſerunt; ſed in illis tota conſiſtebat Eccleſia chriſtiana: ergo. Prob. Ma. ex hoc Matt. 26. *Omnes vos ſcandalum patiemini in me*. Et ex Marc. ult. *exprobravit incredulitatem eorum*.

Reſp. 1. Statum Eccleſiæ chriſtianæ tantùm incepiſſe propriè in die Pentecoſtes, ubi Chriſti Nomen, Fides & Euangelium publicè annuntiata ſunt, & ſic ruit objectio.

Reſp. 2. Neg. Ma. peccaverunt quidem Apoſtoli Chriſtum deſerendo, & ex ejus Paſſione ſcandalum ſumendo, non tamen, ſi unicum Thomam excipias, defecerunt à Fide; & ideo defecit Petrus ore, non corde; cùm non ſit credibile eũ, cui paulò ante Chriſtus dixerat, Luc. 22. *Rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua*, ſtatim interiùs Fidem amiſiſſe. Exprobravit autem eorum incredulitatem, non quia ante credita negaverunt, ſed quia circa credenda, & præſertim Reſurrectionem tardi erant. Dixerat quidem ipſis Chriſtus ante Paſſionem Luc. 18. *Occident eum, & tertia die reſurget*, ſed, ut ſubditur, *nihil horum intellexerunt*; & ideo legitur Jo. 20. de Petro & Joanne, etiam poſt Chriſti mortem: *Nondùm ſciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis reſurgere*.

Inſt. 1. Sancti PP. & præſertim Auguſtinus, de Anima, & ejus origine lib. 1. cap. 6. dicunt victos fuiſſe Apoſtolos in Fide à latrone.

Reſp. Sic loqui, non quia Fidem negaverunt Apoſtoli: ſed quia tacuerunt, cùm illam latro palàm profiteretur.

Inſt. 2. In triduo ante Paſcha extinguuntur omnes candelæ una excepta, in Officio nocturno, quod denotat ſolam Virginem firmam fuiſſe in Fide.

Reſp. Cæremoniam illam aliter ab aliis intelligi, ſed eſto id denotet, tantùm vult Divam Virginem firmiorem fuiſſe Apoſtolis in Fidei confeſſione

Obj. 2. Illud Hieronymi in dialogo adverſus Luciferianos poſt med. *Ingemuit totus orbis, & Arianum ſe eſſe miratus eſt*: ergo tunc tota Eccleſia erravit.

Reſp. Expreſſionem illam eſſe hyperbolicam, cùm tunc, id eſt, tempore Concilii Ariminenſis firmus eſſet in verâ Fide Clerus Romanus cum Papa Fœlice; tota Gallia cum S. Hilario; innumeri Ægypriacæ ſolitudinis incolæ; populis quàm plurimis ſeſe Arianis Epiſcopis opponentibus, ut fusè refertur in Hiſtoria Eccleſiaſtica ſæculi quarti.

Obj. 3. Tota Eccleſia eſt libera circa Fidem: ergo tota poteſt errare.

Reſp. diſt. Ant. Tota Eccleſia per modum unius ſumpta eſt libera phyſicè: C. moraliter: N. quia Chriſtus ratione ſuæ promiſſionis ſemper tot gratiis aliquos præveniet fideles, ut moraliter loquendo non ſint omnes ſimul defecturi, licèt non poſſimus aliquem determinare, qui non poſſit etiam moraliter deficere; imò nec ipſum Papam, ut perſonam particularem.

QUÆSTIO IV.

An Summus Pontifex ſit Fidei regula infallibilis.

CUm huic reſolutioni varia præſupponantur tanquam fundamenta, non incongruè pauca præmittemus articulis ſequentibus explicanda.

ARTICULUS I.

An ſoli Petro dederit Chriſtus Eccleſiæ primatum?

CONCLUSIO UNICA.

SOli Petro tanquam Chriſti Vicario, conceſſus eſt Eccleſiæ primatus, ſeu regimen univerſale. Eſt de Fide contra hæreticos modernos volentes Eccleſiæ regimen non eſſe Monarchicum, id eſt, penes unum, ſed vel Democraticum, id eſt penes multitudinem, vel Ariſtocraticum; id eſt penes cœtum ſeniorum; ut fingit Calvinus, aut penes ſæculares Principes, ut cum Brentio ſuſtinent Angli heterodoxi.

Prob. 1. ex Matth. 16. *Tu eſt Petrus*, ſeu Petra, (nam Chriſtus dixit Syriacè, *Cephas*, quod eſt Petra) *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*; ſed idipſum eſt in ædificio fundamentum, quod eſt in corpore caput, in communitate Superior, in urbe Gubernator, in regno Rex: ergo. Nec dicat Lutheranus aut Calviniſta per *hanc Petram* intelligi Chriſtum: nam quæ conſequentia: *Tu es Petrus*, & ſuper me ſeu Chriſtum, *ædificabo Eccleſiam meam?* Ergo vel per *Petram* intellige Petrum; vel Chriſtum impropriè locutum fuiſſe fatearis oportet. Dicitur quidem 1. Cor. *fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus*: ſed loquitur Apoſtolus de fundamento primario, & independente, non autem de ſecundario, & dependente ab ipſomet Chriſto, qui, ut loquitur Aug. enarr. in Pſ. 86. *Fundamentum eſt fundamentorum*.

Dices. Etiam alii Apoſtoli dicuntur Eccleſiæ fundamenta, juxta illud Pſalm. 26. *Fundamenta ejus in montibus ſanctis*, id eſt in Prophetis, & Apoſtolis, ut ibidem exponit Aug. ergo ex eo, quòd Petrus ſit fundamentum, malè infertur eſſe caput Eccleſiæ.

Reſp. Apoſtolos etiam dici Eccleſiæ fundamenta quia varias per orbem fundaverunt Eccleſias, variaſque gentes ad Chriſti fidem adduxerunt; cum ſubordinatione tamen ad Petrum, ut poſtea oſtendemus.

Prob. 2. Ex eo quod ibidem dicatur ſoli Petro; *Tibi dabo claves Regni cœlorum*, quod denotat ſupremam Petri dignitatem; cum non niſi digniori & primario tradantur claves.

Dices verba illa ad omnes Apoſtolos eſſe directa; quia ſicut Petrus dicens: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, loquebatur in nomine omnium, ita reſpondens Chriſtus: *Tibi dabo* &c. alloquetur ad omnes in Petro, ut ſicut confeſſio fuerat communis, foret & commune præmium.

Sed quis non videat contortam eſſe reſponſionem illam? Si enim conſulat Rex Duces congregatos, de re bellica, & uni, omnium nomine judicioſè reſpondenti, dicat: *Creo te Mareſcallum*, certè ſolum reſpondentem afficient verba illa. Idem dic in noſtro caſu.

Inſt. Quod hic Petro dictum eſt; etiam aliis Apoſtolis dictum eſt Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo* &c. ergo indè malè attribuitur primatus Petro.

Reſp. Etiam quidem aliis Apoſtolis jus ligandi, & ſolvendi fuiſſe conceſſum, ſicut & poteſtatem docendi omnes gentes, ſed tanquàm legatis, Petro autem, tanquàm ordinario Eccleſiæ univerſalis Paſtori, à quo alii dependerent. Unde S. Leo Epiſt. 84. circa fin. *Inter Beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cùm omnium par eſſet electio, uni tamen datum eſt; ut cæteris præemineret*. Et Cyprianus de unitate Eccleſiæ, cap. 3. poſtquam dixit datam eſſe omnibus Apoſtolis ſimilem poteſtatem, ſubdit: *Tamen ut unitatem manifeſtaret, unam cathedram conſtituit, & unitatis ejuſdem originem ab uno* (Petro) *incipientem, ſua authoritate diſpoſuit*; quia nempè unum Petrum conſtituit Paſtorem univerſalem Ordinarium, à quo omnes Paſtores eſſent dependentes, & unam ei tribuit univerſalem Cathedram, cui omnes ſubjacerent.

Prob. 3. Ex hoc Jo. 21. *Paſce oves meas*: id eſt, gregem meum, Eccleſiam meam, adeoque non ſolùm populos, ſed etiam populorum Patres, Paſtores, imò & generaliter omnes Apoſtolos, cũ omnes ſint Chriſti oves: & certè ſi pater moribũdus dicẽs amico: *commendo tibi proles meas*, cenſeatur omnes commendare

eur Chriſtus dicens : *Paſce oves meas :* non cenſeretur omnes committere ? cum non dixerit has aut illas ?

Prob. 4 Ex PP. qui omnes unanimiter primatum Petro concedunt, ut patet ex Leone & Cypriano jam citatis, & ex aliis à Bellarmino fusè relatis, quorum aliqui vocant Petrum Chriſti Vicarium, alii caput Eccleſiæ, alii caput fidelium, alii Principem Apoſtolorum, alii Paſtorem Paſtorum, alii Coriphæum Apoſtolorum, alii Eccleſiæ Petram, baſim, fundamentum, &c.

Prob 5. Ratione; quia præſumendum eſt Chriſtum inſtituiſſe regimen optimum & perfectiſſimum; ſed illud eſt Monarchicum, in quo unus regit, præcipit, ordinat, decidit ſine diſcordia, diſſenſione, & diviſione, quod non raro accidit in regimine Democratico, aut Ariſtocratico: ergo. Undè Ariſtot. 12. metaph celebrat hanc Homeri ſententiam: *Non eſt bonum multitudo Principatuum, unus verò Princeps.*

Obj. 1. Dedit Chriſtus Apoſtolis omnibus juriſdictionem æqualem, nempe in omnes gentes: ergo non eſt præferendus aliis Petrus. Prob. Ant. quia dixit omnibus Jo. 20. *Sicut miſit me Pater*, pro converſione totius mundi, *& ego mitto vos*. Et Marc. ult. *Docete omnes gentes*; undè Cyprian. ſupra: *Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli quod fuit Petrus, pari conſortio prediti & honoris & poteſtatis.*

Reſp. diſt. Ant. Dedit omnibus juriſdictionem æqualem in ratione Apoſtolatus, C. quia poterant alii, ſicut Petrus, per totum orbem predicare, Eccleſias fundare, Epiſcopos creare, &c. dedit omnibus &c. in ratione paſtoralis officii; N. ſolus enim Petrus erat Eccleſiæ univerſalis Paſtor ordinarius, alii delegati; & ideo ſolus poterat pro tota Eccleſia leges condere, ſolus univerſale Concilium convocare, ſolus aliis Apoſtolis tanquam ſuis ovibus præcipere; unde Chryſoſt. in c. 21. Jo. ſic loquitur: *Os erat Apoſtolorum* (S. Petrus) *& Princeps, & vertex ipſius cœtus.* Idem oſtendimus ſuperiùs ex S. Leone, ubi etiam mentem Cypriani per ipſummet Cyprianum oſtendimus.

Obj. 2. Hæc verba Hieronymi contra Jovinianum: *Joannes & Jacobus . . . . reliquis Apoſtolis æquales fuerunt*: ergo & Petro.

Reſp. Fuiſſe æquales ante electionem capitis, non poſt, niſi ratione Apoſtolatus, ut jam diximus.

Obj. 3. Auguſtin. lib. de agone chriſtiano cap. 30. *Huic enim Eccleſiæ claves Regni Cælorum datæ ſunt, cum Petro datæ ſunt: & cum ei dicitur, ad omnes dicitur: Amas me? paſce oves meas.*

Reſp. Tantùm velle, cùm dicitur Petro: *Paſce oves meas*, dici ad omnes Petri ſucceſſores, non autem ad omnes Apoſtolos, cùm lib. de Paſtoribus c. 13. in terminis dicat: *Multi erant Apoſtoli, & uni dicitur: paſce oves meas.*

Obj. 4. Apoſtoli miſerunt Petrum in Samariam, Act. 8. atqui non eſt Inferiorum mittere Superiorem: ergo.

Reſp. diſt. Ma. Miſerunt præcipiendo: N. conſulendo & ſuadendo propter negotii magnitudinem: C. ſed hoc etiam facit inferior erga Superiorem, famulus erga dominum, ut convincit experientia quotidiana: unde Joſue 22. miſit populus Judæorum Phinees, qui erat ſummus Sacerdos, adeoque ipſis jure divino præpoſitus, ad filios Ruben & Gad.

Obj. 5. Ex communi conſenſu data eſt Petro juriſdictio in Judæos, & Paulo in Gentes, juxta illud ad Galat. 2. *Creditum eſt mihi Evangelium præputii, ſicut & Petro circumciſionis*: ergo non fuit Petrus Paſtor univerſalis.

Reſp. Non denotari ibi diviſionem juriſdictionis, ſed populorum, quibus debebunt Chriſti Evangelium annuntiare, ut ſic facilius omnium converſioni incumberent, quia aliter initio cum Judæis, aliter cum Gentibus erat agendum. Non fuiſſe autem diviſionem Juriſdictionis, inde patet, quòd Petrus etiam quandoque Gentibus, & Paulus quandoque Judæis prædicaverit, ut convincunt Acta Apoſtolorum.

Obj. 6. Paulus reſtitit Petro in faciem, ad Galat. 2. ergo ad minimum fuit ipſi æqualis: nam *quis eorum auderet Petro primo Apoſtolo . . . reſiſtere, niſi alius talis qui fiducia electionis ſuæ ſciens ſe non imparem*: Inquit Ambr. in Epiſt. ad Galat. cap. 2. Verſ. 11.

Reſp. Nullam eſſe conſ. cùm, ut docuit ipſemet Paulus in ſuis Epiſtolis, liceat inferiori Superiorem errantem cum modeſtia & humilitate corrigere: erraverat autem Petrus ſimulans Judaiſmum in iis circumſtantiis, unde poterant gentes ad Deum converſæ ſcandalizari. Ambroſius autem ſolùm vult Paulum non fuiſſe Petro imparem ratione Apoſtolatus.

Obj. 7. Paulus vocatur *Apoſtolus* per antonomaſiam: ergo ille potiùs quàm Petrus dici debet Princeps Apoſtolorum.

Reſp. Sic Paulum vocari, tum quia ob plures Epiſtolas potior eſt, tum quia plus omnibus laboravit, ut inquit Auguſt. lib. 3. ad Bonifacium cap. 3. tom. 7. unde ſic poteſt diſtingui Antecedens: vocatur Apoſtolus &c. quia ſuper alios excelluit in functionibus Apoſtolicis: C. quia ſuperior eſt aliorũ; N. alias ipſius inferior eſſet D. Petrus, quod nequidem volunt hæretici. Ex dictis

Reſ. 1. Reges Angliæ non habere primatum, vel, ut aliqui volunt, ſuprematum Eccleſiæ; quandoquidem ſit unica Eccleſia, adeoque etiam unicum caput, qui eſt Petrus, vel ſucceſſor ejus legitimus, cui dictum eſt & non alteri: *Paſce oves meas.*

Reſ. 2. Meritò damnatam eſſe ab Innocent. X. anno 1647. opinionem cujuſdam Doctoris Sorbonici volentis Petrum, & Paulum ejuſdem fuiſſe in Eccleſia authoritatis, & utrumque (ne Eccleſiam faceret bicipitem) fuiſſe unicum caput, unicumque Pontificem.

Reſ. 3. Quòd cùm propter dicta definitum ſit à Bonifacio VIII. eſſe unicum Eccleſiæ caput, neceſſariò explicandum eſſe Cyrillum Jeroſolymitanum dicentem Catecheſi 6. *Duo capita Eccleſiæ Petrus & Paulus*: unde crediderim tantùm velle eſſe duos in Eccleſia præcipuos, abſtrahendo, an unus alteri præmineat, necne.

Reſ. 4. Dum Epiphanius hæreſi 27. ait, *In Roma fuerunt primi Petrus & Paulus, Apoſtoli iidem ac Epiſcopi*, non vult Paulum fuiſſe Coepiſcopum Romanum quoad authoritatem, ſed quoad munera Apoſtolica pro ea Eccleſia fundanda: quo ſenſu etiam dici poſſunt ſediſſe in cathedra Petri.

ARTICULUS II.

An Epiſcopus Romanus ſit verus Petri Succeſſor, & quo jure Summus Pontificatus ſit annexus Romano Epiſcopatui?

SUppono tanquam de Fide, extincto Petro, non fuiſſe extinctum univerſalis Eccleſiæ Paſtoratum, ſed tranſiiſſe ad ejus ſucceſſores: nam cùm ſpirituale Eccleſiæ ædificium ſit uſque ad finem mundi duraturum, & aliunde, ſublato fundamento, ædificium corruat neceſſe ſit, debuit illius fundamentum perſeverare, & conſequenter Petrus in ſuis ſucceſſoribus, ut ſic Chriſti oves, quarum cura ſine termino fuerat ipſi demandata, continuo paſceret. Hoc ſuppoſito

CONCLUSIO I.

EPiſcopus Romanus verus eſt Petri ſucceſſor in Eccleſiæ univerſalis Paſtoratu.

Prob. 1. Ex Conciliis generalibus, Nicæno 1. can. 39. inter Arabicos: *Ille cujus Principatus Romæ eſt, Petro ſimilis, & authoritate par, Patriarcharum omnium Dominatum & Principatum obtinet.* Sic ex codice Arabico in Bibliotheca Marcelli II. Papæ exiſtenti in latinum transfertur. Nicæno II. Act. 2. ubi Adriani Papæ Epiſtola approbatur, in qua legitur: *Sedes* (Eccleſiæ Romanæ) *per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniumque Eccleſiarum Dei caput exiſtit.* Chalcedonenſi Act. 1. in initio: *Beatiſſimi atque Apoſtolici viri Papæ urbis Romæ, quę eſt caput omnium Eccleſiarum, præcepta habemus* &c. & in fine ejuſdem Concilii in Ep. Paſchaſini: *Sanctiſſimus & Beatiſſimus Papa, caput univerſalis Eccleſiæ Leo &c.* Epheſino To. 2. c. 16. ubi Philippus Presbyter, *Sæculis omnibus notum eſt, S. Beatiſſimumque Petrum Apoſtolorum Principem & caput, Fideique columnam, Eccleſię Catholicæ fundamentum . . . . per ſucceſſores ſuos huc uſque ſemper vivere, cauſaſque decernere, ſemperque victurum eſſe.* Item in Conc. Lateran. 4. c. 5. vocatur Eccleſia Romana *Mater univerſorum Chriſti Fidelium, & magiſtra*. Et in Lugdunenſi ſub Greg. X. & cap. *Ubi periculum* in 6. dicitur Romanus Pontifex Vicarius Chriſti & ſucceſſor Petri imò eſſe Petri ſucceſſorem, Eccleſiæ caput, omnium chriſtianorum Patrem &c. definitum eſt in Concil. Flor. Seſs. 6. & in decreto unionis.

Prob. 2. Ex PP. Optato lib. 2. contra Parmenianum poſt init. Petro *ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus* &c. Auguſtino Ep. 165. ad Generoſum: *Si ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus, quantò certiùs & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus . . . . Petro enim ſucceſſit Linus; Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Evariſtus &c.* Licèt nonnulli inter Linum & Clementem ponant Cletum. Lucio I. Ep. ad Epiſcopos Hiſpaniæ & Galliæ: *Hæc Sancta & Apoſtolica Mater omnium Eccleſiarum*, Chriſti Eccleſia. Pio I. Ep. 1. Chriſtus *hanc Sanctam Sedem Apoſtolicam omnium Eccleſiarum caput eſſe præcepit.* Idem habent Alexander 1. Julius 1. Ep. ad Orientales, & alii.

Prob. 3. Quia Romani Pontifices non tantùm in Epiſcopos, & Primates, ſed etiam in Patriarchas juriſdictionem ſuam exercuerunt quod ſignum eſt ſupremæ poteſtatis: unde Nicolaus I. Ep. 8. circa med. ad Michaelem Imperatorem, enumerat octo Patriarchas Conſtantinopolitanos à Pontificibus Romanis depoſitos.

Prob.

Prob. 4 Quia veri Chriſtiani, ubi orta eſt diſſenſio in materia Fidei, ſemper Romano Pontifici adhæſerunt, tanquam illi, cui à Domino dictum eſt in perſona Petri: Luc. 22. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*: unde Hieronymus Epiſt 8. ad Demetriadem cap. 9. *Te pro Charitatis affectu præmonendam puto, ut S. Innocentii, qui Apoſtolicæ Cathedræ.... ſucceſſor eſt, teneas Fidem* &c. & Maximianus Epiſcopus Conſtant. in Epiſt ad Orientales. *Ubique terrarum Catholici veram Fidem confitentes in poteſtatem Romanorum Pontificum, tanquam in ſolem reſpiciunt, & ex ipſa lumen Catholicæ & Apoſtolicæ Fidei recipiunt*.

Prob. 5 Quia ad Romanam Sedem de qualibet mundi parte appellatur; ab illa autem appellare nemini permiſſum eſt: unde in Concilio Sardicenſi, ubi aderant 300. Epiſcopi ex variis mundi partibus congregati, ſic legitur c. 4. *quid ſi aliquis Epiſcopus adjudicatus fuerit in aliqua cauſa, & putat ſe bonam cauſam habere, & iterum judicium renovetur.... ſcribatur.... Romano Epiſcopo; & ſi judicaverit renovandum eſſe judicium, renovetur & det judices: ſi autem probaverit talem cauſam, ut ea non refricentur quæ acta ſunt; quæ decreverit Romanus Epiſcopus, confirmata erunt*.

Prob. Denique ex continua Romanorum Pontificum ſucceſſione ab innumeris Authoribus antiquis & recentioribus fide digniſſimis relata & confirmata, & certè ſi credimus Hiſtoricis ſucceſſionem Regum Hiſpaniæ aut Galliæ narrantibus, quidni crederemus Optato, Irenæo, Epiphanio, Tertulliano, Auguſtino, & mille aliis maximæ authoritatis, Romanorum Pontificum ſucceſſionem referentibus?

Obji. 1. Hieronymus Epiſt. 85. ad Euagrium ſic habet · *Nec altera Romanæ urbis Eccleſia, altera totius orbis exiſtimanda eſt.... ſi authoritas quæritur, orbis major eſt urbe, ubicumque fuerit Epiſcopus ſive Romæ, ſive Eugubii .... ejuſdem meriti, ejuſdem eſt & Sacerdotii*: ergo non plus eſt Romanus Epiſcopus, quàm alii.

Reſp. Hieronymum non loqui ibi de Papa, ſed de Diaconis Romanis, qui cùm divites eſſent, volebant, abſente Pontifice, præferri Presbyteris, imò & Epiſcopis, contra quos dicit, Eccleſiaſticos Romæ non eſſe majoris authoritatis, quàm alibi, & conſequenter cùm alibi non præferantur Diaconi Preſbyteris, nec id fieri debet Romæ: unde immediatè poſt ſubjungit: *Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel inferiorem Epiſcopum non facit*.

Obji. 2. Cum Calvino hæc verba ex Can. 6. Concilii Nicæni deſumpta: *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum. Lybiam, & Pentapolim, ità ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & urbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt*. Ex quo infert quaſdam tantùm Provincias aſſignari Romano Pontifici.

Reſp. Ineptam omninò eſſe Calvini conſequentiam, nam ſolum vult Canon ille conſueviſſe Romanum Epiſcopum permittere Epiſcopo Alexandrino regimen Ægypti, Lybiæ &c. quod patet ex eo quòd in Concilio Chalcedonenſi act. 16. Sic fuerit à Paſchaſino Epiſcopo recitatus Canon ille: *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum; teneat autem & Ægyptus ut Epiſcopus Alexandriæ omnium habeat poteſtatem, quoniam & Romano Epiſcopo hæc eſt conſuetudo* &c. quibus verbis annuerunt Patres Concilii.

Obji. 3. Pelagius Papa II. in Epiſt. 8. ad illegitimam Synodum Conſtantin. ſic habet: *Nullus Patriarcharum hoc tam prophano vocabulo unquam utatur: quia ſi ſummus Patriarcha, univerſalis dicitur Patriarcharum, nomen cæteris derogatur*. Ergo nec dicit debet Papa Paſtor univerſalis, aliàs Paſtoris nomen omnibus aliis adimitur.

Reſp. Papam nec à ſe, nec ab aliis dici *Paſtorem univerſalem* ſicut ſe *Patriarcham univerſalem* dicebat Joannes Conſtantinopolitanus, qui ideò reprehenditur; ſed Paſtorem aut Epiſcopum univerſalis Eccleſiæ: quæ multum differunt: nam Paſtor aut Epiſcopus univerſalis denotat ipſum ſolum eſſe Paſtorem, aut Epiſcopum, quod falſum eſt: *Paſtor autem aut Epiſcopus univerſalis Eccleſiæ*, tantùm denotat curam & gubernationem generalem totius Eccleſiæ, quæ compatitur gubernationem ſpecialem Eccleſiarum particularium à ſuis reſpectivè Epiſcopis. Eodem ſenſu intelligendus eſt Gregorius lib. 6. Regiſtri Epiſt. 30. dum ait: *Ego fidenter dico quia quiſquis ſe univerſalem Sacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua anti-Chriſtum præcurrit*: quod ipſemet ſatis oſtendit lib. 7. Epiſt. 70. *Si unus.... univerſalis eſt, reſtat ut vos Epiſcopi non ſitis*.

Obji. 4. Canonem 28. Concilii Chalced. Act. 15. ubi dicitur Conſtantinopolim æqualibus cum Roma privilegiis frui debere.

Reſp. Canonem illum tanquam ſubreptitium rejectum fuiſſe: nam in fine Act. 15. ſic legitur: *Meminerit candidus lector Canonem hunc 28. Conſtantinopolitani Epiſcopi privilegiis & eminentia rejectum eſſe à Leone Sanctiſſimo Pontifice Romano, ut ex multis ejus ſupra excuſis litteris perſpicue videre licet* &c.

CONCLUSIO II.

PRobabilius eſt jure divino annexum eſſe Epiſcopatui Romano Eccleſiæ Primatum, & conſequenter non poſſe Papam alteri Epiſcopatui, v. g. Pariſienſi, Sedem Apoſtolicam annectere.

Ratio eſt; quia, Deo inſpirante, Sedem ſuam Romæ fixit S Petrus, ut teſtatur Marcellus Papa in Ep. ad Antiochenos; imò D. Greg. in explicatione 5. Pſ. Pœnit. verſ. 2. & Egeſippus lib. 3. de excidio Jeroſolym. cap. 2. referunt, Petro Roma exeunti occurriſſe Chriſtum, ipſique inſinuaſſe ut Romam rediret, ibique perpetuum Eccleſiæ univerſalis Paſtoratum morte ſua ſtabiliret. Et certè cùm tam inſtabiles ſint homines, novitatumque amatores, credibile eſt, quòd aliàs aliquando Sedem mutaſſent, præſertim tempore perſecutionum, ſub Tyrannis Imperatoribus, qui Romæ Chriſtianos omnes miris modis perſequebantur, nullaque Religionis noſtræ exercitia patiebantur. nunquam tamen facta eſt mutatio; & ſi aliqui Pontifices Galli Avinione manſerint, ſemper tamen Epiſcopatum Romanum tenuerunt, ut eorum Bullæ teſtantur.

ARTICULUS III.

An ſit de fide Clementem XI. jam Sedentem, eſſe Eccleſiæ univerſalis Paſtorem?

NEgant aliqui, volentes eſſe quidem de Fide legitimum Petri Succeſſorem eſſe Papam, ſed nolentes eſſe de Fide hunc hominem, v. g. Clementem, eſſe ſummum Pontificem; quia non eſt de Fide eſſe canonicè electum, cùm hoc non ſit revelatum.

CONCLUSIO UNICA.

DE Fide eſt Clementem XI. legitimè electum, & ut talem ab Eccleſia acceptatum eſſe verum Papam. ità communiſſimè Theologi.

Prob. 1. Ex Concilio Conſtantienſi Seſſ. ult. ubi decernit Martinus V. ut ab iis, qui de hæreſi ad Fidem revertuntur, petatur inter alia: *Utrum credant, quòd Papa Canonicè electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expreſſo, ſit ſucceſſor B. Petri habens ſupremam authoritatem in Eccleſia Dei?* Ergo ſupponit eſſe articulum Fidei. Cùm hæreſim abjurantes nonniſi de Fidei veritatibus interrogentur.

Prob. 2. Illa concluſio eſt Fidei, cujus duæ præmiſſæ ſunt Fidei, ſed hæc concluſio: *Clemens XI. eſt verus Papa*, ſequitur ex duabus præmiſſis de Fide: ergo eſt Fidei. Major certa eſt. Prob. Min. quia hæ duæ præmiſſæ, ex quibus ſequitur dicta concluſio, *omnis in Papam legitimè electus & ut talis ab Eccleſia receptus, eſt verus Papa, ſed Clemens XI. eſt talis*, ſunt Fidei: Major quidem, de qua nulli dubitant Catholici; aliàs non eſſet de Fide legitimum Petri ſucceſſorem eſſe verum Papam: Minor verò, quia eo ipſo quo Eccleſia ipſum recipit ut legitimè electum revelat Deus ipſius electionem eſſe legitimam, cùm promiſerit Chriſtus nunquam Eccleſiam ſuam erraturam in materia fidei: erraret autem in tali materia, ſi non ſtaret concluſio, quandoquidem agnoſcens electum ut Papam, ipſum agnoſcat ut Fidei Regulam infallibilem, qui tunc eſſet fallibilis.

Confir. hæc minor, eo ipſo quo Deus per invocationem alicujus Confeſſoris, vel Martyris, aut per venerationem ipſius Reliquiarum, facit miraculum evidens, ita ut de illo nullatenus poſſit dubitari, revelat implicitè ipſum mortuum eſſe in gratia, quia repugnat ſanctitati divinæ facere miracula ad invocationem damnati: ergo eo ipſo quo Eccleſia, quam Deus dixit Eſſe *columnam & firmamentum veritatis*. 1. Tim. 3. acceptat electum, ut Pontificem, adeoque ut Fidei regulam infallibilem, revelat Deus implicitè electionem ipſius eſſe legitimam; quia repugnat divinæ fidelitati ut permittat Eccleſiam errare, quam promiſit non erraturam.

Prob. 3. Si non eſſet de Fide Papam regnantem eſſe Summum Pontificem, poſſemus dubitare, an ſit Petri ſucceſſor, an ſit Fidei regula infallibilis, & conſequenter an omnes Fidei definitiones ſint legitimæ, adeòque nihil tenemur credere tanquam revelatum, ob Eccleſiæ propoſitionem; atqui hoc eſt abſurdum; ergo & illud.

Dices: Ubi legitimè delegatus annuntiat nobis Fidei veritates, tenemur illas credere tanquam de Fide licèt tantum fide humana credamus eſse legitimè delegatum: ergo licèt tantùm fide humana crederemus Clem. XI. eſſe Papam, teneremur credere fide divina veritatibus revelatis ab ipſo propoſitis.

Reſp. Diſparitatem eſſe, quod non credamus veritatibus à delegato propoſitis, ex ipſius authoritate, ſed qoia proponit motiva credibilitatis ſufficientia; credamus autem Papæ definienti, ex ipſius authoritate; & conſequenter aliter credere debemus Papæ, aliter delegato, Papæ propter authoritatem, delegato propter motiva credibilitatis.

Prob. 4. Non poteſt Eccleſia recipere aliquid tanquàm de Fide, quod non eſt tale, aliàs erraret in materia Fidei; ſed Papæ definitiones in hac materia recipit tanquam Fidei articulos: ergo ſunt de Fide. Subſumo; atqui non poteſt illos credere de Fide, ex Papæ proponentis authoritate, ſi liceat ipſi de Papæ authoritate dubitare: ergo.

Obj. 1. Hæc propoſitio: *Clem. XI. eſt verus Papa*, non eſt in Scriptura explicitè: aut implicitè: ergo non eſt de Fide.

Reſp. neg. Ant. Quia continetur in hoc quòd Eccleſia nunquàm ſit erratura in materia Fidei, nec conſequenter quando credet Clementem XI. Fidei regulam infallibilem, adeoque Papam legitimum; cum non ſit talis regula, niſi quia verus Papa. Deinde eſto nullatenus contineretur in Scriptura, cenſeretur tamen revelari eo ipſo, quo Eccleſia indefectibilis electum agnoſcit, ut Summum Pontificem.

Obj. 2. Non eſſe de Fide electionem Clementis XI. eſse legitimam: ergo non eſt de Fide quod ſit Summus Pontifex.

Reſp. N. Ant. cùm enim non ſit Pontifex legitimus, niſi per legitimam electionem, eo ipſo quo revelatur & legitimum eſſe Pontificem, revelatur & legitimam eſſe ipſius electionem, ubi via electionis creatur. Non eſt tamen de Fide quòd Cardinales, qui ipſum elegerunt, ſint veri Cardinales, quòd habuerint intentionem eligendi, quòd formam juris ſervaverint &c. quia illa, ut potè remota, & tantùm prærequiſita non videntur eſſe objectum Fidei.

Obj. 3. Non eſt revelatum Papam regnantem eſſe validè baptizatum: ergo nec eſt revelatum eſſe verè Papam, cùm ſolus baptizatus ſit capax ſupremæ illius dignitatis.

Reſpondent aliqui N. Ant. Quia eo ipſo quo revelat Deus eſſe legitimum Papam, etiam implicitè revelat habere omnia ad Papatum neceſſario requiſita. Sed

Reſp. conceſſo Ant. (ſi ſaltem intelligatur de revelatione immediata) Neg. conſeq. Quia ut ſit de Fide Clementem eſſe Papam, ſufficit quòd ſit certum Theologicè eſse baptizatum; jam autem licèt Deus revelando Papam modernum eſſe legitimum, non revelet propriè eſse baptizatum, dat tamen nobis locum id inferendi per concluſionem Theologicam, cùm ſit neceſſariò prærequiſitum.

Obj. 4. Non eſſet Hæreticus qui diceret; Clemens XI. non eſt Papa legitimus: ergo non eſt de Fide eſſe talem.

Reſp. Diſt. Ant. Non eſset Hæreticus qui hoc diceret ante Eccleſiæ acceptationem; C. poſt acceptationem: ſubdiſtinguo, & teneret noſtram ſententiam: N. & teneret oppoſitam: C. quia bona Fide, ob rationes viſas ſibi ſufficientes, crederet non eſse articulum Fidei. Sed nihil indè contra nos.

Obj. 5. Licèt ſit de Fide Chriſtum eſſe in Euchariſtia: non eſt tamen de Fide eſse in hac numero Hoſtia: ergo licèt ſit de Fide verum Petri ſucceſſorem eſſe Papam, non eſt tamen de Fide hunc numero hominem eſſe Papam.

Reſp. Neg. conſ. Diſparitas eſt quod nullatenùs ſit revelatum Chriſtum eſſe in hac Hoſtia, licet putetur conſecrata; revelatam ſit autem hunc hominem eſſe Papam, eo ipſo quo per Eccleſiam indefectibilem agnoſcitur & recipitur ut talis, ſicut oſtendimus antea.

ARTICULUS IV.

Reſolvitur quæſtio quod Papa ſit Fidei Regula infallibilis.

ADvertendum 1. Hominem, qui eſt ſummus Pontifex, dupliciter ſpectari poſse, 1. ut perſona & Doctor particularis, 2. ut Papa, ſeu ut Chriſti Vicarius. Loquitur autem ut Doctor privatus, quando ex propria mente librum aliquem interpretatur, opinionem ſuam exponit, quæſtionem tractat &c. nihil decernendo vi authoritatis Papalis: loquitur autem ut Papa, ſeu, ut alii dicunt, ex Cathedra, quando proponit, vel definit credenda ab omnibus fidelibus, tanquàm à Deo revelata.

Advertendum 2. Multorum ſententiam eſse non cenſeri Papam loqui ex Cathedra, etiamſi ab omnibus credenda proponat, niſi prævié diligentiam ſufficientem præmiſerit, vel Concilium congregando, vel Doctores conſulendo, vel Cardinales audiendo, vel Scripturę & librorum lectioni vacando &c. quia cenſentur media ad hoc munus requiſita, & ideò fortè non ſoleat Pontifices quidquam definire, niſi priùs habita prudenti, longa, & matura rerum diſcuſſione: tenent tamen plurimi prævia illa abſolutè non requiri; quia Spiritus Sanctus, cujus aſſiſtentia promiſſa eſt Petro, ejuſque ſucceſsoribus, non dependet ab adjutorio, aut conſilio humano, ut aliquem illuminet ad detegendas Fidei veritates, nec legitur aſſiſtentiam ſuam tali auxilio alligaſse.

Advertendum 3. Papam ut Doctorem privatum poſſe errare circa res Fidei: quidquid dicat Bellarmio & quidam alii; quia hæc verba Chriſti: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, licèt reſpicerent Petrum, etiam ut perſonam particularem, non tamen ejus ſucceſsores, niſi ut Eccleſiæ univerſalis Paſtores; quod ſupponit S. Bonifacius Martyr cap. *Si Papa* diſt. 40. ubi loquens de Pontifie. *A nemine*, inquit, *eſt judicandus, niſi deprehendatur à Fide devius*, adeoque ſupponit deviare poſse: quod clariſſimè confirmat Adrianus II. in 8. Synodo generali Act. 7. ubi ait. *Quamvis Honorius poſt mortem ab Orientis Epiſcopis anathemate ſit affectus, manifeſtum tamen eſt, illum de Hæreſi fuiſſe accuſatum, qua ſola in cauſa licet inferioribus de ſuperioribus judicare*. Et certè ſi poſſit crimina publica etiam horribilia committere, quidni & minora contra Fidem? Quæſtio ergo noſtra procedit de Pontifice ut Pontifice.

CONCLUSIO UNICA.

SUmmus Pontifex loquens ut Papa, ſeu ex Cathedra, eſt fidei regula infallibilis, etiam ſine Concilio generali.

Dico: *Etiam ſine Concilio generali*, quia Pontificem cum generali Concilio non poſse errare in condendis Fidei decretis, vel generalibus morum pręceptis, conſtans eſt omnium Catholicorum ſententia contra hæreticos modernos, quos poſtea agendo de Conciliis, reſutabimus.

Prob. 1. concl. Summus Pontifex, ut diximus, eſt, legitimus Petri ſucceſsor, eamdem poteſtatem habens, quàm Petrus; ſed Petrus ut Chriſti Vicarius, fuit Fidei regula infallibilis, ſeu judicium Petri in proponendis fidei veritatibus, fuit certum & infallibile, ſive cum, ſive abſque Concilio generali; ergo Min. quia Chriſtus dixit Petro ſimpliciter quòd eſset Petra, ſupra quam ædificaretur Eccleſia indefectibilis, ſeu contrà quam non prævalerent portæ inferi, ſed non poteſt eſse indefectibile ædificium, niſi & indefectibile ſit fundamentum, ut per ſe patet: ergo Petrus qui etiam ſine Concilio eſt Eccleſiæ fundamentum, etiam ſine Concilio indefectibilis eſt.

Confirm. 1. Hæc Petri, adeoque & Papæ, indefectibilitas ſine Concilio, quia ſi Petrus in proponendis fide dogmatibus, tantùm eſset indefectibilis cum Concilio, tantum cum illo eſset Eccleſiæ fundamentum, & ſic non Petrus, ſed Eccleſia eſset fundamentum Eccleſiæ; quandoquidem Petrus cum Concilio generali ſit ipſa Eccleſia.

Confirm. 2. Quia ſi indefectibilitas Petri dependeret à Concilio, jam non præberet ſoliditatem ædificio fundamentum; ſed ædificium fundamento: quod adverſatur rationi.

Prob. 2. concluſio: æque firmum eſt caput, ac corpus: ergo ſi non poſſit deficere corpus, nec poteſt caput, atqui Papa, etiam ſine Concilio, caput eſt Eccleſiæ: ergo.

Prob. 3. Hæc verba Jo: ult. *Paſce oves meas*, dirigantur etiam ad Petri ſucceſſores, ut oſtendimus art. 2. ergo cum Petri ſucceſsor ſit Paſtor totius Eccleſiæ, debet tota Eccleſia ipſum audire, ejuſque doctrinam amplecti, ſed non poteſt tota Eccleſia errare: ergo non poteſt Pontifex ipſi falſum proponere. Nec replices debere Eccleſiam ipſum audire, ubi rectè docet, aliàs non: nam quis judicabit an ipſius doctrina ſit recta, necne; an oves? Et ſic ſibi ipſis paſtores erunt, & tamen non dixit ipſis Chriſtus: *Paſcite vos*, ſed Petro; *Paſce oves meas*.

Prob. 4. Ex hoc Luc. 22. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*. Ubi ſecundum Interpretes, duo privilegia obtinuit Petro Chriſtus, unum, ut Fides ipſius tanquam hominis particularis ſemper firma conſiſteret, non obſtante diaboli tentatione, ſeu, ut loquitur Auguſt. lib. de corrept. & gratia c. 8. *Ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem*: & hoc privilegium non tranſiit ad Petri Succeſſores, qui ut particulares errare poſſunt in Fide, ut diximus. Aliud privilegium, ut ipſe tanquam Pontifex non erraret confirmando fratres, ſeu ipſorum dubia circa Fidem reſolvendo, adeoque ſemper verum in materia Fidei proponeret, & hoc privilegium fuit commune Petri ſucceſſoribus; quandoquidem non tam in gratiam Petri, quàm in fidelium confirmandorum utilitatem fuerit conceſſum.

Dices; Oravit Chriſtus pro Petro totius Eccleſiæ figuram gerente, & ſic indefectibilitas in proponendis Fidei veritatibus conceſſa eſt Eccleſiæ, non ſoli Pontifici. Sed

Con-

Digitized by Google

Contrà eſt, quòd poſtquam Chriſtus dixiſſet: *Satanas expetivit vos*, id eſt, omnes Apoſtolos, ſtatim in ſingulari dixit. *Ego rogavi pro te*; quod ſanè non feciſſet, ſi Apoſtolos omnes, & in ipſis Eccleſiam fuiſset allocutus, ſed dixiſſet: rogavi pro *vobis*, ut non deficiat fides *veſtra & vos* aliquando &c.

Prob 5. Ex perpetua Eccleſiæ traditione: nam licèt tribus ſæculis non fuerint celebrata Concilia, ſaltem univerſalia; fuerunt tamen plurimorum hæreſes condemnatæ, & conſequenter à ſolo Pontifice. Imò conſtat Pelagii, Joviniani, Priſcilliani, Vigilantii, & aliorum damnatas hæreſes à ſolo Papa, pro veris hæreſibus ſemper Eccleſiam habuiſse, & exhorruiſſe; & conſequenter Papam indefectibilem ſemper agnoviſse. Accedit, quòd quinque famoſas Janſenii propoſitiones, tanquam hæreticas receperint omnes Eccleſiæ, & tamen quis eas proſcripſit, niſi ſolus Papa? Undè licèt aliqui Catholici videantur ſpeculativè Papæ indefectibilitatem in materia fidei denegare, omnes tamen, ſaltem exteriùs indefectibilem admittunt practicè; ità ut qui Papæ definienti non adhæſerit, tanquam hæreticus habeatur.

Dices: Papæ definitiones haberi tanquam infallibiles, non quia præcisè à Pontifice proceſſerunt, ſed quia illas recepit Eccleſia. Sed

Contrà eſt quòd infallibilitatem ſuam non habeat Petrus ab Eccleſia, ſed Eccleſia à Petro; quandoquidem Petra non ſit ſtabilita ſuper Eccleſiam, ſed Eccleſia ſupra Petram; & ideo non dixit Chriſtus Eccleſiæ: paſce Petrum, ſed Petro *paſce oves meas*, ſeu Eccleſiam.

Prob 6. Ex Pontificibus, Leone I. ſerm. 3. de ſua aſsumptione ad Pontificatum: *Ut firmitas quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur*. Ubi datur firmitas Eccleſiæ per Petrum, non Petro per Eccleſiam. Agathone Ep. ad Conſtantinum Imper. poſt init. quæ fuit lecta in 6. Synodo Act. 4. *Dominus . . . fidem Petri non defecturam promiſit & confirmare eum fratres ſuos admonuit: quod Apoſtolicos Pontifices, meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper, cunctis eſt agnitum*. Leone IX Epiſt. 5. ad Petrum Antiochenum: *Hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius*. Innoc. III. cap. *quoties* 24. q. 1. *Quoties ratio fidei ventilatur, arbitror omnes fratres . . . . non niſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis, & honoris authoritatem referre debere*. Idem habent plurimi alii.

Prob. 7 Ex Patribus: Origine: Hom. 1. in Matth in init. *Manifeſtum eſt, quòd nec adverſus Petram illam, ſuper quam ædificatur Eccleſia, nec adverſus Eccleſiam, quæ ædificatur ſuper hujuſmodi Petram, portæ prævalebunt Inferorum, ... adverſus quem autem portæ prævaluerunt Inferorum. Ille neque Petra dicendus eſt, ſuper quam Chriſtus ædificat Eccleſiam, neque Eccleſia, quæ ſuper Petram ædificatur à Chriſto*. Auguſtino Pſalm. contra partem Donati tom. 7. *Numerate Sacerdotes vel ab ipſa Sede Petri . . . . ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ*. Petro Chryſologo Ep. ſt. ad Eutychen. *His quæ à beatiſſimo Papa Rom. civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas, quoniam B. Petrus qui in propria ſede & vivit & præſidet, præſtat quærentibus Fidei veritatem*. Bernardo Epiſt. 190. ad Innoc. Papam in init. *Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum . . . . ea præſertim, quæ de Fide contingunt* &c.

Prob. 8. Ratione: ſicut non ſufficiunt ad bonum regni regimen leges etiam juſtiſſimæ, niſi habeatur judex qui dirimat controverſias circa leges ortas; ità nec in Eccleſiæ regno ſufficit Scriptura, quæ eſt regula Fidei mortua, niſi habeatur regula viva, ſeu judex, qui Scripturæ & Fidei difficultates componat, dubia diſsolvat, &c. talis autem judex eſt ille, cui dixit Chriſtus: *Confirma fratres tuos*. Luc 22.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

OBjicies 1. Liberius ſubſcripſit formulæ fidei Arianæ, & condemnationi D. Athanaſii veræ fidei defenſori: ergo &c.

Reſp. Quantum ad ſubſcriptionem condemnationis D. Athanaſii ex Alexandria ejiciendi, injuſtè proceſſiſse, non tamen ex infidelitate, cùm tantùm accuſaretur Athanaſius de crimine conſpirationis contra Imperatorem Conſtantinum, falsò ipſi ab Arianis impoſitum. Quantùm autem ad ſubſcriptionem formulæ Arianæ, dico ad evitandam exilii pœnam, in hæreſim exterius conſenſiſse, ſicut ex metu mortis thurificavit Idola Marcellinus, & Chriſtum negavit Petrus, qui ideo Fidei confeſſionem amiſerunt, non fidem, quam in corde ſervaverunt: Unde Epiſt. ad Urſatium, anathematizat Arianos Liberius.

Præterea etſi peccaverint tres illi, nihil tamen per hoc contra fidem docuerunt ex cathedra, de quo ſolo hic agitur.

Obj. 2. Fœlix II. cum eſset Arianus, & Arianis communicaret, ad Papatum fuit evectus.

Reſp. Suppoſito quòd Fœlix ille fuerit Papa, de quo dubitant aliqui, fuiſse quidem Arianum tempore Anti-papatus, in quem, vivente Liberio, fuerat, opera Conſtantii Imperatoris Ariani intruſus, non tamen tempore Papatus, ad quem, defuncto Liberio, evectus fuit legitimè, nam tunc Conſtantium Arianorum protectorem condemnavit ut Hæreticum, & tandem ob Fidei Nicænæ confeſſionem Martyr occubuit. Unde refert Gonet quòd, cùm Romæ anno 1582. tempore Gregorii XIII. ambigeretur, deberetur, deberetne Felix in novo Martyrologio collocari, & viri eruditi, inter quos Baronius, contrarium ſentirent, divina Providentia inventa ſit arca marmorea in Baſilica SS. Coſmæ & Damiani cum hac inſcriptione: *Hic jacet Corpus S. Fœlicis Papæ & Martyris, qui Conſtantium hæreticum damnavit*.

Obj 3. Zephyrinus ſcripſit litteras pacis ad Montanum Hæreſiarcam, ita ut de eo dicat Rhenanus in annotationibus ad Tertullianum (qui hoc refert) contra Praxeam in initio: *Epiſcopus Romanus Montanizat*.

Reſp. Hoc feciſse Zephyrinum à quibuſdam Montaniſtis perſuaſum, quòd Montani doctrina non eſset alia, quàm Romana, & ideo immeritò fuiſset ab ipſius Prædeceſsoribus condemnata, ubi non reperitur error Fidei, ſed nimiæ credulitatis; ubi autem fraudem detexit litteras revocavit.

Obj. 4. Vigilium ſcribentem ad Theodoram Auguſtam in favorem Monothelitarum, imò Anathematizantem in ſua Ep. admittentes in Chriſto duas naturas.

Reſp. Non erraſse in hoc ut Pontificem, cùm Epiſtolam non direxerit ad omnes Fideles, ſed tantùm ad Imperatricem hæreticam, cujus ope fuerat in Papatum intruſus, vivente Sylverium in exilium miſso, quo etiam tempore Epiſtolam ſcripſit: imò factus, defuncto Sylverio, Papa legitimus Imperatrici Arthemium hæreticum ad Patriarchatum reſtituere volenti, generosè reſtitit, ipſamque cum aliis Hæreticis excommunicavit, ut patet ex D. Gregorio lib. 2. indict. 10. Ep. 93. ubi ait: *Recordandæ memoriæ Vigilius Papa in urbe regia conſtitutus*, id eſt Conſtantinopoli, quo fuerat per fraudem perductus, *contra Theodoram tunc Auguſtam, & Acephalos, damnationis promulgavit ſententiam*.

Obj 5. Stephanus VI. & Sergius III. irritaverunt acta Formoſi, quæ tamen poſtea, caſsatis circa hoc Stephani & Sergii decretis, approbavit Jo. IX.

Reſp. Stephanum & Sergium erraſse in quæſtione facti: putantes enim Formoſum non fuiſse legitimum Pontificem, ejus acta annullarunt, quæ reſtituit Joannes, ubi deprehendit fuiſſe legitimum.

Obj. 6. Non fuit habitus ut hæreticus D. Cyprianus, dum reſtitit Stephano Papæ definienti non eſse baptizandos ab Hæreticis baptizatos: ergo non credebatur infallibilis.

Reſp. Licèt Stephanus voluerit quidem ut circa hoc ſervaretur antiqua Eccleſiæ conſuetudo, nihil tamen definierat, imò nec definire volebat (etſi potuiſset) ſine Concilio: unde non erat habendus ut Hæreticus Cyprianus: ipſo tamen defuncto res definita eſt in Concilio generali, ut docet Auguſt. lib. 2. *de Baptiſmo* cap 8.

Obj. 7. Honorius I. admittentem cum Monothelitis unicam in Chriſto voluntatem. Item Nicolaum IV. & Jo: XXII. admittentes contradictoria circa Chriſti paupertatem.

Reſp. Nunquam fuiſse Monothelitam Honorium, & ſi alicui dixit fuiſse unam tantùm in Chriſto voluntatē, loquebatur de Chriſto ut homine, in quo volebat non eſse duas voluntates pugnantes, nempe carnis & Spiritus, eò quòd omnia in eo perfectè ſubjicerentur ſpiritui. Hac de re ex profeſso agemus in Tractatu de Incarnatione. Quantùm ad Nicolaum & Joannem, ipſos conciliavimus in Tract. de jure, & juſtitia, diſp. 2. q. 4. concl. 3. ubi quæritur an Fratres Min. habeant dominium rerum unico uſu conſumptibilium. Aliorum Pontificum errores ſuppoſititios, eorumque deſtructionem, vide apud Bellarm. Tract. de Pontifice.

Obj. 8. Si infallibilis ſit Papa in materia fidei, & morum decretis, fruſtra convocantur Concilia.

Reſp. Neg. aſsump. cùm enim varia occurrant per orbem negotia, pro quibus terminandis multorum expedit ſententia, ideò utiliſſimè convocantur quandoque Concilia majora, aut minora, prout poſtulaverit rerum conditio, præſertim cùm non debeat Pontifex, antequam rem decidat, contemnere media humana & ordinaria, ſine quibus, ut volunt plurimi, non cenſetur loqui ex Cathedra.

Digitized by Google

QUÆSTIO V.

An Papa aut Eccleſia ſit infallibilis in quæſtionibus facti?

QUæſtio hoc tempore famoſa ob quinque propoſitiones Janſenii, quas non tantùm condemnavit Eccleſia ut hæreticas, ſed etiam ut excerptas ex Janſenii libro, & in ſenſu ab Authore intento, quæ ſunt circumſtantiæ facti. Cùm autem præſertim Janſenianæ propoſitiones ſint cauſa hujus quæſtionis, ſaltem his temporibus, circa illas ſolas reſolutionem dabimus, aliis materiis ſimilibus facilè applicandam. Porrò ut cum ordine procedamus, 1. Varia præſupponemus. 2. Reſolvemus Eccleſiam, condemnando quinque propoſitiones, condemnaſſe de facto doctrinam Janſenii, & ſenſum ejuſdem authoris. 3. Id potuiſſe Eccleſiam authoritate infallibili. 4. Dabitur objectionum ſolutio.

§. I.

Quædam præſupponenda?

SUppono 1. Malè & abuſivè dici à plebeis Janſeniſtas illos, qui in adminiſtrandis Sacramentis ſunt, aut putantur rigoroſi; ſicut & illos qui in moralibus ſententias amplectuntur rigidiores.

Suppono 2. Nullum eſſe, aut vix ullum Janſeniſtam formalem, id eſt, qui teneat aut doceat crudè & ſimpliciter quinque famoſas propoſitiones; multos tamen eſſe Janſeniſtas æquivalenter, & in re: veritate; cùm enim ſuſtineant doctrinam Janſenii eſſe ipſammet doctrinam Auguſtini, quem, ut ajunt, nunquam condemnavit Eccleſia, ſuſtinent conſequenter doctrinam Janſenii eſſe ſanam, adeoque poſſe, non obſtante condemnatione quinque propoſitionum, in corde teneri, modò ſaltem habeatur exterius erga Sedem Apoſtolicam ſilentium, ut ajunt, reſpectuoſum: ex quo ſequitur, ipſos coram Deo eſſe verè Janſeniſtas; cùm nihil aliud ſint quinque propoſitiones condemnatæ, quàm doctrina Janſenii, & nihil aliud doctrina Janſenii, quàm quinque propoſitiones condemnatæ.

Suppono 3. Facta eſſe duplicis generis: alia enim ſunt perſonalia, & indifferentia ad dogma, ut quando agitur de crimine patrato, de poſſeſſione & ſimilibus, in quibus falli poteſt Eccleſia, inquit D. Th quodlib. 9. art 16 1. idq, ut ait, *propter falſos teſtes*; alia ſunt facta dogmatica textuum in aliquo libro contentorum, ut quòd caput primum aut ſecundum alicujus libri, aut etiam liber integer contineat quoad ſubſtantiam talem vel talem propoſitionem, veram aut falſam, Catholicam aut Hæreticam, & in iis factis, quæ ſunt etiam juris, non poteſt Eccleſia falli, ut oſtendemus poſtea.

Suppono 4. Non contineri quinque propoſitiones verbo-tenùs in libris Janſenii, ſed tantùm, ſi unam ſaltem exceperis, quoad ſubſtantiam, & quoad ſenſum obvium proprium & naturalem verborum & textuum: & quantùm ad hoc conveniebat Clerus Gallicanus jam à 50. annis: nam congregatus anno 1661. apud Fontem Bellaqueum, gallicè *Fontainebleau*, ſic fuit locutus: *Conſtitutiones Apoſtolicæ damnant tanquam hæreticas opiniones Janſenii compendioſè contentas in quinque propoſitionibus, & fuſius explicatas in ejus libro, cui titulus AUGUSTINUS*.

Suppono 5. Non ſine juſta ratione reduxiſſe Eccleſiam, Janſenii libros ad quinque propoſitiones, aut ſaltem ab aliis reductos approbaſſe; cùm enim non poſſent omnes Fideles illius opera pervolvere, illorum compendium exhibuit in dictis propoſitionibus, ut facilè veritates contradictorias tanquam revelatas Fide tenerent.

Suppono 6. Quòd prima propoſitio condemnata contineatur in lib. 3. de Gratia Salvatoris Jeſu Chriſti; cùm totus liber ille, ſaltem ſi duo ultima capita excipias, occupetur in ſtabilienda dicta propoſitione. Secundam habet ſecundus liber; cùm liber ille nihil ſit aliud quàm ſecunda propoſitio damnata: Tertiã formant liber ſextus, ſeptimus, & octavus. Quarta reperitur in libris de Hæreſi Pelagiana, eſtque unicus ſcopus librorum illorum quartam illam propoſitionem ſtabilire. Denique duo ultima capita libri 3. de Gratia Salvatoris nihil aliud ſunt, quàm quinta propoſitio continuò repetita.

Supp. 7. Nunquam definiviſſe Eccleſiam fuiſſe Janſenii intentionem perſonalem docendi in ſuo libro *Auguſtinus* intitulato, quinque hæreſes damnatas; quandoquidem non Eccleſia, ſed Deus de internis judicet; undè quando illas damnavit Eccleſia *in ſenſu ab authore intento*, locuta eſt de ſenſu, quem author ipſe per ſua verba naturaliter exprimit, ſeu, ut loquitur Innocent. XII. *de ſenſu obvio, quem ipſamet verba præſeferunt*.

Supp. 8. Eccleſiam, poſtquam per Innoc. X. condemnaverat quinque propoſitiones, ex juſtiſſima cauſa dixiſſe per Alexandrum VII. illas eſſe ex Janſenio excerptas & in ſenſu ab authore intento damnatas: nam cùm Janſenii defenſores illarum quidem propoſitionum condemnationem recipientes, negarent tamen in Janſenio reperiri; & ideo adhuc illius libros legerent, docerent, ad legendos traderent, & ſic hæreſis illa adhuc graſſaretur, Sancta Sedes ut tanto malo obviaret, præfatas particulas addidit.

Supp. 9. Eccleſiam in condemnatione Janſenii nobis proponere duos textus, brevem unum, longum alterum: brevis eſt quælibet ex quinque propoſitionibus condemnatis: longus eſt, liber ille, ut libri Janſenii, in quibus aliqua propoſitio condemnata continetur; jam aut non condemnat Eccleſia textum longum, quia continet de verbo ad verbum textum brevem; ſed è contra condemnat textum brevem, quia eſt compendium textus longioris.

Suppono denique eſſe æquè, imò magis neceſſariam Eccleſiæ infallibilitatem, ſeu ſpecialem Spiritus S. aſſiſtentiam in qualificandis textibus longioribus, quàm in qualificandis brevioribus. Ratio eſt; quia major eſt occaſio ſcandali, & ſubverſionis fidelibus, ſi ipſis proponat Eccleſia librum integrum tanquam Catholicum, cùm ſit hæreticus; aut hæreticum, cùm ſit Catholicus, quàm ſi proponat ſimplicem propoſitionem tanquam veram, cùm ſit falſa, aut tanquam Catholicam, cùm ſit hæretica, & è contra; quandoquidem in propoſitione ſimplici, nuda & brevi, nihil attrahat, alliciat, incitet ad ſui ſequelam, ſicut allicit liber integer per annotationes, principia, ſuppoſita, probationes, refutationes, varios & gratos loquendi modos, per malè explicatos, truncatos, indebitè intruſos Scripturæ, Patrum, aut Conciliorum paſſus & ſimilia, quæ omnia juncta cum fama ſcientiæ, & celebri authoris nomine, legentes facilè & ſenſibiliter ineſcant, ac tandem in ſui partem attrahunt. His ſuppoſitis

§. II.

Reſolvitur Eccleſiam condemnando quinque propoſitiones, condemnaſſe de facto doctrinam & ſenſum Janſenii.

PRob. 1. Declaravit Alexander VII. dictas propoſitiones eſſe ex libro Janſenii excerptas, & in ſenſu ab Authore intento damnatas; ſed non poſſunt eſſe excerptæ ex libro Janſenii, & in ſenſu ab illo intento eſſe condemnatæ, niſi ſint doctrina Janſenii, ut per ſe patet: ergo.

Prob. 2. Quia omnes conſtitutiones, decreta, Bullæ, deciſiones, quæ poſt primam Bullam Innoc. X. facta ſunt reſpiciunt unicè librum, ſeu doctrinam Janſenii, ſeu eò præcisè tendunt, ut declarent Janſenii librum ſeu doctrinam eſſe in quinque propoſitionibus condemnatam, ut Bullas ſine præventione legenti luce clariùs patebit. Imò ipſamet Bulla Innoc. X. condemnat quinque propoſitiones, nõ tantùm in ſe & independenter à Janſenii libro; ſed etiam ut ſunt compendium doctrinæ ejuſdem Authoris, ut declararunt, non tantùm illius ſucceſſores, & præſertim Alex VII. qui proteſtatur ſe (cùm adhuc Cardinalis eſſet) omnibus conferentiis ſuper quinq; propoſitionum doctrina habitis interfuiſſe authoritate Innoc. X. ſui prædeceſſoris; ſed etiam ipſemet Inno: X. qui reſcribens ad Galliæ Epiſcopos ſic loquitur; *Condemnavimus in quinque propoſitionibus doctrinam Janſenii contentam in ſuo libro, cui titulus eſt Auguſtinus*. Quid magis clarum, & deciſivum?

Prob 3. cùm Clerus Gallicanus conquereretur apud Alexandrum VII. de iis, qui tunc ſuſtinebant (ſicut & plurimi ſuſtinent hodie) nihil eſſe contra Librum Janſenii deciſum, Reſpondet in ſua Bulla *filios eſſe iniquitatis*, qui ſuſtinent quinque propoſitiones in libro Janſenii non reperiri. Imò idem Alexander VII. indignatus contra eos, qui, non obſtantibus tot deciſionibus expreſſis, & formalibus, intactum eſſe volebant Janſenii librum, qui tamen erat unicum cenſurarum objectum; tranſmiſit formam juramenti ſervandam ab Epiſcopis, & certis aliis Eccleſiaſticis, nempe quod quilibet juraret ſe condemnare corde ſincero quinque propoſitiones extractas ex libro Janſenii, in ſenſu ejuſdem Authoris. Quod juramentum exactiſſimè etiam his temporibus exigitur.

Inſuper addit Innoc XII. illos, qui tale juramentum tenentus præſtare debere illud facere ſine ulla diſtinctione, reſtrictione, aut expoſitione, condemnantes quinque propoſitiones extractas ex libro Janſenii in ſenſu, quem verba naturaliter præſeferunt. Quis autem audeat dicere, aut cogitare Chriſti Vicarium exigere à fidelibus perjurium?

Denique cùm adhuc eſſent homines veritati non acquieſcen-

Digitized by Google

ſcentes, & nunquam Eccleſiæ contradicendi finem facientes, qui non ſine gravi Sedis Apoſtolicæ injuria, maximoque totius Eccleſiæ ſcandalo docere non erubeſcerent ad obedientiam Præfatis Apoſtolicis conſtitutionibus debitam non requiri, ut quis prædicti Janſeniani libri ſenſum interiùs, ut hæreticum damnet; ſed ſatis eſſe, ſi ea de re obſequioſum, ut ipſi vocant, ſilentium habeatur; Clemens XI. Papa modernus, ut in poſterum omnem erroris occaſionem præcideret, declaravit per Bullam datam anno 1705. XVII. Kalendas Auguſti. *Obedientiæ, quæ præinſertis Apoſtolicis Conſtitutionibus debetur, obſequioſo illo ſilentio minimè ſatisfieri, ſed damnatum in quinque præfatis propoſitionibus Janſeniani libri ſenſum, quem illarum Verba præſeferunt, ab omnibus Chriſti fidelibus, ut hæreticum non ore ſolum, ſed & corde rejici, ac damnari debere, nec aliamente, animo, aut credulitate ſupradictæ formulæ* (nempè Alexandri VII.) *ſubſcribi licitè poſſe*. Ità ut jam tantùm inobedientes, Eccleſiæ turbatores, inquieti, ac Sanctæ Sedi rebelles de condemnata Janſenii doctrina dubitent. Et ne dicas Eccleſiam id non potuiſſe, ſit

§. III.

Reſolvitur potuiſſe Eccleſiam Janſeniani libri ſenſum ut hæreticum condemnare, adeoque infallibilem eſſe in rebus, quæ ſimul ſunt juris & facti.

PRob. 1. Jam non eſt minoris poteſtatis Eccleſiæ, quàm fuerit olim, ſed definivit olim jus & factum infallibiliter. ergo poteſt & nunc. Prob. Min. ex Scriptura 1. ad Tim. 1. *Quidam.... circa Fidem naufragarunt, ex quibus eſt Hymeneus & Alexander:* ubi Apoſtolus condemnat *jus* ſeu doctrinam, & *factum*, ſeu perſonas; ita ut credere debeamus & eorum doctrinam eſſe hæreticam, & ipſoſmet eſſe hæreticos.

Confirm. Hæc Minor ex continua tum Eccleſiæ, tum ſummorum Pontificum praxi, qui hæreſes condemnantes, ſimul & earum Authores condemnarunt ut hæreticos, inter res juris & facti non diſtinguentes: undè in Concilio Nicæno I. damnatur hæreſis aſſerentium, quòd Filius Dei eſſet *factus eſt nihilo*, & ipſi aſſerentes damnantur tanquam Ariani. Et in Concilio Epheſino Seſſ. 1. art. 4. *Credimus anathematizantes omnes hæreſes, & Arii, & Eunomii, & Neſtorii, & illos qui dicunt carnem Chriſti fuiſſe è Cælo*, ubi & errores & errorum Authores declarantur hæretici (quod etiam factum fuerat in Concilio Conſtantinopolitano I.) imò præcipitur Theodoreto repugnanti, ut, vel Neſtorium Anathematizet, vel ipſemet habeatur ut hæreticus: ergo cenſuit Concilium tanquam de fide & Neſtorium hæreſes dixiſſe, & hæreticum eſſe, quod expreſſius docuit, teſte Binio tom. 2. cap. 4. in fine, ubi ſic legitur, *Omnes Neſtorii epiſtolam & dogmata anathematizamus: omnes hæreticum Neſtorium anathematizamus*. Multa ſimilia apud Authores modernos reperies.

Accedit, quòd præcipiat Martinus V. in Concilio Conſtantienſi Seſſ. ult. ut Catholici omnes profiteantur ſe credere, *Quòd condemnationes Joannis Hus, Wicleffi, & Hieronymi de Praga factæ de perſonis eorum, libris & documentis per Sacrum Generale Conſtantienſe Concilium, fuerint ritè & juſtè factæ, & à quolibet Catholico pro talibus tenendæ*.

Prob. 2. Ratione: periculoſum eſt in Fide, ſi non ſit hæreticum, dicere Chriſtum deſeruiſſe Eccleſiam ſuam, ubi agitur de conſervando Fidei depoſito; atqui ſi non potuit Eccleſia condemnando quinque propoſitiones, condemnare librum Janſenii, dicendum eſt Chriſtum illam deſeruiſſe, ubi agitur de conſervando Fidei depoſito. ergo &c. Major certa eſt: nam poſtquam dixit Chriſtus Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes*, addidit: *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*; atqui ſi Chriſtus eſt cum Eccleſia docente, maximè ubi ipſa docet Fidei veritates quas debeant fideles amplecti, & hæreſes quas debeant fugere, eam non deſeruit, ut per ſe patet: ergo. Præterea Luc. 10. *Qui vos audit, me audit*, inquit Chriſtus. quaſi diceret Eccleſiæ: dum loqueris, loquor ego, ubi autem magis loquitur Chriſtus cum Eccleſia, quàm dum ipſa loquitur pro conſervando Fidei depoſito, veritates manifeſtando; errores detegendo?

Prob Min. Ubi major apparet difficultas ſi non potuit Eccleſia condemnare librum Janſenii tanquam hæreticum ſeu tanquam continentem tales vel tales hæreſes; nec poteſt quemlibet librum alium cujuslibet authoris tanquam hæreticum qualificare, cùm ſit par ratio, atqui ſi hoc ſtaret, poſſent fideles, non obſtante quolibet Eccleſiæ decreto, conſtitutione, Bulla, deciſione, mandato &c. doctrinæ libri condemnati adhærere, illam tenere, imò & docere, ſicque paulatim totus mundus fieri poſſet hæreticus, ſaltem materialiter: ergo dicendum eſſet Chriſtum Eccleſiam ſuam in conſervando Fidei depoſito deſeruiſſe.

Dices: Non eſſet dicendum Chriſtum deſeruiſſe Eccleſiam ſuam, licèt fideles fierent hæretici materialiter. Sed

Contra eſt, quòd diceretur Chriſtus deſeruiſſe Eccleſiam, ſi non dediſſet ei poteſtatem decidendi infallibiliter in materia juris, ſeu in textibus brevioribus, v. g. in hac vel illa propoſitione, ut fateri debent Adverſarii; atqui in illo ſuppoſito fideles non aliter eſſent hæretici adhærendo doctrinæ propoſitionis condemnatæ, quàm adhærendo doctrinæ libri condemnati, ut per ſe patet: ergo ſi in primo caſu dicendus eſſet Chriſtus deſeruiſſe Eccleſiam ſuam, dicendus eſſet & in ſecundo.

Prob. 3. Non minoris eſt poteſtatis Eccleſia ad judicandum de hæreticitate, quàm de Catholicitate alicujus doctrinæ; quandoquidem æqualis ſit neceſſitatis, imò majoris, declarare fidelibus errores, falſa dogmata, hæreſes &c. quàm ipſis aperire fidei veritates, & articulos; atqui, ſecundùm Adverſarios, judicavit & decidit Eccleſia doctrinam Auguſtini Hipponenſis de Gratia, eſſe Catholicam, ità ut hæreticos dicant omnes illos, quos putant vero illius ſenſui eſſe oppoſitos: ergo à fortiori potuit judicare & decidere doctrinam Auguſtini Iprenſis eſſe hæreticam.

Dico: *A fortiori*, quia facilius fuit Eccleſiæ judicare de ſenſu proprio & naturali Auguſtini Iprenſis, quàm de ſenſu Auguſtini Hipponenſis; quandoquidem ille (cui non deerat ſcientia & ingenium dilucidum) ſuo operi elaborando, viginti annis inſudaverit, illud conceptuum connexione & methodo compoſuerit: hic autem, nonniſi per fragmenta, per partes, per Epiſtolas, ſine connexione, ſine ordine methodico ſcripſerit, modò unum, modò alterum refutando, prout res poſtulabat.

Dico: In negotio Janſenii reperiri quæſtionem facti, an ſcilicet quinque propoſitiones contineantur in ejus libro, necne: non ſic in negotio Auguſtini. Sed

Contrà eſt, quòd tam reperiatur quæſtio facti in uno, quàm in altero; cùm æqualiter quæri poſſit, an certæ propoſitiones, quas dicunt de Fide (v. g. hæc: *Gratia eſt ex natura ſua efficax*) contineantur in Auguſtino; ſicut quæri poteſt an quinque propoſitiones contineantur in Janſenio: ergo ſi non obſtante hac quæſtione facti, potuit Eccleſia, ut dicunt, approbare doctrinam Auguſtini tanquam Catholicam, potuit ſimiliter, non obſtante tali quæſtione, condemnare doctrinam Janſenii tanquam hæreticam. Et certè nullus unquam Janſenii fautor reclamaſſet, ſi Sancta Sedes approbando doctrinam Auguſtini propoſuiſſet certas propoſitiones tanquam de Fide, ut *quòd gratia ſit ex ſe efficax*, dixiſſetque illa eſſe ex Auguſtino excerptas, & in ſenſu ab illo intento approbatas; nullus, inquam, reclamaſſet, aut ad quæſtionem facti recurriſſet.

Prob. 4. Poteſt Eccleſia condemnare aliquam propoſitionem tanquam continentem hæreſim, & quidem talem hæreſim: ergo poteſt condemnare librum integrum tanquam continentem tales vel tales hæreſes. Prob. conſeq. ideò poteſt Eccleſia condemnare propoſitionem aliquam ut continentem talem hæreſim, quia ex verbis propoſitionis judicat ſic eſſe: atqui ex verbis & textibus libri Janſeniani judicat quinque propoſitiones in eo contineri: ergo.

Prob. denique, quia ex ſuppoſito ultimo §. 1. hujus articuli relato: æqualiter, imò magis neceſſaria eſt Eccleſiæ infallibilitas, ac Spiritus S. aſſiſtentia pro qualificando libro integro, ac pro qualificanda ſola propoſitione. Vide ibidem.

§. IV.

Solvuntur Objectiones.

OBji. 1. Eccleſia in quæſtionibus facti eſt fallibilis; ſed an quinque propoſitiones condemnatæ contineantur in libro Janſenii, eſt quæſtio facti: ergo non potuit Eccleſia condemnando dictas propoſitiones, condemnare doctrinam Janſenii.

Reſp. diſt. Ma. Eccleſia in quæſtionibus facti perſonalis, & ad dogma ſeu doctrinam indifferentis, eſt fallibilis: tranſeat. In quæſtionibus facti à Jure inſeparabilis, ſeu in quæſtionibus facti materiam fidei, aut morum Eccleſiæ generalium inſeparabiliter concernentis; nego. Tale quid autem reperitur in caſu noſtro; quia licèt ſit quæſtio facti, an Auguſtinus Iprenſis contineat quinque famoſas hæreſes, necne, eſt tamen ſtricti juris, & ab illo facto inſeparabilis, an ſenſus naturalis illius libri exprimat ſenſum illarum hæreſum, necne. Et certè ſi ſit quæſtio juris, an aliqua propoſitio, v. g. hæc: *Gratiæ interiori nunquam reſiſtitur*, exprimat naturaliter ſenſum hæreticum, necne: quidni juris eſſet, an liber integer exprimat naturaliter eundem ſenſum, necne: nam ſicut verba propoſitionem aliquam hæreticam componentia, ſecundum ſuum ſenſum naturalem ſignificant hæreſim, ita dico parte, ſyllogiſmos, propoſitiones librum aliquem componentes, poſſe ſecundùm

Digitized by Google

eundùm ſuum ſenſum naturalem hæreſim aliquam ſignificare; quandoquidem poſſit aliquis liber ad unicam propoſitionem reduci, imò quilibet liber rectè compoſitus, non ſit niſi unica propoſitio.

Nec dicatur hæc diſtinctio facti noviter adinventa: nam Clerus Gallicanus à 50 annis circiter illam in terminis expreſſit, ut patet ex libro Gallico, cui titulus. *Relations des deliberations du Clerge de France*, pag. 20. Hanc doctrinam hauſerat ex perpetua Eccleſiæ praxi, quæ in tranſmittendis ad nos per traditionem hæreſibus, & fidei articulis ſeſe infallibilem firmiter credit, licèt in illa tranſmiſſione plurimæ quæſtiones facti interveniant.

Obji. 2. Licèt infallibilis ſit Eccleſia in textibus brevioribus, non tamen in longioribus: ergo licèt voluiſſet, condemnando quinque propoſitiones, condemnare doctrinam Janſenii, non tamen condemnavit.

Reſp. Antecedens omninò gratis fingi; cùm nec ex Scriptura, nec ex Conciliis, nec ex Patribus, nec ex Traditione poſſit hoc probari. Imò contrarium evidentiſſimè patet, tum ex eo quòd major ſit neceſſitas, ut Eccleſia infallibiliter decidere poſſit in textibus longioribus, quàm in brevioribus, ut diximus, tum quia Deus deſeruiſſet Eccleſiam ſuam in rebus maximi momenti, ut evidentiſſimè probant ſuperius allata; tum quia hanc in ſe poteſtatem ſemper agnovit Eccleſia, ut patet ex Concilio Epheſino tom. 2. cap. 4. Ubi, nullo reclamante, condemnata eſt epiſtola Neſtorii, licèt contineret textum valdè longum; ex Concilio Chalcedonenſi, & Concilio V. & aliis quæ apud Authores modernos poteris conſulere.

Obji. 3. Cùm textus Janſenii ſit valde longus, non eſt credibile Eccleſiam totum legiſſe: ergo Bullæ, ejus doctrinam condemnantes ſunt obreptitiæ & ſubreptitiæ.

Reſp. 1. Textum S. Auguſtini de gratia, quem tanquam de fide approbatum volunt Adverſarii, eſſe longiorem & intellectu difficiliorem textu Janſenii; & conſequenter, ſi ſecundùm ipſos, ſufficienter illum legit Eccleſia, ut approbaret Auguſtinum; quidni ſufficienter legiſſet Janſenium, ut illum condemnaret?

Reſp. 2. Audaciam eſſe intolerabilem, & impoſitionem execrandam dicere Eccleſiam in re tanti momenti cæco modo proceſſiſſe, poſtquam Alexander VII. qui omnibus conferentiis adfuiſſe proteſtatur, aſſerit cauſam Janſenii in rei veritate tanta diligentia & exactitudine fuiſſe examinatam, ut major non poſſet deſiderari. An ergo potiùs credendum homini particulari per fas & nefas ſententias ſuas ſuſtinenti, quàm Chriſti Vicario Dei cauſam agenti?

Obji 4. Papa non definivit quidquam in hoc negotio, niſi ex relatione Cardinalium, Theologorum, Doctorum &c. ſed hi vel ex præventione, vel ex ignorantia, vel ex pravo in Authorem affectu, vel ſatisfacturi Janſenii adverſariis, potuerunt errare, & falſa circa ipſius libros referre: ergo.

Reſp. Quòd licèt Papa, aut Eccleſia non ſoleat definire, niſi præhabito prudenti, longo & ſufficienti Doctorum examine & relatione, non tamen ex illis tantùm ſe determinat, ſed maximè ex Spiritus Sancti aſſiſtentia, quæ Eccleſiæ non deeſt in rebus tanti momenti, ut certò ſupponunt Pontifices in ſuis decretis.

Obji 5. Non ſolet Eccleſia in qualificando aliquas propoſitiones, qualificare librum, ex quo excerptæ ſunt: ergo non eſt credibile, condemnando quinque propoſitiones voluiſſe condemnarè doctrinam Janſenii.

Reſp. Diſt. Ant. non ſolet, ubi non eſt neceſſe, tranſeat: Ubi neceſſe eſt, ut ejus condemnatio non reddatur inutilis, ſicut foret, ſi, qualificatis quinque propoſitionibus, non eſſet qualificatus liber Janſenii: nego. Unde Eccleſia condemnat ordinariè errores, nulla facta mentione librorum, ex quibus ſunt excerpti, ubi nullus reclamat, iterum adhærendo libris illis; ubi autem videt ex ſimili condemnatione ſuam qualificationem eſſe excluſam, aut excludendam, cōdemnat etiam terminis expreſſis Authores, ſive libros, ex quibus extracta ſunt falſa dogmata; ut doctrina pernicioſa ex animis fidelium totaliter evellatur & ſic accidit in noſtro caſu Sic quoque accidit, reſpectu Eutichis, Epiſcopis Ægypriacis in Concilio Epheſino: nam cùm vellent quidem anathematizare illos, qui aſſererent hanc propoſitionem: *Cathedra Jeſu Chriſti eſt in Cœlo*, nollent tamen Eutichi anathema dicere, Patres dicti Concilii credentes ſe ab illis eluſos, aut eludendos, voluerunt, ut Eutichen ſeu doctrinam ejus ſimul cum dicta propoſitione anathematizarent.

Obji. 6. Si judex condemnaret ad ſuſpendium Joannem artis ſuæ lignarium, condemnatio tantùm caderet directè ſupra Joannem, & nonniſi connotativè & incidentaliter ſupra ipſum ut fabrum lignarium: ergo ſimiliter ubi Eccleſia condemnat quinque propoſitiones ex Janſenio excerptas, ejus condemnatio tantùm cadit directè ſupra quinque propoſitiones ſecundum ſe, & nonniſi connotativè & merè incidentaliter ſupra ipſas ut ex Janſenio excerptas, quia ſupponit ex rumore communi in Janſenio reperiri.

Reſp. Neg. conſeq. Diſparitas eſt quòd condemnatio in 1. caſu utiliter caderet ſupra Reum ut fabrum; ſicut patet; in 2. autem inutilis eſſet condemnatio, niſi caderet directè, formaliter & expreſsè ſupra ipſas propoſitiones ut ex Janſenio excerptas; quandoquidem, condemnatis quinque propoſitionibus, & non condemnato Janſenii libro hæreſes condemnatæ æqualiter graſſarentur, ut infœlix experientia convincit. Præterea non licet ampliùs dubitare de intentione Eccleſiæ, poſtquàm varii Pontifices declararunt terminis expreſſis ſuam eſſe intentionem, condemnando quinque propoſitiones, condemnandi doctrinam Janſenii, ut patet ex §. 3.

Obji. 7. Hæc propoſitio, *hæc doctrina in ſenſu Janſenii eſt hæretica*, continet duas propoſitiones, nempè *hæc doctrina eſt hæretica*, & *hæc doctrina eſt Janſenii*: licèt autem prima ſit objectum fidei, non ſecunda, cùm non ſit revelata, nec ejus aſſenſus fundetur in revelatione, ſed in evidentia facti per lectionem ſcriptorum.

Reſp. Secundam ſolitariè ſumptam; ſeu prout ſeparat hæreticitatem, non eſſe objectum fidei, cùm fides non verſetur circa doctrinam ut ſic, ſed prout eſt Catholica, aut hæretica; prout tamen conjungitur cum prima, vel potius unicam cum ea propoſitionem conſtat, nempè hanc: *hæc doctrina Janſenii eſt hæretica*, eſt etiam objectum Fidei; quia Spiritus Sanctus, ne Eccleſiæ ſuæ deeſſet in re neceſſaria, revelavit, non tantùm hanc doctrinam eſſe hæreticam, ſed etiam hanc doctrinam hæreticam eſſe libri Janſeniani, ne crederent fideles, condemnatis ab Eccleſia quinque propoſitionibus ut hæreticis, non eſſe condemnatum Janſenii librum ut hæreticum, & ſic inutilis eſſet Eccleſiæ condemnatio, iterumque graſſaretur hæreſis condemnata.

Inſt. Sufficiebat, ut illis inconvenientiis obviaret Eccleſia, quòd, condemnatis quinque propoſitionibus, prohiberet lectionem libri Janſenii.

Reſp Hoc non ſufficere, cùm Janſenii doctrina ſit in variis ſcriptis per fragmenta diſperſa, vigeatque in multorum memoria; & aliunde cùm plurimi hoc tempore nihili faciant librorum prohibitionem, præſertim ubi credunt doctrinam eſſe bonam, qualem credunt Janſenii doctrinam Adverſarii, non obſtante prohibitione, adhuc viguiſſet Janſenii lectio, adeoque & hæreſis.

Obji. 8. Eccleſiæ definitio non poteſt verſari circa rem dubiam; ſed ſi de ſenſu Authoris definiret, hoc fieret. ergo. Prob. Min quia hæc propoſitio v.g. *Pater major me eſt*, in ſenſu Chriſti eſt vera, in ſenſu Arii hæretica; quis autem ſcire poteſt, an aliquis illam retulerit in ſenſu Arii, an in ſenſu Chriſti?

Reſp. Id colligi ex contextu, ſeu ex antecedentibus, & conſequentibus, & ne, id colligendo, erret Eccleſia, aſſiſtit ipſi ſpecialiter Spiritus Sanctus, propter rationes ſæpiùs repetitas.

Obj. Denique. Eccleſia nunquam ſibi contradicit, atqui approbando doctrinam Auguſtini, approbavit & doctrinam Janſenii, cùm ſit eadem: ergo noluit ipſam condemnare.

Reſp. 1. Eccleſiam non approbaſſe totam Auguſtini doctrinam de Gratia, approbatione ſpeciali quaſi verò omnia illius dogmata eſſent fidei oracula; ſed aliqua approbatione ſpeciali, alia non niſi approbatione generali, ſicut approbavit ſcripta Athanaſii, Ambroſii, Hilarii, &c. quæ approbatio generalis, ut ait Toſtatus in Defenſorio p. 2. cap. 2. tollit reſpectu librorum approbatorum ſuſpicionem de hæreſi voluntaria, licèt in decurſu temporis poſſet Eccleſia in libris taliter approbatis hæreſim aliquam Authori involuntariam deprehendere, eamque condemnare, & ideò fortè hanc propoſitionem condemnavit Alexander VIII. *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam* Nullam tamen credimus Auguſtini propoſitionem eſſe à Sancta Sede condemnatam; & ideò

Reſp 2. Falſum eſſe, doctrinam Janſenii eſſe doctrinam Auguſtini; cùm nullus paſſus allegari poſſit ex Auguſtino pro ſuſtinenda Janſenii doctrina, qui non habeat ſenſum verum & proprium, ſenſui quinque propoſitionum obvio & naturali contradictorium.

Quædam etiam tum ex Conciliis, tum ex Patribus, tum ex Pontificibus objiciuntur facta; ſed cùm illorum ſolutio ferè in omnium manibus teratur in his locis, & aliunde ex præcedentibus diſſolvi poſſint; illis, longitudinem & tædium vitaturi, ſuperſedemus.

Digitized by Google

ARTICULUS VI.

An Pontifex ſit infallibilis in decretis morum, & in Sanctorum Canonizatione?

CONCLUSIO I.

INfallibilis eſt Pontifex in decretis morum totam Eccleſiam concernentium; ſeu non poteſt rem malam, vel ſaluti nocivam, toti Eccleſiæ præcipere, aut bonam ſaluti neceſſariam prohibere.

Ratio eſt; quia cùm Spiritus Sanctus voluerit, ut ſponſa ſua eſſet Sancta, ac ſanctis legibus munita, nunquam permittet illam, cui ſpecialem aſſiſtentiam in rebus neceſſariis promiſit, legibus iniquis corrumpi ac maculari, vitia ſequendo, virtutem fugiendo; & conſequenter nec permittet Paſtorem, cujus vocem tenentur ſequi oves, ſeu Eccleſia, nociva præcipere, aut neceſſaria prohibere.

Accedit, quòd ſi poſſet Pontifex vitium aliquod injungere, aut virtutem aliquam interdicere, poſſet circa fidem errare, cùm hæc dicat vitium eſſe malum, & ſugiendum; virtutem autem eſſe bonam, & ſuo tempore practicandam.

Dixi: *In decretis morum* &c. quia non dubito quin in aliis decretis poſſit errare, v. g. legem ſuperfluam condendo, graviorem pœnam imponendo &c. quamvis nec ſit in illis error præſumendus, niſi evidenter appareat.

CONCLUSIO II.

INfallibilis eſt Papa in Sanctorum Canonizatione; imò & in Beatificatione; ſed non eadem infallibilitate. Ante probationem

Adverte 1. Canonizationem eſſe authenticum Eccleſiæ teſtimonium ac ſententiam, qua definitur defunctum aliquem inter Sanctos in Cœlis collocari, ac pro Sancto in terris à Fidelibus debere haberi.

Adverte 2. Hoc eſſe diſcrimen inter Canonizationem & Beatificationem, quòd Canonizatio ſit definitiva Papæ ſententia de ſanctitate & gloria Canonizati, omnibus Fidelibus propoſiti; Beatificatio autem, quæ via eſt ad Canonizationem, indulgentia tantùm & conceſſio alicui Provinciæ aut Religioni facta, ut alicui defuncto poſſit certos cultus deferre, v. g. Miſſam & Officium de eo celebrando: undè in Bullis Canonizationis utuntur Pontifices his verbis: *definimus, decernimus, mandamus.* In Bullis autem Beatificationis, *concedimus, indulgemus* &c.

Adverte 3. Canonizationem ſolemnem, quæ nunc adhibetur, non ſemper fuiſſe in uſu; nam tantùm videtur incepiſſe, ſi Bellarmino credimus, anno 804. tempore Leonis III. qui, ut refert, Baronius ad eundem annum, ad inſtantiam Caroli Magni B. Suibertum, præmiſſis antea jejuniis & precibus, ac ipſius vitæ & miraculorum examine, pompa ſolemni Sanctorum faſtis adſcripſit de Cardinalium conſenſu: quod & fecere poſteà alii Pontifices. Unde antiquitus, ut colligitur ex D. Cypriano lib. 3. Epiſt. 6. Canonizabantur defuncti voce populi, & Epiſcopi Diœceſani approbatione; nullus tamen Epiſcopus Canonizavit pro tota Eccleſia: imò nec poſſunt nunc pro ſuis diœceſibus, ob expreſſam Alexandri III. prohibitionem, ut patet ex cap. 1. de Reliq. & venerat. Sanctor. His notatis

Prob. 1. Pars concluſionis, 1. quia non eſt credibile Spiritum Sanctum deeſſe Eccleſiæ, in re maximi momenti, atqui ſi fallibilis eſſet Papa in Sanctorum Canonizatione, id fieret: ergo. Prob. Min. quia poſſet fieri quod Dei Hoſtis, blaſphemus, dæmonum & inferni victima publicis officiis, precibus & ſacrificiis coleretur tanquam Dei amicus à tota Eccleſia, contra quam de facto prævalerent portæ inferi.

2. Quia de Fide eſt hæc major; *Omnis defunctus in gratia eſt Sanctus*, ſed dum canonizatur S. Franciſcus v. g. etiam de Fide eſt hæc Minor: *S. Franciſcus defunctus eſt in gratia:* ergo & hæc conſequens. *S. Franciſcus eſt Sanctus:* & conſequenter definiens Eccleſia Franciſcum eſſe Sanctum, infallibiliter definit. Conſequentia ſyllogiſmi clara eſt, cùm omnis concluſio ex duabus revelatis ſit revelata, ut concedunt omnes. Prob. Min. in qua conſiſtit tota difficultas; quia non canonizat Eccleſia Sanctum, niſi ſint miracula clara, certa, & evidentia; ſed quando Deus ad invocationem alicujus defuncti, aut ad ipſius Reliquiarum venerationem facit miracula, revelat ipſum defunctum eſſe in gratia: cùm repugnet ipſius ſanctitati facere prodigia ad invocationem damnati: ergo.

3. De Fide eſt, Sanctos eſſe honorandos, ut conſtat ex variis Conciliis: ergo de Fide eſt dari in cœlo Sanctos, & conſequenter præſertim illos, quos Sanctos eſſe definit Eccleſia.

Dices 1. Eccleſia in Sanctorum canonizatione utitur teſtimonio humano, ſed hoc teſtimonium eſt fallibile: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Utitur teſtimonio humano tanquam motivo credendi & definiendi: N. tanquam exponente ſufficienter revelationem, ob quam credit & definit: C. ſed nihil contra nos, cùm etiam fatentibus adverſariis, utatur teſtimonio humano in declarandis Traditionibus Apoſtolicis.

Dices 2. Qui negaret canonizatum eſſe Sanctum, non eſſet hæreticus: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Non eſſet hæreticus, ſi teneret ſententiam noſtram: N. ſi teneret oppoſitam, credens ipſam fundatam: tranſeat.

Dices 3. Aſſerit Auguſtinus quædam corpora honorari in terra, quorum animæ torquentur in gehenna; ergo.

Reſp. Quidquid ſit de loco illo incerto, vel Auguſtinum agere de illis, qui licèt in inferno ſepulti, hic Mauſoleis ſuperbis honorantur: vel certè ſi de habitis pro Sanctis, non tamen à tota Eccleſia, ſed ab aliquo populo particulari abuſivè, ad quem abuſum tolliendum, diu poſt Auguſtini tempora inſtituta fuit canonizatio ſolemnis, ut diximus.

Prob 2. Pars, quòd in Beatificatione ſit infallibilis, (non tamen infallibilitate Fidei ut in canonizatione, ſed infallibilitate morali.) Prob. inquam, quia cùm Beatificatio ſit via ad canonizationem, & aliundè permittat Pontifex Beatificatum ut Beatum coli & honorari, nullum beatificat, niſi tanta certitudine conſtet de ipſius ſanctitate & gloria, ut omninò temerarium eſſet de illa dubitare.)

Dices: Eſt de Fide ſecundùm nos Eccleſiam canonizando non poſſe errare, quia poſſet coli damnatus: ergo eſt etiam de Fide non poſſe errare beatificando, ne ſimiliter damnatus colatur.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd Eccleſia beatificando nihil definiat, ſed præcisè indulgeat, ſeu permittat: undè cultus Beato exhibitus non eſt debitus, mandatus, & à Papa authoritate Apoſtolica decretus, ſicut cultus, qui exhibetur Canonizato, ſed merè permiſſus, ex quo ſequitur quòd etſi Papa beatificando erraret, nullum tamen errorem doceret, aut definire t

QUÆSTIO VI.

An Concilium ſit Fidei regula infallibilis?

QUæritur, an Concilium in cauſis Fidei & morum decidendis errare non poſſit? ſed ante reſolutionem

Adverte 1. Concilium (quod eſt congregatio Præſulum Eccleſiæ ſub uno capite legitimè congregatorum, ad tractanda Fidei & morum negotia) eſſe quadruplex, *Diœceſanum*, quod & ſpecialiter *Synodus* dicitur, ad quod, præſidente Epiſcopo, convocantur Canonici & Paſtores unius Diœceſis: *Provinciale*, ad quod conveniunt Epiſcopi alicujus Provinciæ cum Archiepiſcopo præſidente: *Nationale*, in quo congregantur Epiſcopi & Archiepiſcopi unius Regni aut Nationis, cui præeſt Primas aut Patriarcha: & *Generale* ſeu *Oecumenicum*, in quo, convocatis totius orbis Epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus, Patriachis, necnon Cardinalibus, præſidet Summus Pontifex, ſi non ſit defunctus, vel alius ejus nomine. Ad illud enim vocantur quandoque Abbates, & Religionum Generales, ſed ex privilegio & ex Pontificum conceſſione. Admittuntur quidem alii, ſed vel ad diſputandum, ut Theologi & Juriſtæ: vel ad patrocinandum, ut Principes ſæculares: vel ad miniſtrandum, ut aliqui laici, nullus tamen illorum ad ſuffragandum.

Adverte 2. Quòd licèt Concilia Generalia non ſint abſolutè neceſſaria, cùm tribus primis ſæculis nullum fuerit celebratum, nullumque à Tridentino jam à 150. annis congregato: & aliunde poſſit Pontifex antequam res neceſſarias definiat, præcipuos Eccleſiæ Doctores privatim conſulere, nihilominùs aliquando maximè utilia ſunt, cùm per illa efficaciùs extinguantur hæreſes, faciliùs reformetur Eccleſia, promptius publicentur & recipiantur Fidei & morum decreta, fœlicius tollantur diviſiones & ſchiſmata, ſuaviùs & commodiùs pax Eccleſiis omnibus reddatur.

Adverte 3. Celebrata eſſe 32. Concilia Generalia, ex quibus 7. ſunt in omnibus reprobata, nempè Antiochenum, anno 345. Mediolanenſe, quod fuit pluſquam 300. Epiſcoporum, anno 354. Ariminenſe 600. Epiſcoporum anno 363. Epheſinum 2. anno 449. Conſtantinopolitanum anno 730. ſub Leone Iſauro. Aliud Conſtantinopolitanum anno 755. ſub Conſtantino Copronymo, & Piſanum anno 1511. Sex partim approbata, partim reprobata, nempè Sardicenſe 376. Epiſcoporum, anno 351. Syrmienſe anno 356. Quiniſextum anno 5. à diſſolutione ſextæ Synodi: Francofordienſe anno 794. Conſtantienſe Patrum ferè mille anno 1414. inchoatum, & 1418. terminatum: & Baſileenſe inchoatum Baſileæ anno 1431. & continuatum Lauſannæ uſque ad annum 1449.

Unum

Digitized by Google

Unum nec approbatum nec reprobatum, nempè Piſanum anno 1409. Octodecim autem in omnibus approbata.

Adverte 4. Concilia illa octodecim eſſe ſequentia. Primum Nicænum I. 318. Epiſcoporum anno 327. contra Arianos. II. Conſtantinopolitanum I. 150 Patrum anno 383. contra Macedonium. III. Epheſinum I. pluſquàm 200. Epiſcoporum anno 434. contra Neſtorium. IV. Chalcedonenſe 630. Epiſcoporum, anno 451. (juxta Onuphrium) contra Eutychen V. Conſtantinopolitanum II. 165. Epiſcoporum anno 553. contra Origenem. VI. Conſtantinopolitanum III. 289. Epiſcoporum anno 681. contra Monothelitas. VII. Nicænum II. 350. Epiſcoporum anno 786. (juxta Cedrenum) contra Iconomachos. VIII. Conſtantinopolitanum IV. 383. Epiſcoporum anno 870. contra Photium. IX. Lateranenſe I. 900. & amplius Epiſcoporum anno 1123. contra Saracenos X. Lateranenſe II. 1000. Epiſcoporum anno 1139. contra Antipapas. XI. Lateranenſe III. pro reformatione Eccleſiæ & contra Waldenſes 300. ferè Epiſcoporum, anno 1180. XII. Lateranenſe IV. 1283. Patrum anno 1215. contra varias hæreſes. XIII. Lugdunenſe I. 1245 contra Federicum II. XIV. Lugdunenſe II. 500. Epiſcoporum anno 1274. contra Græcos. XV. Viennenſe 300. Epiſcoporum anno 1311. contra Templarios. XVI. Florentinum 141. Patrum ſubſcribentium anno 1439. contra Græcos. XVII. Lateranenſe V. 114. Patrum ab anno 1512. uſque ad annum 1517. contra Schiſmata. XVIII. Tridentinum ab anno 1545. ad 1563. præſertim contra Calvinum, Lutherum &c. Pro citandis autem Conciliis Generalibus adhæſimus Bellarmino, cui tamen contradicunt aliqui. His notatis

CONCLUSIO I.

NUllum Concilium particulare, ſive Epiſcopale, ſive Provinciale, ſive nationale eſt Fidei regula infallibilis, niſi ſequatur Papæ confirmatio.

Prob. 1. Quia infallibilitas Eccleſiæ definientis petitur ex ſpeciali Spiritus Sancti aſſiſtentia: atqui hæc tantùm eſt promiſſa Eccleſiæ univerſali, quam non repræſentat Concilium particulare: ergo. Prob. Min. quia quando Chriſtus dixit Petro Matth. 18. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, non loquebatur de Eccleſia Tornacenſi, aut Cameracenſi, neque de Eccleſiis totius Galliæ, aut Hiſpaniæ; cùm necdum eſſent fundatæ: ergo de Eccleſia univerſali ſeu per totum orbem diffundenda.

Prob. 2. Quia Fidei decreta obligant Eccleſiam univerſalem, cùm Fidelium omnium debeat eſſe *una Fides*: ſed decreta Diœceſis Tornacenſis, aut Epiſcoporum Galliæ congregatorum non obligant Hiſpanos, cùm non habeant Epiſcopi illi juriſdictionem extra ſuas Diœceſes, Provincias aut Regna: ergo illorum decreta in materia Fidei non ſunt infallibilia; aliàs obligarent omnes. Tenentur tamen ſubditi, vel Diœceſani, vel Provinciales, vel Nationales illorum Conciliorum decretis tum in credendo, tum in agendo ex obedientia ſe conformare.

Prob. 3. Quia varia Concilia particularia, etiam legitima, erraverunt, ut Cartaginenſe ex 85. Epiſcopis ſub D. Cypriano ordinans rebaptizandos eſſe ab Hæreticis baptizatos. Item Ponticum, Oſroenum, & Aſiaticum, circa celebrationem Paſchæ, & alia in aliis, ut videre eſt apud noſtrum Lauream Cardinalem.

Obji. 1. Plura Concilia particularia, ubi variæ damnantur hæreſes, ut in Africano 217. Epiſcoporum, Pelagiana; in Alexandrino I. & II. Ariana, & ſic de aliis.

Reſp. Damnationes illas obligaſſe ſubditos ex obedientia, non tamen omnes Fideles ex Fide Theologica, niſi ubi acceſſit Papalis confirmatio: unde hæreſim Pelagianam non priùs condemnavit tota Eccleſia, quàm Zoſimus Papa illius Concilii decreta confirmaret. Patet ex Auguſt. lib. 2. Retract cap. 50.

Obji. 2. Illud Matth. 18. *Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*: ergo etiam Conciliis particularibus aſſiſtit Spiritus Sanctus.

Reſp. Verba illa non intelligi de infallibilitate congregatorum ad definiendum, ſed de Fidelibus ſimul conſentientibus ad aliquid ſalutare à Deo unanimiter poſtulandum, ut patet ex verbis præcedentibus.

Dixi in concluſione: *Niſi ſequatur Papæ confirmatio*; qui tam infallibilis eſt in confirmandis aliorum Fidei decretis, quàm in ſuis condendis, cùm ſit par ratio.

CONCLUSIO II.

COncilium generale legitimè congregatum & confirmatum, eſt Fidei regula infallibilis. Ante probationem

Adverte 1. Ut Concilium ſit legitimè congregatum, debere eſſe indictum à Rom. Pontifice, qui in eodem vel per ſe, vel per ſuos legatos, vel per ſubſtitutos præſideat; idque ex Apoſtolica traditione deſcendere docet Julius I in Epiſt. ad Orientales Epiſcopos: *Dudum*, inquiens, *à Sanctis Apoſtolis, Succeſſoribuſque eorum in præfatis antiquis decretum fuerat ſtatutis, quæ hactenus Sancta & univerſalis Apoſtolica tenet Eccleſia, non oportere præter ſententiam Romani Pontificis Concilia celebrari* &c. & hoc decretum docet fuiſſe à Concilio Nicæno unanimiter admiſſum & confirmatum. Idipſum etiam docuit Marcellus I in ſua Decretali ad Epiſcopos Antiochiæ.

Adverte 2. Cenſeri Concilium debitè confirmatum, quando accedit ſententia definitiva vel Summi Pontificis, vel ejus legatorum, inſtructionem Papæ circa definienda ſequentium: quod addo; quia ſi contra inſtructionem ſibi à Papa datam ſuffragentur, non eſt confirmatum Concilium, quia tunc non agunt ut legati, cùm non agant nomine Pontificis; imò nec cenſetur confirmatum, ſi nullam à Papa inſtructionem habuerint propter nimiam rerum tractandarum multiplicitatem, ut accidit in Concilio Tridentino, quod ideò debuit poſteà à Pontifice confirmari, His notatis

Prob. 1. Concluſio ex Script. Act. 15. *Viſum eſt Spiritui S. & nobis*: ergo illi Concilio adfuit Spiritus Sanctus, adfuit & poſterioribus legitimis; cùm æquè, imò magis neceſſarium fuerit (pluribus exortis identidem hæreſibus) pro Eccleſiæ conſervatione.

Prob. 2. Ex SS. PP. qui omnes Conciliorum decreta tanquam oracula divina receperunt & venerati ſunt: unde, ut omittam alios apud Controverſiſtas videndos, Athanaſius Ep. ad Epiſcopos Africanos: *Verbum Domini per œcumenicam Nicææ Synodum manet in æternum*. Ambr. Epiſt. 32. *Sequor tractatum Nicæni Concilii, à quo nec mors, nec gladius poterit ſeparare*. Et Gregor. lib. 1. Epiſtolarum Epiſt. 24. circa fin. aſſerit ſe venerari quatuor prima Concilia generalia, quæ ipſum præceſſerant, ſicut quatuor Euangelia.

Prob. 3. Concilium generale legitimum eſt ipſamet Eccleſia, ſeu repræſentans totam Eccleſiam, atqui Eccleſiam infallibilem eſſe in condendis Fidei & morum decretis, oſtendimus ex Script. Conciliis, Patribus, & ratione: ergo; & ideò probationes ibi allatas hic applica.

Obji. 1. Cum Calvino illud Iſaiæ 56. *ſpeculatores ejus cæci omnes.... ipſi paſtores ignoraverunt intelligentiam*.

Reſp. Ibi fieri mentionem de Sacerdotibus & Prophetis veteris Teſtamenti, non quidem omnibus, ſed aliquibus: quia ſæpè Scriptura volens reprehendere aliquos, reprehendit omnes, ut patet ex illo Apoſtoli ad Philipp. 2. *Omnes enim quæ ſua ſunt quærunt, non quæ ſunt* JESU-CHRISTI. Præterea agitur de Paſtoribus non congregatis, ſed ſeparatim ſumptis, adeòque non Dei, ſed proprium judicium ſequentibus. Deinde non ſequitur, dicta de Sacerdotibus veteris legis transferenda eſſe ad Sacerdotes novi teſtamenti; cùm non ſit dictum de ſynagoga, ſicut de Eccleſia, quòd ſit columna & firmamentum veritatis.

Obji. 2. Cum eodem: *multi Pſeudo-prophetæ ſurgent & ſeducent multos*, Matth. 24.

Reſp. Hoc ſibi, non Concilio generali applicare debebat Calvinus, cùm illud ſequatur decreta Apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum, ipſe autem repugnet in plurimis.

Obji. 3. Auguſtinus lib 2. de Baptiſmo cap. 3. dicit: *Concilia plenaria ſæpè priora, poſterioribus emendari*.

Reſp. Emendari aliquando, vel potiùs mutari quoad leges impoſitas, eo quòd leges, quem conveniunt uno tempore, *aliquando* diſconveniant altero. Item poſſe emendari in quæſtionibus facti, qualis erat inter Catholicos & Donatiſtas (contra quos diſputat hic Auguſtinus) an ſcil. Cæcilianus Libros Sacros tradidiſſet Fidei hoſtibus necne: in his enim fallibilia ſunt Concilia, ſicut & Pontifices; non vult tamen Auguſt poſſe emendari (niſi eſſent illegitima, aut non generalia) in dogmaribus Fidei; cùm lib. 3. contra Maximinum cap. 14. dicat, ly *Homouſion*, à Patribus Nicænis contra Arianos eſſe firmatum *Veritatis authoritate*; quid autem aliud eſt authoritas veritatis, niſi authoritas vera & infallibilis? Unde cùm ibidem dixit: *Nec ego hujus authoritate*, ideſt, Cōcilii Ariminenſis, *nec tu illius*, ideſt, Nicæni, *detineris* Loquitur ex ſuppoſito ut citiùs ad rem veniat: quaſi diceret Maximino Ariano: *ponamus quod nec tu Nicæno, quod rejicis, tenearis; nec ego Ariminenſi, quod illegitimum judico: rem probemus ſcripturis*: hocque confirmat contextus, & verba priùs allata.

Objicies 4. Iſidorus apud Gratianum diſt. 50. Can. *Domino Sancto*, dicit ubi Concilia diſſentiunt ſtandum eſſe antiquioribus & magis probatis: ergo Concilia poſſunt inter ſe pugnare, adeoque errare.

Reſp. Ipſum loqui de Conciliis, quorum decreta non ſunt à Sancta Sede confirmata; & hæc docet (ubi erraverunt in materia Fidei) à prioribus confirmatis eſſe corrigenda.

Obji. 5. Varia Concilia erraverunt de facto: ergo. Prob. Ant.

Ari-

Google

Ariminenſe ſub Liberio, quod erat 400. Epiſcoporum, fuit contrarium Niceno, circa conſubſtantialitatem Filii cum Patre. Neocæſarienſe à Leone IV. confirmatum damnavit ſecundas nuptias. Toletanum I. à S. Leone I. approbatum docet admitti poſſe ad Communionem habentem concubinam. Arelatenſe II. in Eccleſia receptum videtur damnare conjugium Can. 2. Nicænum I. vult rebaptizandos eſſe Paulianos. Syrmienſe confirmat Hæreſim Arianam. Carthaginenſe III. ponit in Canone libros Tobiæ, Judith, Baruch &c. quos rejecerat Laodicenum.

Reſp. Ad Ariminenſe (quod eſt diſtinctum ab eo quòd fuit 600. Epiſcoporum ſub Felice II. quod diximus reprobatum) fuiſſe initio legitimum, ſed poſteà illegitimum cùm eſſet tantùm 50. Epiſcoporum, qui tanquam Ariani ab aliis recedentes, Conciliabulum fecerunt, in quo, abſente Capuano Epiſcopo Papæ Legato, turpiter circa Filii Conſubſtantialitatem erraverunt, quibus etiam aliqui ex Catholicis adhæſerunt.

Reſp. Neocæſarienſe damnare ſecundas nuptias, vivente prima comparte, non autem defunctâ, ut exponit Gloſſa 31. q. 1. Can. *de his qui frequenter*.

Ad Toletanum dico D. Leonem non probaſſe totum Concilium, ut fusè oſtendit Bellarminus Tom. 2. Cont. 1. lib. 2. c. 8. ſed tantùm ultimum Canonem, in quo de re illa non agitur. Sed eſto totum probaſſet, per concubinam nihil tunc intellexiſſet, niſi quod intelligebant illi, nempè uxorem ſine dote & ſolemnitate externa, ut erat Agar reſpectu Abrahæ, quæ tamen dicitur illius concubina Gen. 25. & ſic Concilium intellexit Gratianus diſt. 34. Can. *omnibus*.

Reſp. Nullatenus Arelatenſe II. damnare conjugium; etſi enim dixerit Can. 2. *Aſſumi aliquem ad Sacerdotium non poſſe in vinculo conjugii conſtitutum, niſi fuerit promiſſa converſio*; per converſionem tamen non intelligit pœnitentiam de conjugio, quaſi mutationem de malo in bonum, ſed tranſlationem de minori bono ad majus ſeu ad vitam perfectiorem, ſicut aſſumptio habitus Religioſi dicitur converſio à D. Gregorio lib. 2. Epiſtolarum cap. 100.

Ad Nicænum dico, quòd Pauliani non baptizarentur in nomine Trinitatis, eo quòd illam negarent, & ſic non eſt mirum, quòd invalidè baptizati, eſſent rebaptizandi.

Reſp. Ad Syrmienſe, quod anteà diximus, fuiſſe partim approbatum, partim reprobatum, quoad punctum illud non fuiſſe approbatum; cùm toties Eccleſia hæreſim illam fuerit deteſtata.

Reſp. Carthaginenſe III. non eſſe contrarium Laodiceno, quia Libros Tobiæ, Judith, &c. à Canone non rejecerat Laodicenum, ſed præcisè non poſuerat, eo quòd adhuc eſſet controverſia inter Catholicos, an eſſent Canonici: quo dubio ſublato, & re cognita, à Carthaginenſi Concilio fuerunt declarati Canonici.

DISPUTATIO III.

De Actu Fidei interno, & obligatione credendi.

ANtequam de actu Fidei diſſeramus, pauca de ejuſdem habitu per modum prœmii breviter expediemus: longam quidem de illo diſputationem inſtituunt aliqui; ſed cùm omnia, aut ferè omnia nullius ſint, aut certè exiguæ admodùm utilitatis, crederem Tyronum, in quorum favorem præſertim ſcribere decrevi, patientia & tempore abuti, meumque inutiliter terere, ſi illis purè ſpeculativis diutiùs immorarer.

Quærunt 1. Qua certitudine certum ſit dari habitum Fidei infuſum? R. licèt ante Tridentinum non eſſet neceſſariò id Fide credendum, aliter tamen jam videtur eſſe loquendum, cùm definiat Concilium Seſſ. 6. cap. 7. in juſtificatione infundi Fidem, Spem, & Charitatem: atqui certum eſt in juſtificatione parvuli per Baptiſmum, non infundi actum Fidei; cùm nullus tunc actualiter credat: ergo habitum. Volunt quidem aliquid eſſe de Fide in juſtificatione parvulorum; non tamen adultorum; ſed cùm non diſtinguat Concilium, nec nos diſtinguere debemus: unde Scot. 3. d. 23. q. unica §. *ad quæſtionem: ſicut credo Deum eſſe trinum & unum, ità credo me habere Fidem infuſam qua hoc credo*. Quaſi diceret: eadem Fide credo unum & aliud, adeòque Fide divina.

Quærunt 2. Quodnam ſit ſubjectum Fidei? ſed huic quæſtioni planè ſatisfecimus initio hujus tractatus.

Quærunt 3. An Fidei habitus ſit idem ſpecie in omnibus, & reſpectu omnium credibilium? ſed res per ſe patet, cùm eodem in omnibus, & reſpectu omnium credibilium, nitatur motivo formali, nempè authoritate divina. Varia quidem ſunt objecta credibilia (nam alia ſunt ſubſtantialia, alia accidentalia, alia neceſſaria, alia contingentia, alia increata, alia creata) ſed illa non ſpecificant Fidem, niſi prout ſubſtant motivo formali unde Epheſ. 4. dicitur: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma* Et Scot. 3. diſt. 23. n. 6. *Teneri poteſt quòd ſit una Fides omnium credibilium, quia non reſpicit credibilia ſub propriis rationibus eorum, ſed ut revelata ſunt à Deo*, ſive interim ſint credibilia explicitè, ſive implicitè.

Quærunt 4. An ſolus Deus producat habitum Fidei? Negat Cajetanus cum quibuſdam Thomiſtis, volens habitum Fidei & Reliquos infuſos etiam produci effectivè à gratia habituali, eo quòd S. Thomas doceat pluribi gratiam eſſe principium radicale virtutum infuſarum; affirmat tamen ſententia communis, quæ docet (idem eſt de Spe, & Charitate) immediatè à Deo creari, ſicut ipſam gratiam, & certè ſi gratia Fidem produceret, cùm ſit cauſa neceſſaria, ubicunque eſſet illam produceret, illa tamen non produxit in Chriſto. Imò poteſt infundi Fides ſine gratia, ſi nempè quis ſufficienter diſpoſitus ad Fidem, & non ſufficienter ad gratiam, ſuſcipiat Baptiſmum; quia cùm Sacramenta conferant ſuos effectus, non ponentibus obicem, ille autem non habeat obicem ad Fidem, illam reciperet ſine gratia, adeoque non produceretur Fides à gratia. Accedit, quòd prius non producatur à poſteriori; Fides autem juxta D. Thom. 2. 2. q. 6. art. 2. ad 3. aliquando infunditur ante habitum Charitatis, qui eſt à gratia habituali indiſtinctus.

Dicitur autem gratia principium virtutum infuſarum, non quia illas producit; ſed quia ordinariè non infundit Deus gratiam, niſi illas infundat.

Quærunt 5. An Fides ſit prima virtutum? negatur eſſe primam dignitatè, cùm, ut ait Apoſtolus, major ſit Charitas, quæ nos unit Deo, non ſic Fides, quæ reperitur in peccatore, eſt tamen prima primitate naturæ; quia ex Trid. Seſſ. 6. c. 8. *Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis*: unde quia Deum credimus, ipſum diligimus & ſperamus.

Quærunt 6. Per quid & quomodo augeatur habitus Fidei? Reſpondetur ad primum augeri per actus Fidei nam cùm certum ſit habitum illum poſſe augmentum accipere: nam Lucæ 17. dicunt Apoſtoli Chriſto: *Adauge nobis fidem*; & Eccleſia in Collecta Dominicæ 13. poſt Pentec. *Da nobis Fidei, Spei & Charitatis augmentum*, quaſi alii actus videntur ad incrementum illud promerendum magis proportionati quam actus Fidei. An autem etiam augeatur, ubi augetur gratia? Res eſt incerta: nam licèt ſemper ubi habetur gratia, habeatur & Fides, incrementum tamen unius non infert neceſſariò incrementum alterius; cum inter ſe realiter diſtinguantur.

Ad 2. dicendum eſt, non augeri phyſicè per actum Fidei, ſed tantum meritoriè, in quantùm illos eliciens meretur, ſaltem de congruo, ut Deus habitum augeat, quia ſicut creatur habitus, ita & incrementum, cùm ſit ejuſdem rationis, creatio autem ſoli Deo competit: augentur quidem habitus naturales per actus; ſed inde fit quòd habitus illi non ſunt actibus ſuis perfectiores, ſicut ſunt Theologici, qui non rantùm dant facilè poſſe: ſicut: habitus naturales, ſed etiam ſimpliciter poſſe, ut contra Pelagium definiunt Concilia; & conſequenter habent ſe per modum potentiæ: potentia autem non producitur per ſuum actum, cùm ſit illo perfectior.

Quærunt 7. An Fides informis, ſeu à Charitate ſeparata, ſit virtus perfecta; Veram eſſe virtutem, concedunt omnes, cùm totam virtutis eſſentiam habeat. Vult quidem Philoſophus ut virtus bonum faciat illam habentem, non tamen bonum abſolutè & ſimpliciter; ſed bonum in genere illius virtutis: ſic Caſtitas reddit Avarum, in quo reperitur, bonum in genere Caſtitatis; non tamen in omni genere, ut per ſe patet. Vult etiam ut ſit *diſpoſitio perfecti ad optimum*; ſed etiam actus Fidei ex ſuis intrinſecis eſt quid optimum in ſuo genere independenter à Charitate. An autem ſit etiam perfecta: diſputatur; ſed inutiliter, cùm ſit mera quæſtio de nomine: vel enim agitur de perfectione intrinſeca, & ſic perfecta eſt ſine Charitate, cùm præſentia aut abſentia Charitatis nihil addat aut minuat ipſius intrinſecis: vel de perfectione extrinſeca, ſcilicet ut meritoriè tendat in ſuum finem, & hanc habet à Charitate, ſine qua non datur meritum de condigno: unde Scot. 3. diſt. 36. n. 3. loquens de Fide & Spe ſine Charitate, ait: *In ſua ſpecie poſſunt eſſe perfectæ, in quantum ſcilicet ſunt principia propriorum actuum reſpectu propriorum objectorum, ſed perfectionem illam ultimam, quam habent in attingendo finem ad quem ordinantur ex Charitate non poſſunt habere ſine ipſa*.

Quærunt 8. An habitus Fidei ſit ſpeculativus, an practicus? Practicum eſſe docet Scot. Script. Oxon. quæſt. 3. prol. art. 3. ad 1. *Nec credere*, inquit, *eſt actus ſpeculativus*, adeoque à fortiori, nec habitus credendi. Et certè cur Deum credimus? An ut ibi ſiſtamus; & non potiùs ut credentes diligamus, glorificemus, ſperemus, quæ ſunt actus practici? Si plura circa hanc ma-

teriam

teriam deſideras; conſule proœmium libri primi ſentent. ubi quæritur an Theologia ſit practica, & ibidem dicta, cum proportione hic applica.

Quærunt denique, quodnam ſit munus Fidei? Breviter reſpondetur, eſſe inclinare intellectum ad omne verum revelatum, propter authoritatem divinam infallibiliter credendum; quod præſtat & formaliter & efficienter: formaliter quidem, præbendo ei ſeipſam ut formam; efficienter verò, coagendo cùm illo ad aſſenſum circa revelata eliciendum; nam cùm intellectus ſit de ſe inſufficiens ad actum ſupernaturalem, indiget altero comprincipio, quo ejus inſufficientia compleatur. Hæc breviter, ſed ſufficienter de Fidei habitu diximus: ad ipſius actum internum deſcendamus.

QUÆSTIO I.

An Actus Fidei ſit ſupernaturalis? An diſcurſivus? An ſuper omnes certus.

Actus Fidei (qui eſt aſſenſus firmus propoſitionis in authoritate Dei revelantis fundatus) eſt duplex internus unus, externus alter: primus eſt ipſemet aſſenſus in mente formatus: ſecundus eſt idem ſigno externo manifeſtatus. Hic de primo quæritur.

CONCLUSIO I.

Actus fidei infuſæ eſt ſupernaturalis. Eſt communis & certa.

Prob. 1. Omnis actus qui procedit ab auxilio gratiæ; eſt ſupernaturalis, cùm proximè aut remotè conferat ad vitam æternam; ſed talis eſt actus Fidei: ergo. Prob. Min tum ex Apoſt. 2. Cor 3 *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Tū ex Trid. Seſſ. 6. Can. 6. ubi dicitur anathema ei qui *dixerit ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare & diligere poſſe ſicut oportet.* Tum ex Concilio Arauſicano II. & Patribus id unanimiter ſentientibus contra Pelagianos & Semi-pelagianos, qui præter beneficium externæ prædicarionis, nullum agnoſcebant internum gratiæ auxilium: quo homo juvetur ad actum Fidei Chriſtianæ eliciendum.

Nec dicas auxilium illud requiri quidem in Cathecumenis qui necdum Fidei habitum receperunt, non tamen in iis qui ſunt in illo habitu inſtructi, nam infundatè diſtinguis, ubi Concilia & Patres in re tam neceſſaria non diſtinguunt.

Prob. 2. Ut actus aliquis ſit ſupernaturalis, ſufficit ut unum comprincipiorum ſit ſupernaturale, licèt aliud ſit naturale; ſed actus Fidei, ultra principium naturale, quod eſt intellectus, duo habet comprincipia ſupernaturalia, nempè gratiæ auxilium & Fidei habitum: ergo. Prob. Ma. quia licèt viſio beatifica ſit à potentia naturali, nempè intellectu, quia tamen etiam eſt à lumine Gloriæ, quod eſt ſupernaturale, dicitur & ipſa ſupernaturalis: & certè ſi actus procedens à potentia vitali, & ab habitu non vitali dicatur vitalis, cur actus procedens à principio naturali, & alio ſupernaturali, nō diceretur ſupernaturalis?

Circa hoc conveniunt Catholici, ſed an actus ille ſit ſupernaturalis in ſubſtantia ſeu intrinſecè, an in modo tantùm, ſeu extrinſecè? diſputant acriter Scholaſtici: ſed (ſalva eorum pace) non ſatis utiliter, cùm tota deciſio dependeat à ſignificato ſupernaturalitatis quoad ſubſtantiam, & ſupernaturalitatis quoad modum: nam ſi ad primam ſufficiat cauſalitas unius principii ſupernaturalis, licèt concurrat aliud naturale, ſupernaturalis eſt in ſubſtantia actus Fidei, ut volunt plurimi Thomiſtæ; ſi autem requiratur, ut nulla cauſa naturalis ſibi relicta poſſit ponere entitatem actus, qui dicitur ſupernaturalis, eſt tantùm ſupernaturalis in modo, ut volunt ſatis communiter Scotiſtæ, quia poſſet cauſa naturalis naturaliter agens ponere actum, qui non differret in entitate ab actu Fidei Theologicæ: nam credat hæreticus Deum eſſe trinum propter authoritatem Dei revelantis, & idem propter idem credat Catholicus, actus illi, non different ſpecie, adeòque entitate; quandoquidem differentia actuum ſpecifica non petatur à principio, quod eſt habitus acquiſitus, ſeu naturalis in Hæretico, & infuſus ſeu ſupernaturalis in Catholico, ſed ab objecto: actus enim ſpecificantur ab objectis, ut habet axioma commune; hic autem idem eſt objectum & materiale & formale, nempè Perſonarum Divinarum Trinitas, & Dei infallibilis revelatio: quia tamen actus ille procedit in Catholico ab intellectu, habitu ſupernaturali inſtructo, & aliundè elicitur propter revelationem Fide divina creditam, quæ non accidunt in Hæretico, ideò actus Catholici dicitur ſupernaturalis in modo, non Hæretici.

Dices 1. Contra fundamentum Scotiſtarum: viſio beatifica, juxta Scotum, eſt ſupernaturalis in ſubſtantia; ſed poteſt poni à cauſa naturali, nempè intellectu: ergo dicta ratio nulla eſt.

Reſp. diſt. Min. Poteſt poni à cauſa naturali, ſibi relicta, ſeu naturaliter agente: N. à cauſa naturali lumine Gloriæ confortata: C.

Dices 2. Quia lumen Gloriæ dat intellectui ſimpliciter poſſe reſpectu viſionis beatificæ, ideò dicitur ſupernaturalis in ſubſtantia: ſed etiam habitus Fidei Theologicæ dat ipſi ſimpliciter poſſe reſpectu actus: ergo.

Reſp. Neg. Ma. Quia ratio, cur viſio beatifica ſit ſupernaturalis in ſubſtantia; eſt quòd intellectus ſibi relictus non poteſt ponere entitatem viſionis beatificæ, ſicut poteſt entitatem actus Fidei, non quidem eandem numericè, ſed ſpecificè.

CONCLUSIO II.

Actus Fidei non eſt diſcurſivus formaliter aut virtualiter: ſive non aſſentitur revelatis propter bonitatem conſequentiæ, quæ requiritur in diſcurſu formali, aut virtuali, ſed propter ſolam Dei revelantis authoritatem. Eſt autem diſcurſus formalis, quando ex præmiſſis realiter poſitis infertur concluſio per expreſſam illationem, ut hic: *quidquid revelatur à Deo, credi debet: ſed quod Deus ſit incarnatus revelatur à Deo: ergo credendum eſt Deum eſſe incarnatum.* Virtualis autem, quando unico actu aſſentimur objecto præmiſſarum & concluſionis: hoc exemplum ponunt adverſarii: *Credo Incarnationem, quia eſt revelata*, ſed non eſſe ibi diſcurſum virtualem poſteà oſtenſuri, aliud miniſtramus, nempè, *homo eſt riſibilis, quia rationalis.*

Prob 1. Ex SS. PP. qui removent à Fide argumentationes, diſcurſus & ratiocinationes: unde Ambroſius lib. 1. de fide c. 5. in fine: *Aufer hinc argumenta, ubi fides quæritur*, & Damaſcenus lib. 4. de Fide c. 12. docet fidem non eſſe inquiſitivam, adeoque nec diſcurſivam. Idem habent Auguſtinus lib. 18. de civit. cap. 41. & Tertullianus lib. de præſcriptionibus cap. 7.

Prob 2. Authoritate Scoti 3. diſt. 24. n. 14. *Cuilibet dicto in Canone*, ideſt in Scriptura, *aſſentit* (fidelis) *non quia probatur modo dicto, ſed ſolum propter authoritatem Dei, ratione cujus aſſentit immediatè omnibus traditis in Scriptura, non uni propter aliud per ſyllogiſticum diſcurſum.*

Dices cum Maſtrio & quibuſdam aliis Scotiſtis, Doctorem noſtrum negare quidem in aſſenſu Fidei diſcurſum ex propriis rerum revelatarum principiis, v. g. hunc: *Deus eſt omnipotens: Pater eſt Deus: ergo Pater eſt omnipotens*, non tamen diſcurſum ex principiis Fidei, ſeu ex ſola dicentis authoritate, qualis eſt allatus initio reſolutionis: *quidquid revelatur à Deo*, &c. Sed

Contra eſt, quòd Scotus rejiciat implicitè omnem diſcurſum ſcientificum, cùm rejiciat habitum ſcientiæ ait enim ſup quòd, qui eis aſſentitur, nempè ſcripturis, *habet habitum, ... non quidem ſcientiæ, ſed habitum* fidei, ex quo ſubſumo; atqui ſive quis diſcurrat ex propriis principiis, ſive ex ſola dicentis authoritate, habet diſcurſum ſcientificum provenientem ex ſcientia Logices: ergo.

Prob. 3. Ratione; quia ſi actus tenderet in revelata propter authoritatem Dei revelantis & ſimul propter bonitatem conſequentiæ, eſſet partim ſupernaturalis, partim naturalis, partim fidei, partim Theologiæ: vel potius eſſent duo actus, cùm eſſent duo objecta formalia realiſſimè diſtincta, ſed ſive primum dicatur, ſive ſecundum, non eſſet actus ſimplex Fidei, de quo ſolo hic quærimus: ergo.

Prob. 4. Quia præmiſſæ debent eſſe certiores concluſione: nam *propter quod unumquodque eſt tale; & illud magis*, ſed in materia Fidei, ut ait Scot ſupra, principium non eſt certius concluſione, & ideò inferr non poſſe intellectum aſſentiri uni propter aliud: ergo Fidei actus non eſt diſcurſivus, ſive in materia propria, ſive non; cùm ſit eadem ratio.

Obji. 1. Ex eo quòd Chriſtus ſit verus Deus & homo, intulerunt Patres eſſe in illo duplicem voluntatem: ergo &c.

Reſp. diſt. Ant. Intulerunt per aſſenſum fidei: N. per aſſenſum Theologicum, quo poſito, crediderunt Fide divina eſſe in Chriſto duas voluntates, C. unde non raro concurrunt varii diſcurſus circa materiam Fidei, ut patet in iis qui inveſtigant, an aliquid ſit de Fide, necne; ſed nego tunc eſſe Fidei aſſenſum, ſed benè quando, poſitis diſcurſibus ex quibus revelatū aliquid colligimus, eidem aſſentimur, non quia deducto, ſed quia revelato.

Obji. 2. Aſſenſus Fidei innititur ordinariè huic ſyllogiſmo: *quidquid à Deo revelatur, eſt verum: ſed hoc à Deo revelatur: ergo eſt verum.*

Reſp. diſt. Aſſumpt. Innititur huic ſyllogiſmo tanquàm præambulo & applicanti articulum fidei: C. tanquam motivo credendi: N.

Obji. 3. Actus fidei aſſentitur uni dependenter ab alio: nempè rei revelatæ propter revelationem: ſed in hoc involvi-

Digitized by Google

volvitur diſcurſus ſaltem virtualis : ergo.

Reſp. diſt. Maj. Aſſentitur uni dependenter ab alio tanquam motivo formali præciſè: C. tanquam deducto per illationem ſyllogiſticam formalem aut virtualem: N. unde quando credo Verbum eſſe incarnatum, quia Deus revelavit, credo propter ſimplicem adhæſionem ad teſtimonium divinum, non autem innixus lumini inferenti unum ex alio.

Obji. 4 Dum credo Verbi Incarnationem, quia Deus revelavit, infero unum ex alio, ſicut quando credo hominem riſibilem quia rationalem: ſed tunc reperitur unicus actus, nempè Fidei: ergo Fidei actus eſt illativus ſeu diſcurſivus.

Reſp. Si tunc reperiatur vera illatio, adeòque verus diſcurſus, intervenire duplicem actum, unum inferentem, qui eſt ſcientificus,& alterum aſſentientem illato,non quatenus illato, ſed quatenus revelato,qui eſt actus Fidei. Pro aliis objectionibus

Adverte 1. Diſcurſum virtualem, quem hic obtrudunt aliqui, vel eſſe verum diſcurſum à parte rei, vel non: ſi primum, de eo loquendum eſt,ſicut de diſcurſu formali: ſi non; nihil contra nos, qui inquirimus, an actus Fidei ſit diſcurſivus realiter, & à parte rei.

Adverte 2. Quòd, etſi neceſſarium foret, antequam aſſentiremur articulo revelato, quòd crederemus Deum veracem, & articulum illum revelaſſe; id tamen non fieret per aſſenſum Fidei, ſed per Theologicum.

CONCLUSIO III.

Actus Fidei eſt ſimpliciter certior quolibet aſſenſu naturali ſcientifico. Dico *ſimpliciter*, ideſt, non tantùm ex parte objecti, quod concedunt omnes, ſed etiam ex parte ſubjecti, ſeu intellectus firmiùs adhærentis,quod negant quidam Thomiſtæ, non tamen D. Thomas, cùm 2.2.q 4.art.8. ad 2. dicat: *Multò magis homo certior eſt de eo quod audit à Deo, qui falli non poteſt, quàm de eo quod videt propria ratione quæ falli poteſt:* eſt etiam Scoti variis locis.

Prob 1. Ex Script. 2. Petri 1. *Habemus*, inquit, *firmiorem Propheticum ſermonem*, ideſt, firmiùs credimus rebus per Prophetas revelatis, quàm oculis noſtris, quibus ſpeculatores fuimus Chriſti magnitudinis. Idem docet Paulus pluribus.

Prob. 2. Ex SS PP. Baſilio hom. in Pſal. 115. *Sacrorum, quæ de Deo ſunt, eloquiorum prædux eſto Fides planè, non item demonſtratio: Fides, inquam, animam invitans, imò & perſuadens ad conſenſionem præ cunctis rationalibus methodis*. Chryſoſtomo homil. 21. in Epiſt. ad Hebr. *Neque Fides dici poteſt, niſi cum circa ea, quæ non videntur, ampliùs quam circa ea, quæ videntur, certitudinem quis habuerit*. Ex Auguſtino lib. 7. Confeſſ. cap. 10. *Faciliùs dubitarem vivere me, quàm non eſſe veritatem, quæ per ea quæ facta ſunt intellecta conſpicitur*.

Prob. 3. Et quidem 1. Ex parte *motivi*, quia authoritas Dei revelantis ſuperat infinitè in certitudine omnem evidentiam rei naturaliter ſenſibilis. 2. Ex parte *objecti*; quandoquidem primarium ſit Deus ipſe. 3. Ex parte *habitus*, qui eſt à Deo infuſus, & ità inclinans ad actum, ut nequidem divinitus poſſit inclinare, non dico ad errorem, ſed nequidem ad dubium, ut diſp. 1. oſtendimus. 4. Ex parte *potentiæ*, quæ eo firmiùs adhæret ſuo objecto, quo motivum adhærendi fortiùs inclinat & infallibiliùs, & conſequenter cum motivum Fidei modo infinitè certiori & infallibiliori moveat intellectum, quàm evidentia rerum naturaliter ſcibilium, etiam objecto revelato longè certius adhæret & firmiùs, quàm rebus evidentibus.

Obji. 1. Scientia excludit omnem dubitationem, ſed non omnem excludit Fides, ut patet ex Scoto 3. diſt. 24 n 17. ergo.

Reſp. Diſt. Min. Non omnem excludit Fides actualis: N. habitualis, ſubdiſtinguo; non omnem indeliberatam: C. ſed tamen illico repellitur, ubi ad Dei revelationem reflectitur; non omnem voluntariam & deliberatam: N. & nihil aliud vult Scotus: nihil quidem reſpondet 3. diſt. 23. n. 16. ad hæc verba quæ ſibi objecerat. *Ideò non eſt certior quantum ad non decipi Fides infuſa, quàm acquiſita*, ſed mentem ſuam ſatis apertè antea oſtenderat.

2. Obji. 2. Quo intenſior eſt aſſenſus, eo major eſt illius certitudo; ſed poteſt aſſenſus naturalis evidens eſſe intenſior aſſenſu Fidei: ergo.

Reſp. Neg. Ma. Quia non ex eodem capite oritur intenſio aſſenſus, & ejuſdem certitudo: hæc enim oritur ex infallibilitate motivi, illa ex applicatione ejuſdem & diſpoſitione intellectus, cui motivum applicatur: quia ergo major eſt infallibilitas divini teſtimonii, quàm luminis naturalis, ideò aſſenſus Fidei eſt certior, quia tamen intellectus ratione ſuæ infirmitatis fortiùs movetur à motivo claro, quàm obſcuro, ideò poteſt aſſenſus naturalis eſſe intenſior.

Obji. 3. Intellectus fertur naturaliter in objectum evidens & in objectum revelatum non niſi per imperium voluntatis: Ergo certior eſt actus ſcientificus, quàm actus Fidei.

Reſp. Neg. Conſeq Quia modus ille tendendi diverſus non facit hic ad rem, ubi advertit intellectus motivum aſſentiendi objecto revelato, infinitè certius eſſe motivo aſſentiendi objecto evidenti.

4. Obji. 4. Scientia eſt de viſis, & Fides de auditis, ſed viſio eſt certior auditu: Ergo.

Reſp. Diſt. Min. Viſio eſt certior cæteris paribus, ſive ubi organa ſunt æqualiter bene diſpoſita, objecta proportionatè applicata &c. C. aliàs: N. hic autem motivum Fidei longè prævalet motivo ſcientiæ.

Obji. 5. Sive quis cognoſcat per demonſtrationem, ſive per Fidem, Dei exiſtentiam, æquè certus eſt: ergo.

Reſp. diſt. Ant. Æquè certus eſt ex parte objecti: C. quia idem eſt objectum, & conſequenter æquè certum ex parte motivi: N.

Obji. 6. Nullus diſſentitur concluſioni ſcientificæ, & tamen plurimi diſſentiuntur objectis revelatis: ergo &c.

Reſp. diſt Ant. diſſentiuntur objectis revelatis, quæ credunt revelata: N. quæ putant non revelata: C. ſed tunc non nituntur motivo, unde eruimus majorem actus Fidei certitudinem.

QUÆSTIO II.

An ad aſſenſum Fidei requiratur voluntatis motio? & qualis ſit?

CONCLUSIO I.

Requiritur ad aſſenſum Fidei voluntatis motio, ſeu imperium. Ità communiter Theologi, quibus non contradicit Scotus, ut ipſi affingit Gonet, cùm 3. diſt. 25. q. 1. n. 11. ſic habeat: *Credibili ſufficienter præſentato, non neceſſariò credit intellectus .... quia proponens credibile non demonſtrat, ità ut cogat intellectum ad aſſentiendum; & ideò non credit niſi volens*.

Prob. ex Script. Luc. 24. *O ſtulti & tardi corde ad credendum!* Ad Rom. 10. *Corde creditur ad juſtitiam*, ubi nomine *cordis* voluntatem intelligunt Interpretes. Accedit, quòd credentes dicantur obedire Fidei: *Multa turba Sacerdotum obediebat Fidei*. Act. 6. obedientia autem, importat actum voluntatis quæ quaſi captivum trahit intellectum in aſſenſum Fidei; & ideò 2. Cor. 10. dicitur: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti:* ideſt, Fidei Chriſti, ut exponit à Lapide.

Prob. 2. ex PP. Tract. 26. in Joan. *Accipere poteſt Sacramentum nolens, ſed credere non poteſt, niſi volens*. Ambroſio in c. 4. ad Rom. verſ. 5. *Credere aut non credere voluntatis eſt*. Quibus præluxerat Ireneus lib. 4. cap. 72. *Non tantùm in operibus, ſed etiam in Fide liberum, & ſuæ poteſtatis arbitrium homini ſervavit Dominus*.

Prob. 3. Quia actus Fidei eſt liber, ut inſinuat Trid. ſeſſ. 6. cap 6. *Liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe* &c. ſed non eſt liber elicitivè, cùm ut ſic procedat à potentia neceſſaria: ergo imperativè, ſeu ex voluntatis imperio.

Prob. 4. Quia cùm Fidei myſteria ſint humanæ menti obſcura & impervia, non ſatis ad aſſenſum determinant intellectum, qui non aſſentitur, niſi ei quod ſibi apparet verum; & ideò determinari debet per voluntatem imperium.

Obj. 1. Intellectus neceſſariò aſſentitur objecto ſibi ſufficienter applicato; ſed Fidei objecta ipſi ſufficienter proponuntur per motiva credibilitatis; ergo ſuperfluit motivo voluntatis.

Reſp. neg Min Quia motiva credibilitatis, ut potè extrinſeca, non faciunt Fidei objecta in ſe clara & viſa; intellectus autem, non eſt natus trahi ex ſe, niſi à veritate viſa, aut ex viſis ſeu clarè cognitis deducta.

Inſt. Poteſt motivum credibilitatis, v. g revelatio, eſſe evidens, ut, ſi Deus ipſe mihi rem aliquam revelet.

Reſp. Nihilominùs non redditurum objectum in ſe evidens, cùm remaneat objecto extrinſeca.

Obji. 2. Motio voluntatis non facit, ut objectum ſit evidentiùs propoſitum: ergo &c.

Reſp Conceſſo Ant. neg. conſeq. quia ſi voluntas poſſit efficere, ut intellectus meus aſſentiatur homini dicenti eſſe Romam, quam non vidi, quidni poſſit efficere, ut aſſentiretur Deo dicenti Chriſtum fuiſſe crucifixum, licèt non viderim? unde licèt ex ſe non trahatur intellectus niſi ad evidenter verum, trahitur tamen ex imperio voluntatis ad probabiliter verum, ut convincit experientia. Hoc autem non facit voluntas ſupplendo evidentiam objecti, ſeu reddendo evidentiùs, neque ponendo aliquid prærequiſitum, aut tollendo impedimentum, ſed per influxum ſibi à Deo in alias potentias conceſſum, juncto credibilitatis motivo.

Obji. 3. Non poteſt intellectus aſſentiri objecto, niſi convinca-

vincatur; ſed non convincitur per influxum voluntatis: ergo.

Reſp. diſt. Ma. Niſi convincatur de veritate propoſita: N. de credibilitate ex iis quæ voluntas influendo proponit. C. unde. *Quod voluntas moveat intellectum ad aſſentiendum*, inquit D. Thom. 2. 2. q. 5. art. 2. *poteſt contingere ex duobus: uno modo &c.... alio modo, quia intellectus convincitur ad hoc, quòd judicet eſſe credendum his, quæ dicuntur, licèt non convincatur per evidentiam rei*.

Obj. 4. Ut credam relatis mihi ab homine fide digno, non eſt opus motione voluntatis: ergo nec ut credam revelatis à Deo.

Reſp. diſt. Ant. Si relata ſint phyſicè, aut moraliter evidentia: C. ſi aliqualiter captum noſtrum ſuperent, ſicut Fidei myſteria: N. Ex dictis.

Reſol. 1. Actum Fidei, quatenùs ſubjacet voluntatis imperio eſſe liberum, non tantùm quoad exercitium, in quantum poteſt voluntas illum imperare, aut impedire, ſed etiam quoad ſpecificationem, cùm ſit in noſtra poteſtate objectis Fidei, etiam ſufficienter propoſitis, credere, aut diſcredere, ut patet in Hæreticis, qui Fidei veritatibus ità propoſitis, licèt teneantur credere, peccentque non credendo, poſitivè tamen diſcredunt.

Nec contrarius eſt Scotus: nam quando loco cit. dixit: *Quamvis voluntas habeat imperium ſuper actum credendi: non tamen habet imperium ſuper oppoſitum actum*, ſtatim ſubdit: *ſtante Fide*; quia eo ipſo, quo objecto Fidei diſſentit quis poſitivè, perit Fides.

Reſol. 2. Si quandoque ex quadam conſuetudine exeat intellectus in actum credendi circa objecta millies credita, vel id non fieri niſi voluntatis motione poſitiva; vel ſi, conſuetudine intellectum determinante, ſiat abſque illa, (ut aliquando fieri poſſe, videtur inſinuare Scot. 3. Diſt. 25. q. 2. unde immeritò Gonet. ſumpſit occaſionem dicendi ſimpliciter ipſum non requirere ad actum Fidei motionem voluntatis poſitivam) actus ille non eſt meritorius defectu libertatis ſeu deliberationis, licèt ſit actus Fidei infuſæ.

CONCLUSIO II.

ILla motio voluntatis eſt pia, ſeu procedit ex gratiæ auxilio; non eſt tamen actus Charitatis, ut vult Van Roy.

Prob. 1. Pars ex Conciliis & PP. qui ad actum credendi requirunt pium voluntatis affectum, qui ſit initium Fidei, & ex Spiritus S. Inſpiratione: undè Arauſicanum II. Can. 5. definit *Credibilitatis affectum, quo in eum credimus, qui juſtificat impium, eſſe gratiæ donum*. Et Trid. Seſſ. 6. c. 6. dicit, quòd qui juſtificantur, *liberè moventur in Deum credentes*, &c. motio autem in Deum, eſt motio pia. Accedit, quòd ſi credulitatis affectus, quem Fidei initium vocat Arauſicanum, eſſet ex naturæ viribus, initium ſalutis noſtræ, eſſet ex nobis; cùm initium Fidei ſit initium ſalutis: hoc autem eſt Hæreticum.

Dices 1. *Dæmones credunt, & contremiſcunt*, Jac. 2. Atqui in illis non eſt pia motio: ergo.

Reſp. Diſt. Ma. Credunt Fide naturali: C. Theologica: N. hanc enim in ipſis non remanere, diximus ſuperiùs.

Dices 2. Licèt requiratur pia motio ad credenda difficiliora Fidei myſteria, ut Trinitatis, Incarnationis, &c. non videtur tamen neceſſaria circa faciliora, ut quòd Deus ſit infinitè ſapiens, æternus &c.

Reſp. Neg. aſſump. Quia motio illa ut pia, ſeu ut procedens à gratia, non datur, ſaltem præcisè, ad tollendam majorem credendi difficultatem circa certa objecta, ſed ut ipſamet motio ſit ſupernaturalis.

Prob. 2. pars 1. Ut motio ſit illa actus Charitatis, debet ferri in Deum propter Deum, ſive eſſe dilectio Dei propter ſe, ut loquitur Van Roy, ſed motio illa non fertur in Deum propter Deum, cùm præcisè habeat pro objecto actum Fidei, vel potius determinate intellectum ad actum Fidei: ergo.

Prob. Si motio illa eſſet Charitas, vel quia eſt actus voluntatis, vel quia procedit ex gratiæ auxilio, vel quia determinat intellectum ad Fidei aſſenſum, cùm nil aliud ſit imaginabile: ſed nullo ex his capitibus dici poteſt Charitas: ergo.

Prob. Min. Non quia actus voluntatis, aliàs amor ſæculi eſſet Charitas. Non quia procedit ex gratiæ auxilio; nam actus Fidei ex eodem procedens, eſſet actus Charitatis, quod nemo ſomniavit: non etiam quia determinat intellectum &c. ut per ſe patet: ergo. Nec dicas eſſe Charitatem, quia ſimul procedit à voluntate, & à gratia; aliàs amor Caſtitatis procedens ex gratiæ adjutorio, eſſet dilectio Dei propter ſe: quod rationi videtur repugnare.

Confirm. Non eſt actus alterius virtutis amor Caſtitatis ex gratiæ auxilio, quàm amor Caſtitatis ex viribus naturæ: ſed hic non eſt dilectio Dei propter ſe, ut fatentur omnes: ergo nec ille. Prob. Ma. Quia auxilium gratiæ non mutat eſſentiam illius amoris, cùm non mutet illius objectum, aut motivum: unde tantùm illum reddit ſupernaturalem in modo, & capacem meriti.

Dices: vel amatur Caſtitas propter Deum, vel propter ſe: ſi primum, eſt actus Charitatis: ſi ſecundum, cùm ſit actus vitioſus, non procedit ex gratia.

Contrà eſt, quòd licèt non referens Caſtitatem in Deum, peccaret defectu relationis (quod poſteà examinabimus) ipſe tamen Caſtitatis amor manet in ſe, & ex officio bonus, ut loquuntur adverſarii, quia defectus relationis non afficit opus ſed operantem; & conſequenter nihil obeſt quominùs procedat ex gratia.

Prob. 3. Ex condemnatione hujus propoſitionis ab Alexandro VIII. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides; & etiamſi videantur credere, non eſt Fides Divina, ſed humana*. Subſumo: atqui non poteſt homo credere Fide Divina ſine voluntatis motione, quæ ſecundùm Van Roy, eſt Dei amor: ergo homo cui deeſt omnis amor, non habet Fidem, nec poteſt credere Fide Divina; quod eſt contentum propoſitionis condemnatæ.

Malè autem dicit per amorem intelligi Charitatem habitualem, ſeu gratiam ſanctificantem, cùm verbum *amor* non denotet habitum, ſed actum: aſſerit quidem hujus propoſitionis accuſatores apud S. Sedem ſic intellexiſſe; ſed quidquid ſit de accuſatoribus, certum eſt hujus propoſitionis Authorem non intellexiſſe Charitatem habitualem, cùm ille, utpotè in Tridentino fundatiſſimus, ſciviſſet propoſitionem ſuam eſſe ibidem anathematizatam Seſſ. 6. Can. 28.

Nec dici poteſt, quòd ſi ibi agatur de actu Charitatis, tantùm agatur de perfecto, non autem de imperfecto, ſeu tenui, qualis eſt dicta motio; quia hæc verba *deficit omnis*, excludunt quemlibet, adeòque etiam tenuem, dummodò ſit vera Charitas, ut ſupponitur eſſe dicta motio.

Dices: Illa pia motio, eſt bona voluntas: ſed bona voluntas eſt Charitas: ergo. Prob. Min. Ex Auguſt. Lib. de Gratia Chriſti c. 21. *Quaſi verò aliud ſit bona voluntas, quàm Charitas*.

Reſp. Diſt. Min. Bona voluntas ſolitariè ſumpta, eſt Charitas: N. In Deum ordinata, C. & de hac loqui debet Auguſtinus, ut ſatis convincunt probationes allatæ.

Petes, utrùm ad piam motionem præfatam requiratur habitus in voluntate?

Reſp. Neg. Quia habitus ille eſt omninò ſuperfluus, cùm ſufficiat ipſa voluntas cum auxilio gratiæ, ut patet in Cathecumenis, quorum voluntas gratia adjuta movet intellectum ad actum Fidei ante juſtificationem, adeòque ante habituum infuſionem.

Accedit, quòd habitus virtutis non detur niſi ad actus perfectos & ultimatos, qualis non eſt ipſa motio, quæ tantùm eſt via ad actum perfectum & ultimatum, nempè Fidei. Præterea, ut moveat voluntas manum ad dandam eleemoſynam, pedes ad viſitanda loca Sancta, labia ad orandum, intellectum ad meditandum, non requiritur habitus in voluntate, ſed ſufficit gratiæ adjutorium: ergo ſimiliter in noſtro caſu: requiritur quidem habitus in intellectu, ſed quia ponit actum perfectum & ultimatum, quod non facit hìc voluntas: ubi autem movet voluntas ad actum Fidei ex motivo Charitatis, prærequiritur in ea habitus; non ad motionem, ſed ad Charitatem, ex cujus motivo imperat, & ideò fortè dixit S. Thom. 2. 2. q. 4. Art. 2. *Oportet quod tam in voluntate ſit aliquis habitus, quàm in intellectu, ſi debeat actus Fidei eſſe perfectus*, id eſt Charitate informatus.

QUÆSTIO III.

An actus Fidei internus ſit ad ſalutem neceſſarius.

DUplicem hìc neceſſitatem diſtinguunt Theologi, unam medii, alteram præcepti. Illud eſt neceſſarium neceſſitate medii, quo ſive culpabiliter, ſive inculpabiliter, ſive ſcienter, ſive ignoranter omiſſo, non poteſt obtineri ſalus, de lege Dei ordinaria: & talis eſt gratia ſanctificans reſpectu omnium, dolor de peccatis reſpectu peccatorum Adultorum, Baptiſmus in re reſpectu infantium; in re autem, aut in voto reſpectu adultorum. Neceſſarium autem neceſſitate præcepti quod ita rationis capaces obligat, ut tamen illo inculpabiliter aut ignoranter omiſſo, poſſit haberi ſalus: talis eſt ſumptio Euchariſtiæ reſpectu adultorum &c.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO I.

Actus Fidei internus, eſt & fuit omni tempore neceſsarius neceſſitate medii ad ſalutem adultorum.

Prob. 1. Ex Script. Ad Hebr. 11. *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo*; Et Marci ult. *Qui non crederit, condemnabitur* nec mirum? quia de lege ordinaria nullus ſalvatur niſi juſtificatus; jam autem *fundamentum & radix omnis juſtificationis* eſt Fides, ut docet Trid. Seſs. 6. cap. 8. Unde Apoſt. Ad Galat. 3. *Ex Fide juſtificat Gentes Deus*. Quaſi diceret quòd licèt ad ſalutem non ſufficiat ſola fides, nullus tamen juſtificetur ſine illa.

Prob. 2. Ex Trid. ſup. cap. 7. Ubi dicit de Baptiſmo: *Eſt Sacramentum Fidei, ſine qua nulli unquam contingit juſtificatio*. Et cap. 8. *Fides eſt humanæ ſalutis initium*.

Prob. 3. Ex PP. Auguſtino ſerm. 38. De temp. in init. *ſine hac*, nempe Fide, *nemo ad filiorum Dei conſortium poteſt pervenire*. Fulgentio de Fide in prologo. *Sine Fide nulla poteſt prodeſſe, imo nec eſſe converſio*.

Prob. 4. Ratione; quia debent media eſse ſimul proportionata; ſed finis noſter, nempè Deus poſſidendus, eſt ſupernaturalis: ergo & media, nempe cognitio & amor, ſupernaturalia: ſicut autem amor ſupernaturalis, eſt actus charitatis, ita ſupernaturalis cognitio actus Fidei.

Ratio hujus à priori eſt voluntas Dei, qui voluit, antequam à nobis poſſideretur, cognoſci & amari.

Obj. Sufficit ad ſalutem obſervantia legis naturæ; juxta illud Matt. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Ubi agitur de præceptis Decalogi: ergo non requiritur Fides.

Reſp. Quod licet fiat ſibi particulariter mentio de præceptis Decalogi, non excluduntur tamen alia: imò cum primum Decalogi præceptum injungat Deum etiam ſupernaturaliter diligere: dici poteſt, quòd etiam injungat ipſum ſupernaturaliter cognoſcere: cùm ad illum amorem, prærequiratur hæc cognitio.

Obj. 2. Apoſtolus ad Hebr. 2. Solum dicit credendum eſse Deum exiſtere, & Remuneratorem eſse: ſed hæc cognoſci poſsunt lumine naturali, cum multi Philoſophi, teſte Chryſoſt. Homil. 4. de providentia, cognoverint Deum ipſum juſtum, adeoque bonis præmia, & malis decernere ſupplicia: ergo

Reſp. Cum Apoſtolus ibi non loquatur de Deo ut authore naturæ, ſed gratiæ, nec de remuneratore operum naturalium, ſed ſupernaturalium, ut patet ex contextu; ita etiam ad credendum requirit lumen ſupernaturale. Philoſophi autem veteres. tantum cognoſcebant Deum ut authorem naturæ & naturalium remuneratorem.

Objic. 3. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt* Rom. 2. ergo naturaliter credendo legem adimplent.

Reſp. Neg. conſeq. & dico ly *naturaliter* non opponi *ſupernaturaliter*, ſed legi ſcriptæ, ut exponit Aug. Lib. 1. De Spiritu & littera, cap. 27. Et poſt ipſum D. Thomas, quaſi diceret: Gentes quæ legem Scriptam non habent, ſicut Judæi, lumine naturali, gratia tamen, ubi opus fuerit, adjutæ ea quæ legis ſunt faciunt.

Objic. 4. Non obſtante quod Joan. 3. dicatur: *Niſi quis renatus fuerit &c. non poteſt introire regnum cælorum*, ſufficit tamen quandoque Baptiſmus in voto: ergo licet dicat Apoſt. *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo*, ſufficit etiam quandoque Fides in voto.

Reſp. Neg. conſeq. Quia cùm homo quandoque non poſſit recipere Baptiſmum defectu materię Miniſtri &c. poſſit tamen ſemper elicere actum Fidei, ubi gratiæ non ponit obicem: hinc eſt, quòd Chriſtus ſemper realitatem requiſierit in uno, non in altero. Sic autem Chriſtum ordinaſse, acutè obſervat D. Bernardus Epiſt. 77. Circa med. Nam poſtquam dixit Marci ult. (in quem locum ſcribit ibidem Bernardus) *Qui crediderit & Baptizatus fuerit, ſalvus erit* non ſubjungit: *Qui vero non crediderit, & non Baptizatus fuerit condemnabitur*, ſed *qui verò non crediderit*, declarant omnem non credentem condemnandum, non tamen omnem non realiter Baptizatum.

Obj. 5. Juxtà D. Thom. q. 14. de Verit. art. 11. Ad 1. Homo in ſylvis enutritus, qui nihil audiviſset de rebus Fidei tamen legem naturæ ſervaſset, ſalvaretur: ergo

Reſp. Diſt. Ant. Salvaretur ſine fide · N. Salvaretur, quia Deus, qui *Vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, illum ante mortem illuminaret, vel per humanam prædicationem, vel per gratias interiores, vel per Angelum, vel alio modo: C.

Inſt. Fruſtra in mediis ad ſalutem neceſsariis, ad miracula recurritur, cùm poſſit quilibet adultus de lege ordinaria ſine miraculo juſtificari.

Reſp. Nec tunc fore miraculum, licèt ſit caſus rarus & extraordinarius; quia ordo gratiæ connaturaliter exigit ut, præcepto urgente, dentur non ponentibus obicem auxilia, quibus illud adimplere valeant.

Objic. 6. Poteſt quis lumine naturali cognoſcere Deum eſſe ſummè bonum, adeoque ſummè amandum: ergo poteſt ſine Fide ipſum ſummè, ſeu ſuper omnia diligere: hic autem actus eſt juſtificativus.

Reſp. Cum illa dilectio, ut juſtificet, debeat eſſe ſupernaturalis, etiam præcedere debet cognitio proportionata Deo voluntatem ſuam circa hoc per Scripturam, Concilia, & Patres declarante.

Objic. 7. Juſtinus Orat. ad Antonin. Chriſtianos vocat veteres Philoſophos, & Gentiles qui rationabiliter vixerunt & c. 8. Apologiæ dicit Socratem eſse ſalvum & Martyrem. Imò Aug. divinum appellat Platonem: & tamen in illis non erat Fides ſupernaturalis.

Reſp. Dici Chriſtianos, non quia erant, ſi Fidem non habebant, ſed quia in obſervatione legis naturæ multos Chriſtianos æquabant, aut ſorte ſuperabant. Socrates autem, ſi fuit Martyr, quod videtur incertum, cùm eſset ebrioſus & iracundus, debuit ante mortem ſibi ab Athenienſibus illatam, eò quod in ſcholis Deum unicum profiteretur, ex divina providentia Fidem recepiſse. Plato denique *divinus* appellatur; quia cæteros, tractando de Deo, ſuperavit.

Obj. 8. Si baptizatus ſtatim poſt adeptum uſum rationis moriatur antequam peccaverit & quidquam audierit de Fide, ſalvabitur, cum ſit in gratia: ergo

Reſp. Deum, qui neminem deſerit, niſi deſeratur, daturum parvulo ante mortem, unde poſſit credere, ſicut diximus de homine in Sylvis enutrito: quandoquidem volens ſincerè omnes ſalvos fieri, non deneget, præſertim innocentibus, undè poſſint ſalvari.

CONCLUSIO II.

Eſt etiam neceſsarius actus Fidei internus neceſſitate præcepti. Eſt certa

Prob. Tum ex Script. Joan. 3. *Hoc eſt mandatum ejus, ut credamus in nomine filii ejus*. Et Paulus ſupra *credere oportet accedentem &c.* tum etiam ratione Theologica: *Qui non crediderit condemnabitur*: ſed nemo damnatur niſi propter tranſgreſſionem, & non eſt tranſgreſſio, niſi ſit præceptum: ergo. Accedit, quod nihil ſit neceſsarium neceſſitate medii reſpectu adultorum niſi ſit & præcepti, quandoquidem obligatus quærere ſuam ſalutem, obligetur & ponere media, ſine quibus non poſſet illa aſsequi. Ex dictis hac quæſtione

Reſol. 1. Quantùm peccent Parochi, & alii animarum curam habentes, ſi Parochianis non inculcent fortiter Fidei obligationem, cùm per hoc ſuos exponant damnationi æternæ.

Reſol. 2. Propter eandem rationem, non minùs reos eſse Parentes & Præceptores, qui pueris ſtatim ab uſu rationis non exponunt præcipua Fidei Myſteria, propter authoritatem Dei revelantis credenda.

QUÆSTIO IV.

Quænam ſint credenda neceſſitate medii.

Suppono 1. Ante Chriſti adventum, ſicut poſt eundem, Fidem explicitam Dei exiſtentis & Remuneratoris ſupernaturalis fuiſse neceſſariam neceſſitate medii ad ſalutem, ita nullo tempore ſatis fuerit credere in genere omnia, quæ parentes credunt, aut quæ Prophetæ, Apoſtoli, aut Paſtores credenda proponunt.

Ratio eſt, quia ſicut hæc verba Apoſtoli ad Hebr. 11. *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo*, important neceſſitatem medii, reſpiciuntque omnem generis humani ſtatum, ut diximus; ita & illa quæ immediatè ſubjungit. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*, cùm ſint tantum priorum determinativa. Accedit quod niſi quis præfata explicitè cognoſcat, non poſſit legitimè Deum colere, vitam ſuam moderari, & actiones ſuas in finem ultimum dirigere.

Suppono 2. In veteri Lege ad minimum fuiſſe neceſsariam neceſſitate medii Fidem implicitam Trinitatis & Incarnationis: nam cùm illa neceſſitate tenerentur credere Deum eſse Remuneratorem ſupernaturalem, tenebantur & credere Deum per ſuam Providentiam velle omnes homines à peccatis liberare, ipſiſque de mediis ad ſalutem æternam neceſſariis (inter quæ unum & præcipuum erat Chriſtus) providere. Jam autem implicitè credendo Chriſtum, qui ut Deus ſecunda eſt Trinitatis perſona, implicitè credebant & Trinitatem. Sed an etiam tenerentur illa myſteria explicitè crede-

re? imò & an ad id teneamur in lege Euangelica? controvertitur.

CONCLUSIO I.

ANte Chriſti adventum non erat neceſſaria neceſſitate medii, imò nec præcepti, ſaltem reſpectu omnium, Fides explicita Trinitatis & Incarnationis. Eſt communis.

Prob. 1. Pars: illud non eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, quod eſt ferè omnibus abſconditum: ſed ferè omnes ante Chriſti adventum latebat myſteriorum illorum cognitio. Ergo Prob. Maj. Quia Deus, qui nullo modo deeſt in rebus ad ſalutem neceſſariis, non proponit nobis ad ſalutem media abſcondita, ſed ubique terrarum prædicata & promulgata, ut patet de Baptiſmo & aliis Prob. Min ex Scriptura ad Galat. 3. *Prius autem, quàm veniret Fides: ſub lege cuſtodiebamur concluſi, in eam Fidem quæ revelanda erat*, & ad Ephes. 3. *Aliis generationibus non eſt agnitum*... (nempe Chriſti myſterium, & conſequenter Trinitatis, cum, illo cognito, & hoc cognoſcatur neceſſe ſit ut poſtea oſtendemus).... *ſicuti nunc revelatum eſt* &c. undè S. Thomas 2. 2. q. 2. art. 7 loquens de hominibus in lege ſcripta & ante legem ſcriptam, ait: *De Chriſto venturo quodammodo habebant revelatam cognitionem*. Pro objectionibus ſolvendis.

Adverte 1. Aliud eſſe neminem in quolibet ſtatu juſtificari aut ſalvari niſi ex Chriſti gratia aut meritis, & aliud obligari quemlibet, Chriſtum Redemptorem explicitè credere, cum inter illa nulla ſit connexio.

Adverte 2. Quando Auguſt lib. de natura & gratia cap. 44. dicit: *Ea quippe Fides juſtos ſanavit antiquos, quæ ſanat & nos, id eſt Mediatoris Dei, & hominum &c.* tantùm velle, debuiſſe circa hoc idem credere ac nos, non tamen eodem modo: nam cum Epiſt. 157. aliàs 89. circa med. dicat: *Illis futura prænuntiabatur* (ſcilicet Incarnatio Chriſti) *quæ jam à nobis annuntiatur, & tempore veteris Teſtamenti velabatur, quæ tempore novi Teſtamenti revelatur*, ſatis oſtendit tunc ſuffeciſſe Fidem velatam, ſeu implicitam.

Adverte 3. Ex hoc loco Auguſt. lib. 18. de Civitate Dei c. 47. *Nemini conceſſum eſſe credendum eſt* (nempe placere Deo) *niſi cui divinitus revelatus eſt unus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus*, non neceſſariò requiri revelationem explicitam, ſed vel explicitam, vel implicitam, ideſt, in alio revelato contentam, ſicut unum implicitè creditur in alio explicitè credito: quod ſatis inſinuat ipſemet Auguſtinus, cùm docet ſupra myſteria illa in veteri lege velata.

Prob 2. Pars, nempe quòd Fides explicita myſteriorum illorum nequidem eſſet neceſſaria neceſſitate præcepti? quia Deus impoſſibilia non jubet: impoſſibile autem eſt credere explicitè, quod nonniſi implicitè & velatè cognoſcitur: quibus autem ex ſpeciali gratia revelata erant explicitè myſteria illa, ut quibuſdam Prophetis, & perſonis illuſtrioribus, iiſdem explicitè credendi obligationem imponebant: & ideo dixi non fuiſſe præceptum, *ſaltem reſpectu omnium*.

CONCLUSIO II.

IN Lege Euangelica ſufficienter promulgata neceſſaria eſt neceſſitate medii ad ſalutem & juſtificationem Fides explicita SS. Trinitatis: ita expreſſè D. Thom. 2. 2. q 2. art. 8. *Poſt tempus gratiæ divulgatæ*, inquit, *tenentur omnes ad explicitè credendum myſterium Trinitatis*. Dixi autem *gratiæ divulgatæ*; quia ante Euangelium ſufficienter promulgatum, non aliter credendum erat hoc myſterium (idem eſt de Incarnatione) quam ante Chriſti adventum, cum eſſet par ratio.

Prob. 1. Concluſio ex Symbolo Athanaſii ubi eodem modo credenda proponuntur myſteria Trinitatis & Incarnationis: ſed hoc credendum eſt neceſſitate medii, ut jam probavimus: ergo & illud: unde Athanaſius ibidem· *Quicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt ut teneat Catholicam fidem... Fides autem Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur*.

Prob. 2. Tenemur neceſſitate medii aliquid credere, ut ſalvi fiamus: ergo maximè præcipuum & primarium Fidei objectum quod eſt Deus unus & trinus: & certè mirum eſſet, quòd Fides explicita Incarnationis, quæ tantum eſt ſecundarium Fidei objectum, eſſet medium neceſſarium ad ſalutem, & non Fides Trinitatis, quæ eſt objectum primarium.

Prob. 3. Tenemur credere neceſſitate medii propter ſalutem æternam: Ergo tenemur credere, eadem neceſſitate, ſalutis æternæ objectum, quod eſt eſſentiæ Divinæ unitas, & perſonarum Trinitas.

Prob. 4. Fides Trinitatis dicitur antonomaſticè Fides, ut patet in Baptiſmo, qui dicitur Sacramentum Fidei, quia exprimitur in eo illud myſterium: ergo Fides Trinitatis eſt maximè neceſſaria.

Prob. 5. Aliter credendum eſt illud myſterium in lege nova, quàm in lege veteri, cùm eſſet tunc velatum, & nunc revelatum, ſed tunc credendum erat neceſſitate medii implicitè: ergo nunc explicitè. Porro cùm objectiones pro hac & ſequenti concluſione ſint communes, earum ſolutionem poſtea dabimus.

CONCLUSIO III.

POſt Euangelium ſufficienter promulgatum, etiam neceſſaria eſt neceſſitate medii Fides explicita Chriſti Redemptoris, ſeu Filium Dei naturam humanam aſſumpſiſſe, ut genus humanum redimeret. Ita communiſſimè Theologi cum DD. Seraphico, Angelico, & Subtili.

Prob. 1. Ex Script. Joan 17. *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti JESUM Chriſtum.* Ubi ad vitam æternam eadem Fides requiritur Chriſti JESU, ſeu Salvatoris, ac ipſius Dei: ſed requiritur ad illam neceſſitate medii Fides explicita Dei: ergo & Chriſti Redemptoris. Deinde Joan. 3. legitur: *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam*: ubi oſtenditur ad evitandam perditionem, ſalutemque obtinendam, neceſſariam eſſe fidem Chriſti in cruce exaltati, ſeu Redemptoris, ſicut neceſſarius erat Iſraelitis aſpectus ſerpentis ænei, ut à morſibus ſerpentum ſanarentur; atqui ita neceſſarius erat aſpectus ille, ut ſine illo non poſſent ſanari: ergo ita neceſſaria eſt Fides Chriſti exaltati, ut ſine illa non poſſimus ſalvari. Lege Apoſtolum ad Rom 3. v. 22. 24. & 25. & videbis non juſtificari homines, niſi per fidem in Chriſtum JESUM, & in ſanguinem ipſius.

Prob. 2. Ex Trid. Seſſ 6 cap. 6. Ubi requirit ut juſtificandi credant, *Illud in primis, à Deo juſtificari impium per gratiam eius, per Redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu*: ergo ſi Fides illa eſt in primis ad juſtificationem neceſſaria, nihil magis ad illam neceſſarium eſt.

Prob. 3. Ex Auguſt. lib de Prædeſt. Sanct. cap 7 *Si poſſet ſine fide Chriſti eſſe ſalvus* (nempe Cornelius Centurio) *non ad eum ædificandum mitteretur Architectus Apoſtolus*. Et lib de Correpr. & gratia cap. 7. *Si enim ſicut veritas loquitur, nemo liberatur à damnatione, quæ facta eſt per Adam, niſi per Fidem JESU Chriſti, & tamen ab hac damnatione non ſe liberarunt, qui poterunt dicere non ſe audiviſſe Evangelium Chriſti.* Nec dicas loqui de Fide Chriſti implicita; quia illa haberi poteſt ſine prædicatione. Deinde illam habebat Cornelius antequam mitteretur Petrus, ut poſtea dicemus.

Prob. 4. Authoritate D. Thomæ ſup. Ubi docet neceſſariam eſſe Fidem explicitam Incarnationis, ſicut Trinitatis, quam docet ibidem neceſſariam neceſſitate medii, ut ante diximus: imò 3. diſt. 25. q. 2 art. 2. *Poſt adventum Chriſti*, inquit, *quia jam myſterium Redemptionis impletum eſt, & corporaliter & viſibiliter prædicatum, tenentur omnes ad credendum explicitè, & ſi aliquis inſtructorem non haberet, Deus ei revelaret, niſi ex culpa ſua remaneret.* Quæ ſpecialis Dei cura ſatis oſtendit neceſſitatem medii.

Prob. 5. Authoritate D Bonav 3 diſt 25 art. 1 q 3. *Non ſufficit modo alicui, qui habet uſum rationis, in generali credere Redemptionem &c.* Ergo credere debet explicitè, & quidem neceſſitate medii, quia loquitur eodem modo in hac quæſt. 3. de Fide Mediatoris explicita poſt Chriſti adventum, ac fuerat locutus in 2. de implicita ante adventum, quam ut neceſſariam neceſſitate medii requirit his verbis: *poſt lapſum Adæ nullus ſalvari potuit abſque Fide Mediatoris*.

Prob. 6. Authoritate Scoti 3. diſt. 23. q. 1. num. 9. *Sicut igitur Fides de Creatore ſemper fuit neceſſaria ad ſalutem* (ſcilicet neceſſitate medii, ut concedunt omnes) *ita Fides Redemptoris ſemper fuit neceſſaria ad ſalutem poſt lapſum humani generis*, nempe eadem neceſſitate. Loqui autem de Fide explicita in Lege Euangelica, patet ex his quæ habet num 6. *Quilibet tamen habens uſum rationis tenetur pro aliquando ad aliquē actum explicitum, & maximè ad illa quæ ſunt groſſa ad capiendum, ſicut quòd Chriſtus natus eſt & paſſus, & alia quæ pertinent ad Redemptionem*.

Prob. denique eadem ratione, qua probavimus neceſſitatem Fidei Trinitatis Concl. 1. probatione 5.

Objic. 1. Cum Cano & Bannes, teſtimonia præfata intelligi debere de neceſſitate ad ſalutem, non autem ad juſtificationem, ad quam ſufficit Fides implicita. Sed

Contra eſt, quòd omnis diſpoſitio ſufficiens ad juſtificationem, ſufficiat ad ſalutem, ſeu ad Beatitudinem, ut patet ex

tet ex

Digitized by Google

tet ex Trid. Seſſ. 6. cap. 16. dicente, nihil deeſſe juſtificatis perſeverantibus quominùs ſuo tempore vitam æternam conſequantur.

Accedit, quòd juſtificatus ſit Filius Deus adoptivus, *quòd ſit Filius, & hæres*, ut ait Apoſt. ad Galat. 4. hæredi autem debetur hæreditas, adeoque juſtificato vita æterna: undè Joan. 4 gratia juſtificans dicitur: *fons aquæ ſalientis in vitam æternam*.

Objic. 2. Cornelius Centurio antequam per Petrum edoceretur explicitè Myſterium Incarnationis, dicitur *juſtus & timens Deum*: Act. 10. Ergo ſufficit ad juſtificationem Fides illius implicita.

Reſp. Diſt. Ant. Dicitur iſtius diſpoſitivè, quales reputantur vulgariter peccatores illi, qui per opera virtutum ſe diſponunt ad juſtificationem: C. juſtitia habituali ſeu ſanctificante: N. nam, ut docet Aug. lib. 1. ad Simplician. q. 2. init. non fuit priùs juſtificatus, quàm audiret Petrum: fuit tamen juſtificatus ante Baptiſmum realiter ſuſceptum, ut docet idem Doct. lib. 4. qu. ſuper Num. q. 33. quia fortè ex Petri inſtructione inflammatus Deum perfectè dilexit.

Objic. 3. Multi ſunt, qui non poſſunt myſteria Incarnationis & Trinitatis intelligere: ergo ſaltem non eſt ipſis neceſſaria illorum Fides.

Reſp. neg. conſeq. Quia Fides magis conſiſtit in aſſenſu, quàm in rerum intelligentia, juxta illud Auguſtin. contra Epiſt. fundamenti cap. 4. *Turbam non intelligendi vivacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimam facit*: unde non requiritur quòd credentes ſciant definitivè quid ſit uatura, quid perſona, quid unio hypoſtatica, ſed ſufficit, ſi myſteria præfata apprehendant ſub terminis in Eccleſia uſitatis, v. gr. quòd ſciant in Divinis eſſe tres Perſonas, nempe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; qui ſunt unicus Deus; & Filium Dei aſſumpſiſſe naturam humanam, ità ut Chriſtus ſit Filius Dei, & Filius hominis, qui nos redempturus mortem ſubiit &c.

Objic. 4. Apoſtolus ad Hebr. 11. tantùm requirit ad ſalutem, ut explicitè credamus Deum eſſe, & Remuneratorem eſſe: ergo

Reſp. Tantùm ibi referre quæ in omni generis humani ſtatu ſunt explicitè credenda, non negans alia eſſe credenda in lege Euangelica, aliàs ſibi contradiceret, cùm pluribus in locis requirat Fidem Mediatoris. Vide probationes.

Obj. 5. Promiſit Deus peccatori fore exaudiendum in quacunque die converſus fuerit; ſed ſi convertatur habens Fidem Dei unius & Remuneratoris, non tamen Dei Trini & Incarnati non exaudietur: ergo

Reſp. Neg. Supp. nempe Deum conceſſurum in Lege nova gratiam converſionis non habenti Fidem Trinitatis & Incarnationis; quia Fides illa, quam nemini gratiam cooperanti denegat, proxima eſt ad juſtificationem diſpoſitio. Idem dic reſpectu actus dilectionis Dei ſuper omnia.

Objic. 6. Deus vult omnes homines ſalvos fieri; ſed ſi ſtet noſtra concluſio, non poſſunt ſalvari ſurdi & muti à nativitate, cùm ſit impoſſibile inculcare ipſis cognitionem Trinitatis & Incarnationis: ergo

Reſp. Deum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, tales illuminaturum, ſi gratiæ non ponant obicem, & aliunde non poſſint nutibus & ſignis edoceri: quod & dicere debent adverſarii reſpectu cognitionis Dei Remuneratoris ſupernaturalis: Tam enim difficile eſt ipſis inculcare cognitionem animæ immortalis in altera vita præmiandæ, aut puniendæ. quàm Dei hominis facti, & pro nobis paſſi.

Objic. 7. In Lege nova ante Euangelium ſufficienter promulgatum, non erat medium neceſſarium ad ſalutem Fides explicita Trinitatis & Chriſti Redemptoris: ergo nec jam illis, quibus necdum fuerunt prædicata illa myſteria.

Reſpondent Vega & Scoto: probabiliſſimom eſt nullum jam Chriſti Fidem invincibiliter ignorare, cùm fuerit per totum mundum habitabilem annuntiata: ſed eſto dari poſſit

Reſp. 1. Inde ſequi, quòd iis, quibus non eſt annuntiata Fides Dei Remuneratoris, & conſequenter animæ immortalitas, non ſit medium neceſſarium ad ſalutem: quod tamen negare debent ipſimet adverſarii.

Reſp. 2. Nego conſeq. diſparitas eſt quod lex non obliget niſi promulgata, ubi autem ſufficienter promulgata eſt, obligat omnes etiam ignorantes, qui tamen excuſantur à peccato formali, ubi invincibilis eſt ignorantia.

QUÆSTIO V.

Quænam ſint credenda neceſſitate præcepti?

CONCLUSIO I.

TEnetur quilibet credere implicitè & in generali omnes Fidei articulos, & eſſe in animo paratus credere implicitè omnia, quæ ſibi ſufficienter à Deo revelata proponentur.

Ratio eſt; quia ipſamet rationalis natura dictat credendum eſſe in omnibus Deo tanquam ſummè veraci, & fallere impotenti.

CONCLUSIO II.

CRedenda ſunt neceſſitate præcepti omnia, quæ ſunt credenda neceſſitate medii.

Ratio eſt; quia tenetur quilibet ſalutem ſuam quærere: ergo & media ad ſalutem obtinendam neceſſaria cognoſcere & ponere.

CONCLUSIO III.

DEbet omnis Fidelis explicitè credere, ſaltem quoad ſubſtantiam, omnes articulos in Symbolo Apoſtolorum contentos.

Prob. 1. Quia nemo verus eſt Chriſtianus, niſi Chriſtianæ Fidei præcepta poſſideat: ſed præcipua fidei præcepta continentur in Symbolo, cùm ſit, ut loquitur Aug. ſer. 135. de temp. *Regula Fidei noſtræ brevis & grandis; brevis numero verborum, grandis pondere ſententiarum*: ergo

Prob. 2. Quia ab ipſo Eccleſiæ exordio non admittebantur ad Baptiſmum Cathecumeni, niſi priùs hoc Symbolum recitarent, & intelligerent; & ideo antequam prædicare cœpiſſent. Apoſtoli, illud compoſuerunt, ut omnibus hos articulos tanquam totius Fidei noſtræ fundamenta abbreviata inculcarent.

Prob. 1. Ex Catechiſmo Rom. Parte 1. c. 1. n. 2. ubi legitur, *Quæ primum Chriſtiani homines tenere debent, illa ſunt, quæ..... Sancti Apoſtoli, divino Spiritu afflati, duodecim Symboli articulis diſtinxerunt*. Idem colligitur ex Can. *Baptizandos*, de Conſecratione Diſt. 4.

Dixi: *ſaltem quoad ſubſtantiam*; quia non accuſarem gravis peccati eum, qui ex ſua culpa minoris momenti circumſtantias ignoraret. Ex dictis

Reſol. 1. Tantùm venialiter peccare illum, qui ſcit quidem Chriſtum reſurrexiſſe, ſed neſcit culpabiliter an tertia die; novit paſſum eſſe, ſed ignorat ſub Pontio Pilato. Aliud eſſe, ſi ſciret natum eſſe, ſed neſciret an ex B. Virgine; conceptum eſſe, ſed ignoraret an ex Spiritu Sancto; quia hæ circumſtantiæ videntur notabiles, aliæ leves.

Reſol. 2. Ignorantem vincibiliter unicum Symboli articulum, v. g. Chriſtum reſurrexiſſe, reum eſſe peccati gravis; quia quilibet articulus continet ſpeciale dogma Fidei, & quidem gravis momenti.

Reſol. 3. Non ſufficere ad vitandum peccatum, ſcire Symbolum memoriter; ſed requiritur aliqualis ipſius intelligentia: unde tenentur Parentes, Magiſtri, Paſtores, Catechiſtæ ſingulos articulos explicare, v. gr. Quid intelligatur per Communionem Sanctorum, quid per peccatorum remiſſionem &c. Specialiter autem debent curare ut Symbolum, idem eſt de Oratione Dominica, addiſcant lingua vernacula.

Reſol. 4. Poſſe quandoque, raro tamen, excuſari à peccato mortali certos ruſticos; quibus tempore belli deeſt inſtructio ſufficiens; quia tunc illorum ignorantia cenſetur invincibilis.

Reſol. 5. Non eſſe continuò accuſandos, ſaltem peccati gravis, neſcientes Symbolom memoriter, ſi omnium in eo contentorum intelligentiam habeant; quia conſuetudo & certi Canones id præcipientes, tantùm videntur obligationem levem imponere, vel certè ſi gravem, loquuntur de illis, qui Symbolum ignorando, ignorant & ejuſdem ſubſtantiam.

CONCLUSIO IV.

ETiam eſt obligatio, ad minimum ſub veoiali, ſcire Orationem Dominicam memoriter, id eſt, eodem ordine, ejuſdemque verbis quibus proponitur, imò probabilius eſt eſſe mortale, ſi culpabiliter ignoretur ſenſus.

Digitized by Google

Prob. 1. pars ex communi omnium Theologorum ſenſu, & ex vigilanti omnium Fidelium ſollicitudine Orationem illam tum ſuæ, tum ſuorum memoriæ inculcandi.

Probatur 2. pars; quia gravem obligationem videntur inſinuare tum Innocent. III. cap. *Deus qui*: de Pœnit. & Remiſs. injungens Epiſcopo Livonienſi ut ſuos Orationem Dominicam ſollicitè edoceat; tum Auguſtinus ſerm. 265 aliàs 215. his verbis: *Symbolum vel Orationem Dominicam & ipſi tenete, & filiis veſtris oſtendite; nam neſcio, qua fronte ſe Chriſtianum dicat, qui paucos verſus in Symbolo vel Oratione Dominica parare diſſimulat*: tum etiam cognoſcendi ea, quæ à Deo petere & ſperare debeamus, ibidem contenta.

CONCLUSIO V.

TEnentur ſimiliter habere notitiam præceptorum Dei, & Eccleſiæ, ſicut & cujuslibet Sacramenti ſuſcepti aut ſuſcipiendi.

Ratio prioris eſt, quòd teneamur in illis præceptis contenta ſuo tempore adimplere; quis autem adimpleat ignoratum, niſi caſu fortuito?

Ratio poſterioris eſt, quòd prudenter agens ſcire debeat quid agat, aut quid agere teneatur. Præterea ignorans Sacramentum aliquod, etiam ignorat ordinariè quæ diſpoſitiones debeant ſuſceptionem illius præcedere, & quæ obligationes ſubſequantur. Ex dictis hac quæſtione

Reſol. 1. Strictam eſſe obligationen parentibur & Paſtoribus præfata ſubditis ſuis per ſe, vel per alios inculcandi.

Reſol. 2. Longè plura ſcire debere Paſtores & animarum Directores circa materiam Fidei, quàm alios Fideles; cùm dubia eorum & difficultates debeant reſolvere.

QUÆSTIO VI.

Qualiter ſe gerere debeat Confeſſarius cum ignorantibus Fidei Myſteria?

CONCLUSIO I.

UBi pœnitens ignorat aliquod Fidei myſterium neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medii, non poteſt abſolvi; imò ipſi injungenda eſt omnium Confeſſionum præteritarum repetitio.

Prob. 1. pars; quia eadem Fides requiritur ad Juſtificationem in Sacramento, ac ad juſtificationem extra Sacramentum: ergo cui deeſt Fides ſufficiens ad Juſtificationem poſteriorem, deeſt ad priorem: undè proſcripta eſt propoſitio ſequens ab Innoc. XI. *Abſolutionis capax eſt homo quantumvis laboret ignorantia myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem, neſciat myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis & Incarnationis* &c.

Prob. 2. pars; quia omnes Confeſſioner antecedentes fuerunt invalidæ defectu ſufficientis diſpoſitionis: & ideò ut obvietur omnibus illis inconvenientiis, tenentur Confeſſarii, ubi dubium occurrit, aut ſuſpicio fundata de pœnitentis ſui ignorantia in hac materia, vel quia rudis, vel quia ſalutis incurius, vel quia negligens in frequentandis Concionibus & Catechiſmis, tenentur, inquam, ipſos examinare; &, ſi ignorantes repererint, ipſos, donec inſtructi fuerint, remittere.

CONCLUSIO II.

SI pœnitens conſcius neceſſariorum neceſſitate medii, ignoret neceſſaria neceſſitate præcepti, vel omnia, vel aliqua, non poteſt abſolvi, niſi firmiter proponat ſatisfacturum ſe quamprimùm ſuæ obligationi.

Ratio eſt; quia vel ejus ignorantia fuit culpabilis, vel inculpabilis: ſi culpabilis, requiritur propoſitum emendæ: ſi inculpabilis, niſi jam proponat illam quantociùs depellere, fiet culpabilis, & ipſe abſolutionis incapax, imò etiam hic & nunc proponens ſe ſui inſtructionem curaturum, non eſt abſolvendus antequam de facto ſit inſtructus, ſi id aliquoties Confeſſariis promiſerit, nec tamen impleverit.

CONCLUSIO III.

DEcet Confeſſarios pœnitentes ignorantes edocere, ſi id poſſint breviter; alias non decet in Confeſſionali publicè expoſitos.

Prob. 1. pars Quia etſi ad id non teneantur ex Juſtitia, quando non ſunt Paſtores; charitas tamen Chriſtiana ipſos urget, præſertim dum advertunt pœnitentes grandiores non audere ex quodam rubore coram Parochis ideo comparere.

Probatio 2. pars; quia ubi multùm temporis requiritur, vel quia bardi ſunt pœnitentes, vel quia multa ignorant, ne ſint Confeſſarii aliis expectantibus gravamini, remittendi ſunt ad Paſtores aut præceptores ſi ſperetur ituros, vel certè ſunt extrà Confeſſionale edocendi; quia non eſt ibi locus Catechiſmorum, ubi res breviter & fructuosè non poteſt expediri: undè non ſatis prudenter agunt, qui in Confeſſionali pœnitentes rudes & ignaros variis interrogationibus torquent, repetitis turbant, ac ſæpè magis indiſpoſitos dimittunt.

Petes, an pœnitens ignorans vincibiliter hæc myſteria, peccet peccato ſpeciali?

Reſp. cum diſtinct. Vel enim ignorat ea, quæ tantùm ordinantur ad praxim, ut præcepta Eccleſiæ &c. & tunc non peccat peccato ſpeciali, ſed omnibus peccatis illis, quorum periculo ſe exponit propter ignorantiam, & quidem toties quoties advertenter inſtructionem ſuam negligit: ſaltem ubi prior negligendi voluntas fuit retractata, aut moraliter interrupta: vel ignorat ea quæ tantùm ordinantur ad Fidem; ſaltem proximè; & tunc eſt peccatum ſpeciale contra obligationem credendi. An autem ulterius violet aliud præceptum, quo tenetur quilibet ſcire quæ ſunt veri Chriſtiani, etiam antequam adveniat tempus credendi, aut præceptum implendi? probabilius eſt quod ſic, quia eo ipſo, quo quis ſtatum amplectitur, debet omnes ſtatus ſui obligationes cognoſcere, cui cognitioni opponitur ignorantia.

QUÆSTIO VII.

Quandonam obliget præceptum credendi?

SUppono præceptum credendi, utpotè affirmativum, non obligare pro ſemper, id eſt, omni vitæ inſtanti, quia licèt debeamus quodammodo credere ſemper hoc ſenſu quod debeamus ſemper eſſe in animo parati ad credendum, ſicut ad ſperandum & diligendum, ubi opus fuerit; non tamen ſemper actu credere, cùm actuum perpetuitas ſit impoſſibilis in tot hujus vitæ diſtractionibus, & ideo hic inquirimus quo tempore teneamur credere.

CONCLUSIO I.

TEnetur quilibet adeptus uſum rationis, actum Fidei elicere, ubi ſufficienter proponuntur ei credenda, & credendi motiva, & idem eſt de infideli adulto, qui necdum credidit.

Ratio eſt; quia tenemur quantocius medium ad ſalutem neceſſarium aſſumere, aliàs convinceremur velle ſalutem noſtram negligere; actum autem Fidei eſſe medium ad ſalutem abſolutè neceſſarium, antea diximus. Præterea tenemur tunc Deum, ubi nobis ſufficienter proponitur, ſupernaturaliter diligere: ergo & ſupernaturaliter cognoſcere, ut ſit proportio inter cognitionem & amorem. Accedit quòd actus ille aliquando obliget: ergo præſertim tum, cùm non poſſit aſſignari tempus convenientius, quàm initium vitæ rationalis: ſicut & *finis* ejuſdem in quo etiam obligat.

CONCLUSIO II.

TEnemur toties per accidens credere, quoties urget præceptum alicujus virtutis ponendæ, quam ſine Fide non poſſumus exercere; & idem eſt cùm ſubeſt periculum peccati, quod ſine Fidei exercitio non poſſumus ſubterfugere.

Ratio eſt; quia quoties debemus rem aliquam ponere, aut impedire, toties tenemur media, ſine quibus non poteſt poni aut impediri, ponere; aliàs eſſet obligatio, & non eſſet. Hinc

Reſol. 1. Eliciendum eſſe actum Fidei, ſaltem implicitum, ubi eliciendus eſt actus Spei aut Charitatis; undè Aug. cap. 7. Enchir. *Fides credit, Spes & Charitas orant, ſed ſine Fide eſſe non poſſunt*; quia niſi quis Deum credat; Deum ſperare aut diligere non poteſt. Idem eſt ubi tenetur quis ad Deum ſe convertere, gratiam amiſſam recuperare. Qui tamen in illis occaſionibus actum Fidei omitteret, non teneretur ſpecialiter id in confeſſione exprimere; cùm enim tunc præceptum Fidei non obliget per ſe & directè, ſed ſolùm ratione virtutum exercendarum, ſatis eſt dicere actum Spei, Charitatis, aut Contritionis fuiſſe omiſſum. Idem dic in ſequentibus.

Reſol. 2. Etiam neceſſariam eſſe Fidem, ſaltem implicitam, in ſu-

Digitized by Google

in ſuſceptione cujuslibet Sacramenti & præſertim Euchariſtiæ; eum ſola Fide cognoſcamus eſſe Sacramenta, imò ad Baptiſmum ab adulto recipiendum, crediderim requiri Fidem explicitam, licèt ſit antea juſtificatus; eo quod Baptiſmus ſit & dicatur ſpecialiter Sacramentum Fidei.

Reſol. 3. Etiam requiri actum Fidei expreſſum generoſum, ubi pulſat interius gravis tentatio contra Fidem, aut exterius Tyranni perſecutio, quia medium illud eſt ſuper omnia efficaciſſimum ad perſeverantem in Fide voluntatem.

Advertendum nos hic per actum Fidei implicitum intelligere actum, quo, antequam pœniteamus, Euchariſtiam adoremus &c. apprehendimus per Fidem objecta illarum virtutum, etſi non dicamus expreſsè: *Credo* &c.

CONCLUSIO III.

TEnemur aliquando credere ex ipſo Fidei præcepto, ita ut obligemur per ſe, & ratione propriæ virtutis. Patet ex condemnatione hujus propoſitionis ab Innocen. XI. *Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundùm ſe.*

Ratio eſt; quia aliàs obligatio eliciendi actum Fidei tantùm orietur ex præcepto aliarum virtutum ad quas neceſſarius eſſet actus Fidei, v. g. ratione Pœnitentiæ, & non ex præcepto Fidei; cùm tamen non dixerit Chriſtus: *Qui non crediderit, ubi pœnitendum eſt, ſperandum &c. condemnabitur*, ſed ſimpliciter *qui non crediderit* Pauci huic reſolutioni, quam credo de Fide, contradicunt; ſed quantum ad tempus quo ſit credendum, variant mirabiliter DD. alii volunt ſufficere ſemel in vita, quorum oninionem condemnavit Innocent. XI. proſcribens hanc propoſitionem: *Satis eſt actum Fidei ſemel in vita elicere.* Item hanc: *ſufficit illa myſteria* nempè Trinitatis & Incarnationis, *ſemel credidiſſe*. Alii docent bis aut ter tempore vitæ: Alii ſemel in anno, eò quòd præcepta Confeſſionis & Communionis à Chriſto indeterminata, ſicut Fidei præceptum, obligent ſingulis annis ex determinatione Eccleſiæ. Alii ſingulis menſibus, ſingulis ſeptimanis. Putem ego, ſalvo meliori judicio, requiri & ſufficere ſi actus ille (intellige de omnibus revelatis in genere) eliciatur in majoribus Feſtis Domini Sabaoth, aut circa illa tempora: hocque videtur inſinuare Eccleſia, dum tanto apparatu ſolemnizat illa Fidei noſtræ myſteria; ſufficere autem colligimus ex Fidelium, imò Confeſſariorum timoratorum praxi, qui contenti ſunt à Fidelibus illo tempore ad Confeſſionem accedentibus, actus Fidei, Spei, & Charitatis explicitos exigere. Fatendum tamen magnam eſſe circa obligationem actuum illorum eliciendorum ignorantiam, ideo inſtruendi ſunt pœnitentes, imo ipſis inculcandum eſt, ut piam Doctoris Subtilis admonitionem ſequantur, ſingulis Dominicis credendo, ſperando, & diligendo.

DISPUTATIO IV.

De Actu Fidei externo, & peccatis Fidei oppoſitis.

OCcurrit dicendum in hac Diſput. De profeſſione Fidei, de Hæreſi, de infidelitate, de librorum prohibitorum lectione, quibus intermiſcebuntur plurimi caſus neceſſarii, ſingulis materiis adaptati.

QUÆSTIO I.

Quandonam obliget externa Fidei profeſſio?

DUplex circa Fidei profeſſionem externam datur præceptum; affirmativum unum, quo tenemur quandoque exteriùs Fidem profiteri: negativum alterum, quo prohibemur illam negare verbis, ſignis, factis, ſilentio, tergiverſatione, aut aliis quibuſcumque modis, ſive implicitè, ſive explicitè.

CONCLUSIO I.

NUllo unquam caſu, adeoque nec mortis vitandæ cauſa, licet Fidem negare, aut id exterius agere, ex quo credi-tur negata Fides. Eſt contra Gnoſticos, & Priſcillianiſtas, qui docebant id licitum, modò interius ſervaretur Fides.

Prob. 1. Concluſio ex Script. Luc. 9. *Qui me erubuerit & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet*: & Matth. 10. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo, & ego eum coram Patre meo.* Idem habetur Marc. 8.

Prob. 2. Ex factis Martyrum, à quibus nulla dignitatum aut divitiarum promiſſio, nulla Tyrannorum rabies, nulla tormentorum vis potuit quidquam Fidei contrarium extorquere.

Prob. 3. Ratione; quia Fidem negare eſt Deum mendacem facere, quod ipſi utpotè primæ veritati, ſummè injurioſum eſt, adeoque intrinſecè malum.

Dices 1. Cum Gnoſticis: Deus humanum ſanguinem non flagitat, qui nunc Taurorum & hircorum ſanguinem recuſat, imo qui occiſus eſt, ne occideremur: ergo non vult ut potius moriamur, quàm Fidem negemus.

Reſp. Deum nec ſanguinem noſtrum velle, nec ipſe indigere, ſed vult ut potius mortem ſubeamus, quàm quæ omninò intrinſecè mala ſunt, faciamus, cum non poſſit ipſemet ab ipſis malitiam auferre.

Dices 2. 1. Corinth. 9. de ſeipſo dicit Apoſt. *Factus ſum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer*: atqui ſe Judæum facere, eſt Fidem Chriſtianam negare: ergo.

Reſp. D. Paulum omnibus omnia factum ad animarum ſalutem, ſe Judæum feciſſe, non confitendo legalia tanquam neceſſaria, aut illis tanquam neceſſariis Fidem adhibendo, ſed quia necdum erant mortifera, illis tanquam rebus indifferentibus utendo, ne Judæi ſcandalizarentur, faciliuſque Chriſti Fidem amplecterentur.

Dices 3. Jehu 4. Reg. 10. ſe ſimulavit cultorem Baal, ut ejus cultores cognoſceret & interficeret, & tamen laudatur à Domino.

Reſp. Quòd etſi Rex ille benè egerit delendo domum Achab, & idololatras, propter quod laudatur à Domino, erraverit tamen adhibendo medium illud ſeu ſimulationem præfatam ad ipſos delendos: unde ſcribit Auguſtin lib. contra mendacium cap. 2. Jehu *mendacio impio & ſacrificio ſacrilego occidendos impios & ſacrilegos* inquiſiviſſe; idemque paſſim ſentiunt Patres. Jehu quidem ſimulationem nobis in exemplum proponit Hieronymus in cap. 2. ad Gal. v. 11. Sed minus benè ſentit, vel certè tantùm vult licere aliquando diſſimulare, ubi inde nullum ſequitur ſcandalum aut Fidei exteriùs abnegandæ periculum.

Dices 4. Petiit Naaman Syrus ab Eliſæo 4. Reg 5. an, Rege adorante in Templo Remmon, poſſet cum ipſo adorare: cui reſpondit Propheta; *Vade in pace*; Ergo conceſſit ei Idolum adorare, quod eſt Fidem negare.

Reſp. 1. Etſi Naaman uſus ſit verbo *adorare*, nihil aliud tamen petebat, niſi, an ſibi liceret (cum Rex adoraret in templo) genua flectere eum Rege flectente, & hoc non cultus idoli cauſà, ſed obſequii gratia, ipſum ſuſtentando genuflectentem, quod erat tantùm miniſterium civile, quod Regi præſtabat, tum in templo, tum extra: & hoc licitum eſſe videtur inſinuare Tertull. lib. De Idololatria cap. 16. *Si propter ſacrificium*, inquit, *vocatus aſſiſtam, ero particeps Idololatriæ; ſi me alia cauſa conjungit ſacrificanti, ero tantùm ſpectator ſacrificii.*

Reſp. 2. Actionem de qua dubitabat Naaman, fuiſſe malam: dixit autem ei Eliſæus: *Vade in pace*, actionem nec approbando, nec improbando; quia fortè prævidebat, quod equidem non abſtineret, ſicque magis gravaretur ejus conſcientia, ſi illicitam diceret.

Reſp. 3. Et probabiliùs ſciviſſe Naaman actionem ſuam eſſe illicitam, nec petiiſſe, an ſibi liceret, ſed ut, caſu quo illam adhuc faceret, oraret Eliſæus, ut Deus ignoſceret: cui reſpondit Propheta: *Vade in pace*, quaſi diceret: orabo caſu quo labaris. Legatur textus & idipſum præfert ad litteram. Ex dictis

Reſol. 1. Peccare graviter, Idolo thus adolentem, etſi interiùs Idolum deſpiciat, fidemque Catholicam proteſtetur. Ratio eſt; quia exteriùs eſt vera Fidei abnegatio: nam Idoli cultus eſt proteſtatio falſæ Religionis, adeoque abnegatio veræ, cum ſit unica.

Reſol. 2. Idem eſſe de eo, qui adorationem facit coram Idolo, illam dirigens ad Crucifixum occultum; quia equidem in illis circumſtantiis creditur communiter adoratio Idoli.

Reſol. 3. Etiam reum eſſe, propter eandem rationem, comedentem Idolothyta, id eſt, Idolis immolata, ſi per hoc Idolum colat, aut colere credatur: aliud eſſet, ſi id faceret ſecluſo ſcandalo ad famem ſedandam, cùm nihil ibi appareat inordinatum. Dixit quidem Apoſtolus de illis 1. ad Corinth. 10. *Nolite manducare*, ſed ne proximum ſcandalizemus, ut declarat textus, imò comeſtionem illam eſſe licitam, ſecluſo ſcandalo, expreſſè declarat cap. 8. Cui non eſt contrarius Auguſtinus cap. 16. De Bono conjugali, & Epiſt. 47. aliàs 54. Cùm ſit intelligendus ubi ſubeſt ſcandalum, aut periculum ſcandali, ſicut intellexit Apoſtolus cap. 8. Cui vult S. Doctor epiſt. cit. eſſe adhærendum in materia eſcarum, ſicut in omnibus aliis.

Reſol. 4. Similiter maximè culpabilem eſſe veſcentem carni-

Digitized by Google

carnibus die veneris, ubi comeſtio illa habetur communiter tanquam proteſtatio hæreſis; cùm hæreſim proteſtari exterius, ſit exterius Fidem negare. Imò idem videtur ſi id fiat aut petatur in contemptum aut deriſionem Catholicæ Religionis. Non eſſet tamen hæreſis externa, imò neque peccatum, ſecluſis prætatis circumſtantiis, veſci illo die carnibus, etiam inter hæreticos, ad vitandam mortem, aut aliud grave malum, quia tunc non obligat Eccleſiæ præceptum, cumque ſciant, aut ſcire poſſint adſtantes hæretici non prohiberi eſum carnium ab Eccleſia, ubi inde mors imminet, imprudenter judicaretur comedens, eſſe hæreticus.

Reſol. 5. Hæreſim externam committere utentes ſignis aut factis ex uſu univerſali falſæ ſectæ proteſtativis, etiamſi ſi id ſolùm faciant ad Fidei occultationem. Ratio eſt; quia cum per intentionem ſuam non poſſint mutare rerum ſignificationes, cenſetur uſus ille implicita Fidei negatio: unde in illud crimen incidiſſet, qui tempore Geuſiorum in bello graſſantium tuliſſet ſcutellas ligneas, quia ſignum erat diſtinctivum hæreticorum à Catholicis.

Reſol. 6 Idem eſſe de ferentibus veſtem, quæ ex uſu communi certam Religionem falſam denotat, ita ut omnes videntes credant taliter veſtitum, eſſe illius Religionis. Ratio eſt; quia eſt externa illius ſectæ profeſſio: & certè ſi uſus invaluiſſet ut qui diceret: *Petrus*, profiteretur Calviniſmum, deliberata illius vocis prolatio eſſet Calviniſmi profeſſio: ergo ubi veſtis ex uſu univerſali denotat certam ſectam, illius geſtatio eſt profeſſio illius ſectæ. Aliud eſſet ſi ſolam nationem deſignaret, v. g. quòd quis eſſet incola Hollandiæ, Angliæ, Turciæ &c. quia tunc non eſt Fidei abnegatio, ſed occultatio, quod ex juſta cauſa licitum eſt: undè veſtem illam geſtantes nolumus aliis cognitionem ingerere, quòd non ſimus Catholici, ſed aliorum cogitationes divertere ne reflectant, quòd ſimus Catholici, Poterunt quidem aliqui ſuſpicari, quòd ſimus infideles, ſed poſſumus ex gravi cauſa illorum ſuſpiciones permittere.

Reſol. 7. Aſſiſtentem præcisè hæreticorum concionibus aut cœnæ, per ſe loquendo, non peccare graviter, quia non eſt ibi hæreſis profeſſio: nam ſicut hæreticus aſſiſtens concionibus aut Cœremoniis noſtris, non cenſetur propterea Catholicus, ita nec hæreticus cenſendus eſt aſſiſtens eorum concionibus aut Cœremoniis. Aliud eſſet, ſi quis cum ipſis Cœnæ participaret, in Templo Pſalmos decantaret, aut ipſis pſallentibus Organa tangeret, quia actiones illæ cenſentur publica talis ſectæ profeſſio.

Dixi: *per ſe loquendo*; ubi enim eſſet periculum ſcandali, aut ſubverſionis, ſicut in rudibus, & infirmis in Fide, eſſet grave peccatum, non quidem abnegationis Fidei, ſed ejuſdem abnegandæ periculi. Poſſunt tamen Docti, etiam ſine peccato, concionibus illis adeſſe, ſi id faciant erroris confutandi gratia: ſi autem ob curioſitatem, levem culpam incurrunt.

Reſol. 8. Negantem ſe Sacerdotem, aut Religioſum coram hæreticis, non eſſe reum peccati mortalis. Aliud eſſet, ſi ſe negaret Catholicum, aut Papiſtam, ubi per *Papiſtam* intelligitur Papæ ſubditus Ratio eſt, quia in primo caſu eſt denegatio Sacerdotii, aut Monachatus, non Fidei, & ideo tantùm eſt mendacium: in ſecundo autem, expreſſa Fidei abnegatio.

Reſol. 9 Non peccare contra concluſionem noſtram, qui verſantes inter hæreticos, Matrimonium civiliter contrahunt coram Magiſtratu, aut Miniſtro hæretico tanquam teſtibus contractus civilis, quia nihil ibi apparet Fidei repugnans: implicitè tamen Fidem negarent, ſi Miniſter hæreticus adeſſet ut Miniſter, Matrimonium benedicens, aut alias falſæ Religionis cœremonias adhibens; quia tunc Religio illa tacitè approbatur.

Reſol. 10. Catholicos habitantes permixtim cum hæreticis, ut in Hollandia, poſſe ſine ulla Fidei abnegatione, adeſſe hæreticorum funeralibus, tanquam actioni profanæ, modò ſufficienter oſtendant ſe nullatenùs eorum precibus, aut cœremoniis participare; quia tunc cenſetur tantum aſſiſtentia civilis & politica, ubi tamen aſſiſtentia illa eſſet nota Religionis falſæ, omninò abſtinendum eſſet, propter ſuperius dicta.

CONCLUSIO II.

TEnemur aliquando Fidem exterius profiteri; ac præſertim duobus caſibus: 1. Quando magnus Dei honor, aut injuria à Deo avertenda id exigit, ratione naturali id nobis dictante: 2. Quando magna indè proximo utilitas, aut pernicies ſpiritualis eveniret; quia ſi aliquando urgeat Charitatis actus erga proximum, maximè tunc. Hinc

Reſol. 1. Interrogatum ab eo, qui publica authoritate fungitur, teneri Fidem confiteri, etſi confitenti mors immineat, quia ex illa confeſſione magnus Dei, & Fidei noſtræ honor redundat: cenſereturque Chriſtum erubeſcere, qui tunc ipſius nomen & Fidem taceret: undè hanc propoſitionem damnavit Innocentius XI. *Si à Poteſtate publica quis interrogetur, Fidem ingenuè confiteri, ut Deo & fidei glorioſum conſulo; tacere, ut peccaminoſum per ſe non damno.* Non tenemur quidem, quia interrogat Tyrannus, cùm non habeat jus, ſed tenemur quia ipſi interroganti reſpondere nos jubet Chriſtus.

Reſol. 2. Non eſſe licitum tali caſu uti verbis ambiguis, cùm ſit Chriſtum erubeſcere, ubi urget confitendi præceptum ex communi Martyrum & Eccleſiæ ſenſu: unde Ambroſ. lib. 10. in cap. 22 Lucæ de negatione Petri. *Non ſatis eſt involuta reſponſio confitentis Jeſum, ſed aperta confeſſio. Quid prodeſt verba involvere, ſi videri vis denegaſſe?* non condemnarem tamen illo caſu dicentem Tyranno: *Non reſpondeo, quia nullum jus habes me interrogandi*, quia cenſetur implicita Fidei confeſſio. Intellige quando nullum inde ſequeretur divini honoris detrimentum, aut proximi ſcandalum.

Reſol. 3. Per ſe loquendo, non peccare tacentem, ſi interrogetur à privato; quia tunc non ſubtrahitur Deo tantus honor: unde Chriſti præceptum illo caſu non obligare, perſuaſio eſt Eccleſiæ.

Dixi: *per ſe loquendo;* quia aliud eſſet, ſi id requireret proximi ſalus, aut magnum Fidei bonum.

Reſol. 4 Videntem conculcari Crucifixum, aut Sanctorum imagines, Chriſtum, aut ejus Fidem contemni, teneri ad Fidei confeſſionem & probationem, ſi per hoc prævideat abominationes illas eſſe impediendas, cùm ſit magnam injuriam à Deo avertere.

Reſol. 5. Fugientem perſecutiones antequam à Poteſtate publica interrogetur, non cenſeri hoc præceptum violare, nec à fortiori Fidem negare: cùm fuga illo caſu ſit implicita Fidei confeſſio: ſi enim infidelis eſſet, bona, patriam, amicos, parentes non relinqueret: unde idipſum non tantùm docuit Chriſtus Matth. 10. dicens: *Cùm perſequentur vos in Civitate iſta, fugite in aliam;* ſed etiam ipſemet practicavit fugiens Herodis, & Judæorum, ipſum lapidare volentium, perſecutionem; quem imitati ſunt inter plures alios Athanaſius, imò & Apoſtolus, ideo in ſporta dimiſſus. Non poſſent tamen fugere Epiſcopi aut Paſtores, ubi eorum præſentia eſſet ovibus paſcendis, aut in fide confirmandis neceſſaria, etiamſi mors ipſis immineret; quia *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis*. Joan. 10. Nec diffidere debent de perſeverantia, (ſicut facere debet privatus, dum non ſentit ſe ſpecialiter confirmatum) quia ſi antea ſe precibus, & Sacramentis munierint, confidere poſſunt à Chriſto, pro cujus nomine, gloria, honore, & ovibus ſe morti exponunt, non eſſe deſerendos.

Reſol. 6. Ubi Rex hæreticus præciperet, ſicut olim *fecit* Rex Angliæ, ut omnes hæreticorum Templa adirent, ibique concionibus & precibus intereſſent, & hoc ad dignoſcendos ab hæreticis Catholicos; teneri fideles illo caſu Fidei profeſſionem implicitam facere fugiendo, ſeu Templa hæreticorum vitando, cùm illa obligatio ſit implicita Fidei interrogatio publica. Et ità reſpondit Paulus V. Anglorum interrogationi.

Reſol. 7. Obligationem eſſe Fidei profitendæ, ubi per hoc Infidelis eſſet ad Fidem convertendus, aut fidelis in Fide confirmandus, ſi aliàs credatur depravandus ab Hæreticis.

Ratio eſt; quia unicuique mandavit Deus de proximo, præſertim ignoranti: unde Auguſt. lib. de Fide & Symbolo c. 1. *Salvi fieri non poſſumus, niſi & nos ad proximorum ſalutem nitentes etiam ore profiteamur Fidem, quam corde geſtamus*.

QUÆSTIO II.

Quid Infidelitas, quotuplex, an ſit peccatum? &c.

CONCLUSIO I.

SIcut tripliciter poteſt ſumi Infidelitas, ità triplicem damus definitionem. 1. Sumitur *negativè*, & eſt carentia Fidei tam actualis, quàm habitualis in eo, qui nihil de Fide audire potuit. 2. *Privativè*, eſtque carentia Fidei in eo, qui illam ſufficienter audivit, aut audire potuit. 3. *Poſitivè*, & eſt error Fidei contrarius in eo, cui Fides fuit propoſita, aut fuiſſet propoſita, ſi quod ſuum erat, feciſſet.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO II.

S Thomas a. 2. q. 10. art. 5. dividit Infidelitatem poſitivam in Paganiſmum, Judaiſmum, & Hæreſim, *Paganiſmus* eſt Infidelitas eorum, qui, rejecto veteri & novo Teſtamento, nullum Redemptorem agnoſcunt aut veniſſe, aut venturum. Dictus eſt *Paganiſmus* à Paganis, ſeu ab iis, qui tempore Conſtantini Magni nolentes Baptiſmum recipere, non admittebantur ad militiam, ſed tenebantur remanere in ſuis Pagis: unde Pagani dicti ſunt.

Judaiſmus, eſt Infidelitas eorum, qui, admiſſo Teſtamento veteri, & rejecto novo, credunt aliquem Meſſiam & Redemptorem venturum, non tamen veniſſe.

Hæreſis eſt Infidelitas eorum, qui, admiſſo utroque Teſtamento, ſaltem quoad majorem partem, credenteſque Redemptorem veniſſe, negant tamen aliquas Fidei veritates. Ex dictis

Reſol. 1. Hanc tamen diviſionem ſupponere Chriſti adventum: nam ante illum erant Paganiſmus, qui dicebatur Gentiliſmus, & Hæreſis: nam tunc Judaiſmus erat vera Religio, ſicut nunc Chriſtianiſmus. Hæreſis autem quæ graſſabatur erat eorum, qui Religionem Judaicam profitentes, in aliquibus taoen deficiebant, ut Sadducæi &c.

Reſol. 2. Sive quis Deum agnoſcat, ſive non, ſive verum, ſive falſum, ſi abſolutè Redemptorem rejiciat & Scripturas, dici Paganum.

Reſol. 3. Mahumetiſmum ad Paganiſmum reduci; quia licèt Mahumetani Chriſtum credant ut Prophetam, non tamen ut Redemptorem. Varias quidem Scripturæ veritates admittunt, ratione quarum eorum Religio dicitur ex Judaiſmo & Chriſtianiſmo mixta ex parte materiæ, quia tamen illas credunt, non ut à Deo revelatas, ſed ut à Mahumeto doctas & approbatas, quoad modum declinandi à Fide non differunt à Paganis.

Reſol. 4. Baptizatum, qui Scripturam & Redemptorem rejiceret, fore in rigore Paganum, licèt per Paganum intelligatur communiter non baptizatus, qui præfata rejicit.

Petes: qui pejor ſit, cæteris paribus, an Hæreticus, an Judæus, an Paganus?

Reſp. Quoad extenſionem pejorem eſſe Paganum, cùm rejiciat utrumque Teſtamentum, Judæus novum, & Hæreticus tantum aliquam partem unius aut alterius: quoad malitiam tamen pejor eſt Hæreticus; quandoquidem credenda, & credendi motiva ſint ipſi longè notiora.

CONCLUSIO III.

PEccatum eſt infidelitas privativa aut poſitiva, non ſic negativa.

Prima pars eſt certa: *Qui non crediderit*, nempe ea quæ audivit aut audire potuit, & à fortiori qui contrarium tenuerit, *condemnabitur*: nullus autem condemnatur, niſi propter peccatum.

Prob. 2. Pars 1. Ex Script. Joan. 15. *Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent, nempe incredulitatis, ut explicat Auguſt.* Tract. 89. & 91. in Joan. 2. Ex condemnatione hujus propoſitionis à Pio V. & Greg. XIII. *Infidelitas negativa in his, quibus non eſt prædicatus Chriſtus, peccatum eſt.* 3. Ratione: quia ſupponitur eſſe hic ignoraotiam omnino invincibilem, adeoque involuntariam. Ergo nullo modo peccatum: nam *Uſque adeo peccatum voluntarium malum eſt*, ait Aug. lib. 1. Retract. cap 13. *ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium*, Hinc

Reſol. Pſalmiſtam dicentem Pſal. 78. *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt*, loqui de ignorantia poſitiva aut privativa, ſeu de iis, qui aut Deum falſum agnoſcunt, aut verum ſcire negligunt.

CONCLUSIO IV.

OMnia opera infidelium ſunt peccata, ſi referantur ad infidelitatem, aliàs non.

Prob. 1. Pars. Quia omnis actio, licèt ex ſe maximè virtuoſa; ſit mala eo ipſo, quo ad finem malum infertur, eò quòd ejus malitiam imbibat, ut dicitur de actibus humanis; unde D. Thom. Lect. 3. in cap. 14. ad Rom. in fine: *Cùm homo infidelis aliquid agit ex eo, quod infidelis eſt, manifeſtum eſt, quod peccat.* Et paulò inferiùs: *Si Paganus ad honorem ſuorum Deorum virginitatem ſervet, vel eleemoſynam det, hoc ipſo peccat.*

Prob. 2. pars; Quia non eſt unde peccent, ſi ex miſericordia dent eleemoſynam, ſi ex pietate honorent Parentes, ſi ex Caſtitate ſe contineant; cùm illa opera ſint in ſe bona, habeantque finem bonum, nempe exercitium virtutis: unde à Pio V. & Gregorio XIII. damnata eſt hæc propoſitio: *Omnia opera infidelium ſunt peccata*: à qua condemnatione difficulter ſe expedient, qui omnia opera in Deum referenda eſſe ſuſtinent: nam ſi Infidelis Deum verum non agnoſcat, quomodo actiones ſuas in ipſum referet? dicunt quidem eorum opera bona remanere bona ex officio, quia defectus relationis in Deum non vitiat opus, ſed operantem: ſed ſubterfugium illud, inferiùs, agendo de Charitate, refutabimus.

Dices: Auguſtinus lib. 4. contra Julian. cap. 3. circa med. dicit virtutes in homine veri Dei neſcio, potiùs eſſe vitia, quàm virtutes.

Reſp. Sic loqui, non quia Infidelium virtutes credat eſſe malas, cùm ibidem vocet illas dona Dei; ſed quia verum Deum ignorans, ſæpè illis malè utitur, agendo, vel propter Deum falſum, vel propter vanam gloriam.

QUÆSTIO III.

Quid dicendum de Hæreſi?

CONCLUSIO I.

HÆreſis eſt error pertinax contra Fidem in homine Chriſtiano: unde tria requiruntur ad Hæreſim.

1. Ex parte intellectus requiritur *judicium erroneum*, vel quo judicatur aliquod Fidei dogma eſſe falſum, ut ſi credatur, Chriſtum non eſſe in Euchariſtia; vel quo judicatur eſſe incertum; quia etiam poſitivè dubitans, an articulus ab Eccleſia propoſitus ſit certus necne. Hæreticus eſt, cùm ſit de fide articulos ab Eccleſia propoſitos eſſe omnino certos: unde dubitantes an anima rationalis ſit forma corporis humani, verè ac per ſe dicuntur Hæretici. Clem. 1. de Summa Trinitate §. *Porrò*.

Dixi: *Dubitans poſitivè*; quia ſi quis valde breviter abſque periculo judicii, apprehenderet articulum ut incertum, non eſſet condemnandus hæreſeos, licèt ſit periculoſum. Sed quid ſi credat aliquis Chriſtum eſſe in Euchariſtia, falsò exiſtimans contrarium eſſe definitum ab Eccleſia? Hæreticus eſt, non ratione propoſitionis cui aſſentitur, cùm ſit vera, ſed quia putat Eccleſiam definiendo poſſe falli.

2. Requiritur ex parte voluntatis *Pertinacia* conſiſtens in hoc, quòd quis ſit actualiter paratus errori ſuo adhærere, etſi ſciret contrarium eſſe ab Eccleſia definitum, aut definiendum, ſive interim diu, ſive parum perſeveret in ſua opinione cum tali adverteotia, quanquam non adverteret ſe errare. Ex quo ſequitur è contra non eſſe Hæreticum, qui licèt adhæreat opinioni falſæ & hæreticæ, paratus eſt tamen corrigi & opinionem mutare, ubi contrarium invenerit aut advertit tanquam de Fide. Unde dicitur 24. q. 3. can. 29. *Qui ſententiam ſuam quamvis falſam & perverſam nulla pertinaci animoſitate defendunt .... quærunt autem cauta ſolicitudine veritatem, corrigi parati cùm invenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos computandi*. Et ideo excuſat Auguſtinus Epiſt. 48. ad Vincent. poſt med. Cyprianum tenentem rebaptizaodos eſſe ab hæreticis baptizatos.

Quæri poteſt hic, an ignorans vincibiliter Eccleſiæ definitionem circa articulum, cui diſſentitur, ſit hæreticus?

Reſp. neg. Si ignorantia illa procedat ex pigritia & incuria inquirendi ſuas obligationes, & non ex affectu liberiùs errandi in materiis Fidei.

Ratio eſt; quia talis eſt negligens & non pertinax, cùm ſupponatur ità in animo diſpoſitus, ut ſi ſciret aſſenſum ſuum repugnare Eccleſiæ definitioni, contrarium teneret, licèt hic & nunc ex quodam torpore negligat inquirere. Unde talis peccat contra virtutem ſtudioſitatis dictantis ſibi comparandam eſſe ſuo tempore articulorum Fdei communiorum cognitionem. Imò & affectu peccabit peccato omiſſionis Fidei exercendæ, ſi ideo ſe exponat periculo non eliciendi ſuo tempore actus Fidei neceſſarios: non peccabit tamen peccato hæreſeos, cùm non erret pertinaciter, nec ſe exponat taliter errandi periculo, quod eſt eſſentiale Hæreſi.

3. Requiritur ex parte ſubjecti *Baptiſmus & Fidei Chriſtianæ profeſſio*, ut diſtinguatur Hæreticus à Pagano & Judæo.

CONCLUSIO II.

TRiplex eſt Hæreſis interna tantùm, externa tantùm, interna & externa ſimul. 1. Abſolvitur in mente. 2. apparet in verbo & ſigno exteriore. 3. complectitur utrumque. Primæ non annectuntur pœnæ Eccleſiaſticæ, quia de internis non judicat Eccleſia, & ideo poteſt Hæreticus mentalis, utpote excommunicationis vinculo non ligatus, abſolvi à quolibet Confeſſario approbato. Secundæ nec annectuntur in foro conſcientiæ, cùm non ſit vera hæreſis, licèt ſit peccatum ad illam reducibile; annectuntur tamen in foro exteriori, quia de externis judicat Eccleſia; & ideo debet Hæreticus externus tantum, eodem modo ſe gerere exterius, ac ſi excommunicationem & alias pœnas incurriſset. Tertiæ denique annexæ ſunt in foro interiori, & exteriori, omnes pœnæ contra Hæreticos ab Eccleſia inflictæ aut infligendæ, cum ſit hæreſis ſimpliciter dicta.

Porrò pœnæ Eccleſiaſticæ contrà Hæreticos ſunt 1. Excommunicatio major latæ ſententiæ, quæ etiam afficit credentes Hæreticorum doctrinæ, etſi ignorent in particulari quid teneant Hæretici: defendentes quolibet modo, ſi defenſio conferat ad fovendam Hæreſim: Occultantes Hæreticos, ne innoteſcant Fidei Inquiſitoribus; Receptantes, ut mortifera hæreſis ſuæ zizania diſseminent. Fautores qui ex officio Hæreticos punire aut declarare obligati, id tamen negligunt. Denique eos, qui Hæreticorum fugam facilitant, quibuſcunqne mediis utantur.

2. Irregularitas. 3. Privatio dignitatum & Beneficiorum Eccleſiaſticorum: non tenetur tamen quis illa dimittere ante ſententiam judicis, licèt ipſo facto privetur titulo & jure Beneficii. 4 Inhabilitas ad Beneficia obtinenda, quæ etiam afficit filios hæreticorum uſque ad ſecundam Generationem. 5. Privatio poteſtatis ſpiritualis Ordinis quidem, ut illa licitè utantur; Juriſdictionis verò, ut illam perdant; ſi ſaltem ſint nominatim excommunicati 6. Privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, ſi in hæreſi manifeſta moriantur. Majorem horum explicationem vide apud Authores.

Pœnæ etiam civiles ſtatuuntur contra hæreticos. 1. Infamia juris poſt ſententiam criminis declarativam. 2. Confiſcatio bonorum omnium. 3. Inhabilitas ad officia publica, ut Advocati, Conſiliarii, Tabellionis, &c. & privatio eorundem, ſi illa obtinuerint. 4. Mors diverſimodè infligenda, ſecundùm Provinciarum diverſitatem, ſaltem ſi ſint relapſi, aut dogmatizantes, aut incorrigibiles, & ideo tradit illos Eccleſia brachio ſæculari.

Advertendum hic, cùm externa hæreſis ſit duplex, una occulta, quando quis ſolus, aut coram paucis hæreſim ſuam exterius prodit: altera manifeſta, quando id fit coram pluribus, aut coram illis, à quibus eſt publicanda, pœnam quidem excommunicationis & irregularitatis in utroque caſu incurri, non tamen alias pœnas, quæ requirunt ſententiam aut declaratoriam, aut condemnatoriam, niſi hæreſis ſit manifeſta, ut per ſe patet. Ut autem ſit manifeſta, tria requiruntur. 1. Ut voce aut ſigno quolibet exteriori verè pateat: & ideò non eſt hæreticus externus, qui hæreſim ſuam cogitans, dicit exterius: *ita eſt nunquam aliter ſentiam*, aut quid ſimile; quia verba illa ſunt indifferentia ad ſignificandam hæreſim, aut quid aliud: & idem eſt de eo, qui rejiciens in corde cultum ſacrarum Imaginum, eas exterius non veneratur detectione capitis &c. quia talis dejectus non denotat per ſe hæreſim. 2. Debet ſignum externum hæreſis manifeſtativum procedere ab hæreſi interna: unde non eſt hæreticus externus proferens in ſomno, amentia, aut ebrietate hæreſim ſuam internam, niſi ſaltem ante ebrietatem id prævidiſſet. 3. Ut actio hæreſis manifeſtativa ſit peccatum, nam qui conſilium, auxilium, aut inſtructionem ab altero petit, hæreſis abjiciendæ cauſa, non eſt hæreticus externus, ſi hæreſim manifeſtet.

QUÆSTIO IV.

Si variæ quæſtiunculæ de Hæreſi, ubi etiam de lectione librorum prohibitorum.

PEtes 1. Quis poſſit abſolvere ab hæreſi externa?

Reſp. Solum Papam, ſi Hæreſis ſit manifeſta: patet ex Bulla cœnæ. Si autem ſit occulta, poſſunt Epiſcopi, ut declarat Trid. Seſſ. 24 cap. 6. de Reform. Ex conceſſione tamen ſpeciali: data ad inſtantiam Philippi II. Hiſpaniarum Regis à Gregorio XIII. poſſunt omnes Belgii Epiſcopi, & Sacerdotes ab ipſis delegati ab hæreſi manifeſta, & aliis caſibus in Bulla Cœnæ contentis abſolvere. Ex quo habes Bullam illam hic eſſe in vigore; aliàs fruſtranea fuiſſet Regis petitio, & Papæ conceſſio.

Petes 2. In quo differat Hæreticus ab Apoſtata;

Reſp. In hoc quòd primus erret in uno aut in altero puncto, & ſecundus totam Fidem abjiciat: quamvis jam uſus invaluerit, ut Catholicus amplectens Lutheraniſmum, aut ſectam ſimilem, dicatur Apoſtata.

Petes 3. An lapſo in hæreſim ſufficiat confiteri hæreſim in genere?

Reſp. neg. Licèt omnes hæreſes in hoc conveniant, quod injuriam faciant Divinæ Authoritati, una tamen ratione objecti eſt gravior altera, cùm pejus ſit negare Chriſti Incarnationem, quàm Confirmationem eſſe Sacramentum: & ideò ſi plurium hæreſum ſit culpabilis, debet ſingulas ſpeciatim exprimere, v. g. dicendo, ſe fuiſſe ſecutum errores Calvini, aut Lutheri &c.

Petes 4. An fictè aut invalidè baptizatus, ſit hæreticus, ubi Fidem deſereret?

Reſp. Quamdiu de Baptiſmi fictione aut invaliditate non conſtat, talem haberi ab Eccleſia, licèt in rigore non ſit, defectu Baptiſmi.

Petes 5. Quæ ſint notæ, quibus qualificantur propoſitiones Fidei; aut bonis moribus non ſatis conformes?

Reſp. Solere notari una, aut pluribus ex jam allegandis cenſuris. 1. Aliquando propoſitio dicitur *Hæretica*, & eſt illa cujus contradictoria eſt de fide. 2. *Hæreſim ſapiens*, cujus verba dant occaſionem credendi probabiliter latere hæreſim, ſaltem materialem, in mente Authoris, quod ſi tantum ingerant ſuſpicionem dicitur *Suſpecta de hæreſi*. 3. *Erronea*, cujus contradictoria eſt concluſio Theologica ſeu deducta ex una præmiſſa revelata, & altera evidenter vera. 4. *Male ſonans*, quæ in ſenſu magis obvio eſt hæretica, licèt in alio, etiam proprio, ſit Catholica. 5. *Schiſmatica*, quæ poteſt excitare diviſionem in Eccleſia. 6 *Scandaloſa*, quæ dat cauſam errandi in materia Fidei aut morum. 7 *Temeraria*, quæ ſine fundamento contrariatur communi Theologorum ſententiæ. 8. *Piarum aurium offenſiva*, quæ præfert aliquid indecorum in materia Religionis. 9. *Impia* quæ adverſatur pietati. 10. *Blaſphemia*, quæ eſt Deo aut Chriſti humanitati, aut Beatæ Virgini, aut Sanctis injurioſa.

Aliæ cenſuræ ſunt, ut quòd propoſitio ſit *vana*, *arrogans*, *ſtulta*, *ſuperſtitioſa*, *injurioſa*, *improbabilis*, *infundata*, *&c.* ſed non ſunt propriè Theologicæ, ſaltem uſitatæ ab Eccleſia.

Petes 6 Quid ſtatuatur circa lectionem, impreſſionem &c. librorum hæreticorum?

Reſp. Per Bullam Cœnæ, excommunicari excommunicatione Papæ reſervata omnes illos, qui occultè vel publicè, ex quavis cauſa, quovis prætextu, aut colore ſcienter legunt, retinent, imprimunt, aut quovis modo defendunt libros hæreticorum hæreſim continentes, aut de Religione tractantes ſine ſummi Pontificis licentia. Inſuper ordinarunt ſub pœna excommunicationis Pius IV. Sixtus V. & Clemens VIII. ut ſervaretur Catalogus librorum prohibitorum cum Regulis præfixis. Hæ autem prohibitiones ſunt juſtiſſimæ, quia etſi poſſint libri præfati ab aliquibus evolvi ſine ſubverſionis periculo; quia tamen multis periculum ſubeſt, ne qui ſibi adularentur in materia tam periculoſa, omnibus ſunt prohibiti, ſecluſa diſpenſatione. Ex dictis hac petitione

Reſol. 1. Legentes libros Catholicorum hæreſim continentes, aut hæreticorum nec hæreſim, nec materiam Religionis continentes, non incurrere excommunicationem, ſi libri non ſint aliunde prohibiti.

Reſol. 2 Nec incurrere pœnam illam, legentes Epiſtolam hæreticam hæretici, aut quodvis aliud, ſive impreſſum, ſive non, ſi non veniat communiter nomine libri, quia prohibentur ſoli libri: peccant tamen illa legentes, ubi ſubeſt periculum ſubverſionis.

Reſol. 3. Nec ſubjacere dictæ pœnæ legentem librum ignotæ linguæ; quia non cenſetur lectio formalis, ſed materialis.

Reſol. 4. Idem eſſe de eo, qui non per ſe legit, ſed legentem audit; quia excommunicatur legens non audiens, licèt hic etiam peccet cooperando alterius peccato, ſicut & ſe exponendo ſubverſionis periculo.

Reſol. 5. Excuſari etiam retinentes libros præfatos ad unum aut alterum diem; quia retentio illa cenſetur modica: non excuſantur tamen retinentes illorum librorum folia, ad involvendum caſeum aut butyrum venale; quia finis ille non purificat retentionem, cùm nullus purificet, ut diximus.

Reſol. 6. Nomine *imprimentium* venire omnes, qui ad impreſſionem concurrunt, expenſas faciendo, Officinam tenen-

Digitized by Google

tenendo, Characteres diſponendo, chartam madefaciendo, Torcularia premendo, impreſſum corrigendo, &c. quia phyſicè aut moraliter imprimunt.

Reſol. 7. Cenſeri *defendentes*, qui aſſerunt dictos libros non eſſe malos, non eſſe conſumendos, non eſſe tradendos Inquiſitoribus, eſſe abſcondendos, ne ab illis inveniantur.

DISPUTATIO V.

De Spe Theologica.

SPes generaliter ſumpta eſt deſiderium alicujus boni ardui, poſſibilis, veroſimiliter poſſidendi.

Dicitur 1. *Deſiderium*; quia Spes verſatur circa abſens, in quo differt à fruitione, cujus objectum eſt præſens & poſſeſſum. 2. *Boni*; quia Spes eſt actus voluntatis proſequentis: ſolum autem bonum proſequitur voluntas: unde quando Auguſtinus ait: *Profers frumentum? horreum ſpera. Profers ſpinas? ignem ſpera*, loquitur de Spe impropria, ſeu ſumpta pro expectatione, cujus objectum eſt bonum & malum 3. *Ardui* qui obtentu facilia non ſperamus, ſed quaſi jam poſſeſſa reſpicimus. 4. *Poſſibilis*; quia deſiderium efficax, qualis eſt Spes, non fertur in impoſſibile. 5. *Veroſimiliter poſſidendi*: licèt enim Ruſticus v. g. ſciat Regiam dignitatem ſibi eſſe obtentu poſſibilem, illam tamen non ſperat; quia illius obtinendæ nulla eſt apparentia. Hoc autem breviter præmiſi de Spe in genere, ad faciliorem Spei Theologicæ notionem, cùm impoſſibile ſit, ignorato genere, intelligere ſpeciem.

Porrò Spes Theologica varia ſortitur nomina. 1. dicitur *Anchora*; quia ſicut anchora navem fluctuantem immobilitat; ita Spes animum vacillantem inter fluctus hujus maris magni, Cœlo affigit, & in Deo firmat 2. *Calcar equitis Chriſtiani*, quo equum ſtimulat torpidum aut recalcitrantem, ut fortiter & alacriter currat, etiam per ardua virtutum exercitia. 3. *Baculus*, quo hanc peregrinationem peragimus, aut fatigati innitimur, & in quo ſolamen reperimus. 4. *Galea ſalutis*, quia ſicut galea caput principalem corporis partem tuetur, & munit; ita Spes gloriæ munit cogitationes, fines & intentiones, quæ ſunt caput ſeu principium actionum noſtrarum. 5. Spes eſt quaſi *pes animæ*, quo tota fulcitur, quo ſubſiſtit, quo incedit, quo ad Patriam Cœleſtem progreditur: unde Zeno Veronenſis ſerm. de Fide, Spe, & Charitate: *Tolle Spem, torpet humanitas tota: tolle Spem, artes, virtuteſque univerſæ ceſſabunt; tolle Spem, & interrupta ſunt omnia*: Spes animat, Spes inflammat, Spes roborat, dejectum erigit, fatigatum recreat, corrigit peccatorem, juſtum conſervat.

Ducitur etiam aliquando Spes pro ſuo objecto, ut ad Tit. 2. *Expectantes beatam Spem*. Aliquando pro eo à quo Spei objectum expectatur, ut Pſalm 90. *Tu es Domine Spes mea*. Aliquando pro actu: *Spe ſalvi facti ſumus*, Rom. 8. Aliquando pro habitu: *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas*, 1. Corinth. 13.

QUÆSTIO I.

Quid Spes, an diſtincta à Fide & Charitate, & quæ ejus Filiæ?

CONCLUSIO I.

SPes definitur implicitè à Scoto 3. diſt. 26. num. 10. Virtus Theologica, qua ex liberali Dei promiſſione fiducialiter deſideramus nobis bonum infinitum, per Dei auxilia, & merita noſtra obtinendum.

Dicitur 1. *Virtus* contra Durandum volentem tantùm eſſe virtutem impropriè dictam: & certè vera eſt, & perfecta virtus quæ inclinat ad actum omnimodè bonum: ſed talem eſſe actum Spei, declarat Scriptura Pſal 217. *Bonum eſt confidere in Domino*, & inferiùs *Bonum eſt ſperare in Domino*. Item ad Rom. 8. *Spe ſalvi facti ſumus*. Deinde quidni bonum eſſet deſiderare illum, ad quem unicè creati ſumus.

Dicitur 2. *Theologica*: *quia reſpicit Deum* (nempè poſſidendum, ut dicemus) *pro objecto immediato*, inquit Scotus num. 11.

Dicitur 3. *Qua ex liberali Dei promiſſione*; cùm enim plena Dei poſſeſſio non ſit ex natura rei actibus noſtris debita, nunquam illam ſperaremus, niſi illam promiſiſſet Deus; unde Apoſt. ad Tit. 1. *Paulus ſervus Dei .... in Spem vitæ æternæ, quam promiſit, qui non mentitur, Deus*.

Dicitur 4. *Fiducialiter*; non quaſi verò deberet certò credere quilibet Fidelis ſe eſſe ſalvandum, ut fingunt Hæretici moderni contradicentes Apoſtolo nos monenti, ut cum timore & tremore ſalutem noſtram operemur; ſed quia de infallibili Dei promiſſione perſuaſi credimus, ſi cum Dei auxilio nobis ſemper parato perſeveremus in finem, beatitudinem nobis eſſe donandam: quia tamen, ſecluſa revelatione, incerta eſt perſeverantia noſtra, etiam incerta eſt phyſicè ſalus æterna.

Dico: *Phyſicè*; quia plurimi ſunt, qui, præſertim in fine vitæ, habuerunt moralem Beatitudinis obtinendæ certitudinem: undè S. Petrus de Alcantara moriturus dicebat cum Propheta Regio confidenter: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus*.

Dicitur 5. *Nobis*; quia propriè non ſperamus bonum aliis, ſed optamus: & ideò Auguſt. c. 8. Enchir. docet Fidem eſſe rerum & ſuarum & alienarum; Spem autem ſuarum tantum: nec mirum; quia Spes eſt circa objectum arduum, non alteri, ſed ſperanti: jam autem Beatitudo proximi in noſtro caſu eſt ipſi ardua, non nobis, & ſic poteſt ipſe ſperare ſuam ſalutem, non nos ipſius. Nec refert quòd videntes hominem aliàs peccatorem, nunc pœnitentem dicamus: *Spero fore ſalvandum*; quia cùm actus ille non ſit de objecto nobis arduo, Spei nomen ſortitur defectu vocum, non rationem: poſſet tamen dici Spes impropria, quo caſu intelligi debet D. Thom. 2. 2. q. 17. art. 3.

Dicitur 6. *Deſideramus*: quia Spes eſt actus voluntatis à deſiderio indiſtinctus, ut docet Scotus num. 19. & ratio eſt; quia Spes eſt actus quo bonum abſens ut nobis conveniens appetimus; actus autem ille eſt deſiderium: malè tamen inferres omne deſiderium eſſe Spem, quia licèt omnis Spes ſit deſiderium, non tamen è contra, cùm detur deſiderium de re facili, imò de re impoſſibili, ſaltem inefficax, non verò Spes.

Dicitur 7. *Bonum infinitum*, nempe modo ſupernaturali poſſidendum, ut diſtinguatur Spes Theologica à deſiderio naturali, quo naturaliter beatitudinem in genere deſideramus.

Dicitur tandem: *Per Dei auxilia, & merita noſtra obtinendum*: per auxilia quidem divina, quia non poſſumus ſalutem æternam aſſequi, niſi meritoriè operando; nec poſſumus meritoriè operari, ſine gratiæ auxilio: per noſtra autem merita; quia *Qui creavit te ſine te, non ſalvabit te ſine te*.

CONCLUSIO II.

SPes diſtinguitur realiter à Fide & Charitate. Eſt D. Thomæ ſup. art. 6. & Doctoris noſtri ſupra numer. 17. eſtque communis inter Theologos.

Prob. 1. Quia non tantùm Apoſtolus Fidem, Spem, & Charitatem diſtinxit nominibus, ſed etiam rebus, ſubjiciendo *tria hæc*: ubi enim non reperitur rerum diſtinctio, nec reperitur ibi numerus.

Prob. 2. Ubi ſunt diſtincti actus, & diſtincta objecta formalia, ſunt diſtincti habitus; ſed Fidei, Spei, & Caritatis diverſi ſunt actus, & diverſa objecta formalia: ergo Major certa eſt. Prob. Min. quia actus Fidei eſt credere, Spei deſiderare, & Charitatis amare; objectum verò formale Fidei eſt Deus ut verax: Charitatis, Deus ut in ſe bonus, & Spei, ut nobis bonus & promiſſus: ergo.

Prob. 3. Ex convenientia quam adſert D. Bonav. 3. diſt. 26. art. 1. q. 3. quia ſicut in Patria, tres erunt animæ dotes, nempe viſio, dilectio, & tentio, ſeu poſſeſſio; ita tres in via ponendæ ſunt virtutes ipſis correſpondentes, nempe Fides, cui ſuccedit viſio, Charitas cui dilectio, & Spes cui poſſeſſio.

CONCLUSIO III.

SEptem Spei Filias recenſet Gullielmus Pariſienſis libr. de moribus. 1. Eſt *Fiducia* divinæ propitiationis, ita ut ſperans dicere poſſit cum Pſalmiſta: *In te Domine ſperavi, non confundar in æternum*. 2. Eſt *Securitas* æternæ hæreditatis poſſidendæ, Spiritu ſancto pignus ſe conſtituente juxtà illud Epheſ. 1. *Qui eſt pignus hæreditatis noſtræ* 3. Eſt *Erectio*, qua per Spem quo humilius anima per tentationes crebriores quaſi deprimitur, eò generoſius ad pugnandum & reſiſtendum erigitur. 4. Eſt *Conſolatio*, quæ eſt triſtitiæ & doloris, quibus in hac lachrymarum valle appetimur, mitigatio. 5. Eſt *Expectatio* bonorum promiſſorum ſine hæſitatione, ſine nimia anxietate. 6. Eſt *Jucunditas animi*, quæ eſt quaſi prægustatio futuræ delectationis. 7. Eſt *Conſtantia*, quæ eſt animi robur contra diaboli tentationes, & mundi.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO II.

Quodnam ſit objectum materiale Spei?

QUod nos hic vocamus objectum materiale, vocant Thomiſtæ formale quod, ſeu terminativum.

CONCLUSIO I.

OBjectum materiale primarium Spei, non eſt ſolus Deus, nec ſola ejuſdem fruitio, ſed duo ſimul, ſeu Deus poſſidendus. Eſt communior & verior. Colligitur ex Scoto ſupra num. 11. Videturque eſſe mens expreſſa D. Thomæ 1. 2. q. 11. art. 3. Ubi aſſerit rem deſideratam & fruitionem illius non eſſe duos fines, ſed unum, & conſequenter Beatitudinem objectivam, nempe Deum, & formalem, nempe ipſius fruitionem, eſſe unum objectum totale & adæquatum, in quod fertur Spes noſtra.

Prob. 1. Concluſio; Quia una Beatitudo ſine altera non poteſt ſperari: ergo nec una ſola, nec altera ſola, ſed utraque ſimul eſt objectum Spei. Prob. Ant. Quia non poſſumus ſperare Dei fruitionem, niſi Deum ſperemus, nec poſſumus Deum ſperare, niſi ut à nobis poſſidendum, cùm objectum Spei ſit bonum noſtrum: Ergo &c.

Dices cum Durando, Spem ferri quidem in utrumque, ſed immediatè in fruitionem & mediatè in Deum. Sed

Contra eſt, quòd Spes ſit virtus Theologica, adeoque Deum immediatè reſpiciens; imò ſi ſtaret objectio Durandi, etiam Religio eſſet virtus Theologica; quia ſicut Spes attingit Deum mediante fruitione qua ipſum poſſidemus, ut vult Durandus, ita Religio attingit Deum mediante cultu, quo ipſum honoramus.

Dices 2. Cum Gonet: licèt Spes utramque Beatitudinem attingat, formalem tamen ſolùm reſpicit connotativè, tanquam conditionem objecti. Sed

Contrà eſt, quòd objectum Spei non ſit bonum in ſe: ſed bonum noſtrum, nos beans, nobis conveniens, à nobis poſſidendum; ſed objectum nos beans, & à nobis poſſidendum involvit eſſentialiter, & non per modum conditionis, Beatitudinem & poſſeſſionem, ſeu fruitionem: ergo.

Prob. 2. Illud eſt objectum Spei noſtræ in terris, quòd poſt hanc vitam expectamus in cœlis; ſed non expectamus Deum tantùm, ſed Deum poſſidere: ergo. Unde ſi Chriſtianum interroges, quid expectet poſt hanc vitam? non dicet *Deum*, ſed *Deo frui*, aut *Deum poſſidere*.

Obj. 1. Objectum Spei eſt futurum; ſed Deus ſemper eſt præſens: ergo

Reſp. diſt. Maj. Eſt futurum in ſui aſſecutione: C. Neceſſariò in ſe. N. Deus autem licèt ſit ſemper præſens in eſſe, cùm ſit æternus, non tamen in aſſecutione.

Obj. 2. Idem eſt objectum Spei & deſperationis, cùm contrariorum idem ſit objectum; ſed deſperatio non eſt de Deo, ſed de Dei fruitione: ergo hæc, & non ille, eſt objectum Spei.

Reſp. diſt. Min. Deſperatio non eſt de Deo ut exiſtente: C. Ut poſſidendo: N. Unde ſicut ſperamus Deum poſſidere, ita damnati deſperant de Deo poſſidendo, ſicque Spei noſtræ, & eorum deſperationis idem eſt objectum.

Obj. 3. Spei in via ſuccedit delectatio in patria; atqui hujus objectum non eſt Deus, ſed Dei fruitio: ergo & Spei.

Reſp. diſt. Min. Non eſt Deus ut bonus in ſe: C. quia ut ſic eſt objectum delectationis correſpondentis Charitati: non eſt Deus ut nobis bonus & poſſeſſus: N.

Obj. 4. Quia ignis nobis eſt bonus, non ratione ſui, ſed ratione caloris, non amamus ignem immediatè, & ratione ſui, ſed mediatè & ratione alterius; atqui Deus nobis eſt bonus, non ratione ſui, ſed fruitionis: ergo.

Reſp. Conceſſa Maj. Neg. min. Quia ſi Deus non eſſet nobis bonus ratione ſui, nec eſſet ratione fruitionis; cùm fruitio non addat bonitatem objecto poſſeſſo, imò ipſa fruitio eſt nobis bona, quia objectum eſt nobis bonum.

Obj. 5. Sperans ſcientiam non ſperat immediatè ſcibile: ergo ſperans Dei fruitionem non ſperat immediatè Deum.

Reſp. diſt. Ant. Non ſperat immediatè ſcibile, in eſſe reali: C. Aliàs ſperans ſcientiam de peccatis ſperaret peccare: in eſſe objectivo & intentionali, ſeu in eſſe cognitivo: N.

Obj. 6. Etſi non amemus bonum, niſi cognitum, cognitio tamen non eſt objectum amoris. ergo licèt non ſperemus Deum, niſi ut poſſidendum, non ſequitur, quòd poſſeſſio ſit objectum Spei.

Reſp. neg. conſeq. Diſparitas eſt, quòd cùm cognitio ordinariè tantùm applicet objectum, non ſit ſatiativa appetitus ratione ſui, ſed ratione objecti applicati; & ideò non amatur cognitio, ſed objectum cognitum; poſſeſſio autem ſit per ſe ſatiativa: unde ſi avarus diligit pecuniam ſecundùm ſe, magis tamen diligit pecuniam poſſeſſam.

Dixi: *Ordinariè*; quia ſi cognitio habeat rationem cujuſdam fruitionis, ut cùm videmus objectum pulchrum, poſſunt viſio & viſum per modum unius eſse ſatiativa, adeòque eſſe objectum amoris & Spei, & hoc etiam dici debet de viſione Dei.

Obji. 7. Non poſſunt dari duo objecta primaria ejuſdem actus: ergo &c.

Reſp. neg. conſeq. Quia etſi fruitio Dei & Deus ipſe diſtinguantur in eſſe rei, cùm hic ſit increatus, illa creata, hìc tamen apprehenduntur per modum unius objecti totalis, nempe Dei poſſedendi. Fatendum tamen, quòd, etſi utrumque ſit objectum primarium Spei, Deus tamen ut ſeparatim conſideratus, ſit objectum magis principale, viſio autem objectum minùs principale.

CONCLUSIO II.

OMnia bona creata, tum naturalia, tum ſupernaturalia, quæ ad Beatitudinis conſecutionem conferunt, ſive remotè, ſive proximè, ſive excitando, ſive auxiliando, ſive impedimenta tollendo, ſunt objecta materialia Spei ſecundaria. Eſt communis Theologorum poſt D. Thom 2. 2. q. 17. art. 2. ad 2. ubi ait: *Spes quidem principaliter reſpicit beatitudinem æternam, alia verò* (bona) *quæ petuntur à Deo, reſpicit ſecundariò in ordine ad beatitudinem æternam.*

Ratio eſt; quia qui vult finem, vult & media neceſſaria: ergo qui ſperat finem, nempe Beatitudinem, ſperat & media, quibus eſt obtinenda, v. gr. remotionem occaſionum peccandi, gratiam pœnitendi, præcepta implendi, meritoriè operandi, & ad finem uſque in gratia ſanctificante perſeverandi.

QUÆSTIO III.

Quodnam ſit objectum formale, ſeu motivum Spei?

ADverte 1. In aſſignando Spei objecto formali, multùm variare Authores. Alii enim volunt eſſe arduitatem beatitudinis, ſeu beatitudinem quatenùs difficulter obtinendam: Alii Omnipotentiam Divinam quatenùs auxiliantem, ſeu prout paratam conferre nobis auxilia ad actus ſupernaturales neceſſaria. Alii divinam promiſſionem. Alii Dei bonitatem ut nobis convenientem, & amabilem amore concupiſcentiæ.

Adverte 2. Bonitatem Dei nobis convenientem, ſeu, ut alii volunt, reſpectivam nihil aliud eſſe, quàm Dei bonitatem in ſe & abſolutam quatenus appetitus noſtri ſatiativam, ſeu, ut loquitur Author modernus, eſt Deus ipſe, prout perfectiones habet, quæ per ſui poſſeſſionem poſſunt explere omnem creaturæ rationalis appetitum, tum ad verum cognoſcendum, tum ad bonum diligendum, tum ad perfectè quieſcendum. His notatis

CONCLUSIO I.

OBjectum formale Spei, non eſt Beatitudinis arduitas ſeu difficultas. Ita Scotus 3. diſt. 26. q. unic. §. *contra illam opinionem*, contra plures veteres, quos ſequitur Amicus.

Ratio eſt, quia illud eſt objectum formale Spei, quod movet nos ad ſperandum; ſed Beatitudo quatenùs difficulter, ſeu per varios & magnos labores obtinenda non movet nos ad ſperandum, ſed potiùs removet: ergo

Dices cum Amico, arduitatem non importare ſolam difficultatem, ſed etiam quoddam bonum ex difficultate proveniens, quod potentiam erigit, trahit, & allicit ad objecti proſecutionem. Sed

Contra eſt, quòd arduitas etiam ſic ſpectata erigat quidem potentiam ad fortiter laborandum, non tamen ad ſperandum: unde ſi à Chriſtiano petis cur jejunet, oret, mortificet corpus &c. reſpondebit tibi, quia vita æterna nonniſi difficulter & per varios labores obtinetur; ſi autem quæras, cur ſperet Beatitudinem, non dicet tibi, quia ardua eſt, ſed quia illam promiſit Deus laborantibus.

CONCLUSIO II.

OMnipotentia Dei ut auxilians, non eſt etiam objectum Spei formale. Eſt contra varios Thomiſtas.

Prob. 1. Quia non movetur Chriſtianus ad Spem Beatitudinis

Digitized by Google

tudinis propter illam Omnipotentiam; nam licèt ſciat Deum eſſe Omnipotentem ad conferenda ſibi auxilia ad actus ſupernaturales neceſſaria, nunquam tamen vitam æternam ſperaret, niſi Deus promiſiſſet; cùm ſciat actibus ſuis, etiam ſupernaturalibus, non deberi, ſecluſa divina promiſſione, vitam æternam: undè quando D. Thomas aliquibus in locis docet divinum auxilium eſſe objectum formale Spei, intelligendus eſt arguitivè, ſeu tantum vult quòd ex divino auxilio nobis ad ſalutem parato, moveamur ad credendum, Deum velle nos ſalvare, quæ volitio ſeu promiſſio ſalvationis, eſt motivum Spei, ſaltem partiale, ut poſteà dicemus.

Prob. 2. Quia ratio motiva Spei debet eſſe aliquid bonum, ſed Omnipotentia ut auxilians non habet rationem boni formaliter, ſed entis, aut cauſæ efficientis: ergo &c.

CONCLUSIO III.

NEc ſola Dei bonitas reſpectiva, ſeu nobis conveniens, nec ſola divina promiſſio eſt objectum formale Spei.

Prob. 1. pars, quia licèt Deus ſit nobis bonus, poſſitque nos ſatiare & beare, nunquam tamen moveret nos ad Spem ſui ſupernaturaliter poſſidendi, niſi ſeipſum ità promiſiſſet, cùm illa poſſeſſio non ſit hominibus, quia homines ſunt præcisè, proportionata, utpotè ſupra totius naturæ vires; imò nec poſſet homo, ſecluſa promiſſione, illam per actiones ſupernaturales promereri; cùm actiones illæ, ubi ſunt meritoriæ Beatitudinis, id tantùm habeant ex acceptatione Dei ad gloriam. Unde ad prudenter ſperandum requiritur inter ſperantem & ſperatum quædam proportio, vel ex natura rei, vel ex voluntate ejus, à quo ſperatum expectatur: quod hie nunc reperitur, ſecluſa Dei promiſſione.

Confirm. Quamquam militi gregario ſceptrum regale ſit objectum bonum; ſicut & filia Principis juveni mendico; neuter tamen movetur à bonitate illorum objectorum, ut eadem ſperet, quia objecta illa, ſecluſa promiſſione explicita aut implicita, ſunt illis improportionata: idem eſt in noſtro caſu.

Prob. 2. pars; quia cùm Spes ſit actus voluntatis proſequentis, cujus objectum motivum ſeu formale eſt bonitas, non poteſt à ſola promiſſione moveri, & ideò ſit

CONCLUSIO IV.

OBjectum formale Spei eſt bonitas Dei reſpectiva nobis infallibiliter promiſſa, ita ut bonitas, & promiſſio infallibilis ingrediantur rationem objecti motivi. Hæc eſt veriſſima, quam agnoſcit Fraſſen qu. 1. de Spe, concl. 2. nu 10. his verbis: *Dari debet habitus Spei infuſæ, quo ſperemus Beatitudinem ſupernaturalem propter ipſam Dei bonitatem & infallibilitatem*, licèt poſteà ſolius bonitatis meminerit.

Prob. 1. Concluſio; quia quod mover nos ad ſperandum Beatitudinem, eſt Dei bonitas aliquo modo nobis proportionata; ſed ita proportionatur ex divina promiſſione, cùm, illa ſecluſa, nulla ſit proportio inter ſperantem & ſperatum, ut oſtendimus: ergo

Prob. 2. Quia bonitas Dei reſpectiva nunquam fuiſſet motivum Spei noſtræ, ſecluſa promiſſione, & hac ſola poſita, factum eſt motivum: ergo movet quia promiſſa, ſive ut promiſſa.

Prob. 3. Si à Milite (cui primo aſcendenti muros Civitatis obſeſſæ, promiſſa eſt Filia Regis, quam aliàs nunquam auſus fuiſſet ſperare) petatur, cur ſperet Filiam Regis? non dicet ſimpliciter quia mihi conveniens, quia mihi bona, ſed quia illa eſt mihi promiſſa: idem eſt in propoſito: unde motivum illud ponitur in parvis Catechiſmis, & interrogati pœnitentes cur ſperent veniam peccatorum in hac vita, & gloriam in futura? Reſpondent, quia Deus, qui in ſuis promiſſis fidelis eſt, ita promiſit.

Dices: Quod mover nos ad ſperandum, eſt bonitas objecti ſperati: ſed promiſſio divina non ingreditur rationem illius bonitatis: ergo

Reſp. diſt. Min. Non ingreditur rationem bonitatis illam augendo aut minuendo intrinſecè: C. illam nobis attemperando, & proportionando, ſeu faciendo ut quæ ob majorem ſui excellentiam non moveret, de facto moveat: N. unde non ingreditur quidem rationem bonitatis ſecundùm ſe, ſed ut nobis attemperatæ & proportionatæ.

QUÆSTIO IV.

An liceat operari intuitu ſolius beatitudinis obtinendæ?

LY *Solius* ſumi poteſt dupliciter. 1. Ita ut poſitivè excludat relationem in Deum: quaſi diceretur: volo operari propter Beatitudinem, & non propter Deum. 2. Ita ut tantum excludat negativè, nec relationem illam intendendo, nec poſitivè excludendo, ſed præcisè intuitu Beatitudinis operando. De 2. quæritur: nam primum vitioſum eſſe & inordinatum, per ſe patet; cùm ſit in ſuo commodo finem ultimum collocare.

CONCLUSIO UNICA.

LIcitum eſt, imò virtuoſum operari intuitu ſolius beatitudinis: ſeu, quod idem eſt, ſperare beatitudinem per opera. Eſt Scoti 3. diſt. 26 nu. 10. Ubi ait, deſiderare nobis ineſſe bonum per merita, eſſe actum bonum.

Prob. 1. Ex Script. pſal. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem*: ſi autem licèt propter retributionem; ergo propter obtinendam beatitudinem?

Prob. 2. Ex Trid. Seſſ. 6. Can. 31. *Si quis dixerit juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema ſit.*

Prob. 3. Ex condemnatione hujus propoſitionis à Gregorio IX *Illi qui amant Deum, propter hoc ut det eis gloriam cæleſtem, eorum intentio eſt prava*. Item hujus ab Alexandro VIII. *Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, Charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur.*

Prob. 4. Operari intuitu Beatitudinis eſt actus Spei, cùm reſpiciat Deum ut bonum ſperanti & ab eo poſſidendum; ſed actus Spei eſt licitus & bonus: ergo.

Prob. Min. Quia Deus illum præcipit variis locis, ut Pſal. 4. *Sperate in Domino*. 36. *Spera in Domino*, 62. *Sperate in eo*, & Hebr. 10. *Teneamus Spei noſtræ confeſſionem*: undè proſcripſit ſequentem propoſitionem Alexander VII. *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad has virtutes pertinentium.*

Prob. 5. quia nunquam Deus obſervantibus mandata ſua vitam æternam proponeret in præmium, ſi illius intuitu operari, ſeu illam ſperare per opera, eſſet inordinatum: illam tamen variis locis proponit.

Obj. 1. Actus ille eſt amor concupiſcentiæ; ſed amor ille eſt inordinatus: ergo.

Reſp. diſt. Maj. Eſt amor concupiſcentiæ, quo Beatitudinem concupiſco propter me tanquam finem: N. quo mihi illam concupiſco tanquàm ſubjecto Beatitudinis: C. Aliud eſt autem aliquid concupiſcere propter ſe, & aliud concupiſcere ſibi: primum enim eſt inordinatum, non ſecundum.

Inſt. 1. Saltem ibi Deus ordinatur ad nos, adeòque ſuperior ad inferiorem, quod damnat Auguſtinus variis locis.

Reſp. diſt. Aſſumpt. Ordinatur ad nos tanquàm objectum *cui* Beatitudinem volumus: C. tanquam objectum propter quod volumus: N. hoc autem damnat Auguſtinus, non illud: undè taliter operando amamus Deum nobis: quod nihil eſt aliud quam velle conjunctionem noſtram cum Deo tanquam fine noſtro ultimo.

Inſt. 2. Motivum operandi eſt noſtra commoditas, ſeu fœlicitas: ergo Deum ad nos, & non tantùm nobis ordinamus.

Reſp. neg. conſeq. nam fœlicitas noſtra eſt Deo magis uniri, magis conjungi, magis adhærere fini noſtro ultimo ſupernaturali: quod eſt potiùs nos ad Deum, quàm Deum ad nos referre.

Inſt. 3. Modus ille operandi procedit ex amore noſtri, & non Dei, aliàs eſſet Charitas: ergo &c.

Reſp. Procedere ex amore noſtri & Dei, cùm ſperemus ipſummet Deum ut appetitus noſtri ſatiativum. Non dicitur tamen amor ille Charitas; quia illa tendit in Deum ut in ſe bonum, & non ut bonum amanti.

Obj. 2. Auguſtinum Tract. 51. in Joan. ubi dicit Deum gratis eſſe amandum. Et Bernardum lib. de diligendo Deo, c. 7. ubi aſſerit eſſe diligendum abſque intuitu præmii.

Reſp. illos & alios ſimilia referentes, nobis inculcare quod perfectius eſt, non quod abſolutè neceſſarium eſt ad vitationem peccati.

Obj. 3. Qui operatur intuitu ſolius Beatitudinis, quæ eſt Deus ipſe, aliqualiter refert in Deum.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. 1. Neg. Ant. Quia referendo ad Beatitudinem, quæ eſt Deus ipſe, aliqualiter refert in Deum.

Reſp. 2. neg conſeq. Quia non omnes actiones noſtras referendas eſſe in Deum, declarabimus in diſput. de Charitate; imò & de præſenti actione idipſum declarat Alexand VIII. cenſurans propoſitionem probatione 3. citatam, ac per hoc oſtendens operantem intuito beatitudinis ſine Charitate, adeòque ſine in Deum relatione, vitio carere.

Dices cum Van Roy, Pontificem excuſare operantem, quatenùs operatur intuitu Beatitudinis, non autem quatenus deeſt operationem ſuam in Deum referre: ſeu declarat quòd ipſa operatio intuitu Beatitudinis non ſit vitioſa, licèt ſit vitioſus operans defectu relationis.

Reſp. Meram eſſe eluſionem cenſuræ, cùm cenſurando non tantùm declaret operantem intuitu beatitudinis vitio carere, ſed etiam taliter operantem ſine Charitate, ſeu ſine ad Deum relatione. Plura de illa materia ſuo loco.

QUÆSTIO V.

Quodnam ſit ſubjectum Spei?

NOn inquirimus de ſubjecto immediato, nam certum eſt ferè apud omnes eſſe voluntatem. Præterea actus Spei, ut ante diximus, eſt actus deſiderii, adeoque voluntatis; in eadem autem potentia ponendus eſt habitus, à qua exercetur actus: unde Scotus 3 diſt. 26 num 18. *Charitas perficit voluntatem in quantum eſt affectiva affectione juſtitiæ, & Spes perficit eam in quantum eſt affectiva affectione commodi.* Et ideò licèt ſpectatio ſit actus intellectus, expectatio tamen, ſaltem prout convenit Spei, eſt actus deſiderii: adeoque voluntatis. Sed inquirimus de ſubjecto mediato ſeu de perſonis in quibus reperitur.

CONCLUSIO I.

HAbitus Spei reperitur in viatoribus; non tamen in omnibus.

Prob. 1. Pars: tum ex Trid. Seſſ. 6. c. 7. Ubi docet in Juſtificatione infundi Fidem, Spem & Charitatem, tum ex eo quòd ſit ponendus habitus præſertim in illis, quibus præcipitur actus, cùm præfatus habitus non tantùm det facilè poſſe, ſed etiam ſimpliciter poſſe, ut diximus de virtutibus Theologicis in genere.

Prob. 2. Pars: quia 1. non reperitur in Hæreticis & Infidelibus, cùm enim careant Fide ſupernaturali, & hæc ſit baſis & fundamentum Spei, etiam Spe ſupernaturali carere neceſſe eſt: unde ſi vitam æternam ſperant, id faciunt Spe naturali, & acquiſita, ſicut Fide naturali, & humana credunt aliquos Fidei articulos. 2. Non reperitur in peccatoribus illis, qui commiſerunt peccatum Deſperationis aut Præſumptionis, quia ſicut Fides expellitur per actum contrarium, nempè Hæreſim, ita & Fides per Deſperationem, aut Præſumptionem, non expellitur tamen, ſicut nec Fides, per alia peccata, & hoc ex Dei bonitate, ut faciliùs peccatores, earum auxilio, ad pœnitentiam convertantur.

CONCLUSIO II.

SPes remanet in Animabus Purgatorii. Ita communiter Theologi.

Prob. 1 Quia non deſinit Spes, niſi deſinat Fides, vel abſit actus Spei contrarius, vel poſſeſſio boni ſperati: ſed Fides remanet in illis, ut ſuo loco diximus, nec deſperant aut præſumunt, nec beatitudinem poſſident, ut per ſe patet: ergo

Prob. 2. Quia Beatitudo reſpectu illarum eſt objectum bonum, abſens, poſſibile, imò arduum, cùm ſit per pœnas ignis & cruciatus obtinendum: ergo eſt ipſis verè objectum ſpei.

Dices 1. Spes eſt virtus propria viatoribus; ſed Animæ illę non ſunt in via: ergo.

Reſp diſt Mi°. Non ſunt in via, ad meritum aut demeritum: C. ad Beatitudinem: N. quia reſpectu illius dici poſſunt viatores ad Patriam aſpirantes

Dices 2. Animæ illæ habent certitudinem omnimodam ſuæ Beatitudinis: ergo non poſſunt illam ſperare.

Reſp. neg. conſeq. Quia certitudo non obeſt Spei: & certè ſi malum certò futurum timeamus, quidni bonum certò poſſidendum ſperaremus?

Inſt. 1. Nemo ſperat ortum Solis, quia certus eſt, ſed benè auram ſerenam, quia incerta eſt: ergo ſimiliter.

Reſp. Nec ortum Solis, nec auram ſerenam eſſe objectum Spei, ſed deſiderii; quia neutrum reſpectu noſtri eſt objectum arduum: & ſic fruſtra recurritur ad certitudinem, aut incertitudinem, quæ ſunt omninò extrinſeca objecto Spei.

Dices 3. Animæ illæ non poſſunt deſperare: ergo nec ſperare, cùm potentia ſit contrariorum.

Reſp. neg. conſeq. Quia ad eliciendum actum, non requiritur potentia ad actum oppoſitum; aliàs Beati qui poſſunt Deum amare, poſſent illum odiſſe, quod nemo dixerit. Potentia autem eſt contrariorum, ubi nihil obeſt, ſicut obeſt hic confirmatio illarum Animarum in gratia.

CONCLUSIO III.

SPes non eſt in damnatis. Eſt de Fide ex illo Prov. 11. *Mortuo homine impio, nulla erit ultra Spes.*

Prob. 1. Non eſt ædificium ſine fundamento, ſed fundamentum Spei eſt Fides, qua carent damnati, ut ſuperiùs dictum eſt: ergo

Prob. 2. Fruſtra ponitur habitus, ubi impoſſibilis eſt actus, ſed non poſſunt damnati Beatitudinem ſperare, cùm ſciant illam ſibi eſſe impoſſibilem, ob decretum irrevocabile damnationis æternæ: ergo.

Dices: ſaltem pueri decedentes cum ſolo originali ſperare poſſunt, cum ante diem judicii neſciant Beatitudinem eſſe ſibi impoſſibilem.

Reſp Si neſciant impoſſibilem (quod nego) etiam neſciunt poſſibilem, & ſic etiam ex illa parte non poſſunt ſperare.

CONCLUSIO IV.

PRobabilius eſt non reperiri Spem in Beatis. Eſt communiſſima inter Theologos, quibus non contradicit Scotus: undè immeritò ab aliquibus citatur in contrarium 3. diſt. 31. num. 6. cùm nec ibi, nec alibi quidquam decidat, ſed potiùs inclinet in ſententiam noſtram nu. ſeq. imò num. 2. Expreſsè tenet ſententiam noſtram dicens de Fide & Spe: *Iſti habitus non manebunt, quia eſſent ſuperflui*; nam, ut dicit paulò ante: in Patria *erit verum patens, & bonum habitum.*

Prob. 1. Ex Script. ad Roman 8. *Spes quæ videtur non eſt Spes: nam quod videt quis, quid ſperat?* atqui beati Deum vident: ergo illum non ſperant. Deindè *cum venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt*, inquit Apoſt. 1. Corinth. 13. Quaſi diceret, quòd ſicut viſio in Patria evacuabit Fidem, ita & poſſeſſio evacuabit Spem.

Prob. 2. Ex PP. Chryſoſtomo hom 34. in 1. ad Corinth. circa med *Fides, & Spes, creditis, ſperatiſque rebus advenitis, ceſſant.* Auguſtino ſerm 108 De temp aliàs 25. Ubi docet Charitatem dici majorem Fide & Spe ab Apoſtolo, 1. Corinth. 13. Quia, his recedentibus, illa manet in patria.

Prob. 3. Ex Extravaganti *Benedictus*, ubi definitur à Benedicto XI. ut refert Maiderus hic art. 3. viſionem Dei evacuare actum Spei: ubi autem non exercetur actus, ad quid habitus?

Prob. 4. Ratione; quia objectum Spei debet eſſe abſens, futurum, & arduum: ſed Beatis nec eſt abſens, nec futura, nec ardua Beatitudo, ut per ſe patet: Ergo.

Obj. 1. Licèt Beati poſſideant gloriam animæ, necdum tamen gloriam in Reſurrectione univerſali obtinendam: ergo poſſunt illam ſperare.

Reſp. neg conſeq quia corporis gloria reſpectu ipſorum non eſt bonum arduum, cùm ſit deinceps ſine ullo labore, ſine ulla difficultate, obtinenda: undè poſſunt illam deſiderare, non ſperare.

Obj. 2. Saltem ſperare poſſunt Beatitudinis ſuæ continuationem.

Reſp. Neg aſſumpt. Quia Deum poſſidendo, participant æternitatem, quæ ſimul tota habetur ſine præterito & futuro. Deindè eſto Beatitudinis continuatio haberet rationem futuri, non tamen ardui.

Obji. 3. Paulus in raptu non perdidit habitum Fidei per actum viſionis: ergo nec Beati perdunt habitum Spei per actum poſſeſſionis.

Reſp. D. Paulum tunc non habuiſſe intuitivam Dei viſionem, cùm ipſemet poſt raptum ſuum ſcripſerit 1. ad Tim. 6. *Quem*, nempe Deum, *nullus hominum vidit* Plura in 1. Sententiarum.

Obji. 4. Habitus Spei inclinat in Deum appetitu deſiderii, dum eſt abſens, & appetitu complacentiæ, dum eſt præſens.

Reſp. Neg. Aſſumpt. Pro 2. parte: quia complacentia illa eſt actus amoris: *amicitiæ* quidem, prout reſpicit Deum in ſe bonum,

Digitized by Google

bonum, & *concupiſcentiæ* ut amanti bonum, & iſti actus ſimul repetiuntur in actu fruitionis, quo Beati Deum diligunt & in ſe bonum, & ipſis bonum, ad quem etiam ſuam Beatitudinem referunt.

Obj. 5. Scotus ſupra num. 3. dicit objectum Fidei & Spei non eſſe Deum ut latentem aut abſentem, ſed Deum ut Deum, & ſic poſſe actus & habitus illarum virtutum eſſe in Patria.

Reſp. Scotum, ut legenti patebit, non loqui ibi reſolutivè, ut facit num. 2. ſupra citat. ſed tantum inquiſitivè, nihil decidendo.

QUÆSTIO VI

An Deus poſſit revelare damnationem ſuam reprobo, & an hic poſſet ſperare?

CONCLUSIO I.

POſſet Deus de potentia abſoluta revelare alicui ſuam damnationem. Eſt ſatis communis ſub his terminis generalibus expreſſa.

Dico: *de potentia abſoluta*, ſive extraordinariè, quin nulli hactenus hanc revelationem factam eſſe legitur: undè ſi aliqua appareat in Scriptura, non eſt abſoluta, ſed comminatoria, niſi pœnitentiam egerint, ſe emendaverint &c.

Prob. 1. Concl. Quia in hoc nulla videtur implicantia: ſi enim non implicet, ut fatentur adverſarii, quod alicui revelet Deus ſuam damnationem conditionatè, v. gr. ſi iterum adulteretur, cur implicaret, ut revelet abſolutè? cum equidem in priori caſu, adulterio commiſſo, tranſeat revelatio conditionata in abſolutam.

Prob. 2. Quia talis revelatio nec eſt mala ex parte objecti, nec ex parte Dei revelantis, nec ex parte hominis, cui fieret revelatio. Non quidem *ex parte objecti*, cum ſit juſtitia vindicativa decernens juſtas peccatis pœnas. Non *ex parte Dei*; quia nulla lege tenetur hujus ſententiæ intimationem ulterius differre: & aliunde cùm nullum ex tali revelatione ſequeretur neceſſariò peccatum, utpotè non tollenti hominis libertatem ad benè operandum, non repugnat divinæ Bonitati, ſicut nec Sapientiæ ob cauſas juſtiſſimas, quas Deus poſſet habere, v. g. ad aliorum terrorem, vel quia peccatorum gravitas hanc pœnam extraordinariam exigit. Non etiam *ex parte hominis*; quia poſſet hoc ſupplicium anticipatum meruiſſe.

Dices: Ex illa revelatione ſequeretur, quòd talis deberet ſe conformare divinæ voluntati, cùm ad id teneatur quilibet, & non deberet, quia ſe conformando vellet ſuam damnationem, quod eſt peccatum. Item quòd poſſet ſperare, quia non eſſet exemptus ideò ab obligatione ſperandi, & non poſſet, quia ſciret non eſſe futuram reſpectu ſui beatitudinem: Ergo talis revelatio eſt impoſſibilis.

Reſp. Ad primum, quòd illo caſu deberet velle ſuam damnationem ut ſententiam juſtam, & peccatis ſuis debitam, non tamen ut includit aut ſupponit obdurationem in Peccatore, ſeu impœnitentiam finalem; quia hoc non vult Deus; ſed illud: & ſic tollitur omnis contradictio. Ad 2. patebit ſolutio ex jam dicendis.

CONCLUSIO II.

ILle, cui Deus revelaſſet abſolutè ſuam damnationem, non poſſet, & conſequenter non teneretur, ſperare Beatitudinem. Eſt D. Thomæ qu. 23. de Veritate art. 8. Ad 2. Ubi ait: *Talis revelatio cogeret eum deſperare*, id eſt, non ſperare. Hunc ſequuntur quamplurimi non tantùm ex ipſius, ſed etiam ex Scoti Diſcipulis.

Dixi: *abſolutè*; quia ſi tantùm conditionatè (ut ſemper præſumendum eſſet, niſi aliud certò conſtaret) poſſet & teneretur ſperare.

Prob. 1. Concluſio. Non poteſt quis ſperare Beatitudinem, niſi prudenter judicet, veroſimiliter ſibi futuram, ut patet ex definitione Spei in genere initio diſp. allata: ſed certus ex divina revelatione de ſua damnatione, non poteſt prudenter formare talem actum, cùm ſciat abſolutè & certò ſibi non futuram: Ergo.

Prob. 2. Quia conſtat de reprobatione Anti-Chriſti, non poſſumus ejus ſalutem æternam ſperare: ergo ſi Petro conſtaret de ſua reprobatione, non poſſet ſuam ſperare.

Prob. 3. Ex Aug. 21. de Civit. Dei cap. 24. ubi dicit quòd ſi Eccleſia certitudinaliter ſciret qui ſunt reprobi & damnandi, non plus pro illis oraret, quàm pro Diabolo: ergo ſupponit Eccleſiam non poſſe in tali ſuppoſitò eorum Beatitudinem ſperare, aliàs ſi poſſet ſperare, deberet orare: ſi autem Eccleſia tunc non poſſet ſperare, cur ſperare poſſet ille, cui immediatè fieret revelatio de contrario?

Obj. 1. Poſſet homo in noſtro caſu conſequi Beatitudinem: ergo & illam ſperare.

Reſp. Conceſſo Ant. Neg. conſeq. Quia ut ſalus ſit poſſibilis homini, ſufficit quòd habeat ſuo tempore gratias ſufficientes ad ſervanda mandata, quæ gratiæ non denegarentur ob revelatam damnationem: ut autem ſit poſſibilis Spes, non ſufficit quòd apprehendatur ſalus ut poſſibilis, ſed requiritur ut apprehendatur ut veroſimiliter futura, quod facere nequit de ſua damnatione certus: undè revelatio illa tolleret quidem poſſibilitatem Spei, non tamen poſſibilitatem ſalutis: Ex quo etiam ſequitur, quòd talis poſſet vitare peccatum finale, non tamen ſperare illius vitationem, cum ſciat certò futurum.

Inſt. 1. Poſſumus illud ſperare, quod poſſumus facere: ergo qui poteſt pœnitere finaliter, poteſt pœnitentiam finalem ſperare.

Reſp. Ant. Eſſe verum, ſecluſa revelatione de contrario; falſum verò illa poſita.

Inſt. 2. Minus eſt ſperare poſſe ſalutem, quàm poſſe illam aſſequi: ergo cùm talis poſſit hoc, poteſt & illud.

Reſp. Poſſe ſperare eſſe quidem minus, ſed non neceſſariò incluſum in alio.

Obj. 2. Revelatio illa non variat Spei objectum, cùm ſit illi extrinſeca: ergo ſicut ante poterat ſperare, ita & poſt.

Reſp. Diſt. Ant. Non variat à parte rei: C. in mente hominis, qui prudenter anteà poterat apprehendere Beatitudinem ut futuram, & jam non: N.

Obj. 3. Eadem eſt libertas homini poſt revelationem ac ante; cùm hæc nihil tollat ab homine.

Reſp. diſt. Aſſumpt. Eadem eſt libertas remota: C. proxima, quæ præſupponit omnia ad ſperandum præ requiſita, inter quæ eſt illud, quòd objectum appareat veroſimiliter futurum: N.

Obj. 4. Certus de ſua Beatitudine poteſt damnationem timere: ergo certus de ſua damnatione poteſt Beatitudinem ſperare, cùm ita ſe habeat Spes ad bonum ſicut timor ad malum.

Prob. Ant. Quia D. Paulus certus de ſua ſalute per revelationem, corpus ſuum caſtigabat, ne reprobus fieret.

Reſp. Neg. Ant. Ad probationem dico, D. Paulum (ſi poſt revelationem hoc ſcripſerit, quod negant aliqui) hoc dixiſſe non timendo, ſed referendo facienda ad vitandum peccata damnationis inductiva, à qua non fuiſſet exemptus finaliter peccando, cùm non ſciret ſe ſalvandum, niſi ſuppoſita morte in gratia.

Obj. 5. Indè ſequeretur, quòd ille non deberet mandata obſervare, cùm ſint media ad Beatitudinem, quam non poteſt ſperare.

Reſp. Quòd deberet illa obſervare, non ut ſalvus fieret, ſed ut juſtis Superiorum præceptis obediret, & ſic poſſemus pro illo orare, non quidem ut ſalvaretur (quo ſenſu intelligendus Aug. ſup.) ſed ut obtineret auxilia ad obediendum neceſſaria.

QUÆSTIO VII.

Quotuplex timor, quis laudabilis?

TImor (de quo hìc agimus, quia ordinariè Spei annectitur) eſt fuga mali imminentis. Hujus definitionem explicant Philoſophi.

CONCLUSIO I.

QUadruplicem timorem aſſignant Theologi, *Mundanum*, quo quis plus timet temporale nocumentum quàm peccatum; ità ut paratus ſit hoc illi anteponere: quod convenit hominibus mundum ejuſque commoda & voluptates ſordidas unicè quærentibus, à quibus dicitur timor ille *mundanus*, aliter humanus.

Servilem, quo peccatum vitatur, ne pœna incurratur. Eſt duplex, *purè ſervilis*, qui annexam habet peccati complacentiam, ità ut, ſi pœna non eſſet, adhuc peccatum fieret, & timor ille eſt inefficax; cùm ſit fuga pœnæ, ut ſupponitur, & non ſit: nam affectus ad peccatum remanens, utpotè etiam peccatum, eſt pœnæ inductivus: convenit ſervis, qui non ex amore Domini, ſed ex ejus comminatione diriguntur. Alter eſt *non purè ſervilis*, quo quis efficaciter fugit pœnam & conſequenter omnem affectum ad peccatum mortale pœnæ inductivum: unde quando S. Aug. & alii volunt ſolo timore gehennæ non expelli omnem peccandi voluntatem, loquuntur de timore inefficaci & purè ſervili.

Hinc

Hinc patet, quàm infundatè dixerit Van Roy Tom. 2. pag. 118. voluntatem interpretativam offenſæ Dei per voluntatem furandi anteà contractam, non retractari niſi per amorem Dei: & certè quomodo quadrare poſſunt quæ ibidem refert? dixit Concl. 9. Probabile eſſe affectum particularem, erga hoc vel iſtud peccatum, vi timoris penitùs extirpari poſſe: quomodo autem penitùs extirpari poteſt affectus ad peccatum, ubi non extirpatur voluntas peccandi interpretativa, ni fallor, Interpretativa peccandi voluntas eſt peccatum, & conſequenter ubi remanet illa voluntas, remanet affectus ad peccatum. Hac de re judicent oculatiores.

Filialem vocant, quo timetur peccatum, quia Dei offenſa eſt: hic timor, qui aliter dicitur, caſtus, reverentialis, ingenuus, convenit filiis, qui, ſi Patrem ſincerè diligunt, omne illud refugiunt quod Patri diſplicet.

Ultimus eſt *initialis* (ſic dictus, quia communiter reperitur initio converſionis, & viam parat ad timorem filialem & caſtum) eſtque ille, quo timemus culpam ſimul & pœnam, ſeu quo fugimus peccatum ut Dei offenſivum, & pœnæ inductivum.

CONCLUSIO II.

NOn eſt laudabilis, ſed vituperio dignus timor mondanus; idem eſt de purè ſervili.

Prob. 1. pars; Quia ſemper inordinatum eſt creaturam Creatori præponere: ſed timor mundanus efficit, ut homo ſit paratus potiùs Creatorem, quàm creaturam deſerere; id eſt, potiùs divinæ amicitiæ jacturam facere, quàm divitias, honores &c. perdere: ergo.

Prob. 2. pars; Quia timor purè ſervilis, annexam habet, ut diximus, peccati complacentiam; quæ intrinſecè mala eſt, ſicut ipſamet peccati commiſſio.

CONCLUSIO III.

LAudabilis eſt timor initialis; à fortiori filialis.

Prob. 1. pars. Quia timor initialis perfectior eſt timore non purè ſervili, cùm idem habeat motivum, & inſuper aliud perfectius, ut patet ex ipſius definitione: ſed bonus eſt & laudabilis timor non purè ſervilis, ut infrà dicemus: ergo & initialis: Unde huic timori accommodari poteſt illud Eccleſ. 2. *Fili accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia & timore*.

Prob. 2. pars; Quia timor filialis ex Dei amore tanquam radice pullulat: unde Pſal 18. de illo dicitur: *Timor Domini ſanctus, permanens in ſæculum ſæculi*.

CONCLUSIO IV.

ETiam laudabilis eſt timor non purè ſervilis. Eſt de Fide contra Lutherum.

Prob. tum ex Script. Luc. 12. *Timete eum qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam*, Apoc. 14. *Timete Dominum ..... quia venit hora judicii ejus*: ergo timor gehennæ, cùm à Chriſto commendetur, bonus eſt. Tum ex Trid. Seſſ. 14. cap. 4. docente timorem illum ad juſtificationem in Sacramento obtinendam diſponere: tum ex Auguſt. in Pſal. 127. *Non timet ne perdat amplexus pulcherrimi ſponſi, ſed timet ne mittatur in gehennam, bonus eſt, & iſte timor, utilis eſt*. Tum etiam ratione; quia timor ille tanquam animæ Pædagogus ipſam à peccato retrahit, & ad bonum ſtimulat, paratque homini viam ad Charitatem, affectum ad illicita excludendo, & cupiditates coercendo: unde Aug. l. 2. contra litteras Petiliani cap. 80. *Timor pœnarum, etſi nondum habeat delectationem bonæ conſcientiæ, ſaltem intra clauſtra cogitationis coerceret malam cupiditatem*.

Obj. 1. Timor ille condemnatur Rom. 8. *Non accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum*: ergo

Reſp. Apoſtolum non condemnare ibi timorem, ſed hortari Chriſtianos, ut potiùs ſpiritu amoris ducantur, quàm timoris, quo regebantur homines in Lege veteri.

Obj. 2. Timens culpam propter pœnam, magis timet pœnam, quàm culpam: nam *propter quod unumquodque eſt tale, & illud magis*: ſed hoc eſt inordinatum. ergo

Reſp. Majorem eſſe veram, ubi timens culpam ita affectus eſt, ut ſi pœna non eſſet, culpam vellet; non autem quando (nulla facta comparatione, in qua locum habet axioma præfatum) timet pœnam, & ne illam incurrat, abſtinet à culpa.

Inſt. Motivum cur vitet culpam eſt pœna vitanda: ergo niſi pœna eſſet, culpam non vitaret.

Reſp. diſt. Conſeq. Non vitaret ex illo motivo: C. Ex alio: ſubdiſt. fortè: C. certò: N. unde præſcindit, an tunc ex alio motivo necne vitaret peccatum, in quo nulla eſt deordinatio.

Obj. 3. Talis implicitè optat, ut non ſit gehenna, quod eſt inordinatum.

Reſp. Neg. Aſſumpt. Sed præciſè optat vitare gehennam.

Obj. 4. Sola Charitas, & non timor, tollit affectum peccati: ergo.

Prob. Ant. Quia, ut ait Auguſtin. lib. 2. contra Adverſarium legis cap. 7. *Deſiderium peccandi non extinguitur niſi contrario deſiderio rectè faciendi, ubi Fides per dilectionem operatur*.

Reſp. neg. Ant. Ubi timor eſt efficax, ut patet ex dictis in 1. Concl. ad Auguſt. dico non intelligi de deſiderio ſeu affectu actuali; aliàs ſemel peccans ſemper peccaret actualiter, donec Charitatem ſeu gratiam haberet, quod eſt inauditum; ſed de habituali, qui non tollitur, niſi per Charitatem aut gratiam.

Obj 5. Qui timet pœnas, non vult pœnas, & ſic optat Deum non eſſe peccati vindicem: quod eſt perverſum.

Reſp. diſt. Aſſumpt. Non vult pœnas, vitando peccatum: C. non vitando, in quo eſt perverſitas: N.

Obj. 6. Timor ille oritur ex amore proprio: ergo.

Reſp. diſt. Ant. Ex amore proprio inordinato: N. ordinato: C. quia ordinatum eſt velle vitare gehennam, cùm ipſiuſmet timorem nobis Chriſtus inculcet.

Obj. 7. Servilitas mala eſt: ſed hæc intrinſeca eſt timori ſervili: ergo.

Reſp. diſt. Maj. Pura ſervilitas: C. ſed neg. hanc eſſe intrinſecam timori efficaci, ut patet ex dictis: non pura: N.

QUÆSTIO VIII.

Sea variæ quæſtiunculæ de timore?

PEtes 1. An timor filialis maneat in Patria? Non loquor de ſervili, nec de initiali, cùm certum ſit non eſſe ibi timorem pœnæ aut culpæ ob ſtabilitatem & ſecuritatem ſtatus omne prorſus malum excludentis. Ad quæſtionem

Reſp. Si timor filialis ſumatur præciſè prout fuga mali culpæ, aut ſeparationis à Deo, ſicut accipitur ſatis communiter, clarum eſt in Patria non manere; cùm Beati ſint omnimodè certi ſe, ob ſpecialem Dei manutenentiam ſemper adfuturam, nunquam peccaturos: ſi autem ità ſumatur, ut primarius ejus actus ſit ſubjectio reverentialis ad Deum, ut volunt aliqui, dicendum eſt remanere; cùm timor ille nihil ſit aliud quàm quædam reverentia Deo debita, ob quam nolunt Beati Deum offendere: & de illo timore dicitur Pſal. 18. *Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi*. Unde D. Thom. 1. 2. q. 67. art 4 ad 2. *Timor filialis habet duos actus, ſcil. revereri Deum, & quantùm ad hunc actum manet* in gloria; *& timere ſeparationem ab ipſo, & quantum ad hunc actum non manet*.

Petes 2. Quo ſenſu dicatur Pſ. 110. *Initium ſapientiæ eſt timor Domini*.

Reſp. Hoc ſenſu quòd timor filialis ſit principium & radix vitæ ſpiritualis deputatæ à conditionibus ſtatus ſervilis; quia homo illo timore concuſſus, paulatim creſcit ſpiritualiter per mundi contemptum, & Dei amorem, donec tandem ædificium ſpirituale compleat Charitas perfecta; & ideo fortè docet Auguſtin. variis locis ordinariè homines nonniſi per timorem pervenire ad Charitatem: *Si nullus eſt timor*, inquit Tract. 9. in Epiſtol. Joan. circa med. *non eſt qua intret Charitas*.

Petes 3. An tollatur, aut ſaltem minuatur timor ſervilis per Charitatem?

Reſp. Rarò tolli, ſæpè minui. Primum inde patet, quòd pauci reperiantur ità evacuati amore proprio in quo fundatur timor ſervilis, ut jam non amplius timore pœnæ, ſed ſolo Dei amore regantur.

Secundum conſtat ex eo, quòd toties minuatur amor proprius, quoties augetur amor divinus: quo quis enim magis amat Deum, eo minùs ſeipſum, minuſque ſibi malum pœnæ apprehendit.

Petes 4. An etiam minuatur timor filialis per Charitatem?

Reſp. neg. Quin è contra augetur: quo enim Deus magis amatur, eò magis ejus offenſa timetur. Unde quando 1. Joan. 4. dicitur: *Timor non eſt in Charitate*, non excluditur

ab ea timor filialis, ſed ſervilis, quem, ut diximus, aliquando pellit Charitas; ſed valdè perfecta & deputata, & ideò ſubditur: *Perfecta Charitas foras mittit timorem*.

QUÆSTIO IX.

Quid deſperatio, quis ſit actus, quale peccatum, unde oriatur, & quæ ejus remedia?

CONCLUSIO I.

DEſperatio (quæ quia peccatum per defectum, Spei oppoſitum, hic locum reperit) eſt abjectio voluntaria & determinata omnis Spei conſequendi Beatitudinem, vel media ad illam conducentia, ex opinione impoſſibilitatis, aut nimiæ arduitatis.

Dicitur 1. *Abjectio*, id eſt, fuga, ſeu receſſus poſitivus; quia ſicut ſperans accedit ad Deum per acceſſum poſitivum, ita deſperans recedit à Deo per receſſum poſitivum; ita ut deſperatio non ſit mera deſitio ſeu omiſſio ſperandi, ſed actus fugiens Beatitudinem: undè D. Th. 1. 2. q. 40. art. 4. *importat* (deſperatio) *motum*, adeòque actum, *cujuſdam receſſus, & propter hoc contrariatur ſpei, ſicut receſſus acceſſui*. Non experitur quidem deſperans quòd dicat palpabiliter, ſaltem ordinariè, *nolo ſperare, nolo Beatitudinem*; nihilominùs apprehenſa Beatitudinis impoſſibilitate, aut nimia arduitate, fluit imperceptibiliter nolitio poſitiva, cum ſe habeat voluntas ad malum ſicut ad bonum: & ideò ſicut tendentes in bonum non ſemper experimur palpabiliter quòd dicamus, *volo*, ita nec fugientes malum ſemper experimur quòd dicamus, *nolo*.

Dicitur 2. *Voluntaria & determinata*, ut excludantur deſperationes involuntariæ, quæ ſæpè crudeliter excruciant etiam animas Sanctas, vel ex nimio timore, vel ex cerebri vacuitate, vel ex complexione melancholica, vel ex dæmonis tentatione; ad quod reflectere debet prudens Confeſſarius.

Dicitur 3. *Omnis Spei conſequendi Beatitudinem*; quia ſi reſtet ſpes aliqua, licèt valdè remiſſa, non eſt deſperatio, & ideò magnus peccator dicens: *Nunquam ſalvabor, ſi ita vivero*, non deſperat, ſi Spes modica ſuperſit vitæ mutandæ.

Dicitus 4. *Vel media ad illam* &c. quia etiam deſperare cenſendus eſt qui dicit: *nunquam obtinebo peccatorum remiſſionem*; cùm ſit impoſſibile, non remiſſis peccatis, Beatitudinem obtinere.

Dicitur 5. *Ex opinione impoſſibilitatis* &c. quia cùm Beatitudo ſit in ſe bona, non poteſt eſſe objectum fugæ, niſi apprehendatur ſub ratione alicujus mali, ſeu inconvenientis.

CONCLUSIO II.

DEſperatio eſt actus voluntatis præſupponens tamen actum intellectus.

Prob. 1. Pars. Quia Spes & Deſperatio ſunt contraria immediatè: ſed talia contraria ſunt in eodem ſubjecto, cùm debeant ſe mutuò expellere: ergo cùm Spes ſit in voluntate, ita & Deſperatio.

Prob. 2. Pars. Quia ſicut ad Spem prærequiritur judicium ut apprehenſio quòd bonum ſperatum ſit poſſibile, & per media opportuna obtinendum; ita ad Deſperationem ſimilis actus, quòd bonum ſit impoſſibile, aut nimis difficulter obtinendum. Ex quo patet, quòd judicium illud non ſit propriè Deſperatio, licèt ſit grave peccatum, tum quia falſum eſt, tum quia manifeſtè inducit ad Deſperationem.

CONCLUSIO III.

DEſperatio eſt omnium peccatorum graviſſimum in ratione averſionis à Deo, non tamen in ratione injuriæ.

Prob 1. Pars. Quia licèt quilibet peccans mortaliter, avertat ſe à Deo, indirectè tamen, in quantùm ponere vult actionem, quæ eſt amicitiæ divinæ deſtructiva; imò ordinariè vellet poſſe ponere actionem illam, & non perdere Dei amicitiam, ſi fieri poſſet: deſperans autem, actu directiſſimo ſe totum avertit & ſeparat à Deo, & quidem in æternum: undè totam Spem ſuam collocans in creaturis, virtutem deſpicit, Dei & Eccleſiæ præcepta contemnit, fugit concionatores, irridet comminationes, Dei judicia pro fabulis recipit, ſeque totum volutat in omnibus peccatis, ac præſertim impudicitiis: undè Apoſt. Epheſ. 4. *Deſperantes ſe ipſos tradiderunt impudicitiæ*. Et hinc patet periculoſiſſimum eſſe peccatum Deſperationem.

Prob. 2. Pars. Quia plus injuriæ recipit Deus per blaſphemiam, Infidelitatem, odium ipſius, ſacrilegium &c. quandoquidem hæc attingant immediatè Deum in ſe & in ſuis perfectionibus: odium quidem infinitam ipſius Bonitatem, blaſphemia aliam, vel eandem perfectionem, Infidelitas veracitatem, ſacrilegium ſanctitatem &c. ita ut illa committentes Deum privent, quantùm in ſe eſt, ſuis perfectionibus; deſperatio verò, nullam Dei perfectionem immediatè offendit, cùm credens Deum ſummè bonum, ſummè perfectum, imò ſummè ſatiativum, tantùm diffidat eſſe à ſe poſſidendum.

Dices: poteſt quis deſperare ex eo quòd credat Deum immiſericordem: ergn etiam Deſperatio offendit immediatè aliquam Dei perfectionem.

Reſp. Tunc cum Deſperatione intervenire Infidelitatem, per quam, & non per Deſperationem, læditur Dei miſericordia, ſimul & veritas nobis contrarium in Scriptura manifeſtans.

CONCLUSIO IV.

ORitur aliquandn Deſperatio ex impudicitia: ſæpè ex Acedia: non ſemper ex Infidelitate.

Prob. 1. Pars; quia delectatio venerea ita quandoque homines carnales mollit, frangit, deprimit, abſorbet, effæminat, ut rerum ſpiritualium ſaporis totaliter obliti, totaliterque delectationibus animalibus circumvoluti, deſperent ſe poſſe ab hoc maximæ adhæſionis peccato animum avertere.

Prob. 2. Pars; quia cùm Acedia victus facilè abjiciat media ad Beatitudinem conducentia, etiam facilè Beatitudinem abjicit, cùm illam reſpicit ut per media ſibi diſplicentia acquirendam.

Prob. 3. Pars; quia oriri poteſt Deſperatio præcisè ex judicio, quo quis credit ſe nunquam ſalvandum, eo quòd videat, ſe, non obſtante aſſidua inculcatione divinæ Bonitatis, Chriſti Sanguinis pro ipſo effuſi, Judicii, Inferni &c. ſemper in pejus ruere: ubi nulla Infidelitas nec antecedenter, nec concomitanter: & hinc patet, nnn poſſe quidem eſſe Spem ſine Fide, ut diximus; poſſe tamen eſſe Fidem ſine Spe. Si quis tamen deſperaret, qui crederet ſe non poſſe ſalvari, aut Deum nunquam fore propitium, quidquid egerit &c. ultra Deſperationem, committeret Infidelitatem, & tunc ex hac oriretur illa

CONCLUSIO V.

REmedia contra Deſperationem ſunt. 1. Conſiderare Bonitatem Dei volentis omnes homines ſalvare, & vocantis non tantùm juſtos ſed & peccatores etiam inveteratos, & obduratos. 2. Innumeros crimina pejora & plurima commiſiſſe, & tamen miſericordiam apud Deum inveniſſe. 3. Fervidè, humiliter, & frequenter divinum auxilium implorare. 4. Confeſſarium prudentem & charitativum ſæpè adire, ipſique candidè omnia exponere 5. quod Chriſtus animam, quam creavit, quam redemit, quam gratiis cumulavit, quam proprio corpore & Sanguine refecit, nolit perdere: *Nemo ergo diffidat*, inquit Amb. ſuper c. 2. Luc. ℣. 1. 67. *nemo veterum conſcius delictorum præmia divina deſperet. Novit Dominus mutare ſententiam, ſi tu noveris emendare delictum*. Unde Chryſ. homil. 2. in pſal. 50. ℣. 1. *Si impius es, cogita publicanum; ſi immundus es, attende Meretricem: ſi homicida es, perſpice Latronem: ſi iniquus es, cogita Blaſphemum* &c.

QUÆSTIO X.

Quid præſumptio, quale peccatum, & quæ ejus remedia?

CONCLUSIO I.

PRæſumptio (quæ eſt peccatum per exceſſum Spei oppoſitum) eſt actus voluntatis, quo quis ſperat Beatitudinem, temerariè ſibi, aut Deo innixus: unde præſumptuoſi erant Pelagiani, qui ex propriis viribus expectabant Beatitudinem: præſumptuoſi ſunt Calviniſtæ & Lutherani, qui illam à ſolo Deo, excluſis operibus bonis, præſtolantur: præſumptuoſi ſunt & Catholici, qui liberè peccant ſub ſpe veniæ in fine vitæ obtinendæ. Differt tamen hæc præſumptio ab aliis, quòd oriatur ex Dei miſericordia malè concepta, aliæ autem ex fundamento hæretico, vel quòd quis poſſit ſalvari propria virtute, ut volebant Pelagiani, vel ſine propriis meritis, ut docent Calviniſtæ & Lutherani.

Petes an opinio docens dari gratiam, ſaltem remotè ſufficientem,

cientem,

Digitized by Google

cientem, omnibus peccatoribus, etiam obduratis, tempore & loco, inducat præſumptionem?

Reſp. neg. Quis enim expectare poteſt gratiam illam in fine vitæ? cùm neſciat, an morte ſubitanea, an caſuali an ſebri phrenetica ſit corripiendus; cum neſciat an teſtamenti confectio, nimia uxoris ac prolium cura; reſtitutionis faciendæ cogitatio, negotiorum abſolutio, gratiæ rejiciendæ habitudo, non ſint gratiæ tenui & parcæ aditum excluſura. Innititur igitur baculo arundineo, quiſquis innititur illi fundamento; & conſequenter non præbet illa opinio anſam differendi pœnitentiam ad finem vitæ, ſed exaltando Dei miſericordiam ordinatè docet quoslibet peccatores non debere deſperare, in quod vitium fortè prolaberentur, ſi ſcirent ſibi gratiam ad pœnitendum, etiam remorè ſufficientem, quandoque ob priora crimina denegari.

CONCLUSIO II.

PRæſumptio eſt peccatum ex genere ſuo mortale, etiamſi non habeat annexam hæreſim.

Prob. Tum ex Scriptura præſumentes graviter redarguente, ut Eccleſ. 5. *Ne adjicias peccatum ſuper peccatum, & ne dicas: miſeratio Dei magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur.* Tum quia peccatum eſt in Spiritum ſanctum quod eſt ex genere ſuo mortale: tum etiam quia maximè inordinatum eſt velle in peccato perſeverare ſub ſpe veniæ, cùm ſit enormiter abuti divina Bonitate & Miſericordia.

CONCLUSIO III.

REmedia contra præſumptionem ſunt. 1. Conſiderare quòd non minùs ſit Dei attributum Juſtitia, quàm Miſericordia, & *Quos modò ſuſtinet peccantes, judicaturus eſt contemnentes*, inquit Auguſt. tract. 33. in Joan. 2. quòd ſit valdè incertus vitæ terminus, & fortè propior quàm credideris; unde Aug. ſup. *Semper expectas, & de miſericordia Dei tibi plurimam polliceris, quaſi ille, qui tibi per patientiam promiſit indulgentiam, promiſerit tibi etiam prolixiorem vitam.* 3. Seriò reflectere ad hanc ſententiam auream: *Pœnitentia ſera, raró vera.* 4. Quod etiam Sancti nimium de ſe præſumentes, enormiter prolapſi ſint: *Nam ſi Petrus lapſus eſt qui dixit: etſi alii ſcandalizati fuerint, ego non ſcandalizabor. Quis alius de ſe præſumat?* Auguſtin. lib. 1. de gratia Chriſti contra Pelagium cap. 45. verſ. 5. Quod peccatores confidentes in fine de bono *peccavi*, ſæpè reperiant infœliciſſimum *deſperavi*.

DISPUTATIO VI.

De Charitate.

OMnium Virtutum Reginam Charitatem pluribus in locis extollit Scriptura, extolluntque variis encomiis SS. Patres, ex quibus D. Proſperum lib. 3. de vita contemplat. cap. 13. lubet audire: *Charitas*, inquit, *eſt .... recta voluntas ab omnibus terrenis ac præſentibus prorsùs averſa .... ſumma actionum bonarum, ſalus morum, finis cœleſtium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum, anima ſanctarum mentium, cauſa meritorum bonorum, præmium perfectorum ..... ex qua quidquid eſt boni operis vivit .... ſine qua nullus Deo placuit, cum qua nec potuit aliquis peccare, nec poterit.* Sed ſuper omnes in extollenda & præſertim inſinuanda Charitate excelluit Charitatis Doctor Auguſtinus: illam enim ubique prædicat, ubique requirit, ubique laudat, ubique inculcat, ſed an eodem ſenſu, quo aliqui fortè doctrina magis, quàm reipſa Charitativi? videbimus in progreſſu.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Charitas & quotuplex?

CONCLUSIO I.

CHaritas eſt virtus Theologica, qua creatura rationalis Deum propter ſe, & ſe, ac proximum, propter Deum diligit.

Dicitur 1. *Virtus Theologica*, & quidem omnium prima, tum quia Fides & Spes ordinantur ad Charitatem (nam ideò Deum credimus, ideò ſperamus, ut tandem facie ad faciem diligamus) tum quia Deum attingit perfectiſſimè: nam ſi Fides Deum credit, ſi Spes quærit, Charitas tenet & amplectitur; tum etiam quia Fides & Spes tranſeunt, Charitas autem manet in æternum, cum ſit eadem viæ & patriæ, ut dicemus: non mirum igitur, ſi dixerit Apoſtolus 1. Cor. 13. *Major horum eſt Charitas.*

Dicitur 2. *Quia Deum propter ſe*, ſeu ut in ſe bonum: & in hoc differt à Spe, quæ Deum optat ut bonum amanti.

Dicitur 3. *Et ſe*; quia licèt fortè non poſſit quis habere amicitiam ſtrictè dictam ad ſeipſum, quod poſteà examinabimus, poteſt tamen habere veram Charitatem: quod ſupponit hoc axioma commune: *Charitas incipit à ſeipſo*: undè Aug. ſic definit Charitatem actualem lib. 3. de doctr. Chriſt. c. 10. *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe atque proximo propter Deum.*

Dicitur 4. *Et proximum*, id eſt, omnem creaturam rationalem æternæ beatitudinis capacem, adeoque Chriſtum ut hominem, Angelos, juſtos, peccatores, infideles, defunctos in gratia, ſive ſint in Cœlo, ſive in purgatorio, non tamen Damnatos aut Dæmones. Qui autem in definitione Charitatis non ponunt *ſe*, ſub nomine proximi ſeipſos comprehendunt.

Dicitur 5. *Propter Deum*; quia ſi noſmetipſos, aut proximum diligamus propter aliud motivum, non eſt Charitas Theologica.

CONCLUSIO II.

DIviditur Charitas in habitualem, quam definivimus, & in actualem, quæ eſt actus, pauló antè ab Auguſtino definitus.

Subdividitur Charitas actualis in amorem Dei ſuper omnia & in non ſuper omnia.

Primus eſt, quo Deus diligitur ſuper omnem creaturam, ſecundus quo Deus diligitur quidem, ſed minus quam creatura, ut quando quis retinens affectum mortalem ad creaturam, dat eleemoſynam propter Deum: & hic actus non procedit ab habitu Charitatis Theologicæ, cùm taliter amans ſit deſtitutus gratia ſanctificante, à qua non diſtinguitur ille habitus, ut ſuo loco dicemus.

Subdividitur etiam Charitas ſuper omnia, in perfectam & imperfectam. Prima eſt, quæ multos habet intenſionis gradus, ſecunda quæ paucos. De Charitate magis aut minus intenſa loquitur Auguſt. lib de nat. & gratia cap. 70. ubi ait: *Charitas inchoata, inchoata juſtitia eſt: Charitas provecta, provecta juſtitia: Charitas magna, magna juſtitia eſt: Charitas perfecta, perfecta juſtitia eſt.*

QUÆSTIO II.

Quodnam ſit objectum materiale & formale Charitatis?

CONCLUSIO I.

OBjectum materiale adæquatum Charitatis, ſeu, ut alii volunt, formale quod, eſt Deus, nos ipſi, & proximus, primarium tamen eſt Deus.

Prob. 1. Pars. Illud eſt objectum adæquatum Charitatis, circa quod verſatur Charitas, & non circa aliud: ſed verſatur Charitas circa præfata & non circa aliud: ergo. Major eſt certa.

Prob. Min. Verſatur quidem circa Deum, & proximum cum teneamur ex præcepto illos diligere; verſatur etiam circa nos ipſos; nam ubi jubemur diligere proximum ſicut noſmetipſos, jubemur implicitè & nos ipſos diligere, ut amor noſtri ſit menſura amoris proximi. Non verſatur autem circa aliud; quia etſi poſſimus etiam creaturas irrationales amare propter Deum, prout tamen Charitas fundata eſt ſuper communicatione æternæ beatitudinis, de qua præſertim hic agimus, ea ſolùm reſpicit quæ in hoc bono communicant, aut communicare poſſunt, qualia ſunt Deus, qui eſt beatitudinis principium, nos-ipſi ejuſdem participes, & proximi tanquam ſocii nobiſcum illius fœlicitatis unde Aug. lib. 1. de doctr. Chriſtiana c. 23. *Quatuor ſunt diligenda, unum quod ſupra nos eſt*, Deus: *alterum quod nos ſumus*, omnia noſtra: *tertium quod juxta nos eſt*, anima proximi; *quartum quod infra nos eſt*, noſtrum & proximi corpus, quod eſt per redundantiam ex gloria animæ glorificandum.

Prob. 2. Pars: Quia Deus eſt primum & principale quod ex Charitate Theologica diligimus, quod ſuper omnia diligimus, & propter quod omnia diligimus.

Obj. 1. Contra 1. part. Non poſſumus diligere peccatores, quandoquidem ſint Deo odibiles impius & impietas eius: ergo ſaltem proximus peccator non eſt objectum Charitatis.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. diſt. Ma. Non poſſumus diligere peccatores ut peccatores, ſub quo reſpectu ſunt Deo odibiles: C. ut ſunt creaturæ rationales beatitudinis capaces, ſub quo reſpectu à Deo diliguntur: N.

Obj. 2. Charitas quatenus verſatur circa proximum, non eſt Theologica, cùm talis dicatur ex eo quod verſetur immediatè circa Deum: ergo proximus non eſt objectum illius virtutis, ſed alterius charitatis moralis.

Reſp. diſt. Ant. Quatenus verſatur circa proximum propter proximum: C. propter Deum: N. ut ergo virtus aliqua ſit Theologica ſufficit, ſi primarium objectum ſit Deus, ut patet in Fide, quæ verſatur circa innumera à Deo diſtincta, modò tamen objecta ſecundaria attingantur propter Deum, aut aliquam Dei perfectionem.

Objic. 3. Amor ſui eſt inordinatus, cùm illum reprehendat Apoſt. 2 ad Timoth. 3. ubi ait: *Inſtabunt tempora periculoſa, erunt homines ſeipſos amantes*: ergo non ſumus nos objectum charitatis.

Reſp. Diſt. Ant. Amor ſui in Deo & propter Deum eſt inordinatus: N. Ex alio motivo: tranſeat, de quo poſtea.

Obj. 4. *Nemo propriè ad ſemetipſum habere Charitatem dicitur*, ait Greg. Homil. 17 in Euang. ergo.

Reſp. Fieri ibi mentionem Charitatis, quæ eſt amicitia ſtrictè dicta, adeoque reciproca, quæ nonniſi inter duos haberi poteſt; talem autem amicitiam non requiri ad charitatem etiam propriè dictam, declarat ipſamet Scriptura, dum dicit Matth. 22. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*; cùm enim diligere debeamus proximum ex charitate, ut conveniunt omnes, non poſſumus ipſum diligere ſicut noſmet-ipſos, niſi & nos ex charitate diligamus, aliàs aliter nos, aliter proximum diligeremus.

Obj. 5. Tenemur corpus mortificare jejuniis, vigiliis &c. nam *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt*, ad Galat. 5. ergo non poſſumus ſaltem corpus diligere.

Reſp. Diſt. Ant. Tenemur mortificare corpus ex odio ipſius: N. ex amore, ut nempe cruciatum in hac vita non crucietur in altera, ſed glorificetur cum anima: C.

Obj. 6. Etiam Dæmones & Damnati ſunt objectum charitatis, juxta D. Thomam 2. 2. q. 25. art. 11. ergo præfata non ſunt objectum adæquatum.

Reſp. diſt. Ant. Sunt objectum Charitatis, in ſe, & tanquam finis, cui bonum volumus: N. prout conducuntur ad Dei juſtitiam manifeſtandam: C. ſed ut ſic non ſunt ordinabiles ad Beatitudinem, ſub qua tantùm ratione conſideramus hic objectum Charitatis.

CONCLUSIO II.

OBjectum formale, ſeu motivum Charitatis, eſt Dei Bonitas abſoluta, qua in ſe infinitè bonus eſt in omni genere entis & perfectionis. Eſt Scoti 3 diſt. 27 n. 3. eſtque verior & communior.

Prob. 1. Ratione D. Thomæ, illud eſt objectum formale Charitatis, quod eſt objectum Beatitudinis: ſed Deus ut abſolutè bonus in omni genere entis & perfectionis eſt objectum Beatitudinis; cùm ut ſic ſit maximè ſatiativus: ergo

Prob. 2. Ratione Scoti, quia per Charitatem volumus Deo bonum ut ipſi bonum eſt: ſed Deus ſibi bonus eſt, ſibi beatus, in ſe perfectus per dictam bonitatem: ergo

Prob. 3. Charitas eſt omnium Virtutum Theologicarum perfectiſſima: ergo motivum habet perfectiſſimum; atqui non poteſt dari perfectius, quàm perfecta Bonitas: ergo.

Obj. 1. Objectum Charitatis debet eſſe ſupernaturale, cùm Charitas Theologica ſit ſupernaturalis: ſed Dei Bonitas abſoluta eſt objectum naturale, cum ſub illa ratione ſit principium rerum naturalium: ergo.

Reſp. neg. Ma. Nam ſicut poteſt Hæreticus Deum diligere ut authorem gratiæ & gloriæ per Charitatem naturalem; ità & nos ut authorem naturæ per Charitatem ſupernaturalem. Deinde nulla ratio aſſignari poteſt, cur objectum debeat attingi ut ſupernaturale, ubi ſupernaturalis eſt actus principiativè; & ut naturale ubi naturalis.

Præterea quando tendimus in Deum propter infinitam ipſius Bonitatem, abſtrahimus an ſit principium rerum naturalium, aut ſupernaturalium, cùm eſſet æquè amabilis ſi per poſſibile aut impoſſibile non eſſet tale principium. Et hinc patet, non eſſe neceſſe ut ſtatuatur pro motivo Charitatis Dei Bonitas ut pertinens ad ordinem rerum ſupernaturalium.

Obj. 2. Non tantùm poſſum amare Deum quia Bonus eſt, ſed etiam quia Sanctus, quia Omnipotens, quia Juſtus, quia Sapiens &c. ergo etiam Sanctitas, Sapientia &c. ſunt motivum Charitatis.

Reſp. diſt. conſequ. Ergo etiam ſapientia, &c. ut ſic, ſunt motivum Charitatis: N. Sapientia &c. ut eſt ſumma & infinita, adeoque ut perfectio Dei reduplicativè: C. ſed tunc Deitas, quæ eſt ipſamet bonitas abſoluta, eſt motivum: unde Bernardus lib. De diligendo Deo, initio, *Cauſa diligendi Deum, Deus eſt*. Ex dictis

Reſol. 1. Quod actus quo diligimus Deum propter beneficia, non ſit Charitas, ſed gratitudo.

Reſol. 2. Neceſſe Charitatem actum, quo diligimus Deum, quia nos juſtificat, nobis providet, nos gubernat; quia non ſiſtit in bono Dei ut bonum Dei eſt, ſed ut noſtrum eſt, & ſic non eſt amor amicitiæ, ſed concupiſcentiæ.

CONCLUSIO III.

EX eodem motivo diligimus proximum Charitate Theologica, ac diligimus ipſum Deum, & conſequenter eſt unus, & idem habitus Charitatis inclinans ad diligendum Deum, & proximum propter Deum: quandoquidem ubi unicum eſt operandi motivum, ſufficiat unicus habitus.

Prob. 1. concl. ex Aug. de Trinit. lib. 8. cap. 8. in fin. *Ex una eademque Charitate Deum, proximumque diligimus, ſed Deum propter Deum, nos autem & proximum propter Deum*: & ideo Scotus diſt. 8. n. 6. *Ratio bonitatis proximi non eſt ratio terminans actum*, Charitatis ſcilicet.

Prob. 2. quia Charitas in proximum eſt virtus Theologica: ergo neceſſariò debet habere pro motivo aliquid divinum: ſed non eſt aliud imaginabile; niſi ipſa Dei bonitas abſoluta, propter quam & diligimus Deum: ergo.

Prob. 3. quia ſi proximum diligeremus propter bonitatem ipſi intrinſecam ibi ſiſtendo, actus ille non eſſet Charitatis Theologicæ, ſed moralis.

Obj. 1. Charitas in proximum eſt amicitia; ſed hæc poſtulat, ut ametur amicus propter ſeipſum: ergo bonitas proximi, & non Dei, eſt motivum.

Reſp. diſt. Min. Poſtulat ut ametur propter ſeipſum, eo modo quo amabilis eſt: C. Neceſſariò ultimatè: N. quia non eſt ultimatè amabilis per Charitatem Theologicam: quod tamen non impedit, quominus ſit vera amicitia, cùm æquè ametur proximus, cùm ipſum diligo propter ipſius perfectiones, ibi ſiſtendo, quàm dum ulteriùs amorem meum in Deum refero.

Inſt. Qui amat proximum propter ſe, non habet amorem amicitiæ erga proximum, ſed concupiſcentiæ erga ſeipſum: ergo qui amat proximum propter Deum, habet amorem amicitiæ erga Deum, non erga proximum.

Reſp. neg. conſeq. Diſparitas eſt, quòd amans proximum propter ſe cenſeatur ſibi ſoli bonum velle, ità ut niſi inde commodum ſperaret, non diligeret, amans autem proximum propter Deum, ità diligit bonum proximi & Dei, ut ſi per impoſſibile Deus non eſſet, adhuc proximo bonum illud vellet.

Obj. 2. Poteſt proximus amari ſine reſpectu ad Deum Charitate naturali: ergo & ſupernaturali.

Reſp. diſt. conſeq. Supernaturali Theologica: N. Patet ex dictis: ſupernaturali non Theologica, ſi daretur: tranſeat.

Objic. 3. Nemo amatur propter bonitatem extrinſecam, ergo proximus tantùm amatur propter ſuam, & non Dei bonitatem.

Reſp. diſt. Ant. Si ad illam non dicat ordinem: C. ſi dicat, ut dicit proximus ad Deum: N. Hocque patet in medicina, quam amamus propter ſanitatem, eò quòd ad illam dicat ordinem.

Objic. 4. Amor proximi propter Deum, ſpecie differt ab amore Dei propter Deum: ergo aliud eſt motivum hujus amoris & illius.

Reſp. diſt. Ant. Differt ſpecie materiali & ſubordinata: C. quia amans proximum propter Deum, etiam movetur à bonitate proximi: differt ſpecie formali & ultimata: N. quia utriuſque actus ſpecificativum formale & ultimatum eſt bonitas divina

Obj. 5. Aliud eſt motivum colendi Deum, & aliud colendi Sanctos propter Deum: ergo ſimiliter in noſtro caſu. Prob. Ant. Quia Deus colitur propter excellentiam increatam, quæ fundat virtutem Latriæ, & Sancti propter excellentiam creatam; quæ fundat virtutem Duliæ.

Reſp. neg. conſeq. Diſparitas eſt, quòd cùm cultus Sanctorum propter Deum nō habeat ſuum ultimum ſpecificatum ab excellentia divina (quandoquidem ly *propter Deum* non ſit actus Religionis, ſed amoris, habens pro objecto Dei Bonitatem, & non excellentiam) debet illud ſumere ab excellentiâ Sanctis propria; & ideo reperiuntur hic duo motiva, & duo habitus ſeu virtutes: quod non fit in noſtro caſu, ubi per eundem actum amoris ordinatur bonitas proximi ad bonitatem Dei.

QUÆSTIO III.

An Charitas ſit vera amicitia inter Deum & homines?

SUppono ad veram amicitiam (quæ eſt amor benevolentiæ reciprocus, amantibus notus, & in bonorum communicatione fundatus) quatuor præcipuè requiri conditiones. 1. Ut ſi amor benevolentiæ, qui ex ſua ratione formali exigit, ut bonum velimus perſonæ amatæ propter ipſam, & non propter commodum noſtrum, aliàs eſſet amor concupiſcentiæ. 2. Ut amor ille ſit reciprocus, quia non dicuntur amici, niſi qui mutuo amore conjunguntur, & ideo ſi tantùm ex una parte ſit amor, erit quidem in amante Benevolentia, non tamen erit amicitia completa, quæ, juxta Philoſophum, redamationem exigit. Ut amor mutuus non lateat amantes, eò quòd inter ipſos debeat eſſe quidam quaſi convictus. 4. Ut communicent amantes tum in bonis, tum in ſimilitudine. Hoc ſuppoſito

CONCLUSIO UNICA.

CHaritas eſt vera inter Deum & homines amicitia. Eſt communis Theologorum ſententia, cui ſubſcribit Scotus 3. diſt 27. n. 10.

Prob. 1. ex Scriptura, quæ juſtos ſeu præditos Charitate vocat Dei amicos, ut Sap. 7. *Divina ſapientia, amicos Dei .... conſtituit.* Pſal. 138. *Nimis honorificati ſunt amici tui Deus*, Jac. 2. 2. *Credidit Abraham Deo ..... & amicus Dei appellatus eſt*.

Prob. 2. Quia Charitati conveniunt requiſitæ ad amicitiam conditiones: ac 1. Eſt amor benevolentiæ, cùm Juſtus per charitatem Deum diligat propter Deum, & Deus viciſſim diligat Juſtum propter ipſam Juſti utilitatem, ipſi volendo æternam beatitudinem. 2. Amor ille eſt mutuus, cùm dicat Deus Prov 8. *Ego diligentes me diligo*. 3. Non latet amantes; quia eo ipſo, quo videt homo ſe Deum amare, inferre debet ſe à Deo amari, cùm non poſſit Deum amare, niſi priùs à Deo ametur. 4 Communicant inter ſe in bonis & in ſimilitudine; in bonis quidem, cùm homo innumera à Deo beneficia recipiat, & ipſe viciſſim Deo conſerat, non quidem beneficia, ſed laudem, gloriam, honorem, obſequia &c. in ſimilitudine verò; quia homo per charitatem fit naturæ Divinæ quodammodo particeps, & quaſi deificatus.

Dices 1. Juſti dicuntur in Script. *Filii Dei*, ſicut *Dei amici*: ſed non ſunt Dei Filii propriè: ergo nec amici, & conſequenter non ſtat prima probatio.

Reſp. Diſt. Maj. Juſti dicuntur filii Dei naturales: N. adoptivi: C. jam autem ſicut ſunt propriè tales, ità & propriè Dei amici.

Dices 2. Inter Deum & homines non eſt æqualitas à Philoſopho requiſita, ergo nec amicitia.

Reſp. diſt. conſeq. Non eſt amicitia æqualitatis: C. excellentiæ & proportionis: N. hanc autem etiam veram eſſe amicitiam & quidem excellentiorem, declarat ipſemet Philoſophus Ethic. lib. 8. cap. 4. dicens: filiorum ad parentes & hominis ad Deum eſſe amicitiam, ſicut ad aliquod excellens.

Dices 3. Deus non amat homines propter homines, ſed propter ſe, juxta illud Proverb. 16. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*: ergo ſaltem ex parte Dei non eſt amor benevolentiæ.

Reſp. diſt. Ant. Amat homines propter ſe tanquam finem, ad quem neceſſariò omnia referri debent: C. propter ſe, id eſt, in ſui commodum & utilitatem, quod importat amorem concupiſcentiæ: N. quia nec noſtri, nec noſtrorum indiget: unde amando homines, non ſuam, ſed hominum quærit utilitatem.

Dices 4. Neſcit homo, an diligatur à Deo, cùm neſciat an odio vel amore dignus ſit: ergo inter ipſos non patet amor mutuus.

Reſp. diſt. Ant. Neſcit evidenter: C. probabiliter: N. probabilem autem mutui amoris notitiam ſufficere ad amicitiam, pluſquam certum eſt; aliàs cum hominis interiora non evidenter pateant, nequidem poſſet eſſe amicitia inter homines.

Petes; An pueri baptizati ſint etiam Dei amici?

Reſp. Sic vocari phraſi Eccleſiaſtica, licèt in rigore non ſit inter ipſos & Deum vera amicitia, eò quòd ex parte ipſorum deſint conditiones ad amicitiam requiſitæ; quia tamen reperitur in ipſis Charitas habitualis, qua fiunt redamandi capaces in actu primo, etiam dicuntur amici.

QUÆSTIO IV.

An ſit eadem Charitas Viæ & Patriæ?

CONCLUSIO I.

EAdem eſt Charitas habitualis Viæ & Patriæ. Eſt communis & certa.

Prob. 1. Ex Script. 1. Cor. 13. *Charitas nunquam excidit*: excideret autem, ſi alia eſſet Viæ, alia Patriæ. Nec valet, ſi dicas, charitatem non excidere, quia alia illius loco ſubrogatur ſpecie diſtincta; in hoc enim ſenſu nec evacuaretur Fides; cùm ejus loco ſuccedat ſcientia beatifica, quod tamen repugnat Apoſtolo ibidem, ut de Fide agentes, oſtendimus.

Prob. 2. Quia ſecundùm nos charitas habitualis & gratia ſanctificans ſunt unus & idem habitus realiter: ſed manet eadem gratia in Patria ac in via, ut concedunt omnes: ergo & eadem Charitas.

Dices 1. Evacuabitur Fides in Patria: ergo & Charitas.

Reſp. neg. conſeq. Diſparitas eſt, quòd Fides tendat in Deum modo imperfecto, nempe obſcurè & inevidenter; jam autem, cùm venerit, quod perfectum eſt, nempè viſio clara & evidens, evacuabitur quod imperfectum eſt, nempè viſio obſcura & inevidens. Charitas verò cùm tendat in Deum ſecundùm ſe, abſtrahendo à modo perfecto & imperfecto, ſeu à conditionibus præſentiæ & abſentiæ, non eſt cur evacuetur in Patria.

Dices 2. Alius eſt ſpecie amor Viæ, & amor Patriæ, ut jam dicemus: ergo & habitus. Prob. conſeq. quia taliter diſtinguuntur habitus, qualiter actus.

Reſp neg conſeq ad prob. diſt. aſſump. Taliter diſtinguuntur habitus qualiter actus, cùm ab actibus producuntur: C. cùm ſint ab actibus independentes, & habent ſe ad inſtar potentiæ, ut habitus Theologici: N. nam ſicut ab eadem potentia procedere poſſunt actus ſpecie diſtincti, ità & ab eodem habitu Theologico actus diverſi, ubi ſaltem objectum modo valdè diverſo attingitur, ut hic.

CONCLUSIO II.

ALia eſt ſpecie Charitas actualis Viæ, & alia Patriæ. Ità inter Thomiſt. Cajetanus, Capreolus, Ferrarienſis, & alii cum D. Thom. 2. 2. q 24. art. 1. Et inter Scotiſt. Lichetus, de Pitigianis, Herinx, & alii communiter cum ſuo Duce 3. diſt. 31. & alibi:

Prob. 1. Ex D. Thoma ſup. Quia, cùm duo ita ſe habent inter ſe, ut quantumvis unum perficiatur, non poſſit attingere perfectionem alterius, bene infertur unum eſſe altioris ordinis, adeoque diſtinctæ ſpeciei; ſed juxta Doctorem Angelicum, quantumvis augeatur amor Viæ, non poteſt attingere perfectionem amoris Patriæ, *ſicut linea* (exemplum eſt D. Thomæ) quantumcunque creſcat, non attingit quantitatem ſuperficiei: ergo &c.

Confirm. Ex eodem 2. p. q. 90 art 2. ad 1. ubi ait: *Potentiæ appetitivæ diſtinguuntur ſecundum differentiam apprehenſorum, ſicut ſecundum propria objecta*: ſed certum eſt aliter apprehendi Deum per Fidem, & aliter per lumen Gloriæ: ergo Charitas conſequens Fidem, diſtinguitur eſſentialiter à charitate quæ conſequenter lumen Gloriæ. Nec dicas, hoc tantum ſtare, quando apprehenſio proponit diverſam rationem motivam appetitus; hoc ſiquidem totaliter deſtruit rationem D. Thomæ, quia, nulla facta diverſi motivi mentione, ex diverſis apprehenſionibus diverſitatem colligit.

Prob. 2. Authoritate Scoti ſup. n 4. *Dico quod reſpectu Dei in ſe non ſolum ſunt actus intelligendi & volendi, qui ſunt actus ſubordinati, ſed etiam actus diligendi ſic & ſic: ſcilicet non tantum differentes ſecundùm magis & minus in eadem ſpecie, ſed ſicut media & extrema*, ſeu ſpecies *in eodem genere*.

Prob. 3. ratione; quia Charitas Patriæ verſatur circa Deum præſentem, clare & in ſe viſum, & Charitas Viæ in Deum abſentem, obſcurè & per ſpecies alienas cognitum: ergo ſicut clara viſio, & obſcura cognitio differunt ſpecie, ita charitas viæ & charitas patriæ in illis fundatæ.

Confirm. 1. Quia ſi eadem veritas modo clara, modo obſcura, poſſit diverſificare ſpecie cognitiones, quidni eadem bonitas modò intuitivè, modò abſtractivè propoſita diverſificare amores? Undè falſum eſt, actus voluntatis tantùm ſpecificari à re cognita & nunquam à cognitione, cùm dicat D. Thomas ſup. non tantum ſecundùm objecta, ſed etiam ſecundùm differentiam apprehenſorum ſumi diverſitatem.

Confirm. 2. Quia non tantum ſpecificantur actus voluntatis objectis terminativis & motivis ut in ſe ſunt, ſed etiam ut

rep. æ-

repræſentantur : ergo ubi diverſæ eſſentialiter repræſentationes ; etiam diverſi amores. Conſequentia clara eſt. Prob. Ant. quia diverſa objecti repræſentatio diverſimodè afficit & movet voluntatem, ut convincit experientia, & conſequenter voluntas diverſimodè, ſeu per actus diverſos tendit in illud.

Notandum tamen, non omnem diverſitatem applicationis objecti, ſeu cognitionis illius, diverſificare actum voluntatis, ſed tantùm diverſitatem neceſſariam & eſſentialem, ut quando una cognitio eſt abſtractiva, & altera intuitiva : quòd fit in noſtro caſu, ubi prima præſupponitur amori viæ, & ſecunda amori Patriæ.

Prob. 4. Per amorem Patriæ homo eſt formaliter Beatus, cùm in illo amore conſiſtat eſſentialiter Beatitudo, ſecundum nos : ſed per amorem Viæ non eſt formaliter Beatus, ut concedunt omnes : ergo alius eſt amor Viæ & alius Patriæ.

Obj. 1. Actus ſpecificantur ab objectis: ſed idem eſt objectum materiale & formale amoris in Via, & in Patria, nempè Deus bonus : ergo

Reſp. diſt. Ma. Specificantur ab objectis inadæquatè: C. adæquatè: ſubdiſt. aliquando : C. ſemper : N. nam ubi requiruntur repræſentationes objecti diverſæ, etiam ab illis ſpecificantur.

Obj. 2. Voluntas tendit in objectum ſecundum ſe, abſtrahendo à præſentia & abſentia : ergo ſive objectum amabile ſit præſens, ſiva abſens eſt idem amor.

Reſp. diſt. Ant. Voluntas tendit in objectum ſecundùm ſe, id eſt, non movetur ab ejus præſentia aut abſentia ad amandum: C. id eſt non aliter tendit in objectum præſens quàm abſens : N.

Obj. 3. Cognitio reſpectu amoris eſt pura conditio objecti ; ergo ſive illa varietur, ſive non, variatur amor.

Reſp. diſt. Ant. Cognitio eſt pura conditio objecti, nempè quando una cognitio circa objectum non differt eſſentialiter ab altera circa idem objectum, non diverſificant actum voluntatis. C. ſecùs : N. Patet ex dictis. Hinc

Reſol. 1. Amorem Viatoris quantumcunque intenſum, non poſſe attingere perfectionem eſſentialem amoris beatifici, quãtumcunque remiſſi, cum hic ſit altioris ordinis, poteſt tamen eſſe perfectior accidentaliter, ſeu magis intenſus, quandoquidem B. Virgo intenſius amaverit Deum in via, quàm quilibet Beatus, etiam Angelus in Patria.

Reſol. 2. Amorem in Patria, cæteris paribus, eſſe intenſiorem quam ſit amor Viæ, quandoquidem objectum præſens, præſertim infinitè bonum, longè vehementiùs accendat voluntatem, quàm objectum abſens.

Reſol. 3. Hunc paſſum Matth. 11. *Qui minor eſt in Regno Cœlorum, major eſt illo*, id eſt, Joanne Baptiſta, intelligendum eſſe quoad actum ; quia, ut diximus, amor Patriæ quantumcunque remiſſus, prævalet eſſentialiter amori Viæ : non tamen quoad habitum : quia certum eſt Joannem Baptiſtam, ſicut & multos alios habuiſſe majorem charitatem habitualem in Via, quàm in Patria pueros cum ſola gratia baptiſmalis defunctos, aut alios de communi grege Beatorum, cùm nullum ſit fundamentum aſſerendi, quod habitus Charitatis augeatur poſt mortem: Aliter paſſum præfatum interpretantur Aug. tract. 13. in Joan. & Chriſ. hom. 27. in Matth. in fin. per *Minorem* intelligentes Chriſtum : quaſi diceretur, Chriſtus qui propter ſpeciem humilem minor apparet in Regno Cœlorum, id eſt, in Eccleſia militante, major eſt Joanne Baptiſta.

QUÆSTIO V.

An Charitas poſſit augeri, quomodo augeatur, per quos actus, & quando?

CONCLUSIO I.

POteſt augeri Charitas quamdiù ſumus in ſtatu Viæ. Eſt definitum in Concil. Viennenſi contra Begardos, & Beguinas, qui volebant ità poſſe augeri charitatem in Via, ut homo non poſſet ulterius progredi.

Prob. Concl. 1. Ex Script. Eccl. 18. *Ne verearis uſque ad mortem juſtificari*: 2. Petr. 3. *Creſcite in gratia*, Apocal. ultimo: *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc* : undè hanc Fidei veritatem ſupponens Eccleſia, petit à Deo, Dom. 13. poſt Pent. *Fidei, Spei, & Charitatis augmentum*.

Prob. 2. Ex PP. Leone ſerm. 2. de Quadr. *Hæc eſt perfectorum vera juſtitia ut nunquam præſumant ſe eſſe perfectos ; ne ab itineris nondum finiti intentione ceſſantes, ibi incidant in deficiendi periculum, ubi proficiendi depoſuerint appetitum*. Proſper. ſent. 102. *In hac vita, quæ tota tentatio eſt, etiam in ſublimiſſimis Sanctis non apprehenditur illa perfectio, cui non ſuperſit aſcenſio*. Idem habent alii Patres.

Prob. 3. Quia quamdiù vivimus, ſemper Viatores ſumus, ſemperque ad terminum tendimus, non corporis greſſu, ſed mentis affectu : contrarium autem fieret, ſi ultimum perfectionis ſtatum attingere poſſemus, cùm tunc eſſemus in termino, adeoque Viatores eſſe deſineremus. Præterea ſecundùm nos, non diſtinguitur charitas habitualis à gratia ſanctificante : ſed hæc ſemper poteſt augeri : ergo & illa. An autem augeri poſſit in infinitum, dicemus agentes de juſtificatione.

CONCLUSIO II.

AUgetur Charitas per additionem gradus ad gradum. Eſt communior & verior contrà quoſdam Thomiſtas volentes augmentum fieri per qualitatem eandem manentem, ſed in ſubjecto magis radicatam. Hæc quæſtio magis eſt Philoſophica quàm Theologica. Nihilominùs,

Prob. breviter 1. rejiciendo hanc Thomiſtarum ſententiam; quia ubi major Charitas, ibi plus Charitatis: ſed ſi augmentum fieret propter majorem radicationem ejuſdem omninò qualitatis, ubi major eſſet Charitas, non eſſet plus Charitatis, ſed eadem charitas magis radicata, ſeu magis adhærens : ergo. Deinde vel illa major radicatio eſt aliquid Charitatis, vel non : ſi eſt, nihil eſt aliud quam additio Charitatis ad Charitatem, quod ſuſtinemus. Si non, non poteſt augere Charitatem in ratione Charitatis, niſi Charitas, ſicut nihil auget calorem in ratione caloris, niſi calor. Præterea poteſt Deus ponere totam Charitatem Petri intenſam ad ſex, contra ſubjectum, cum ita ponat totam albidinem panis in Euchariſtia: hoc poſito, vel Charitas Petri ſeparata, eſt adhuc intenſa ad ſex, vel non : ſi ſic: ergo habetur intenſio independenter à majori radicatione in ſubjecto. Si non : ergo non poteſt ponere totam Charitatem Petri extra ſubjectum.

Prob. 2. Quia ſententia noſtra ita eſt ſenſui communi conformis, ut omnis qui nihil etiam de Philoſophia audivit, interrogatus quomodo augeatur calor in manu (idem eſt de Charitate in anima) ſit reſponſurus : per acceſſum novi ad priorem, ſicut augetur aqua per novam advenientem. Plura in Phyſica.

CONCLUSIO III.

CErtum eſt in noſtra ſententia augeri habitum Charitatis per quemlibet actum meritorium gratiæ, cùm, ſecundùm nos, gratia & Charitatis ſint unus & idem habitus ; ſed, ut ſatisfaciamus ponentibus duos habitus ; ſit

CONCLUSIO IV.

AUgetur habitus Charitatis per quemlibet Charitatis actum, etiam habitu remiſſiorem. Eſt contra Victoriam, Soto, & quoſdam alios volentes, actus Charitatis remiſſos, eſſe quidem meritorios augmenti gratiæ & gloriæ, non tamen Charitatis.

Prob. 1. Authoritate D. Thomæ 2. 2. q. 24. art. 6. Ad 1. Ubi ait : *Quilibet actus Charitatis meretur Charitatis augmentum*, Quid clarius ?

Prob. 2. Ratione. Quilibet actus Charitatis meretur augmentum gratiæ, ut concedunt adverſarii, & docet Trident. Seſſ. 6. cap. 10. Imò & Scriptura Marci 9. ubi calici aquæ frigidæ dato in Chriſti nomine (quod eſt opus Charitatis valdè remiſſum) promittitur merces gloriæ, adeoque & gratiæ, cùm hæc ſit ſemen illius, ſed nulla eſt ratio, cur per actum Charitatis augeatur gratia, & non charitas : ergo

Prob. Min. Quia ideo dicitur non poſſe tunc augeri habitum Charitatis, quia intenſior eſt actu; ſed ſæpe etiam intenſior eſt habitus gratiæ actu charitatis: ergo tunc vel neuter habitus augetur, vel uterque.

Prob 3. Quia inde ſequeretur quod eliciens actum Charitatis intenſum ad duo, poſſet mereri augmentum charitatis, & eliciens intenſum ad quinque, non mereri : quod eſt abſurdiſſimum, Prob. Sequela, quia poſſet fieri quod operans ut duo, haberet habitum ut unum, & operans ut quinque, haberet habitum ut ſex : quo caſu mereretur primus, quia haberet actum intenſiorem habitu, & non mereretur ſecundus, eò quòd intenſior eſſet habitus quàm actus.

Prob. 4. Juxta D. Thom. 1. 2. q. 110. art. 4. ad 1. Diffluit charitas à gratia, ſicut proprietas ab eſſentia: ſed nunquam augetur eſſentia, niſi augeatur proprietas : ergo

Dices 1. Debet præmium proportionari merito: ſed augmentum habitus intenſi ſuperat actum remiſſum : ergo

Reſp. Neg. Min. Quia gradus activus habitus intenſi eſt omninò ejuſdem rationis, ac gradus activus habitus remiſſi, cùm omnes gradus ſint ejuſdem rationis, ut de intenſione qualitatum dicitur in Phyſica.

Digitized by Google

Dices 2. Prædítus habitu intenſo & remiſsè operans, indignus eſt præmio, cùm malè utatur habitu.

Reſp. Non malè uti habitu, cum nulla lege teneatur actum intenſiorem ponere, & aliundè ponat actum bonum.

CONCLUSIO V.

Eodem inſtanti quo elicitur actus Charitatis, etiam remiſſus, intenditur Charitas habitualis in eſſe Charitatis, ut conceditur communiter, imò etiam in eſſe habitus, ſeu qualitatis, quod negant aliqui.

Prob. 1. Pars; quia nulla eſt ratio, cur augmentum illud differatur: & certè, ſi peccatori elicienti actum Contritionis perfectæ ſtatim conferatur gratia, quidni juſto elicienti actum Charitatis ſtatim conferretur charitatis augmentum? præſertim cum hic mereatur de condigno, ille tantùm de congruo, & aliundè augmentum illud ſit præmium hujus vitæ.

Prob. 2. Pars; quia charitas in eſſe charitatis non differt à ſe ipſa in ratione habitus ſeu qualitatis: ergo, cum ſtatim conferatur in ratione charitatis, etiam ſtatim confertur in ratione qualitatis. Prob. Ant. quia charitas habitualis eſt eſſentialiter qualitas; idem autem non poteſt differre realiter à ſua eſſentia.

Dices: charitatem in eſſe charitatis nihil aliud eſſe, quàm jus ad charitatis augmentum, jam autem poteſt quis acquirere jus ad aliquid, & non ſtatim illud accipere. Sed

Contra eſt, quòd ſolum jus ad augmentum, non ſit augmentum, & conſequenter falsò dicatur augeri charitas. Deinde ſi ſtatim jus ad augmentum acquiritur, cur non ſtatim confertur? cùm augmentum illud, etiam in ratione qualitatis, ſit præmium hujus vitæ.

Replicabis: non ſtatim conferri propter inſufficientem ſubjecti diſpoſitionem; quia actus remiſſus, etſi habeat rationem meriti, non tamen diſpoſitionis ſufficientis. Sed

Contra eſt, quòd nec Scriptura, nec Concilia, nec PP. allam requirant diſpoſitionem ad recipiendum charitatis aut gratiæ augmentum, quàm ad aliud merendum: ergo ſi actus remiſſus ſufficit ad merendum, etiam ſufficit ad recipiendum. Nec eſt, quòd ad rationem recurratur, dicendo per remiſſum non poſſe augeri intenſum, nam ſi actus remiſſus ad duo poſſit intendere qualitatem ad unum, quidni qualitatem intenſam ad quatuor aut quinque, cum ſextus aut ſeptimus gradus ſit ejuſdem rationis ac ſecundus, & conſequenter non plus requirat diſpoſitionis in ſubjecto?

Confirm. concl. Si ſtatim ab actu remiſſo non confertur augmentum charitatis, nunquam confertur: non quidem poſt mortem, cum præmium alterius vitæ ſit Gloria, & non gratia aut Charitas; ita ut nullus Scripturæ locus, nullus Pater, nullum Concil. nullus Pontifex, imò nec D. Thomas, nec ullus alius Theologus ante ipſum oſtendat vel umbram augmenti Charitatis vel gratiæ in altera vita conferendi, & conſequenter ſine fundamento id aſſeritur: non etiam in hac vita, quando juſtus actum Charitatis ferventiorem elicit, quia tunc recipit pro actu ferventiori augmentum ſuo merito & diſpoſitioni adæquatum, & conſequenter nec cenſetur diſpoſitus, ut recipiat augmentum prioribus actibus remiſſis debitum: ergo cùm actus remiſſi mereantur augmentum, ut concl. 4. diximus, concludendum eſt ſtatim conferri: vult quidem D. Thomas 1.2. q.114. art. 8. ad 3. non conferri augmentum gratiæ, niſi quis fuerit ſufficienter diſpoſitus, & idem repetit 2.2. q.24. art.6 ad 1. de augmento Charitatis; ſed cùm, ut oſtendemus, actus remiſſus ſufficienter diſponat ad augmentum ſibi proportionatum, non eſt cur differatur.

QUÆSTIO VI.

An poſſit minui aut tolli Charitas habitualis?

CONCLUSIO I.

De lege ordinaria non poteſt minui Charitas habitualis. Eſt communis & certa.

Prob. Si poſſet minui, aut per peccatum mortale, aut per veniale: cùm nihil aliud poſſit aſſignari: atqui per neutrum minui poteſt: ergo. Non quidem per mortale, cùm illam totaliter deſtruat, ut dicemus poſtea: non etiam per veniale, quia ſi per primum veniale tollatur unus gradus aut ſemigradus Charitatis, per ſecundum tolletur ſecundus, per tertium tertius, & ſic deinceps, ità ut poſſet quis privari omni Charitate (adeoque & omni gratia, à qua non diſtinguitur) ſicque damnari, ſine peccato mortali: quod eſt contra poſitam Dei Legem, qui licèt id ſtatuere potuerit, id tamen non fecit.

Dices 1. Auguſt. Epiſt. 565. ad Seleucianam, alias 108. ſic loquitur de venialibus: *Si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt & oppriment, ſicut unum aliquod grande peccatum:* ergo tandem poſſunt venialia tollere Charitatem.

Reſp. Neg. Conſeq. & dico, nolle Auguſtinum per multa venialia tolli Charitatem, ſicut tollitur per unum mortale, aliàs occiderent animam, quod tamen ipſemet negat ſer. 41. de Sanctis, ubi de venialibus ait: *Quibus peccatis licèt occidi animam non credamus* &c. ſed tantùm vult, quòd ſicut unum mortale ſuo pondere in aliud trahit, ita & in grave trahunt venialia multiplicata, juxta illud Eccleſ. 19. *Qui ſpernit modica, paulatim decidet*.

Dices 2. Venialia minuere Charitatem per partes ſemper minores & minores, & ſic nunquam totaliter abſumi quantumcunque multiplicentur.

Reſp. Subtilitatem illam philoſophicam non evacuare difficultatem, cùm ſecundum & tertium veniale poſſit eſſe gravius primo, adeòque non minorem, ſed majorem partem abſumere.

Dices 3. Ultimum veniale, utpotè auferens ſtatum gratiæ, erit mortale, & ſic non damnabitur quis ſine peccato mortali.

Reſp. Peccatum non eſſe mortale; quia extinguit Charitatem; ſed è contra extinguere Charitatem, quia mortale eſt; cùm ſubſtractio gratiæ ſit pœna peccati.

Deinde, cùm neſciat quis quot gradibus Charitatis ſit præditus, quoties veniale committeret, peccaret mortaliter, cùm ſe exponeret periculo expellendi ultimum gradum Charitatis.

CONCLUSIO II.

Fatendum tamen, venialia minuere fervorem & exercitium Charitatis.

Ratio eſt; quia ſicut per opera Charitatis debilitatur cupiditas, ita per venialia cupiditatis opera debilitatur Charitas, difficiliuſque in actus ſuos prorumpit ob generatos inde habitus vitioſos, & denegata uberiora gratiæ auxilia, majoremque ad recipiendos divinos influxus indiſpoſitionem.

CONCLUSIO III.

Tollitur charitas per quodlibet peccatum mortale. Eſt de fide contra varios Hæreticos, & præſertim Calvinum, qui docet ſolos Electos juſtificari, & ſemel juſtificatos nunquam gratiam perdere.

Prob. 1. Ex Script. Rom. 6. *Stipendia peccati mors*, & Jac. 1. *Peccatum, cùm conſummatum fuerit, generat mortem*: atqui non generat mortem corporis, ut experientia convincit: ergo mortem animæ; & conſequenter tollit vitam ipſius, quæ eſt gratia, ſeu charitas.

Prob. 2. Ex Concil. Trid. Seſſ. 6. cap. 15. *Aſſerendum eſt non modo infidelitate ... ſed etiam quocumque alio mortali peccato ... acceptam juſtificationis gratiam amitti*.

Dices 1. *Charitas nunquam excidit*: 1. Corinth. 13.

Reſp. Nunquam excidere, quia moriens cùm illa, eam ſervat in Beatitudine, licèt non ſervet Spem aut Fidem; & ideo hæ excidunt, non illa ad ſenſum Apoſtoli: excidit tamen aliquando charitas tempore vitæ, quando quis objectum charitatis, nempe bonitatem infinitam, poſtponit turpiter creaturæ.

Dices 2. *Omnis qui natus eſt ex Deo ..... non poteſt peccare*. Joan. 3. ergo nec charitatem perdere.

Reſp. Tantùm velle natum ex Deo, ſeu Filium Dei per charitatem, non poſſe peccare graviter quamdiu manet filius Dei, quia taliter peccans cognoſcitur eſſe filius Diaboli.

Dices 3. Cant. 8. legitur: *Aquæ multæ*, idest tribulationes, perſecutiones, tentationes, *non potuerunt extinguere Charitatem*.

Reſp. Fieri ibi mentionem charitatis, non quorumlibet juſtorum, ſed Chriſti, quem aquæ multæ contradictionum, tormentorum, irriſionum, blaſphemiarum non potuerunt impedire, quominus pro Eccleſia Sponſa ſua Sanguinem & Vitam in Cruce funderet.

Dices 4. Rom. 8. legitur: *Certus ſum enim quia neque mors, neque vita ... neque creatura alia poterit nos ſeparare à Charitate Dei*.

Reſp. Relictis variis hujus textus interpretationibus, quòd nulla quidem creatura nos ſeparabit à Charitate Dei, bene tamen propria voluntas, ſi, relicto Creatore, ad creaturam convertamur: unde Bernard. ſerm. de Duplici Baptiſmo rectè monet, quòd nulla creatura à Dei Charitate ſeparare nos poteſt; ſed quòd ſola propria voluntas id ipſum poteſt.

Digitized by Google

QUÆSTIO VII.

An, quomodo, & quando obliget præceptum Dilectionis Dei?

CONCLUSIO I.

DAtur præceptum verum, & ſpeciale diligendi Deum, etiam actu interno. Eſt communis Theologorum ſententia contra paucos, qui putarunt præceptum dilectionis Dei ſufficienter adimpleri per ſolam aliorum præceptorum obſervantiam.

Prob. 1. Datur verum & ſpeciale præceptum honorandi parentes actu externo & interno; quia expreſſe habetur Exod. 20. *Honora Patrem tuum* &c. ſed etiam expreſſè legitur Deuter. 6. & Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum* &c. ergo. Et ne dubitares etiam amorem internum requiri, additur: *Ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*. Quid expreſſius?

Prob. 2. Ex condemnatione hujus propoſitionis, ab Alexand. VII. *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*.

Prob. 3. Ratione; quia lex naturæ dictat verè diligendos eſſe parentes, quia ſunt principia noſtra: ergo à fortiori verè diligendum eſſe Deum, qui eſt primum omnium principium & finis: jam autem non verè diligitur, ubi actu interno non diligitur. Præterea vel nullum objectum poteſt amorem noſtrum internum exigere, vel exigit Deus, cùm ſit infinitè & eſſentialiter ipſa Bonitas & amabilitas.

Obj. 1. Hoc præceptum non exprimitur in Decalogo.

Reſp. diſt. aſſump. Non exprimitur explicitè: C. implicitè: N. Eo enim ipſo, quo ponitur: *Ego ſum Dominus Deus tuus*, ſtatim ratio naturalis infert ipſum eſſe diligendum.

Obj. 2. Servans Dei mandata, dicitur Deum diligere, Joan. 14. Ergo non requiritur alia dilectio: unde Chryſoſt. Hom. 74. in Joan. *Hæc eſt dilectio credere & parere dilecto*.

Reſp. Hoc eſſe verum, ſed inter mandata habetur hoc: *Diliges Dominum Deum tuum*. & certè mirum eſſet, quòd alia præcepta eſſent ſpecialiter obſervanda, & tamen hoc, quod *eſt maximum & primum mandatum*, Matth. 22. non eſſet ſpecialiter obſervandum.

Obj. 3. D. Bernardum ſer. 50. in Cantic. Ubi poſtquam dixit: *Eſt Charitas in actu*, nempe externo, ut ſe explicat, *& eſt in affectu*, concludit: *Illa mandatur ad meritum, iſta in præmium datur*: ergo agnoſcit præceptum amoris externi, non interni.

Reſp. S. Doctorem in illo Serm. triplicem diſtinguere affectionem, *quam caro gignit, quam ratio regit, & quam condit ſapientia: prima quidem*, ait, *dulcis, ſed turpis; ſecunda, ſicca, ſed fortis; ultima pinguis & ſuavis eſt*. Hanc affectionem negat eſſe præceptam utpote difficiliorem homini viatori, ob continuas diſtractiones, non tamen id negat de ſecunda, ut ſatis inſinuat ibidem. Deinde propria experientia noverat non omnem affectum amoris eſſe ità difficilem, ut præcipi non poſſet.

CONCLUSIO II.

DEbemus Deum amare ſuper omnia, ſaltem objectivè & appretiativè. Eſt communis & certa. Porrò tripliciter poſſumus Deum magis diligere quàm quodlibet aliud. 1. Objectivè, volendo illi plus boni quàm aliis. 2. Appretiativè, quando eum pluris facimus, quàm quodlibet aliud objectum, ità ut parati ſimus potiùs omnia perdere, imò & vitam propriam, quàm Dei amicitia privari. 3. Intenſivè, dum actu majori ſeu conatu intenſiori Deum præ alio diligimus.

Prob. 1. pars Concl. quia ſi bonum volumus creaturæ, quia bona eſt, ſequitur nos debere plus boni, id eſt, laudis, gloriæ, honoris &c. Deo deſiderare, quàm omnibus creaturis ſimul, cum omnes ſimul infinitè ſuperet bonitate.

Prob. 2. pars 1. Ex Script. Matt. 10. *Qui amat Patrem plusquam me, non eſt me dignus*: ergo ſi Patri & Matri debemus Deum præferre, à fortiori cæteris creaturis.

Prob. 2. Ratione; quia cùm Deus ſit abſolutè & ſimpliciter ſuper omnia bonus, etiam abſolutè & ſimpliciter eſt ſuper omnia diligendus. Accedit, quòd plus finem diligamus, quàm ea quæ propter finem diligimus; ſed creaturas amare debemus propter Deum tanquam finem ultimum: ergo.

Dices 1. Si Deus eſſet ſuper omnia appretiativè ſeu prælativè diligendus, omne peccatum eſſet mortale, cùm in quovis peccato præferatur quædam delectatio aut utilitas, Deo.

Reſp. neg. Aſſumpt. Quia cùm peccatum veniale non tollat Dei amicitiam, non cenſemus levem delectationem aut utilitatem Deo præferre; imò peccando venialiter parati ſumus, ſaltem habitualiter, etiam ab hac levi delectatione abſtinere, ſi ſciremus tollendam eſſe per eam Dei amicitiam.

Dices 2. Amor fundatur in unitate: ſed magis unimur nobis, quàm Deo: ergo poſſemus nos magis, quàm Deum amare.

Reſp. diſt: Maj. Fundatur in unitate hoc ſenſu, quòd ubi major eſt unitas, aut conjunctio, major ſit dilectio, cæteris paribus: C. ubi cætera non ſunt paria: N. jam autem cùm Deus ſit bonum univerſale, nos particulare, Deus bonum infinitum, nos finitum, non eſt mirum, quòd amor noſtri ſubordinetur amori Dei, tanquam finis medius ad finem ultimum.

Dixi in concl. *Saltem objectivè & appretiativè*; quia dubitatur an etiam intenſivè, & licèt videatur communior ſententia negativa, certum eſt Scotum in affirmativam magis, imò totaliter propendere, cùm doceat in terminis 3. diſt. 27. n. 16. Deum eſſe diligendum ſuper omnia *intenſivè & extenſivè*, & ut occluderet os Scotiſtarum ipſum explicare volentium, ſic loquitur ubi 17. *ſicut enim teneor diligere Deum ſuper omnia alia extenſivè, ita etiam majori affectu, quàm aliquod aliud*: unde nullus relinquitur vero Scotiſtæ explicandi locus: & ideo ſit

QUÆSTIO III.

TEnemur etiam Deum amare ſuper omnia intenſivè, ſeu (ut tollatur omnis ſcrupulus, quem nobis immeritò obtrudunt adverſarii) debemus, quoties Deus eſt diligendus, quanto poſſumus affectu, in ipſum tendere, ſi ad hanc obligationem advertimus, ità ut ſi faciamus quidquid in nobis eſt, ut ipſum diligamus magno fervore, & quidem majori quàm quodlibet aliud, fiamus à peccato immunes, licèt à parte rei amor noſter ſit remiſſus & fortè amor creaturæ intenſior.

Prob. 1. concl. ex Script. Deuter. 6. ubi præcipimur diligere Deum ex tota anima, & ex tota fortitudine, ſeu ex totis viribus: ergo debemus ipſum quanto poſſumus conatu, fervore & affectu diligere; aliàs non diligeremus totis viribus: ſubſumo; atqui poſſumus ipſum ferventiùs diligere, quàm creaturam: ergo tenemur.

Prob. 2. Quia ratio poſtulat ut amorem noſtrum intendamus proportionatè ad bonitatem objecti, (quò enim objectum melius eſt, eò eſt amabilius) ergo cùm Dei Bonitas omnes ſuperet, etiam illius amor debet omnium amabilium amorem ſuperare: unde ſi poſſemus ipſum infinitè amare, deberemus in id tendere.

Dices 1. Sæpiùs Matres prolem intenſiùs diligunt quàm Deum, imò flent de morte prolis, non de commiſſo in Deum peccato, & tamen de hoc non inquirunt Confeſſarii.

Reſp. diſt. aſſump. Sæpiùs diligunt intenſiùs ex parte appetitus ſenſitivi, quia objectum eſt ſenſibilius: C. ex parte voluntatis: N. ſi autem aliquando fiat, non eſt ſine culpa: unde ſi ex majori appetitus ſenſitivi affectu immineat & major affectus voluntatis, reprimendus eſt. Non inquirunt autem Confeſſarii, vel quia raro accidit, vel quia inadvertenter, vel quia contrariæ ſententiæ. Imò inde inferam, Deum non eſſe appretiativè ſuper omnia diligendum, cùm & de hoc vix inquirant Confeſſarii plurimi.

Dices: inde ſequitur, quòd diligens Deum ad quatuor, non poſſit diligere proximum ad quinque.

Reſp. Objectionem eſſe frivolam, cùm graduum intenſio ſit nobis ignota; ſi quis tamen hoc ſciret, deberet antequam proximum diligeret ad quinque Deum ferventiùs diligere.

CONCLUSIO IV.

ULtra obligationem indirectam Dei diligendi, ubi urget Juſtificatio, ſaltem extra-ſacramentalis, aut tentatio non aliter vincenda, aut periculum non aliter vitandum: tenemur Deum amare in principio morali uſus rationis, in fine vitæ, & ad minimum in præcipuis anni ſolemnitatibus, aut circiter.

Prob. 1. pars: quia ratio poſtulat, ut quando homo fit capax cognoſcendi Deum tanquam ſuum principium, ſtatim moraliter, & non phyſicè, ut volunt quidam Thomiſtæ, ad ipſum convertatur per actum dilectionis perfectæ, quem ipſi offerat ad inſtar cujuſdam homagii, ſaltem ſi Dei bonitas ipſi proponatur. Non eſſet tamen culpandus peccati mortalis, ut docet Sylvius, qui paululùm differat; quia præcepta affirmativa, quorum obligatio eſt indeterminata quoad tempus, cenſetur aliquod intervallum concedere, ut patet in

præcepto Baptiſmi & in aliis. Hoc tamen citiùs obligat; & ideò non excuſarem à mortali illum, qui memor præcepti, ultra diem differret.

Prob. 2. pars; quia videntur id exigere tot gratiæ, tot favores, tot beneficia à Deo tempore vitæ accepta: & certè, ſi tunc ſigna amoris amicis noſtris exhibeamus, quidni amicorum amiciſſimo, à quo procedimus, & ad quem tendimus, exhiberemus?

Prob. 3. pars: Quia ſi in magnis ſolemnitatibus aut circa, teneamur actum Fidei & Spei elicere, ut diximus, quia recoluntur præcipua Religionis noſtræ myſteria, quidni & actum amoris, cùm major ſit ratio? & ideò non improbabilem judico ſententiam Scoti illum ſingulis diebus Dominicis requirentis, ſaltem ubi recurrit obligationis memoria. Non debent tamen eſſe de violatione hujus præcepti ſolliciti, qui ſæpiùs actus Contritionis perfectæ eliciunt, cùm in illis amor Dei formaliter contineatur. Ex dictis

Reſol. 1. Juſtiſſimè condemnatas eſſe ab Innoc. XI. has tres propoſitiones. 1. Eſt: *An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.*

2. *Probabile eſt ne ſingulis quidem rigosè quinquenniis per ſe obligare præceptum Charitatis erga Deum.*

3. *Tunc obligat quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam qua juſtificari poſſimus.*

Reſol. 2. Non videri probabilem ſententiam Van Roy requirentis ut Deum ſemper diligamus, ſaltem virtute ex actu relicta, quia inde ſequitur. 1. Quòd teneamur ad minimum ſingulis diebus actum amoris elicere, cùm amor heri elicitus non ſit hodie virtualis, ſed habitualis. 2. Quòd peccans mortaliter ſemper peccet duplici peccato, cùm ultra aliud præceptum, etiam violet præceptum amoris. 3. Quòd niſi ſtatim à commiſſo peccato, eliciat actum amoris, incurrat novum peccatum; quæ non videntur admittenda. Unde quando Eccl. 13. dicitur: *Omni vita tua dilige Deum.* Non intelligitur omni vitæ periodo, ſed identidem tempore totius vitæ, ſeu quandiu vixeris; & ideò ſi aliqui Patres videntur amorem continuum requirere, conſilium inſinuant, non præceptum.

QUÆSTIO VIII.

An teneamur omnes actiones deliberatas in Deum referre?

ALii hanc quæſtionem agitant in Tract. De actibus humanis; ſed quoniam actio in Deum relata Charitatem involvit, non incongruè Charitatis Tractatui adjungitur.

CONCLUSIO I.

COnſilium eſt ſaluberrimum omnes actiones noſtras in Deum referre.

Prob. 1. Ex Script. 1. Corinth. 10. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* 2. Authoritate D. Aug. lib. 1. de Doct. Chriſt. c. 22. *Omnes cogitationes tuas & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipſa quæ confers.* 3. Ratione; quia ſi actus taliter relatus ſit indifferens, fit bonus: ſi bonus novam, nempè Charitatis, induit bonitatem. De conſilio conveniunt omnes, non tamen de præcepto, & ideò ſit

CONCLUSIO II.

NOn eſt obligatio, nequidem ſub veniali, omnes actiones noſtras in Deum referre. Eſt communis contra quoſdam D. Auguſtini Diſcipulos recentiores.

Prob. 1. ex Script. Luc. 18. ubi verſ. 29. & 30. relinquenti domum, vel parentes &c. propter regnum Dei promittitur vita æterna, nulla facta mentione relationis in Deum: ergo ſignum eſt non eſſe debitam omni actioni. Et aliundè Moyſes & David operantes propter remunerationem, ſeu retributionem, à nemine damnantur. Nec dicas etiam tunc propter Deum fuiſſe operatos; quia ſi propter motivum utrumque fuiſſent operati, cur non referret ſcriptura? cur motivum minùs principale referret, & principalius omitteret.

Prob. 2. ex Trident. ſeſſ. 6. Can. 31. *Si quis dixerit juſtificatum peccare dum intuitu æternæ mercedis benè operatur, anathema ſit.* Ubi Concilium damnat Lutherum & Calvinum, non quia præcisè dicebant operantem intuitu mercedis peccare, ſed operantem intuitu mercedis, ſine ulteriori in Deum relatione.

Audi Calvinum lib. Samuelis cap. 21. *Quod ad æternam vitam attinet, certum eſt ibi nobis mercedem promitti: verum tamen ſi ſpe mercedis TANTUM, ejus cultui & honori divino nos dedamus, ingratum illi futurum eſt, quidquid eo fine præſtiterimus.* Et in Antidoto ad Canonem 31. Tridentini ſeſſ. 6. *Qui vere juſtificatus eſt*, inquit, *non negliget, fateor, mercedem ſibi repoſitam .... attamen hunc SOLUM reſpectum non habebit.* Idem habet Lutherus in Epiſt. Ad Galat. cap. 10. Ubi vides non condemnare operationem intuitu mercedis, ratione ſui, ſed defectu relationis in Deum & certè ſi mala eſſet ſecundùm ſe operatio mercedis intuitu, nequidem ad Deum relata foret bona, cùm malum etiam in finem bonum relatum, non rectificetur: hoc autem nullus ſuſtinuit.

Prob. 3. Ex condemnatione hujus propoſitionis ab Alexan. VIII. *Intentio qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum MERE, ut cæleſtem obtineat gloriam non eſt recta, nec DEO placens.* Ubi *merè* excludit in Deum relationem, & tamen ſtatuitur intentionem præfatam eſſe rectam.

Dices: Intentionem eſſe rectam, quia defectus relationis non vitiat actum intentionis, ſed operantem. Sed

Contra eſt, quòd ſubterfugium illud ſit frivolum, ut oſtendemus poſteà, præterea defectum relationis, nequidem operantem vitiare, apertè declarat proſcriptio ſequentium propoſitionum ab eodem Pontifice: *Quiſquis etiam æternæ Mercedis intuitu Deo famulatur, CHARITATE SI CARUERIT, vitio non caret &c. Revera peccat qui odio habet peccatum, MERE, ob ejus turpitudinem & diſconvenientiam à natura, SINE ULLO AD DEUM OFFENSUM RESPECTU*; nam cùm propoſitiones contradictoriæ ſint veræ, ſequitur in prima, Charitate carentem, vitio carere; & in ſecunda, odio habentem peccatum ſine reſpectu ad Deum, non peccare; adeòque defectus relationis nec opus nec operantem inficit.

Inſt. Senſum condemnationis eſſe, quòd operans non peccet quia operatur, licèt peccet quia non refert. Sed

Contrà eſt, quod illa reſponſio ſit mera cenſurarum Apoſtolicarum eluſio, ne dicam illuſio. Cum ex condemnatione prioris ſequatur *Charitatem carentem*, adeoque ad Deum non referentem vitio carere: & ex condemnatione poſterioris non peccare, non tantùm odio habentem, ſed odio habentem ſine ullo ad Deum reſpectu. Et certè ſi S. Sedes ab omni peccato excuſare voluiſſet hominem, & ut odio habentem, & ut non referentem, quid aliud facere debuiſſet, niſi dictam propoſitionem condemnare? non video, nec videbunt alii, rem ſine præventione conſiderantes.

Prob. 4. Ex proſcriptione hujus propoſitionis à Pontifice præfato: *Omnis humana actio deliberata, eſt dilectio Dei vel mundi; ſi Dei Charitas Patris eſt: ſi mundi concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt*, ex qua manifeſtè ſequitur aliquam actionem, quæ non eſt Dei dilectio: vel quæ non refertur in Deum; non eſſe mundi amorem, nec eſſe malum.

Prob. 5. Etiam ex condemnatione hujus *Bajanæ* propoſitionis: *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & philoſophorum virtutes ſunt vitia:* atqui Bajus illam ſuſtinens, ſaltem quoad ſubſtantiam in Lib. de Virtutibus impiorum, nullibi docet virtutum officia ſecundùm ſubſtantiam eſſe mala, ſed quia non referuntur ab infidelibus in Deum: ergo cùm hæc propoſitio ſit in ſenſu ab aſſertoribus intento condemnata ſequitur virtutem non relatam in Deum, eſſe undequaque moraliter bonam, ſeu tam ex parte operantis, quàm ex parte operis.

Reſpondet Van Roy Tom. 2. Pag. 142. condemnari authorem, quia volebat virtutes Philoſophorum eſſe habitus inclinantes ad actus in ſe malos & vitioſos: ſed quàm falſum ſit illud inde patet, quod doceat actus illos eſſe ſecundum ſuam ſubſtantiam in Deum referibiles, & ideò eſſe peccata, quia non referuntur: & certè unde malitiam haberent intrinſecam, cùm ſint ex officio & ex objecto boni? an quia fiunt ab homine exiſtente in peccato? ſi hoc ſit, etiam dic Chriſtianum peccatorem dantem eleemoſynam exercere actionem in ſe malam: quod negas ut negare debes. Tota ergo diſparitas inter quoſdam modernos, & Authores propoſitionum condemnatarum, hæc eſt, quòd hi defectum relationis adſcribant operi, illi operanti, quamvis idem omninò doceant à parte rei, nempè operantem ſine reſpectu ad Deum peccare.

Prob. 6. Ex Aug. Serm. 1. Fer. 4. Poſt Sexageſimam ubi ait: *Licita eſt humana Charitas, qua uxor diligitur ... Humana eſt, ſed, ut dixi, licita eſt ... liceat vobis humana Charitate diligere conjuges, diligere amicos veſtros, diligere cives veſtros &c.* ex quo ſequitur, quòd ſi liceat humana Charitate, non teneamur divina, actionem in Deum referendo.

Prob. 7. Ex eodem Doctore lib. de Spiritu & littera cap. 27. Ubi poſtquam dixit, Gentium, quæ legem non habent, quædam opera non tantùm non eſſe vituperabilia ſecundùm juſtitiæ legem, ſed etiam laudabilia, ſubdit: *quanquam ſi diſcutiatur quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ juſtitiæ debitam laudem, defenſionemve mereantur*; ergo ſupponit eſſe aliqua

infide-

nfidelium opera, adeoque in Deum non relata (licèt pauca fortè propter adjunctam vanitatem) quæ mereantur debitam juſtitiæ laudem, attento fine, quo fiunt; adeoque eſſe undequaque bona.

Prob. 8. Quia videntur eſſe aliqui actus non referibiles in Deum, cùm ex eorum relatione ſit potiùs inhonorandus quàm glorificandus, ut actus quo quis nollet jejunare, Sacrum audire, eleemoſynam dare, quando non teneretur: & certè numquid exploderetur ille qui nolitionem audiendi miſſam die feriato, referret ad Dei gloriam? numquid magna Dei gloria quod nolis Sacrificio intereſſe, nolis jejunare &c.

Prob. 9. Deſtruendo adverſariorum ſubterfugium, ſeu oſtendendo defectum relationis, ſi relatio requiratur, afficere ipſum opus, adeoque eorum doctrinam eſſe in præfatis propoſitionibus condemnatam. 1. Quia bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu: ergo ubi deeſt finis debitus, malus eſt actus. 2. Quia ideo actus (quem Scotiſtæ ſuſtinent in individuo indifferentem) malus eſt ſecundùm D. Thomam, & omnes Thomiſtas, quia non refertur ad finem debitum: ergo ſupponunt defectum finis vitiare opus; aliàs ſi tantùm operantem vitiaret, eſſet de facto in individuo indifferens. 3. Quia nullibi reperies in Auguſtino actum in individuo exercitum eſſe bonum, ubi caret ſuo fine: reperies quidem eſſe ex officio bonum, id eſt ex objecto, ſeu ſecundùm ſpeciem, non tamen in individuo.

Imò dicit virtutes in individuo exercitas ſine ulteriori relatione eſſe vitia: ergo cenſet defectum relationis vitiare opus. Si dubitas, ipſum audi lib. 19. de civit. cap 25. *Cùm ad ſeipſas referuntur* (Virtutes) *nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ & ſuperbæ ſunt, & ideo non virtutes, ſed vitia judicandæ ſunt.* Quid clarius? Idem habet lib. 4. contra Julianum cap. 13. circa med. *Quidquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc, propter quod fieri debere vera Sapientia præcipit, etſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt.* Et ne putes teipſum condemnando, condemnari & Auguſtinum, oſtendemus poſtea quid per motivum charitatis intendat Auguſtinus.

Dices: dum S. Doctor Virtutes vitii nomine recenſet, ſumit vitium latè dictum, id eſt, actum carentem fine debito, qui defectus maculat, non operantem, ſed opus: undè ſic concludit ibid. *Poſſunt ergo aliqua bona fieri, non bene facientibus à quibus fiunt.*

Reſp. Vel illa carentia aliqualiter ſaltem afficit actum, vel nullatenùs: ſi primum, habemus intentum: ſi ſecundum, cur ipſummet actum vocat vitium? cur vocat peccatum? cur bonum dicit eſſe malum? certè ſi quis leviter ſuperbiens de ſua pulchritudine det eleemoſynam, ex bono motivo, nullus Theologorum dicet dationem illam eſſe vitium, aut peccatum, quia circumſtantia illa ſuperbiæ, utpotè merè concomitans, non afficit actum: ſi ergo nec afficiat actum carentia relationis, cur Theologorum Princeps & aquila diceret eſſe ideo *malum vitium peccatum*? Unde quando aſſerit poſſe bona fieri à malè facientibus, loquitur de bonis ſecundum ſe, id eſt, ex objecto, non autem in individuo, & ideo non dicit ſuperius: *Etſi ſit officio bonum*, ſed *Etſi videatur officio bonum*, ſatis inſinuans, in individuo exercitum ſine debito fine, tantùm habere apparentiam boni.

Prob. 9. Ex D. Gregorio lib. 5. in 1. Reg c. 12. v. 24. *Deo in veritate ſervimus, quando ejus præcepta pro ſola ſuperna retributione perficimus.*

Prob. Deniqueex D. Angelico 1 2. q. 100. art. 10 ad 2. (cui concordant DD. Seraphicus & Subtilis) ubi docet poſſe contingere, quod aliquis implens præceptum honorandi parentes, ſine relatione in Deum, *Non tunc tranſgrediatur præceptum de omiſſione modi Charitatis*: ergo maniſeſtè ſupponit, non eſſe obligationem referendi omnes actiones in Deum. Nec nocet quod ait q unica de Charitate art. 11. ad 2. *Quod omnia virtutee referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem Charitatis, ad quem tenemur.* Et ad 3. *virtualiter omnia referre in Deum, cadit ſub præcepto Charitatis*, quia *per virtualiter referre in Deum*, intelligit habere Deum finem ultimum, ut patet ex iis quæ immediatè ſubdit: *Cùm hoc nihil ſit aliud, quàm habere Deum finem ultimum.* Jam autem Chriſtianus exercens virtutem propter honeſtatem virtutis, habet Deum finem ultimum, ut docet D. Thom. innumeris locis.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1. Corinth 10. dicitur: *ſive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*, & cap. 16. *Omnia veſtra in Charitate fiant.*

Reſp. 1. Cùm D. Bonaventura 2. diſt. 41. art. 1 qu. 3. ad arg. dari ibi conſilium ſaluberrimum, ſicut datur cap. 7. ubi legitur: *Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem*, & pluribi, undè quando dicit Auguſtinus lib. de corrept & grat cap. 3. *Præcipit Apoſtolus dicens: omnia veſtra cum Charitate fiant*: per *præcipit*, intelligit *docet, inſtruit, dat præcepta*, id eſt, Regulas vitæ perfectionis. Et certè ſi dat ibi verum mandatum, cur dicis univerſaliter tantùm obligare ſub veniali? cur non obligat graviter, ubi opus referendum, eſt gravis momenti, ut Ordines ſuſcipere, Religionem ingredi, Matrimonium inire? Cùm ergo negas in re gravi obligare graviter, negamus & nos in re levi obligare leviter, adeoque ſuſtinemus non eſſe præceptum. Sed eſto præceptum foret;

Reſp. 2. Apoſtolum ſumere ibi Dei gloriam latè, ſeu pro ea, quæ Deo accidit ex eo, quòd benè operemur, quaſi diceret: ita ſemper agite, ut inde glorificetur Deus. Sicut enim honorantur ſuperiores, dùm ejus præcepta ad amuſſim obſervamus; ita & Deus, qui ſicut & fons & author omnis honeſtatis, ita ad ipſum omnis honeſtas redit eſt in ejus gloriam redundat. Explicationem verò noſtram non eſſe contortam, patet ex eo quòd ſit Doctrina ipſiuſmet Auguſtini in Pſal. 34. conci. 2. in fine, ubi ait: *Suggero remedium, unde tota die laudes Deum, ſi vis. Quidquid egeris, benè age, & laudaſti Deum; quando cantas Hymnum, laudas Deum..... diſcedis ut reficiaris, noli inebriari, & laudaſti Deum. Negotia agis, noli fraudem facere, & laudaſti Deum*

Objic. 2. Auguſtinum lib de grat. & lib. arb. cap. 18. ubi habet: *Ut quidquid ſe putaverit homo benefacere, ſi fiat ſine Charitate, nullo modo fiat benè.* Et lib. 4 contra Julianum cap 3. in fin. *Sine amore Creatoris, nullus quiſquam benè utitur creaturis.*

Reſp. Ad hos & ſimiles paſſus fieri mentionem Charitatis latè ſumptæ, ſicut & fit ſuperius in 2. paſſu Apoſtoli: ſeu ſumitur ibi Charitas pro bona voluntate ex objecto, ſeu ſecundùm ſe, quam Auguſtinus ipſemet variis locis dicit eſſe Charitatem, ut lib. de grat Chriſti cap. 21. *Quaſi verò aliud ſit bona voluntas, quam Charitas*, & in Pſal. 136. *Ipſa eſt Charitas, quæ dicitur & bona voluntas.* Item lib 8. de Trinit. cap 10. *Quid eſt dilectio vel Charitas, niſi amor boni?* Ergo eo ipſo quo quis bene operatur, etſi ulterius opus ſuum non referat, habet Charitatem ab Auguſtino requiſitam. Sed quid dicent defenſores Van Roy, ſi oſtendam evidentiſſimè tunc haberi charitatem, quam ipſemet requirit? Meminerint ipſum dixiſſe Tomo 1. pag 22. pium credulitatis affectum. qui ad fidem neceſſarius eſt, eſſe charitatem, quia eſt bona voluntas, & pag. 26. docuiſſe, ad fieri aſſenſum requiri alium charitatis actum, quo in Deum referri debeat: ergo ſecundum ipſum ſufficit illa charitas.

Inſt. 1. Docet Auguſtinus probatione 8. citatus virtutes, quæ ad ſeipſas referuntur, & non propter aliud expetuntur, non eſſe virtutes, ſed vitia: ergo aliud requirit, quàm bonam voluntatem in ipſis virtutibus contentam.

Reſp. Auguſtinum condemnare eos, qui virtutes referunt ad ſeipſas extrinſecè, id eſt, qui virtutes ſectantur ut videantur virtuoſi, quia, ut dicit ibidem, *illæ virtutes inflatæ ac ſuperbæ ſunt*: non tamen eos, qui referunt intrinſecè, id eſt, qui virtutem exercent propter bonum virtutis, cùm exerceant propter aliud, quàm propter vanitatem.

Inſt. 2. Requiritur ulterius quòd in Domino glorientur; nam *de tali opere non in Domino gloriari, ſolus impius negat eſſe peccatum.* Auguſtin. lib. 4. contra Julianum cap 3. circa fin.

Reſp. Illud. *non in Domino gloriari*, non ſumi negativè, ſed contrariè, id eſt, contra dominum, ſeu gloriari in pravo fine; talem verò eſſe Auguſtini mentem, patet ex eo, quòd agat contra Julianum nolentem vitiari virtutes ex pravo fine. Et eodem modo explicat Auguſtinum D. Thom 2. 2. q. 23. art 7. ad 1.

Inſt. 3. Qui non refert virtutem ad Deum, fruitur utendis ſeu creaturis, cum inhæreat virtuti propter ſe, ſed hoc perverſum eſt, juxta Auguſtinum: ergo.

Reſp Neg. Ma. Quia frui creatura eſt ità ipſi inhærere, ut ſtatuatur in ea finis ultimus, ut explicant D. Thom. & D. Bonav. jam autem ſi ponens actionem venialiter malam, non ponat in creatura finem ſuum ultimum, ut concedunt omnes, nec à fortiori conſtituit, exercens actionem bonam.

Objic. 3. Sicut Deus non eſſet perfectiſſimus in ratione principii, ſi omnia ab ipſo non procederent, ita nec eſſet perfectiſſimus in ratione finis, ſi omnia ad ipſum referri non deberent.

Reſp Diſt. Aſſumpt. Pro 2. Parte. Si non deberent omnia ad ipſum referri, id eſt, ſi poſſet aliquid ad alium referri tamquam finem ultimum, C. id eſt, ſi non teneretur operans omnia ad ipſum referre actualiter, aut virtualiter, N.

Obj. 4. Patres aliquos inſinuantes nobis omnia opera noſtra eſſe in Deum referenda.

Digitized by Google

Reſp. Ad illos, ſicut ad Apoſtolum, tantùm velle eſſe conſilii, vel, ſi præcepti, loqui de charitate, & de gloria Dei latè ſumptis, ſenſu antea explicato. Ex dictis

Reſol. Valdè periculoſum eſſe docere ſententiam oppoſitam, cùm omnibus illam ſine præventione examinantibus videatur à Sancta Sede condemnata, & omnia, quæ contrà condemnationem adierunt Adverſarii, appareant meræ Eluſiones & ſubterfugia: & certè quis non videat illos cum cenſuris Apoſtolicis ludere, quando Roma decernit deteſtantem peccatum ſine ullo ad Deum reſpectu non peccare, & noſtri docent deteſtantem ſine relatione ad Deum peccare. Præterea decreverat Sancta Sedes contra Baium non omnia infidelium opera eſſe peccata; & cùm videret, noſtros non inde moveri, quia tenebant defectum relationis non afficere opus, ſed operantem, decernit non eſſe neceſſe infidelem in omni opere peccare, adeoque defectu relationis nec opus, nec operantem afficere: tamen adhuc ſententiæ ſuæ adhærent dicentes non eſſe neceſſe ut peccet ratione operis, licèt ſit neceſſe defectu relationis, cùm tamen certo ſciant, condemnatam eſſe propoſitionem, quia ejus authores dicebant infidelem peccare, non ratione operis ſecundùm ſe, ſed ratione operis non relati, ut non relati.

QUÆSTIO IX.

An ſit præceptum diligendi ſeipſum, & proximum, etiam inimicum?

CONCLUSIO I.

Tenemur noſmetipſos diligere: eſt certa.

Prob. 1. Ex Script. Matth. 22. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Ubi dilectio ſui præſupponitur tanquam regula ad dilectionem proximi. 2. ex PP. Auguſtino lib. 1. de Doct. Chriſt. cap. 23 ubi dicit eſse quatuor diligenda: *unum, quod ſupra nos eſt, alterum quod nos ſumus* &c. Bernardo tract. de diligendo Deo circa med. ubi de amore ſui ſic habet: *Præcepto non indicitur, ſed naturæ inſeritur.* Quibus verbis indicat non eſse quidem præceptum poſitivum dilectionis ſui (quo ſenſu intelligendi ſunt S. Thom. 2. 2. q. 44. art. 3 ad primum & Auguſt. ſupra, quòd de nobis & noſtro corpore *nulla præcepta danda erant*) eſse tamen præceptum naturale. 3. Ratione, quia ſi tenemur proximum diligere quia nobis eſt in natura & beatitudine conjunctus, à fortiori tenemur noſmetipſos, cum magis ſimus nobis, quàm proximo conjuncti.

Dices: dantur præcepta, ut homines inducantur, & quaſi moraliter cogantur ad actionem, aut omiſſionem; ſed nullus induci debet ad amorem ſui, cùm ad hoc ſit à natura determinatus: ergo nequidem eſt præceptum naturale ſeipſum diligendi.

Reſp. Quòd etſi natura maximè inclinet, & quaſi determinet ad ſui dilectionem; quia tamen liber eſt homo ad contrarium, etiam, ne deficiat, id ipſi præcipitur.

CONCLUSIO II.

Tenemur proximum diligete, & quidem actu interno.

Prob. 1. Pars tum ex Script. Matth. 22. *Diliges proximum tuum.* Joan. 13. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Et 1. Joan 4. *Mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Tum etiam ratione; quia quod volumus nobis fieri, debemus & proximo facere; atqui vellemus ab aliis diligi: ergo debemus & alios diligere. Ex quibus patet, hoc præceptum eſſe Juris Divini poſitivi & naturalis.

Prob. 2. Pars 1. Ex Scrip. Joan. 13. ubi jubemur proximum diligere ſicut Chriſtus dilexit nos, & Matth 22. ſicut noſmetipſos; atqui dilexit nos Chriſtus actu interno & eodem actu debemus nos ipſos diligere, ut conveniunt omnes: ergo. 2. Ex condemnatione harum propoſitionum ab Innoc. XI. *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.* Item. *Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.* 3. Ex Auguſt. Tr. 8. in 1. Joan. poſt init. Ubi de Charitate fraterna ſic habet: *Charitas intus non intermittitur.* 4. Ratione, quia amor externus ſine interno non eſt verus amor, ſed larva amoris.

Dices 1. Non tenetur quis aliquando elicere actum diligendi proximum. Scot. 3. diſt. 30. num. 11.

Reſp. diſt. Aſſumpt. Non tenetur extra omnem neceſſitatem tum corporalem, tum ſpiritualem, tranſeat; ſecùs: N. & hanc eſse mentem Scoti, evidentiſſimè convincit contextus: imò num. 12. ſic habet. *Quilibet tenetur orare Deum ſuum pro ſe, & pro tota Eccleſia; & tenetur velle iſtam orationem valere bono & malo ad bonum ſpirituale:* unde mirum eſt, quòd in ſuam partem illum trahat Amicus nobis in hoc adverſans.

Dices 2. In tantùm eſt diligendus proximus, in quantùm adjuvandus; ſed tantùm adjuvandus eſt actibus externis, cùm non poſſit internis: ergo

Reſp. diſſimulata Maj. neg. Min. & certè numquid adjuvare poſsumus proximum peccatorem, orando ut Deus ipſi conferat gratiam pœnitentiæ, gratiam converſionis &c. Hoc autem procedit ex motivo Charitatis internæ.

Dices 3. Si actus internus Charitatis obligaret erga proximum, obligaret erga omnes homines; cum nulla ſit ratio cur potiùs obliget circa unum, quàm circa alterum; ſed hoc eſt falſum: ergo & illud.

Reſp. 1. Satis eſse probabile obligare erga omnes; quandoquidem teneamur aliquando pro omnibus orare; pro fidelibus quidem, ut in vera fide permaneant; pro infidelibus verò, ut eam amplectantur.

Reſp. 2. Cùm actus externus Charitatis aliquando potiùs obliget circa unum, quàm circa alterum, prout nempe occurrit neceſſitas, ità & actus internus, cùm poſſit per hunc adjuvari proximus in negotio ſalutis, ut diximus.

Dices 4. Non poteſt determinari tempus, quo actus ille obliget: ergo nunquam obligat.

Reſp. neg. Ant. nam 1. Obligat quando eſt periculum odii proximi. 2. Dum tenemur ipſi reconciliari. 3. Quando ſperamus impium precibus noſtris fortè convertendum; imò tenemur ſemper eſse in animo parati proximo ſuccurrere actu interno, ſicut externo, ubi opus fuerit.

CONCLUSIO III.

Diligendus eſt inimicus, non quidem ut inimicus, ſeu ſecundùm pravam affectionem, qua nobis eſt contrarius; ſed ut homo capax divinæ fruitionis. Eſt communis & certa contra paucos à Magiſtro ſententiarum citatos volentes hoc eſse conſilii, non præcepti.

Prob. Ex Script. Exodi 23. *Si videris aſinum odientis te jacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſublevabis cum eo.* Prov. 25. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitierit, da ei aquam bibere:* & ne putes tantùm actus externos præcipi, Matth. 5. legitur: *Diligite inimicos veſtros, benefacite eis, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.*

Prob. 2. Ex PP. Chryſoſt. Hom. 18 operis imperf. in Matt. poſt init. Ubi de dilectione inimici: *Tam claro*, inquit, *eſt digna præmio, quia tam magno eſt ſubjecta præcepto.* Hilario in verba præfata Matth. cap. 4. circa fin. *Diligi inimicos Fides præcipit.* Greg. Hom. 37. in Euang. *Jubemur & inimicos diligere.*

Prob. 3. Ratione; quia jubemur diligere proximum: ergo & inimicum, cùm ſit proximus.

Obj. 1. Illud Matth. 5. *Audiſtis quia dictum eſt: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.*

Reſp. Hoc eſſe dictum Antiquis, non à Deo, non à Moyſe, non à Scriptura, cùm ne umbra illius habeatur in veteri Teſtamento, ſed à Scribis & Phariſæis malè interpretantibus hunc locum Levitici 19. *Diliges Amicum tuum*, ex quo ſiniſtrè inferebant: *Odio habebis inimicum tuum.*

Obj. 2. Deus impoſſibilia non jubet, ſed diligere inimicos eſt moraliter impoſſibile: ergo

Reſp. diſt. Min. Eſt moraliter impoſſibile naturæ ſibi relictæ, tranſeat: dico, *tranſeat*; quia etiam multi Ethnici id fecerunt & docuerunt. Naturæ per gratiam adjutæ, N. id enim fecit David in Abſalon, Stephanus in lapidantes, imò & Chriſtus in ſui occiſores: unde Trid. ſeſs. 6. cap. 11. *Deus impoſſibilia non jubet; ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.*

Obj. 3. Non tenetur offenſus offendenti injuriam remittere: ergo.

Reſp. diſt. Ant. Non tenetur, id eſt, non debet odium tum internum, tum externum deponere, & ei communia Charitatis officia exhibere, N. id eſt, poteſt honoris aut alterius damni reparationem petere, C. quia tantùm petit, quod ſuum eſt. Imò poteſt, ad aliorum terrorem, & ipſius Rei correctionem, inimici punitionem urgere, modo abſit omnis pravus affectus odii, vindictæ &c. Ex dictis hac & præcedenti concluſione

Reſol. 1. Nos proximum, ſicut noſmetipſos diligere, dum ei optamus omnia bona, quæ rationabiliter nobis optaremus, eademque ei præſtamus, prout facultas noſtra, & ejus neceſſitas requirunt: è contra dum ei nolumus & avertimus pro poſſe mala, quæ à nobis abeſse, & averti vellemus.

Reſol. 2. Nos non teneri in rigore optare divitias proximo. Ratio eſt; quia non plus boni tenemur ipſi optare quàm

Digitized by Google

quàm nobis, qui poſſumus illas reſpuere. Excipe tamen niſi eſſent neceſſariæ ad ipſius ſalutem.

Reſ. 3. Non ſufficere proximum aut inimicum non odiſſe; ſed inſuper communia Charitatis officia eſſe ipſi exhibeoda, ut ſalutantem reſalutare, interroganti reſpondere, emere volenti vendere, idque ſub gravi aut levi peccato, prout, attenta perſonarum, locorum, aut aliarum circumſtaotiarum conditione, gravis aut levis reputabitur contemptus.

Reſol. 4. Benefacientem communitati reum eſſe, ſi à benefacto excludat inimicum; cùm illa excluſio reputetur effectus odii intùs latentis, ſitque nata diſſentiones, majuſque odium in altero excitare.

Reſol. 5. Non eſſe obligationem admittendi inimicum ad menſam, collocutionem familiarem, amicitiam particularem, aut ipſi alia Charitatis officia ſpecialia exhibendi: quia ne quidem ad illa tenemur reſpectu aliorum. Et hoc verum eſt, etiamſi inimicus foret nobis anteà amicus & familiaris; nam cùm poſſemus, ante inimicitiam familiariratem illam abſcindere, ità & poſt. Excipe tamen caſum quo reſciſſio familiaritatis eſſet vel aliis ſcandalum, vel inimicis Occaſio oon deponendi odium, aut denegaodi reconciliationem.

Reſol. 6. Licèt non debeamus inimico Charitatem ſpecialem, nos teneri ſemper eſſe in animo paratos ipſi ſpecialiter adeſſe, ubi occurrerit caſus neceſſitatis; quia idipſum debemus cuilibet proximo, adeòque & inimico.

QUÆSTIO X.

Quis ordo ſervandus circa Charitatis objecta?

ORdinem aliquem in Charitate obſervandum eſſe, inſinuat Auguſt. lib. 1. de Doctr. Chriſt. c. 27. *Ille ſanctè & juſtè vivit*, inquit, *qui rerum integer æſtimator eſt: ipſe autem eſt, qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat quod non eſt diligendum, aut non diligat quod eſt diligendum; aut amplius diligat quòd minùs eſt diligendum, aut æquè diligat quod vel minùs vel ampliùs diligendum eſt* &c. Porrò objecta, circa quę ſervandus eſt aliquis ordo, ſunt Deus, anima noſtra, anima proximi, corpus noſtrum, & corpus proximi.

CONCLUSIO I.

ANte omnia & ſuper omnia diligendus eſt Deus. Patet tum ex dictis, tum ex co quòd Deus ſit principium Beatitudinis, ſuper cujus communicatione ſundarur Chariratis amicitia. An autem naturaliter inclinemur ad diligendum Deum pluſquam noſmetipſos? Diſputatur: affirmativæ cum Doctoribus Angelico & Subtili ſuffragamur; nam, ut ait Amicus ex Scoto 3. diſt. 27. n. 13. alioqui Chariras non perficeret, ſed deſtrueret naturam; quippè quæ inclinaret ad oppoſitum, ad quod natura ipſa inclinat, natura enim inclinaret ad amandum magis ſe, quàm Deum, & Charitas contra ad amandum magis Deum, quàm ſe. Præterea inclinatio naturæ cùm ſit vel ipſa natura, vel ipſius proprietas, procedit à Deo; non eſt autem veriſimile Deum dediſſe nobis inclinationem naturalem amori ſibi debito contrariam.

CONCLUSIO II.

TEnemur, cæteris paribus, magis diligere animam noſtram, quàm animam proximi.

Prob. 1. Ratione D. Th. 2. 2. q 26. art. 4. quia homo ſeipſum ex Charitate diligit quatenùs debet eſſe Beatitudinis particeps, & proximum ſecundùm rationem ſocietatis ſeu unionis in iſto bono: ergo ſicut unitas potior eſt quàm unio, ità debet plus ſuam, quàm proximi animam diligere.

Prob. 2. Ratione Scoti 3. diſt. 29. num. 1 *Menſura eſt perfectior menſurato, ſed dilectio ſui eſt menſura dilectionis proximi*, ut patet ex Matth. 22. ergo.

Obj. 1. Ut proximum ordinatè diligamus, debemus ipſum diligere propter Deum; ſed poteſt fieri quòd proximus ſit magis Deo conjunctus quàm nos-ipſi: ergo.

Reſp. Cum D. Th. ſup. ad 1. quaotitatem dilectionis non tantùm peti ex parte objecti, qui eſt Deus, ſed etiam ex parte ſubjecti diligentis, licèt autem proximus poſſit eſſe Deo conjunctior, quàm ipſe diligens, non tamen conjunctior diligenti, quàm ſit ſibi-ipſi.

Obj. 2. *Charitas non quærit quæ ſua ſunt*. 1. Corinth. 13. ergo &c.

Reſp. diſt. Ant. Non quærit quæ ſua ſunt cum excluſione proximi, ubi ſibi & illi poteſt prodeſſe: C. ubi tantùm alterutri: N. quod præſertim verum eſt in ſpiritualibus.

Obj. 3. *Optabam ego ipſe*, inquit Apoſt. Rom. 9. *Anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*. Et Moyſes Exod. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut, ſi non facis, dele me de libro tuo*: ergo proximi ſalutem prætulerunt propriæ.

Reſp. Relictis variis interpretationibus, hyperbolicam fuiſſe Moyſis & Apoſtoli locutionem, plus dicentium & minùs intelligi volentium: unde tantùm volebant oſtendere ardentem affectum erga populi ſalutem, pro qua, ſi fieri poſſet, propriam exponerent; & ideò in Textu Græco, teſte Eſtiom hunc locum, pro *optabam* habetur *optarim*, ſi nempè liceret.

Obj. 4. Licèt relinquere orationem, contemplationem, abſtinentiam, imò & ingreſſum Religionis ad procurandam proximi ſalutem: ergo &c.

Reſp. diſt. Ant. Licèt relinquere orationem &c. quando ſunt abſolutè oeceſſaria ad propriam ſalutem: N quando tantùm conferunt ad majorem perfectionem: C. ſed nihil contra concluſ. ubi dictum eſt *cæteris paribus*, id eſt, quando ſalus exponeretur pro ſalute, non autem quando perfectio taotùm accidentaria; quia poſſumus hanc, licèt ſæpè oon teneamur, poſtponere proximorum ſaluti. Ex dictis

Reſ. 1. Non licere peccare venialiter pro ſalute totius mundi, quia non inclinat Charitas ad contraveniendum Legi Divinæ, quæ nobis prohibet facere mala, ut eveniant bona: gratior eſt quidem Deo ſalus totius mundi, quàm unius particularis, ſed quando obtineri poteſt ſioe peccato.

Reſol. 2. Cauſam adæquatam cur non poſſimus propriam ſalutem ſaluti proximi poſtponere, hinc oriri, quòd non poſſit eſſe negligentia ſalutis propriæ ſine negligentia Legis Divinæ, ad cujus violationem nunquam inclinat Charitas.

Reſol. 3. A fortiori culpabiles eſſe, qui præcepta negligunt ſub prætextu majoris perfectionis, v. g. curam familiæ, ut interſint Officiis Divinis non obligatoriis, obedientiam Superioris, ut vaceot cootemplationi.

CONCLUSIO III.

TEnemur plus diligere animam proximi, quàm corpus proprium. Eſt certa

Prob. 1. Ex Scripr. 1. Joan. 3. *Debemus pro fratribus animam ponere*, i. e. tenemur pro fratribus in extrema neceſſitate ſpirituali conſtitutis vitam exponere, ut pro baptizando parvulo jam morituro, pro audienda confeſſione peccatoris moribundi &c. Imò ad id tenetur animarum Paſtor, ubi non eſſet tanta neceſſitas, v g. pro miniſtrandis peſte infecto Extremæ-Unctionis & Euchariſtiæ Sacramentis: quia ipſi incumbit ex officio oves paſcere. Plura de Paſtoribus vide in Diſp. de Fide, ubi quæſivimus an ipſi liceat tempore perſecutionis fugere.

Prob. 2. Ex Auguſt. lib. 1 de doct. Chriſt. cap. 27. *Amplius alius homo diligendus eſt, quam corpus noſtrum; quia propter Deum omnia iſta diligenda ſunt, & poteſt nobiſcum alius homo Deo perfui, quod non poteſt corpus*, niſi per redundantiam.

Prob. 3. Ratione; quia bona ſunt pro dignitate diligeoda tum nobis, tum proximis; ſed bona animæ ſpiritualia prævalent corporalibus: ergo magis tenemur animam proximi, quàm corpus noſtrum diligere.

Dices 1. Eo magis debemus creaturam diligere, quo nobis magis conjuncta eſt; ſed nobis eſt conjunctius corpus proprium; quàm anima proximi: ergo.

Reſp. Ant. eſſe verum ubi creatura diligenda capax eſt per ſe Beatitudinis, ſicut eſt anima proximi, non autem quando tantùm impropriè ſeu per redundantiam, ſicut corpus noſtrum.

Dices 2. Non licèt ut puer aquis innatans baptizetur ſe in fluvium præcipitare, ubi non eſt ſpes evadendi: ergo non poſſumus, adeoque non tenemur, vitam corporalem pro ſalute proximi ponere.

Reſp. diſt. Conſeq. Non poſſumus ponere, id eſt, deſtruere, quod fieret in dicto caſu: C. non poſſumus ponere, id eſt, exponere periculo: N. Hoc enim docuerunt nos infiniti Martyres, qui pro convertendis infidelibus ſeſe martyrio expoſuerunt.

CONCLUSIO IV.

TEnemur, per ſe loquendo, magis noſtrum; quàm proximi corpus diligere. Eſt communis

Ratio eſt; quia cùm proprium corpus ſit nobis magis conjunctum, quàm alienum, debemus ex Charitate illud huic anteponere, & ideò peccaremus ſi vitam corporalem proximi noſtræ præferremus: unde Auguſtinus lib. de mendacio c. 6. ſi quis *pro alterius vita temporali ſuam ipſam temporalem perdat, non eſt jam diligere ſicut ſeipſum ſed quod ſanæ doctrinæ regulam excedit*.

Dixi: *per ſe loquendo*, quia honeſtum eſt & laudabile morti

ſe

ſe exponere, v. g. cedendo panem tempore famis, aut tabulam in naufragio ad conſervandam vitam perſonæ illuſtris, ex qua pendet bonum commune, ut eſſet Epiſcopus, qui ob egregias dotes penè foret gregi ſuo neceſſarius; quia tunc non invertitur ordo Charitatis, cùm hæc inclinet ad præferendum bonum commune privato: extrà tamen hunc caſum ſervanda eſt concluſio reſpectu cujuslibet perſonæ; quia conſervatio vitæ eſt in præcepto, & aliunde magis ſumus nobis conjuncti, quàm proximo cuilibet.

Fatendum tamen cum Div. Thoma 2. 2. qu. 26. art. 4. ad 2. eum, qui vitam corporalem pro parente, aut pro amico exponeret, non quia plus vitam proximi diligeret, quàm ſuam, quod eſt inauditum, ſed quia plus in ſe diligeret actum pietatis, aut honeſtatis heroicum, quàm vitam propriam, non fore damnandum; cùm poſſimus ex Charitate plus bonum ſpirituale diligere, quàm corporale: & certè niſi hoc eſſet, non apparet quomodo poſſemus excuſare S. Eduardum à Matrimonio ſibi ad vitæ prorogationem neceſſario abſtinentem, conſervandæ virginitatis ergo. Sicut nec peſte voraci Infectis inſervientes cum evidenti mortis periculo ob Chriſtianam compaſſionem.

QUÆSTIO XI.

Quis ordo ſervandus inter proximos?

Diximus quidem quo ordine ſit diligendus proximus; ſed quis ſervari debeat ordo, quando varii occurrunt proximi diligendi, alia eſt difficultas hic breviter expedienda. Sed ante.

Suppono 1. alium eſſe dilectionis ordinem quoad affectum, alium quoad ſubventionis effectum: primus enim petitur ex parte objecti Beatitudinis, quatenus ſcilicet proximi habent majorem vel minorem meritorum proportionem ad Beatitudinem: ſecundus verò ex parte hominis diligentis, quatenus magis vel minùs conjunctus eſt proximis diligendis, & etiam quatenùs proximi plus vel minùs indigent ipſius opera.

Suppono 2. Hunc duplicem ordinem ſervaſſe Paſtorem Euangelicum: nam quoad affectum prætulit 99. oves in deſerto relictas, quia meliores, quoad ſubventionis autem effectum prætulit centeſimam, ipſam quærendo, & reducendo, quia indigentior erat. Huncque duplicem ordinem agnovit Aug. in Epiſt 139. aliàs 158. ubi ait: *Charitas, quæ tanquam nutrix fovet filios ſuos, non ordine amandi, ſed ordine ſubveniendi, infirmiores fortibus anteponit.* His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

Quantum ad dilectionis affectum, ille eſt inter proximos præferendus, qui ſanctior eſt & melior.

Ratio eſt, Quia ille eſt Deo conjunctior, majoremque habet ad beatitudinem meritorum proportionem: unde ſicut in Cœlo plus diligemus extraneos intimè Deo conjunctos, quàm conſanguineos minus illi unitos, ita & nunc idem præſtare debemus, cùm proximus diligendus ſit in ordine ad beatitudinem.

CONCLUSIO II.

Quoad ſubventionis effectum ſive temporalem, ſive ſpiritualem, ille eſt inter proximos præferendus, qui nobis eſt conjunctior ſive ſanguine, ſive amicitia, ſive officio, ſive Religione, ſive convictu &c. ita ut quo major, intimior, aut nobilior eſt conjunctio, eo majori ardore, cura, aut ſtudio indigenti ſubveniamus. Ordo autem, qui ſervatur inter conjunctiores, etiam ſervandus eſt inter indigentiores. Hæc omnia fundantur in lumine naturali.

Prob. tamen concl. authoritate D. Aug. lib 1. de doct. Chr. ca. 28. *Cum omnibus prodeſſe non poſſis*, inquit, *his potiſſimum conſulendum eſt, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus conſtrictius tibi quaſi quadam ſorte junguntur.* Hinc

Reſol. 1. Ubi non potes omnibus indigentibus ſubvenire, te obligari 1. Patri, 2. Matri, 3. Uxori, 4. Prolibus, 5. Fratribus & Sororibus, 6. aliis Conſanguineis, juxtà gradus propinquitatis. Ratio eſt; quia etſi fortè uxor ſit tibi aliquo ſenſu conjunctior, utpotè tecum una caro, deinde filius: quia pars tui deciſa; attentis tamen beneficiis vitæ tum temporalis; tum ſpiritualis, quæ à parentibus recepiſti, debet hæc major beneficiorum acceptio illi conjunctioni prævalere. Nec contrarius eſt D. Thom. quia etſi qu 26. art. 11 doceat intenſius diligendos eſſe uxorem & filios, quia conjunctiores, art. tamen 12. oſtendit (quod magis ad rem noſtram facit) amorem erga benefactorem, quales ſunt Pater & Mater, magis eſſe debitum, quàm erga beneficiatum, qualis eſt filius.

Dices 1. Filii non debent theſaurizare parentibus, ſed parentes filiis 2. Corinth. 12.

Reſp. Indè ſequi, quòd extra caſum neceſſitatis potiùs debeamus filiis, quàm parentibus temporalia procurare, quod libenter concedimus; non tamen quòd in æquali neceſſitate debeamus filios parentibus anteponere.

Dices 2. Poteſt fieri quòd erga proles major ſit providentia Matris, quàm Patris: ergo tunc Mater poteſt præferri Patri.

Reſp. Concedendo totum, ſi providentiæ exceſſus ſit maximus; quia concluſio noſtra intelligi debet per ſe loquendo, ſeu cæteris paribus: quod benè notandum eſt pro ſimilibus caſibus.

Reſol. 2. Ita ſtrictam eſſe illam parentum ad filios & filiorum ad parentes obligationem, ut prævaleat cuicumque obligationi, etiam ſtrictiſſimæ juſtitiæ, idque ob vinculum generationis naturalis. Idem dic de Marito & Uxore ad invicem, ob intimam carnis conjunctionem.

Reſol. 3. Præferendos eſſe, cæteris partibus, amicis benefactores, præſertim ſpirituales; quia major eſt gratitudinis, quàm familiaritatis conjunctio.

Reſ. 4. Nos teneri, exemplo Paſtoris Euangelici, præferre in negorio ſalutis infirmiores fortibus, quia magis eorum, quàm illorum periclitatur ſalus. Idem faciendum eſt reſpectu ſenum & ægrotorum in temporalibus, idque ob majorem neceſſitatem. Plura circa hoc vide apud D. Th. 2. 2. 26. per totam.

Advertendum tamen quòd iis quibus præbemus ſubventionis effectum, debeamus & dilectionis affectum, cum vera Charitas debeat ex corde procedere.

QUÆSTIO XII.

Quotuplici Charitatis actu externo ſit proximo ſubveniendum?

Triplici præſertim, nempè Eleemoſyna, Correctione fraterna, & evitatione ſcandali; Eleemoſyna quidem, ubi deſunt ipſi ad vitam corporalem neceſſaria; Correptione fraterna, ubi deviat à recto æternitatis tramite, &c. vitatione ſcandali, ne patiatur naufragium in negotio ſalutis. De Eleemoſyna, correptione fraterna, & Scandalo agemus ſequentibus articulis.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex eleemoſyna, an ſit danda, quando, quibus, à quibus, & quanta?

CONCLUSIO I.

Eleemoſyna eſt opus miſericordiæ, quo alterius indigentiam ſublevamus propter Deum.

Dicitur 1. *Opus miſericordiæ*, quod eſt duplex, corporale unum, ſpirituale alterum; & ideò duplex eſt eleemoſyna, corporalis nempe & ſpiritualis, quia duplex poteſt eſſe proximi indigentia, una ex parte corporis, altera ex parte animæ.

Porrò ſeptem ſunt opera Eleemoſynæ corporalis, nempe ægrotos viſitare, potare ſitientes, eſurientes cibare, captivos redimere, tegere nudos, hoſpites colligere, mortuos condere, ſeu ſepelire, quæ omnia exprimuntur hoc verſu.

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Septem etiam ſunt opera Eleemoſynæ ſpiritualis, ſcilicet dubitantibus rectè conſulere, errantes carpere, docere ignorantes, mœſtos conſolari, remittere offenſam, ferre patienter injurias, pro omnibus orare, quæ 7. continet hic verſus.

Conſule, carpe, doce, ſolare, remitte, fer, ora.

Dicitur etiam: *Propter Deum*; quia ſi fiat ex motivo inferiori, v. g. ad ſublevamen indigentis, non erit actus Charitatis Theologicæ.

CONCLUSIO II.

Datur præceptum graviter obligans ad elargiendam quandoque eleemoſynam.

Prob 1. Ex Script. Matth 25. ubi releganiur in ignem æternum qui neglexerunt opera Eleemoſynæ corporalis. Et Eccleſ. 4. legitur: *Declina pauperi ſine triſtitia aurem tuam, & redde debitum tuum*; atqui debitum cadit ſub ſtricto præcepto: ergo. Imò 1. Joan. 3. dicitur non habere Dei Charitatem (quæ ſolùm per peccatum mortale expellitur) qui viſcera ſua clauſerit neceſſitatem habenti.

Prob 2. Ex Div. Ambroſio relato in cap. *Sicut* Diſt. 47. *Neque enim minus eſt crimen habenti tollere, quàm, cùm*

poſſis

Digitized by Google

poſſis & abundes, indigentibus denegare. Eſurientium panis eſt, quem tu detines, nudorum indumentum eſt quod tu recludis, & miſerorum redemptio eſt & abſolutio, pecunia, quam tu in terram defodis, &c. Idem habent alii Patres.

Prob. 3. Ratione; quia lumen naturale dictat eſſe aliis in neceſſitate faciendum, quod vellemus nobis in neceſſitate fieri. Ex dictis

Reſol. Quàm Deo & humano generi ſint injurioſi Caſuiſtæ illi relaxati, qui aſſerere audent vix aut nunquam faciendam eſſe Eleemoſynam.

En quomodo loquitur unus „Cùm igitur ſæculares de ne-„ceſſariis ad ſtatum non teneantur erogare pauperibus, niſi „extremam neceſſitatem patiantur, & neceſſitates illæ raro „eveniant, aut ſaltem manifeſtentur divitibus, & ſtatus „decentia magnam habeat latitudinem, difficileque inveniatur, qui ſuperfluitatis convinci poſſit, difficile eſt damna-„re ad mortale; eum tot Viri docti uſque ad hodiernum diem „nullum jus divinum, aut humanum oppoſitum convincens „afferre potuerint. Signum eſt ergo rem hanc eſſe dubiam, „ac proinde præceptum non obligare, quia præcepta dubia „non obligant, ſaltem ſub mortali. Hæc retuliſſe, refutaſſe eſt, cùm per ſe indignationem quandam inferant legenti: undè meritò hanc propoſitionem damnavit Innoc. XI. *Vix in ſæcularibus invenies, etiam in Regibus, ſuperfluum ſtatui, & ita vix aliquis tenetur ad Eleemoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluis ſtatus.* Ipſamque condemnat Auguſtinus in Pſ. 147. his verbis: *Multa ſuperflua habemus, ſi non niſi neceſſaria teneamus.*

ONCLUSIO II.

SUccurrendum eſt pauperibus in extrema neceſſitate ex ſuperfluis vitæ; in gravi ex neceſſariis ad decentiam ſtatus; & in communi ex ſuperfluis, tum vitæ, tum ſtatui decenti. Hæc eſt veriſſima, & in praxi ſequenda. Sed ante probationem duo ſunt conſideranda.

1. Quod neceſſitas *extrema* ſit illa, quam patiuntur illi, quibus defectu cibi, potus, veſtitus, aut alterius rei imminet hic & nunc vitæ, infirmitatis incurabilis, membri, aut ſenſus amittendi periculum: *gravis*, quæ ferè privat honeſtum hominem neceſſariis, etſi non abſolutè prematur fame aut nuditate: *communis*, quàm patiuntur pauperes oſtiatim mendicando.

2. Quòd aliqua ſint neceſſaria vitæ, aliqua ſtatui, aliqua ſtatus decentiæ. Prima ſunt, ſine quibus non poteſt quis ſe & alios alere. Secunda, ſine quibus non poteſt vivere convenienter ſuo ſtatui, etiam valdè moderato. Alia, ſine quibus non poteſt ita ſplendidè. His notatis

Prob. 1. Pars concluſionis; quia etſi ſuperflua vitæ ſint neceſſaria ſtatui; ordo tamen Charitatis exigit ut proximi graviſſimum vitæ aut quaſi vitæ bonum præferamus bono ſtatus longè inferiori: undè tunc locum habet dictum D. Ambroſii, quod refertur diſt. 86. cap. *paſce*: *Paſce fame morientem.... ſi non paviſti, occidiſti.*

Prob. 2. Pars, quia etiam poſtulat Chriſtiana Charitas, imò & humanitas, ut ſtatus ſplendorem, licèt non extraordinarium, aliqualiter negligamus, & quaſi extremo proximi malo occurramus, cùm neglectus ille ferè nihil ſit in comparatione tanti mali.

Prob. 3. Pars; quia ſi non teneremur ſuccurrere pauperibus, in communi neceſſitate poſitis, nequidem ex iis, quæ ſtatui & vitæ ſuperfluunt, nullus teneretur ad Eleemoſynam erga pauperes oſtiatim mendicantes, ſicque ferè omnes de communi neceſſitate in gravem, de gravi in extremam adigerentur. Præterà nunquid eſuries, ſitis, nuditas &c. reperiuntur in neceſſitate communi? & tamen illa ſublevare denegantes flammis addicuntur æternis Matth. 25. Hanc veritatem nobis declarat Aug. ſuper Pſ. 147. ubi ait: *Superflua divitum neceſſaria ſunt pauperum, res aliena poſſidetur, cùm ſuperflua poſſidentur*: undè D. Th. 2. 2. q. 66. art. 7. *Res, quas aliqui ſuperabundanter habent, ex naturali jure debentur pauperum ſuſtentationi*, & q. 87. art. 1. ad 4. *Dominum non ſolùm decimam partem, ſed omnia ſuperflua pauperibus jubet exhiberi.* Deniq; hanc apertè tradit Apoſtolus 1. ad Timoth. 6. *Divitibus hujus ſæculi præcipe* (non dicit conſule, hortare &c.) ..... *facilè tribuere.* Quomodo autem facilè tribuerent, ſi tantum in extrema neceſſitate, quæ vix unquam accidit, fatentibus adverſariis, tenerentur dare? Ex dictis

Reſol. 1. Recludentes pecunias innumeras, quæ nec ſtatui, nec incommodis præcavendis, nec prolium educationi aut collocationi neceſſariæ ſunt, graviter eſſe culpabiles, cùm retineant ſubſtantiam pauperum; ſi dicas eſſe praxim communem, dicam ego cum ipſamet Veritate, faciliùs eſſe camelum tranſire per foramem acus, quàm divitem in cœlum intrare.

Reſol. 2. Confeſſarios, qui hujuſmodi hominum confeſſiones excipiunt, ſe ſuoſque pœnitentes perdere, niſi ſeriò de illorum obligatione ipſos moneant.

Reſol. 3. Quàm Deo & naturæ humanæ ſint exoſi divites illi, ac præſertim Eccleſiaſtici, qui, tempore publicæ neceſſitatis, granaria frumentis redundantia accumulant ſub ſpe majoris pretii aut lucri: verè etenim ſunt pauperum carnifices. Hinc Prov. 11. *Qui abſcondit frumenta maledicetur in populis; Benedictio autem ſuper caput vendentium.*

Reſol. 4. Non ſatisfacere Eleemoſynæ præcepto, qui pauperi omnibus deſtituto pecuniam aut aliud dat mutuo, cùm non ſublevet miſeriam proximi eo modo quo Lex Divina præcipit, nempe gratis ac ſine onere: licèt enim Eleemoſyna ſit mutuum ſeu fœnus, non tamen reſpectu pauperis, ſed Dei, juxta illud Prov. 19. *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis.* Dixi: *Omnibus deſtituto*; ſi enim aliqua habeat alibi, aut in ſpe, loquendum eſt, ut in Tract. ſuper Decalogum diſp. 7. q. 4. ubi plura reperies hanc materiam concernentia.

Reſol. 5. Spem aſcendendi ad ſtatum altiorem, non extinguere obligationem Eleemoſynæ ex ſuperfluis; aliàs cum quilibet velint eſſe majores, quàm ſint, aut fuerint eorum progenitores, nullus teneretur ex ſuperfluis. Ubi tamen cauſa rationabilis eſſet amplectendi ſtatum nobiliorem, poſſent aliqua reſervari, ſicut reſervari poſſunt pro educandis & collocandis prolibus: item pro belli, infirmitatis, aut litium incommodis præcavendis; ſed caveatur cupiditas, & immoderata terrenorum ſollicitudo.

Reſol. 6. Lethalis culpæ reos eſſe illos, quibus ob veſtium pompam, epulas frequentiores & ſplendidiores, ædium magnificentiam, ludos immoderatos, curioſitatis lenocinia, canum & equorum multitudinem, nihil ſupereſt dandum pauperibus, cùm ſubſtantiam pauperum devorent.

Reſol. 7. Opus eſſe prudentia in diſtributione ſuperflui: nam indiſcreta eſt Eleemoſynarum profuſio, ubi non patiuntur pauperes, & ideò tunc reſervari debet ſuperfluum, non cupiditatibus, ſed urgentioribus pauperum neceſſitatibus.

CONCLUSIO IV.

DAnda eſt Eleemoſyna omnibus pauperibus, qui non poſſunt arte aut induſtria ſibi ſuccurrere.

Prob. Tum ex Script. Tobiæ 4. *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere*, & Luc. 6. *Omni petenti te, tribue.* Tum etiam ratione; quia nulla eſt ratio cur unum excludas præ alio, cùm hic tantùm attendatur indigentia: unde etiam peccatoribus tribuas, audi Auguſtinum enarratione in Pſal. 102. verſ. 6. *Aliud quod homo, aliud quod peccator; quod homo, opus eſt Dei; quod peccator, opus eſt hominis, da operi Dei, noli operi hominis.* Quæ ultima verba notanda ſunt, ut non tribuas illi, qui de tua Eleemoſyna ſumit occaſionem peccandi. Cæteris tamen paribus; præferendi juſti peccatoribus, ſicut cæci, debiles, claudi, ſenes, pueri, & mendicare erubeſcentes aliis communibus. Sed eſtne aliquibus obligatio inquirendi pauperes? Eſt Epiſcopis & Paſtoribus, utpotè pauperum Patribus; non tamen aliis, quibus ſatis eſt eſſe in animo parati ſuccurrere, ubi noverint: niſi certè ſcirent eſſe aliquos, aut impotentes, aut erubeſcentes comparere: tunc enim militat illud Auguſtini enarratione in Pſ. 103. concl. 3. circa med. *Alius ad te venit ut petat, alium tu præveni, ne petat.*

Dixi: *Qui non poſſunt arte* &c. quia laboris capacibus, & tamen ignavis, aut otioſis non eſt facilè tribuendum: nam. *Si quis non vult operari, nec manducet* Apoſt. 2. Theſ. 3.

CONCLUSIO V.

TAntùm illi poſſunt & debent dare Eleemoſynam, qui habent liberam bonorum ſuorum adminiſtrationem.

Ratio eſt, quia ut quis poſſit Eleemoſynam dare, debet poſſe rem alienare; atqui tantùm præfati poſſunt alienare, ut diximus in Tract. de Jure & Juſtitia: ergo. Hinc

Reſol. 1. Uxores, quibus non ſunt bona paraphernalia, aut quibus non eſt conceſſa à marito certa pecuniæ ſumma ad honeſtas expenſas, nihil poſſe ſine expreſſa aut rationabiliter præſumpta mariti licentia; ita ut ſi credant Eleemoſynam datam diſplicere marito, peccent juxta materiæ quantitatem, licèt plus requiratur, quàm in materia furti. Excipe tamen caſum extremæ neceſſitatis, ſicut & modicas Eleemoſynas, quæ ab ejuſdem conditionis uxoribus ſolent fieri.

Reſol. 2. Nec plus poſſe filium-familias, niſi habeat bona caſtrenſia, aut quaſi-caſtrenſia; aut niſi foris verſetur, nego-

tiorum

tiorum aut ſtudiorum cauſa; quia tunc ex frugalitate reſervata, aut ex conſuetudine permiſſa elargiri poteſt.

Reſol. 3. Quòd famuli & ancillæ *non poſſunt Eleemoſynas dare de rebus dominorum ſine eorum conſenſu, niſi panem* (intellige fractum) *& hujuſmodi, quæ non inferunt ſenſibile nocumentum*, D. Th. 4. diſt. 15. q. 2. art. 5. quæſtiunc. 3. Quantùm ad Religioſos, diximus in Tr. de ſtatu Relig.

CONCLUSIO VI.

TAntùm quiſque dare debet, quantùm, omnibus attentis, bonis & oneribus familiarum, prolibus &c. judicaverit neceſſarium eſſe pius & prudens director. Itaque ipſum conſule, ipſiuſque conſilio acquieſce, cùm alia regula non poſſit aſſignari.

Hanc materiam concludo cum hoc D. Auguſtini paſſu divitibus inhumanis terribili: *Quidquid, excepto victu mediocri, & veſtitu rationabili ſuperfuerit, non luxuriæ reſervetur, ſed in theſauro Cæleſti per Eleemoſynam pauperum reponatur: quidquid enim nobis pluſquam opus eſt dederit Deus, non nobis ſpecialiter dedit, ſed per nos aliis erogandum tranſmiſit: quod ſi non dederimus, res alienas invaſimus.* Serm. 219. de temp.

Petes. An pauper fictus teneatur eleemoſynas reſtituere?

Reſ. Affirm. Quia cùm donans non intenderet donare, niſi pauperi, & hic non ſit pauper, donatio nulla eſt, & conſequenter non eſt translatum eleemoſynæ dominium: unde reſtitui debet donanti, ſi factus ſit pauper; ſi non, vel donanti, vel aliis pauperibus; quia præſumitur Dominus permanere in voluntate abdicandi Eleemoſynam in favorem pauperum.

ARTICULUS II.

Quid Correptio fraterna, an, quando, quibus circumſtantiis, quo ordine, quibus, & à quibus facienda ſit?

LIcèt aliqui confundant Correptionem cum correctione; in rigore tamen correctio eſt finis & fructus correptionis.

CONCLUSIO I.

COrreptio fraterna eſt monitio Charitativa facta à privato, aut quaſi-privato ad emendandum vel impediendum peccatum proximi, procedens ex ipſius & Dei dilectione.

Dicitur 1. *Charitativa*; quia eſt quædam Eleemoſyna ſpiritualis impenſa ad ſublevandam animæ miſeriam.

Dicitur 2. *Facta à privato*, ut diſtinguatur à correptione facta à judice, qui primariò punitionem intendit.

Dicitur 3. *Aut quaſi privato*, ut intelligas fraternè factam à ſuperiore, adeoque non ad punitionem, ſed ad ſubjecti emendationem, etiam cenſeri correptionem fraternam; cùm ſit quaſi privati ad privatum, paris ad parem, fratris ad fratrem.

Dicitur 4. *Ad emendandum vel impediendum peccatum proximi*; quia etſi ordinariè non fiat correptio, niſi peccaverit proximus; fieri tamen debet aliquando, ne ſit peccaturus, quando nempe ex ſignis & præambulis colligitur moraliter peccatum eſſe in procinctu.

Dicitur 5. *Procedens ex ipſius dilectione*; quia ſi Correptio ex odio, ira, paſſione, aut ex inordinato tui amore procedat, non eſt fraterna, ſed diabolica: unde Auguſt. ſerm. 16. de Verbis Domini: *Quare illum corripis? quia tu doles quòd peccaverit in te? ſi amore tui id facis, nihil facis; ſi amore illius facis, optimè facis.*

Dicitur etiam: *& Dei*; quia nempe doles quòd Deus offendatur, ut Correptio tua ſit actus Charitatis Theologicæ.

CONCLUSIO II.

FAcienda eſt Correptio fraterna. Eſt communis & certa.

Prob. 1. Ex Script. Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum.* Nec inde inferas tantùm eſſe obligationem ipſum corripiendi, quando in te peccavit, & non quando peccavit in Deum, aut proximum: nam tenemur ipſum corripere, non quia nobis injuriam fecit, ſed quia peccando ſeipſum perdidit: quòd etiam accidit, ubi in Deum, aut proximum peccavit.

Prob. 2. Ex Auguſtino ſuprà: *Tu vulnus fratris tui contemnis? Tu eum vides perire, & negligis? Pejor es tacendo, quàm ille convitiando.*

Prob. Ratione; quia ſi lumen naturale dictet ſubveniendum eſſe proximo indigenti in corporalibus, à fortiori indigenti in ſpiritualibus, cùm potior ſit animæ ſalus, quàm corporis. Ex quibus patet præceptum Correptionis eſſe divinum naturale & poſitivum.

CONCLUSIO III.

UBi adſunt conditiones poſtea recenſendæ, ſemper facienda eſt Correptio fraterna, quando peccavit proximus mortaliter, imò interdum quando venialiter.

Prob. 1. pars; quia peccatum mortale eſt gravis proximi miſeria inferens ipſi notabile detrimentum in ordine ad ſalutem; & conſequenter gravis eſt obligatio ipſum ſublevandi per correptionem. Sed quid ſi peccaverit ex ignorantia invincibili? Etiam monendus eſt propter reverentiam legi debitam, ubi ſaltem ſperatur fructus: nam ſi juſtè timeatur, ne peccatum, propter monitionem, ex materiali fiat formale, non eſt adhibenda; & ideò relinquendi ſunt Conjuges in Matrimonio invalido Bona Fide inito, & etiam nunc valido credito, ſi non appareat ſpes ſeparationis, aut diſpenſationis obtinendæ.

Prob. 2. pars; quia ſunt quædam peccata venialia ità periculoſa, ut ſit moraliter certum illis aſſuetum peccaturum mortaliter: ut ſi Juvenis pauco tempore ter aut quater ferè uſque ad ebrietatem potaverit, aut modica ſurripuerit: tunc enim cùm periclitetur ſalus proximi, urget etiam obligatio ipſum corripiendi. Imò cùm defectus leves in communitate Religioſa ſæpè frequentati, nati ſint diſciplinam regularem notabiliter relaxare, tenetur ſuperior, ſub gravi peccato, corripere delinquentes. Ad quod etiam tenetur, deficientibus ſuperioribus: quodlibet communitatis membrum, ſi commodè facere poſſit, & fructus ſperetur; cùm ipſum graviter impellat Charitas, ut grande malum à matre ſua Religione avertere conetur.

CONCLUSIO IV.

UT obliget Correptio fraterna, ſaltem ſub mortali, debent adeſſe ſequentes circumſtantiæ, ſeu conditiones. 1. Corrigens debet eſſe moraliter certus de commiſſo aut committendo peccato mortali, aut ad mortale vergenti; & ideò non ſufficit dubium, ſuſpicio, timor, ſcrupulus, aut rumor quilibet; cùm ex his, nonnunquam infundatis, nata ſit ſequi potiùs proximi turbatio, quàm emendatio. Sed obligatne hoc præceptum, ut peccatores quæramus? minimè (niſi ſimus ſuperiores) ſed ſufficit, ſi obvios, aut coram nobis peccantes reprehendamus. Unde D. Thom 2. 2. q. 33. art. 2. ad 4. loquens de Correptionis beneficio: *Non oportet*, inquit, *nos quærere quibus impendamus, ſed ſufficit, quòd impendamus eis, qui nobis occurrunt.* 2. Ut corripiendus non reſipuerit; quia ubi reſipiſcentia; ibi inutilis Correptio. 3. Ut ſit probabilis ſpes emendationis, ſi non præſentis, ſaltem brevi futuræ; aliàs non eſt obligatio homini privato corripiendi; cùm, ceſſante totaliter fine præcepti, ceſſet & præceptum. Dixi: *Homini privato*; quia etiam tunc teneretur ſuperior, tum ne audacior redderetur ſubditus ad peccandum: tum ne alii ſumerent inde occaſionem liberiùs peccandi. Sed ſi dubitas an profutura ſit Correptio? Adhibenda eſt, ſi ſcias non obfuturam: relinquenda, ſi putes fortè profuturam, fortè obfuturam: In extrema tamen neceſſitate ſpirituali, ut in mortis periculo, fieri deberet, etiamſi delinquentis ruinam timeres; quia in illis caſibus, velut medicus ſpiritualis, imitari debes medicos corporales, qui ſic ſe gerunt, ubi dubitant an medicina ſit profutura, & aliam non habent. 4. Ut citra grave incommodum fieri poſſit. 5. Ut deſit alius qui corripiat, aut corripere velit. 6. Ut ſit veriſimile indigere peccatorem correptione; quia ſi putatur per ſeipſum emendandus, otioſè corripitur. Ex quibus patet ſatis raró teneri hominem privatum ad correptionem fraternam, ſaltem ſub gravi culpa, cùm raró omnes illæ conditiones ſimul reperiantur.

Advertendum tamen quòd ubi correptio hic & nunc otioſa, profutura eſſet alio tempore aut loco, tunc eſſet adhibenda, cùm debeamus eo modo aut tempore illam facere, quo fructum eſt allatura.

CONCLUSIO V.

IN correptione fraterna ſervandus eſt ſub gravi culpa ordo Evangelicus Matth. 18. expreſſus, niſi prudentia aliud dictaverit. Unde 1. corripiendus eſt proximus in ſecreto: *Corripe eum inter te & ipſum ſolum.* 2. Adhibendi ſunt teſtes, ubi hoc non prodeſt: *Si te non audiverit, adhibe tecum adhuc unum vel duos.* 3. *Si non audierit eos, dic Eccleſiæ*, id eſt,

Digitized by Google

id eſt, ſuperiori, non illicò tanquam judici ad punitionem, ſed tanquam patri ad emendationem.

Ratio hujus ordinis petitur ex eo, quòd debeamus famam proximi, etiam peccatoris, conſervare quantùm poſſumus, quandiu apud alios eſt adhuc integra. Unde Auguſt. Serm. 16. de verbis Domini: *Quia ſecretum fuit, quando in te peccavit, ſecretum quære cùm corrigis quod peccavit: nam ſi tu ſolus noſti quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, ſed proditor.*

Dixi: *Niſi prudentia aliud dictaverit*; quia in hoc præcepto, ſicut & in aliis pleriſque magis attendenda eſt Domini intentio, quàm verba. Intentio autem ejus fuit ut fratri peccanti ſuaviori modo, quo poſſemus: ubi autem modum illum inutilem crederemus, paulò duriorem adhiberemus, vel ſtatim aſſumendo teſtes, vel etiam, illis relictis, deferendo ad ſuperiorem: & ideò non obligat ordo ille in ſequentibus caſibus. 1. Quando crimen eſt publicum; quia publica publicè arguenda ſunt ad aliorum terrorem: unde Aug. ſupra: *Ipſa corripienda ſunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus.* 2. Quando crimen eſt pernicioſum Reipublicæ, aut Eccleſiæ, eſtque periculum in mora, ut proditio civitatis, crimen hæreſeos; imò cùm hæretici, utpotè pertinaces, non tangantur correptionibus, ordinariè nulla prævia monitione, denunciandi ſunt Epiſcopis, aut Inquiſitoribus ſi dogmatizent: unde Div. Thom. 2. 2. qu. 33. art. 7. ad 3. *Quando imminet periculum multitudinis, non habent ibi locum hæc verba Domini.* 3. Quando peccatum veſtitur certa circumſtantia, vel ex parte peccantis, vel aliunde, ratione cujus creditur eſſe immediatè ad ſuperiorem deferendum. 4. Ubi quis ceſſit ordini Evangelico, ut dicuntur ceſſiſſe Patres Societatis, permittentes, ut ſua peccata occulta ſtatim aperiantur Superioribus, in quo non ſunt condemnandi, cùm ſint ſamæ ſuæ domini.

CONCLUSIO VI.

COrreptio fraterna facienda eſt omnibus delinquentibus, adeoque etiam parentibus & Prælatis.

Ratio eſt, tum quia præceptum Chriſti generale eſt, tum quia non requirit in corripiente authoritatem, ſed Charitatem; tum etiam quia tenemur æquè, imò magis diligere bonum ſpirituale ſuperioris, quàm inferioris, aut æqualis. Debet tamen corrigens ſuperiorem, eſſe ſpectatæ virtutis, aliàs debet perſonam gravem adhibere, quæ id exequatur tempore opportuno, imò & in ſecreto, niſi ſuperior foret ſcandalum aut laqueus infirmis. Ipſa autem correptio debet eſſe modeſta & reverentialis, ita ut ſit potiùs obſecratoria, quàm increpatoria: nam ut monet Apoſt. 1. ad Tim. 5. *Seniorem* (à fortiori ſuperiorem) *ne increpaveris, ſed obſecra ut patrem.* Imò etiam reſpectu æqualium, aut inferiorum debet eſſe humilis & benigna, niſi certè corripiendi mala indoles contrarium exigeret; *Plus erga* corrigendos *agat benevolentia, quàm ſeveritas, plus cohortatio, quàm commotio; plus Charitas, quàm poteſtas*, inquit S. Leo Epiſt. 84. cap. 1. ad Anaſtaſ. Et paulò ante: *Sic eſt adhibenda correptio, ut ſemper ſit ſalva dilectio....* Ex dictis

Reſol. Quàm imprudenter agant Concionatores, qui Superiores etiam abſentes, publicè arguunt, ubi quandoque præſentibus adulantur: quis enim hujus reprehenſionis fructus? murmor, ſcandalum, exacerbatio populi: imò etiam imprudentes ſunt, ſi ità deſcendant ad perſonas particulares, ut dicta perſonæ determinatæ poſſint applicari. Caveant etiam ne facilè utantur auditis in Confeſſione; licèt enim nullum nominent, illa tamen nonnunquam reddunt aliquibus Sacramentum Pœnitentiæ odioſum.

CONCLUSIO VII.

FAcienda eſt quoque correptio fraterna ab omnibus, etiam peccatoribus; ſed præſertim à Superioribus.

Prob. 1. pars; Quia Chriſti præceptum tam generale eſt reſpectu corripientium, quàm reſpectu corripiendorum; Præterea *mandavit* Deus *unicuique de proximo ſuo*. Eccleſ. 17.

Prob. 2. pars; Quia peccatum neminem eximit à lege communi. Ut tamen fructum faciat peccator corripiendo, debet ſeipſum prius accuſare, ac de vita præterita dolorem oſtendere, ne dicatur ipſi: *Medice cura temetipſum.*

Prob. 3. pars, Quia ſuperiores non ſolùm tenentur ex Charitate ſicut alii, ſed etiam ex Juſtitia ratione Officii. Unde S. Th. 2. 2. q. 33. art. 3. ad 1. *In Correctione fraterna, quæ ad omnes pertinet, gravior eſt cura Prælatorum*; à quibus requiret Deus ſanguinem, id eſt, animam ovium perditarum, ſi eis correptionis ſalutaris denegaverint remedium.

ARTICULUS III.

Quid & quotuplex Scandalum, an ſit ſpeciale peccatum, & an ſint omittenda opera præcepti, aut conſilii, ut vitetur Scandalum?

CONCLUSIO I.

SCandalum (quod phyſicè eſt offendiculum in via præbens itinerantibus occaſionem lapſus) Theologicè eſt dictum vel factum, vel omiſſum minùs rectum præbens alteri occaſionem peccandi. Hoc ſcandalum eſt *activum*, lapſus autem ſeu peccatum illius qui ſcandalizatur, eſt ſcandalum *paſſivum* quod dicitur *datum*, quando oritur ex opere alterius malo, aut mali ſpeciem habente; *acceptum* verò, ubi oritur ex alteriùs opere bono aut omnino indifferente. Hoc ſubdividitur in ſcandalum Phariſæorum, puſillorum & infirmorum: Primum oritur ex pura malitia ſcandalizati, Secundum ex ignorantia, Tertium ex infirmitate.

Dicitur 1. In definitione: *dictum vel factum*; quia tam loquendo, quàm agendo poſſumus eſſe occaſio ruinæ ſpiritualis, non tamen cogitando, ut per ſe patet, & ideò non diximus *vel concupitum*, ſicut in definitione peccati.

Dicitur 2. *vel omiſſum*; quia omiſſione, v. g. Miſſæ, Horarum, Eleemoſynæ &c. poſſumus proximum ſcandalizare.

Dicitur 3. *Minùs rectum*; vel quia per ſe malum, ut Blaſphemia, Detractio &c. vel quia præfert ſpeciem mali, ut ſi diſpenſatus comedat carnes die Veneris coram aliis, qui diſpenſationem ignorant.

Dicitur 4. *Præbens alteri occaſionem peccandi*, ſive interim ſcandalizans intendat expreſsè lapſum proximi, quod eſt diabolicum, ſive tantùm interpretativè, ponendo id, ex quo prævidet, aut prævidere debet alterum fortè lapſurum; & de una aut altera ex his intentionibus intelligendus eſt D. Thom. dum 2. 2. q. 43. art. 3. ad peccatum ſpeciale ſcandali requirit intentionem inducendi alios ad peccandum. Ex hac definitione.

Reſol. 1. Ut quis peccet peccato ſcandali, non eſſe opus, ut alter de facto peccet, ſed ſufficiat; ſi credatur probabiliter peccaturus; & ideò poteſt eſſe ſcandalum activum ſine paſſivo, ſicut poteſt eſſe paſſivum ſine activo, ut erat ſcandalum Phariſæorum ſeſe ex Chriſti verbis & factis ſcandalizantium.

Reſol. 2. Non ſemper peccantes coram aliis eſſe ſcandali reos; ſed tunc ſolùm dum apparet aut apparere debet periculum lapſus alieni, & ideò excuſari poſſunt ab hoc peccato delinquentes coram perſonis in Dei dilectione fundatis, quia ordinariè diligentibus Deum non eſt ſcandalum.

Reſol. 3. Gravitatem aut levitatem ſcandali non eſſe petendam ex peccato ſcandalizantis, ſed ex peccato, cujus occaſionem dat ſcandalum: undè fieri poteſt ut quis peccet mortaliter in alia materia, & tantùm venialiter in materia ſcandali, ut ſi dicat injuriam atrocem viro Sancto; quem prævidet indè leviter commovendum, & è contra peccet venialiter in alia materia, & mortaliter in materia ſcandali, ut ſi quis tangat leviter & jocosè manum puellæ, quam indè novit impurè agitandam cum delectatione

Reſol. 4. Corrigendam eſſe exiſtimationem vulgi putantis aliquem ſcandalizari, dum præcisè miratur, aut indignatur de peccato alterius; cùm tunc, defectu ruinæ alterius, non ſit ſcandalizatio.

Reſ. 5. Incitantem ſocium per hauſtus exceſſivos ad ebrietatem, peccare triplici peccato, nempè ebrietatis propriæ; alienæ, & ſcandali, ſicut peccat peccato fornicationis propriæ, alienæ & ſcandali, qui inducit puellam ad fornicandum, ſed quid ſi mulier ſit habitualiter parata? Equidem intervenit ſcandalum, cùm hic & nunc non cogitet de fornicatione; imò licèt cogitaret, adhuc eſt ſcandalum, quia eſt occaſio peccati externi, quod ſecundùm nos aggravat per ſe malitiam actus interni, & in aliorum ſententia, ſaltem per accidens, reddendo actum aut efficacem, aut diuturniorem, aut intenſiorem.

Reſol. 6. Quod in peccatis fornicationis, adulterii &c. debeat inquirere Confeſſarius an pœnitens fuerit ſollicitator vel ſollicitatus, ſive pœnitens ſit vir, ſive mulier: aliàs non ſatis intelligitur circumſtantia ſcandali.

Reſol. 7. Exercentem actionem omninò indifferentem, v. g. ambulationem, ex qua prævidet proximum ſumpturum occaſionem peccandi, non peccare quidem peccato ſcandali ſtrictè ſumpto, cùm illud ſcandalum ſit tantùm paſſivum, & quidem acceptum; peccat tamen peccato ſcandali latè

accepto,

Digitized by Google

accepto, ſi id faciat ſine juſta cauſa, quia non impedit peccatum alterius, ad quod ex Charitate tenetur Dii: *Si id faciat ſine juſta cauſa*, quia ubi hæc intervenit, nullatenus peccat, cùm tunc cenſeatur tantùm alterius peccatum permittere, quod ex juſta cauſa licitum eſt.

CONCLUSIO II.

SCandalum ſive fiat intentione expreſſa, ſive interpretativa inducendi alium ad peccandum, eſt peccatum ſpeciale oppoſitum Charitati.

Prob. 1. pars, quæ eſt communis; quia ſi peccet contrà charitatem proximiorum ſaluti debitam qui non corripit errantem, à fortiori qui inducit ad errorem.

Prob. 2. pars; quam negant aliqui, quia in quolibet genere peccati ſufficit voluntas interpretativa: ergo etiam ſufficit ad ſcandalum voluntas interpretativa ruinæ ſpiritualis proximi. Deinde, ſi hoc non ſufficeret, vix aut nunquam daretur ſcandalum, cùm non ſoleant homines diabolico illo uti officio, quod eſt aliorum lapſum expreſsè intendere.

CONCLUSIO III.

PRobabilius eſt non eſſe omittenda opera præcepti ſive naturalis, ſive divini, ſive humani propter ſcandalum aliorum. Eſt D. Thomæ 2. 2. q. 43. art. 7.

Ratio eſt; quia ſemper debemus ſalutem propriam alienæ ſaluti præferre. Et certè niſi oſtendatur præceptum tunc non obligare, clarum eſt, non poſſe prætermitti; cùm nequidem liceat venialiter peccare pro totius mundi ſalute. Jam autem oſtenditur contrarium determinaſſe Eccleſiam cap. 2. *De novi operis nuntiatione*. Ubi legitur: *Quæ ſine mortali peccato omitti non poſſunt: non ſunt pro vitando ſcandalo omittenda*. Plura vide in Tractat noſtro ſuper Decalog diſp. 3 qu. 3. ſed nunquid omittenda ſunt opera conſilii? non ſunt omittenda, ubi quis ſcandalizatur ex ſua malitia: aliud eſt, ſi ex infirmitate; quia tenemur aliquid fratrum infirmitati concedere, non tamen malitiæ.

Petes. An poſſit quis pecuniam, aut ſimile quid in aliquo loco ponere aut relinquere, ut domeſtici probentur, aut ut reperti in delicto puniantur, aut emittantur, ſi inde credantur ſumpturi occaſionem peccandi?

Reſp neg Quia motiva illa non videntur ſufficientia ad permittendum proximi peccatum & minùs ad facilitandum, aliique ſunt modi domeſticos probandi, puniendi, aut emendandi. Non condemnarem tamen eum, qui ex occulto deprehendens alterum in delicto, v. g. famulum in gravi furto, uxorem in adulterio, permitteret operis conſummationem, ut teſtes adhiberet, qui ſuo tempore contra delinquentem deponerent, modo non poſſit aliter rem ſuam recuperari, aut divortium obtinere, quia tunc cenſetur tantùm ex juſtiſſima cauſa peccatum alienum permittere.

Agunt hic aliqui de Odio, Duello, Bello, & peccatis Militum; ſed de Odio egimus in diſp. de peccatis capitalibus, de aliis autem in diſp. 5. ſuper Decalog.

Hæc dicta ſint de peccatis & Virtutibus ad laudem & gloriam illius, qui eſt rigoroſus peccatorum Ultor, & generoſus virtutum Remunerator.

FINIS.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS
MORALIS
In Decalogi Præcepta.

PEr Decalogum hic intelliguntur decem Præcepta, Dei digito, aut Angelorum miniſterio in tabulis lapideis deſcripta, ac Moyſi in monte Sinai tradita, quorum tria prima, quæ vocantur primæ tabulæ præcepta, Deum reſpiciunt, alia ſeptem Proximum, & dicuntur ſecundæ tabulæ, ſuntque omnia de jure naturæ, licèt ſint aliqua magis, alia minus nota.

Porrò ex his præceptis aliqua ſunt Affirmativa, quæ nempè rem aliquam præcipiunt, ut tertium & quartum, aliqua Negativa, quæ prohibent aliquid fieri, ut octo alia. Eſt autem diſcrimen inter præceptum negativum & affirmativum, quòd primum obliget ad ſemper, id eſt, in perpetuum, & pro ſemper, id eſt, omni tempore; ſecundum verò obliget quidem ad ſemper, non tamen pro ſemper. Cujus ratio eſt, quòd negativum prohibeat malum, à quo omni temporis inſtanti abſtinendum eſt, affirmativum autem præcipiat bonum, quod non eſt omni temporis differentia ponendum. Sic tenemur omni tempore non ſurari, non tamen omni tempore Parentes honorare. Singula præcepta ſingulis diſputationibus diſcutientur.

DISPUTATIO I.

De primo Decalogi Præcepto.

CUm primum Decalogi præceptum (quod ſic exprimitur Exod. 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus . . . Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile &c* præcipiat verum Dei cultum, & prohibeat falſum, ſicut & falſorum Deorum, convenit, ut primò de iis, quæ ad ejus cultum ſpectant, tractemus, nempè de Religione, Oratione, & horis Canonicis? ac deinde ſubjiciamus illa quæ vero ejus honori adverſantur, ut ſunt vitia Religioni oppoſita.

QUÆSTIO I.

Quid Religio virtus, quadnam ejus objectum, & quos habeat actus?

DIco *Religio virtus;* nam tripliciter poteſt ſpectari Religio: 1. ut eſt quædam formula, aut profeſſio cultus divini omnibus communis, per quam homo, quantùm requirit ſalutis neceſſitas, Dei ſervitio mancipatur, ut nunc Religio Chriſtiana, & olim Judaica. 2. Ut eſt ſtatus hominum Deo ſpecialiter per tria vota ſolemnia Paupertatis, Obedientiæ & Caſtitatis conſecratorum, ut Religio Benedictina, Franciſcana &c. 3. Prout eſt virtus, de qua ſic ſumpta hic agimus.

CONCLUSIO I.

REligio eſt virtus moralis inclinans hominem ad reddendum cultum Deo debitum propter ſupremam ejus Excellentiam.

Dicitur 1. *Virtus:* nam, cùm ſit bonum modo convenienti Deum colere, ita habitus ad id inclinans eſt bonus, & conſequenter virtus. E contra verò, quia malum eſt Deum colere modo inconvenienti, v. g. cæremoniis vel ſuperfluis & à Deo rejectis, ut faciunt Judæi: vel inutilibus & in errore contra fidem fundatis, ut Turcæ & alii: vel ſuperſtitioſis, ut aliqui etiam Chriſtiani; ideò habitus ad id inclinans non eſt virtus, ſed vitium.

Dicitur 2. *Moralis*, ut diſtinguatur à virtutibus Theologicis, quæ pro objecto immediato, non Dei cultum, ſed Deum ipſum reſpiciunt.

Dices: ſicut Charitas fertur in Deum ut in ſe bonum; ita Religio in Deum ut colendum: ergo hæc, ſicut illa, eſt virtus Theologica.

Reſp. neg. conſeq. Diſparitas eſt, quòd Charitas attingendo immediatè Dei Bonitatem, attingat & immediatè ipſum Deum, à quo ipſa Bonitas non diſtinguitur realiter; Religio verò, reſpiciendo immediatè Dei cultum, non reſpiciat immediatè Deum, cùm cultus, utpotè quid creatum, à Deo realiter diſtinguatur.

Dicitur 3. *Inclinans ad reddendum cultum*, id eſt, honorem cum quadam ſubmiſſione; ita ut ille, qui colit, ſeſe inferiorem agnoſcat eo, qui colitur: & hinc fit, quòd Deus poſſit quidem Sanctos ſuos honorare, eorum excellentiam manifeſtando, non tamen colere.

Dicitur 4. *Deo debitum*: ſi enim viris eximiis ob eorum potentiam, virtutem, ſapientiam, aut aliam perfectionis excellentiam, debeamus quendam honorem: ſi Regibus debeamus tributum, ut eorum poteſtatem, & noſtram teſtemur ſubjectionem, à fortiori debemus cultum primo omnium Principio & Domino, ut nihilum noſtrum & ſervitutem, ipſius verò Emineniam proteſtemur.

Dicitur denique: *Propter ſupremam ejus Excellentiam*. 1. Ut excludatur cultus Sanctis exhibitus propter eorum excellentiam inferiorem & creatam: tunc enim non eſt actus Religionis, ſed Duliæ: aliud eſſet, ſi honorarentur propter ipſam Dei Excellentiam in ipſis tanquam in templis ſuis relucentem. 2. Ut oſtendatur, quòd cultus Deo exhibitus propter alium titulum, non ſit actus Religionis, ſed vel Pietatis, vel Gratitudinis, proportionatè ad motivum.

CONCLUSIO II.

OBjectum Religionis materiale eſt cultus, formale eſt idem quatenus debitus.

Prob. 1. Pars; quia Religio reſpicit immediatè ſigna tum externa, quibus Deus honoratur & colitur, & ideò quando Deus dicitur illius objectum, intelligitur objectum *cui*, ſcilicet cultus exhibetur, non autem objectum *quod*, quale eſt reſpectu virtutum Theologicarum.

Prob. 2. Pars; quia munus Juſtitiæ, ad quam pertinet Religio tanquam pars potentialis, eſt reddere debitum: undè quando exercemus actum Religionis, ſpectamus proximè rationem debiti, excellentiam verò Divinam, ſeu rationem primi omnium Principii, non niſi remotè, in quantùm eſt cauſa & radix, cur talis cultus eſt Deo debitus.

Dices: Deus colitur votis & oblationibus gratuitis: ergo malè ſtatuitur objectum ejus formale cultus quatenus debitus.

R. Cultum illum dici Deo debitum, non quia Deus ſemper illum exigit; ſed quia vel exigit certis temporibus, vel quia poteſt de jure illum exigere.

Digitized by Google

CONCLUSIO III.

Actus Religionis alii ſunt Eliciti, ut volitiones Deum colendi: alii Imperati, ut Adoratio, Votum, Juramentum &c. Item alii ſunt Interni, ut Devotio, Oratio mentalis; alii Externi, ut Genuflexio, Proteſtatio, capitis Detectio, Sacrificium, Oblatio, &c.

Porrò Devotio nihil eſt aliud, quàm fervor & promptitudo voluntatis ad cultum Divinum. Hanc impediunt nimia in exterioribus divagatio, immoderata temporalium ſollicitudo, nimis avida terrenarum conſolationum cupido, &c. De aliis Religionis actibus, ſuis in locis tractabitur, hìc tantùm de Oratione in genere, & Horis Canonicis.

QUÆSTIO II.

Quid Oratio, quotuplex, an ſit efficax, neceſſaria, quandonam, & pro quibus facienda?

ORatio ſumitur impropriè pro quolibet opere bono; quo ſenſu dixit D. Bonavent. 4. diſt. 32. dub. 5. *Non ceſſat orare, qui non ceſſat bene facere.* Non ita impropriè accipitur pro quovis pio animi motu in Deum: quo ſenſu Damaſcenus libr. 3. de fide cap. 24. *Oratio*, inquit, *eſt aſcenſus mentis in Deum.* Sed maximè propriè pro petitione decentium à Deo. Hinc

CONCLUSIO I.

ORatio eſt actus Religionis, quo creatura intellectualis decentia à Deo poſtulat.

Dicitur 1. *Actus Religionis*; quia per orationem noſtram agnoſcimus ſubjectionem, & ſupremam Dei Excellentiam.

Dicitur 2. *Quo creatura intellectualis*, quia ſicut illi ſoli competit ex cognitione ſuæ ſubjectionis aliquid boni ſibi, aut alteri expectare, ita & orare: unde orant Angeli, Beati, Viatores, animæ Purgatorii, imò & Chriſtus ut homo: juxtà illud Joan. 14. *Ego rogabo Patrem &c.* licèt, ad vitandum ſcandalum, non ſoleamus dicere, *Ora pro nobis Chriſte*: non tamen orat ut Deus, cùm ut ſic nullum agnoſcat ſuperiorem, & ideò quando Rom. 3. dicitur Spiritus Sanctus poſtulare pro nobis, intelligitur in ſenſu cauſali, in quantum facit, ut poſtulemus. Damnati autem, licèt poſſint petere, non tamen orare defectu pii affectus in Deum, quem ſemper oderunt.

Dicitur 3. *Decentia*, quorum aliqua per ſe conducunt ad ſalutem, qualia ſunt auxilia gratiæ, actus & habitus virtutum ſupernaturalium, & illa peti poſſunt abſolutè, ſicut & virtutes morales. Aliqua ſunt indifferentia, ut Matrimonium opulentum, uxor prudens, litis deciſio favorabilis, ſanitas, honores, divitiæ &c. & illa peti debent ſub hac conditione explicita, vel implicita, *ſi ſint ſalutaria*: aliàs ſi quis illa peteret abſolutè, ignorans an ſibi futura ſint ſalutaria, necne, cenſeretur ſalutem illis poſtponere; adeoque graviter peccaret: ſicut ille, qui rem, licèt tantùm venialiter malam, poſtularet, eò quòd vellet quodammodo Deum authorem peccati facere.

Dicitur 4. *à Deo*, quia omnis Oratio ultimatè in Deum tendit: & ideò Oratio, quæ ad B V. aut ad Sanctos dirigitur, eſt tranſitiva, terminaturque ultimatè ad Deum.

Dicitur denique: *Poſtulat*, per quod declaratur Orationem conſiſtere eſſentialiter in actu voluntatis, quandoquidem omnis poſtulatio, ſeu petitio, ſit deſiderium, adeoque voluntatis actus: unde Pſal.9. dicitur: *Deſiderium*, id eſt, Orationem *pauperum exaudivit Dominus.* Quod confirmat Auguſt. ſerm. 230 De tempore, ubi vocat Orationem *Deſiderium inviſibilium.* Et ideò ſiqui Patres dicant eſſe actum intellectus, intelligunt conſecutivè, in quantum deſiderium noſtrum per actum intellectus practici intimamus, ſicut Orationem internam per vocalem manifeſtamus.

CONCLUSIO II.

ORatio, alia eſt mentalis tantùm, quæ in corde abſolvitur, alia mentalis & vocalis ſimul, quæ corde & voce exprimitur. Vocalis tantùm non datur: cùm non ſtet Oratio ſine actu voluntatis, in quo eſſentialiter conſiſtit.

Item dividitur Oratio in Publicam, quæ publico Eccleſiæ nomine, & in Privatam, quæ privato alicujus orantis nomine Deo offertur. Primam fundunt omnes Eccleſiæ Miniſtri, dum Altari, Officio divino, Proceſſionibus & ſimilibus aſſiſtunt: ſecundam omnes Chriſtiani, dum Roſarium aut quid ſimile recitant.

CONCLUSIO III.

ORatio facta humiliter, devotè, inſtanter, & de re nobis ſalutari, efficaciam habet infallibilem.

Prob. ex Script. Chriſti promiſſionem terminis expreſſis continente, ut Matth 7. & Luc. 11. *Ego dico vobis, petite, & dabitur vobis.* Marci 11. *Dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis.* Idem habetur Matth. 21. unde, quòd aliqui orantes non exaudiantur, oritur, vel quia malè petunt, juxta illud Jacobi 4. *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis*, vel quia petunt quod ſibi non convenit ad ſalutem: *Novit enim Medicus* (inquit Auguſtin. tract 73. in Joan.) *quid pro ſua, quid contra ſuam ſalutem poſcat ægrotus, & ideò contraria poſcentis non facit voluntatem, ut faciat ſanitatem.*

CONCLUSIO IV.

ORatio eſt adultis neceſſaria ad ſalutem neceſſitate præcepti, tum poſitivi, tum naturalis, imò & ſæpè neceſſitate medii.

Primò: Neceſſitate præcepti poſitivi: hanc obligationem inſinuat Scriptura variis locis, ut Luc. 18. *Oportet ſemper orare.* Ad Coloſſ. 4. *Orationi inſtate.* 1. ad Theſ. ult. *Sine intermiſſione orate.* Ad Epheſ. 6. *Orantes omni tempore &c.*

Secundò: Neceſſitate præcepti naturalis; quia jus naturæ poſtulat, ut Deum quandoque per actus Religionis honoremus; inter illos autem actus, ultra quòd Oratio ſit maximè obvia, etiam maximè indigentiam noſtram à Deo primo omnium Principio declarat.

Tertiò: Neceſſitate medii, ſaltem ſecundùm concurſum ordinarium adultos ſalvandi; quia divinum auxilium ad vincendas tentationes, & ſervanda Dei præcepta neceſſarium, licèt quandoque detur non petentibus, ordinariè tamen non datur niſi petentibus: unde eſt illud Iacobi 4. *Non habetis propter quod non poſtulatis.*

CONCLUSIO V.

LIcèt nullum ſit tempus determinatum, in quo præceptum Orationis per ſe obliget; crediderim tamen cum Wiggers & aliis peccaturum eum graviter ex vi præcepti Orationis, qui integros octo dies præteriret abſque ulla prorſus Oratione vocali, aut mentali.

Hujus ratio petitur tum ex omnimoda noſtri ad Deum dependentia & ſubjectione; tum ex magna Orationis ad vitam rectè componendam neceſſitate; tum etiam ex vehementi ejuſdem inculcatione, quam facit Scriptura ſupra. Et ideò hac de re ſunt examinandi & inſtruendi Pœnitentes.

Orationis obligationem & neceſſitatem pulchrè oſtendit D. Chryſ. lib. 2. de orando Deum: *Si teipſum deſtitueris precatione*, inquit, *perinde feceris, ac ſi piſcem ex aqua extraxeris: ut enim piſci vita eſt aqua; ita tibi deprecatio.* Idipſum fortius inculcat D. Bonav. de perfectione vitæ cap 5. reſpectu Religioſorum: *Revera Religioſus*, inquit, *non frequentans aſſiduè Orationem, non ſolum eſt miſer & inutilis; quinimò coram Deo fert animam mortuam in corpore vivo.... Non eſt mirum ſi tentationibus ſuccumbat frequenter miſerabiliter, qui ſtudium Orationis non frequentat.*

Advertendum hic Scripturam dicentem, ſemper eſſe orandum, intelligendam eſſe ex mente Auguſtini hæreſi 57. D. Anſelmi, Div. Thomæ, & aliorum communiter, hyperbolicè; ità ut ly *ſemper* idem valeat quod *frequenter*. Vel certè ſumitur Oratio impropriè pro quolibet bono opere; ità ut *oportet ſemper orare* ſit idem ac *oportet ſemper bene facere*, ſeu, *nunquam malè facere.*

Præterea obligamur per accidens ad Orationem, quando imminet grave periculum mortis, quando adeſt neceſſitas gratiam recuperandi, Horas Canonicas perſolvendi, proximum precibus adjuvandi, tentationem vehementem vincendi, ſi credatur non poſſe alia ratione ſuperari. Requiritur tamen, ubi tantùm obligat Oratio ratione alicujus mali avertendi, ut quis advertat aliquo modo ad illam obligationem; aliàs omiſſio Orationis erit ipſi involuntaria. Ubi autem advertit, nec orat, peccat quidem, ſed non alio peccato, quàm ſit illud malum, cujus periculo ſe exponit per omiſſionem Orationis.

CON-

Google

CONCLUSIO IV.

ORandum eſt pro omnibus, qui necdum ſunt in termino; adeòque non tantùm peo nobis, ut ſalvi fiamus, non tantùm pro bonis & juſtis, ut in Juſtitia perſeverent & proficiant; ſed etiam pro peccatoribus ſceleratiſſimis, pro Paganis, Turcis, Schiſmaticis, Hæreticis, Excommunicatis, & generaliter pro omnibus quantumcumque peſſimis, & nobis maximè infenſis, ut convertantur, & ad ſaniorem mentem, melioremque vitæ frugem revocentur: ſi enim debeamus proximo erranti impendere correctionis fraternæ beneficium, quidni tempore & loco Orationis ſuffragium?

Dixi: *qui necdum ſunt in termino*; & ideò non eſt orandum pro Sanctis, cùm ſint in Cœlo, licèt ſuſtineant aliqui poſſe illis peti novam gloriam accidentalem: nec pro Damnatis, cùm ſint in Inferno, ubi nulla redemptio, unde Hiſtoria Trajani precibus S. Gregorii ex Inferno liberati eſt fabula. Orandum eſt tamen pro animabus Purgatorii; quia licèt ſint in termino merendi & demerendi, non tamen ſunt in termino manſionis; hanc obligationem inculcat fortiter lex Charitatis; ſi enim teneamur pauperibus in gravi neceſſitate conſtitutis ſuccurrere, quidni & animabus iſtis, quarum neceſſitas eſt maximè gravis & urgens? Unde non tantùm *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur*, ut inquit Scriptura 2. Machab. 12. ſed etiam ſtricta obligatio: quod magis verum eſt reſpectu Parentum, Fratrum, & Benefactorum.

Quæ autem ad Orationem requiratur attentio? dicetur de Horis Canonicis.

QUÆSTIO III.

De Horis Canonicis.

HOræ Canonicæ (quæ octo aſſignantur à Navarro, Matutinum à Laudibus dividente; ſeptem verò ab aliis communiter, nempè Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſperæ & Completorium, juxta illud Davidis Pſal. 118. *Septies in die laudem dixi tibi*) ſunt quædam preces vocales, quæ ex præſcripto Canonum ſtatutis horis quotidie recitantur à perſonis ad id deputatis. Dicuntur etiam *Officium Divinum*; quia ad Dei cultum ſunt inſtitutæ; *Canonicum*, quia fiunt juxta regulas Canonum; & *Eccleſiaſticum*, quia nomine Eccleſiæ perſolvuntur; & ideò ſunt preces publicæ, ſive in Choro, ſive extra Chorum privatim recitentur. Liber autem illas continens dicitur *Breviarium*, eo quòd ſit quoddam compendium veteris & novi Teſtamenti, Patrum ſententiarum, & vitæ Sanctorum.

Porrò quoniam hæc quæſtio diverſam & multiplicem continet materiam; ideò non incongruè in varios articulos ſecabitur.

ARTICULUS I.

Quinam obligentur Horis Canonicis?

CONCLUSIO I.

OBligantur primò ad Horas Canonicas in Choro, vel extra Chorum recitandas Clerici majorum Ordinum, non minorum.

Prob. 1. Pars quantum ad Presbyteros ex cap. *Presbyter*, & cap. *Dolentes* de celebratione Miſſarum. Quantum autem ad Diaconos & Subdiaconos, probant aliqui ex cap. fin. diſt. 92. Sed cùm hoc capitulum non ſatis convincat, dicendum eſt, eorum obligationem fundari in antiqua Eccleſiæ conſuetudine vim legis, ſecundùm omnes, obtinente.

Hæc obligatio reſpicit generaliter omnes in Sacris conſtitutos; & ideò ab illa non excuſantur Excommunicati, Suſpenſi, Interdicti, Degradati, incarcerati, ad triremes damnati; quia non eſt juſtum, ut ex ſuo delicto commodum percipiant; imò cùm ſint in ſtatu pœnitentiæ, debent magis, quàm alii, orare. Idem dicendum eſt de iis, qui capiuntur à Piratis, aut ex diſpenſatione Pontificia Matrimonio junguntur, niſi in hoc etiam diſpenſet Summus Pontifex. Quantùm ad cæcos, tenentur ad illas partes, quas ſciunt memoriter, aut quas cum ſocio, quem commodè habere poſſunt, recitare valent.

Prob. 2. Pars: quia nullum eſt præceptum aut conſuetudo ad id obligans minoribus Ordinibus, aut Tonſura initiatos.

CONCLUSIO II.

OBligantur ſecundò ad Officium, ſaltem privatim recitandum omnes Religioſi ad Chorum profeſſi, niſi alicubi obſtet conſuetudo legitimè introducta. Hanc obligationem nullum introduxit Eccleſiæ præceptum, ſed mera conſuetudo, quæ tamen, ſecundùm ferè omnes Doctores, vim legis obtinuit; & ideò ſententia contraria vocatur à Sanchez improbabilis, à Diana prorſus improbanda, à Reginaldo temeraria. Et certè cùm non niſi ex aliorum relatu ſcire poſſimus, an conſuetudo aliqua vim legis obtineat, ſeu, an fuerit animo obligatorio introducta, non videtur ille ſatis prudens, qui torrenti univerſali Doctorum talem conſuetudinem aſſerentium, contradicit. Prætereà quo jure negabitur, hanc conſuetudinem vim legis obtinuiſſe reſpectu Religioſorum, eodem negabitur, conſuetudinem eſſe obligatoriam reſpectu Diaconorum & Subdiaconorum. Ex hac concluſione

Reſol. 1. Obligari ad Horas Religioſos fugitivos, apoſtatas, è Monaſterio per ſententiam ejectos, ad triremes damnatos &c. quia ſemper remanent ad Chorum profeſſi. Idem, propter eandem rationem, dicendum eſt de eo, cui legitimè permittitur, ut Chorum non adeat, aut extra Monaſterium perpetuò vivat. Aliud eſt de illo, cui permiſſum eſt ex diſpenſatione Papali uxorem ducere, aut in hunc finem Monaſterio exire: tunc enim diſpenſans in profeſſione, cenſetur & in eo, quod talem profeſſionem ſequitur, diſpenſare. Eadem eſt ratio de tranſeunte ex ſimili diſpenſatione de Clericatu ad ſtatum Converſorum, aut ad Religionem, ubi Religioſi non ſunt ad Chorum profeſſi.

Reſol. 2. Sub Religioſis contineri etiam Moniales ad Chorum profeſſas.

Reſol. 3. Obligationem illam incipere ab inſtanti Profeſſionis, ſicut in Clericis ab inſtanti Subdiaconatus recepti: unde tenentur ad Horam tempori Profeſſionis, aut Ordinationis correſpondentem, niſi prævenerint v. g. parvas Horas manè recitando: quòd authorizatur per praxim timoratorum, qui profeſſos hora nona non obligant ad recitationem Sextæ aut Nonæ, ſi illas anteà recitaverint.

Dixi 1. In Concluſione: *Religioſi ad Chorum profeſſi*: unde eximuntur ab hoc penſo Novitii & Novitiæ; quia reputantur in odioſis ſæculares. Item Converſi & Converſæ cujuslibet Inſtituti, qui non ad Chorum, ſed ad officia manualia ſunt deputati. Similiter Jeſuitæ, & Religioſi militares non Beneficiati: illi enim inſtruendæ juventuti, hi autem militiæ ſunt addicti, non Choro.

Dixi 2. *Ad Officium ſaltem privatim recitandum*: quia obligatio recitandi Horas in Choro non afficit particulariter ſingulos Religioſos, ſed totam Communitatem; ità tamen, ut primariò reſpiciat Superiorem, qui peccabit graviter, ſi ex ejus culpa Officium vel omittatur, vel notabiliter negligatur, vel etiam indebitè perſolvatur: ſecundariò afficit Subditos, ita ut deficiente ſuo muneri Superiore, etiam peccent mortaliter Subditi, ſi ex eorum negligentia Officium prætermittatur, aut indebitè recitetur.

Quamvis autem ad Officium chorale perſolvendum ſufficiant in rigore quinque, aut tres Religioſi, etiam Novitii, qui in favorabilibus, Profeſſis æquiparantur; peccabit tamen Superior pro quantitate negligentiæ, ſi alios non legitimè occupatos ad Officium non compellat; quandoquidem Clemens V. poſtquàm præcepit in Clem. 1. De celebratione Miſſarum *ut in Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Eccleſiis horis debitis devotè pſallatur*, mandet compelli ad chorum Clericos earundem Eccleſiarum, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas.

Videtur tamen exempta à choro communitas illa, quæ 4. aut 5. tantùm conſtat Religioſis, qui ordinariè Prædicationibus, Confeſſionibus audiendis, ægrotis viſitandis &c. occupantur; quia non eſt credibile, quòd voluerit Eccleſia illis tantùm onus imponere in talibus circumſtantiis, ſicut cenſeretur imponere, ſi domi manerent ſine legitima occupatione.

Dixi 3. *Niſi alicubi obſtet conſuetudo legitimè introducta*, qualis videtur eſſe apud plurimas Moniales Belgicas, præſertim Tertiarias B. Franciſci (vulgò *Sorores Griſeas*) quæ à longiſſimo tempore profeſſionem emiſerunt cum perſuaſione, nullam ſibi eſſe obligationem Horas privatim recitandi. Imò & plurimæ nequidem Officium Divinum in choro admiſerunt, ut Armenterianæ, Orchiacenſes, & aliæ quæ ſolùm B. Virginis Officium perſolvunt: undè non debet prudens confeſſarius Moniali de ſua obligatione interroganti, ſtatim reſpondere, ipſam eſſe, aut non eſſe obligatam, ſed debet loci conſuetudinem inquirere, & omnibus attentè penſatis & conſideratis, reſolvere.

Digitized by Google

CONCLUSIO III.

OMnes qui vero gaudent Beneficio, qualecumque ſit, tenentur ad Horas Canonicas, ſaltem ſi fructum recipiant. Patet tum ex Juribus antiquis; tum ex Conc. Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. 9. indiſtinctè omnes obligante; tum etiam ea voluntate Fundatoris Beneficium propter Officium inſtituentis. Hanc obligationem innovavit Pius V. Conſtit. 135. apud Cherubin. Tom. 2. quæ incipit, *Ex proximo Lateranenſi Conc.* ubi declarat Beneficiatos omittentes ſine juſta cauſa Officium, graviter peccare, etiam primo ſemeſtri: poſt ſex autem menſes, teneri ad reſtitutionem fructuum faciendam in fabricam, vel in pauperes pro rata Officii omiſſi: ſic, ut qui totum Officium unius diei omittit, perdat omnes fructus illi diei correſpondentes: qui matutinum, vel, dicto Matutino, reliquas Horas, dimidiam partem: qui Primam, vel aliam ſubſequentem, ſextam partem.

Hæc reſtitutio quatenùs fieri debet neceſſariò ex fructibus Beneficii, tantùm obligat jure Eccleſiaſtico: nam ſi jure naturæ obligaret, ut volunt aliqui, etiam ſex primis menſibus fieri deberet. Quatenùs autem fieri debet, vel ex fructibus Beneficii, vel ex piis operibus omiſſionum Officii compenſatoriis, obligat jure naturæ, etiam primo ſemeſtri, quia Beneficium datur & conſequenter accipitur propter cauſam, cauſa non ſecuta, jure repetitur.

Obligatio recitandi Officium incipit ab eo tempore, quo fructus debentur Beneficiato, ſive interim poſſeſſionem acceperit, ſive non; quia ratio dictat, ut quando quis incipit gaudere fructibus, incipiat & præſtare id, propter quod ſunt fructus. Si alia dicatur eſſe praxis Curiæ Romanæ, dicendus eſt reſpicere forum externum. Ex hac Concluſione

Reſol. 1. Obligari ſub gravi peccato & ſub onere reſtitutionis ad Horas Canonicas, Epiſcopos, Abbates, Priores, Canonicos, Præbendatos, Portionarios, Præſtimonia habentes, quia illi omnes ſunt verè Beneficiati. Excipiuntur tamen ab hac regula quidam Beneficiati habentes ſimplices Præpoſituras, Perſonatus, &c. quibus ea ſua inſtitutione annexæ ſunt tantùm certæ preces, ut quinquies *Pater & Ave*, Pſalmus *Miſerere*, &c.

Reſol. 2. Etiam obligari Parochos, cum hac tamen limitatione, ut licèt ſemper peccent Horas omittendo, non teneantur tamen ad reſtitutionem omniam fructuum: ſed vel ad nihil, ſi eorum opera in adminiſtrandis Sacramentis viſitandis ægrotis &c. æquivaleant fructibus: vel ad quartam aut quintam partem, ſi non æquivaleant; quia illa pars, ſecundùm Doctores, cenſetur correſpondere Officio Divino. Idem eſt cum proportione de Capellanis. Dicitur quidem eſſe Bulla Pii V. etiam Parochos ad reſtitutionem omnium fructuum obligantis, ſed non videtur in his locis recepta.

Reſol. 3. Etiam teneri Abbatem, ut & Priorem commendatarium, ſicut & habentem Beneficium integrè in Commendam, licèt non habeat titulum Beneficii, quia cùm recipiant fructus Beneficii, juſtum eſt ut exerceant miniſterium Beneficiati.

Reſol. 4. Etiam obligari Vicarios perpetuos, ſive in Eccleſiis Parochialibus, ſive in Collegiatis, aut Cathedralibus: illi enim ſunt verè Beneficiati. Aliud eſt de Vicariis temporalibus, qui ob legitimum Beneficiati impedimentum ad tempus tantùm aliorum loco Eccleſiæ inſerviunt; cùm nec jus, nec titulum Beneficii habeant.

Reſol. 5. Similiter eſſe obligatos Coadiutores perpetuos qui habent plenum jus adminiſtrationis ob Beneficiati amentiam, aut ſimilem infirmitatem; quia videntur inſtituti cum tota obligatione. Secùs dicendum de Coadjutoribus, qui tantùm inſtituuntur cum futura ſucceſſione; cum nullo modo ſint beneficiarii, & tantùm penſionem recipiant ob labores præſtitos.

Reſol. 6. Beneficiatos ad Officium, etiam primo & ſecundo anno, licèt fructus non recipiant; quia vel cedunt in fabricam, pro qua conſervanda deberent alioqui certas expenſas tota vita facere; vel ipſis reſervantur poſt mortem, in ſolutionem debitorum, funeralium &c.

Reſol. 7. Etiam obligari habentem Beneficium tenue; quandoquidem ex Jure communi & Pontificum conſtitutionibus, Beneficiatis omnibus indiſtinctè obligatio illa imponatur: nec juſtè poteſt conqueri; cùm ſibi imputare debeat, quòd tenuis illius Beneficii titulum receperit, aut retineat. Qui tamen aliqui contradicunt, quando nempè Beneficium non miniſtrat tertiam partem ſuſtentationis, ideò conſuli debet locorum conſuetudo legitimè introducta.

Reſol. 8. Eandem contrahere obligationem habentes Beneficia Manualia, ideſt, ad nutum Superioris amovibilia, cùm ſint vera Beneficia.

Reſol. 9. Similiter Horas eſſe perſolvendas ab iis, qui etſi actu nullos fructus percipiant, eo quòd Beneficium ſit litigioſum, aut propter aliam rationem, habent tamen veram ſpem ſuo tempore percipiendi. Aliud eſſet, ſi citrà culpam nullos omninò reciperent, nec poſteà recepturi; quia, ceſſante ſtipendio Miniſtri, ceſſat & obligatio miniſterii.

Dixi: *Si citra culpam*; quia privati fructibus propter delictum, obligantur: ſicut & obligantur illi, ratione ſterilitatis, aut devaſtationis privantur aliquo tempore: qui enim ſentit aliquando commodum fructuum abundantiorum, etiam ſentire debet aliquando incommodum fructuum minorum, aut nullorum.

Reſol. 10. Retinentem Beneficium ſine juſto titulo etiam obligari, non quidem ex præcepto Eccleſiæ, cùm non ſit verè Beneficiarius, ſed ex jure naturæ, in quantùm fraudat Deum debito obſequio, & Eccleſiam miniſterio.

Reſol. 11. Non obligari Penſionarios ad Officium magnum, ſed tantùm ad Officium B. V. ſub eadem pœna, ſub qua obligantur Beneficiarii ad Officium magnum; quia penſio non venit nomine Beneficii. Imò ad nihil tenerentur, ſi illam non perciperent ut Clerici, ideſt, ſi ad illam obtinendam non requireretur Tonſura, ſeu ſtatus Clericalis.

Reſol. 12. Quod licèt Stipendiarii ad Horas loco Canonicorum in Choro decantandas, teneantur illas ſtudioſè, integrè & devotè perſolvere, ſicut Canonici, quorum vices ſupplent; quando tamen abſunt à Choro, non tenentur (ſi aliundè non ſint obligati) illas privatim recitare, ſicut obligantur Canonici abſentes, licèt alios ſuo loco ſubſtituant. Ratio eſt: quòd præcisè ad Horas in Choro debitè pſallendas ſtipendium accipiant, non ſic Canonici. Idem eſt de Stipendiatis ad muſicam, cantum, melodiam.

Reſol. Denique habentem legitimè plura Beneficia (ſi haberi poſſint) non teneri pluries ad Horas, ut declarat praxis communis. Pro coronide

Adv. 1. Obligatum ad Horas ratione Ordinis & Religioſæ profeſſionis peccare unico peccato illas omittendo. Ratio eſt; quia violat unicam virtutem, nempè Religionem; quandoquidem obligatio legendi Horas, ſive ratione Profeſſionis, ſive ratione Ordinis, ſit tantùm ex præcepto Eccleſiaſtico: aliud eſt de obligato ratione Ordinis & Beneficii: cùm enim duplicem violet virtutem, nempè Religionem ratione Ordinis, & Juſtitiam ratione Beneficii, etiam duplex peccatum incurrit. Nec refert, quòd non intendat facere fructus ſuos, quia dum acceptavit Beneficium, obligavit ſe ſimpliciter & abſolutè ad Officium, & non ſub conditione, *ſi voluerit facere fructus ſuos:* quandoquidem obligaverit ſe ad mentem Fundatoris, qui non disjunctivè vel fructuum reſtitutionem, vel Horarum lectionem intendit, ſed abſolutè Divini Officii recitationem, *idque* ob Dei ſervitium, Eccleſiæ miniſterium, ac populi ædificationem: & certè, ſi hoc eſſet, poſſet quis ſolùm Tonſuratus acceptare ſine peccato quemdam Canonicatum, ut de titulo & nomine Canonici gloriaretur, etſi intenderet nunquam legere Horas, modò ſimul intenderet non facere fructus ſuos quod non apparet veriſimile.

Adv. 2. Obligationem non recipiendi, aut reſtituendi fructus, impoſitam omittentibus Officium, habere vim ante omnem Judicis ſententiam: quia Officium omittentes non faciunt fructus ſuos. Undè damnata eſt hæc propoſitio ab Alexand. VII. *Reſtitutio impoſita à Pio V. Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia, ante ſententiam declaratoriam Judicis, eo quòd ſit pœna.* Similiter damnata eſt ab eodem Pontifice ſententia aſſerentium, quòd *reſtitutio fructuum ob omiſſionem Horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas anteà Beneficiarius de fructibus ſui Beneficii fecerit.*

ARTICULUS II.

Ad quid ultrà Officium privatum teneantur Beneficiarii?

CErtum eſt Beneficiarios ad chorum, non tantùm obligari ad privatam Officii Divini recitationem, ſed etiam ad publicam & ſolemnem. Idque tum ex præcepto Eccleſiaſtico in variis Conciliis declarato: tum etiam ea jure naturæ, & virtuali Juſtitiæ contractu in fundatione, collatione & acceptatione fundato; & ideò non niſi ſub onere poſſunt illa Beneficia conferri, aut acceptari: niſi certè defraudetur mens Fundatoris, qui duo per ſuam fundationem intendit, nimirùm ſubſtantiam Officii, & decorem Eccleſiæ, ſive ſolemnitatem publicam. Et occaſione hujus obligationis inſtituta eſt hæc quæſtio. Poteſt autem de tribus ſpecialiter eſſe difficultas, nempè de Præſentia in choro, de cantu communi, & conſequenter de Reſidentia in loco Beneficii. Sed ante reſolutionem

Digitized by Google

Adv. 1. Triplicem diſtingui poſſe præſentiam in choro: purè Materialem, ut eſt hominis confabulantis, aut dormientis: Honeſtam & Moralem, qua quis ſua præſentia cœtum, aut ſolemnitatem honorat: & Religioſam, qua quis aſſiſtit præcisè, ut Deus colatur &c.

Adv. 2. Per cantum communem nos intelligere alternam Divini Officii decantationem.

Adv. 3. Reſidentiam hic nihil aliud eſſe, quàm aſſiduitatem commorationis in loco Beneficii cauſa ſervitii Eccleſiaſtici perſonaliter exhibendi. Additur *cauſa ſervitii &c.* quia non cenſeretur ille reſidere, qui licèt in loco Beneficii commoraretur, nunquam tamen ad chorum, aut ad capitulum conveniret. His notatis

CONCLUSIO I.

OMnes Beneficiarii ad chorum tenentur ad præſentiam Religioſam: ſive, tenetur quilibet adeſſe per modum Deum colentis, orantis, vel laudantis.

Ratio eſt; quia talis debet eſſe præſentia, qualis eſt actus, ad quem ordinatur; ſed actus, ad quem ordinatur, eſt religioſus, cùm ſit Officium Divinum: ergo & præſentia debet eſſe religioſa. Hocque inſinuat Trid. Seſſ. 24. Cap. 12. de Reform. ubi dicit, debere hymnis & canticis nomen Dei reverenter, diſtinctè, devoteque laudari. Hinc

Reſol. 1. Quoslibet Præbendatos in choro confabulantes, corridentes, dormientes, oculis vagantes, libros aut epiſtolas legentes, choro ſine cauſa exeuntes, modo indecenti aſſiſtentes &c. ultrà peccatum irreverentiæ, non facere fructus ſuos; ſi id faciant per tempus notabile; imò nec poſſe recipere diſtributiones: quod & dicendum eſt de iis, qui aſſiſtunt præſentia tantùm morali. Ratio clara eſt; quia fructus & diſtributiones dantur propter Officium, ad quod nullo modo concurrunt qui adſunt præſentia purè materiali, aut tantùm morali.

Reſol. 2. Abſentes à choro, etiam ex cauſa legitima, non lucrari diſtributiones. Patet ex Trid. ſuprà: *Diſtributiones*, inquit, *qui ſtatis Horis interfuerint, recipiant; reliqui, quavis colluſione aut remiſſione excluſa, his careant*. Excipiuntur tamen illi, qui omninò involuntariè abſunt, ut infirmi, captivi, injuſtè excommunicati, ſicut & illi, qui ex commiſſione Capituli in curandis Eccleſiæ negotiis occupantur.

Reſol. 3. Abſentes ultrà trimeſtre, præter privationem certorum fructuum, de quibus concl. 3. conſcientiæ culpam incurrere. Patet tum ex Conc. Toletano, ubi excommunicantur abſentes à choro ſine cauſa; tum ex Clem. I. *De celebratione Miſſarum*: ubi mandat Clem. V. compelli ad chorum Clericos Eccleſiarum Cathedralium, Collegiatarum, imò & Regularium, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas. Hæc tamen obligatio juxtà rationem materiæ temperanda eſt, ità ut ſit gravis, ubi gravis eſt materia; aliàs non niſi levis.

Porrò materiæ gravitas petitur tum ex notabili detrimento, quod patitur Officium Divinum, aut ejuſdem ſolemnitas; tum etiam ex gravitate negligentiæ, ità ut qui tantùm abſunt aliquoties, & aliquot diebus, maximè interpolatis, peccent tantùm venialiter: mortaliter verò, ſi abſint 4. aut 5. diebus continuis; cùm ſit intolerabile, ut illi, quibus ex mera Eccleſiæ indulgentia conceduntur ſingulis annis tres menſes, aut continui, aut interpolati, ulteriùs abſentias ſuas notabiliter protrahant: undè videant, an ſint tuti in conſcientia Canonici illi, qui contenti ſunt adeſſe ſingulis diebus unico Officio, ideſt, aut Matutinis, aut Miſſæ majori, aut Veſperis. Conſuetudinem allegant; omnem tamen circà hoc, ſicut & circà exemptionem à cantu communi, abrogaſſe Concilium Tridentinum, clarum eſt ex Seſſione citata. Poteſt quidem adeſſe diſpenſatio Pontificia, aut diſpoſitio Synodi Provincialis; ubi tamen non ſubeſt cauſa rationabilis, qualis non videtur eſſe intereſſendi quotidiè unico tantùm Officio, diſpenſatio aut diſpoſitio nulla eſt, cùm non poſſit ſine juſta cauſa alterari notabiliter intentio Fundatoris.

CONCLUSIO II.

OBligantur etiam Beneficiarii ad Cantum communem: niſi obſtet ratio legitima, aut juſta diſpoſitio Papæ, aut Synodi Provincialis.

Prob. Beneficium, ut diximus, datur propter Officium, non tantùm privatum, ſed etiam publicum: Officium aut publicum non poteſt perſolvi ſine cantu communi. Hinc

Reſol. 1. Legentem Horas privatim in Choro non ſatisfacere ſuæ obligationi, nec poſſe diſtributiones recipere; quia licèt aſſiſtat Choro, non tamen aſſiſtit Officio.

Reſol. 2. Etiam non ſatisfacere, qui non per ſe, ſed per Vicarios Horas minores perſolvunt; quandoquidem expreſsè dicat Trid. ſuprà. *Omnes verò divina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire Officia*. Excipiuntur tamen certæ Eccleſiæ, de quibus poſteà.

Reſol. 3. Etiam Parochos, ſecluſa quacumque fundatione, obligari ex præcepto Eccleſiæ ad cantum communem in ſuis Eccleſiis pro populi utilitate & ædificatione: idque juxtà laudabilem ſuæ Diœceſis conſuetudinem, v. g. diebus ſolemnioribus ad decantandum Matutinum, Miſſam & Veſperas; diebus autem Dominicis & Feſtis, Miſſam & Veſperas. Imò in certis urbibus ad hæc tenentur etiam diebus feriatis: ità ut ſi ex culpa Parochi illa omittantur, peccet mortaliter, ſi adſit grave populi ſcandalum, aut detrimentum. Hæc tamen obligatio non eſt perſonalis, ſed realis; & ideò poteſt, ſecluſo ſcandalo, per alios Miniſtros adimpleri.

Reſol. 4. Nec Canonicos, nec Parochos teneri ad Muſicam, melodias, cantum figuratum &c. quia illa non veniunt nomine Cantus communis, per quem intelligitur recitatio aliqualiter elevata & moderata, juxtà uniuſcujuſque diſpoſitionem & complexionem.

Dixi in concl. *Niſi obſtet ratio legitima*: & ideò qui ratione infirmitatis, aut raucedinis legit Horas cum Choro ſubmiſſiori voce ſatisfacit.

Addidi: *Vel juſta diſpoſitio &c.* Undè cùm ſæpè fiat, ut Canonicis careant aut vocis ſuavitate, aut canendi peritia, certis in locis introductum eſt ad cantus ſuavitatem, & magnificentiam, ut certæ Horæ per Vicarios perſolvantur, Canonicis interim religiosè aſſiſtentibus. Imò in aliquibus Cathedralibus & Collegiatis permittitur Canonicis ab Horis minoribus abeſſe, ut ſint ad alia Officia promptiores & diligentiores.

CONCLUSIO III.

TEnentur omnes Beneficarii habentes onus perſonale in loco Beneficii, ibidem reſidere. Idque tum ex jure naturæ: tum ex præcepto Tridentini omnes conſuetudines in contrarium abrogantis.

Ratio eſt; quia poſtulat æquitas, ut qui ſtipendium accipit pro miniſterio, ſeſe promptum exhibeat illi exequendo: quod non poteſt fieri ſine reſidentia. Hinc

Reſol. 1. Epiſcopos, Metropolitanos, Patriarchas, Primates, etiam ſi fuerint Cardinales, perdere ipſo facto, pro rata temporis abſentiæ, fructus ſuos, Eccleſiæ fabricæ, aut pauperibus loci erogandos, ſi ſingulis annis ultrà trimeſtre continuum, aut interruptum à ſuis Diœceſibus abfuerint ſine cauſa legitima à Superioribus in ſcriptis approbanda: niſi contingat abeſſe propter munus, aut Reipublicæ Officium Epiſcopatui annexum. Imò & abſentia trium menſium ipſis conceſſorum debet fieri cum cauſa eorum conſcientiæ relicta, & ſine ullo gregis detrimento. Hæc omnia patent ex Conc. Trid. Seſſ. 23. de Reform. cap. 1.

Reſol. 2. Parochos & quoslibet alios animarum curam habentes eidem culpæ & pœnæ ſubjacere, ſi ultrà bimeſtre abfuerint ſine cauſa per Epiſcopum cognita & approbata. Imò & pro abſentia primi bimeſtris etiam requiri licentiam Epiſcopi, docent Caſuiſtæ communiùs, ſicque declaraſſe Sacram Congregationem aſſerit Garcias: hanc tamen declarationem eſſe receptam negat Leſſius; & ideò debet unuſquiſque laudabilem ſuæ Diœceſis conſuetudinem in hoc ſequi: & interim pro tempore abſentiæ de Vicario idoneo providere.

Ut autem cenſeatur Parochus reſidere, debet, juxtà declarationem Congregationis ſuper Conc. Trid. in domo Eccleſiæ habitare, aut, ſi non habet, ſaltem in loco viciniori intrà Parochiam; undè non cenſentur reſidere, qui habentes Parochiam ruri, habitant in urbe, niſi certè, propter fructuum exiguitatem, teneantur ad ſuam ſuſtentationem aliud Officium aut Beneficium in urbe exercere, quo caſu conſulendus eſt Epiſcopus.

Reſol. 3. Pro non reſidentibus haberi Parochos illos, qui omnia parochialia, non per ſeipſos, ſed per ſubſtitutos exercent; quia idem eſt inutiliter adeſſe, ac abeſſe. Præterea ſi ſciviſſent Collatores quòd Officium non eſſent per ſeipſos adminiſtraturi, eis non conſenſiſſent. Excuſari tamen poſſunt illi, qui habentes Canonicatum, cui annexa eſt Parochia, tenentur ratione vel conſuetudinis, vel fundationis vel ſtatuti Capitularis ab Epiſcopo approbati, Officiis Divinis diu noctque intereſſe.

Dixi. *Omnia parochialia*: quia uſus invaluit, ut poſſint aliqua per Capellanum exercere, prætertim ubi major eſt Parochia; imò & per Religioſos quandoque concionari & Confeſſiones audire.

Reſol 4. Canonicos, aut alios Præbendatos in Eccleſiis Cathedralibus aut Collegiatis, abſentes ultrà trimeſtre, privari primo anno dimidia parte fructuum: ſecundo autem, omnibus fructibus illius anni. Ita Trident. ſeſſ. 24. Cap. 12. De Reform. Non eſt tamen hæc pœna latæ ſententiæ, ſed ferendæ.

Quatuor cauſas à reſidentia excuſantes profert Trid. ſeſſ. 23. Cap. 2. De Reform. nempè Charitatem Chriſtianam, urgentem neceſſitatem, obedientiam debitam, & evidentem Eccleſiæ, aut Reipublicæ utilitatem: quæ cauſæ tamen debent à Superioribus approbari.

Item jure Canonico excuſantur duo Canonici, qui Epiſcopi ſervitio in Eccleſiæ utilitatem occupantur, cap. 15. de Cleric. non reſident.

Similiter excuſantur ad quinquennium, audientes Theologiam, aut Jus Canonicum: illarumq; autem Facultatum Profeſſores, toto tempora ſuæ profeſſionis, idque ſine licentia Epiſcopi: quod intelligi debet reſpectu Canonicorum & ſimilium, non autem Parochorum; pro quibus requiritur licentia Papalis cum conſenſu Ordinarii.

ARTICULUS III.

An recitans Officium poſſit, & quandoque teneatur Socium aſſumere.

CONCLUSIO I.

POteſt quilibet ad Horas obligatus ſocium aſſumere, quocum alternis verſibus Officium perſolvat, ſive Socius ſit Clericus, ſive non, modò illius pars percipiatur integrè. Patet ex communi Eccleſiæ uſu, undè auditus illo caſu, loco prolationis ſubrogatur, & alterius vocalis oratio fit propria audientis.

Dixi 1. *quocum alternis verſibus* &c. quia licèt unus poſſit omnes Lectiones, Reſponſoria, Antiphonas & Orationes recitare, alterique ſufficiat illa audire, ſicut ſufficit in Choro, quando illa modò ab Antiphonario, modò ab Hebdomadario recitantur; debent tamen Pſalmi & Hymni alternis verſibus, aut ſtrophis recitari: undè non ſatisfacerent illi, quorum unus Pſalmos, alter Lectiones; aut unus Pſalmum integrum, alter alterum recitaret (quidquid dicant Pellizarius, & Antonius à S. Spiritu) cum hoc adverſetur conſuetudini. Item nec ſatisfaciunt tres aut quatuor ſimul recitantes, ſi primus dicat primum verſum, ſecundus ſecundum, tertius tertium &c. eo quòd debeant omnia duplici tantùm Choro perſolvi.

Dixi 2. *Modò illius pars percipiatur;* quia debet illam facere ſuam ſaltem audiendo, cùm non faciat recitando. Undè ſurdaſter recitans cum ſocio non ſatisfacit ſuæ obligationi, ſicut nec ille, qui non dignatur ſocium ſuum auſcultare.

Dices 1. cum Caramuel: non eſt lex de auſcultando ſocio: ergo non auſculrans ſatisfacit.

Reſp. Dist. ant. non eſt lex explicita, tranſeat. Implicita, nego; eo enim ipſo, quo præcipitur ut dicamus totum Officium implicitè præcipitur ut, ſi cum ſocio recitemus, illius partem faciamus noſtram, aliàs non diceremus totum.

Dices 2. Surdus aut ſurdaſter recitans in Choro ſatisfacit: ergo & recitans cum ſocio. Reginaldus, Bonacina, & quidam alii negant antecedens, propter rationem ſuperiorem. Sed

R. Conceſſo Ant. neg. conſeq. Diſparitas eſt 1. quòd ſurdus recitans privatim non teneatur ſocium aſſumere; aſſiſtens autem in Choro ratione Beneficii, aut Profeſſionis debeat cum aliis cantare: non eſt autem credibile, quòd benigna Mater Eccleſia voluerit illum obligare, vel ad repetendum privatim Officium, vel ad omnia, quæ ab aliis dicuntur ſubmiſſè recitanda; aliàs vix poſſet inter cantandum reſpirare. 2. quòd recitans in Choro fit pars Corporis myſtici ſeſe omnibus membris communicantis, ità ut oratio Chori cenſeatur moraliter oratio cujuslibet particularis obicem ex ſua culpa ad orationem non ponentis; & ideò etiam ſatisfacit, qui ex involuntaria diſtractione aliqua non percipit, ſicut & ille, qui conatur audire, non poteſt tamen ratione alicujus ſtrepitus, vel quia legens habet vocem tenuem, raucam, aut non ſatis intelligibilem: recitans autem privatim, non facit cum ſocio corpus myſticum; & ideò, ſi non audiat, non participat illius orationi.

Dixi denique: *Participat integrè;* undè peccant, juxta materiæ quantitatem, qui reſumunt necdum finito ſocii verſiculo, & idem eſt in Officio Chori.

CONCLUSIO II.

QUi non poteſt ſine ſocio Officium recitare, tenetur, ſi commodè haberi poſſit, illum aſſumere, ſive interim ſoleat ſocio uti, ſive non. Eſt contrà Sancium, & quoſdam alios volentes, nequidem teneri admittere ſocium ſeſe ultrò offerentem. Et contrà Leſſium, aſſerentem non obligari, niſi anteà ſoleret ſocio uti.

Ratio eſt 1. quia tenemur pro præceptis adimplendis moralem diligentiam ponere, quam ſocium reſpuens, aut non exigens, convincitur nolle ponere.

2. Impotens ad recitandum Officium, non excuſatur ubi ſit potens; ſed cum ſocio eſt potens: ergo.

Dices: recitare Officium cum ſocio eſt privilegium: ergo nemo tenetur illo uti.

R. N. Ant. quia non eſt pro aliquibus conceſſum, ſed ex Jure communi & conſuetudine pro omnibus introductum.

Dixi: *Si commodè haberi poſſit:* undè tantùm obligatus ad Horas vi Ordinis, aut Profeſſionis, adeòque ex mera lege Eccleſiaſtica, non tenetur pro habendo ſocio ſtipendium ſolvere, niſi illud eſſet modicum; quia ſicut Eccleſia non obligat podagrum ad locandam rhedam pro audienda Miſſa die Dominico, aut Feſto: ità nec cœcum aut caligantem oculis ad conducendum ſocium pro recitando Officio. Aliud eſt de eo, qui habet Præbendam ſatis pinguem pro conductione ſocii: qui enim tenetur ex juſtitia ad aliquid (ſicut tenetur ad horas Beneficiarius) tenetur etiam ad media ad illius executionem neceſſaria.

Advertendum tamen impotentem ad legendum integras Horas defectu ſocii (idem eſt defectu Breviarii) teneri ad illam partem, quam ſcit memoriter: imò & tenetur ad Pſalmos, licèt ignoret, aut non habeat Lectiones & ſimilia: quia præceptum de legendis Horis, cùm ſit virtualiter multiplex, eſt diviſibile, afficitque ſingulas partes: & ideò condemnata eſt hæc propoſitio ab Innoc. XI. *Qui non poteſt recitare Matutinum & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem.*

ARTICULUS IV.

Qua forma recitandæ ſint horæ?

CONCLUSIO I.

LIcèt Jure antiquo tenerentur Eccleſiaſtici ſuæ Diœceſis, aut Ordinis Officium recitare: Jure tamen novo Pii V. & Clementis VIII. obligantur omnes ſive Regulares, ſive in Choro, ſive extra chorum, formam Breviarii Romani à Pio V. editi, & à Clemente VIII. reformati ſervare, exceptis Capitulis & Conventibus, qui per ducentos annos ante hujus editionem alio Breviario uſi ſunt: quibus permittitur vel ſuum Breviarium retinere, ut fecerunt plurimi Benedictini, Dominicani, Capitulum Leodienſe, Cameracenſe &c. vel novum aſſumere, ſi Epiſcopus & Capitulum conſentiant; & in Monaſteriis, ſi Capitulum & Prælatus. Ubi autem novum aſſumpſerunt, non licèt eis vetus reaſſumere.

Quantùm ad particulares, poſſunt (quolibet Breviario utantur in choro) in privata recitatione uti Romano; atentes autem in communi Romano, non poſſunt privatim uti altero.

Prob. Prima pars; quia hìc non eſt potior ratio, cur ſe debeant conformare Eccleſiæ particulari, quàm Eccleſiæ univerſali: quandoquidem conſenſus Capituli & Prælati à Pontifice requiſitus ad recitationem Officii Romani, tantùm reſpiciat chorum, non particulares: undè dicitur talis conſuetudo paſſim eſſe recepta. Imò nulli Ordini, aut Eccleſiæ adſcriptus non-tantùm poteſt, ſed etiam debet Romanum amplecti: ut tenet communior & verior ſententia.

Prob. ſecunda pars ex Bulla Pii V. Breviariis Romanis affixa, ubi habetur: *Statuentes .... quoſcumque qui Horas Canonicas ex more, & ritu Romanæ Eccleſiæ, imò vel conſuetudine dicere, vel pſallere debent.... ex hujus Romani Breviarii præſcripto, & ratione omninò teneri, neminemque ex iis, quibus hoc dicendi, pſallendique munus neceſſariò impoſitum eſt, niſi hac ſola formula ſatisfacere poſſe.* Hinc peccaret mortaliter, qui, omiſſo Officio Romano, aliud recitaret. Et idem eſt de eo, qui habens Breviarium particulare, legeret Breviarium alterius Religionis.

An autem non habens Breviarium Romanum, ſed habens Benedictinum v.g. debeat hoc legere?

Reſpondent plurimi negativè, eo quòd in Bulla Pii V. ponatur, neminem poſſe, niſi ſola forma Breviarii Romani, ſatisfa-

ſatisfacere: ſed omninò dicendum, teneri ad ea, quæ in dicto Breviario ſunt communia cum Officio illius diei in Breviario Romano: cùm ex illa parte non cenſeatur Breviarium deeſſet. Habens tamen privilegium utendi alio Breviario, quàm Romano (quale dicuntur habere Fratres Minores ab Innocentio IV. dum in itinere legunt Officium cum Religioſis Breviario Romano non utentibus) non teneretur recitare alia, quæ non ſunt cum Officio Romano communia; quia nemo tenetur uti privilegio.

CONCLUSIO II.

UTentes Breviario Romano non tenentur diebus per Rubricas notatis, in choro, aut extrà chorum recitare Officium Beatæ Virginis Defunctorum, Pſalmos Pœnitentiales aut Graduales. Qui autem alio Breviario utuntur, ſervare debent conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ; & quidem ſub ea obligatione, ſub qua recepta eſt: ſicut & legentes Officium Romanum etiam ſervare debent conſuetudinem ſui chori quoad Officium Beatæ Virginis (non quoad alia) in choro non extrà, ſi antè dictam conceſſionem conſuetudo illa erat introducta. Hæc omnia patent ex Bulla Pii V. citata.

Quantùm ad Officium Defunctorum ſecunda Novembris, & Litanias Sanctorum in die S. Marci, ac in triduo Rogationum, dicendum eſt eſſe partem Officii illorum dierum, adeòque obligare, etiam privatim.

CONCLUSIO III.

POſſunt Regulares exempti legentes Breviarium Romanum, recitare Officia ſanctorum ſolita recitari in Diœceſibus, in quibus exiſtunt, non tamen ad id tenentur ſi excipiantur Officia Patronorum principalium &c.

Prob. Prima para; quia ſi Privilegium Regium alicui Provinciæ, aut Civitati conceſſum poſſit laté interpretari, ubi nemini nocet; cur Privilegium Apoſtolicum datum alicui Diœceſi pro legendis certis Officiis particularibus, non poſſet ità extendi, ut etiam Eccleſias Regulares comprehenderet?

Prob. Secunda pars; quia nemo tenetur uti Privilegio: undè nullibi hæc obligatio notatur in Breviario.

Petes 1. Quid debeat facere Sacerdos, quando recitavit Matutinum de Feria in uno loco, & pergit ad alterum locum, ubi ſit de Feſto?

Reſpondent aliqui poſſe reliquas Horas vel de Feria, vel de Feſto legere; quia ſi legat de Feria, conſormabit ſe Officio incepto; ſi de Sancto, loco: ſed abſoluté dicendum, teneri, ſi recitet privatim, de Feria legere, cùm non poſſit rationabiliter præſumi mentem eſſe Eccleſiæ, ut quis eodem die mediam partem Officii dicat de Feria, & alteram medietatem de Sancto.

Dixi: *Si recitet privatim*; quia ſi teneatur choro intereſſe, ſatisſaciet recitando Officium chori, cùm non teneatur duplex Officium eodem die perſolvere.

Petes Secundo quomodo debeant ſe gerere itinerantes, dum extrà Diœceſim, aut Conventum morantur?

R. debere ſemper Officium legere, prout in proprio eorum Directorio præſcribitur, conſuetudine ſic declarante. Et certè ſi deberent Directoriis locorum, per quæ tranſeunt, ſe conformare, poſſent aliquando ter, aut quater de eodem Sancto, ratione translationis, facere; & certorum Sanctorum Officia præcepta omittere. Crederem tamen, poſſe de Patronis, ſaltem principalioribus, Diœceſis, aut Civitatis, in quibus moram trahunt, Officium recitare, ratione feſti & ſolemnitatis omnibus Eccleſiaſticis, tum Regularibus, tum Sæcularibus communis.

CONCLUSIO IV.

MOnialium Director, ſive Regularis, ſive Sæcularis, poteſt ſe illarum Officio accommodare, ſi ſit quaſi earum Parochus, ſoleatque Miſſam Conventualem eis celebrare.

Ratio eſt: quia, ut legitur in prima Rubrica Miſſalis, & in Bulla Pii V. Miſſalibus affixa, debet Miſſa, quantum fieri poteſt eſſe conformis Officio; atqui debet ille Miſſam dicere conſormiter ad Officium Monialium: ergo poteſt illarum Officium recitare. Prætereà Monachus qui Eccleſiæ ſæculari præficitur, poteſt Officium illius Eccleſiæ perſolvere: ergo ſimiliter qui Monialibus quodammodo præficitur, poteſt earum Officio ſe accommodare.

ARTICULUS V.

Qualis debeat eſſe ordo Officii Divini?

DUplex diſtingui poteſt ordo Officii Divini; unus qui reperitur inter Horas ejuſdem Officii & ſecundum illum ordinem, Matutinum præponi debet Laudibus, Laudes Primæ & ſic de aliis. Alter reſpicit ſingulos dies anni; ità ut ex præſcripto Breviarii hodiè, v.g. Officium fieri debeat de Feria, non de Sancto, craſtina die de Sancto, non de Feria, alio die de Dominica &c. & dicitur ordo Calendarii.

CONCLUSIO I.

TEnetur quilibet in Officio, ſive privato, ſive publico, ordinem Horarum ſervare; videtur tamen quid leve inverſio Horarum in Officio privato: ſecùs in publico.

Prob. prima pars; quia cùm ordo ille non ſine ratione fuerit ab Eccleſia ſtabilitus obſervarique præceptus, ſemper inordinatum eſt illum pro libitu invertere.

Prob. Secunda pars; quia quælibet Hora independenter ab altera habet completam ſignificationem & integram orationis eſſentiam; imò & quilibet Pſalmus, Hymnus, Oratio, Capitulum &c. & ideò licèt ſit quid gravius partes ejuſdem Horę quàm Horas integras invertere, v.g. legere in Veſperis *Magnificat* ante Hymnum, quàm dicere Tertiam ante Primam; neutrum tamen in recitatione privata excedit peccatum veniale, licèt fiat ſine cauſa. Quod addo; nam ſi cauſa ſubſit, nullum eſt peccatum. Hinc

Reſol. 1. Non habentem Breviarium, ſed Diurnale? legentem devotiùs aut faciliùs Officium cum ſocio, quàm ſolum; rogatum ab amico aut Superiore, obligatum choro intereſſe &c. poſſe, necdum lecto Matutino, Primam recitare, & ſic de aliis.

Reſol. 2. Tardiùs intrantem chorum, licèt peccet, ſi hoc ex pigritia proveniat, poſſe, imò conſultum eſſe, ab illo Pſalmo, aut Hymno, quem actualiter cantat chorus, incipere; & poſteà, abſoluto Officio, quod omiſit recitare. Et idem fieri debet reſpectu omiſſorum tempore Officii; imò, ſi pars omiſſa ſit exigua, nihil debet repeti; quia ſupplet chorus: ſicut ſupplet pro iis qui pauculo tempore pulſandis organis aut campanis, volvendis libris, thurificando &c. ſunt occupati.

Reſol. 3. Poſſe aliquem Pſalmos Matutinorum ante Lectiones recitare, ſi carens Breviario Pſalmos ſciat memoriter, non Lectiones; ſed ſicut major eſt inordinatio, ità & major requiritur cauſa.

Sed quid dicendum de eo qui veſperi, necdum inchoato hujus diei Officio, recitat Matutinum diei ſequentis.

Reſpondent Salmanticenſes peccare tantùm venialiter, licèt id faciat ſine cauſa. Sed crederem, peccare mortaliter, cùm videatur eſſe gravis inordinatio; aliud eſſet, ſi Matutinum legeret ante Completorium; nam cùm ſit longè minùs Completorium poſt Matutinum diei ſequentis recitare, quàm illud omittere, non videtur excedere peccatum veniale. Imò prima Novembris poſt Veſperas Defunctorum dicitur eorundem Matutinum in choro ante Completorium, licèt Matutinum Defunctorum ſit pars Officii ſecundæ Novembris.

Reſol. 4. Celebrantem Miſſam ante Matutinum non peccare ſi habeat cauſam; v.g. ſi populus deberet expectare; aliàs peccat venialiter, cùm hoc in Rubricis Miſſalis ponatur inter defectus Miſſæ; non autem mortaliter, ut voluerunt quidam antiqui; cùm nulla ſit connexio, aut dependentia unius ab alio; imò ſæpe Miſſa non ſit conformis Officio.

Prob. Tertia pars; quia inverſio Horarum, ſaltem notabilis, longè majorem continet deformitatem in recitatione publica, quàm privata; & ideò peccarent graviter, tum Superior, tum alii concurrentes, ſi Matutinum poſt Horas minores legeretur, aut Veſperæ ad primam.

Dixi: *Saltem notabilis*; quia, ſecluſo ſcandalo, & contemptu, non auderem condemnare peccati mortalis præponentes Sextam Tertiæ, aut Nonam Sextæ, cùm non appareat tanta deformitas.

CONCLUSIO II.

ETiam ſervari debet in Officio Divino ordo Calendarii, idque ſub gravi peccato; ità ut peccet mortaliter, qui ſcienter & ſine cauſa ſufficienti mutat Officium præſcriptum in aliud, licèt æquivalens, imò & longius. Ita D. Antoninus, P. Marchantius, & Salmanticenſes citantes pro ſe quatuordecim Authores.

Digitized by Google

Ratio eſt; quia Eccleſia non præcipit Officium Divinum in genere, ſed Officium tale, juxta occurrentiam feſtorum, aut dierum, ut patet ex Bulla Pii V. initio Breviarii appoſita; dicere autem obligationem illam in re tanti momenti & ponderis eſſe levem, videtur omninò infundatum.

Dixi 1. *Scienter*; quia qui ex oblivione, aut inadvertentia inculpabili Officium mutavit, non videtur ad alterius Officii recitationem obligandus, cùm non ſit credibile benignam matrem Eccleſiam velle alicui citra culpam, duplicis Officii onus imponere; & ità tenent D. Antoninus, Genettus, Marchantius & alii: ex quo inferimus, etiam poſſe, dicto Matutino circa quod neſcienter erravit, Officium illi diei proprium proſequi.

Dixi 2. *Sine cauſa ſufficienti*; qui enim propter defectum Breviarii, viſus debilitatem, aut aliud ſimile impedimentum, non poteſt legere de Feria v. g. poteſt legere de Sancto. Similiter obligatus adeſſe choro poteſt ſe aliis conformare, licèt recitetur Officium, quod jam perſolvit.

Obji. 1. Contrà concluſionem, axioma illud: *Officium pro Officio*.

R. Id poſſe habere locum in eo, qui inadvertenter tranſmutavit, non tamen in eo, qui voluntariè, propter rationem concluſionis; undè peccant, non tantùm illi, qui integrum unius diei Officium tranſmutant, ſed etiam qui illius partem, idque juxtà materiæ gravitatem, aut levitatem. Similiter peccant illi, qui negligentes procurare ſibi Officium proprium, recitant de Communi.

Obji. 2. Inſtitutum eſt Officium propter cultum Dei; atqui ſive Officium fiat de Sancto, ſive de Feria, ſemper colitur Deus, ergo, &c.

R. Diſt. maj. inſtitutum eſt propter cultum Dei indeterminate, N. aliàs liceret unicuique pro libitu Officium componere. Propter cultum Dei tali vel tali modo exhibendum, C. Poſſe autem Eccleſiam talitatem, ſeu modum cultus Divini graviter præcipere, evidentiſſimè patet in Miſſa.

Petes 1. an qui culpabiliter fecit Officium de Martyre, v. g. cùm eſſet faciendum de Confeſſore, teneatur totum repetere?

R. Neg. ſed ſufficit, ſi repetat illa, quæ ſunt Confeſſori propria; quia quælibet Oratio, Antiphona, Lectio, Capitulum, &c. habet ſuam vim & efficaciam independenter à Pſalmis, & aliis. Si autem inculpabiliter traſmutavit; conſultum eſt præſtare re[illegible]ere, non obligatoriam.

Petes 2. [illegible] illi, qui legit hodie Officium, quod erat tantùm die ſequenti legendum?

R. 1. Si Officium anticipatum ſit de Feria, ut ſi legerit Officium feriæ quintæ, cùm eſſet legendum feriæ quartæ, teneri poſtridiè legere Officium feriæ quintæ; quia Officium illud eſt illi diei proprium, & aliundè Officium feriæ omiſſum non eſt tranſferibile. Idem eſt ſi tantùm Lectiones Scripturæ occurrentis anticipaverit, niſi eſſent initium alicujus Libri, Epiſtolæ &c.

R. 2. Si Officium anticipatum ſit de Sancto, dicunt aliqui illud Officium eſſe die ſequenti omittendum, cùm non ſit uſitatum quòd bis de eodem Sancto idem fiat Officium; dicunt alii, & probabiliùs, eſſe iterùm recitandum, ne duplex committatur error circà idem Officium. Ex quo ſequitur, illum, qui omiſit Officium eo anno omittendo, quàm illud in alium diem transferendo,

ARTICULUS VI.

Quo ſitu, loco, tempore, & qua voce ſit perſolvendum Officium Divinum?

CONCLUSIO I.

PErindè eſt, quo ſitu perſolvantur Horæ Canonicæ, modò ſit decens & honeſtus: undè legi poſſunt ſtando, ſedendo, genuflectendo, ambulando &c. Si nihil fiat exteriùs, quod attentionem internam valeat impedire. In hoc conveniunt omnes. Sed quid de genuflectionibus per Rubricas præſcriptis?

R. Ipſas obligare, ſaltem ſub veniali, in Officio publico, idque propter uniformitatem; In privato autem, ſunt conſilii, non præcepti.

Dixi: *Modo ſit decens & honeſtus*; quia non excuſantur ab omni peccato qui recitant Officium, præſertim publicum, cruribus complicatis, ſtallis aut brachio flaccidè innixi.

CONCLUSIO II.

LOcus Officii privati eſt quilibet, publici eſt chorus, aut Eccleſia.

Prob. Prima pars; quia quantum ad recitationem Horarum privatam; nihil eſt quoad locum ab Eccleſia determinatum: undè ſicut poſſumus in omni loco orare, ut patet ex Pſal. 102. *In omni loco Dominationis ejus benedic anima mea Domino*; ità in omni loco Officium recitare. Pro reverentia tamen cultus Divini legi debet in loco decenti, ubi haberi poteſt, idque ſub veniali.

Prob. Secunda pars; quia Clem. prima *De celebratione Miſſarum* §. ult. injungitur onus canendi Horas Canonicas in Eccleſiis. Non videtur tamen culpanda praxis aliquarum Religionum, ubi, ob frigoris aſperitatem, in Oratoriis, aut Sacellis Eccleſiæ contiguis officium nocturnum perſolvitur. Non eſt idem dicendum de Capitulo, aut ſimili loco; niſi certè gravis neceſſitas, id exigeret, aut permitteret conſuetudo legitimè introducta.

CONCLUSIO III.

TEmpus Divini Officii perſolvendi incipit à duodecima nocturna diei præcedentis uſque ad duodecimam nocturnam diei ſequentis; ità ut ſubſtantiam præcepti impleat, viterque peccatum mortale, qui illo ſpatio Horas abſolvit: ſive interim totum manè, ſive totum veſperi recitaverit.

Dixi: *Viterque peccatum mortale*; quia qui ſine cauſa (quæ non debet eſſe gravis) tempus juſtum anticipat, aut poſtponit, non excuſatur à veniali; licèt ſit minùs anticipare, quàm poſtponere. Porrò tempus Officii laudabiliter abſolvendi aſſignatur pro Matutino & Laudibus uſque ad decimam matutinam, pro parvis Horis uſque ad meridiem, pro Veſperis à meridie ad ſolis occaſum extrà Quadrageſimam; quia in illa dici debent ante refectionem; pro Completorio ad finem diei. Nullus tamen ſit ſcrupulus, etiam à timoratis, ſi Nona legatur poſt meridiem.

Ex conſuetudine jam ubique recepta, recitari poteſt die præcedenti ſub veſperam Matutinum cum Laudibus; & cùm eſſet controverſia inter Doctores qua hora poſſet inchoari; aliis volentibus hora ſecunda, aliis hora tertia, aliis hora quarta, aliis ſeriùs, determinatum eſt Romæ, circiter ut ſequitur,

MENSIBUS.

Januario & Decembri medio tertiæ.
Februario & Novembri quarta li ante tertiam.
Martio & Octobri hora tertia;
Aprili & Septembri hora tertia cum quart.
Majo & Auguſto med. quarta.
Junio & Julio quarta l. ante quartam.

Pars 1. An non poſſint parvæ Horæ recitari die præcedenti ſaltem ubi ſubeſt cauſa?

Reſpondent aliqui à Salmanticenſibus citati probabiliter affir. eo quòd putent tempus Officii legendi incipere à Veſperis hujus diei uſque ad duodecimam nocturnam diei ſequentis. Sed communis & vera ſententia id negat, eo quòd ſit contra receptam ubique Eccleſiæ praxim.

Petes 2. An Litaniæ Rogationum poſſint pridiè veſperi recitari?

R. Neg. quia pro abſentibus tenent quaſi locum Proceſſionis, quæ non pridiè, ſed ipſo die peragitur. Idem dic in die S. Marci.

Petes 3. Utrùm qui non legit hodiè Officium teneatur craſtina die duplex legere?

Reſp. Neg. Quia obligatio Officii, ſicut & jejunii, ſacri audiendi &c. affixa eſt diei. Nec tenetur Confeſſarius Officium omiſſum pro pœnitentia injungere, licet prudenter ageret id imponendo recidivis in hac materia.

Petes 4. An ſufficiat inchoare Officium ante duodecimam nocturnam licèt poſt dictam horam terminetur?

R. Neg. quidquid dicat Leander adſerens pro ſua ſententia octo ratiunculas. Ratio eſt; quia recitatio Divini Officii eſt penſum diei, & ideò terminus diei eſt & terminus Officii legendi: aliàs non legeretur totum Officium eodem die.

Petes 5. An qui prævidet infirmitatem aut juſtam occupationem die ſequenti, teneatur die præcedenti Matutinum cum Laudibus recitare?

R. Neg. quia conſuetudo, quæ anticipationem temporis quoad Matutinam introduxit, id fecit in gratiam & favorem recitantium, jam autem nullus tenetur uti gratia aut favore ob

Impe-

impedimentum poſteà prævisum. Aliud eſt de eo qui prævidet impedimentum poſt meridiem: ille enim tenetur manè Veſperas & Completorium legere; quia jam viget obligatio præcepti, quæ non viget die præcedenti.

Dices: non currit obligatio Veſperarum legendarum, niſi poſt meridiem: ergo prævidens impedimentum non tenetur prævenire, ſicut prævidens ſe fore infirmum die Dominico non tenetur die Sabbathi Miſſam audire.

R. Diſt. Ant. non currit obligatio ſecundaria & accidentalis, quæ eſt ut Horæ dicantur ſtatutis horis, C. obligatio primaria & ſubſtantialis, quæ eſt ut legantur tempore unius diei, Nego.

CONCLUSIO IV.

DEbet Officium Divinum recitari voce per ſe audibili idest, ſic ut, ſecluſa ſenſus læſione, poſſit ab ipſomet recitante percipi.

Prob. 1. Ex Conc. Baſilienſi ſeſſ. 21. ubi præcipitur ut Horæ Canonicæ nec inter dentes, nec in gutture, nec ſyncopatè, ſed clara & integra voce pronuntientur.

Prob. 2. Ratione; quia lectio Divini Officij debet eſſe Oratio vocalis; ſed quælibet Oratio vocalis debitè pronuntiata eſt per ſe audibilis ab ipſo recitante, ut advertentem & reflectentem convincit experientia: ergo &c. Hinc.

Reſol. 1. Non ſatisfacere ſuæ obligationi, qui ità leviter movent linguam, labia, & dentes, ut vox vera non formetur; quia tales motus in gutture; ſeu inter dentes facti, ſunt potiùs inchoatio verborum, quàm verba.

Reſol. 2. Non debere quemquam ſcrupulizari circà vocem: modò enim verè & integrè verba formet, vox ejus eſt ſufficiens, quantumque ſit tenuis.

Petes: quid dicendum de Privilegio Leonis X. conceſſo FF. Minoribus, ut poſſit quædam, tum in Miſſa, tum in Officio dicere tantùm mentaliter: quod aliqui etiam ad totum Officium extendunt?

R. Hoc Privilegium eſſe vivæ vocis oraculo datum, ut fatetur Rodriguez in ſuo Bullario: adeòque ab Urbano VIII. revocatum.

Nec refert, quòd Pius V. omnia Privilegia vivæ vocis oraculo data per Bullam *Mendicantium ordines* 41. §. 1. apud Cherubin. Tom. 3. confirmaverit: quia cùm fuerit intentio Urbani omnia illa Privilegia revocare, quorum non haberetur expreſſa & ſpecialis mentio in aliquo ſcripto authentico, idque ut fraudes & abuſus vitarentur, patet Bullam Pii V. ſicut & Gregorii XIII. in quibus vivæ vocis oracula nec expreſsè, nec ſpecialiter, ſed tantùm in genere confirmantur, non obſtare quo minùs per Bullam Urbani VIII. ſint revocata.

ARTICULUS VII.

Quo ſtudio Horæ Canonicæ ſint recitandæ?

CUm Innoc. cap. 9. *De celebratione Miſſarum* præcipiat in virtute ſanctæ obedientiæ, ut Divinum Officium *ſtudioſe*, pariter & *devotè* celebretur: hujus occaſione quæritur, quo ſtudio debeat perſolvi.

CONCLUSIO I.

EO ſtudio perſolvi debet Officium Divinum, ut integrè omninò perſolvatur, idest ſine ſyncopa omiſſione, truncatione, aut mutilatione, ſive partis, ſive verborum, ſive ſyllabarum.

Ratio clara eſt; quia Eccleſia non præcipit Officium Divinum mutilatum, aut truncatum, ſed integrum, & ex omni parte completum. Hinc.

Reſol. 1. omittentem partem Officii notabilem, v. g. integram Horam minorem, aut Nocturnum in Matutino aut partem æquivalentem, probabiliùs peccare mortaliter; venialiter autem, qui mediam partem Horæ minoris, aut duos vel tres Pſalmos minores.

An autem omittens integrum Officium, tot committat peccata, quot ſunt Horæ diſtinctæ? probabilius eſt quòd non: quia ſingulæ Horæ non diverſis præceptis, ut volunt aliqui ſed omnes unico præcepto præcipiuntur; quandoquidem injunguntur omnes Horæ ſimul tanquam unum & idem Officium, ut patet ex Bulla Pii V. & dicto Cap. 9. Ille tamen non ſatisfaceret in Confeſſione, dicendo: *Peccavi mortaliter in omiſſione Horarum:* quia licèt unicum peccatum commiſerit eſt tamen notabiliter gravius, quam ſi unicam Horam omiſiſſet: jam autem circumſtantiæ notabiliter aggravantes ſunt in Confeſſione declarandæ, ut ſuo loco dicitur; & ideò ſemper numerus & qualitas Horarum, quas quis omiſit, aut omittere intendit, ſunt Confeſſario aperienda.

Reſol. 2. Omittentem eodem die in Officio modò Pſalmum modò Orationem, modò Hymnum &c. poſſe tandem peccare graviter: quia omiſſiones illæ ſimul ſumptæ poſſunt conflare materiam notabilem.

Dixi: *Eodem die:* nam ſi omiſſiones leves fierent ſingulis diebus nunquàm perveniretur ad mortale: quia ſicut Officium hodiernum v. g. non habet connexionem cum heſterno, ità nec omiſſio hodierna, cum omiſſione heſterna.

Reſol. 3. Sic recitantem verſiculos, ut, omiſſis verbis intermediis, prima verba proferat & ultima, ſicut & abſorbentem ſyllabas, ſive medias, ſive ultimas, peccare graviter, ubi materia omiſſa eſt notabilis. Limita tamen, niſi ſyllabarum abſorptio eſſet talis, ut verborum ſenſus non deperderetur: tunc enim eſſet tantùm veniale, aut niſi id fieret ex naturali linguæ præcipitantia, aut balbutie; quia tunc nullum eſt peccatum.

Dixi: *naturali*; quia ſi præcipitantia illa, aut balbuties ſit voluntaria, vel in ſe, vel in cauſa ob conſuetam in recitando feſtinationem, non excuſatur coram Deo; tenetur que ſeriò & fortiter ad laborare, ut, ſicut immoderatè præcipitando pravam illam conſuetudinem ſibi fecit, ità moderatè & paulatim legendo illam relinquat.

Reſol. 4. Etiam peccare illos, juxtà materiæ quantitatem, qui vel in choro, vel cum ſocio Horas perſolventem, qui vel in choro, vel cum ſocio Horas perſolvendo, reſumunt ſuos verſiculos antequam finierit alter. Ratio eſt, quia ultrà quòd partem anticiparam non communicent alteri, non percipiunt ipſimet verſiculos à choro, vel ſocio recitatos.

Reſol. 5. Non ſatisfacere illos, qui non legunt verſiculos per organum, vel inſtrumenta decantatos, niſi certè aliquis de choro illos interim alta voce recitaret, aliiſque communicaret, ut fit in aliquibus Religionibus.

CONCLUSIO II.

STudium ab Eccleſia in Officio Divino requiſitum, ultrà verborum, aut ſyllabarum truncationem, prohibet quamlibet interruptionem moralem ſine cauſa factam; non quidem inter unam Horam & alteram, ſed inter partes ejuſdem Horæ, ſi ſaltem Matutinum excipias.

Ratio eſt; quia talis interruptio eſt inverſio uſitati & aſſignati ab Eccleſia ordinis. Præterea ſicut dedecet illum, qui Regem alloquitur, ab incepto ſermone ſine cauſa deſiſtere; ità & illum qui Deum alloquitur, inchoatam orationem ſine cauſa intermittere.

Dixi. 1. *Interruptionem moralem:* quia valdè modica in moralibus pro nihilo reputatur.

Dixi 2. *Sine cauſa factam;* quia ſi cauſa ſubſit, v. g. ut Confeſſio aliqua audiatur, puer baptizetur, Miſſa celebretur, ubi illa non poſſunt commodè transferri, nullum peccatum. Ubi autem nulla ſubeſt cauſa, tantùm veniale: quantacumque ſit interruptio, modò omnia eodem die recitentur. Cujus ratio eſt; quòd interrumpens ponat omnem materiam ab Eccleſia præſcriptam: & aliundè quilibet Pſalmus, Hymnus, Oratio, Capitulum &c. imò & ferè quilibet verſus ſit per ſe quædam oratio, vel ſententia, vel Divini Nominis exaltatio, vel inſtructio &c. habeatque independenter ab aliis completam ſuam ſignificationem.

Dices 1. Conc. Toletanum VII. prohibet ſub pœna excommunicationis, adeòque ſub gravi culpa, ne quis Divina Officia interrumpat.

R. Concilium ibi loqui de Miſſa, non de Horis, ut patet ex textu.

Dices 2. Graviter peccat interrumpens formam Sacramentorum ergo ſimiliter.

R. Diſparitatem eſſe, quòd partes Officii ſeparatæ habeant ſuam ſignificationem, non ſic verba formæ ab invicem ſeparata.

Dices 3. Pars Horæ inchoata manè non conjungitur cum altera lecta poſt meridiem: ergo vel pars inchoata eſt repetenda, vel certè peccatur graviter, ſi illa ſit notabilis.

R. Diſt. Ant. non conjungitur cum altera in ratione actionis, C. in ratione partis Officii, N. ſicut enim una Hora dicta manè ſatis jungitur cum aliis Horis diù poſt recitatis, ut componat unum & idem Officium, ità partes in noſtro caſu ſatis junguntur, ut efficiant integram Horam.

Dixi 3. *Si Matutinum excipias:* quia licèt cum Laudibus unicam Horam conſtituat, ab illis tamen poſſe ſeparari, docet praxis timoratorum communis. Illa autem caſu, conſultum eſt terminare Matutinum cum Oratione diei,

non tamen obligatorium; fit quidem in nocte Nativitatis Domini, ſed propter Rubricam ſpecialem, quam pro aliis diebus nullibi reperimus. An etiam poſſit ſeparari Nocturnus à Nocturno? Probabiliùs eſt quod ſic, modò interruptio ſit tantùm unius, aut alterius Horæ: quia ſic fiebat in primitiva Eccleſia, ubi Matutinum canebatur in tribus vigiliis noctis, & Laudes in quarta vigilia.

ARTICULUS VIII.

Qua devotione recitari debeat Officium Divinum?

SUppono 1. devotionem, juxtà Scotum quodlib. 20 eſſe pium mentis motum in Deum, ſeu, ut docet D. Thomas 2.2. q. 82. art. 1. promptam & paratam voluntatem exequendi ea, quæ ad cultum Divinum pertinent.

Suppono 2. devotionem eſſe triplicem. Externam ſeu corporalem, quæ conſiſtit in debita & reverenti corporis compoſitione. Internam ſeu ſpiritualem, quæ conſiſtit in interna ad Deum elevatione, & Mixtam, quæ utramque importat.

CONCLUSIO I.

UT Horæ perſolvantur cum devotione requiſita, requiritur intentio Orandi. Eſt communis.

Ratio eſt; quia cùm lectio Horarum ſit de ſe indifferens vel ad ſtudium, vel ad curioſitatem, vel ad memoriæ exercitationem &c. determinari debet ad Orationem per aliquid, quod non poteſt eſſe aliud, quàm intentio orandi.

Præterea, ut quis ſatisfaciat præcepto, debet habere intentionem ponendi rem præceptam, ut dicitur in Tractatu de Legibus: ſed præcepta hic eſt Oratio: ergo &c.

Porrò intentio habitualis non ſufficit, nec actualis requiritur: ſed virtualis & implicita, quam cenſetur habere, qui obligationi ſuæ ſatisfacturus Breviarium aſſumit, aut debito tempore ad chorum convenit, ibique legendo, aut canendo, per modum orantis ſe gerit, abſtinendo ab omni actu contrario, vel excluſivo intentionis. Hinc

Reſol. 1. Non requiri, ut quis actu formali & expreſſo dicat: ego intendo per hanc Horarum lectionem Deum colere, aut orare: quod eſt notandum pro ſcrupuloſis, qui & præſumendi ſunt habuiſſe intentionem, cùm de illa dubitant.

Reſol. 2. Non habere intentionem requiſitam, qui inter legendum aliquid agit, quod directè, vel indirectè Orationi opponitur; quandoquidem non cenſeatur velle orare. Sed de his fuſiùs poſteà.

CONCLUSIO II.

CErtum eſt apud omnes requiri ad debitam Horarum lectionem, devotionem externam.

Ratio eſt, quia cùm præcipitur oratio, etiam conſequenter præcipitur ut legens habeat ſe ſaltem exteriùs, per modum orantis: quod ſtare non poteſt ſine devotione externa, quam inculcat Trident. ſeſſ. 24. cap. 12. de Reform. ubi præcipit Officium Divinum perſolvi *reverenter*. Hinc ſatisfaciunt, tenenturque ad fructuum reſtitutionem ſi ſint Beneficiati, qui inter legendum, aut canendum occupantur exteriùs iis rebus, cum quibus attentio interna conſiſtere nequit, ut ſi confabulentur, contemplentur picturas, epiſtolas aut nuntia nova legant, vel auſcultent; ſi ſcribant, pingant, laudant &c. quia illa ex ſe mentem diſtrahunt. Aliud eſſet, ſi legerent ſe veſtiendo, ſpoliando, manus aut faciem lavando, eo quòd illa ex ſe non videantur diſtrahere; tum quia propter aſſuetudinem vix attentionem requirunt; tum etiam quia id innuit praxis Sacerdotum, qui manus lavando, veſtes Sacerdotales induendo vel exeundo, ſolent certas Orationes, idque ex præſcripto Eccleſiæ, recitare. Cæterùm, cùm non ſit certum de omnibus occupationibus externis, an per ſe diſtrahant necne, debet unuſquiſque ſerio ſeipſum conſulere, & ab iis occupationibus, quibus viderit ſe diſtrahi, abſtinere; etiamſi non forent ex ſe diſtractivæ, quia ſufficit quòd ſint tales reſpectu ipſius.

Petes: an qui inter recitandum occupatur inadvertenter & involuntariè alicui rei cum attentione interna incompoſſibili, teneatur Officium repetere?

Reſpondet Bonacina cum pluribus aliis, Nego; ſed probabiliùs crediderim, quòd licèt talis non peccet ratione inadvertentiæ, debeat tamen id, quod ſic recitavit, repetere, niſi eſſet quid valde leve.

Ratio mea eſt: quòd talis non ponat rem præceptam, quæ eſt, ut Horæ ab homine per modum orantis, aut Deum colentis ſe habente recitentur; unde ſicut non cenſetur Miſſam audire, qui illius tempore picturas, aut ultra perluſtraret, licèt inadvertenter & involuntariè, eo quòd non haberet aſſiſtentiam Religioſam: ità nec cenſeretur penſo Horarum ſatisfacere, qui illa memoriter legendo, ad comœdias, v. g. aut ſpectacula attenderet, licèt inadvertenter, idque propter defectum devotionis externæ, formaliter & expreſsè ab Eccleſia præceptæ.

Dices: Eccleſia præcipit in Horis devotionem ſeu attentionem internam, & tamen involuntariè diſtractus ſatisfacit: ergo licèt præcipiat devotionem externam, involuntariè non devotus externè, etiam ſatisfacit.

R. N. conſeq. diſparitas eſt quòd involuntariè, non devotus externè, nec virtualiter, nec actualiter habeat devotione externam, cùm nullo modo imaginabili habeat ſe per modum orantis: involuntariè autem diſtractus, licèt non habeat attentionem actualem, retinet tamen virtualem, quam ſufficere aſſerunt communiter Theologi cum D. Thoma 4 diſt. 15. art. 4. ad 2. ubi ſic loquitur: *Attentio in Oratione manere debet ſecundùm virtutem, ſed non requiritur quod ſemper maneat per eſſentiam actus. Manet autem ſecundùm virtutem, quando aliquis ad Orationem accedit cum intentione aliquid impetrandi, vel Deo debitum obſequium reddendi: etiamſi in proſecutione Orationis mens ad alia rapiatur.*

CONCLUSIO III.

REquiritur etiam ad debitam Officii Divini recitationem devotio, ſeu attentio interna: ità ut non ſatisfaciat voluntariè diſtractus, licèt gerat ſe exteriùs per modum Orantis. Ità Doctores ſatis communiter, quibus annuit Clerus Gallican anno 1700. congregatus, cùm hanc propoſitionem cenſuravit: *Horarum præcepto ſatisfacit, qui voluntariè labiis tantùm, non tamen mente, orat, &c.*

Prob. 1. ex Conc. Lateranenſi, Viennenſi, & Tridentino, quæ ſimpliciter & abſolutè requirunt in Horarum recitatione devotionem, quam certè non habet voluntariè diſtractus; cùm devotio tantùm externa non ſit niſi larva devotionis: undè Trident. ſeſſ. 24. Cap. 12 de Reform. ut præveniret objectionem eorum, qui dicerent tantùm præcipi devotionem externam, jubet ut *Canonici compellantur Officia Divina reverenter, diſtinctè, & devotè recitare: reverenter* quidem quantùm ad corporis compoſitionem, *diſtinctè*, quantùm ad oris pronuntiationem, & *devotè* quantùm ad mentis elevationem; & certè ſi Concilium ſolam devotionem externam præcipere intendiſſet, cur, poſtquam dixerat *reverenter*, addidiſſet etiam *devotè*; quandoquidem verbum *reverenter* certò requirat devotionem & modeſtiam externam.

Prob. 2. ex SS. Patribus, & ex communi Doctorum conſenſu, qui unanimiter docent, orationem externam ſine interna, vocalem ſine mentali, nec eſſe, nec mereri nomen orationis. Hinc Bellarminus libro 1. de bonis Operibus cap 2. *Vocalis tantùm non eſt utilis ad placandum Deum, ſed magis ad provocandum ad iram*; & ideò concludendum eſt, Eccleſiam præcipientem Officii Divini recitationem, vel non præcipere orationem (quod nunquàm admittent Adverſarii) vel certè, ſi orationem præcipiat, etiam devotionem internam præcipere, cùm ſine illa nec ſtare poſſit oratio, ut jam magis patebit.

Prob. 3. Ratione: ut quis debitè perſolvat penſum Horarum, debet habere intentionem orandi, ut conveniunt omnes: atqui voluntariè diſtractus non habet intentionem orandi: ergo. Prob. Min. quia velle orare, eſt velle habere mentem in Deum elevatam, cùm oratio ſit mentis in Deum elevatio, vel aſcenſio: impoſſibile eſt autem, ut qui voluntariè & deliberatè habet mentem in ſæcularibus negotiis, aut in cogitationibus vanis & frivolis occupatam, velit ipſam eodem tempore habere in Deum elevatam. Hinc

Reſol. 1. Voluntariè diſtractum teneri omnia, quæ cum tali diſtractione recitavit, repetere; & ultrà, juxta materiæ proportionem, graviter vel leviter contra jus naturæ delinquere, ob injuriam, quam per talem mentis evagationem rebus ſacris intulit: *Poſſet tam fœda ac turpis eſſe peregrinatio illa mentis, ut duplicis ſceleris, ſeu lethalis culpæ labem haberet: unam v. g. Cogitati, optatique ſtupri, vel homicidii, alteram inſignis injuria qua Divinæ preces, Pſalmi, Sacræque Scripturæ verba tunc afficiuntur:* hoc attribuitur ſatis communiter D. Chryſoſtomo hom. 79. ad populum Antiochenum; ſed reverà ibidem reperitur.

Reſol. 2. Beneficiatum ſine ulla attentione interna legentem Officium, obligari pro rata ad reſtitutionem fructuum; cùm non cenſeatur præcepto Horarum ſatisfeciſſe.

Obji. 1. Eccleſia non poteſt præcipere actus internos: ergo nec attentionem internam.

R. Diſt.

Digitized by Google

R. Diſt. Ant. non poteſt præcipere actus merè internos, tranſeat. Actus internos, qui requiruntur ad hoc, ut actus externi ponantur in certa ſpecie actus moralis, N. jam autem lectio Horarum ſine ulla attentione interna, non eſt verè & realiter oratio, ſed materialis verborum prolatio.

Inſtabis. Adoratio externa facta idolo eſt vera idololatria, quamvis nulla ſit intentio idolum adorandi: ergo ſimiliter in noſtro caſu.

R. N. Conſeq Diſparitas eſt quòd plus requiratur ad actum bonum quàm ad actum malum, cùm actus ſit malus ex quolibet defectu, bonus autem non niſi ex integra cauſa.

Obji. 2. Inde ſequitur, voluntariè diſtractum in oratione vocali libera non peccare, eùm ſtatim deſinat eſſe oratio, ubi incipit voluntaria diſtractio.

R. N. ſequelam; quia licèt non ampliùs oret; injuriam tamen facit precibus Divinis, quas tam indignè tractat. Hocque patet ex D. Chryſoſt. ſup.

Obji. 3. Involuntariè diſtractus ſatisfacit Officio: ergo etiam diſtractus voluntariè. Prob. Conſeq. quia non plus habet attentionis internæ primus, quàm ſecundus

R. N. Conſeq. Ad prob. diſt. aſſ. non plus habet attentionis internæ actualis, C. Virtualis, N. Undè licèt in neutro ſit attentio actualis, in primo tamen remanet virtualis, quam non retractat diſtractio involuntaria, benè tamen voluntaria; cùm revocet intentionem orandi.

Obji. 4. Hæc ſententia exponit legentes Horas variis ſcrupulis.

R. N aſſ. qui enim incipit Horas cum intentione attendendi, vel Deo vacandi, præcepto ſatisfacit, modò in decurſu illam voluntariè non revocet, nec opus eum ea incompoſſibile peragat. Quo certè nihil facilius.

Pro coronide hujus articuli proderit hic referre quæ D. Bonav. de Seraphico P. noſtro Franciſco tradit in vita ejuſdem Cap. 10. *Solitus erat*, inquit, *vir ſanctus Horas Canonicas non minùs timoratè Deo perſolvere, quàm devotè: nam licet oculorum, ſtomachi, ſplenis, & hepatis ægritudine laboraret, nolebat tamen muro aut parieti inhærere, dum pſalleret, ſed Horas ſemper erectus, & ſine capucio, non gyrovagis oculis, nec cum aliqua ſyncopa perſolvebat. Si quando eſſet in itinere conſtitutus, figebat tunc temporis greſſum..... dicebat enim, ſi quietè comedit cibum ſuum, futurum cum ipſo vermium eſca, cum quanta pace & tranquillitate accipere debet anima cibum vitæ?*

ARTICULUS IX.

Qualis requiratur attentio in Horis, quænam utilior & quis cenſeatur voluntariè diſtractus?

SUppono 1. attentionem hic eſſe actum Intellectus reflectentis ad ipſam Officii Divini recitationem, prout eſt actus Religionis ad Dei cultum ordinatus. Eſt triplex: *Actualis* una, qua quis legendo actualiter attendit: *Virtualis* altera, quæ ratione actualis præhabitæ cenſetur remanere in eo, qui illam per actum contrarium, aut incompoſſibilem non retractat, licèt involuntariè diſtrahatur; & *Habitualis* tertia, qua quis Officium legit ex habitu, nihil ad illud advertens, ut accidere poteſt in ſomniante, ebrio, aut etiam amente

Suppono 2. Attentionem iterum eſſe triplicem, primam ad verba Officii, ſecundam ad ſenſum verborum, tertiam ad Deum, qui colitur. His ſuppoſitis.

CONCLUSIO I.

AD debitam Horarum lectionem, non ſufficit attentio Habitualis: non requiritur Actualis; neceſſaria eſt ſaltem Virtualis: eſt communis.

Prob. Prima pars; quia attentio tantùm habitualis non ſufficit ad actum moralem & humanum, qualis debet eſſe lectio Horarum, cùm ſit actus Religionis.

Prob. Secunda pars; quia attenta humana fragilitate, eſt moraliter impoſſibile, ut homo retineat imaginationem, & mentem ſemper actu adhærentem.

Prob. Tertia pars; neceſſaria eſt attentio aliqua, ut oſtendimus, non ſufficit Habitualis; non requiritur actualis; ergo, cum nulla ſit alia, haberi debet ad minimum Virtualis, quæ eſt maximè humanæ fragilitati & capacitati proportionata.

CONCLUSIO II.

NOn requiritur, ut quis ſatisfaciat Horis Canonicis attentio ad ſenſum verborum; imò nec ſingularis ad ſingula verba, ſed ſufficit moralis quædam & generalis attentio, qua quis advertit ſe debitè verba & verborum ſententias pronuntiare, modò tamen aliqualiter ad Deum attendat.

Prob. Prima pars; quia certùm eſt, Moniales poſſe huic præcepto ſatisfacere; licèt defectu Latinitatis ſenſum verborum nullatenùs valeant percipere.

Obji. *Nihil aliud, dum pſallitis, quàm quod pſallitis, cogitetis.* Inquit D. Bern. Serm. 47. in Cant.

R. Verba illa eſſe ad meliora exhortantis, non autem obligationem aliquam declarantis.

Prob. Secunda pars: quia naturæ per ſe volubili, & ad varia diſtractæ videtur moraliter impoſſibile ad ſingula verba reflectere.

Prob. Tertia pars; quia ex D. Thoma 2.2. q. 83. art. 13. ſufficit, ut quis ità attendat ad verba, ut in illis non erret; ſed ad hoc ſufficit generalis quædam attentio, ut omnes legentes convincit experientia: ergo.

Addidi tamen: *Modò aliqualiter ad Deum attendat*, quam attentionem habere cenſetur, qui Officium incipit cum intentione Deum orandi, ſi in decurſu illam non retractet. Undè ſi qui Authores graves dicant non requiri ad ſatisfaciendum præcepto attentionem ad Deum, intelligendi ſunt de Attentione formali & expreſſa; non autem de implicita in intentione orandi contenta, cùm ſine illa non fiet oratio. Et indè ſequitur voluntariè diſtractum, licèt ſupponatur habere attentionem ſufficientem ad verba ne erret, non ſatisfacere ſuæ obligationi; eùm per illam diſtractionem revocet intentionem orandi ſine qua nec verborum prolatio, nec ad eadem attentio orationem conſtituunt: Patet in eo qui attentè legeret ex ſtudio, vel ex curioſitate.

CONCLUSIO III.

LIteratis, & in verborum, ac ſententiarum ſignificatione exercitatis utilius eſt, ac intentioni Eccleſiæ conformius, ad ſenſum & myſteria Horarum attendere, quàm aliis meditationibus, quantumvis piis, ſeſe applicare.

Ratio eſt; quòd Eccleſia à Spiritu S. edocta componendo Officium Divinum ex talibus Pſalmis, Lectionibus, Hymnis &c. ſatis nobis inſinuet eò dirigendam eſſe mentem, quo ducunt verborum ſententiæ, aut myſteria, idque confirmat D. Bern. ſup. citatus, dum admonet Confratres nihil aliud, licèt ſanctiſſimum, deberet inter pſallendum cogitare, quàm quod in ipſo Officio continetur. Undè credibile eſt, Deum ordinariè in has ſanctas reflectiones, tanquàm toti Eccleſiæ communes, copioſiùs influere, quàm in quælibet alia particulari à voluntariè aſſumpta.

CONCLUSIO IV.

MOnialibus, & aliis, verborum ſenſum, ac myſteria non apprehendentibus utiliùs eſt, & fructuoſius piam alicujus myſterii, ac præſertim Paſſionis Dominica meditationem aſſumere, quàm ſolo verborum cortici inhærere.

Ratio eſt; quia certum eſt, mentem fortiùs in Deum elevari per affectuoſam aliquam contemplationem, quàm per non intellectam verborum prolationem, quæ nonnunquam tædium parit; dum interim pia aliqua cogitatio conſolationem internam pareret.

Dixi: *Præſertim Paſſionis*; quia quælibet Hora Canonica aliquod Chriſti Paſſionis myſterium repræſentat: Matutinum quidem cum Laudibus, omnia quæ in horto acta ſunt: Prima injurias, pœnas, & opprobria quæ Chriſtus in Palatio Caiphæ paſſus eſt: Tertia flagellationem, & ex ſpinis coronationem, ac tandem mortis ſententiam: Sexta crucifixionem, Nona ipſius mortem, ac lateris aperturam, Veſperæ è Cruce depoſitionem: Completorium denique ſepulturam; quæ omnia ſequentibus verſibus comprehenduntur.

Hæc ſunt ſeptenis, propter quæ pſallimus horis:
Matutina ligat Chriſtum, qui crimina purgat;
Prima replet ſputis; cauſam dat Tertia mortis;
Sexta cruci nectit; latus ejus Nona bipartit;
Veſpera deponit, tumulo Completa reponit.

CONCLUSIO V.

ILle cenſetur voluntariè diſtractus, qui vel in ſe, vel in cauſa, ſive poſitiva, ſive negativa aliquid facit, aut permittit,

quod

Digitized by Google

quod eſt incompoſſibile cum attentione neceſſaria, aut cum intentione orandi.

Ratio eſt; quia ille voluntariè recedit quodammodo ab opere quod facit; cùm ejus actio, quæ deberet eſſe vera oratio, nec ſpeciem orationis habeat, imò nec nomen mereatur. Hinc

Reſol. 1. Eſſe voluntariè diſtractum, non tantùm illum, qui formaliter non vult attendere ad Officium; ſed etiam qui internè vel externè occupatur certis rebus, per quas deſtruitur attentio, licèt expreſsè illam non revocet: ut ſi ludat, litem aut contractum aliquem animo revolvat.

Reſ. 2. etiam voluntariè cenſeri diſtractum illum, qui immediatè à confabulatione, luſu, aut aliis actionibus, per quas novit ſe frequenter in Officio notabiliter diſtrahi, Officium recitat ſine ulla animi præparatione; quia reputatur implicitè in diſtractionem conſentire.

Reſ. 3. Ejuſdem peccati eſſe reum, qui diſtractionibus vel ab objecto externo, vel etiam à dæmone immiſſis non reſiſtit, ubi illas advertit.

ARTICULUS X.

Quæ cauſę excuſent à legendis Horis?

SUppono, juſtè excuſatum ab Horis legendis ratione infirmitatis, occupationis, aut impotentiæ, non teneri earum loco certas preces recitare, ſaltem ſi non ſit Beneficiatus. Ratio eſt; quia nullibi tale præceptum legitur, & aliundè non eſt imponenda nova obligatio, niſi adſit jus aliquod expreſſum.

Dices: Qui non poteſt audire ſacrum in die Dominico, tenetur, ſi poſſit, alias preces fundere; ergo ſimiliter in noſtro caſu.

Reſp. Diſt. Ant. Tenetur aliàs preces fundere, ratione præcepti de ſanctificanda Dominica, C. ratione præcepti Miſſæ audiendæ, N. Hocque patet in exemptis à jejunio ratione itineris, laboris &c. quibus loco jejunii non imponitur aliud.

Dixi: *Saltem ſi non ſit Beneficiatus*; quia ratio juſtitiæ poſtulat, ut Beneficiatus, qui non poteſt per notabile tempus Officium perſolvere, quandoque alias preces fundat pro benefactoribus. Aliud eſſet, ſi tantùm per tres aut quatuor dies impediretur; quia poſſet rationabiliter præſumi non fuiſſe mentem Fundatoris cum tanto rigore obligare. Hoc ſuppoſito.

CONCLUSIO I.

EXcuſat ab Officio recitando legitima diſpenſatio; quam dare pro tota Eccleſia Summus Pontifex: pro ſuis reſpectivè ſubditis Prælatus Ordinis Mendicantis, idque ex privilegio, ſicut & pro ſuis Mater Ancilla Annunciatarum, ſi adſit conſilium Diſcretarum & Confeſſarii, aut Prælatorum, patet ex earum Regula. Sed hæc diſpenſatio eſt impropriè dicta, defectu juriſdictionis ſpiritualis.

Sed numquid idem poſſunt Epiſcopi reſpectu ſuorum?

Reſp. Poſſe in caſibus ſaltem frequentioribus, idque ex tacita Summi Pontificis intentione, cùm prodens Eccleſiæ regimen videatur hoc exigere. Diſparitas eſt autem inter Papam & alios diſpenſantes, quòd diſpenſatio facta ab illo ſine cauſa, ſit valida, licèt illicita; ab hic autem, nec ſit valida, nec licita, ut dicitur in Tractatu de Legibus.

CONCLUSIO II.

EXcuſat etiam gravis & honeſta occupatio, quæ ſine notabili ſui, aut proximi incommodo non poteſt omitti, ut ſi quis pro concludenda pace, pro ſedandis tumultibus publicis, & ſimilibus debeat per diem integrum impediri. Item ſi debeat Parochus, aut alius Confeſsarius, qui necdum Horas perſolvit, Confeſſionem moribundi uſque ad mediam noctem protrahendam excipere. Ubi autem prævidetur occupatio futura, debet Horarum lectio anteponi.

CONCLUSIO III.

EXcuſat ſimiliter gravis infirmitas, quam cenſetur habere, qui non poteſt ſine magno ſanitatis diſpendio Officium legere.

Ratio eſt, quia non eſt præſumendum piam Matrem Eccleſiam velle afflictis afflictionem novam adjicere. In dubio autem, an morbus ſit ſufficiens, ſtandum eſt Medicorum opinioni, vel petenda à Superiore diſpenſatio, ſi commodè audiri poſſit. Cœterùm, ſi infirmus, his non obſtantibus, remaneat dubius, non tenetur, imò non poteſt Officium recitare, ſi timeat morbum indè graviter augendum; quia tunc præceptum naturale de conſervanda vita prævalet præcepto Eccleſiæ de legendo Officio, Aliud eſset, ſi tantùm leve malum timeretur; quia non tenemur vitam noſtram omnibus modis conſervare, præſertim, ubi concurrit præceptum ſtrictiſſimum, quale eſt legendi Horas.

Dixi in concluſione: *Infirmitas gravis*: nam dolor capitis, ſtomachi, aut pectoris non ità vehemens, ſicut & febris tertiana aut quartana, quæ tantùm per aliquam dici partem vexant infirmum, ordinariè non excuſant; quandoquidem non reddant ægrotum ad id muneris moraliter impotentem. Aliter tamen loquendo eſt de infirmo convaleſcente a gravi morbo, qui poteſt per aliquot dies, prudentia arbitrio, Horas non legere, virium imbecillitate, & Eccleſiæ benignitate id ſuadentibus.

CONCLUSIO IV.

ALia cauſa excuſans à lectione Horarum, eſt impotentia, ſivè intrinſeca, qualis eſt cœcitas, ſivè extrinſeca, qualis eſt defectus Breviarii; quia nullum præceptum obligat ad impoſſibile. Tenetur tamen impotens id, quod novit memoriter, recitare; ſicut tenetur qui non poteſt ſummam integram partem, quam poteſt, reſtituere. Idque ſatis inſinuat Eccleſia, condemnans ſequentem propoſitionem; *Qui non poteſt recitare Matutinum &c.* Vide art. 3.

Petes. An peccet toties, quoties Horas omittit, quæ initio itineris, aut navigationis, Breviarium voluntariè relinquit, prævidens ſe non aliud habiturum?

R. 1. Certum eſſe ab initio peccare affectu tot peccatis, quot diebus prævidet ſe non lecturum Horas, quandoquidem velit in cauſa omnes illas omiſſiones.

R. 2, non ampliùs peccare effectu, ubi Horarum lectio facta eſt impoſſibilis; quandoquidem nullus teneatur ad impoſſibile, debet tamen ſtatim, ac fieri poteſt, de commiſſa culpa pœnitere, quam in omnes omiſſiones ità influere ſuſtinent aliquid, ut dicantur actus voluntariæ, quamdiu culpa non eſt per pœnitentiam revocata.

CONCLUSIO V.

EXcuſatur etiam à recitandis Horis Beneficiarius nec Religioſus, nec ſacris initiatus, qui ſine ſua culpa privatur ad tempus notabile fructibus ſui Beneficii.

Ratio eſt, quia non eſt veriſimile Eccleſiam, aut Fundatores voluiſse tales obligare. Prætereà, ſi juſtum eſt, ut ille qui altari inſervit de altari vivat; etiam juſtum videtur, ut qui de altari non poteſt vivere, altari non teneatur inſervire.

Dixi 1. *Qui ſine ſua culpa*; privatus enim fructibus propter culpam tenetur, tum in particulari, tum in choro. Horas perſolvere.

Dixi 2. *Ad notabile tempus*; quia ſi tantùm per breve privetur, non videatur ab Horis eximendus; quandoquidem non vellet ipſemet cum tanto rigore tractari, ubi ex cauſa rationabili aliquamdiu ab Horis legendis abſtineret.

CONCLUSIO VI.

EXcuſantur etiam ab Officio chori; non tamen ſemper ab Officio in particulari, qui juſta corporis neceſſitate detinentur. Patet ex Cap. unico *de Clericis non reſidentibus* in ſexto, cenſetur autem adeſſe juſta corporis neceſſitas. 1 Quando quis ex conſilio prudentis Medici aliò migrat aeris captandi gratia, aut domi remanet propter aeris intemperiem.

2. Si adſit grave periculum peſtis, aut alterius morbis notabilis remanentibus in loco Beneficii.

3. Si quis ob nimiam ſenectutem non poſſit ſine notabili difficultate choro adeſse.

4. Si exeunti domo verè immineat mortis, aut gravis vulneris periculum. Et hi omnes poſsunt, ubi non viget conſuetudo in contrarium, ſuos fructus facere: ſicut & illi, qui ab hoſtibus detinentur, injuſtè incarcerantur, aut in exilium mittuntur, vel etiam ſine ſua culpa à loco Beneficii excluduntur.

Dixi: *Non tamen ſemper ab Officio in particulari*; quia ubi neceſſitas non impedit privatam Horarum lectionem, certum eſt ab illa non eximi.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO IV.

De peccatis Religioni per exceſſum oppoſitis.

REligioni utpotè virtuti morali, adeòque in medio conſiſtenti, opponuntur aliquà per defectum, ut irreligioſitas cum ſuis ſpeciebus; aliqua per exceſſum, ut Superſtitio cum ſuis. Porrò opponitur Superſtitio per exceſſum non quia excedit in cultu Divino; ſed quia cultum Divinum exhibet, vel ei cui non debetur, vel, ſi ei, cui debetur, alio tamen modo, quàm debeatur. De Superſtitione ejuſque ſpeciebus, quæ ſunt Idololatria, Divinatio, vana Obſervantia, Magia & Maleficium, ſequentibus articulis agemus.

ARTICULUS I.

Quid ſit Superſtitio & quotuplex?

CONCLUSIO I.

SUperſtitio eſt cultus perverſus, quo vel creatura colitur loco Creatoris, vel Creator ipſe modo indebito.

SUperſtitio eſt duplex: una rei cultæ, quæ eſt Idololatria, de qua poſtea; altera cultus indebiti, quæ eſt cultus vitioſus vero Numini exhibitus. Hic cultus alius eſt falſus, alius ſuperfluus, alius indecens. Primus ex genere ſuo peccatum eſt mortale propter gravem irreverentiam Deo illatam. Secundus & tertius aliquando ſunt mortale, aliquando veniale, pro rei gravitate, aut levitate.

Porrò ad falſum cultum pertinet falſas Reliquias intrudere adorandas, falſa miracula prædicare, aut imprimere; ſignum falſi miraculi vel Beneficii accepti, anathemata imagini alicujus Sancti apponere. Item Deum Judaicis, aut Mahumeticis cæremoniis colere; cùm ſit declarare ſectas illas eſſe veras, cùm tamen ſint falſæ.

Pertinet ad cultum ſuperfluum in Officio, vel in Miſſa certas preces addere, novas cæremonias ex devotione indiſcreta intermiſcere, præter Eccleſiæ conſuetudinem in pondere cereorum, in numero Orationum, in corporis ſitu, tempore precum Religionem ponere.

Sed quid dicendum de circumductione equorum circum templa S. Eligii, de aperitione venæ jumentorum in die S. Nicolai, de cæremoniis adhiberi ſolitis in peregrinatione ad S. Hubertum in Ardenna, ſicut & ad alios ſanctos in aliis mundi partibus &c.

R. In his & ſimilibus rebus, tum ex ignorantia, tum ex Miniſtrorum avaritia, tum ex indiſcreta devotione populi, multa irrepſiſſe ſuperſtitioſa; undè tenentur Parochi locorum, ubi talia practicantur, Epiſcopos ſuos de omnibus informare, & niſi illi, habito prudenti de talibus cæremoniis examine, illas approbaverint, debeant eas, nonobſtante vulgi clamore, abſolutè exterminare. Quantùm ad cæremonias peregrinorum ad S. Hubertum, dicuntur examinatæ & approbatæ; & ideò ſine ſcrupulo practicantur, etiam à timoratis.

Ad cultum indecentem pertinet, ſi Muſica, Organa, aut alia Inſtrumenta in Officio Divino adhibita, laſciviam, ſi toni, aut cantus ſint profani.

ARTICULUS II.

Quid ſit Idololatria, & quale peccatum?

SUppono 1. Idololatriam ab idolo eſſe derivatam. Eſt autem idolum in plenitudine ſuæ ſignificationis acceptum, ſimulacrum repræſentativum eujuslibet rei exiſtentis, aut fictæ; ſed jam uſus invaluit, ut ad ſolam effigiem falſi Numinis reſtringatur; & ideò imagines Dei, B. Virginis, Sanctorum & Angelorum, nunquàm idola nuncupantur.

Supp. 2. Idololatriam latiùs ſumptam accipi pro quolibet peccato mortali, quo quis creaturam Deo anteponit, eſtque ei inſtar idoli, quod non rarò accidit parentibus reſpectu prolium, juvenibus reſpectu puellarum &c. ſed de idololatria ſtrictiùs ſumpta hic agitur.

Supp. 3. Non fuiſſe idololatriam ſtrictam in prima mundi ætate, propter recentem Creatoris mundi memoriam, ex qua adhuc vigebat unius Dei cognitio, undè incepit in ſecunda mundi ætate à Nemroth, qui, ut fertur, cogebat omnes ignem adorare. vel à Nino, qui patris ſui Beli imaginem juſſit adorari. Et indè non tantùm inter Gentiles, ſed etiam inter Judæos, ac poſteà in plurimas mundi partes ad hæc uſque tempora diffuſa eſt. His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

IDololatria hic, eſt cultus Divinus creaturæ ut Divinitati exhibitus.

Dicitur 1. *Cultus*, ſivè interim ſit ſacrificium, quod ſoli Deo debetur, ſivè quodlibet aliud ſignum honoris, quo creatura inſtar Dei colitur.

Dicitur 2. *Divinus*, ut excludatur Dulia, quæ redditur Sanctis, & Hyperdulia, quæ B. Virgini.

Dicitur 3. *Creaturæ*, ſivè animatæ, ut ſunt Dæmones, animæ ſeparatæ, bruta. ſivè inanimatæ, ut ſol, luna &c.

Dicitur 4. *Ut Divinitati exhibitus*; quia ſi cultus Divinus exhibeatur creaturæ ut creaturæ, erit quidem peccatum graviſſimum, ſed non idololatria in omni rigore.

CONCLUSIO II.

IDololatria eſt ex genere ſuo grave peccatum, & quidem inter mortalia graviſſimum.

Prob. 1. pars ex Script. Exodi 20. *Non adorabis ea*, ſcilicèt exteriùs, *neque coles*, ſcilicèt interiùs, ut exponit Gloſſa. Quod præceptam obligare graviter, ſupponunt Interpretes, & Theologi, quando dicunt unanimiter, illum, qui tempore perſecutionis, etiam ex metu mortis, idola exteriùs veneraretur, licèt interiùs fidem ſervaret; à peccato mortali non fore immunem: & licèt, in foro conſcientiæ excommunicationem in Bulla Cœnæ contentam non incurreret, cùm propriè Hæreticus aut idololatra non eſſet eò quòd tali honore crederet indignum id, cui cultum Divinum exhiberet; in foro tamen externo, eſſet illi excommunicationi ſubjectus.

Prob. 2. pars; quia ſicut in Republica graviſſimè peccat, qui honorem Regium, ipſamque Regis Majeſtatem in alium transfert; ità à fortiori, qui honorem Divinum, ipſamque Divinitatem, quantùm in ſe eſt, creaturæ tribuit; undè reus eſt læſæ Majeſtatis Divinæ, ſicut alter læſæ Majeſtatis humanæ.

ARTICULUS III.

Quid Magia, quale peccatum, undè cognoſci poſſit opus magicum, & de quibus Magi in Confeſſione interrogandi?

NOn agimus hic de Magia naturali, qua, nullo interveniente cum dæmone pacto, per vires rerum naturalium occultas mira quædam producuntur; quia licèt hanc periculoſam eſſe meritò aſſerant aliqui, eò quòd facilè Diabolus illi ſe immiſceat; tamen non eſſe, per ſe loquendo, peccaminoſam, communis eſt Theologorum doctrina. Undè tantùm agitur hic de Magia ſuperſtitioſa, ſeu Diabolica.

CONCLUSIO I.

MAgia hic eſt ſuperſtitio, qua magus mira quædam operat ope dæmonis, ratione pacti. Duplex eſt autem cum dæmone pactum: unum expreſſum, quo dæmon expreſſè, & formaliter invocatur; invocantique reſpondet, ac, inito pacto, rem petitam exequi promittit; ſive interim appareat in forma viſibili, ſive non: aliud tacitum & implicitum, quod cenſetur fieri, quoties homo aliquid facere tentat per ea, quæ virtute naturali talem effectum producere non poſſunt: ut ſi certis verbis, aut characteribus utaris ad ſanitatem recuperandam.

CONCLUSIO II.

MAgia ſemper eſt peccatum mortale, & quidem execrandum.

Ratio eſt, quia involvit explicitam vel implicitam ſocietatem cum Dæmone; eſt autem Deo ſummè injurioſum, quòd, ipſo relicto. ad Dæmonem, perpetuum ejus hoſtem, recurratur.

CONCLUSIO III.

EX triplici capite cognoſci poteſt opus aliquod eſſe magicum. 1. Ex modo operandi; ut ſi, ſecluſa ope Divina, hinc Romam, aut Conſtantinopolim uno die vel breviſſimo tempore transferaris; ſi homini vel bruto ægrotanti quaſi in inſtanti ſanitas reſtituatur: ſi hic aliqua figura pungatur, & homo alibi dolorem ſentiat.

2. Ex cauſis; ut ſi neque ex natura ſua, neque ex Dei aut

Ec-

Eccleſiæ ordinatione connexionem habeant cum effectu: tunc enim effectum à Diabolo implicitè expectari, neceſſe eſt: undè hoc peccatum incurrunt, qui certa verba murmurant in aore equi, ut ſanetur à dolore ventris: qui paleam alligant ad arborem, ut ceſſet febris: qui ad ſanationem vulnerum adhibeot certas inſufflationes, cruces, & verba exotica &c.

3. Ex effectibus, qoos conſtat non poſſe naturaliter produci, & aliundè non eſſe à Deo in illis circumſtantiis expectabiles; ut ſi cœlo ſereno audiatur ſubitò tonitru, videatur fulgur, eradicentur arbores, vaſtentur ſegetes &c.

CONCLUSIO IV.

DE ſequentibus Sagæ & Magi ſunt à Confeſſario interrogandi. 1. de Idnlolatria, an dæmonem ioco Dei habuerint, eique obtulerint ſacrificia; aut preces fiderint: 2. De Hæreſi an crediderint dæmonem non eſſe damnatum, eique adhærentes non eſſe damnaodos &c. 3. De Apoſtaſia, an Deo, B. Virgini, Sanctis, Fidei, Sacramentis reountiaverint; 4. De Blaſphemia in Deum, Chriſti humaoitatem, B. Virginem & Sanctos. 5. De Sacrilegio, ao ſacra, & præſertim Euchariſtiam profanaverint, aut iis indignè uſi ſint? 6. De Iniuſtitia, an ſegetibus, hominibus, aoimalibus, & præſertim infantibus nocuerint per maleficia, incantationes &c. 7 De Loxuria, diabolo ſeſe enormiter commiſcendo, ut ſolent Lamie & Striges. Denique de iis omnibus, de quibus judicaverit prudens Confeſſarius expedire.

ARTICULUS IV.

Quid Maleficium, quotuplex, & an liceat uti opern Malefici ad Maleficia diſſolvenda?

CONCLUSIO I.

MAleficiom (quod à *malè* & *facio* dictum eſt) eſt ars ſeu poteſtas nocendi proximo ſive in, ſive in ſuis, ope dæmonis. Differt à Magia, quòd per hanc Magus quærat præſertim ſui oſtentationem; per illud autem, intendat Maleficus proximi detrimentum, ipſum, vel ejus bona lædendo. Ubi autem in Maleficiis, ſicut & in aliis intervenit pactum expreſſum cum dæmone, neceſſariò debet in Confeſſione exprimi; quia licèt pactom expreſſum fortè non differat, ſpecie à pacto tacito, variat tamen notabiliter judicium Confeſsarii.

CONCLUSIO II.

DUplex eſt Maleficiom, veneficum unum, amatorium alterum, Primò utuntur Malefici, ut reddant homines infirmos, fœminas ſteriles, proles languidas, pecora morbida, arbores ſiccas. Secundum adhibent ad excitandum in aliquo amorem venereum erga certam perſonam. Dico *certam perſonam*; quia dicuntur aliqui lapides, & herbæ, amoris & concupiſcentiæ flammam naturaliter accendere; non tamen circa determinatam ſolum perſonam: quod ideò neceſſariò fieri debet à Diabolo phantaſma, & imaginationem immutante, ac ſpecies objecti amati pulchriores ac amabiliores exhibente. His tamen non obſtantibus perſona Maleficio affecta manet libera, poteſtque cum Dei gratia non peccare; & ideò ſi turpem illum amorem ſequatur, à peccato mortali non eſt eximenda. Dixerim tamen ratione vehementis paſſionis eſſe venia dignam.

CONCLUSIO III.

NUnquàm licitum eſt oti opera Malefici ut Malefici ad diſſolvendum Maleficium. Eſt certa & commonis.

Ratio eſt; Quia nihil eſt aliud, quàm diſſolutionem Maleficii per novum Maleficium petere; quod eſt intrinſecè malum, cùm non poſſit fieri ſine novo ad Dœmonem recurſu. Hinc

Reſol. 1. Graviter peccare eum, qui petit à malefico, aut ab alio, ut maleficium ſolvat, ſi ſciat, non niſi per aliud maleficium diſſolvi poſse.

Reſ. 2. Idem eſse dicendum, licèt maleficus ſeſe offerat non rogatus ad maleficium maleficio diſſolvendum; quandoquidem conſentiendo concurrat ad intrinſecè malum.

Reſ. 3. Etiam peccare petentem diſſolutionem maleficii, ſi dubitet, an non reqoiratur adhibitio novi ad diſſolutionem prioris, cùm in dubio tutior pars ſit eligenda.

Dixi: *Malefici ut malefici*; quia ſi poſſit maleficus non utens maleficio, ſed arte ſibi cognita maleficium tollere, licitè poſſum ab eo diſsolotionem petere; quia licèt fortè artem illam à dæmone didicerit, & ideò tunc peccaverit, uſus tamen illius ſcientiæ non eſt ipſi illicitus; cùm non ſit connivere dœmoni, ſed potiùs ejus ſigna & pacta deſtruere: & certè ſi hoc eſset illicitum, nequidem poſsem medicamentum legitimum, & ſcientias bonas addiſcere, ab eo, qui hæc à dæmone didiciſset quòd nemo dixerit.

Dices: licèt maleficus poſſit maleficium ſine maleficio tollere, poteſt tamen etiam maleficium adhibere, imò præſumi debet maleficium maleficio diſſoluturum: ergo non licet ab eo diſſolutionem petere.

Reſ. Quod ſicut poſsum ex juſta cauſa motuum petere ab eo, qui non tantum præſumitur, ſed etiam ſcitur non daturus ſine uſura; ità poſsum à fortiori in noſtro caſo maleficii diſſolutionem petere, ubi urget gravis neceſſitas avertendi à me, vel proximo maleficium. Cujus ratio eſt, quòd non ſit alterius peccatum petere, aut approbare, ſed exigere id, quod alter poteſt ſine peccato præſtare. Undè ſibi & ſuæ malitiæ imputare debet maleficus ſicut & Uſurarios, ſi eligat id, quod eſt illicitum.

ARTICULUS V.

Quid Divinatio, & quid dicendum de ſingulis ejus partibus?

ADvertendum quinque eſse partes Divinationis, prima dicitur Divinatio per dœmonia, ſecunda per aſtra, tertia per ſomnia, quarta per ſortilegia, quinta per alia ſigna, de quibus poſteà.

CONCLUSIO I.

DIvinatio eſt ſuperſtitioſa inquiſitio, aot prædictlo alicujus occulti per invocationem & diſciplinam dæmonis.

Dicitur 1. *Inquiſitio, aut prædictio*; quia tàm inquirens quàm prædicens in hac materia, Divinationis peccatum incurrit.

Dicitur 2. *Alicujus occulti*, ſive futuri, ſive præteriti, aut præſentis, modò ſit vel remotum, vel ſenſibus humanis impervium.

Dicitur 3. *Per invocationem*; qoia ſemper iotervenit in Divinatione, expreſſa, vel tacita dæmonis invocatio: ità tamen, ut, ſi ſit expreſſa, debeat ſpecialiter in Confeſſione exprimi, ot diximus de pacto art. 4.

Addidi: *Et diſciplinam Dæmonis*; quia licèt non poſſit per ſe occulta, ut cordis cogitationes, & futura libera, ideſt, quæ pendent à libero hominis arbitrio, certitudinaliter cognoſcere; plurima tamen poteſt conjicere, tum propter veterem in multis caſibus experientiam, tum propter ingenii perſpicacitatem, qua vel ex effectibus alibi inchoatis, vel ex aſtrorum influentiis, earumque virtute, vel ex hominum complexionibus, diſpoſitionibus, propenſionibus &c. vel ex omnibus ſimul ſæpè colligit, vel qoid homo moliatur in corde, vel quid in eo, aut circà eum futurum ſit

Eſt autem Divinatio graviſſimum ex ſuo genere peccatum. Undè Apoſtolus 1. Corinth. 10. ſeverè inhibet Fidelibus *Socios fieri dæmoniorum*, & Auguſt. de doct. Chriſtiana lib. 2. Cap. 23. dicit omnem ſocietatem dæmonis tanquam peſtiferam eſſe fugiendam.

CONCLUSIO II.

De Divinatione per dæmonia.

DIvinatio per dæmonia (qoæ generali nomine dicitur *Necromantia*) eſt illa, quæ ſit per expreſſam invocationem dæmonis, qui variè conſultus, etiam variè reſpondet: nam 1. conſultus per ſacrificia animalium, reſpondet ordinariè per ſigna in ex eis animalium apparentia, & dicitur *Haruſpicium*. 2. conſoltus per preces in Prophetis, qui dicuntur *Pythonici* & *Pythoniſſæ*, reſpondere ſolet per ombelicum &c. conſultus per preces in Idolis, ut plurimùm reſpondet per ipſa Idola, & vocatur *Oraculum*.

Aliquando etiam reſpondet per figuras, aut corpora aſſumpta; aliquandn excitando mortoum, qui reſpondeat, & ſpecialiter dicitur *Necromantia*; aliquando per ſigna apparentia in aqua, in terra, in aere, in igne, & appellatur *Hydromantia*, *Geomantia*, *Aeromantia*, *Pyromantia*.

Advertendum hic 1. has omnes Divinationis ſpecies, ultrà quòd ſint peccata enormia, etiam ſub excommunicationis pœna eſſe ab Eccleſia prohibitas.

Advertendum 2. ad expreſſam dæmonis invocationem non neceſſa-

Digitized by Google

neceſſariò requiri voces, ſed ſufficere certas figuras, unctiones, ſpecula, & alia ſigna, quæ ipſemet ad hoc inſtituit.

CONCLUSIO III.

De Divinatione per aſtra.

Divinatio per aſtra (quæ communiter dicitur à Theologis *Aſtrologia judiciaria*, & à D. Aug. lib. 2. de Doct. Chriſtiana Cap. 2. *Superſtitio perniciosa*) in tribus præſertim eſt graviter peccaminoſa. 1. Si adhibeatur ad penetranda ea, quæ à ſola voluntate Dei pendent, ut eſt alicujus hominis electio aut reprobatio &c. 2. Si ad certa cognoſcenda, aut prædicenda, quæ ſunt futura dependenter à libero hominis arbitrio, ut ſunt Matrimonium, duellum, hoſtium deletio, alicujus urbis expugnatio &c. 3. Si ad prænuntiandos eventus omninò fortuitos, ut incendium, alicujus palatii ruinam, hominis in aquis ſubmerſionem.

Ratio eſt; quia illa omnia nullam habent connexionem naturalem cum aſtris; & ideò cùm illi effectus non poſſint ab aſtris expectari, à dæmone expectentur, neceſſe eſt.

Fatendum eſt tamen, multa poſſe ex aſtris naturaliter, & ſine peccato colligi, ut aeris immutationem, pluviam, ſerenitatem, tempus opportunum ad ſeminandum, ad arbores plantandas, aut incidendas, ad ſanguinis emiſſionẽ, ad ſumptionem medicamenti &c. quia, ut docent communiter Philoſophi, non nihil ad illa conferunt aſtrorum influentiæ. Imò propter eamdem rationem, etiam aliqualiter cognoſci poſſunt ex aſtris hominum complexiones, inclinationes, & aliæ hujuſmodi diſpoſitiones, v.g. quòd ſint futuri calidi, cholerici, melancholici &c. non tamen propterea certò cognoſci poteſt, aut prædici hominem determinatum fornicationem, v.g. pugnam, aut homicidium perpetraturum, cùm poſſit per Dei gratiam paſſiones ſuas refrænare. Et quamvis ex aſtrorum influentiis & hominis complexione poſſent præfata leviter conjecturari prohibuit tamen Sixtus V. in ſua Bulla, *Cæli & Terræ Creator.* 17. apud Cherub. Tom. 2, prædicere hujuſmodi conjecturas, faciendo judicia, & hominum nativitates, quibus de futuris contingentibus, caſibus fortuitis, actionibus liberis, &c aliquid eventurum affirmant, licèt non aſſeveranter. Hocque ſapientiſſimè inhibuit magnus ille Pontifex cùm hic modus prædicendi futura ſit Reipublicæ valdè perniciosus, & ſcandaloſus propter calumnias Divinatorum fingentium, ac multa peccata indè oriri ſolita.

Dices, hanc prohibitionem Sixti V. tantùm reſpicere forum externum, cùm non dirigatur ad Aſtrologos, ſed ad Inquiſitores Hæreticæ pravitatis, ut judicialiter agant contrà ſimilia prædicentes.

R. Cùm non poſſint Inquiſitores judicialiter agere, niſi contrà delinquentes, eo ipſo, quod datur illis poteſtas & mandatum judicialiter agendi contrà præfatos, inhibetur Aſtrologis, & aliis ſimiles conjecturas prædicere, ità ut contravenientes peccent, licèt in illis prædictionibus nihil juri naturæ adverſetur. Hocque apertè declarat in ſua Bulla: *Inſcrutabilis* 114. apud Cherub. Tom. 4 Urbanus VIII. qui Sixtinam Bullam confirmavit, approbavit, & innovavit.

Petes: an ille, cui ſimiles prædictiones factæ ſunt, v.g. quod ſit aquis ſuffocandus, gladio periturus, Cardinalis futurus &c. poſſit indè actiones ſuas moderari?

R. 1. Quoties actiones ſuas indè moderabitur cum infallibili credulitate, toties peccaturum mortaliter. Patet ex dictis.

R. 2. Si ſine credulitate infallibili, ſed cum timore, aut ſpe prænunciatorum moderetur actiones ſuas, etiam peccabit graviter, ubi res prænunciata nec certo, nec conjecturaliter poteſt ex aſtris colligi, cùm non niſi Diabolus poſſit eſſe fundamentum illius timoris, aut ſpei: undè non excuſarem à mortali, quidquid dicant aliqui, euntem ideò Romam ſpe Cardinalatus, aut non exeuntem domo ex timore ſubverſionis: & certè, ſi peccet graviter, expectans infallibiliter illos effectus; quia non niſi à dæmone poteſt illos expectare, quidni & ſperans eoſdem, cùm non niſi à dæmone poſſit illos ſperare?

R. 3. Si ſciat conjecturaliter ex aſtrorum influentiis ſe movendum, & inclinandum ad rixas, bella, luxuriam &c. ut fieri poteſt, non peccabit, occaſiones propterea vitando, gratiam Dei implorando &c. cum ſint actus prudentiæ Chriſtianæ.

CONCLUSIO IV.

De Divinatione per ſomnia.

Divinatio per ſomnia eſt illa, qua ex ſomniis prædicitur, aut creditur aliquid eventurum, quod nullam prorsùs habet connexionem cum illis. Eſt per ſe loquendo, peccatum mortale, cùm ſit eodem modo loquendum de Divinatione per ſomnia, ac de Divinatione per aſtra. Hinc

Reſ. 1. Reum eſſe peccati gravis Monachum, qui ex eo quòd ſomniaverit ſe fore Abbatem, nihil non molitur, ut ad dignitatem illam perveniat. Similiter & puellam, quæ ideò præcisè non vult Matrimonio conjungi Petro v. g. quia ſomniavit ipſum fore ebrioſum, difficilem &c.

Sed quid dicendum de eo, cui in ſomniis fuiſſet manifeſtatus theſaurus abſconditus?

Reſ. Si nullo modo credens ſomniis, ſed ex mera curioſitate pergat ad locum theſauri abſconditi, ibique terram effodiat &c. non videri peccare mortaliter; cùm videatur tantùm eſſe actus levitatis & vanitatis. Similiter non condemnarem peccati mortalis illum, qui dubitans an theſaurus fuerit ſibi manifeſtatus per defunctum apparentem, an per ſomnium, terram effodit, ut rei veritatem detegat, nulla tamen fide ſomniis adhibita. Sed, quid ſi Diabolus ipſi theſaurum abſconditum indicaſſet? Liceret eum quærere; quandoquidem non videatur illicitum uti ſcientia à Dæmone accepta, ubi ſaltem non fuit ab eo explicitè, aut implicitè petita, nec ullus intereeſſit ad eum recurſus.

Dixi initio Concluſionis: *Quod nullam habet connexionem naturalem cum illis;* nam, ut docet Philoſophus, quandoque juvantur per ſomnia Medici ad cognoſcendas corporis diſpoſitiones. Unde ſi quis ſomniet de occupationibus igneis, ſignum eſt choleræ prædominantis, ſi de aereis, ſanguinis abundantis; ſi de aqueis, multi flegmatis; ſi de terreis, melancholiæ; & ideò poteſt licitè ſibi per medicinas præcavere.

CONCLUSIO V.

De Divinatione per ſortilegia.

Divinatio per ſortilegia eſt illa, qua quis per ſortes prædicit, aut inquirit aliquid occultum aut futurum. Porrò triplicis generis ſunt Sortes, Diviſoriæ, Conſultatoriæ, & Divinatoriæ.

Dixi ſociæ ſunt illæ, per quas diſcernitur, cui res aliqua dari debeat: extra caſum electionis Eccleſiaſticæ ſunt licitæ. Per Conſultatorias inquiritur quid in re ardua & dubia ſit agendum. Ubi magna urget neceſſitas, & conſilium humanum deficit, licita eſt ſortitio conſultatoria, ſi fiat cum debita ad Deum reverentia, ſi ſervetur modus proportionatus, & non fiat pro Officiis Eccleſiaſticis.

Dixi: *Ubi magna urget neceſſitas;* quia extra caſum illum ſunt illicitæ, & ſub anathemate in Jure interdictæ.

Denique Sortes Divinatoriæ, quarum definitionem dedimus initio Concluſionis, ſemper ſunt graviter illicitæ & ſuperſtitioſæ, utpotè involventes tacitam dæmonis invocationem; quandoquidem nec ex natura rei, nec ex Dei aut Eccleſiæ ordinatione inſerviant rei manifeſtandæ. Huc reduci poteſt verſio cribri, qua impii quidam homines tentant divinare fures, homicidas, ſagas &c.

CONCLUSIO VI.

De Divinatione per ſigna minutiora.

Divinatio per ſigna minutiora contingit, inquit Baſſæus V. *Divinatio*, quando quis vult divinare per taxillos aut chartas, aut per id, quod primo loco occurrerit aperienti Librum; item ex diſpoſitione alicujus rei, aut numeri; ex obſervatione vocis, aut cantus: ex lineamentis manuum & dicitur *Chiromantia;* ex garritu avium, eſtque *Augurium*, ex volatu eorumdem, & vocatur *Auſpicium*, ex occaſione verbi prolati, & eſt *Omen*. Similiter fit quandoque Divinatio ex voce animalium, ex ſternutatione, ex occurſu funeris, ex fronte, coloribus, figuris, &c. & hæc omnia ſunt, per ſe loquendo, mortalia, ubi ex illis colligitur effectus non colligibilis: undè Aug. ſerm. 241. de temp. *Qui quibuslibet auguriis crediderit, etſi jejunet, etſi ad Eccleſiam currat ..... etſi corpuſculum in afflictione cruciaverit ſuum, nihil ei proderit.*

Dixi: *Ubi ex illis colligatur &c.* quia ſi indè colligantur res naturaliter proportionatæ, V. Gr. ex garritu aut volatu certarum avium mutatio auræ, ex lineamentis corporis huma-

Digitized by Google

mani robur, aut debilitas ejuſdem, nullum eſt peccatum. Ex dictis

Reſol. 1. Deo & Reipublicæ eſſe graviter injurioſos Ægyptios, & alios ejuſmodi, qui ex manuum lineis prædicunt alicui totum vitæ decurſum: V. Gr. quòd his debeat Matrimonio conjungi, quòd in primo erit fœlix, in ſecundo infœlix, quòd ſit accepturus vulnus lethale, & tandem quòd ſit ſuſpendendus.

Reſol. 2. Etiam graviter reum eſſe, illos conſulentem, etiamſi fidem non adhibeat; quandoquidem cooperetur alterius peccato.

Reſol. 3. Uſum virgulæ Divinatoriæ ad cognoſcendum alicujus criminis reum, videri ſuperſtitioſum, cum naturæ virtutem ſuperet.

Reſol. 4. Illos, qui tantùm joci cauſa ſimulant ſe ex certis ſignis futura, aut occulta divinare, non niſi venialiter peccare ſecluſo ſcandalo; cùm non adſit animus ſuperſtitioſus, ſed potiùs vanitas. An autem divinans debeat reſtituere id, quod accepit pro reſponſis ſuperſtitioſis? reſolvetur in tractatu de re turpi.

ARTICULUS VI.

Quid vana Obſervantia, & quænam ejus præcipuæ ſpecies?

CONCLUSIO I.

VAna Obſervantia eſt Superſtitio, qua quis utitur mediis, nec à Deo, nec à natura, nec ab Eccleſia ordinatis ad aliquid faciendum vel omittendum.

Differt à Divinatione, quòd hæc primariò, & per ſe ordinetur ad ſpeculativam alicujus occulti, aut futuri cognitionem, licèt aliqui indè moderentur ſuas actiones; illa verò totaliter ad cognitionem practicam, aliquid agendo, vel omittendo.

Varias ſub ſe habet ſpecies vana Obſervantia, ſed omnes ſub his tribus comprehendi poſſunt, nempè ſub Arte notoria, Obſervantia eventuum, & Obſervantia ſanitatum. De quibus agendum concluſionibus ſequentibus.

CONCLUSIO II.

De Arte Notoria.

ARs notoria eſt Superſtitio, qua quis ſine ſtudio & per media inutilia expectat ſcientiæ infuſionem, aut acquiſitionem. Hac arte utuntur Anabaptiſtæ, qui hauſto Cœnæ ſuæ poculo, ſtatim Scripturas anteà ignotas legunt, memoriter recitant, imò & illas ſe intelligere exiſtimant, dæmone hæc omnia circà illos ingerente: undè nonnunquam Catholici per exorciſmos ſcientiam illam confuſibiliter ipſis ademerunt, & ad veram Fidem converſi ad primam ignorantiam redeunt.

CONCLUSIO III.

De Obſervantia eventuum.

OBſervantia eventuum eſt, quando quis, ex cujuſdam rei impertinentis occurſu bona vel mala ſibi, aut aliis eventura ominatur; & indè actiones ſuas dirigit obſervans facta, verba, loca, dies, tempora, occurſum hominis, cadaveris, animalis garritum aviculæ &c. Vana hæc Obſervantia ſemper eſt peccatum mortale, niſi excuſet bona fides, inadvertentia, indeliberatio, jocus aut ſimulatio, abſente ſcandalo.

Ratio eſt; quia ſemper continet vel cultum, vel affectum, vel honorem, ex commercio expreſſo, vel tacito Dæmoni exhibitum; undè Facultas Pariſienſis in aliqua celebri cenſura data anno 1638. 19. Septembris: *Intendimus*, inquit, *pactum eſſe implicitum in omni ſuperſtitioſa obſervatione, cujus effectus non debet à Deo, vel à creatura rationabiliter expectari*. Et Nicolaus I. ad conſulta Bulgarorum art. 35. *Diei & Horæ Obſervationes, atque Auguria . . . operationes diaboli ſunt*. Idipſum docuerat Auguſtinus ſerm. 241. de tempore, ubi poſtquàm dixit: *Auguria obſervare nolite, nec in itinere poſiti aliquas aviculas cantantes attendite . . . nullus ex vobis obſervet, qua die de domo exeat, qua die iterum revertatur . . . ridiculoſas ſternutationes conſiderare & obſervare nolite*, addit, ſimilia contemnentes de ſocietate Dæmonis diſcedere; & conſequenter ſupponit prædicta facientes, cum Dæmone ſocietatem habere, adeòque graviter peccare. Hine

Reſ. Nolentem aſſidere menſæ, ubi ſunt 12. ne ſit decimus tertius, ſervantem ova excluſa die Paraſceves ad extinguendum incendium, mutantem locum, aut chartas luſorias ad evitandam malam ludi fortunam, ferentem lignum patibulare ad lucrandum in luſu, jejunantem & communicantem in die S. Stephani ut impetitus, etiam multis ictibus, non moriatur, retrocedentem ob occurſum animalis, cadaveris &c. per ſe loquendo, graviter peccare.

CONCLUSIO IV.

De Obſervantia ſanitatum.

OBſervantia ſanitatum eſt Superſtitio, qua media inutilia adhibentur ad ſanitatem hominum, aut brutorum conſervandam vel recuperandam. In hoc vitium impingunt, qui characteres, ſcripturas, involucra, nomina ignota, & alia hujuſmodi inutilia ferunt, aut applicant ad curam morborum, ad vulnerum ſanitatem, ad dolores mitigandos, ad ſiſtendum ſanguinem, ad ſe vel alios reddendos immunes ab hoſtium læſionibus, caſibus fortuitis &c. ut ſint impenetrabiles telis, enſibus, globis, ut à qualibet infirmitate, aut infortunio ſint liberi &c. Imò & illi qui preces, aut Pſalmorum verſus recitant, vel etiam res ſacras geſtant, V. G. Reliquias Agnos Dei, panem S. Nicolai Tolentini, Euangelium S. Joannis, ſi ab illis ſanitatem aut alium hujuſmodi effectum infallibiliter expectent; quia cùm, præter Sacramenta & Sacramentalia, nihil ſit ex ſacris verbis, aut rebus, quod effectum habeat infallibilem, qui illum expectant, non niſi à Dæmone per tacitam invocationem expectare convincuntur. Aliud eſſet, ſi per illa effectum à Deo cum fiducia, non cum infallibilitate præſtolarentur: tunc enim eſſet res pia, non ſuperſtitioſa.

Hanc Obſervantiam non excuſat à peccato mortali materiæ parvitas; quia ſivè res ſit gravis, ſivè levis, ſemper includit commercium cum Dæmone, perpetuo Dei hoſte: quod maximam infert Deo injuriam. Undè Aug. ſer 215. de temp. poſtquàm de characteribus, herbis, philacteriis &c. diſſeruiſſet, concludit: *Niſi ..... tale ſacrilegium emendaverint, ubi arſurus eſt diabolus, ibi & ipſi damnaadi ſuat* Excuſare tamen poteſt homines & mulierculas ſimplices bona fides, ſicut & alios indeliberatio, aut inadvertentia.

Porrò facilè cognoſci poteſt hæc Obſervantia ſuperſtitioſa ex regulis ſequentibus.

Primam habemus in Conc. Mechlinienſi anno 607. tit. 55. de Superſtit. Cap. 3. ubi dicitur. *Doceant ſuperſtitioſum eſſe expectare effectum à quacumque re, quem res illa nec ex inſtitutione divina, nec ex ordinatione, vel approbatione Eccleſiæ, producere poteſt.*

Secundam adfert D. Franciſcus Saleſius in Inſtruct. Synodalibus p 10 tit. 3. c. 11. n. 3. nempè *quando ponitur omnis efficacia verborum quantùmlibet ſanctorum, in aliqua circumſtantia vana & inutili: ut ſi credatur oportere ad ſanandum infirmmmrecitare 3. Pater & Ave ante ſolis ortum.*

Tertia eſt, ſi ex verbis, aut rebus ſacris quæ non ſunt Sacramenta, aut Sacramentalia, certò & infallibiliter expectetur effectus ſperatus.

Quarta, ſi res ſacræ, puta Reliquiæ, preces &c. adhibeantur ad effectum vanum & ridiculnm.

Adv. tamen, non facilè accuſandas eſſe Superſtitionis familias illas, quæ ſolo tactu medentur certis infirmitatibus, v. g. morſui canis rabidi; licèt ſint anteà ab Ordinariis examinandæ, an ſcilicèt illa operentur ex gratia gratis data, an ex Superſtitione.

QUÆSTIO V.

De peccatis Religionis per defectum oppoſitis.

QUinque præſertim opponuntur Religioni per defectum, Dei Tentatio, Sacrilegium, Simonia, Perjurium & Blaſphemia. Hic de 3. primis agemus, de aliis in ſecundo præcepto.

ARTICULUS I.

Quid Dei Tentatio, quotuplex, quale peccatum, & an aliquando liceat?

CONCLUSIO I.

DEi Tentatio eſt actus Irreligioſitatis, quo quis ſine juſta cauſa aliquid facit, aut dicit ad explorandum aliquam Dei perfectionem.

Dicitur 1. *Actus Irreligioſitatis*; quia manifeſtè injuriam Deo facit, qui relictis mediis ordinariis, inordinatè aliquid à Deo ex-

Digitized by Google

expectat, quod vel facere non poteſt, quia malum; vel, ſi poteſt, non niſi per miraculum.

Dicitur 2. *Quo quis ſine juſta cauſa*, propter rationes poſteà dicendas

Dicitur 3. *Ad explorandum aliquam Dei perfectionem*, quod fieri poteſt dupliciter. 1. Ad videndum an de facto Deus illam habeat. 2. Non dubitando de aliqua ejus perfectione, ſed ad cognoſcendum, an illam ſit oſtenſurus in tali caſu. Primum includit dubitationem de divina perfectione. Secundum præſumptionem.

CONCLUSIO II.

DUplex eſt Dei Tentatio, una expreſſa, altera tacita: expreſſa eſt, vel cùm quis dubitans de aliqua Dei perfectione, v. g. an ſit ſummè verax, petit miraculum, ut illa perfectio ſibi pateſiat v. g. ut ſibi oſtendatur Chriſtum eſſe verè in Euchariſtia, ſicut Deus revelavit: vel cùm non dubitans de aliqua Dei perfectione, vult tamen in ſe, vel in alio illius experimentum videre, ut ſi quis exiſtens ſolus in ſylvis nolit quærere cibaria, ut experiatur, an Deus ſit erga ſe providentiam ſuam oſtenſurus. Primo modo Deum tentaverunt Iſraelitæ, dum quaſi diffidentes de potentia & providentia divina, blaſphemando dixerunt pſal. 77. *Nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto?* Secundo modo Deum tentaret, qui credens Deum eſſe omnipotentem, ſeſe è turri præcipitaret, ut videret, ſi Deus erga ſe Omnipotentiam ſuam manifeſtaret impediendo ejus læſionem & mortem. Tacita eſt, quando quis nec dubitans de aliqua Dei perfectione, nec quærens illius experimentum: id tamen agit, aut petit, quod ſuaptè natura ad Dei tentationem refertur. In hoc crimen impingeret, qui ſine ſtudio vellet Theologiam docere, ſperans ſe à Deo doctrinam ad hoc neceſſariam recepturum. Similiter & periculosè infirmus, qui, ſpretis omnibus mediis, à ſolo Deo ſanitatem expectaret. Item & ille, qui ſe tali periculo exponeret, à quo non niſi per miraculum poſſet liberari. Denique Deum tacitè tentare convincuntur, qui Paganorum more viventes, Chriſtianè tamen mori expectant.

Porrò debet exprimi in Confeſſione, an Dei Tentatio fuerit expreſſa, vel tacita; quandoquidem inter ſe ſpecie differant, & prima quandoque Hæreſim contineat.

CONCLUSIO III.

OMnis Dei Tentatio ſemper eſt peccatum & quidem ex ſuo genere graviſſimum, ſi ſit cum dubio de aliqua Dei perfectione.

Prob. Prima pars ex Script. Deut. 6. *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Prætereà tentans, ſemper irreverenter tractat perſonam, quam tentat.

Prob. Secunda pars; quia per talem Dei tentationem dubitatur, ſaltem implicitè, an Deus ſit Deus: nam cùm ſit omnium perfectionum Pelagus (ut loquitur Damaſcenus) eo ipſo, quo dubitatur, an habeat aliquam perfectionem, v. g. Prudentiam aut Sapientiam dubitatur, an ſit Deus: quod eſt Divinæ Majeſtati ſummè injurioſum; & ideò non poteſt hìc dari materiæ parvitas. Cenſetur autem quis de Perfectione Divina dubitare, quotieſcumque aliquid facit, ut experiatur, an Deus habeat talem vel talem perfectionem; quia nemo quærit experimentum de eo, de quo certus eſt.

Dixi: *Cum dubio de aliqua Dei perfectione*; quia Dei Tentatio excludens omne dubium, & aliundè periculum gravis mali, poteſt eſſe tantùm veniale, ſecluſo ſcandalo & petitione miraculi: quod ultimum addo, quia petere miraculum ad ſatisfaciendum ſuæ curioſitati, eſt valdè indignè de Dei Potentia ſentire.

CONCLUSIO IV.

UBi gravis admodum, aut etiam extrema urget neceſſitas, præſertim publica, non eſt illicitum auxilium aliquod extraordinarium à Deo expectare, aut petere; hinc aliqui Sancti, ut fidem Catholicam adſtruerent, in ignem ſe injecerunt, venenum potarunt &c. confidentes Divinam protectionem ſibi fore propitiam. Secluſa tamen revelatione divina, aut inſtinctu Spiritus S. interno, non eſt hoc facilè practicandum ne fides noſtra Infidelium ludibrio exponatur. Ubi autem ex juſta cauſa tale auxilium exigitur, non eſt propriè Dei Tentatio, cùm nulla Deo fiat irreverentia.

ARTICULUS II.

Quid Sacrilegium, quale peccatum, & quotupliciter contingat?

CONCLUSIO I.

SAcrilegium propriè, eſt rei ſacræ, ſeu cultui divino deputatæ indigna tractatio. Dico *propriè*; quia latiùs ſumi poteſt pro qualibet irreverentia Deo facta.

CONCLUSIO II.

SAcrilegium eſt ex ſuo genere peccatum mortale; & quidem eo gravius, quo res violata magis eſt ſacra, ſeu majorem habet ſanctitatem; & ideò graviùs peccat indignè tractans perſonam ſacram, quàm locum ſacrum, & ſic de aliis cum proportione.

Prob. Prima pars; quia Sacrilegium, juxta D. Hieronymum in Comment. in Epiſt. ad Rom. cap. 2. *propriè in Deum committitur*; & ideò gravem continet deformitatem. Non dubitamus tamen, quin poſſit eſſe veniale ratione parvitatis materiæ; ut ſi quis in templo leviter confabuletur, rem levem furetur &c. Et ideò dixi: *ex genere ſuo*.

Prob. Secunda pars; ideò Sacrilegium peccatum eſt: quia violatur res ſacra: ergo ubi res violata magis eſt ſacra, majus eſt peccatum.

CONCLUSIO III.

SIcut triplicis generis ſunt res ſacræ, ità tripliciter contingere poteſt Sacrilegium: nempè ratione perſonæ, loci, & rei. Primum dicitur *Perſonale*, ſecundum *Locale*, tertium *Reale*; conſtituuntque diverſas inter ſe ſpecies, ut magis patebit ex dicendis.

Sacrilegium Perſonale, eſt violatio ſeu læſio reverentiæ aut immunitatis Clerico, aut Religioſo ſive profeſſo, ſive novitio debitæ. Hujus criminis ſunt Rei, qui in Clericos, aut Religioſos (quo nomine veniunt & Moniales) manus violentas injiciunt, occidendo, lædendo, percutiendo, aut alia gravi injuria afficiendo; quia eoſdem ad tribunal ſæculare pertrahunt, aut eis injuſtè vectigalia imponunt, ſicut & illi, qui in perſonam Deo ſacratam actum luxuriæ exercent. De hoc plura in 6. præcepto.

Sacrilegium locale, eſt violatio loci ſacri, ſed ad uſum pium publicè deſtinati. Nomine *Loci ſacri* intelligitur Eccleſia, ſacellum, altare, & quicumque locus ad Miſſam, aut Officium Divinum peragendum publica authoritate deputatus, ſive interim ſit conſecratus, aut benedictus, ſive non. Dico: *Publica authoritate deputatus*, ut excludantur Eremitoria, & Oratoria privata, licèt in eis Miſſæ celebratio permittatur, ſi non ſint conſecrata aut benedicta, quibus ideò privilegium Immunitatis Eccleſiaſticæ non conceditur.

Poteſt autem violari locus ſacer tribus modis: primo per actionem ipſum polluentem, ut eſt homicidium culpabile, injurioſa ſanguinis effuſio, quæ pertingat ad mortale, ſepultura excommunicati vitandi, ſicut & non baptizati, voluntaria ſeminis effuſio &c.

Circa quæ Adv. 1. quod licèt ad loci ſacri pollutionem non ſufficiat inflictio vulneris extrà locum ſacrum, etſi fiat effuſio ſanguinis intra; ſufficiat tamen inflictio vulneris intra, quamquam effuſio fiat extra. 2. quòd Per *non baptizatum* non intelligatur Cathecumenus, qui præſumitur mortuus cum Baptiſmo Flaminis, ſicut nec proles non nata cum matre defuncta; quia cenſetur pars illius. 3. Quòd conjuges in loco ſacro aliquamdiu manere coacti non polluant illum, ſi ad actum conjugalem neceſſitentur, peccatum vitaturi; aliàs violant.

Secundo modo violatur Eccleſia per actum profanum ſpecialiter ibi prohibitum, ut ſunt ſtrepitus forenſis, mercatura, convivium, confabulationes, colloquia vana & fœda, furtum rei, ſive ſacræ, ſive non; ſive ibi ſub cuſtodia poſitæ, ſive non; ut habet communior & probabilior ſententia; & certe non tantùm prohibetur in Jure auferri ſacrum de ſacro, & ſacrum de non ſacro, ſed etiam non ſacrum de ſacro, nihil ſpecificando, an illud *non ſacrum* pertineat ad Eccleſiam, an ſit ſub cuſtodia Eccleſiæ, an autem ſit ibi fortuitò.

Tertio modo violatur locus ſacer per illius effractionem aut ſpoliationem. Effringens autem ſimul & ſpolians Eccleſiam, incurrit ipſo facto Excommunicationem, quam non incurrit tantùm effringens, aut tantùm ſpolians. Item violatur locus ſacer; (ſub quo comprehenditur hìc Monaſterium, Xenodochium, ſaltem authoritate Epiſcopi erectum, ſicut & loca Ec-

cleſiæ

Digitized by Google

eleſiæ adjacentia, ut ſunt campanile, ſacriſtia &c. quæ tamen non comprehenduntur in odioſis) per extractionem fraudulentam, aut violentam perſonæ ibidem aſilum habentis, niſi per Conſtitut. Greg. XIV *Cum alias nonnulli*. apud Cherub. Tom. a. prohibeantur frui Eccleſiaſtica immunitate, qualiter prohibentur.

1. Rei læſæ Maieſtatis, modò tamen & ipſemet Princeps ſupremus lædatur, & à proprio ſubdito.

2. Heretici: ipſiſque auxilium, aut refugium præbentes, qui tamen gaudent immunitate in criminibus non exceptis.

3. Homicidæ proditores, id eſt, qui, nulla præhabita rixa, aut inimicitia, vel certè jam extincta, hominem nihil minùs cogitantem interficiunt: undè ſi quis inimicum à tergo, aut dormientem occideret, non eſſet ſtrictè proditor, cùm aliter potuiſſet mortem præcavere.

4. Qui die vel nocte agros alienos depopulantur, ſegetes aut vineas vaſtando.

5. Latrones publici, id eſt, qui prædantur in viis publicis, imò & privatis, juxta Suarez.

6. Aſſaſſini id eſt, qui, pacto hominem incautum interficiunt ex mandato alterius, qui & ipſe privatur immunitate.

7. Mutilantes, vel Occidentes in Eccleſia aut cœmeterio licèt vulneratus extrà moriatur. Idem eſt ſi exiſtentes extrà locum ſacrum, in loco ſacro aliquem occidant, aut mutilent; non tamen ſi ex loco ſacro interficiant, aut mutilent exiſtentem in loco profano.

Sacrilegium Reale variè committitur, pro varietate rerum ſacrarum. 1 Sacramenta indignè recipiendo, miniſtrando, illis utendo, ſicut & conculcando, irridendo &c.

2. Sacram ſcripturam, Eccleſiæ cæremonias, Hymnos, Proſas &c. ad laſcivias, facetias, ſuperſtitiones, hæreſes ſtabiliendas &c. adhibendo.

3. Sanctas imagines, Reliquias ſanctorum, vaſa & ornamenta ſacra indecorè tractando, ſpernendo, projiciendo, profanando &c.

4. Bona Eccleſiæ temporalia in Miniſtrorum ſuſtentationem, aut ipſius Eccleſiæ ſervitium deputata retinendo, furando, deſtruendo &c. ſed quid de bonis per teſtamentum Eccleſiæ relictis? Quamdiu Eccleſia needum illa poſſidet, injuſtitiam quidem committit illa retinens, non tamen ſacrilegium; quia ante poſſeſſionem non cenſentur adhuc ſacra. Item, propter eamdem rationem, nec propriè ſacrilegii reus eſt non ſolvens Decimas, licèt ultra injuſtitiam pejus quoddam crimen committat, nempè irreligioſitatem, ſeu irreverentiam immediatè in Deum; quandoquidem Decimarum ſolutio in recognitionem ſupremi Dei dominii ſit ordinata.

Petes an violatio voti ſit ſacrilegium?

R. Affir. in materia contra caſtitatem; quia per illud votum cenſetur quis ſpecialiter ſeipſum Deo conſecrare. In aliis autem materiis volunt aliqui potiùs eſſe peccatum contra fidelitatem, quàm ſacrilegium; quandoquidem nihil ſacrum violetur ut patet in eo, qui omittit jejunium, diſciplinam, Roſarium &c. ad quæ tenetur ex voto. Nihilominùs etiam dici poteſt ſacrilegium; cùm ſit violatio promiſſionis Deo quaſi ſacratæ.

ARTICULUS III.

De Simonia.

Simonia à Simone Mago dicta eſt, non quia illius criminis author fuit, cùm plurimi fuerint in veteri Teſtamento illa peſte infecti, ſed quia primus in Lege nova, ut dicitur Actor. 8. dona Spiritus S. imò Spiritum S. emere voluit, ut illum venderet, quæſtumque indè accipere poſſet. Undè Aug. tract. 10. in Jo. *Ideò volebat emere Spiritum S. quia vendere volebat Spiritum S.* De ſimonia plurima occurrunt dicenda; & ideò hunc articulum in varios paragraphos dividemus.

PARAGRAPHUS I.

Quid Simonia, & quale peccatum?

Simonia, juxtà D. Th. eſt ſacrilegium conſiſtens in ſtudioſa voluntate emendi, aut vendendi rem ſpiritualem, aut ſpirituali annexam pro temporali, ut pretio.

Dicitur 1. *Sacrilegium*, quod eſt genus cujuslibet indignè tractationis rerum ſacrarum.

Dicitur 2. *Conſiſtens in ſtudioſa voluntate*, ut intelligatur eſſe ad actum voluntatis deliberatum, & non ſubreptitium, ſeu procedentem ex ignorantia, aut inadvertentia inculpabili. Item, ut excludatur promiſſio ficta, qua quis ſimulatoriè tantum pollicetur temporale pro ſpirituali, aut è contrà; quia licèt exteriùs opus ſimoniacum committat, alterumque ad ſimoniam inducat: defectu tamen voluntatis, ſimoniam in rigore non contrahit.

Dicitur 3. *Emendi aut vendendi*, quibus comprehenduntur omnes contractus oneroſi: ut ſunt emptio, venditio, tranſactio, locatio, permutatio &c. ſivè interim ſint expreſſi, ſivè taciti, & ideò illo crimine inficitur Clericus, qui gratis inſervit Epiſcopo, ut illum obliget ad beneficium ſibi, aut alteri conferendum; ſicut & Prælatus quando nullum aut non niſi inſufficiens præbet ſtipendium ſibi famulanti, inſinuans, ubi beneficia vacabunt, non forè ipſi ingratum, quia in utroque caſu tacitè & virtualiter intercedit contractus oneroſus.

Dicitur 4. *Rem ſpiritualem*, & triplex aſſignari ſolet, ſpiritualis ſecundùm ſubſtantiam, ut virtutes Theologicæ, virtutes infuſæ, dona Spiritus ſancti, gratiæ gratis datæ, gratia actualis, & habitualis: alia ſpiritualis cauſativè, ut Sacramenta, & Sacramentalia; ſicut & pia exhortatio, quæ ex ſe diſponit ad gratiam: alia ſpiritualis affectivè, ut actua juriſdictionis ſpiritualis, qualis eſt Abſolutio, Diſpenſatio, Excommunicatio, Benedictio, Conſecratio, Electio, Confirmatio &c.

Dicitur 5. *Vel ſpirituali annexam*, idque vel antecedenter, ut Jus Patronatus quod præſupponitus præſentationi ad Beneficium; vel concomitanter, ut labor in adminiſtrandis Sacramentis; vel conſequenter: ut Jus ad proventus Eccleſiaſticos, quod præſupponit officium ſpirituale, vel propriè dictum, ut eſt officium Canonici, Capellani &c. vel impropriè dictum, ut eſt officium Sacriſtæ, aut Œconomi Eccleſiæ.

Dicitur 6. *Pro temporali*, quia ſi ſpirituale pro ſpirituali commutaveris, v.g. Calicem conſecratum pro altero conſecrato, veſtem ſacram pro veſte ſacra, Reliquiam pro Reliquia; ſi hodiè excipias Confeſſiones in altera Parochia ut alter alio die excipiat in tua per ſe loquendo, ſimoniam non committis dixi *Per ſe loquendo*; quia prohibetur jure Eccleſiaſtico Beneficiorum permutatio, ut dicetur poſteà.

Dicitur deniquè: *ut pretio*; quia ſi detur alio titulo, v.g. per modum ſtipendii, aut ſuſtentationis Miniſtri ſpiritualia impertinentis, non eſt ſimonia.

Porrò triplex hic pretium aſſignatur à D. Thoma, & aliis Doctoribus, nempè Munus à manu, Munus ab obſequio, Munus à lingua, circà quæ cùm variæ occurrant difficultates, ſingula proponemus per modum tituli.

MUNUS A MANU.

Munus à manu eſt pecunia, ſivè data, ſivè promiſſa, & quælibet alia res temporalis pretio æſtimabilis, ſive mobilis, ſive immobilis, ſicut & ſolutionis dilatio, aut debiti remiſſio. Hinc

Reſol. 1. Simoniacum eſſe Prælatum, qui alteri Beneficium confert, ut Beneficiatus alat ejus parentes, eorum officinas frequentet, eis pecuniam mutuò tradat domum gratis, aut minori pretio elocet, ut cedat teſtamento favorabili, ut litem juſtè intentatam extinguat, ut debita remittat, vel certè eorum ſolutionem non tàm citò exigat, ut amici aut conſanguinei Decimas, vel alia jura non ſolvant; quia illa omnia ſunt pretio æſtimabilia, continentutque ſub munere à manu.

Dices: Dare pecuniam mutuò non eſt pretio æſtimabile, cùm propter illud non liceat pretium, aut lucrum exigere; ergo conferre Beneficium ſub onere mutuandi non eſt ſimonia.

R. Licèt mutuatio non ſit pretio æſtimabilis, obligationem tamen mutuandi, cùm ſit quoddam onus, eſſe pretio æſtimabilem; & ideò illam pro ſpirituali in pactum formale, aut virtuale deducere, eſt ſimonia.

R. 2. Simoniam incurrere illum, qui beneficiatum obligat, ut ſibi, aut alteri partem penſionis tribuat.

Reſ. 3. Non eſſe ſimoniam conferre beneficium titulo conſanguineitatis aut affinitatis, cùm ibi nullum interveniat pactum: & aliundè parentela non ſit ibi pretio æſtimabilis. Peccat tamen contra Juſtitiam diſtributivam beneficii collator, ſi parentes extraneis dignioribus præponat.

Reſ. 4. Simoniæ reum eſſe illum, qui pro beneficio pecuniam promittit, licèt non intendat ſolvere, quia ſemper verum eſt dicere, quòd per pecuniam beneficium ſibi comparaverit. Prętereà tunc pecunia eſt verè promiſſa, adeòque in pactum deducta; quandoquidem intentio non ſolvendi non deſtruat promiſſionem anteriorem. Aliud eſſet, ſi fictè promitteret; quia licèt tunc committeret Simoniam externam, mendacium pernicioſum & ſcandalum, alliciendo alterum ad Simoniam; ac omnes pœnas Simoniacis impoſitas in foro externo incurreret, non eſſet tamen ſtrictè Simoniacus, defectu pacti expliciti, aut impliciti.

MUNUS AB OBSEQUIO.

MUnus ab obſequio, eſt quodlibet opus hominis in alterius utilitatem, aut commoditatem præſtitum, vel præſtandum, ut ſervitium, aſſiſtentia, defenſio, inſtructio cauſæ, promotio &c. Hinc

Reſol. 1. Simoniæ reum eſſe Epiſcopum, qui Vicario, Viſitatori, Sacellano &c. loco ſalarii annuatim debiti, confert Canonicatum.

Reſol. 2. Simoniacum eſſe conferentem Beneficium ea conditione, ut Beneficiatus Juventutem doceat Grammaticam, Philoſophiam, aut Theologiam, niſi certè illud onus eſſet Beneficio annexum: tunc enim non exigeretur aliquid indebitum.

MUNUS A LINGUA.

PEr Munus à lingua intelliguntur preces, ſupplicationes, laudes, adulationes, interceſſiones. Hinc

Reſol. 1. Simoniæ labem incurrere illum, qui alteri Beneficium confert, ut beneficiatus ipſum apud Regem verè vel fictè laudet, vel pro ipſo intercedat; ut ipſum magnæ ſcientiæ, magnæ prudentiæ, aut magnæ nobilitatis apud plebem proclamet &c.

Reſol. 2. In idem peccatum impingere Collatorem Beneficii, qui dicit poſtulanti: nolo tibi hoc beneficium concedere, niſi pro te roget talis perſona, quam Collator per hoc intendit obligare, aut ſibi amicam reddere.

Reſol. 3. Etiam Simoniacum eſſe Clericum, ſi familiaribus Epiſcopi pecuniam præbeat, ut pro ſe apud ipſum orent, aut intercedant in ordine ad beneficium obtinendum: aliud eſſet, ſi per pecuniam tantùm ſibi procuraret aditum, aut facilem ingreſſum ad Epiſcopum. Imò Simoniæ non eſſet accuſandus ignotus aliquis, qui alteri pecuniam præberet, præcisè, ut ipſius ſcientiam & merita declararet Epiſcopo, à quo beneficium Parochiale eſſet conferendum. Hæc tamen via non eſt in praxi conſulenda, niſi certè quis nullam aliam haberet ſeipſum Epiſcopo manifeſtandi.

Dices 1. Non licèt dare pecuniam alteri, ut intercedat pro obtinendo Beneficio: ergo nec ut declaret merita poſtulantis.

R. Diſparitatem eſſe, quòd datio pecuniæ in primo caſu habeat pro fine principali & objecto directo petitionem Beneficii, adeòque & ipſum Beneficium, in ſecundo autem declarationem ſufficientiæ & meritorum, licèt adſit ſpes aliqua Beneficii obtinendi, ſi nempè inter poſtulantes dignior reperiatur, in quo nihil apparet inordinatum.

Reſol. 4. A Simonia eſſe immunem illum, qui orat & intercedit apud Collatorem Beneficii, ut ſibi, aut alteri beneficium conferat. Imò idem eſt, ſi, nullo interveniente pacto, nulloque dato, aut promiſſo munere, alium inducat, ut pro ſe vel amico apud Prælatum intercedat; quia nihil ibi vel minimam Simoniæ apparentiam redolet, quidquid dicat Natalis Alexander.

CONCLUSIO II.

SImonia eſt genere ſuo peccatum valdè grave; imò nunquam eſt veniale ex parvitate materiæ.

Prob. prima pars; tum ex Script. Actor. 8. ubi dixit Petrus Simoni Mago pro re ſpirituali pecuniam offerenti. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem*. Tum ex Jure Canonico 1. *q. cap.* 7. ubi dicitur *flagitium execrabile*, & paſſim reperiuntur ſimilia in Canonibus, Conciliis, Patribus &c. Tum Ratione; quia res ſacra valdè deprimitur, ac vilipenditur, dum rebus vilibus temporaneis æquiparatur, emitur, venditur &c. Tum denique, quia magnum evenit Eccleſiæ detrimentum, dum propter Avaritiam Beneficia conferentium, & Ambitionem poſtulantium Miniſtri eliguntur indigni.

Prob. Secunda pars; vel enim levitas materiæ petitur ex parte pretii, & tunc quò vilius eſt pretium, eò magis vilipenditur res ſpiritualis: vel petitur ex parte rei ſacræ ſeu ſpiritualis: ſed quantumvis ſit modica, equidem verè ſpiritualis eſt, ſortiturque totam rationem rei ſacræ; & ideò cùm ſit altioris ordinis, non poteſt ſine gravi injuria tum ſpiritualitatis, tum ipſius Dei, profanis contractibus ſubjici. Hinc peccant graviter, qui Agnos Dei, Scapularia, Chordas, Panem, & alia ejuſmodi benedicta cariùs vendunt propter Benedictionem.

Dices in violatione voti admittitur materiæ parvitas: ergo & hic; cùm utrumque opponatur eidem virtuti, nempè Religioni.

R. Diſparitatem eſſe, quòd in ſecundo directè & per ſe violetur res Divina & ſacra, non ſic in 1.

PARAGRAPHUS II.

Quotuplex Simonia?

CONCLUSIO I.

CElebris eſt Simoniæ diviſio in eam, quæ eſt Juris Divini ſeu naturalis, & in eam, quæ eſt Juris Humani ſeu Eccleſiaſtici. Prima, quæ prohibetur, quia mala, committitur in emptione, aut venditione rerum ſacrarum, aut ſacris annexarum, ut dictum eſt in definitione Simoniæ. Nihil contrà illam valet aut contraria conſuetudo, aut ſummi Pontificis diſpenſatio. Secunda, quæ mala eſt, quia prohibita, incurritur in emptione, aut venditione certorum officiorum, quæ nihil ſpirituale, aut ſpirituali annexum habent; ſed tantùm ad temporalem Eccleſiæ adminiſtrationem ſunt inſtituta, ut ſunt officia Sacriſtæ, Theſaurarii, Œconomi rerum Epiſcopi, Advocati Eccleſiæ ſpecialiter & ex officio ad hoc deputati quorum venditio ut Simoniaca prohibetur in Conc. Chalced. & cap. 8. 1. q. 3. Item committit hanc Simoniam, qui abſque ſuperioris authoritate permutat beneficium cum beneficio; quia licèt illa permutatio non ſit ex ſe mala, cùm non detur ſpirituale pro temporali, aut è contrà; juſtiſſimè tamen ab Eccleſia prohibetur propter abuſus.

Dices 1. Contrà illam diviſionem res, quam vendi prohibet Eccleſia, vel eſt ſacra, aut ſacris annexa, vel non: ſi primum, ejus venditio eſt Simonica Jure naturali: ſi ſecundum, nullo modo eſt Simoniaca; quandoquidem Eccleſiæ prohibitio non faciat, ut res, quæ non eſt ſacra, fiat ſacra.

R. Rem illam non eſſe ſacram, nec talem intrinſecè conſtitui per Eccleſiæ prohibitionem; cùm illa prohibitio non poſſit rerum eſſentias mutare; attamen pro ut ſubſtat Eccleſiæ præcepto, quæ illam vendi prohibet ex motivo Religionis, eſt aliquo modo ſacra, & ut talis tractari debet à fidelibus: & hoc evidentiſſimè patet ex eo, quòd vendens, aut emens officium Sacriſtæ v. g. non ſatisfacit, etiam ſecundùm Adverſarios, dicendo in Confeſſione *Egi ſemel contra præceptum Eccleſiæ*; ſed debeat materiam ſpecificare, quòd ſignum eſt illam, ratione præcepti Eccleſiæ, ad virtutem ſpecialem, nempè Religionem pertinere.

Porrò poſſe Eccleſiam præcipiendo, aut prohibendo, rem de ſe indifferentem intra virtutem, ſpecialem conſtituere, patet in abſtinentia à carnibus, quæ certis diebus, ratione præcepti Eccleſiaſtici, pertinet ad Temperantiam.

Dices 2. ſicut prohibet Eccleſia vendi officium Sacriſtæ, ità prohibet vendi bona Eccleſiæ temporalia, puta domos, agros &c. atqui horum venditio non eſt Simoniaca: ergo nec illa.

R. Utramque venditionem eſſe ab Eccleſia prohibitam, ſed ſub diverſis motivis; primam quidem ex motivo Religionis propter majorem reverentiam rerum ad loca ſacra pertinentium: ſecundam verò ex motivo providentiæ ſpecialis, ne Eccleſiæ bona deteriorentur &c. & ideò prima Simoniaca eſt, non ſecunda.

CONCLUSIO II.

DIviditur ulteriùs Simonia tam Juris Divini, quàm Eccleſiaſtici in Mentalem, Conventionalem, & Realem.

Mentalis eſt duplex, una ſumitur pro nuda voluntate committendi Simoniam, v. g. emendi Beneficium, abſque eo quòd exteriùs aliquid fiat, ſicut deſiderium fornicationis dicitur fornicatio mentalis: alia conſiſtit in actione externa facta ex intentione Simoniaca, licèt ex ſe, aut ex circumſtantiis Simoniam nullo modo præferat, ut ſi quis equum Epiſcopo offerat, exteriùs quidem ex amicitia; interiùs tamen ex intentione obtinendi pro ſe, aut pro alio Beneficium. Similiter ſi Prælatus exteriùs alicui omninò gratis beneficium conferat, intendens interiùs beneficiatum obligare, ut agat partes Secretarii, Sacellani &c.

Conventionalis ſuprà Mentalem, addit conventionem externam, ſive expreſſam, ſive tacitam dandi ſpirituale pro temporali, aut è contrà, abſque tamen executione, ſaltem utrimque facta. Undè committitur illa Simonia non tantùm quando, collato beneficio, non eſt ſolutum pretium, aut quando, ſoluto pretio, non eſt collatum beneficium; ſed etiam quando neutrum datum eſt, ſi de dando pactum præceſſerit.

Realis, ultrà Mentalem & Conventionalem, importat executionem utrinque factam, ideſt, traditionem tum pretii

ex parte ementis, tum rei ſpiritualis ex parte vendentis; ſufficit tamen ad completam Simoniæ Realis rationem, ſi utrimque aliquid ſit traditum, licèt non totum. Addunt aliquid Simoniam *confidentialem*, ut cùm quis dat alteri beneficium, ut illud ſibi, aut alteri poſteà reſignet; aut certè partem fructuum; ſed hæc non conſtituit ſpeciem diverſam ab aliis: vel enim beneficium conferens, tantùm mente intendit alium obligare, & eſt ſimonia Mentalis; vel illud onus in pactum deducitur, & eſt Conventionalis, vel pactum utrimque completur, atque Realis.

PARAGRAPHUS III.

An tradens temporale ex motivo obtinendi ſpirituale, aut è contra Simoniam committat, ſi nulla interveniat obligatio?

SEnſus quæſtionis eſt, an, quando quis, nullo interveniente pacto explicito, aut implicito, tradit aliquid alteri pretio æſtimabile, ſive ſit Munus à manu, ſivè à lingua, ſivè ab obſequio, eo animo & fine, ut alter ſibi ſpirituale conferat, v.g. beneficium; ità, ut ſi ſciret illud ſibi non eſſe conferendum, temporale non offerret, Simoniam incurrat? Idem eſt de eo, qui confert beneficium, aut aliud ſpirituale ex motivo obtinendi temporale.

Ratio dubitandi eſt: primo. Quia S. Tho. requirit, ad Simoniam, emptionem, aut venditionem, quarum neutra ſubſiſtere poteſt ſine pacto, ſecundo. Quia vult, ut temporale detur tanquàm pretium, quod non accidit, ubi gratis datur. Nihilominùs ſit

CONCLUSIO UNICA.

QUando quis ità dat alteri temporale, ut illud non eſſet daturus, niſi ab eo ſpirituale recepturum crederet, aut è contrà, verè Simoniacus eſt, licèt nulla adſit conventio, aut animus alium obligandi. Eſt contrà varios Caſuiſtas quorum opinio non videtur ampliùs probabilis poſt condemnationem hujus propoſitionis ab Innoc. XI. *Dare temporale pro ſpirituali, non eſt Simonia; quando temporale non datur tanquàm pretium, ſed duntaxat tanquàm motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale.*

Prob. 1. Ex variis Eccleſiæ decretis, quibus declaratur Simoniacos eſſe illos, qui quavis ratione præbent temporale, ut accipiant ſpirituale, & è contrà: *Siquis Epiſcoporum*, inquit Conc. Toloſanum 1056. *accepta quocumque modo pecunia, ordinaverit Epiſcopum, Abbatem, Presbyterum, ipſe gradus ſui ſubjaceat periculo.* Item Conc. Toletan. VIII. *Si quis pro obtinenda dignitate ſacerdotii quodlibet præmium devotus fuerit obtuliſſe, ex eodem tempore anathematis ſe noverit opprobrio condemnatum.* Ubi nulla ſit mentio pacti, aut pretii. Conſtat etiam ex c. 34. de Simon. ubi Pontifex aſſerit eum (qui cedebat ſua bona Eccleſiæ rogans admitti ut Canonicus) & Canonicos illum admittentes fore apud diſtrictum Judicem culpabiles, ſi ille non fuiſſet bona daturus, niſi Canonicatum ſperaſſet; hi verò non fuiſſent eum admiſſuri, niſi commoda temporalia perciperent.

Prob. 2. authoritate Facultatum Pariſienſis & Lovanienſis quæ 20. vel 22. annis ante condemnationem Innoc. XI. præfatam propoſitionem tanquàm peſtiferam proſcripſerunt: quod & fecit Clerus Gallicanus anno 1700. imò de ea dixit Archiepiſcopus Senonenſis in quadam cenſura: *Ad implendam lupis Eccleſiam & corrumpendam ejus in fonte ſanctitatem inventa eſt.*

Prob. 3. quia qui dando pecuniam intendit principaliter Beneficium, intendit virtualiter ut pecunia ſit pretium Beneficii; ſed in hoc conſiſtit malitia Simoniæ; ut patet ex dictis: ergo. Prob. ma. nam cùm non intercedat aliud principaliter intentum, quo mediante beneficium obtineat, immediatè vult pecuniam commenſurare beneficio, ad quod aſpirat, & ſic illam dare in pretium iſtius.

Prob. 4. eadem eſt ratio Simoniæ, ac uſuræ; atqui ità mutuans pecuniam, ut illam non daret, niſi aliquid ultrà ſortem ſperaret, committit uſuram: ergo ſimiliter in noſtro caſu Major certa eſt. Prob. Min. ex cap. 10. de uſuris, ubi dicitur, quòd *in judicio animarum quaſi uſurarius debeat judicari, qui non aliàs mutuo traditurus, eo propoſito mutuam pecuniam credit, ut (licèt omni conventione ceſſante) plus tamen ſorte recipiat.*

Probatur 5. quia in eo conſiſtit deformitas ſimoniæ, quòd res ſacra contrà reverentiam ipſi debitam, ordinetur ad lucrum & quæſtum temporalem, ſed ubi quis dat ſpirituale, illud non daturus, ſi temporale non expectare, de facto rem ſacram ordinat ad lucrum temporale; ergo &c.

Præterea non eſt veroſimile, famoſos in ſcriptura Simoniacos, Balaam, Gieſi, & Simonem Magum aliter temporale obtuliſſe, aut recepiſſe, quàm ut erat motivum, aut finis recipiendi, aut offerendi ſpirituale; quandoquidem in Scriptura nulla fiat mentio pacti, aut pretii. Denique ſi hoc eſſet, ſoli homines plumbei Simoniam incurrerant; quandoquidem nihil ſit faciliùs, quàm munus aliquod offerendo, illud per modum motivi, non pretii, tradere; & interim ab omni ſpecie conventionis abſtinere.

Ad primam rationem dubitandi ex S. Thom. initio quæſtionis allatam dico, ipſum loqui de venditione, & emptione largè ſumpta, prout includit donationem alicujus temporalis factam ex motivo & fine principali obtinendi ſpirituale, & è contrà, ſivè interim pactum interveniat, ſivè non: undè 4. diſt. 25. qu. 3. Art. 3. ſimpliciter aſſerit: *Quicumque pro aliquo temporali commodo dat aliquod ſpirituale, vel annexum, Simoniam committit*, nullo modo diſcernens, an temporale detur tanquàm pretium, an tanquàm motivum, ſeu incitamentum. Præterea. Quodlib. 8. art. 11. dicit expreſsè Canonicum euntem ad Eccleſiam, ut diſtributiones recipiat quaſi finem ſui operis principaliter intentum, ſimoniam committere; atqui certum eſt ibi nec pactum, nec pretium ſtrictè ſumptum intervenire: ergo &c.

Ad ſecundam dico per *pretium* intelligere id, quod principaliter intenditur in traditione, ut fit cùm datur ſpirituale ex motivo obtinendi temporale: undè D. Angelicus loco immediatè citato ſatis oſtendit pecuniam principaliter intentam habere locum pretii, etſi nulla interveniat conventio. Quando autem 2. 2. q. 100. art 3. ad 4. aſſerit. *Licitum eſſe aliquem provocare ad devotionem Monaſterii per temporalia Beneficia ut ex hoc inclinetur ad Monaſterii ingreſſum*, non vult quòd per munera illa intendatur principaliter ingreſſus Monaſterii, ſed devotio, affectus, bona æſtimatio erga Monaſterium; licèt indè Juvenes ſumant quandoque occaſionem Monaſterium ingrediendi.

Dices 1. contrà concl. Licèt pauperi dare eleemoſynam, ut pro nobis oret; quia nulla interventio: ergo ſimiliter in noſtro caſu dare temporale pro ſpirituali.

R. Diſt. Ant. Licèt dare pauperi &c. ſi per dationem eleemoſynæ intendat quis principaliter orationem, ſicut non daret, niſi preces expectaret N. ſi per donationem intendat primariò ſublevare pauperis miſeriam, & tantùm ſecundariò orationum ſuffragia, & quidem ex Charitate, C. ſimiliter licitum eſt dare Collatori beneficii temporale titulo Charitatis, parentelæ, gratitudinis, amicitiæ, modò donans ſit ità in animo diſpoſitus, ut etiamſi beneficium non expectaret, illud equidem eſſet daturus.

Dices 2. Alex. III. cap. 18. de ſimonia dicit, Eccleſiam Romanam non ſolere interpretari dantem, aut accipientem delinquere, quando Ordinatori, aut Conſecratori dantur parva munera, puta vinum, fructus, prandium &c. ergo ſaltem ubi dona ſunt modica, licet dare temporale ex motivo obtinendi ſpirituale, ſi non adſit pactum.

R. Pontificem ſic loqui; quia ſupponit illa ex gratitudine, aut benevolentia dari & accipi, eò quòd munuſcula, ut ait, accipientis animum allicere, vel pervertere non ſoleant, & ideò neganda eſt conſ. Fatendum tamen & hæc munuſcula eſſe reſpectu aliquorum periculoſa. Ex dictis

Reſol. 1. Simoniacum eſſe inſervientem gratis, aut ſine juſto ſtipendio, ſi id faciat ex motivo beneficii obtinendi, etſi non intendat Collatorem obligare. Imò ejuſdem criminis reus eſt accipiens juſtum ſtipendium, ſi ex dicto motivo accuratiùs inſerviat. Aliud eſſet, ſi id faceret præcisè ad captandam Prælati benevolentiam, vel ad declarandam ſuam capacitatem. Interim ſtrictè judicet unuſquiſque ſuam intentionem; ne cordium Scrutatorem reperiat aliquando ſeverum Judicem.

Reſol. 2. Apertam eſſe Simoniam ſi quis dicat: *Do tibi liberaliter hoc Beneficium, ea lege, ut liberaliter tale munus, vel obſequium mihi etiam reddas*: quia licèt ſupponeretur nullum ibi intervenire pactum obligans, clarum eſt ibi per Collationem beneficii principaliter intendi temporale: undè mirum eſt Caſuiſtas aliquos ejuſmodi pallio ſimoniam tàm evidentem voluiſſe cooperire.

PARA-

Digitized by Google

PARAGRAPHUS IV.

An nunquam liceat pro re ſpirituali aliquid accipere aut exigere?

CONCLUSIO I.

NUnquàm licitum eſt aliquid accipere aut exigere tamquàm pretium, motivum, aut debitum, pro re ſpirituali. Patet ex dictis; imò nequidem tanquàm compenſationem; quia tunc temporale ponitur quaſi menſura adæquans ſpirituale: ſpirituale autem, nunquàm poteſt temporali commenſurari, ſine magna Dei injuria: undè ſententiam oppoſitam proſcripſit Innoc. XI. Anno 1679. ſecunda Martii.

Dixi: *Nunquàm licitum eſt*, adeòque nec in extrema neceſſitate; & ideò Sacerdoti nolenti in neceſſitate baptiſmum, Viaticum, aut Extremam unctionem conferre, Simoniacum eſt pecuniam præbere pro Sacramenti adminiſtratione; quia, cùm venditio Sacramenti ſit Simonia Juris naturalis, adeòque intrinſecè mala, nulla neceſſitate poteſt cohoneſtari. Ità expreſsè Scotus 4. diſt. 5. q. 2. ubi in fine ait, quòd habens parvulum in tali caſu debeat ipſemet illum baptizare, ſi non ſit mancus aut mutus; aliàs ſi non poſſit, niſi Sacramentum emendo, baptizari, debet ſine baptiſmo dimitti; quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona; licitum eſt tamen in illo caſu dare aliquid Miniſtro ad redimendam vexam, ſeu, ut mutet pravam voluntatem non baptizandi, & moveatur ad ſui muneris executionem; quia tunc non datur temporale pro ſpirituali, ſed ut tollantur obices, ſeu injuſta ſacerdotis voluntas. Et certè ſi licet minis & precibus animum proximi movere, ut affectum inordinatum odii, iræ, aut avaritiæ deponat, ut ait Maſtrius: quidni & muneribus miniſtrum allicere, ut à voluntate non obeundi munus ſuum deſiſtat? Quod ſi tamen recuſet ſacerdos baptizare niſi temporale tanquam pretium Sacramenti dederis, potiùs eſt ſine Baptiſmo moriendum, quam ei obtemperandum.

CONCLUSIO II.

LIcitè quis accipit beneficium ſibi collatum intuitu operum ſpiritualium, quæ Eccleſiæ reddidit, v.g. concionando, catechizando, Confeſſiones audiendo, &c. modò tamen illa non præſtiterit ex motivo beneficii obtinendi.

Ratio eſt; quia Epiſcopus non tantùm poteſt, ſed etiam tenetur illi beneficium conferre, ſaltem ſi ſit dignior; ergo licitè poteſt accipere: undè Can. *Eccleſiaſticis* 12. qu. 2. dicitur *Eccleſiaſticis utilitatibus deſudantes, Eccleſiaſtica dignum eſt remuneratione gaudere*.

Dixi: *Modò tamen illa non præſtiterit ex motivo Beneficii obtinendi*; quia ſi juxta D. Thomam, Simoniacus eſt Clericus, qui vadit ad Eccleſiam primariò, ut diſtributiones recipiat; à fortiori ille, qui inſervit Eccleſiæ principaliter propter beneficium obtinendum; quandoquidem ſpirituale ordinet primariò ad temporale, nempè ad penſionem annuam: quod eſt inordinatum. Hinc Aug. l. 11. de ſerm. Domini in monte c. 24. *Evangelizamus ut manducemus, vilius habemus Evangelium, quàm cibum*.

CONCLUSIO III.

NOn eſt Simonia promittere, dare, aut legare temporale alteri, ſub conditione, ſi opus bonum ſpirituale exercuerit: v.g. ſi Hæreticus Sectam ſuam deſerat, ſi infidelis baptiſmum ſuſcipiat, ſi puella Religionem ingrediatur, ſi Juvenis Sacramenta frequentet. Ità Doctores communiter contra paucos.

Ratio eſt; quia res promiſſa, aut legata non induit rationem pretii retributionis, aut compenſationis pro ſpirituali; ſed tantùm movet & allicit ad ſpirituale: & quidem non in favorem dantis, ut fit in Simonia, ſed in favorem ipſiuſmet accipientis, in quo nulla apparet inordinatio, ſed magna Charitas erga ſalutem proximi. Cavere tamen debet ille, cui temporale promittitur, aut legatur, ne propter illud principaliter operetur.

CONCLUSIO IV.

POteſt Sacerdos pro Miſſa, Prædicator pro concione, Paſtor pro adminiſtrandis Sacramentis, Catechiſta pro catechiſmo, Cantor pro celebrandis Officiis, mortuorum exequiis &c. aliquid accipere, aut exigere per modum ſtipendii, hono-

rarii, ſuſtentationis abſque ulla ſimoniæ labe. Ità cum DD. Angelico & Subtili Caſuiſtæ communiter.

Prob. tùm ex Script. 1. Corinth. 9. *Qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt, edunt, & qui Altari deſerviunt, cum altari participant*; tùm ex univerſali Eccleſiæ praxi; tùm etiam Ratione: ſicut enim non tenetur quis ſtipendiis militare ſuis; ità nec ſtipendiis ſuis ſe totum pro alterius obſequio impendere: & ideò etiam ſtipendium accipere poteſt Miniſter, qui habet aliundè quo vivat, cùm ſit cuilibet licitum id accipere, quod ſibi ex natura rei debetur. Ut autem ſordidæ Miniſtrorum avaritiæ obvietur, prohibet Conc. Lateranenſe IV. ſub Innocent. III. *ſuper his pravas exactiones fieri*, condemnatque clericos, qui pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium pecuniam extorquent. Poſſunt tamen juxta laudabilem Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem in illis ſe gerere, attenta ſemper perſonarum indigentia, & neceſſitate.

CONCLUSIO V.

NOn poſſunt miniſtrantes ſpiritualia, quidquam accipere, aut exigere per modum pretii pro labore intrinſeco, ſecùs pro extrinſeco. Eſt autem labor intrinſecus, actio inſeparabilis à functione ſpirituali, ut ſe veſtire pro Miſſa; extrinſecus verò eſt actio omninò per accidens cum illi connexa, ut quòd Sacerdos debeat celebrare tali hora, tali loco &c.

Prob. prima pars (quam impugnant aliqui à Caſtropalao citati) quia labor intrinſecus facit quid unum cum opere ſpirituali; & conſequenter qui vendit unum, vendit & alterum: igitur *Eccleſiæ miniſtri accipiant ſuſtentationem neceſſitatis à Populo, mercedem diſpenſationis à Domino*, inquit Aug. De Paſtor. c. 2. in fine.

Prob. ſecunda pars; quia labor extrinſecus, eſt quid temporale, adeòque pretio æſtimabile: undè, cùm poſſet Sacerdos celebrare abſque eo, quòd teneatur ad talem Eccleſiam accedere, talem horam expectare, poteſt pro illa obligatione paciſci.

CONCLUSIO VI.

PRo Diſpenſationibus in qualibet re nullus Prælatus Papa inferior poteſt quidquam accipere, aut exigere, etiam per modum ſuſtentationis; idque ob expreſſam prohibitionem Conc. Trident ſeſſ. 25. cap. 18. de Reformat. Non prohibet tamen Conc. quominùs obligetur diſpenſatus ad aliquam eleemoſynam in pauperes, vel in pias cauſas erogandam, idque per modum mulctæ; tum ut vitetur nimia & importuna diſpenſationum poſtulatio; tum etiam quia juſtum eſt, ut qui vult exemptionem à lege communi, deformitatem illam aliqualiter compenſet.

CONCLUSIO VII.

ALiquid exigere pro ingreſſu in Religionem, ſimonia eſt; pro ſuſtentatione intrantis, Avaritia eſt, ubi dives eſt Monaſterium. Utraque pars eſt communis.

Prob prima pars; quia illud adverſatur Juri tum Naturali, tum Eccleſiaſtico: Naturali quidem, cùm ſtatus Religionis tam in ingreſſu, quàm in Profeſſione ſit omninò ſpiritualis, utpotè continens jus, & obligationem Deo ſerviendi in Communitate ſub præſcripta Regula: Eccleſiaſtico autem, variis locis & præſertim in Extrav. Prima *De Simonia*, ubi ligantur excommunicatione Papæ reſervata aliquid dantes, aut accipientes pro ingreſſu in Religionem. Imò in Conc Lateran. ſub Alex III. can 10. aliquid recipiens pro ingreſſu in Religionem, mulctetur privatione officii; donans autem prohibetur ad ſacros Ordines aſcendere.

Prob. 2. pars; quia Monaſterium dives aliquid pro ſuſtentatione recipiens, convincitur habere affectum inordinatum divitiarum; quandoquidem cùm deberet parvo victu & veſtitu eſſe contentum, juxtà illud 1. ad Timotheum 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus*, anhelet ad congregandas divitias ſibi omninò inutiles. Non tamen ſimoniam committit; cùm ſuſtentatio Religioſi, aut Religioſæ ſit quid temporale, ut ſatis declarat Trid ſeſſ. 25. c. 16. *de Regul.* ubi pro ſuſtentatione Novitii, aut Novitiæ permittit Monaſterio aliquid recipere; eſt autem ejuſdem rationis ſuſtentatio poſt Profeſſionem, ac ante.

Dixi: *Ubi dives eſt Monaſterium*: quia *licet ſi Monaſterium ſit tenue, quod non ſufficiat ad tot perſonas nutrendas . . . accipere aliquid pro victu perſonæ, quæ in Monaſterio fuerit recipienda*, inquit D. Tho. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4. & ideò poteſt recipiens paciſci cum ingrediente, aut ejus parentibus de dote, aut alia donatione ſufficienti pro ſuſtentatione ut declaravit Cle-

mens VII. pro Monialibus, quod & pro viris introduxit legitima conſuetudo. Modum ſe gerendi in ordine ad pecuniam oblatam in ingreſſu Religionis, ſolidiſſimè expreſſit D. Seraphicus occaſione Clariſſarum in Apologia contra eos, qui ordini Minorum adverſantur, quæſt. 18. *Quadruplex eſt forma*, inquit, *recipiendi ad Ordinem qualemcumque. Prima, quando aliquis recipitur, nec pro pecunia, nec cum pecunia, ſed purè pro Deo, & iſta eſt puriſſima . . . Secunda, quando aliquis recipitur, non pro pecunia, ſed cum pecunia, ita ut ſi nihil afferret, tamen reciperetur pro Deo, & ſimiliter hoc purum eſt . . . Tertia, quando quis recipitur, non pro pecunia, nec tamen reciperetur ſine pecunia, eò quòd non habent alter hi, qui eum recipiunt, . . . jam receptis . . . & hoc non eſt impurum, licet non appareat forſitan pulchrum. Quarta, cùm aliquis recipitur amore pecuniæ; ita, quòd ſi poſſent illam pecuniam habere ſine perſona, non reciperent perſonam: ſed ut habeant pecuniam, perſonam recipiunt. Et hoc penitùs impurum eſt, & Simoniacum.*

PARAGRAPHUS V.

An ſaltem non liceat aliquid accipere, aut exigere pro temporali annexo ſpirituali?

CONCLUSIO I.

PRo pane, vino, lumine, & aliis ad Miſſam neceſſariis, non licet quidquam exigere in iis Eccleſiis & locis, ubi adſunt redditus, qui pro illorum expenſis licitè poſſunt erogari. Ubi autem non ſunt tales redditus, poteſt id præcisè exigi, quod pro illis neceſſarium eſt. Ità ſtatuit Urbanus VIII. in ſua Bulla quæ incipit, *Cùm ſæpè contingat*. 45. apud Cherubim tom. 4.

CONCLUSIO II.

NOn eſt Simoniacum vendere Calices conſecratos, Altarium ornamenta, vaſa ſacra, veſtimenta Sacerdotalia, & alia hujuſmodi, modò tamen vendantur eodem pretio, quo venderentur, ſi non eſſent conſecrata.

Ratio eſt; quia ſemper remanent ſecundùm ſe pretio æſtimabilia, adeòque vendibilia: Simoniacè tamen cariùs venderentur propter conſecrationem, aut benedictionem; cùm hæ non ſint pretio menſurabiles.

CONCLUSIO III.

BEneficia vendere præcisè quoad jus temporale; eſt Simonia, & quidem juris Divini naturalis; & ideò hic nihil poteſt diſpenſatio Pontificia. Ante probationem

Adv. Beneficium eſſe jus Eccleſiaſticum ad munia ſpiritualia obeunda ordinatum, cum jure recipiendi eo titulo emolumentum temporale. Ubi duo reperiuntur jura, unum ſpirituale, quod certum eſt nulla lege poſse vendi: aliud temporale, & de illo ſtat noſtra concluſio.

Prob. igitur concluſ. (quam impugnant plurimi Juriſtæ volentes tantùm eſse Simoniam juris humani, adeòque à Papa diſpenſabilem) quia jus temporale & jus ſpirituale in Beneficio ſunt eſsentialiter connexa: ergo ſi vendis unum, vendis & alterum. Prob. Ma. Quia nequidem poſsunt per intentionem ab invicem ſeparari, ſalva manente ratione Beneficii; ſi enim concipis jus ad Officium ſine jure ad fructus, non concipis beneficium, cùm jus ſimile habeant Prælati Regulares, non tamen beneficium; ſi autem concipis jus ad fructus ſine jure ad Officium, non eſt jus beneficiale, & ideò libenter concedimus, tale jus ſeparatum authoritate legitima à jure ad Officium; eſſe vendibile; quia non eſt beneficium, ſed id quod fuit beneficium, ſaltem partialiter.

Dices 1. poſsunt locari fructus beneficii; atqui locatio eſt quædam venditio. ergo

R. Beneficiarium locando fructus beneficii, non locare jus beneficiale, aut beneficium, ſed effectus, aut quaſi effectus illius prout ſunt bona à ſe poſseſsa, aut quaſi-poſseſsa.

Dices 2. Poteſt vendi Calix conſecratus, ſeparando mentaliter temporale à ſpirituali: ergo & hic ſimiliter.

R. Disparitatem eſſe, quòd conſecratio tantùm ſit in Calice ſecundùm æſtimationem hominum, & ideò facilè poſſunt unum ſine alio vendere; in beneficio autem, jus temporale eſt à parte rei eſſentialiter connexum juri ſpirituali, & ſic, licèt unum ab alio mentaliter ſepares tamen à parte rei vendendo unum vendis & alterum.

Dices 3. ſummi Pontifices in hoc diſpenſarunt: ergo beneficia, quoad partem temporalem, ſunt jure naturali vendibilia.

R. Diſt. ant. diſpenſarunt ſeparando à parte rei jus temporale à ſpirituali, & hoc vel ſecundùm totum, ut dum extinguitur Officium ſpirituale, vel ſecundùm partem; ut dum aſſignatur alteri penſio vendibilis, C. ſed tunc temporale non eſt ampliùs beneficiale. Non ſeparando, N.

CONCLUSIO IV.

UBi beneficium eſt litigioſum, non licet dari aliquid Competitori ut à lite deſiſtat, ſeu ut deſinat jus ſuum proſequi, ſicut nec ut litem necdum inchoatam non intentet. Eſt communis DD. ſententia contrà paucos. Ità declaravit Alex. III *De Tranſactionibus* c. 7. ubi ait: *Tale damus reſponſum, quòd tranſigi ſuper re ſacra, & litigioſa non poteſt*. Fuerat autem conſultus ſuper beneficio litigioſo.

Ratio eſt, quia ſic jus ſpirituale dubium, per pecuniam fieret firmum, adeòque per temporale acquireretur ſpirituale. Prætereà qui dat pecuniam, ut alter non litiget, dat pecuniam, ut cedat juri ſuo ſpirituali. Hinc

Reſ. 1. Simoniacum eſſe renuntiantem juſtæ liti, ut alter ſolvat expenſas, etiam in lite factas. Idem eſt ſi pro pecunia renuntiet litteris Apoſtolicis ſuper proviſione beneficii.

Reſ. 2. Poſſe litigantes ſine Simoniæ labe inter ſe convenire, ut uni detur beneficium, & alteri certa penſio, cum hac tamen conditione & dependentia, *Si accedat conſenſus Summi Pontificis*, qui conſenſus neceſſariò requiritur, ubi penſio afficit beneficium, tranſitque ad Succeſſorem in beneficio; ubi autem penſio non afficit beneficium, ſed beneficiatum, ità ut, moriente beneficiato, moriatur & penſio, videtur ſufficere conſenſus Epiſcopi, ut colligitur ex c. 2. *De Tranſactionibus*. Imò poſſunt litigantes eligere arbitros, modò ſint Clerici, qui vel ſimpliciter beneficium; aſſignent uni, pro quo ſtare crediderint jus probabilius, vel beneficium uni, & penſionem alteri ſuper beneficiarium, ſi ita judicaverint. Et talis modus compoſitionis permittitur in *d. c. 7. eod. tit.* & alibi.

Porrò penſio illa non imponitur pro jure, quod alter habet; quià, cùm ſit ſpirituale, daretur temporale pro ſpirituali, ſed (ut dicitur in c. 21. *De Præbendis* 1. *Pro bono pacis* quod obtinet beneficiarius per ceſſionem alterius; tale autem bonum eſt pretio æſtimabile: nam ſicut lites ſunt magni diſpendii, ità pax ingentis eſt utilitatis. 2. Pro alimentis juri ſuo cedentis. 3. Pro labore & expenſis, quas beneficium obtinens facere deberet in continuatione litis, niſi alter cederet.

CONCLUSIO V.

QUi vexatur ante jus acquiſitum ad beneficium, non poteſt redimere pecunia vexationem; poteſt tamen poſt jus acquiſitum, ſi vexatio ſit injuſta. Ità expreſse Th. 2. 2. q. 100 art. 2. ad 5. quem ſequuntur communiter Theologi.

Prob. 1 pars tum ex c. 23. *de Simonia*, ubi quis à majori parte capituli electus, quia pecuniam obtulerat, ne aliqui contradicentes, ejus confirmationem impedirent, Simoniæ condemnatur. Tum etiam Ratione; quia per pecuniam, ut ait D. Th. ſup. *Pararet ſibi viam ad rem ſpiritualem obtinendam*; quandoquidem necdum cenſeatur habere jus in re, ſeu acquiſitum; ſed jus ad rem, ſeu acquirendum. Nollem tamen condemnare illum, qui injuſtis calumniis appetitus, ne beneficium obtineat, daret pecuniam eo præcisè fine, ut, calumniatore tacente, honorem ſuum conſervaret, licèt obtineat beneficium, quod, calumniatore loquente, non obtinuiſſet; quia tunc non datur temporale pro ſpirituali.

Prob. ſecunda pars; quia tunc non datur pecunia pro ſpirituali, cùm jus ſupponatur acquiſitum, ſed pro tollenda injuria, calumnia, aut violentia, quam quis injuſtè patitur ratione juris acquiſiti. Vexans tamen peccat graviter, teneturque ad reſtitutionem rei acceptæ. Dans autem pecuniam, non cenſetur illius peccato cooperari; quia juſtam habet cauſam illam tribuendi, ut ſe ſervet indemnem. Ex dictis

Reſ. 1. Volentibus ad Papatum, Epiſcopatum, aut aliam dignitatem, vel beneficium eligere indignum; licitum eſſe dare pecuniam, ut non eligant talem. Ratio eſt; quia Eccleſia habet jus acquiſitum, ut non eligatur indignus, vel minùs dignus ubi adeſt dignior. Non licet tamen dare quidquam ut eligatur perſona determinata, v. g. Petrus, licèt foret digniſſimus, & alii omnes indigni, ſeu minùs digni; imò nec poſitivè, ut eligatur dignus, vel dignior in genere, quia tunc pecunia haberet pro objecto directo electionem, adeòque ſpirituale. In primo autem actu, tantùm habet pro objecto directo remotionem indigni, ſeu minùs digni, adeòque ablationem injuſtæ vexationis. Si qui doceant licere in noſtro caſu dare pecuniam, ut eligatur dignus, aut dignior in genere, intelligendi ſunt negativè, id eſt, ut non eligatur indignus &c.

Reſ.

Digitized by Google

Reſ. 2 Juſtè vexatum, propter defectum ætatis, natalium, Ordinis, aut propter crimen commiſſum, ratione cujus eſt Beneficio privandus, non poſſe dare pecuniam Judici, accuſatori, teſti, aut alteri perſonæ, ut deſiſtant, vel taceant; quia jus acquiſitum non ſit firmum, ſed irritabile: emeret pecunia firmitatem in jure ſpirituali nutante: quod eſt apertè Simoniacum.

CONCLUSIO VI.

JUs Patronatus eſt omninò invendibile: undè qui terram aliquam, aut villam, cui annexum eſt jus Patronatus, ideò cariùs venderet, Simoniam committeret. Eſt autem jus Patronatus jus quoddam præſentandi ad Beneficia Eccleſiaſtica perſonas idoneas.

Prob. igitur Concl. tum ex cap. 16 *De Jure Patronatus*, ubi ſic loquitur Alex. III. *De Jure verò Patronatus: mandamus, quatenùs ſi quis illud comparavit (cùm inconveniens ſit vendi Jus Patronatus, quod eſt ſpirituali annexum) contractum illum irritum eſſe decernas*. Tum etiam ratione; quia procedit ab Eccleſiæ poteſtate ſpirituali, ordinatur ad finem ſpiritualem, nempè Beneficium; & ejus actus, nempè præſentatio, eſt etiam ſpiritualis; cùm per eam fiat præſentatus proximè capax ad inſtitutionem Beneficii: ergo jus illud eſt ex omni parte ſpirituale, adeòque invendibile, non tantùm jure humano, ut volunt aliqui, ſed etiam divino.

CONCLUSIO VII.

SImoniacè aliquid exigitur, aut accipitur tanquàm pretium, pro ſepultura Eccleſiaſtica; etiamſi ratione terræ, aut ſoli, in quo ſita eſt, vendatur.

Ratio eſt; quia etſi jure naturæ non videatur hoc prohibitum, modò ratione benedictionis, aut conſecrationis nihil recipiatur; id tamen vetuit Eccleſia, ut patet ex c. 41. *Simonia*, & c. 13. *De Sepultura*.

Dixi: *Tanquàm pretium*; quia poteſt aliquid recipi per modum Eleemoſynæ pro ſuſtentatione miniſtrorum Eccleſiæ, vel ad conſervationem fabricæ; quia juſtum eſt, ut Defuncti, qui in templis requieſcunt, aliquid ad eorum reparationem contribuant.

Dices: quo quis in nobiliori loco ſepelitur, eò plus exigitur: ergo ſignum eſt ſepulturam de facto vendi.

R. N. conſ. tunc enim aliquid exigitur, non pro ſepultura, ſed pro honore, quem ex tali loco recipiunt, tum Defunctus, tum ejus parentes: quod eſt pretio æſtimabile.

Petes: an ſaltem non poſſit vendi perpetuum jus ſepulcri, ſeu obligatio nullum præter Petrum v. g. qui ſucceſſores in tali loco ſepeliendi?

R. Affirm. Patet tum ex praxi Eccleſiæ, tum ex eo quòd illud jus ſit quid temporale, tum etiam quia nullibi videtur prohibitum: quandoquidem nomine *Sepulturæ* non veniat jus perpetuum ſepulchri.

CONCLUSIO VIII.

NOn eſt Simonia aliquid exigere pro tradenda ſcientia Theologica. Eſt communis.

Prob. 1. quia licèt Theologia ſit principativè ſupernaturalis, in quantum ex principiis ſupernaturalibus diſcurrit; entitativè tamen eſt naturalis, cum induſtria, ingenio, ſtudio & labore acquiratur.

Prob. 2. Quia per accidens eſt in ordine ad docendum, quòd Theologia deducatur ex principiis lumine Fidei revelatis, & creditis; quandoquidem poſſet Hæreticus ex principiis fide humana creditis idem, & eodem modo docere.

Dices: Simonia eſt aliquod pretium exigere pro Concione aut Catechiſmo: ergo & pro Theologia.

R. Diſparitatem eſſe quod Catechiſmus & Concio habeant pro fine inſtructionem in ordine ad ſalutem animæ; traditio autem Doctrinæ Theologicæ, ſicut & alterius ſcientiæ, tantùm ordinetur immediatè ad exercitandam memoriam, & excitandum ſeu imbuendum audientis intellectum; non attendendo, an imbutus ſcientiam illam ad ſuam, vel aliorum ſalutem ordinet: quod eſt naturale.

PARAGRAPHUS VI.

Variæ quæſtiunculæ ad Paragraphum quartum, & quintum aliqualiter pertinentes.

PEtes 1. an poſſit quis petere beneficium, cui annexa eſt cura animarum, ſine Simonia?

Negat Natalis Alexander cum quibuſdam aliis, pro ſe D. Th. citantibus; ſed

R. affir. Ratio eſt; quia hic non datur temporale pro ſpirituali, ſed præcisè petitur ſpirituale, ſicut peterentur Sanctorum Reliquiæ à ſummo Põtifice. Cujus ſententiæ veritatem confirmant concurſus Belgici, pro beneficiis Paſtoralibus laudabiliter inſtituti, ubi aliquando ſex, aut octo pro eodem ſe offerunt.

Confir. Juxtà D. Th. poteſt quis ſaltem indigens, petere beneficium, cui non eſt annexa cura animarum, ſine Simonia; ergo & beneficium, cui talis cura eſt annexa; quandoquidem non magis reperiatur pactum, aut pretio in uno, quàm in altero, ut per ſe patet.

Dices: Juxtà S. Doctorem 2. 2. q. 100 art. 5. ad 3. quando quis preces porrigit pro indigno ad beneficium, Simoniam committit; atqui rogans pro ſe beneficium, Paſtorale præſumitur illius indignus, ut addit ibid. ergo.

R. Diſt. Min. Præſumitur illius indignus, ſi nec præbeat teſtimonium ſuæ capacitatis, nec velit quaotùm ad hoc Epiſcoporum examini, aut judicio ſe ſubmittere, Conc. ſi utrumque adſit, vel ſaltem ultimum. N. & de illo hic agimus, qui ideò cenſetur tantùm conditionatè exigere, ſi nempè reperiatur idoneus.

Petes 2. Quo ſenſu dicat D. Th. indignum petentem beneficium, Simoniam committere?

R. Hoc ſenſu, quòd, cùm tunc non conferatur beneficium propter meritum, cenſeatur conferri propter aliquam gratiam, aut favorem ab ipſo Collatore expectatum.

Petes 3. Cur S. Doctor dicat *Indigentem* poſſe petere beneficium ſimplex non *Divitem*?

R. Propter c. 8. *De Reſcriptis*, ubi & alibi hoc prohibetur, ſed, an hoc obliget in conſcientia, necne? An ex abuſu, vel ex conſuetudine legitimè introducta jam dentur beneficia potiùs divitibus, quam pauperibus? Judicent Prælati.

Petes 4. An Religioſus promittens alteri Prioratum, aut Guardianatum, ut ſuffragetur ſibi, aut ſuo amico pro Provincialatu, committat Simoniam?

Suppono ſemper ibi reperiri grave peccatum, cùm hoc præjudicet electionis libertati. Ad quæſtionem

R. Affir. quia S. Th. ſuprà art. 6. in O. dicit, Simoniam eſſe, quoties ſpirituale, ut eſt Officium ſuperioris, non datur gratis; atqui hìc non promittitur Superioratus gratis, ſed cum onere ſuffragandi in favorem &c. ergo. Undè condemnavit hanc propoſitionem Facultas Pariſienſis anno 1658. *Il n'y a point de Simonie, lorſque deux Religieux s'engagent l'un à l'autre en cette ſorte. Donnez-moy vôtre voix pour me faire eſlire Provincal, & je vous donneray la mienne pour vous faire prieur*.

Petes 5. An Epiſcopi poſſint aliquid accipere titulo ſuſtentationis pro collatione Ordinum, aut litteris dimiſſorialibus?

R. Neg. quia Trid. ſeſſ. 21. c. 1. de Reform. prohibet ne ipſi, aut eorum miniſtri, quidquam pro ipſis recipiant quovis titulo, cùm habeant proventus ad ſuſtentationem ſufficientes. Ubi tamen conſuetudo viget, non ſunt condemnandi Notarii, aut Secretarii aliquid pro charta, ſcriptione, & ſigilli impreſſione exigentes; cum illa ſint pretio æſtimabilia, non poſſunt tamen recipere pluſquàm decimam partem unius aurei.

Petes 6. An vendi poſſint Commendæ militares? Loquimur hìc de Commẽdis Equitum ad militiam in defenſionem Chriſtianæ Reipublicæ deputatorum ſivè Religioſi ſint, ut Equites Militenſes, ſivè non, ut Equites S. Mauritii.

R. Poſſe vendi ſine Simonia, non tamen ſine injuſtitia, niſi fiat authoritate Papæ.

Prob. prima pars; quia ſunt tantùm ſubſidia temporalia titulo Laico conceſſa, id eſt, propter ſervitia temporalia Eccleſiæ præſtita aut præſtanda, ſtrenuè & viriliter militando, ac dimicando: undè earum adminiſtratio Principibus Laicis conceſſa eſt.

Dices 1. Aliquæ Commendæ non dantur, niſi Religioſis profeſſis: ergo ſunt annexæ rei ſpirituali, adeòque invendibiles.

R. Diſt. Ant. Non dantur, niſi profeſſis, ita ut profeſſio ſit titulus cur dentur, N. Quia dantur, ut dixi, propter ſervitia temporalia, ità ut profeſſio ſit conditio ſine qua non darentur, ità volentibus Fundatoribus, C.

Dices 2. Finis earum eſt quid ſpirituale, nempè defenſio Eccleſiæ: ergo.

Reſp. Diſt. Ant Finis remotus; C. ſed hoc non ſufficit ad Simoniam, aliàs ferè omnia, quæ fierent, aut darentur in Chriſtiana Reipublica, eſſent materia ſimoniæ, cùm aliqualiter ordinentur ad cultum Dei. Finis proximus, N. quia ille eſt purè ſæcularis nempè militare.

Dices 3. Milites illi ad certas preces tenentur: ergo ſubſidia illa habent titulo ſpirituali.

Reſp. Diſt. Ant. Tenentur ad certas preces, quia pro illis recipiunt fructus Commendæ, N. Ex vi ſuæ profeſſionis & Regulæ, C. ſed neg. conſeq.

Prob. ſecunda pars; quia fieret contra voluntatem Fundatorum, qui eas gratis conferri voluerunt in remunerationem pugnantium pro defendenda Republica Chriſtiana. Prætereà Magiſter Ordinis, aut Rex non eſt illarum Dominus, ſed tantùm diſpenſator, dependenter à voluntate Papæ, qui permittit illis juſtam illarum diſtributionem, non venditionem, quamvis poſſet ipſe pro majori Eccleſiæ utilitate illas vendere.

Petes 7. An Papa poſſit committere Simoniam?

Reſp. Poſſe committere ſimoniam juris Divini, cùm juri Divino non minùs ſubdatur quàm alii: imò & ſimoniam juris humani; quia licèt non teneatur ſuis legibus quoad vim coactivam, tenetur tamen quoad directivam, ubi materia legis eſt ipſi & ſubditis communis, niſi certè pro ſe ex juſta cauſa diſpenſet, ſicut poteſt pro aliis.

PARAGRAPHUS VII.

Qualiter fieri debeat Beneficiorum permutatio, reſignatio, renuntiatio, & penſionis creatio?

CONCLUSIO I.

Beneficiorum permutatio facta authoritate propria eſt ſimoniaca & irrita; authoritate Superioris, eſt licita & valida.

Prob. prima pars; tum ex Jure Canonico cap 5. & 7. *de rerum permutatione*, & alibi; tum etiam quia prohibet Eccleſia omnem pactionem in Beneficiis authoritate propria factam.

Porrò nomine *Beneficiorum*, veniunt huc omnia officia ſpiritualia temporalibus annexa; ſivè ſint mobilia, ſivè non; ſivè perpetua, ſivè ad certum tempus. Imò & veniunt omnes actiones ad proviſiones Beneficiorum pertinentes, ut ſunt Præſentatio, Electio, Confirmatio & ideò ſimoniam incurrunt qui dicunt: *Elige Joannem, eligam Petrum: confirma hunc, & præſentabo illum: ſi contuleris Beneficium tenue cognato meo, eligam, aut præſentabo fratrem tuum ad pingue &c.* quia licèt daretur in his omnibus non intervenire ſimoniam juris Divini; Eccleſia tamen illa omnia juſtiſſimè prohibuit, propter occaſionem, periculum, ſuſpicionem, & præſumptionem ſimoniæ, in quantùm adhiberi poſſunt tanquàm media ad lucrum temporale.

Prob ſecunda pars; tum ex jure citato; tum ex D. Th. 2. 2. q. 103. art. 1. ad 5. ubi ait. *Poteſt tamen Prælatus ex officio ſuo permutationes hujuſmodi facere;* tum ex recepta ubique Eccleſiæ praxi. Per ſuperiorem autem intelligimus Papam, Epiſcopum, imò & Beneficii Collatorem, ubi conſuetudo hoc introduxit. Sibi quidem hoc reſervaverat Pius V. anno 1567. ſed anno ſequenti revocavit per motum proprium, qui incipit: *Quantæ Eccleſiæ* 58. Apud Cherubin. Tom. 2.

Adv. tamen Beneficia, quorum fieri poteſt permutatio, debere eſſe vera, ſolida, de facto acquiſita; & ideò expectativa, litigioſa, ficta, invalidè accepta, & illa, quorum tantùm habetur jus ad rem, non poſſunt, etiam authoritate Superioris, niſi fortè Papæ, permutari. Patet ex Cap. unico. *De rerum permutatione* in 6.

CONCLUSIO II.

Reſignatio in permutatione, facta purè & abſolutè, ideſt, ſine onere penſionis & ſine deſignatione perſonæ, eſt laudabilis; facta autem cum hac conditione: *Renuntio, ſi Collator velit illud conferre Joanni; aliàs non*, non eſt damnabilis, ſi fiat coram Summo Pontifice.

Prob. prima pars; quia taliter reſignans, humiliter ſe ſubmittit prudentiæ & judicio ſui Superioris; non peccaret tamen, ſi alium ſimpliciter commendaret, præſertim poſt factam reſignationem.

Prob. ſecunda pars; quia talis reſignatio non eſt jure Divino prohibita, cùm ita renuntians, nec det, nec accipiat temporale pro ſpirituali: imò nec probabiliùs jure humano; quandoquidem Canones circà hoc nihil decidant: & aliundè nullum intervenit pactum, ſed tantùm conditio, quam acceptante Superiore, fiat reſignatio, aliàs non.

Dixi: *Si fiat coram Summo Pontifice;* quia volunt Doctores hanc conditionem non poſſe apponi coram Epiſcopo, niſi hoc privilegium, aut conſuetudo permiſerit: cujus rationem adferunt, quòd talis ſit ſtylus Curiæ Romanæ, & inſuper quòd Jus commune prohibeat Beneficium alicui de novo conferri, niſi vacaverit; non vacat autem, ubi apponitur conditio præfata; & ideò requirunt ad hoc authoritatem Summi Pontificis, ſuper Jus commune diſpenſantis.

Petes 1. An permutans poſſit propria authoritate redire ad ſuum Beneficium, quod ſimpliciter reſignaverat, ſi alter antè permutationem utrinque completam moriatur, vel ſi Beneficium ejus non erat permutabile?

Reſp. Neg. Quidquid dicant aliqui Ratio eſt, quia ille de facto renuntiavit Beneficio ſuo, adeòque illius titulum & poſſeſſionem perdidit; & ideò, niſi ſoperior ipſi de novo conferat, cenſebitur intruſus.

Petes 2. An poſſit quis reſignare Beneficium, retinendo jus, illud propria authoritate occupandi, quando erit ab impedimento ſolutus, quando ætatem competentem attigerit, vel ſi reſignatarius præmoriatur?

Reſp. Neg. Quia etſi ibi nulla appareat ſimonia juris Divini; nihilominùs Trid. ſeſſ. 25. cap. 7. *De Reformatione*, illa omnia prohibet; & ideò ſunt illicita, niſi accedat Romani Pontificis approbatio.

Petes 3. An poſſit quis reſignare alteri Beneficium cum ſpe & confidentia, quòd Reſignatarius illud poſteà reſignabit in favorem reſignantis, aut ejus conſanguineorum, nullam exteriùs imponendo, imò nec interiùs intendendo obligationem?

Reſp. Vel reſignans intendit principaliter novam reſignationem in ſui, aut alterius favorem faciendam; ità ut non reſignaret, niſi hanc expectaret: vel tantùm intendit ſecundariò, ità ut etiam reſignaret, licèt ſciret ſecundam reſignationem non eſſe faciendam. In primo caſu eſt ſimonia juris Divini, cùm motivum principale reſignationis ſit temporale, eò quòd intendens Beneficium intendat fructus temporales ipſi annexos. In ſecundo caſu non eſt ſimonia juris Divini, cùm nullum pretium aut pactum, ſivè explicitè, ſivè implicitè interveniat; imò nec juris humani, cùm hoc nullibi prohibeatur.

CONCLUSIO III.

Ut renuntiatio Beneficii pacificè acquiſiti ſit valida, fieri debet inter manus Epiſcopi, aut Collaroris; non ſic renuntiatio Beneficii litigioſi, vel ad quod necdum habetur jus in re. Ante prob.

Adv. quòd licèt in rigore renuntiatio beneficii, & reſignatio ejuſdem confundantur; hic tamen per renuntiationem intelligimus præcisè ceſſionem voluntariam beneficii, abſque eo quòd deſignetur, aut commendetur alter Collatori. Hoc notato

Prob. prima pars ex cap 8. & 10. *De Renunt.* & alibi: ex quo ſequitur Beneficium non vacare. ſed jus & titulum remanere apud renuntiantem, donec Superior renuntiationem admiſerit.

Prob. ſecunda pars ex praxi communi, authorizante renuntiationem beneficii litigioſi propria authoritate factam ſicut & beneficii, cujus tantùm habetur jus ad rem.

Petes. An poſſit quis renuntiare beneficio cum onere ut ſolvantur ſibi expenſæ, quas debuit facere, ut illud poſſideret pacificè.

Reſp. Neg cùm non ſit renuntiatio pura, ſed pro temporali: unde cap. 4. *De Pactis*, dicit Alex. III. loquens de illa Pactione: *Nos eam non duximus admittendam, pro eo quòd videbatur pravam illicitæ Pactionis ſpeciem continere.*

CONCLUSIO IV.

Penſio (quæ eſt jus percipiendi fructus ex Beneficio alieno) non poteſt creari propria partium authoritate, imò nec Epiſcopi, niſi in certis caſibus, ſed ſolius Papæ, qui & ſervare debet certas conditiones.

Prob. prima pars; quia cap. ult. *De Pactis*, & cap. 5. *De rerum Permutatione*, prohibentur expreſsè velut ſimoniacæ omnes Conventiones privatæ circà Beneficia, Præbendas &c. imò tunc intervenit ſimonia juris Divini, cùm reſignans cedat jus ſpirituale ad Beneficium pro jure temporali ad penſionem.

Dices, hìc nullum pactum intervenire, ſed reſignantem habentem jus ad 500. Florenos v. g. ratione ſui Beneficii, cedere Beneficium cum jure ad trecentos, reſervando ſibi jus ad ducentos.

Reſp. Jus ad fructus eſſe inſeparabile à Beneficio, ſaltem ab eo, qui eſt inferior Papa, & conſequenter qui reſignat Benefi-

cium,

cium, reſignat & jus ad omnes fructus, unde ſi aliquid reſervet, diſſentiente reſignatario, eſt fur; ſi ipſo conſentiente, eſt ſimoniacus, cùm accipiat temporale pro ſpirituali.

Prob. 2. pars; quia jus Canonicum facultatem illam reſervans ſoli Papæ, illam conſequenter denegat Epiſcopis, niſi conſuetudo legitima aliud introduxerit.

Dixi tamen: *Niſi in certis caſibus*; quia dum Parochus Parochiam limittit ratione ſenii, aut infirmitatis, poteſt Epiſcopus, ut illius ſuſtentationi provideat, penſionem ipſi reſervare, modò tamen expiret, expirante Beneficiato. Plura v. apud Baſſæum verbo *Penſio*.

Prob. 3. pars ex conſuetudine legem ſic interpretante: unde nullus auderet licitè, ſine Summi Pontificia authoritate, aliter diſponere.

Dixi: *Quæ & ſervare debet certas conditiones*; nàm 1. id facere debet ex cauſa à reſignatione diſtincta; cùm enim reſignatio fieri debeat gratis, debet Pontifex tanquàm fidelis bonorum Eccleſiæ Diſpenſator, & non diſſipator, cauſam habere, cur ad talem penſionem obliget reſignatarium: erit autem cauſa ſufficiens, neceſſitas reſignantis; vel etiam labores, quos in favorem Eccleſiæ ſuſcepit, concionando, Sacramenta miniſtrando, Theologiam, aut ſacram Scripturam docendo, Hæreſes confutando, &c.

2. Ut poſſit ille, cui beneficium reſignatur, honeſtè vivere, non debet penſio creata excedere 3. partem fructuum beneficii, quamvis & in hoc poſſit Papa diſpenſare.

3. Non debent tot penſiones ſolvendæ uni & eidem perſonæ creari, ut excedant id, quod ad congruam ejus ſuſtentationem requiritur.

Petes 1. An poſſint partes propria authoritate paciſci de penſione redimenda?

R. Non poſſe in ipſa reſignatione; illa autem facta, poſſe, modò redemptio ſit ſpontanea, & accedat Superioris conſenſus, id eſt, Papæ; vel certè Epiſcopi, ubi penſiones ejus authoritate ſunt conſtitutæ.

Petes 2. An poſſit quis penſionem, quam ex alieno Beneficio percipit, cum aliquo Beneficio permutare?

R. Neg. cùm enim penſio illa ſit quid temporale, non poteſt citrà ſimoniam juris Divini pro Beneficio, quod ſpirituale eſt commutari. Alio tamen modo poterit idem effectus obtineri, ſi nempè penſionarius penſionem ſuam, & Beneficiarius Beneficium ſuum dimittant inter manus Summi Pontificis ſimpliciter, abſolutè, & ſine ulla conventione de permutatione facienda, & poſteà Summus Pontifex tanquàm Supremus Diſpenſator beneficium diſtribuat uni, & penſionem alteri. Cavendum tamen, ne in illis ceſſionibus motivum principale cedendi ſpirituale, ſit quid temporale, aut è contrà.

Petes 3. An obtinens penſionem ex Beneficio, quod reſignat in manus Summi Pontificis, poſſit, pro aſſecuratione ſuæ penſionis, petere fidejuſſorem ſæcularem, aliquam hypothecam, vel anticipatam ſolutionem.

Reſp. Neg. Ob expreſſam juris prohibitionem.

Petes 4. An poſſit Papa aſſignare penſionem reſignanti beneficium ſi habeat patrimonium ſufficiens?

R. Neg. Si pro Eccleſia ſpecialiter non laboravit. Patet ex dictis ſuprà. Prætereà vel ille, cui fit reſignatio beneficii, poteſt vivere ex illo beneficio, ſeparata penſione, vel non: ſi primum, fit injuria Eccleſiæ, aut pauperibus, quibus debetur reſiduum ſi ſecundum, fit ipſi injuria, cùm ratione ſui beneficii habeat jus ad integram ſuſtentationem.

Dices: beneficiarii divites poſſunt beneficiorum ſuorum proventus recipere; ergo & divitibus poteſt penſio concedi.

R. Diſparitatem eſſe, quod primi præſtent Officium, cui annexuit Eccleſia certos proventus, non ſic ſecundi: fateor quidem Penſionarios obligari ad Officium D. Virginis ex conſtitutione Pii V. ſed illa obligatio, utpotè poſterior jure ad penſionem, non eſt titulus, ſint radix illius juris ſicut eſt Officium in beneficiariis; quandoquidem Pius V. imponat obligationem illam habentibus jam penſionem, ita ut ſit verum dicere, quòd Officium B. V. ſit propter penſionem, non penſio propter Officium.

Petes 5. An quando in permutatione beneficia ſunt inæqualia quoad fructus, liceat inæqualitatem compenſare pecunia, aut penſione aliqua?

R. Id non licere, neqoidem authoritate Papæ; quandoquidem interveniat ibi Simonia juris Divini: vel enim illa pecunia, aut penſio datur pro ſpirituali pinguioris beneficii, vel pro exceſſu fructuum ſuprà fructus beneficii tenuioris: ſi primum, res clara eſt: ſi ſecundum, idem dici debet; quandoquidem pars proventuum beneficii non minùs ſit invendibilis, quàm totum, quod jure Divino eſſe invendibile, ſuo loco oſtendimus. Poſſet tamen Papa ſeparando partem fructuum à beneficio pinguiori, illam temporalitatem concedere reſignanti beneficium pingue, modò id fiat ex cauſa, ut anteà diximus. Quo caſu habens partem fructuum poterit illam alteri vendere, modò accedat conſenſus Papæ, ſine quo etiam penſiones ſunt invendibiles.

PARAGRAPHUS VIII.

An Simoniacè accepta reſtituenda ſint, & cui reſtitui debeant?

CONCLUSIO I.

Beneficium per Simoniam acceptum, debet ante omnem judicis ſententiam dimitti, omneſque fructus ſunt reſtituendi, tàm exſtantes, quàm conſumpti. Patet ex jure Canonico c. 26. *De Simon.* & Extravag. 2. eod. tit. ubi talis Collatio decernitur nulla & irrita; adeòque & fructus indè percepti malè acquiſiti: undè ex nullo titulo poſſidetur tale beneficium; quandoquidem venditio, aut emptio hic nullius ſit valoris, ſaltem propter Eccleſiæ prohibitionem. Ex quo ſequitur, habentem taliter beneficium non facere fructus ſuos, cùm non ſit beneficiarius. Non tenetur tamen reſtituere fructus bona fide conſumptos, inquit D. Tho. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3. ſi Simoniæ non fuit conſcius.

Dixi. *Ante omnem judicis ſententiam*; quia obligatio reſtituendi rem, titulo ficto comparatam, non eſt pœna, ſed vinculum naturale, ſicut eſt obligatio reſtituendi rem alienam cognitam ut talem.

CONCLUSIO II.

Pretium Simoniacè acceptum pro beneficio, ſivè tradito, ſivè promiſſo, jure Canonico reſtitui debet, & quidem Eccleſiæ, in qua eſt beneficium, aut cui facta eſt injuria.

Prob. 1. pars; quia pretium illud non tranſit in dominium recipientis, ratione conventionis invalidatæ; & ideò ſicut debet quis alienum reſtituere; ità & debet pretium, quod certè ipſius non eſt, reddere.

Prob. ſecunda pars; quia licèt illius pecuniæ Dominus ſit ipſe donans; in pœnam tamen peccati transfertur in uſum Eccleſiæ per Jus Canonicum. c. 11. *de Simonia*. Idem eſt, ſi pauperibus, aut in pios uſus applicetur. Quoad fructus acquiſitos ex beneficio Simoniacè accepto eadem juris Canonici diſpoſitio.

Petes; An Simoniacus mentalis, opere jam ſecuto ſine ulla prorsùs conventione externa, teneatur Beneficium dimittere, aut pretium reſtituere?

R. Neg. Sed ipſi ſufficit per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere Creatori, ut dicitur in c. 46. *de Simonia.* Cujus ratio eſt, quòd ſicut Eccleſia non poteſt de internis judicare; ita nec illa punire. Aliud eſſet, ſi opus externum foret intentionis Simoniacæ manifeſtativum.

PARAGRAPHUS IX.

Quænam ſint pœnæ Simoniacorum, & quandonam incurrantur?

Cum pœnæ à Jure Simoniacis de facto impoſitæ tantùm reſpiciant beneficia, ingreſſum Religionis, & Ordines dandos, aut procurandos; ideò ſolùm de illis hìc agimus.

CONCLUSIO I.

Quiſciens, & non contradicens, Beneficium Simoniacè accipit, aut qui illud alteri procurat, eligendo, nominando, præſtando, inſtituendo, confirmando, poſtulando, aut aliter operam ſuam interponendo, incurrit ipſo facto excommunicationem ſanctæ Sedi reſervatam. Ità habetur Extravag. 2. *De Simonia*, & in Bulla Sixti V. *Contrà malè promotos*. Inſuper ſit inhabilis ipſo facto ad idem Beneficium obtinendum. Patet ex c. 27. eod. Tit. non fit tamen inhabilis ad alia beneficia obtinenda, nec privatur ſuis beneficiis anteà legitimè obtentis, ſicut nec eorum fructibus, niſi per Judicis ſententiam id ſtatuatur; quandoquidem nulla lex, nullum Jus, nulla Bulla illam pœnam ipſo facto imponat: undè quæ poſſent apponi, vel loquuntur de beneficio ſimoniacè accepto, vel poſt ſententiam Judicis condemnatoriam.

Dixi: *Qui ſciens*: nam inſcius Simoniæ à parentibus, aut ab aliis, ratione beneficii, commiſſæ, nec excommunicationem, nec inhabilitatem ad illud poſteà obtinendum incurrit; tenetur tamen, ubi Simoniam noverit, ſtatim

Beneficium dimittere, fructuſque exſtantes reſtituere; non tamen bona fide conſumptos, ut diximus. Imò ſi per triennium bona fide, & titulo colorato Beneficium poſſedit, poteſt illud retinere.

Addidi: *Et non contradiceat*; quia ubi ſciens, Collatori contradicit, valida eſt collatio Beneficii in eum poſteà facta.

Porrò nomine *Beneficii* etiam intelliguntur hic juxtà probabiliorem ſententiam, Abbatia, Priotatus, Guardianatus, Provincialatus, Generalatus, ità ut ad illa Officia Simoniacè promoti, eaſdem pœnas incurrant. Cujus ratio eſt, quòd Summus Pontifex loco citato uſus ſit nomine *Officiorum* non *Beneficiorum*; illa autem eſſe propriiſſimè Officia Eccleſiaſtica, licèt impropriè ſint Beneficia, nullus ambigit. Et hoc rationi conſentaneum eſt, cùm ex illis Simoniacè acceptis, non minora ſequantur inconvenientia, quàm ex Beneficiis propriè dictis.

CONCLUSIO II.

EXcommunicantur excommunicatione Papæ reſervata, tum dantes, tum recipientes aliquid pro ingreſſu Religionis: intellige tamen perſonas particulares. Si autem Conventus hujus Simoniæ ſit particeps, ſuſpenditur ipſo facto ab Officio Capitulari, juriſdictionem, aut adminiſtrationem Eccleſiaſticam reſpiciente. Extravag. 1. *De Simonia*; ipſe verò receptus, ubi ejus Simonia eſt notoria, aut juridicè declarata, fit infamis, & conſequenter irregularis, irregularitate orta ex infamia. Eadem Extravag §. *Cæterum*. Et licèt ejus profeſſio ſit valida, adeòque poſſit ante ſententiam Judicis criminis declaratoriam in ſuo Monaſterio manere, (privatus tamen voce activa & paſſiva, ſicut & jure ad portionem ordinariam, donec accedat diſpenſatio, tamen poſt ſententiam criminis declaratoriam, è Monaſterio eſt expellendus, & ad Religionem ſtrictiorem pœnitentiæ cauſa detrudendus, cap. 25. *De Simonia*.

CONCLUSIO III.

SImoniacè Ordinem recipiens, conferens, ſicut & mediator, præſentator ad illius collationem, incurrit excommunicationem ſanctæ Sedi reſervatam, quacumque fulgeat dignitate, Pontificia, aut Cardinalitia. Extravag. 2. eod. Tit. Inſuper per Simoniam conferens Ordinem, eſt ipſo jure ſuſpenſus à collatione cujuſvis Ordinis, & Tonſuræ, ſicut & ab executione omnium munerum Pontificalium. Item interdicitur ipſi Eccleſiæ ingreſſus, &, ſi quidquam contrà Suſpenſionem, aut Interdictum fecerit, ſuſpenditur ab adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, & perceptione omnium fructuum ſuorum Beneficiorum: nec poteſt ab illis abſolvi, niſi à Summo Pontifice, etiamſi crimen ſit occultum. Ità Sixtus V. in Bulla *contrà male promotos*, quæ incipit *Sanctum & ſalutare*. §. 4. 91. Apud Cherubin. Tom 2.

Simoniacè autem Ordinatus, ultra dictam excommunicationem, ſuſpenditur ipſo facto ab executione omnium Ordinum; &, ſi in illis miniſtraverit, fit irregularis. Extravag. citata. Juxta Bullam autem Sixtinam, privatur omnibus Dignitatibus & Beneficiis, fitque inhabilis ad illa, ſicut & ad Ordines ulteriores ſuſcipiendos. Et abſolutio harum Cenſurarum & Inhabilitatum ſoli Papæ reſervatur. Docet tamen Leſſius, hanc Bullam, quantùm ad abſolutionem, non eſſe uſu receptam, adeòque poſſe Ordinatorem Simoniacum, juxtà conceſſionem Trid. Seſſ. 24. cap 6. *De Reform.* ab Epiſcopo abſolvi, ſi caſus ſit occultus: ſed rem examinandam Epiſcopis relinquimus.

Notandum tamen, præcedentia non afficere illos, qui per Simoniam ignoranter Ordinati ſunt, alio ſcilicèt, ipſis inſciis, pretium offerente; ſi excipias ſaltem Ordinum executionem, ad quam requirit D. Tho. Epiſcopi diſpenſationem, licèt Lucius III. c. 22. *de Simon* dicat, loquens de ignorantibus, *Poſſunt (quia Simoniaci non ſunt) in ſuis Ordinibus remanere*.

CONCLUSIO IV.

AD has pœnas incurrendas non ſufficit Simonia mentalis, nec ſemper requiritur realis.

Prob. Prima pars; quia, ut diximus, ſicut Eccleſia non poteſt de internis judicate; ità nec illa punire: ſi tamen opus externum indè ſequens nullatenùs ſit intentionis pravæ declarativum.

Prob. Secunda pars; quia licèt, ſecundùm omnium ſententiam, non ſufficiat quòd pretium ſit datum, ſi ſpirituale non ſit exhibitum; probabiliùs tamen ſufficit quòd ſpirituale exhibeatur, ſive ſit Ordo, ſive Beneficium, ſive ingreſſus Religionis, licèt pretium non detur, ſed tantùm promittatur. Patet ex cap. 5. 1. q. 3. ubi dicitur: *Quidquid ergo vel in ſacris Ordinibus, vel in Eccleſiaſticis rebus, vel data, vel promiſſa pecunia acquiſitum eſt; nos irritum eſſe, & nullas unquam vires habere cenſemus*. Et in Extravg. prima *De Simonia*, loquens Pontifex de ſuſpenſis, ob Simoniam, ab Ordinibus; etiam comprehendit illum, *qui ſub promiſſione pecuniæ Ordines receperit*. Item Cap. 2. *de Confeſſis*, ſpoliatur Canonicus Beneficio, eo quòd Electionem pecunia promiſſa, non tradita, vendiderat. Præterea talem eſſe ſtylum Curiæ Romanæ, aſſerit Toletus; imò Garcias id probat ex variis Rotæ Deciſionibus.

Quantùm ad Simoniam confidentialem (quando nempè quis reſignat Beneficium cum onere, ut alter illud idem, vel penſionem ex eo, vel aliquid ſimile ſibi, aut alteri præſtet; vel quando quis præſentat Clericum ad Beneficium, cum aliquo pacto, quòd idem Beneficium vel aliud conferet tertio, &c.) ſpecialis eſt Juris diſpoſitio: nam 1. illam committens, ſi eſt Cardinalis, Epiſcopus, aut alius Prælatus, interdicitur, ab ingreſſu Eccleſiæ, &c. ſi ingrediatur, fit irregularis: inferior autem, incurrit Excommunicationem Papalem, 2. Beneficii collatio aut reſignatio ipſo jure nulla eſt, adeòque debet ſtatim dimitti cum omnibus fructibus Cameræ Apoſtolicæ conſignandis. Ipſum autem Beneficium ſoli Papæ reſervatur conferendum. 3. Fit inhabilis Simoniacus confidentialis ad idem Beneficium poſteà obtinendum; imò & ad alia, ſaltem poſt ſententiam criminis declaratoriam, ſicut poſt illam privatur omnibus Beneficiis & penſionibus anteà juſtè obtentis. Ut autem hæ pœnæ incurrantur, ſufficit quòd Beneficium ſit acceptum, licèt accipiens ex ſua parte nihil adhuc ſolverit.

Petes 1. An qui committunt Simoniam juris tantùm humani, ut permutantes Beneficia propria authoritate, vendentes Officia Sacriſtæ, Oeconomi &c. incurrant pœnas Simoniacis impoſitas?

R. Affir. Ratio eſt; quia tum ſenſu Eccleſiæ, tum ſtylo Curiæ Romanæ, tum juris declaratione, tum communi Theologorum opinione, Simonia juris humani verè eſt Simonia; & conſequenter pœnæ generaliter Simoniacis impoſitæ etiam afficiunt Simoniacos juris humani: undè contraria ſententia nullatenùs videtur in praxi tenenda.

Petes 2. An Excommunicatio tantùm incurratur poſt captam pacificam Beneficii poſſeſſionem?

R. Neg. ſed ſtatim à receptione Beneficii, ut habet communis ſententia.

Petes 3. An incurrat pœnas Simoniæ confidentalis, qui reſignat Beneficium cum ſpe & confidentia interiori reſignationis reciprocæ, aut penſionis obtinendæ, nullo pacto exteriùs manifeſtata? huic dubio occaſionem dedit Pius V. in Bulla quæ incipit *Intolerabilis* 85. apud Cherubin Tom 2. ubi aſſerit confidentiam factam ex intentione ſola reſignantis, ſufficere ut Simoniaca judicetur. Nihilominùs.

R. Neg. quod etiam verum eſt, licèt adſit voluntas interna alterum obligandi; quia præfatus Pontifex tantùm loquitur in caſu, quo intentio interna per donationes, promiſſiones, aut obſequia inſolita manifeſtatur, ut patebit Bullam illam attentè legenti.

DISPUTATIO II.

De ſecundo Decalogi Præcepto.

SEcundum Decalogi præceptum exprimitur hoc modo Exodi 20. *Non aſſumes nomen Domini tui in vanum*. His verbis præcipitur erga Dei nomen reverentia, prohibetur irreverentia: reverentiam exhibemus, ſervando juramenta, promiſſiones, ſeu vota: irreverentiam committimus, blaſphemando, pejerando, temerè jurando: & ideò hic de Blaſphemia, Juramento, & Voto tractabimus. Brevem de Statu Religioſo diſſertationem ſubjiciemus Tractatui de Jure & Juſtitia in altero tomo.

Digitized by Google

QUÆSTIO I.

Quid Blaſphemia, quotuplex, quale peccatum, & qualiter Confeſſario cum Blaſphemis agendum?

CONCLUSIO I.

Blaſphemia eſt contumelioſa in Deum, vel in Sanctos locutio.

Dicitur 1. *Contumelioſa*, ut intelligatur Blaſphemiam ex natura ſua non eſſe propriè & formaliter Infidelitatem, ſed vitium Religioni oppoſitum: cùm enim Religio, Dei laudem & honorem tueatur: contumelia autem, directè opponatur alterius honori, dicendum eſt Blaſphemiam, quæ contumeliam continet, eſſe peccatum contrà Religionem, non contrà Fidem.

Dicitur 2. *In Deum*; quia licèt *Blaſphemia* græcè idem ſit quòd convitium ſeu maledictum, quo generaliter alterius honori, aut dignitati derogatur; uſu tamen apud Catholicos recepto ſumitur ſpecialiter pro maledictione in Deum, vel Sanctos; & ideò

Dicitur 3. *Vel in Sanctos*, non quidem ſine reſpectu ad Deum (Aliàs eſſet quidem peccatum Duliæ oppoſitum, non tamen Blaſphemia) ſed quatenùs Dei ſunt vel amici, vel miniſtri, vel opera manuum ejus; ità ut contumelia, non terminetur ultimò ad creaturas, ſed ad ipſum Deum.

Dicitur denique *Locutio*, 1. ut oſtendatur, quòd licèt Blaſphemia poſſit in corde committi, nunquam tamen ſit conſummata, niſi ore proferatur. 2. Ut excludantur in rigore certà ſacta Deo contumelioſa, ut in Cœlum expuere, gladium extrahere; quamvis in ordine ad tribunal Sacramentale videantur poſſe ad Blaſphemiam reduci.

CONCLUSIO II.

Duplex eſt Blaſphemia: Hæreticalis una, non Hæreticalis, ſeu ſimplex altera: Hæreticalis eſt illa, quæ annexam habet Hæreſim, ſeu aliquid fidei contrarium; ut ſi quis dicat, Deum eſſe immiſericordem, injuſtum, improvidum, noſtra non curare. Item ſi negetur Filio æqualitas cum Patre; ſi tribuatur creaturæ, quæ ſoli Deo competit, ut Dæmones expellere, mortuos ſuſcitare &c. quia per hoc ſignificatur Dei potentiam eſſe ipſi creaturæ communem.

Hic interrogandi ſunt pœnitentes, an de facto crediderint Hæreſes, quas de Deo blaſphemando enunciaverunt? Si enim illas non ex credulitate, ſed ex vehementi paſſione protulerint, Hæreticalis quidem eſt blaſphemia, ſed Hæreſim conjunctam non habet. Non Hæreticalis, ſeu ſimplex eſt illa, quæ nullam continet Hæreſim; ſed quoddam Dei vituperium: quod fieri poteſt, vel imprecatione, ut: *Pereat Deus, ſit maledictus &c.* vel deteſtatione, ut: *velit, nolit Deus*, vel demonſtratione, ut ſi quis Chriſti mortem, caput, ventrem, aut alia membra indecorè, vel inhoneſtè proferat. Idem eſt ſi id fiat de membris B. Virginis, aut Sanctorum cum ordine ad Deum.

Porrò licèt Blaſphemia Hæreticalis ſpecie differat à non Hæreticali, propter circumſtantiam Hæreſis ſpeciem mutantis; probabiliùs tamen eſt, omnes Hæreticales eſſe ejuſdem ſpeciei; quia ſive Deo tribuatur quod ei repugnat, ſive negetur quod ei convenit, ejuſdem videtur eſſe malitiæ ſpecificæ. Dico: *Specificæ*; quia non dubito, poſſe unam eſſe altera notabiliter graviorem, adeòque in Confeſſione exprimendam: longè enim majorem Deo facit injuriam, qui dicit ipſum eſſe Diabolum, quàm qui dicit eſſe improvidum.

Quantùm ad Blaſphemias ſimplices inter ſe comparatas, eſſe ejuſdem ſpeciei, conveniunt DD. ſed diſconveniunt an Blaſphemia in Deum ſpecie differat à Blaſphemia in Sanctos, propter Deum. Sed, dicendum Blaſphemiam in Sanctos, quatenus Deum reſpicit, eſſe ejuſdem ſpeciei cum alia; quia ſicut cultus, qui tribuitur Deo & ſanctis propter Deum, eſt idem ſpecificè, ità Blaſphemia in Deum, & Sanctos propter Deum, & ſpecie conveniunt. Quatenùs autem præcisè reſpicit Sanctos, eſt peccatum oppoſitum Duliæ: ſicut quando reſpicit B. Virginem, eſt peccatum oppoſitum Hyperduliæ, ut patet ex dictis. Hinc

R. Blaſphemantem in Sanctos, aut B. Virginem, propter Deum, committere duplex ſpecie peccatum in Confeſſione exprimendum: unum quidem contrà Duliam, aut Hyperduliam, in quantum contumelia afficit perſonam honore dignam; alterum autem contrà Latriam, in quantùm ejus Blaſphemia redundat in Deum.

CONCLUSIO III.

Blaſphemia eſt peccatum ex genere ſuo graviſſimum, & quidem gravius Perjurio & Idololatria, cùm per illam audeat homo ponere os ſuum in Cœlum, ut Creatorem ſuum, Redemptorem, ac Benefactorem contumeliis & convitiis appetat: undè non datur in ea parvitas materiæ, niſi fortè ratione indeliberationis & inadvertentiæ; quia ſemper gravem infert Deo injuriam. Hujus autem horrendi peccati gravitatem indicant pœnæ tum Eccleſiaſticæ, tum Civiles blaſphemantibus impoſitæ: nam c. 10. 22. q. 1. decernitur deponendos eſſe in Ordine Eccleſiaſtico conſtitutos; laicos autem anathematizandos. Et Authent. collat. 6. Tit. 5. Nov. 77. cap. 1. §. 1. Statuitur, Blaſphemos ultimis ſuppliciis eſſe puniendos: undè nonnunquàm in Gallia linguæ abſciſſione, aut perforatione corripiebantur. Conc. autem Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſ. 6. volens efficaciter execrando huic monſtro caput infringere, ſtatuit, ut Blaſphemus gerens officium publicum, prima & ſecunda vice emolumenta trium menſium perderet, pro tertia eo officio privaretur. Clericus autem Sacerdos, prima vice privaretur omnibus fructibus Beneficii per annum, ſecunda Beneficio, tertia fieret infamis & inhabilis ad omnia: laicus verò, ſi foret nobilis, prima & ſecunda vice mulctaretur 25. ducatis, tertia nobilitatem perderet: ſi autem foret plebejus, ad carceres perpetuos, aut triremes condemnaretur, ſuppoſito relapſu: quæ pœnæ licèt non videantur in uſu ob nimiam Judicum indulgentiam, vel ob frequentiorem blaſphemandi conſuetudinem; illius tamen peccati enormitatem demonſtrant.

Dixi: *niſi fortè ratione indeliberationis & inadvertentiæ*, quam hic non admittimus, niſi ex ſola ſubreptione, qua quis priùs verbum profert, quàm ad ſenſum advertat. Qui autem ſolent ex omnimoda ſubreptione blaſphemare, eorum conſuetudo eſt graviter peccaminoſa, ſi pro illa vincenda ſeriò ad laborare neglexerint; imò tot committunt Blaſphemiæ peccata in Confeſſione exprimenda, quot advertunt ſe ordinariè proferre; quandoquidem illa omnia ſint voluntaria in cauſa.

Petes 1. An ſit blaſphemus, qui iratus, aut indignatus contrà brutum, aut hominem, vera de Deo, aut Chriſto profert, v. g. Dei mortem?

R. Affir. quia licèt affectus indignationis in Deum non tendat; verba tamen Deum inhonorant: Deum autem poſitivè inhonorare, ſemper eſt peccatum grave.

Petes 2. An qui ex puro joco falſa de Deo enuntiat, v. g. dicendo: *Deus eſt homo ſenex habens longam experientiam*, blaſphemiam committat?

R. Neg. quia nec apud proferentem, nec apud audientes Deus contumelioſè tractatur: quamvis & ipſe loquendi modus non ſit uſurpandus, præſertim apud rudes.

Petes 3. Quid ſit Blaſphemia in Spiritum Sanctum?

R. Eſſe peccatum in eundem, quod, juxta Scotum 2. diſt. 43. quæſt. 1. conſiſtit in deſperatione, ſeu obſtinatione in malo cum deſperatione & propoſito non pœnitendi. Alii autem illud dividunt in ſex ſpecies, nempè Deſperationem, Præſumptionem, Impugnationem agnitæ veritatis, Invidiam fraternæ gratiæ, Obſtinationem, Impœnitentiam.

Porrò dicitur potiùs in Spiritum S. quàm in Patrem, aut Filium; quia procedit ex malitia, quæ opponitur Bonitati Spiritui S. appropriatæ, ſicut appropriatur Patri Potentia, cui opponuntur peccata ex infirmitate, & Filio Sapientia, cui ſunt oppoſita peccata ignorantiæ.

CONCLUSIO IV.

Debent Confeſſarii hujus peccati malitiam, horrorem, & execrationem ſuis pœnitentibus fortiter inculcare; &, ſi eos in hac materia recidivos repererint (idem eſt in materia perjurii) debent ipſis pœnitentias medicinales, toties quoties blaſphemaverint practicandas imponere: idque prudenter; attenta perſonarum conditione, commoditate &c. quòd ſi pœnitentiæ neglectæ fuerint, neganda eſt ipſis Abſolutio, donec eas impleverint: quòd ſi adimpletæ nihil profuerint, debet prudens Confeſſarius aliarum experimentum facere.

Digitized by Google

QUÆSTIO II.

De Juramento.

JUramentum (quod à jure dictum eſt, eo quòd juranti ſit loco juris & legis, ſaltem ut impleat id quod juramento promiſit) aliquando dicitur in ſcriptura *jusjurandum*, quaſi veritas jure firmata; aliquando in Jure Canonico *Sacramentum*; quia fit per rem ſacram, ſcilicet Divinum Teſtimonium. De eo plura occurrunt examinanda; & ideò hanc Quæſt. in varios Art. dividemus.

ARTICULUS I.

Quid ſit Juramentum, & an ſit licitum?

CONCLUSIO I.

JUramentum eſt Dei in teſtem eorum, quæ aſſeruntur aut promittuntur, invocatio.

Dicitur 1. *Dei*, expreſsè nempè, vel tacitè: expreſsè invocatur, cum dicitur, *Per Deum, juro Deum, ſit mihi teſtis Deus* &c. tacitè autem, cùm invocatur in creaturis quatenùs in eis relucet ſingulariter aliquid Divinitatis; hinc qui jurat, *Per Cælum*, cenſetur jurare per eum, qui ibi thronum fixit: qui *Per Evangelium*, per ejus authorem: qui *Per terram*, per ejus Creatorem; ſicut & qui *Per animam*. Non jurat tamen (niſi id intenderet) qui dicit, *Per capillos*, *per pileum*, *per canem*, & alia viliora; quia non ſplendet in eis ſpecialiter aliquid Divinitatis.

Dixi: *Quatenus in eis relucet aliquid Divinitatis*: nam ſi quis vocet in teſtem creaturam ſecundùm ſe, non facit juramentum; cùm ipſa non poſſit eſſe teſtis ut prima veritas: hinc qui dicit: *In conſcientia mea*, *in fide mea*, *per fidem meam*, *per fidem Regis*, *viri nobilis*, *viri honeſti*, *in veritate* &c. non cenſetur jurare; quia non aſſumit illa prout in eis relucet aliquid Divinum, ſed ut oſtendat, ſe loqui in fide, veritate, conſcientia, fidelitate, quam habere debet vir probus in dictis ſuis: eſſet tamen juramentum, ſi per *Fidem* intelligeret Fidem Catholicam, aut per *Veritatem* intenderet aſſumere Veritatem Dei. Item nec jurat, propter eamdem rationem dicens: *In fide Epiſcopi*, *Religioſi*, *Sacerdotis*, niſi aliud intenderet, aut verba illa eſſent recepta alicubi pro juramento.

Dicitur 2. *In teſtem*, non ut ſtatim & per miraculum teſtificetur Deus id quod juratur; ſed ut ſua authoritate veritatem allatam corroboret, & partem dubitantem de ea confirmet. Item ut excludantur certæ enunciationes, ut hæc. *Hoc eſt tam verum, quàm Deus ſit in Cœlo, Chriſtus in Eucbariſtia*, ubi fit comparatio, non atteſtatio Divini nominis: ſicur nec fit in ſequentibus, ſi proferantur enunciativè: *Deus ſcit ita eſſe*, *Deus videt conſcientiam meam*, *coram Deo loquor* &c. aliud eſſet, ſi proferrentur invocativè: undè in his attendenda eſt intentio loquentis.

Dices, qui jurat falſum, verè jurat, ſed non habet voluntatem adducendi Deum in teſtem ſuæ falſitatis, cùm hoc ſciat eſſe impoſſibile. ergo.

R. Diſt. Mi. non habet voluntatem efficacem. C. quantum eſt ex parte ſua, ut alium decipiat, N.

Dicitur 3. *Eorum quæ aſſeruntur, aut promittuntur*, ut includatur juramentum Aſſertorium, tum Promiſſorium, de quibus poſteà.

Dicitur 4. *Invocatio*, ut oſtendatur juramentum eſſe actum Religionis, ſeu Latriæ: nam, ut ait Hieron. in cap. 5. Matth. *Qui jurat, aut veneratur, aut diligit eum, per quem jurat*: Deum autem revereri eſt actus Religionis ſeu Latriæ.

Dices 1. Melius eſt non jurare, quàm jurare; ſed ſi juramentum eſſet actus Religionis, melius eſſet jurare, quàm non jurare: ergo.

R. Conceſſa Ma. quæ vera eſt, per ſe loquendo, neg. Min. quia licèt juramentum ſit bonum, ab illo tamen abſtinere melius eſſe ſicut melius eſt non nubere, licèt matrimonium ſit bonum.

Inſtabis, quia Oratio eſt actus Religionis, meliùs eſt orare, quàm non orare: ergo ſimiliter.

R. Neg. cauſalem; ſed ratio, cur melius ſit orare, eſt quia *non orare* non eſt actus virtutis: *Non jurare* autem eſt actus Simplicitatis, ſæpiùs in Scriptura commendatæ, ſecundùm quam ſermo noſter debet eſſe, *eſt*, *eſt*, *non*, *non*.

Dices, 2. Sæpè fit juramentum propter negotia temporalia: ergo non eſt actus Religionis.

R. Idem objici poſſe de Oratione, quæ ſæpè fit pro recuperatione ſanitatis, litis deciſione &c. finis ergo proximus juramenti, ſicut & Orationis, non eſt temporale, ſed veneratio Dei, à quo temporalia expectantur.

Adv. Hic ad juramentum non ſemper requiri invocationem verbalem, ſed ſufficere illam, quam conſuetudo legitima introduxit; ſive fiat verbis, ſive ſignis, v.g. elevatione manus, tactu Euangelii &c.

CONCLUSIO II.

LIcitum eſt jurare in debitis circumſtantiis, & ita tenere debent omnes Catholici.

Prob. Tum ex Script. Deut. 6. *Dominum Deum tuum timebis, ac per nomen ejus jurabis*: Tum exemplo S. Pauli quandoque in ſuis Epiſtolis jurantis, ut Rom. 1. *Teſtis mihi eſt Deus*, & alibi: tum ex SS. Patribus, Auguſtino & aliis: tum ex Jure Canonico & Civili: tum etiam ex antiquiſſima Sanctorum praxi.

Dices, Jacobi 5. dicitur: *Ante omnia, fratres mei, nolite jurare: neque per Cælum &c.* idem habetur Matth. 5.

R. 1. Scripturam tantùm velle non eſſe jurandum ſine conditionibus requiſitis: undè quando Matth. 5. additur: *Sit ſermo autem veſter, eſt, eſt, non, non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* Non intelligitur à malo debitè jurantis, ſed à malo non credentis, adeòque alterum ad juramentum cogentis.

R. 2. Ibi non ſemper prohiberi juramentum præcisè, ſed juramentum per creaturas tanquàm Divinitates, ut docet D. Th. 2. 2. q. 89. art. 6. ad 1. & ideò additur: *Neque per Cælum, neque per terram &c.* quod faciebant Judæi, ut refert D. Hierony. in locum citatum his verbis: *Judæi per Angelos &c. jurantes, creaturas, reſque carnales venerabantur honore, & obſequio Dei.*

ARTICULUS II.

Quæ conditiones requirantur ad licitè jurandùm?

TRes requirit Scriptura Jeremiæ 4. *jurabis, vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in juſtitia.*

CONCLUSIO I.

VEritas ad juramentum requiſita in hoc conſiſtit, quòd jurans credat certò rem ſe habere, ſicut jurat.

Dicitur 1. *Credat*; quia ſi bona fide exiſtimet eſſe verum quod jurat, licèt à parte rei ſit falſum, non eſt perjurus, modò debitam diligentiam ad rei veritatem inquirendam præmiſerit, ſi autem juret verum, & credat illud falſum, perjurium committit.

Dicitur 2. *Certò*: hinc dubius de rei veritate, aut habens tantùm rationem probabilem, perjurus eſt, ſi rem juret ut certam; quia ultra periculum pejerandi, falsò jurat in actu exercito, cùm juret ſe certò ſcire id, de quo dubitat, aut quod non niſi probabiliter novit: undè debet certum ut certum, dubium ut dubium, probabile ut probabile jurare. Crediderim tamen ſufficere, extra judicium, talem certitudinem moralem, ut homo prudens & timoratus, nullatenùs de contrario ſuſpicaretur.

Dixi: *Extrà Judicium*; quia in judicialibus requiritur notitia viſus, ſeu præſentia, vel certè debet addere ſe ab aliquo audiviſſe: undè Calixtus Papa Cap. 55. 3. q. 9. jubet teſtes de iis ſolis, quæ in eorum præſentia geſta ſunt, teſtificari.

Porrò defectus Veritatis in juramento eſt peccatum mortale. ità ut nec materiæ juratæ parvitas, nec finis ſanctiſſimus, nec extrema neceſſitas poſſit illud reddere veniale. Ratio eſt; quia cùm Deo ſummæ Veritati repugnet infinitè quæcumque falſitas, gravem facit ei injuriam, qui attentat ipſum in teſtem falſi adducere. Undè hanc propoſitionem condemnavit Innoc. XI. *Vocare Deum in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.*

Petes; Quid dicendum de eo, qui ex inadvertentia jurat quandoque verum, quandoque falſum?

R. Toties peccare mortaliter, quoties advertens ad illam conſuetudinem, negligit illam eradicare; quandoquidem per illam exponat ſe evidenti periculo perjurii. Vide quæ diximus de Blaſphemia.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO II.

JUdiciom hic neceſſarium requirit, ut nonniſi ex neceſſitate & Chriſtiana Prudentia juretur, & quidem pro re gravi: undè Aug. Serm 28. de verbis Apoſt. Cap. 9. *Quantùm ad me pertinet juro, ſed quantùm mihi videtur magna neceſſitate compulſus*. Defectus judicii non excedit ordinariè peccatum veniale; quia ſupponitur, quòd res jurata ſit vera & juſta, adeòque tota malitia conſiſtit in aſſumpti Divini nominis ſuperfluitate: in quam impingunt illi, qui ferè ad ſingula verba, habent in ore nomen *Dei*, aut nomen *Jeſu*.

CONCLUSIO III.

JUſtitia exigit, ut Juramentum ſit de re honeſta & licita. Hujus defectu

Peccat 1. graviter, qui juramento promiſſorio ſpondet ſe peccaturum lethaliter, v.g. fornicaturum, occiſorum &c. Ratio eſt; quia magnam committit irreligionem, gravemque infert Deo injuriam, cùm ipſum aſſumat in teſtem, quòd ſit acturus id, quod graviter prohibet.

Sed quid ſi juraret ſe peccaturum leviter?

Leviter peccare, aſſerunt quamplurimi: putem nihilominùs etiam peccaturum mortaliter; quia videtur eſſe quidam Dei contemptus, aut irriſio: ſicut enim cenſeretur Principem contemnere, aut irridere, qui ipſum aſſumeret in teſtem, quòd eſſet ipſi dicturus injurias, licèt leves; ita & qui Deum aſſert in teſtem, quòd ſit ipſum offenſurus, licèt leviter.

Peccat 2. venialiter tamen, qui jurat ſe non ſervaturum Conſilia Euangelica, aut ſe facturum rem indifferentem; modò tamen habeat protunc voluntatem exequendi promiſſum, aliàs peccaret graviter, defectu veritatis. Ratio eſt; quòd in vanum Dei Teſtimonio utatur; quia tamen non jurat rem malam, non videtur gravem Deo injuriam facere.

Peccat 3. lethaliter contra Religionem, qui juramento aſſertorio utitur tanquàm medio, aut inſtrumento peccati, ad firmandam v.g. detractionem, aut contumeliam quam infert proximo: & hoc verum eſt; ſive peccatum juramento firmatum ſit grave, ſive leve: quia Deum, quem in teſtem adducit, facit iniquitatis coadjutorem, cum per ipſum reddat alterius infamiam probabiliorem & certiorem; quod omni caſu eſt Deo graviter injurioſum.

Dixi: *Qui juramento utitur tanquàm medio, aut inſtrumento peccati*: nam ſi quis humiliationis cauſa narret ſua delicta, & ut magis credatur, adjungat juramentum, non peccat, ſaltem graviter; quia juramentum non aſſumitur ut inſtrumentum peccati, ſed potiùs humiliationis. Sed quid ſi narret peccatum ſuum jactantiæ cauſa, & illud confirmet juramento? Aſſerunt nonnulli tantum eſſe veniale; quia non aſſumit juramentum ſuæ jactantiæ inſtrumentum, ſed ut audientes perſuadeat; attamen, quidquid ſit, nolim talem eſſe omninò à peccato gravi ſecurum, cùm non parva videatur Divini Nominis inhonoratio, quòd quis eo abutatur in teſtimonium ſuæ malitiæ, & Dei legis violatæ.

ARTICULUS III.

Quotuplex Juramentum, & an omnia ſint ejuſdem ſpeciei?

COnſiderari poteſt Juramentum ex parte rei juratæ, & ex parte modi jurandi; & juxtà diverſam illam conſiderationem, etiam diverſimodè dividi.

CONCLUSIO I.

DIviditur Juramentum ex parte rei juratæ in Aſſertorium, Promiſſorium, & Comminatorium. Aſſertorium eſt, quo aliquid præſens, aut præteritum aſſerimus: v.g. *Teſtor Deum, me fuiſſe heri in foro, me nunc eſſe ſanum &c.* Promiſſorium, quo aliquid futurum à nobis promiſſum confirmamus, ut: *Per Deum, dabo tibi centum aureos*. Comminatorium, quo pœnam minamur; ſed reducitur ad promiſſorium, cùm ſit promiſſio de pœna alteri infligenda. Porrò in Juramento Aſſertorio una tantùm requiritur veritas, nempè rei quæ aſſeritur. In Promiſſorio autem, duplex, una præſens, utpotè, quòd velit exequi promiſſum; altera futura conſiſtens in executione: hæc veritas, utpotè minùs principalis, poteſt quandoque licitè abeſſe, ut dicemus; illa nunquàm, quia magis principalis.

CONCLUSIO II.

DIviditur 1. Juramentum, ex parte modi jurandi, in Explicitum & Implicitum: primum fit per expreſſam Dei invocationem, ut: *Juro Deum, teſtor Deum &c.* ſecundum per implicitam, ut cùm quis jurat per creaturas, in quibus Deus ſpecialiter relucet.

Dividitur 2. In Simplex & Solemne: illud fit per ſimplicem Dei invocationem; hoc cum ſpeciali circumſtantia, v.g. tactis Euangeliis, Ara, Cruce, vel coram Notario, Teſtibus &c.

Dividitur 3. in Judiciale & Extrajudiciale: primum exercetur coram Judice legitimè interrogante; ſecundum extrà tale judicium. Porrò tria requiruntur ex Jure communi ad licitè jurandum in judicio. Primum, ut jurans ſit jejunus Cap. 16. 22. q. 5. ſed hoc tantùm eſt de conſilio. Secundum, ut non fiat diebus Dominicis, aut Feſtis, niſi pro bono pacis, aut piæ cauſæ, Cap. 5. *de Feriis*. Quod autem habetur Cap. 17. 22. q. 5. nempè, ut non fiat in Litaniis majoribus, Rogationibus, Jejuniis quatuor Temporum, ab Adventu Domini uſque ad Epiphaniæ Octavam, & à Septuageſima uſque in Octavam Paſchatis, abiit in deſuetudinem. Ut jurans non ſit in judicio de perjurio convictus & damnatus; ut non ſit impubes, qui nec poteſt ad jurandum cogi, nec ſpontè ſe offerens admitti; ut, ſi ſit Clericus, nec jurat, nec teſtificetur, nec præſtet juramentum de calumnia coram Laico abſque licentia ſui Epiſcopi: hæc tamen poterit ſine dicta licentia, ſi nec à Laico cogatur, nec ipſum Superiorem agnoſcat. Cap. 22. 22. q. 5. eſt autem juramentum de calumnia, dum Actor jurat ſe cauſam movere bona fide, & non animo calumniandi.

Porrò Cap. 4. 2. q. 5. interdicitur Sacerdotibus jurare in judicio, etiam coram legitimo Judice pro cauſa levi; quia verbum Sacerdotis æquivalere debet juramento alterius; poſſunt tamen, juxta D. Thom. pro gravi neceſſitate, aut magna utilitate, puta pro pace, fide, obedientia, indemnitate Eccleſiæ, ut ſe liberent ab infamia, aut Excommunicatione, ut indemnizent injuſtè vexatos defectu probationis &c. Imò id ipſis licitum eſt in judicio laicali, juxta Sylveſtrum.

Dividitur 4. Juramentum in Conteſtatorium, & Execratorium. Conteſtatorium eſt in quo Deus ſimpliciter vocatur in Teſtem, *ut Teſtor Deum*. Execratorium, ſeu Imprecatorium eſt, quo nos vel aliquid ad nos aliqualiter pertinens Divinæ ultioni ſubjicimus, ſi falſum juramus; undè per illud non tantùm vocamus Deum in teſtem, ſed etiam in vindicem, ſeu ut pœnam infligat, ſi falſum aſſerimus. Aliud eſt explicitum, ut ſi quis dicat: *Si hoc non ità ſit, moriar in loco, abſorbear à terra, ardeam in Inferno, nunquam fruar Deo, Diabolus me, aut filium meum aſportet, ſim maledictus &c.* Aliud implicitum, ut cùm quis jurat *per vitam, per caput, per animam, per ſalutem ſuam*, aut alterius ſibi chari: cenſetur enim per illa verba Deum interpellare, ut ſibi, aut alteri vitam, vel ſalutem eripiat, ſi mentiatur.

Adv. hic, non eſſe in rigore juramentum Execratorium, ſi quis dicat: *Si mentiar, volo ſuſpendi; vivus comburi, ad triremes damnari, volo, ut mihi amputetur caput, aures &c.* quia non videtur per hoc Deum in teſtem, aut in vindicem aſſumere, ſed tantùm oſtendere ſe contentum eſſe talia ab hominibus pati, ſi verum non dicat.

CONCLUSIO III.

OMnia juramenta quocumque modo fiant, ſive per Deum, ſive per creaturas; ſive explicitè, ſive implicitè; ſive tangendo librum Euangeliorum, ſive non; ſive promittendo, ſive aſſerendo; ſive in judicio, ſive extra, ſive ſolemniter, ſive non (ſi ſaltem Execratorium excipias) ſunt omnia ejuſdem ſpeciei in ratione juramenti; adeòque & omnia perjuria ejuſdem ſpeciei in ratione perjurii.

Ratio eſt; quia ratio eſſentialis Juramenti conſiſtit in invocatione Divini Teſtimonii; atqui omnia juramenta illam continent, & præter illam non continent niſi modos invocationis accidentales, qui non poſſunt ſpeciem Juramenti ut ſic variare: ergo.

Dixi 1. *Si ſaltem Execratorium excipias*; quia jurans execratoriè, videtur quandoque duplex ſpecie peccatum committere: & certè ſi tantùm jurans falſum, peccet uno peccato; ſi tantùm dicens deliberatè: *Diabolus me aſportet, nunquàm fruar Deo &c.* peccet altero ſpecie peccato: quidni utrumque conjungens committat duplex ſpecie peccatum?

Dixi 2. *In ratione Juramenti*; quia poteſt quis pejerando,

ultrà

ultrà pejurium, committere blaſphemiam, ſi nempè juret per mortem, aut caput Dei. Idem accidere poteſt in illo, qui à legitimo ſuperiore jurare juſtè coactus, pejerat; ille enim, ultrà perjurium, committit inobedientiam, imò & injuſtitiam, ſi per hoc alteri noceat.

ARTICULUS IV.

Quænam ſit obligatio Juramenti?

ADv. 1. nos hic de ſola obligatione juramenti Aſſertorii & Promiſſorii agere, cùm omnia juramenta ad illa duo reducantur: vel enim juramentum, qualecumque ſit, reſpicit rem præſentem aut præteritam, & eſt Aſſertorium, vel rem futuram, aut quæ fieri debeat, eſtque Promiſſorium.

Adv. 2. Juramentum Promiſſorium poſſe fieri vel ſoli Deo, vel etiam in commodum & utilitatem hominis: priori modo induit rationem voti, poſteriori rationem promiſſionis homini factæ, ſed Dei teſtimonio firmatæ. His notatis

CONCLUSIO I.

JUramentum Aſſertorium, ſive fiat aliquid affirmando, ſive negando, obligat jurantem, idque graviter, ad dicendum verum. Ratio eſt; quia aliàs Deus vocaretur in teſtem mendacii. Porrò juramentum hoc tantùm obligat pro tempore, quo juratur.

CONCLUSIO II.

JUramentum Promiſſorium de re impoſſibili, aut illicita, non obligat; ſive fiat Deo, ſive homini.

Prob. Prima pars; quia nemo teneri poteſt ad impoſſibile: peccat tamen graviter hoc modo jurans, cùm cenſeatur jurare falſum, eo quòd juret quod novit impoſſibile.

Prob Secunda pars; quia juramentum non poteſt eſſe vinculum iniquitatis; eſſet autem, ſi obligaret ad illicitum: qualiter autem peccet taliter jurans? diximus articulo præcedenti. Sed quid dicendum de eo, qui, ut impleret juramentum de mentiendo v. g. mentiretur? Poſſet à mortali excuſari, ſi id faceret ex ignorantia vulgari, qua putaret ad id ſe teneri propter reverentiam juramenti: illa tamen ſecluſa, executio mendacii eſſet mortalis; quia blaſphemum eſt Deo offerre peccatum, aut aliquid contrà ejus conſilia tanquam ipſi placens.

CONCLUSIO III.

JUramentum Promiſſorium Deo, vel homini factum obligat ad ſui executionem ſub gravi peccato, ubi res promiſſa eſt gravis; ubi autem eſt levis, videtur tantùm ſub veniali obligare, ut oſtendemus ex S. Thoma infra citando.

Prob. Prima pars; quia exigit reverentia & fidelitas juramento debita, ut res jurata executioni mandetur; & conſequenter ſub peccato gravi, ubi res jurata gravis eſt: undè peccat duplici peccato, uno contrà juſtitiam, altero contrà Religionem, qui non dat alteri aureum, quem cum juramento promiſit, etſi non pejeret, ut dicemus jam.

Prob. Secunda pars 1. quia licèt in Juramento Promiſſorio adducatur Deus in teſtem veritatis præſentis & principalioris, ideſt, quòd jurans verè habeat hic & nunc animum exequendi id, quod promittit; non tamen adducitur in teſtem veritatis futuræ & minùs principalis, ſeu executionis rei promiſſæ; ſed reſpectu illius, tantùm affertur, ut ſua authoritate promiſſionem foveat, poſſitque executio fideliter reſpondere promiſſioni: undè defectus executionis non eſt perjurium, ſed infidelitas, in qua datur materiæ parvitas, ut patet in voto.

Prob. 2. Ideò defectus veritatis præſentis ſemper eſt peccatum mortale, ſive res jurata ſit gravis, ſive levis; quia Deus adducitur in teſtem mendacii: ſed defectus veritatis futuræ, ſeu executionis non eſt mendacium, ſed infidelitas: ergo &c. Prob Min. quia mendacium, utpotè intrinſecè malum, nunquàm licèt; non implere autem promiſſum, quandoque permiſſum eſt ob cauſas ſupervenientes, ut ſuo loco dicetur: undè defectus executionis eſt ſignum animi mutati, non impotentis. Hoc confirmat S. Thom 2 2. q. 110. Art. 3. ad 5 *Qui aliquid promittit, ſi habeat animum faciendi quod promittit, non mentitur: quia non loquitur contrà id, quod gerit in mente; ſi verò non faciat quod promiſit, tunc videtur infideliter agere, per hoc quod animum mutat.* Et certè non mentitur quando jurat, ut patet: neque dum animum mutat, cùm non loquatur; & conſequenter, cùm non ſit mendacium, nec eſt perjurium.

Prob. 3. Secundùm plurimos DD. ſententiæ oppoſitæ, qui omittit partem levem rei totalis cum juramento promiſſæ, tantùm peccat venialiter; ſed non eſt major obligatio exequendi rem levem, quæ eſt tota materia jurata, quàm rem levem, quæ eſt pars materiæ juratæ; quandoquidem illa non ſit magis promiſſa, jurata, aut Deo obligata, quàm hæc: ergo. Ex dictis hac concluſione

Reſol. 1. Teneri Medicos ſub gravi peccato ſervare Juramentum, quod fecerunt in ſuſceptione Graduum, monendi infirmos de confitendis peccatis, ità ut, ſi periculosè ægrotantes non moneant, non tantùm peccent contrà jus naturæ, ſed etiam graviter contrà Religionem, cùm juramentum illud ſit de re gravi. Quos autem infirmos reſpiciat Decretum Pii V. præcipiens Medicis, ne ultrà tertium diem viſitent infirmum, niſi de Confeſſione moneant, ſicut & juramentum quod præſtant vi hujus Decreti? diſputatur. Alii volunt quoslibet, alii graviter ægrotantes, alii tantùm periculosè: hoc unum certum eſt, ſervandum eſſe Decretum & juramentum, ſicut uſu receptum eſt.

Reſ. 2. Jurantes ſervare Statuta Reipublicæ, Univerſitatis &c. non peccare graviter in violatione cujuslibet Statuti, ſed graviter, ubi Statutum eſt de re gravi, leviter, ubi de re levi; imò quandoque culpam non incurrunt, ſed ſolam obligationem ſubeundi pœnam; ubi ſcilicèt Statutum tantùm reſpicit pœnam defectuoſis impoſitam.

Reſol. 3. Juramentum ſervandi ſecretum eorum, quæ tractantur in Conventibus, Congregationibus, Capitulis, &c. obligare proportionatè ad materiam; ità ut revelans ſecretum, ſi materia ſit gravis, aut ex ejus revelatione timeatur grave nocumentum, graviter peccet contrà Fidelitatem & Religionem; ſi autem ſit levis, & non niſi leve detrimentum ex revelatione poſſit oriri, tantùm leviter peccat. Cujus ratio eſt, quòd hic obligatio juramenti ſequatur obligationem ſecreti, quod tantùm obligat proportionatè ad materiam ſub ſecreto traditam.

Reſp. 4. Scribas, Procuratores, Advocatos, Conſiliarios, & alios, qui jurant ſe non petituros, aut recepturos pro ſalario ultrà id, quod lege taxatum eſt, graviter delinquere, non tantùm contrà juſtitiam, ſed etiam contrà Religionem, ubi taxam graviter excedunt: aliàs tantùm leviter: cum hac tamen limitatione, ut quando plures injuſtitiæ leves, gravem conſtituunt, etiam peccent lethaliter vi juramenti violati: *ſicut* taliter peccaret, qui committeret plura furta levia grave unum continentia, ſi juraſſet ſe non furaturum; quia in illis juramentum tanquàm acceſſorium ſequitur, quantùm ad obligationem, naturam injuſtitiæ aut furti tanquam principalis.

Reſol. 5. Parentes, Heros, Præceptores &c. jurantes caſtigaturos ſibi ſubditos, ad id teneri ſub gravi culpa, ſi correctio multùm conducat ad eorum ſalutem, nec ſit majoris boni impeditiva. Ratio eſt; quia cenſerentur Dei authoritatem, quam ad confirmandam caſtigationem promiſſam aſſumpſerunt, in re gravi nihili facere, & quaſi contemnere: excuſantur tamen à mortali, ubi correctio jurata, eſt levis momenti, aut non niſi leviter conducit ad ſubditorum utilitatem; imò non peccabunt illam omittendo, ſi prudenter judicent potiùs obfuturam, quàm profuturam ſubdito, turbaturam pacem familiæ, factam eſſe inutilem, filium aut famulum ſufficienter ſatisfeciſſe ſe emendando, humiliando, veniam petendo &c. quia cenſentur jurare ſub hac conditione, *niſi ceſſet ratio*.

CONCLUSIO IV.

JUramentum promiſſorium ſoli Deo factum non obligat, ſi ſit de re indifferenti, aut de eo, cujus oppoſitum melius eſt. Ratio eſt; quia juramentum ſoli Deo factum æquivalet voto, quod, ut dicemus poſteà, non obligat, ubi materia eſt indifferens, otioſa, aut majoris boni impeditiva: hinc, ſi juraſti te fricaturum barbam, ad nihil teneris; quia eſt quid indifferens: ſicut nec teneris inire Matrimonium, ſi juraſti te illud contracturum; quia meliùs eſt in cœlibatu, quàm in Matrimonio vivere: hoc tamen intelligi debet per ſe loquendo: nam ſi jurans cognoſceret, unicè neceſſarium ſibi eſſe Matrimonium ad vitandam incontinentiam, teneretur nubere.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO V.

JUramentum promiſſorium factum in favorem hominis, obligat ad ſui executionem ſub gravi aut levi culpa, juxta materiæ proportionem, quotieſcumque ipſa executio fieri poteſt ſine peccato, licèt ſit res indifferens, aut majoris boni impeditiva.

Ratio eſt; quia in juramento homini facto non attenditur, an materia promiſſa ſit magis vel minùs bona, honeſta, vel indifferens; ſed an ſit utilis illi, cui promiſſio facta eſt. Hinc

Reſol. 1. Illum, qui cum juramento promiſit Matrimonium puellæ, teneri illam ducere, nec poſſe in Cœlibatu remanere, aut ſacros ordines ſuſcipere, niſi illa remittat; poteſt tamen Religionem ingredi, ex ſpeciali Juris Canonici diſpoſitione: nam ſi Matrimonium (non ſic conſummatum) hoc non impediat in primo bimeſtri, nec impediet juramentum dè Matrimonio ineundo, cum ſit quid minus.

Reſol. 2. Eum, qui juravit puellæ ſe daturum ei decem aureos, ſi permiſerit uſuram ſui corporis, habita copula, ad id teneri, cùm poſſit materiam juratam exequi ſine peccato, licèt anteà peccaverit.

Reſ. 3. Jurantem ſe ſoluturum uſuras, obligari ad earum ſolutionem, non quidem vi promiſſionis, cùm jure naturali ſit irrita, ſed ratione juramenti. Et ità habetur Cap. *Debitores* De Jurejur. Similiter tenetur quis ad ſolutionem pecuniæ in luſu chartarum perditæ, ubi de ſolutione facienda acceſſit juramentum, & hoc non obſtante lege hujuſmodi promiſſiones in gratiam perdentis annullante: aliud eſſet, ſi lex etiam juramentum actui aut promiſſioni annexum irritaret. Sic ex Trid. Seſſ. 25. Cap. 16. *De Regularibus*, irrita eſt renuntiatio Novitii etiam jurata, niſi adſint certæ conditiones. Sic irrita ex Jure poſitivo Matrimonium & Profeſſio ſolemnis (idem dic de quolibet voto) licèt ſint jurata, ſi ex metu gravi & injuſto ad id incuſſo fuerint extorta.

Reſol. 4. Eum, qui ſolus juravit ſe daturum Petro ſummam pecuniæ, teneri dare; quia licèt non obligetur vi promiſſionis, utpotè non acceptatæ, tenetur tamen vi juramenti, quod poteſt licitè exequi.

Dixi in concluſione: *Quotieſcumque fieri poteſt ſine peccato*. Hinc ligatus voto Caſtitatis non poteſt Matrimonium juratum inire, cùm illius executio involvat peccatum; ſimiliter qui poſt contracta ſponſalia cum Catharina v. g. promittit Mariæ cum juramento Matrimonium, ad id non tenetur; cùm impletio non poſſit eſſe ſine alterius injuria. Ubi autem Catharina remitteret, teneretur, non quidem vi ſponſaliorum, cùm poſteriora ratione priorum ſint invalida, ſed vi juramenti, quod tunc licitè poteſt exequi.

ARTICULUS V.

Quid dicendum de Juramento ſine animo jurandi, ſe obligandi, aut adimplendi?

CONCLUSIO I.

JUramentum factum ſine animo jurandi, ſemper eſt illicitum; ſive adſit cauſa, ſive non. Ratio eſt; quia taliter jurans mentitur, cùm oſtendat exteriùs ſe velle jurare, & interiùs nolit: undè meritò proſcripta eſt hæc propoſitio ab Innocentio XI. *Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi; ſive res ſit levis, ſive gravis*.

Sed quid ſi juramentum irrationabiliter exigatur? Dico: *irrationabiliter*; quia certum eſt graviter peccare jurantem ſine animo jurandi, ubi rationabiliter exigitur; quandoquidem gravis interveniat deceptio, & modus ille jurandi uſui & fini juramenti apud homines neceſſarii repugnet. Ad Quæſt.

R. Tunc jurantem falſum ſine animo jurandi incurrere culpam lethalem. Ratio eſt; quia Deus, ſaltem exteriùs, adducitur in teſtem falſi: non peccaret tamen mortaliter, ſi juraret verum; quia nec Deo, nec proximo fieret gravis injuria: non quidem proximo, cùm injuſtè juramentum exigat; non etiam Deo; quia nec exteriùs, nec interiùs adducitur in teſtem falſi.

Petes, an juramentum ſine animo jurandi ſit verum juramentum?

Reſpondet Affir. Juenin; modò adſit intentio jurandi extrinſeca, ideſt, ut ſe explicat, modò verba juramenti ità à jurante proferantur, ut, qui audiunt, credant ea proferri ad faciendam fidem per Divini Nominis invocationem: quod facilè admittimus pro foro externo, ubi de merè internis non judicatur; ſed in foro conſcientiæ.

R. Cum Doctoribus communiter, nullum eſſe, adeòque neque obligationem parere. Ratio eſt; quia non ſtat juramentum, ubi non ſtat Divini Nominis invocatio; atqui jurans ſine animo jurandi, non verè, ſed fictè Deum invocat: ergo non eſt verum juramentum, ſed potiùs larva juramenti; hocque confirmat. D. Th. 4. Diſt. 38. q. 1. Art. 1. ad 2. ubi loquens de voto ait: *Promiſſio quando fit ore & non corde, & talis quoad Deum non eſt votum*. Eadem autem eſt ratio juramenti ac voti.

CONCLUSIO II.

JUrans ſine animo ſe obligandi, in foro interno non cenſetur jurare, tenetur tamen reſarcire omne damnum ex tali juramento proveniens.

Prob. Prima pars; quia non poteſt eſſe, aut intelligi juramentum promiſſorium, niſi ut pariens obligationem: ergo ſi illam poſitivè excludis, nec vis ut juramentum illam producat, convinceris nolle jurare, ſeu non habere animum jurandi.

Prob. Ant. quia tam eſt de ratione juramenti promiſſorii jurantem obligare, ſicut eſt legis ſubditum, & voti voventem ligare; atqui nec lex, nec votum poteſt eſſe, aut intelligi ſine obligatione, cùm ſine illa lex ſit conſilium, & votum ſit propoſitum: ergo &c.

Limita tamen, modò eodem prorsùs inſtanti quo juras, deſit animus te obligandi; nam ſi ſimpliciter juras, & inſtanti ſequenti dicas, te nolle obligari, ſtat juramentum, ejuſque obligatio.

Dices: Jurans ſine animo ſe obligandi, manet in conſcientia obligatus: ergo cenſetur jurare. Prob. Ant. ex condemnatione hujus propoſitionis à Clero Gallicano, anno 1700. *Qui jurat cum intentione non ſe obligandi, non obligatur ex vi juramenti*.

R. Diſt. Ant. manet in conſcientia obligatus, quando indè ſequitur damnum tertii, aut ſcandalum C. ubi non ſequitur, N. proſcribitur autem dicta propoſitio, non quia creditur tale juramentum ſubſiſtere; ſed quia videtur inſinuare, quòd ex tali juramento nulla unquam ſequatur obligatio: quod tamen falſum eſt, ubi indè damnificaretur proximus: tunc enim obligaret juramentum fictum ad ſui executionem: & hinc manet probata pars ſecunda.

CONCLUSIO III.

QUi jurat cum intentione ſe obligandi, ſed ſine intentione adimplendi, tenetur materiam juratam exequi, peccatque graviter, etiam in materia levi.

Prob. Prima pars: quia cùm animus adimplendi non ſit quid eſſentiale, aut proprietale juramento, illo non ſtante, ſtare poteſt verum juramentum; adeòque & ejus obligatio, quæ ſtatim & naturaliter ex juramento valido ſequitur. Hinc ſic & promittens ſponſalia ſine animo adimplenda, vovens Caſtitatem cum intentione vivendi in concubinatu, emittens Profeſſionem cum voluntate apoſtatandi, manet tamen ad illa obligatus: ita & qui eadem aut ſimilia juraret.

Prob. Secunda pars; quia Deum aſſumit in teſtem mendacii, cùm juret ſe facturum id, quod non intendit facere.

ARTICULUS VI.

An obliget Juramentum metu, aut dolo extortum?

CONCLUSIO I.

JUramentum gravi metu extortum obligat in foro conſcientiæ. Ità Doct. Angelicus & Seraphicus contra plurimos Et ità habetur Cap. 8. *De jurejurando*: hancque doctrinam ſecuti ſunt Summi Pontifices, à quibus, ut refert Alexand. III. taliter jurantes *De juramento abſolutionis Beneficium meruerunt*; adeòque ſupponebantur ligati.

Ratio eſt; quia licèt juramentum illud ſit involuntarium ſecundùm quid, eſt tamen ſimpliciter voluntarium, utpotè procedens à voluntate cum advertentia & potentia ad non jurandum, cum nihil poſſit voluntatem cogere in actibus ſuis.

Dixi: *In foro conſcientiæ*; quia in foro externo ſolet relaxari: & certè non eſt juſtum, ut cogens reportet commodum ex ſua malitia: Undè, ut ait D. Th. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3

In

In juramento, quod quis coactus facit, duplex eſt obligatio, una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit, & talis obligatio tollitur per coactionem: quia ille qui vim intulit hoc meretur, ut ei promiſſum non ſervetur. Alia autem eſt obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat quod per nomen ejus promiſit, & talis obligatio non tollitur in foro conſcientiæ, quia magis debet damnum temporale ſuſtinere, quàm juramentum violare. Poteſt tamen, quod tradidit, in judicio repetere, vel ante traditionem relaxationem poſtulare.

Dices 1. Juramentum gravi metu extortum de contrahendo Matrimonio, aut emittenda Profeſſione Religioſa non obligat: ergo &c.

R. Quoad hoc ſpecialem eſſe Juris diſpoſitionem & certè ſicut conveniebat, ut electio illorum Statuum eſſet maximè libera; ita & juramenta de illis præſtita.

Dices 2. Latro v. g. qui coegit ad jurandum, non poteſt pecuniam juramento promiſſam recipere; ergo non teneris illi dare.

R. Quòd licèt latro peccet accipiendo, teneaturque reſtituere; tu tamen, cùm poſſis ſine peccato illam dare, ad id teneris propter reverentiam Deo & juramento debitam: quòd autem dare poſſis abſque eo quòd coopereris ejus peccato, oritur ex eo, quòd juſtam cauſam habeas, nempè juramentum ſervandum; ſic etiam non cooperatur alterius peccato, qui dat Euchariſtiam indigno occulto publicè petenti; quia juſtam rationem habet ſic agendi.

CONCLUSIO II.

OMnis dolus, aut error dans totam cauſam juramento, ita ut expreſsè juretur propter id, in quo quis decipitur, invalidat juramentum; ſive interim dolus, aut error verſetur circa ſubſtantiam rei, ſive circa qualitatem. Eſt communis.

Prob. 1. Ex Innocentio III. Cap. 28. *De Jurejurando*, ubi aſſerit mulieres cum juramento dotem alienantes debere juramentum ſervare, ſi illud *ſine vi & dolo ſponte* præſtiterint: ergo cenſet non fore ſervandum, ſi cum tali dolo fuiſſet extortum, ut, illo aperto, non juraſſent.

Prob. 2. Nullum eſt juramenti vinculum, ubi nullus eſt conſenſus; ſed ubi dolus, aut error dat cauſam contractui, nullus eſt jurantis conſenſus, cùm id, in quod conſentit, non ſubſiſtat: ergo. Hinc

Reſol. 1. Si juraſti te daturum centum aureos pro eo quod credis aurum, eſt autem aurichalcum, non ſtat juramentum; ſicut non ſtat emptio jurata, quando volens expreſsè emere vinum vetus, reperis novum eſſe, quia in primo caſu rei ſubſtantia, in ſecundo qualitas dat cauſam integra juramento.

Reſol. 2. Si juraſti te conducturum Domum, & poſteà reperis eſſe multùm à ſpiritibus exagitatam, te non obligari; quia conſenſus tuus ferebatur in Domum ut habitabilem, qualis non eſt illa, moraliter loquendo.

Reſol. 3. Si dolus, aut error tantùm verſentur circà accidentia, quæ non dant cauſam juramento, ſtare juramentum: hinc ſi juras nuptias puellæ, quam credis nobilem, divitem, virginem, & tamen ſit ignobilis, pauper & corrupta, teneris illam accipere, ſi conſenſus tuus non fuerit expreſsè ad illas qualitates terminatus. Quod etiam verum eſt, licèt vitiis, aut qualitatibus cognitis, non juraſſes; quia manet conſenſus in rem ſubſtantialem, cùm ex communiter accidentibus præſumatur te (niſi expreſsè circà qualitates merè accidentales conditionem apponas) abſolutè conſentire, adeòque validè. Ità decernitur Cap. 25. *De Jurejurando*. Ubi tamen dabilis eſt compenſatio, deceptus habet jus ad illam.

ARTICULUS VII.

An Juramentum firmet Contractus, Jure poſitivo nullos, aut reſcindibiles?

DIco: *Jure poſitivo*; quia conſtans eſt omnium Doctrina contractus jure naturali irritos non poſſe Juramento firmari. Eſt autem ſenſus quæſtionis, an Juramentum additum contractui per legem poſitivam invalidato, obliget jurantem ad ſui executionem, non tantùm ex virtute Religionis ratione Juramenti; ſed etiam ex virtute juſtitiæ; quaſi Juramentum daret valorem iſti contractui aliàs invalido? Sed ante reſolutionem

Suppono 1. Leges poſitivas invalidantes certos contractus, non reddere omnes illos illicitos; ſed aliquos irritos & illicitos ſimul, & aliquos irritos tantùm: ſic lex irritans Matrimonium inter Affines, facit illud irritum & illicitum; lex verò invalidans teſtamentum ſine ſolemnitatibus, reddit quidem irritum, non tamen illicitum. Hic de legibus tantùm irritantibus eſt quæſtio, non de aliis; cùm certum ſit Juramentum non poſſe firmare contractum illicitum; aliàs eſſet vinculum iniquitatis.

Suppono 2. Hic eſſe quæſtionem tam de contractibus utrinque oneroſis, ut ſunt Emptiones, Venditiones &c. quàm de non utrinque oneroſis, ut ſunt Donationes, Promiſſiones &c.

Suppono 3. Per contractum reſcindibilem nos quidem intelligere validum, ſed debiliter; quia lex dat actionem contrahenti ad illius reſciſſionem petendam. His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

PRobabilius eſt juramentum contractui invalido additum, illum non firmare, adeòque tantùm obligare jurantem ex virtute Religionis ad illius executionem.

Prob. 1. Ex Innoc. III. Cap. 28. *De jurejurando*, ubi interrogatus de mulieribus, quæ in alienationem rei dotalis conſenſerant eum juramento, *Nos*, inquit, *Fraternitati tuæ taliter reſpondemus, quòd etſi mulierum conſenſus in talibus non videatur obligatorius ſecundum legitimas Sanctiones: ne tali prætextu viam contingat perjuriis aperiri, mulieres ipſæ ſervare debent hujuſmodi juramenta*. Ubi vides ipſam alienationem rei dotalis jure irritam, non obſtante juramento, declarari adhuc irritam, ipſaſque tantùm teneri ad non repetendum vi juramenti.

Prob. 2. Si juramentum firmaret contractum invalidum, vel hoc faceret ratione ſui, vel ex diſpoſitione Juris: non primum; quia vinculum Religionis præciſè, quale eſt juramentum, non poteſt inducere per ſe vinculum Juſtitiæ: undè contractus, cui additur juramentum, talis remanet in ſua natura, ſive validus ſit, ſive invalidus, qualis foret, illo non addito: non etiam ſecundùm; quia jura ſtatuentia, ut illi contractus inviolabiliter ſerventur, tantùm volunt id debere fieri ex virtute Religionis, non Juſtitiæ: undè non rarò addunt, *Propter reverentiam juramenti, ob periculum perjurii*.

Prob. 3. Quia non eſt credibile, quòd jura voluerint propter juramentum unius particularis, unico inſtanti, & aliquando tam leviter prolatum, validare contractus, quos ex juſtiſſima cauſa & propter bonum publicum declararunt invalidos.

Dices 1. Sint validi, aut invalidi illi contractus, equidem ſecundùm jura ſervari debent vi juramenti: ergo impertinens eſt tertia probatio.

R. N. conſeq. quia ſi ſint invalidi, relaxato per legitimum Superiorem juramento, ad nihil ampliùs tenetur qui juravit; ſi autem ſint validi, etiam ablato Religionis vinculo, remanet vinculum Juſtitiæ, quod nec Epiſcopus, imò nec Papa, niſi in aliquo caſu rariſſimo, poteſt tollere.

Dices 2. Aliter loquuntur Jura de juramentis gravi metu extortis, & aliter de ſponte factis contractui invalido additis: dicunt enim illa debere ſervari, ſaltem momentanea ſolutione, propter reverentiam Sacramenti; hæc verò omninò & inviolabiliter: ergo volunt hæc, ultrà vinculum Religionis, quod inducunt illa, etiam inducere vinculum Juſtitiæ.

R. Jura ſic loqui, non quia volunt his potiùs, quàm illis ineſſe vinculum Juſtitiæ, ſed quia priora (ut quando quis jurat ſe daturum pecuniam latroni ad juramentum cogenti) continent in ſe cauſam, cur coactus ſtatim poſſit pecuniam ſolutam repetere, alterque teneatur reddere, nempè injuriam per metum factam; & ideò dicitur ſolutio momentanea: poſteriora verò (ut, cùm quis renuntiat futuræ ſucceſſioni, alienat fundum dotalem, contrahit ſine ætate ſufficienti, cum juramento non repetendi) nullam continent in ſe cauſam, cur alienatum poſſit repeti, cùm juramenta illa fuerint libera & ſpontanea; & ideò, niſi obtineatur relaxatio propter cauſam aliundè quærendam, debent omninò & inviolabiliter ſervari. Ex reſolutione hujus quæſtionis

Reſol. 1. Eum, qui aliquid recepit ratione juramenti contractui invalido additi, teneri reddere; nam cùm contractus ſupponatur nullus, nullo titulo Juſtitiæ illud poſſidet. Jurans autem poteſt recipere; quia licèt juraverit non repetere, non tamen juravit, oblatum non recipere.

Reſol. 2. Eum, qui ſuæ Promiſſioni, Durationi, aut alteri contractui per legem irritato addidit juramentum, obtenta

illius

Digitized by Google

illius relaxatione, ad nihil teneri, aut, ſi aliquid datum eſt, poſſe repetere.

Reſol. 3. Hæredes jurantis ad nihil teneri, licèt juramentum promiſſioni invalidæ additum non fuerit relaxatum. Ratio eſt; quia non tenentur ex vinculo Juſtitiæ, cùm nec ex tali vinculo teneretur ipſemet jurans: nec etiam vinculo Religionis, quia nullus contrahit obligationem ex vi juramenti, niſi habuerit intentionem jurandi, qualem non habuit hæres, aut ſucceſſor: undè non tenetur filius ſolvere uſuras à patre defuncto cum juramento promiſſas; quia hic tantùm tenebatur vi juramenti; & ideò obligatio juramenti præcisè, dicitur perſonalis.

Adv. tamen nos hic loqui de juramentis ſoli homini factis: nam certum eſt juramenta realia Deo facta, obligare hæredes, non ex virtute Religionis, ſed Juſtitiæ; quia nempè Deus illa acceptavit, ut dicunt aliqui: vel, ut volunt alii, quia Jus Canonicum & Civile ſtatuit, ut nullus adeat hæreditatem, niſi ſub conditione adimplendi vota, & juramenta realia defuncti.

ARTICULUS VIII.

Quid dicendum de Juramento non ampliùs ludendi?

HOc juramentum, quod ordinariè fit Deo, induitque rationem voti, multùm anxiat Confeſſarios, qui vix diſcernere poſſunt, an voluerint pœnitentes ſibi per hoc interdicere, omnem omninò luſum, an verò tantùm immoderatum, præbentem cauſam rixis, blaſphemiis, juramentis, jacturæ bonorum, aut temporis; & ideò operæ pretium judicavi hanc materiam dilucidare.

CONCLUSIO I.

UBi conſtat jurantem voluiſſe ſibi interdicere omnem ludum, ſive moderatum, ſive immoderatum, idque mortificationis ergo, aut temporis utiliùs terendi cauſa, obligatur ad nunquàm ludendum: ità ut quoties ludit, etiam ludo honeſto, toties peccet graviter, vel leviter, juxtà materiæ quantitatem. Eſt contrà aliquos, qui volunt juramentum abſtinendi à ludo honeſto eſſe nullum, eo quòd ludus honeſtus, & moderatus pertineat ad virtutem Eutrapeliæ.

Prob. Concl. quia licèt ludus moderatus ſit bonus, quia tamen ejus abſtinentia ob mortificationem eſt melior, poteſt eſſe materia juramenti & voti, ſicut eſt de facto abſtinentia à Matrimonio; licèt Matrimonium, utpotè Sacramentum, ſit bonum.

CONCLUSIO II.

UBi dubium eſt, an jurans, ab omni ludo, an verò tantùm ab immoderato voluerit abſtinere, colligi debet ex fine, quo motus eſt ad jurandum: undè ſi juravit, ut diſcordias, blaſphemias, ſubſtantiæ diſſipationem vitaret, præſumi poteſt juramentum ejus tantùm reſpicere ludum immoderatum; cùm illa non ſoleant accidere in ludo honeſto, moderato, & recreationis cauſa aſſumpto. Si autem juravit, ut commodiùs Deo, rebus familiæ &c. vacaret, reſolvendum eſt, eſſe interdictum illi ludum tam moderatum, quàm immoderatum.

CONCLUSIO III.

QUi juravit ſe non luſurum cum tali homine, in tali loco, tali ludo &c. ſi ob juſtum finem id fecit, v.g. quia locus eſt pernicioſus, perſona iracunda, ludus rixis expoſitus, ſtat juramentum, teneturque illud ad amuſſim exequi: ſi verò id fecerit ſine fine honeſto, ſed ex vindicta contrà colludentem, aut quia credit ſe infortunatum in tali domo, in tali ludo &c. nullum eſt juramentum, cùm ſit vel de re mala, vel de indifferenti.

CONCLUSIO IV.

QUi juravit ſimpliciter ſe non luſurum, intendens ſolùm interdicere ſibi exercitium ludi, poteſt ludere per alium: qui autem juravit abſtinentiam à ludo, præcisè ne bona dilapidaret, poteſt pro alio ludere. Ratio primæ partis eſt, quòd, verè, & propriè loquendo, non ludat, ſed alius pro ipſo: undè ſecundùm communem hominum exiſtimationem non mentitur, ſi dicat: *Non luſi*.

Dixi: *Intendens ſolùm interdicere ſibi exercitium ludi*: quia ſi voveat abſtinentiam à ludo, ne bona diſſipet, v.g. nec per ſe, nec per alium poteſt ludere, nam, cum ludus per alium, ſeu moralis, ſit æqualiter bonorum diſſipativus, cenſetur vovens & illum ſibi interdixiſſe.

Ratio ſecundæ partis eſt, quòd tantùm voluerit abſtinere à luſu in quantum bonorum diſſipativo: quod non accidit, dum ludit ære alieno: Si tamen ludens pro alio, exponeretur eiſdem inconvenientiis, propter quæ juravit ſe non luſurum, v.g. jurgiis, jacturæ temporis, perjuriis &c. nec pro ſe, nec pro alio poſſet ludere.

CONCLUSIO V.

QUi juravit abſtinentiam à ludo chartarum, donec amicus redeat Pariſiis v.g. ipſo moriente in via, non tenetur ſemper à chartis abſtinere, ut vult Bonacina, ſed poſt tempus, quo fuiſſet redux, morte non impediente, poteſt ludere.

Ratio eſt; quia animus jurantis tantùm fuit ad tempus ſe ludo privare, niſi aliud mente conceperit: undè ſicut ille, qui juraſſet non inire Matrimonium ante reditum patris, Madritum profecti, patre in via pereunte, non teneretur ſemper à Matrimonio abſtinere; ità nec in noſtro caſu. Et talis interpretatio videtur rationabilis, ac prudentum ſenſui accommodata.

CONCLUSIO VI.

MAteriæ gravitas, aut levitas in violatione juramenti, abſtinentiam à luſu reſpicientis, deſumenda eſt ex fine jurantis. Undè ſi per juramentum intendat ſibi interdicere recreationem luſui annexam, in ſatisfactionem peccatorum, vel ut orationi, aut ſtudio neceſſario liberiùs vacet, peccat leviter, ſi parum ludat, licèt multùm pecuniæ perdat, aut exponat: peccat verò graviter, ſi diu ludum protrahat, licèt parum pecuniæ, aut nihil exponat. Porrò videtur ſufficere ad mortale ludus duarum horarum, etiam per intervalla minora in die naturali reaſſumptus. Si autem per hoc intendat bonorum neceſſariorum conſervationem, peccat leviter, ubi parum exponit; graviter, ubi multùm; ſive interim pauco, ſive longo tempore luſerit.

Denique, ubi finis juramenti eſt vitatio jurgiorum, blaſphemarum &c. peccatur graviter, ſi periculum illorum ſit grave; leviter, ſi ſit admodùm leve: quod periculum unuſquiſque penſare debet ex propria experientia, ſecluſa paſſione & adulatione: experiuntur enim aliqui grave illorum periculum, ſi ludant cum parentibus, aut pro nihilo, aut ære alieno.

ARTICULUS IX.

An licitum ſit jurare cum reſtrictione mentali?

QUæſtio hoc tempore multum agitata, ſed à paucis debitè & ſufficienter expoſita: aliqui enim ità Reſtrictionem Mentalem reſtringunt, ut rariſſima in conſortio humano videatur: alii è contrà quaſi veritatem aperire timentes, contenti ſunt accumulare teſtimonia Patrum, Sanctæ Sedis, & Cleri Gallicani, quibus illicitam eſſe Reſtrictionem Mentalem oſtendant; nequidem quid per Reſtrictionem Mentalem intelligant, explicantes. Ut autem de illa claré, & cum ordine diſcurramus.

Adv. 1. Reſtrictionem eſſe mentis conceptum, quo verba exteriùs prolata, ad aliud, vel ad alium ſenſum, quàm per ſe habeant, ab ipſo loquente reſtringuntur: Ut ſi quis mutuum petenti reſpondeat exteriùs: *Non habeo pecuniam*, & exteriùs dicat, *ad tibi dandum*.

Adv. 2. Duplicem eſſe Reſtrictionem Mentalem: unam purè, alteram non purè, ſeu latè Mentalem. Prima reſidet in ſola mente, nec ullatenùs verbis, ſignis, aut aliis circumſtantiis exteriùs manifeſtatur. Secunda eſt, quæ vel ex modo loquendi, vel ex circumſtantiis, vel ex conſuetudine obſervari poteſt ab audiente.

Adv. 3. Propoſitionem aliquam poſſe habere duplicem ſenſum: unum obium, alterum naturalem: Primus eſt ille, qui ſtatim ſine ulla applicatione, aut attentione objicitur intellectui: Secundus, quem habet propoſitio, attentis omnibus circumſtantiis, in quibus pronuntiatur: Undè cum circumſtantiæ exteriores quandoque modificent, imò quandoque alterent ſenſum obvium, hinc fit, quòd ſenſus naturalis ſit interdum ſenſui obvio oppoſitus: quod confirmat Auguſt. lib. contrà Mendacium Cap. 10. ubi ait: *Putantur Mendacia, quoniam non ea quæ verè ſignificantur, dicta intelliguntur, ſed ea quæ falſa ſunt, dicta eſſe creduntur*.

Adv.

Adv. 4. Nunquàm licitum eſſe ſine juſta cauſa uti Reſtrictione, etiam latè mentali, nec à fortiori cum juramento. Ratio eſt; quia hoc nocet humanæ ſocietati, & fini ad quem verborum ſignificatio, & ipſamet locutio fuit inſtituta; quandoquidem ſoleant homines verba, ut ſonant, accipere, ubi non adeſt cauſa aliter accipiendi. Hinc D. Gregorius lib. 26. Moralium Cap. 7. *Apud homines cor ex verbis, apud Deum verò verba penſantur ex corde.* His notatis

PARAGRAPHUS I.

Reſolutio quantum ad Reſtrictiones ſtrictè mentales.

NUllo caſu licitum eſt uti Reſtrictione purè mentali, aut cum ea jurare. Eſt jam communis, nec licet ampliùs de ea dubitare poſt condemnationem hujus propoſitionis ab Innocentio XI. *Si quis vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocumque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec eſt perjurus.*

Prob. 1. Ex Script. à Regno Dei excludente taliter jurantes: nam poſtquàm petiit David Pſal. 14. *Domine quis habitabit in Tabernaculo tuo?* Reſpondet inferius: *Qui jurat proximo ſuo, & non decipit*: & Pſ. 23. *Quis aſcendet in montem Domini?* Reſpondet ſimiliter: *Qui .... nec juravit in dolo proximo ſuo*; atqui jurans cum Reſtrictione purè mentali, jurat in dolo, & cum deceptione proximi: ergo

Prob. 2. Ex Patribus, Tertulliano libro 4. contrà Marcionem cap. 38. *Juſta & digna præſcriptio eſt, in omni quæſtione ad propoſitum interrogationis pertinere debere ſenſum reſponſionis.* Auguſt. Epiſt. 224. ad Alipium: *Perjuri ſunt, qui, ſervatis verbis, expectationem eorum, quibus juratum eſt, deceperunt.* S. Iſidoro lib. 2. ſententiarum cap. 31. *Quacumque arte verborum quiſque juret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ità hoc accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit.*

Prob. 3. Ratione; quia jurans cum reſtrictione purè mentali facit verum mendacium, verumque perjurium: ergo &c. Prob. Ant. quia aliud mente concipit, & aliud ore exprimit: imò expreſsè intendit, ut audiens decipiatur, ſeu, ut ex verbis aliud concipiat, quàm ipſemet concipit.

Confir. 1. Illud Antecedens; qui habens pecuniam reſpondet ſimpliciter petenti: *non habeo*, mentitur: ergo & ille qui addit interius: *ut tibi dem*. Prob. Conſeq. quia conceptus ille interior non variat ſignificationem verborum (ſicut enim ſignificationem non dedit verbis, ità nec illam poteſt mutare) ergo ſicut verba enunciant falſum ſine reſtrictione; ità & cum illa.

Confir. 2. Quia etſi reſtrictio interior corrigat conceptum loquentis, non corrigit tamen ſermonem externum; & conſequenter, ſi non mentitur ſibi, mentitur tamen audienti.

Prob. 4. Mendacium eſt intrinſecè malum, quia deſtruit finem, propter quem inſtituta ſunt verba, qui eſt mutua conceptuum communicatio; atqui & hoc facit reſtrictio purè mentalis: ergo eſt etiam intrinſecè mala. Prob. Min. quia poteſt quis per illam æqualiter celare alteri ſuos conceptus, ac per mendacium, ut per ſe patet; undè & hoc & illa multùm obſunt humanæ ſocietati, ac commercio publico & politico.

Prob. 5. Si liceret homini reſtrictio purè mentalis, liceret & Deo; atqui, ſi hoc eſſet, nihil haberemus certi in Scripturis Sacris; quandoquidem poſſemus timere, & dubitare, an Deus non fuerit locutus cum illa Reſtrictione, propter cauſam ſibi cognitam: ergo &c.

Dices: Veritates ſacras inniti Divinis revelationibus, quæ excludunt illas Reſtrictiones.

Sed contrà eſt. Si Deus poſſet uti Reſtrictionibus illis in revelationibus abſolutis, poſſet & in reflexis, cùm videatur par ratio.

Obji. 1. Contrà concluſionem: ſi quis juret alta voce *ſe non fuiſſe in foro*, & ſubmiſse dicat *ut ſaltarem*, non eſt perjurus, licèt fuerit in foro: ergo ſimiliter ſi illa dicat tantùm interius.

R. Diſt. Ant. Non eſt perjurus, ſi adſtantes dicta ſubmiſsè non percipiant, N. nam voces illæ ſubmiſſæ eodem modo ſe habent reſpectu audientium, ad quos diriguntur, ac ſi eſſent merus conceptus: ſi percipiant, tranſeat; ſed tunc nihil contrà nos. Dico: *tranſeat*; quia ſi loquendo ſubmiſsè voluerit audientes decipere, erit perjurus formaliter, licèt non ſit materialiter.

Obji. 2. Qui utitur illa Reſtrictione, non intendit mentiri; imò vult excludere mendacium: ergo non pejerat.

R. Diſt. Ant. non intendit inefficaciter, C. efficaciter, N. cùm enim proferat verba, quæ aliud enunciant, quàm habeat in mente: conſequenter vult falſum ſignificare, adeòque mentiri, licèt interius videatur nolle.

Obji. 3. Verba externa juncta conceptui interno verum ſignificant.

R. Diſt. aſſumpt. Verum ſignificant loquenti, C. audienti, N. Jam autem non mentitur quis ſibi, ſed alteri.

Obji. 4. Qui proximum infamavit, tenetur famam reſtituere; ſed non poteſt dicere ſe eſſe mentitum, ubi crimen verum eſt: ergo debet uti Reſtrictione.

R. N. conſeq. quia ſuppetit alius modus, dicendo nempè *ſe erraſſe, ſe male fuiſſe locutum, ſe injuſtè talia de proximo dixiſſe &c.*

Obji. 5. Qui reticet partem conceptus, non mentitur, ſed verum occultat: & ſic qui non fuit furatus hodie, poteſt dicere: *non fui furatus*, nempè ſubintelligendo, *hodie*, licèt id fecerit heri.

R. Diſt. Ant. Qui reticet partem conceptus neceſſariò aperiendi ut dicat verum, non mentitur, N. è contrà, C.

Obji 6. Licèt ex cauſa uti æquivocatione: ergo & Reſtrictione ſtrictè mentali.

R. N. conſeq. Diſparitas eſt, quòd verba ambigua unum habeant ſenſum verum; verba autem utentis tali Reſtrictione, nullum.

Obji. 7. Chriſtus Joan. 7. dixit: *Non aſcendo ad diem feſtum iſtum*; & poſteà aſcendit: Raphael dixit Tobiæ: *Ego ſum Azarias*; & tamen non erat: Prophetæ promiſerunt victoriam Regibus, quam non habuerunt: Petrus & Barnabas ſimulaverunt cæremonias Judaicas poſt Chriſti mortem eſſe neceſſarias: S. Franciſcus dixit reum à ſatellitibus quæſitum non tranſiiſſe illac, ſubintelligendo *per manicam*. Et plurima leguntur in Scriptura, quæ non poſſunt verificari ſine Reſtrictione.

R. Ad primum, ſubintellexiſſe Chriſtum *publicè*; ſed hoc intelligere poterant Diſcipuli, cùm eorum interrogatio eſſet de aſcenſione publica, ut patet ex contextu.

R. ad 2. Raphaelem eſſe Azariam, non re, ſed officio; ſicut Joannes erat Elias, non perſona, ſed ſpiritu: quod videre poterant adſtantes.

R. ad 3. Quod hac in re Petrus & Barnabas *Non rectè ambularent ad veritatem Evangelii*. Ad Galat. 2.

R. ad 4. Non omnia Prophetarum dicta, eſſe intelligenda ad litteram: hocque ſcire debebant Reges illi. Multa alia ſunt in Scriptura, quæ prima fronte videntur mendacia, pro quorum tamen verificatione nō eſt recurrendum ad Reſtrictionem ſtrictè mentalem, ſed ad circumſtantias conſignificantes. Ubi autem nullæ ſunt, dicendum, aliter loquentes, licèt Sanctos, peccaſſe, ſaltem leviter (ut diximus de Petro & Barnaba, & de Judith dicunt aliqui) vel propter bonam fidem fuiſſe excuſatos.

Ad 5. Dico, ſi hoc (quod in ejus vita non legitur) non ſit fabula, ſufficienter manifeſtaſſe ſuam reſtrictionem inquirentibus, imponendo manum in manicam. Ex dictis

Reſol. 1. Reum à judice legitimo juridicè interrogatum, mendacium & perjurium committere, ſi jurando utatur reſtrictione ad crimen celandum; nam, cùm tunc detur in Judice jus ſolidum interrogandi, datur & in Reo vera obligatio nudè reſpondendi.

Reſol. 2. Non poſſe à Confeſſario abſolvi Reum, qui manet in propoſito negandi, aut celandi veritatem Judici legitimè interroganti.

Reſol. 3. Dubitantem de competentia Judicis, vel an debitè interroget, teneri nudè reſpondere; quia debet præſumere, Judicem eſſe legitimum, & legitimè interrogare, niſi conſtet ipſi de contrario.

Reſol. 4. Innocentem accuſatum ut Reum, & ut talem ita probatum apud Judicem, ut hic poſſit illum cum juramento veritatis aperiendæ examinare, non poſſe in ſuis reſponſionibus uti Reſtrictione Mentali: undè ſi interrogetur, an non fuerit in tali loco, tali hora? an non viderit cadaver? an non tranſierit per talem plateam &c. debet illa clarè & apertè fateri, ſi ſint vera, licèt indè immineat ipſi periculum mortis; quia Reſtrictio tunc eſſet purè Mentalis, cùm nulla hic circumſtantia poſſit manifeſtare Judici Reſtrictionem internam, utpotè qui prudenter accuſati reſponſionem eo modo accipit, ac ſi de facto eſſet reus: nec hoc extraordinarium videri debet; nam ſicut potiùs debet homo mori, quàm mentiri, ità & quàm uti Reſtrictione purè mentali, quæ eſt intrinſecè mala.

Reſol. 5. Propter eandem rationem, eum, qui occidit ho-

hominem putans invincibiliter eſſe feram, perjurii reum eſſe, ſi legitimè interrogatus juret ſe non occidiſſe, intelligendo *culpabiliter*.

Dices: Talis reſpondet ad mentem Judicis, qui cenſetur interrogare de homicidio culpabili.

Reſ. Judices tantùm interrogare de homicidio externo: ſicut enim de merè internis non judicat; ità nec de illis interrogat.

Reſol. 6. Juridicè interrogatum, an non receperit chartam à Petro, in qua ſcriptum erat, quòd ſolutis 100. aureis, adhuc reſtarent 50. ſolvendi, non poſſe jurare cum Reſtrictione ſe non recepiſſe, ſi de facto recepit, licèt reſiduos 50. aureos poſteà ſolverit, nihilque Petro debeat: undè ſuæ incuriæ imputet, ſi iterùm teneatur 50. illos aureos ſolvere; ſi enim ſolutionis illorum 50. quitanciam accepiſſet, aut acceptam non perdidiſſet, ad duplicem ſolutionem non teneretur.

Reſol. 7. Venientem ex oppido, quod hic communiter creditur peſte infectum, non poſſe jurare cum reſtrictione, ſe non fuiſſe in illo loco, licèt ibidem nullo modo ſit peſtis, cùm legitimè interrogans nullatenùs poſſit ex circumſtantiis reſtrictionem colligere. Aliud eſſet, ſi fuiſſet interrogatus, an non veniret ex tali loco peſte infecto; tunc enim poſſet negare, etiam ſine reſtrictione.

Reſol. 8. Juſtiſſimè ab Innocent. XI. damnatam eſſe ſequentem Propoſitionem: *Qui mediante commendatione, vel munere, ad Magiſtratum, vel Officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali, præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum:* nam cùm juſtè exigatur juramentum illud ad avertenda Reipublicæ damna, ne ſcilicet indigni & incapaces promoveantur, tenetur interrogatus nudè & ſimpliciter veritatem aperire; aliàs ejus reſtrictio, ſi qua utatur, eſt purè mentalis.

Reſol. 9. Cuilibet legitimè & juridicè interrogato, ſivè jus habeat, ſivè non; ſivè reus ſit, ſivè non ſit, ſivè comparti aliquid debeat, ſivè nihil, abſtinendum eſſe ab omni reſtrictione; nam cùm nulla hic interveniat circumſtantia, quæ conceptum reſtringentem interrogati aliqualiter declaret Judici, utpotè qui eodem modo, eodem ſenſu, cum eodem jure interrogat, ac ſi interrogatus, eſſet de facto reus, aut debitor: ejus reſtrictio erit purè mentalis.

Reſol. 10. A contrario poſſe aliquem jurare, etiam ſine reſtrictione, ſe ſponſalia non contraxiſſe, ſi contracta, propter impedimentum fuerint invalida; quandoquidem ſponſalia invalida pro non ſponſalibus ſint habenda.

PARAGRAPHUS II.

Reſolutio quantùm ad Reſtrictiones latè mentales.

Licitum eſt uti Reſtrictione latè mentali, etiam jurando, modò adſint conditiones §. ſequenti recenſendæ: & idem dicendum eſt de terminis æquivocis, ſeu amphibologicis, qui diverſos admittunt ſenſus; ſivè interim utrunque ſenſum habeant æquè primariò; ſivè unum primariò, & alterùm ſecundariò; ſivè unum in ſenſu litterali, & alium in ſpirituali: modò ſenſus illi ſint apud homines recepti. Hæc ſententia quoad verba æquivoca eſt ità communis, ut dixerint Salmanticenſes cap. 2. de Juramento puncto 7. §. 3. *Omnes Doctores illam docent, neque aliquem ex Catholicis reperimus illam negantem*: imò addunt paulò poſt, *omnes Doctores conveniunt in eo, quòd Reus uti poteſt verbis amphibologicis in tribus acceptionibus*, quas jam retuli. Quantùm autem ad Reſtrictiones latè mentales, eſt etiam communiſſima. Hanc ſuſtinent Cabaſſutius, Sylvius, Wigers, Sinnichius, Neeſen, De Cocq, Boudart, Van-Roy, & alii in materia morali ſtrictiſſimi; imò crediderim eſſe omnium Theologorum, qui ſua ſcripta hac de re typis mandarunt: qui enim damnant ſimpliciter Reſtrictiones mentales, ſatis inſinuant ſe loqui de purè mentalibus: undè Juenin rejicit, non quamlibet intentionis retentionem, ſed *malitioſam*, non quamlibet Reſtrictionem mentalem, ſed *doloſam*. Natalis autem Alexander damnat *eos, qui aliud volunt quàm verba ſignificent ſecundùm ſe, & ſecundùm communem loquendi morem, & perſonarum, ac negotiorum circumſtantias*, quibus ſatis oſtendit ſe non rejicere latè mentales. Denique, Steyaert in Annotationibus ad propoſitiones condemnatas pag. 107. apertè diſtinguit inter Reſtrictionem purè mentalem, & non purè talem quoad uſum: adeòque, cùm cenſeat primas illicitas, cenſet ſecundas licitas.

Prob. prima Concluſio; quia tales Reſtrictiones (quæ in rei veritate non ſunt Reſtrictiones, niſi quoad nomen) adhibuit ipſemet Chriſtus; nam dixit Joan. 7. *Aſcendite ad diem Feſtum hunc, ego autem non aſcendo ad diem Feſtum iſtum*, ſubintelligens in mente, *vobiſcum manifeſtè*, cùm poſteà aſcenderit, ut habetur ibid. v. 10. *& ipſe aſcendit in diem Feſtum, non manifeſtè, ſed quaſi in occulto.* Et Marci 16. *De die illo* (nempè judicii) *nemo ſcit... neque Filius*, ſubintelligens, *ſecundùm intrinſeca hominis*; vel *tanquàm legatus à Patre miſſus*, quòd intelligere poterant Diſcipuli, cùm ſæpius dixiſſet ſe ad prædicandam Patris legem & doctrinam miſſum eſſe.

Prob. ſecunda ex Auguſt. qui excuſat à mendacio Jacob dicentem Patri ſe eſſe Eſau, Joſeph aſſerentem fratribus ſe pollere ſcientia augurandi, & Judith loquentem cum Holoferne; ubi tamen plurima occurrunt, quæ, ſecluſo mendacio, explicari non poſſunt ſine Reſtrictione, ſeu celatione veri, quam ipſemet diſtinguit à mendacio lib. contra Mendacium cap. 10. *Quamvis enim omnis, qui mentitur, velit celare quod verum eſt, mentitur.*

Prob. tertia ex D. Thoma 2.2.q.110.art.3. ad 4. *Non eſt licitum mendacium dicere... licet tamen veritatem occultare prudenter ſub aliqua diſſimulatione*; ſed qui utitur Reſtrictione latè mentali, nihil aliud facit, quàm veritatem prudenter occultare: quandoquidem in circumſtantiis occurrentibus verum dicat, licèt ex juſta cauſa obſcuriùs: ergo &c.

Prob. quarta ratione: Juramentum factum ex cauſa ſufficienti cum Reſtrictione latè mentali, aut cum terminis æquivocis, eſt verum, juſtum & prudens: ergo eſt licitum. Prob. Ant. primo: Eſt verum; quia licèt verba nudè ſumpta non ſint conformia intentioni jurantis, attentis tamen circumſtantiis materiæ, loci, temporis, modi interrogandi, perſonæ interrogatæ, aut interrogantis &c. exprimunt ſenſum illum, quem loquens intendit, hunceque ſenſum deprehendere poteſt & debet interrogans. Secundo: Eſt juſtum, cùm ſupponatur eſſe de re honeſta & licita. Tertio: Eſt prudens, cum jurans in ſenſu concluſionis habeat cauſam juſtiſſimam obſcuriùs reſpondendi, ſeu non ità apertè conceptum ſuum manifeſtandi.

Prob. quinto. Non minùs eſt pernicioſum ſocietati humanæ revelare ſecretum, quàm facere mendacium, ut per ſe patet; ſed ſi non ſtaret concluſio, nullum eſſet medium, quo poſſemus ſecreta celare importunè interroganti: ergo Prob. Min. quia alia media ad hoc aſſignabilia, ſunt, vel tacere, vel dicere, ad ridiculam interrogationem nullum dari reſponſum; ſed talis eſt hominum conſtitutio, ut tunc credant ità eſſe, ſicut interrogant: ergo.

Prob. ſexto. Ideò poteſt Confeſſarius interrogatus de auditis in Confeſſione, aut Secretarius, vel Legatus interrogatus de rebus ſibi commiſſis, affirmare, etiam cum juramento, ſi opus ſit, ſe neſcire rem, de qua interrogatur, licèt ſciat; quia uſus invaluit, ut *neſcio* in Confeſſario idem ſignificet, *ac neſcio ut homo*; in Secretario aut Legato, idem ac *neſcio ut perſona particularis*; ſed uſus invaluit ut *neſcio* in Advocato, Obſtetrice, Conſiliario, exercitus aut Provinciæ Præfecto, ſicut & in reo, teſte, debitore injuſtè interrogatis, item & quibuſdam aliis, ſupponat aut ſubaudiat aliquam reſtrictionem, quando nempè ex revelatione alicujus aperta immineret notabile detrimentum Reipublicæ, proximo, aut ipſi reſpondenti: ergo.

Prob. ſeptimo. Ex inconvenientibus. 1. Ex oppoſita ſententia ſequitur debere uxorem, vel manifeſtare maritum quæſitum ab inimicis ad necem, vel ipſi eſſe moriendum, caſu quo intentetur mors, niſi manifeſtet. 2. Mulierem aliàs fidelem & caſtam, ſed ſemel ex fragilitate lapſam, teneri manifeſtare crimen occultum marito illud, diſtricto gladio, injuſtiſſimè extorquenti. 3. Debere aliquem, niſi mortem eligat, prodere latroni locum totius ſubſtantiæ ſuæ abſconditæ, ſi id exigat ſub minatione mortis. 4. Teneri teſtem loqui contrà proximum, & reum contra ſe ipſum, licèt injuſtiſſimè ad reſpondendum cogantur: quod ſanè non eſt veriſimile: undè in illis & ſimilibus caſibus, terminis æquivocis, aut reſtrictione latè mentali uti poſſunt.

Objic. 1. Innocentius XI. condemnavit reſtrictiones mentales, quando proſcripſit hanc propoſitionem. *Si quis vel ſolus vel coram aliis* &c. item hanc: *Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium eſt, aut utile ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens & ſtudioſa.*

Reſ. Diſt. Ant. Condemnavit ſtrictè mentales, C. Latè Mentales, N. & certè has non fuiſſe condemnatas, eviden-

Digitized by Google

ter patet ex eo, quòd etiam nunc doceantur Romæ, non tantùm in oculis Cardinalium, ſed & ipſius Papæ. Unde Magiſter ſacri Palatii approbavit nuperrimè *Tribunal* Paſſerini, in quo formaliſſimè edocentur. Præterea condemnavit illas Pontifex ad ſenſum Authoris, nempè Sanchez lib. 3. in Decalogum cap. 6. qui illas admiſit ad juſtificationem reſtrictionum purè mentalium: nam poſtquàm dixit n. 15. *Poſſunt quoque abſque mendacio ea verba uſurpari, etiamſi ex ſua ſignificatione non ſint ambigua, nec eum ſenſum verum admittant ex ſe, nec ex circumſtantiis occurrentibus, ſed tantùm verum ſenſum reddant ex aliquo addito mente proferentis retento, quodcunque illud ſit*; immediatè poſt addit: *ut ſi quis vel ſolus vel coram aliis &c.*

Objic. 2. Inconvenientia quæ ſequuntur ex Reſtrictionibus ſtrictè mentalibus, etiam ſequuntur ex latè mentalibus; ergo &c.

Reſp. Neg. Ant. jurans enim cum Reſtrictione latè mentali non mentitur, nec eſt perjurus, nec obeſt humano convictui: non mentitur quidem, cùm verba exteriùs prolata idipſum ſignificent in illis circumſtantiis, quod loquens in mente concipit, licèt obſcuriùs: nec eſt etiam perjurus, cùm illi juramento non deſit veritas, imò nec judicium, nec juſtitia, ut patet ex dictis. Denique non obeſt humano convictui; quia non poſtulat humana ſocietas, ut conceptus noſtros apertè cuilibet manifeſtemus, præſertim cùm interrogans illorum notitiam injuſtè extorquet. Sufficit ergo ad commercium humanum, quòd reſpondeamus, loquamur, ſcribamus in eo ſenſu, quem ex ſua interrogatione colligere poteſt, & debet ipſemet interrogans: ità ut, ſi interroget, veritatis occultæ notitiam injuſtè exigendo, credere debeat loquentem reſpondere, illam occultando: quòd ſi fallatur, ſuæ inſcitiæ, temeritati, imò & malitiæ debet imputare: & dolus, ſi quis ſit, ſtat ex parte interrogantis, non reſpondentis, cùm hic reſpondeat debitè, ille interroget indebitè.

Objic. 3. Reſtrictiones illæ opponuntur Chriſtianæ ſimplicitati, quam nobis commendat Chriſtus Matth. 5. *Sit autem ſermo veſter: eſt eſt: non non: quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.*

Reſp. Quòd ſicut poteſt homo injuſtum aggreſſorem lædere, imò & occidere, modo poſteà explicando, ubi vitam aliter ſervare non poteſt, licèt Chriſtus dicat non eſſe lædendum, aut occidendum: ità & aliis verbis uti, quàm *eſt eſt, non non*, ubi alias graviter in ſuis injuſtè opprimeretur. Aliæ particulæ dicti paſſus explicatæ ſunt initio hujus Quæſtionis.

Objic. 4. Uſus Reſtrictionum mentalium fuit antiquitati incognitus: ergo eſt ſuſpectus.

Reſp. diſt. ant. Fuit antiquitati incognitus quantùm ad extenſionem, quam intruſerunt quidam Caſuiſtæ laxiores, C. in caſu concluſionis, N. illis enim uſus eſt Jacob, illis Joſeph, illis Judith, imò & Chriſtus, ut diximus.

Objic. 5. *Expectationem eorum, quibus juratur, quiſquis deceperit, non poteſt eſſe non perjurus*, inquit Auguſt. Epiſt. 225. in fine; atqui certum eſt ex Reſtrictionibus, etiam latè mentalibus, nonnunquàm petentem juramentum decipi: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. qui decipit expectationem juſtam, ſeu quam debet habere ille, cui juratur, eſt perjurus, C. qui injuſtam, ſeu quam non debet habere, N. qui autem injuſtè interrogat, injuſtè reſponſionem nudam expectat; juſtè verò reſponſionem ſuæ interrogationis eluſoriam, ex qua, ſi decipiatur, imputet ſuæ pravitati. Nec plus vult Auguſt.

Objic. 6. Alios Auguſt. paſſus, in quibus videtur omnem Reſtrictionem, adeòque & latè mentalem condemnare. Primo, ſummè laudat lib. *De Mendacio* cap. 13. Epiſcopum Tageſtenſem (quem vocat Firmum nomine, firmiorem voluntate) quòd Imperatoris ſatellitibus hominem ad necem quærentibus reſponderit ſimpliciter: *Nec prodam, nec mentiar*; imò in eadem ſententia permanſerit, licèt multa tormenta paſſus. Ubi Reſtrictionum patronus, ut illa vitaret, reſpondiſſet audacter, *neſcio*, ſubintelligendo interiùs, *ut vobis dicam*. Secundo, lib. *contra mendacium* cap. 18. docet, ſi pater periculosè ægrotus quærat à te, num filius ſuus unicus & clariſſimus vivat, quem ſcis mortuum, te non poſſe ſine mendacio reſpondere, *neſcio*, ad evitandam patris mortem ideò futuram, aut accelerandam.

Reſpondetur primo: S. Doctorem in illis locis præcisè velle nullo caſu licitum eſſe mendacium, ut legenti patebit: quod libentiſſimè concedimus, ſed fortiter negamus Reſtrictionem latè mentalem eſſe mendacium, propter rationes ſuperiùs allatas.

Reſpondetur Secundo Auguſtinum priori loco laudare Epiſcopum, quod non fuerit mentitus, quodque potiùs tormenta, quam mendacium elegerit. Non poterat autem, illa vitaturus, dicere, *neſcio* cum Reſtrictione; quia cùm apparitores (quorum non erit cauſæ juſtitiam examinare) fundatè crederent ſibi jus eſſe interrogandi, ſi Reſtrictione uſus fuiſſet Epiſcopus, fuiſſet ſtrictè mentalis. Præterea inutiliter dixiſſet: *neſcio*; cùm enim notum eſſet apparitoribus hominem ab ipſo fuiſſe abſconditum, nunquàm ipſi credidiſſent.

Reſpondetur Tertio: Idem eſſe in poſteriori caſu; quia jus habet pater inquirendi de vita filii, quem ardentiſſimè optat videre antequàm moriatur. Præterea nullatenùs erat ibi neceſſaria Reſtrictio, cùm poſſent adſtantes reſpondere patri: *Fruſtrà à nobis quæris, an ſit vivus, vel mortuus filius, cùm exierit, & neſciamus ubi ſit*, ſcilicet, an in Cœlo, Inferno, aut Purgatorio: ubi tantùm celatur veritas: quod ex juſta cauſa licitum eſſe, oſtendimus ſupra ex Auguſtino.

Objic. 7 Aut verba à jurante prolata id ſignificant in circumſtantiis occurrentibus, quod jurans retinet in mente, vel non: ſi primum, fruſtranea eſt mentalis Reſtrictio; ſi ſecundum, eſt purè mentalis.

Reſ. Quandoque Reſtrictionem eſſe inutilem: ſic in Confeſſario, Secretario, Legato, imò ſecundùm Neeſen, in reo illegitimè interrogato, & fortè in quibuſdam aliis ſufficit merum *neſcio*: quia tamen interdum circumſtantiæ exteriores non ità clarè mentem loquentis manifeſtant, tantùmque ſignificant aliquid interiùs reticeri, tunc adhibetur Reſtrictio ad majorem præcautionem. Præterea ſtatus quæſtionis non eſt, an Reſtrictiones illæ inutiliter adhibeantur, ſed an ſint de ſe, & ex natura ſua malæ.

PARAGRAPHUS III.

Quæ conditiones requirantur, ut quis poſſit licitè, jurando, uti Reſtrictionibus latè mentalibus?

CONCLUSIO I.

REquiritur 1. ut verè & realiter adſint aliquæ circumſtantiæ exteriores, ex quibus prudenter colligere poſſit interrogans, quòd non nudè mentem aperiat interrogatus. Hinc patet, quàm infundatè doceat Author quidam modernus, ſententiam admittentium licitum eſſe uſum Reſtrictionum purè mentalium ex juſta cauſa, confundi cum ſententia ſuſtinentium licere uſum latè mentalium; cùm in his ſemper adſint circumſtantiæ exteriores tollentes rationem mendacii, in illis nunquam.

Dices: *Juſta ratio utendi ſtrictè mentalibus, eſt circumſtantia abſolvens loquentem à mendacio.*

Reſ. Vel juſta ratio & neceſſaria illis utendi, eſt aut eſſe debet cognita interroganti, vel non: ſi primum, eſt latè mentalis, & ſic ruit ſuppoſitum: ſi ſecundum, nihil facit ad rem, ut tollat mendacium, cùm tunc eodem modo ſignificent verba interroganti, ac ſi nulla eſſet cauſa utendi Reſtrictione.

Præterea negari debet tunc eſſe cauſam juſtam, cùm nunquàm poſſit eſſe cauſa juſta faciendi quod intrinſecè malum eſt.

CONCLUSIO II.

REquiritur 2. ut cauſa, propter quam juratur cum mentali Reſtrictione, ſit notabilis, ut evitatio mortis, carceris perpetui, flagellationis publicæ, infamiæ, integræ aut gravis bonorum jacturæ, amiſſionis Officii aut dignitatis magni ponderis, revelationis ſecreti in grave ſui, proximi, aut communitatis detrimentum vergentis &c. unde non ſunt coram Deo excuſandi, qui illis utuntur, ut evitent importunas interrogationes, ne perdant paucos aureos, ne dent pecuniam mutuò, ne aperiant ſecretum frivolum, ne diſpliceant amico aut Principi, ne appareant fuiſſe mentitos, ſicut nec ſcholares, famuli, aut filii familias, ne corrigantur.

Dices: Etiam in cauſa levi adſunt quandoque circumſtantiæ exteriores, ex quibus poteſt interrogans Reſtrictionem colligere: nam, cùm etiam tunc videat, aut videre debeat non eſſe in ſe jus interrogandi, ſimiliter videre debet non eſſe in alio obligationem nudè reſpondendi.

Reſ. Diſt. Ant. Adſunt circumſtantiæ ſatis ſenſibiles, ut cenſeantur moraliter internam Reſtrictionem conſignificare, N. inſenſibiles aut vix ſenſibiles, tranſeat: qui ergo interrogat injuſtè in re gravi, ſtatim & quaſi naturaliter admonetur

tur

tur à rei gravitate injuſtæ interrogationis, adeòque & juris in altero conceptus celandi: quod non accidit in re levi; & ideò tunc interrogans ſolet eodem modo accipere reſponſum, ac ſi jus haberet interrogandi, hocque patet in præceptoribus, dominis, patribus familias, qui dum ſuos interrogant de culpa, cujus nequidem habent fundamentum ſuſpicionis, ità ſupponunt debere ipſos nudè reſpondere, ut, ſi poſteà reperiant verba non fuiſſe conformia factis, illos tanquam mendaces corripiant.

CONCLUSIO III.

REquiritur 3. ut cùm cauſa notabili adſit etiam neceſſitas illis utendi, & quidem talis neceſſitas, ut ſit unicum medium ad evitandum in ſe, vel in alio grave damnum.

Ratio eſt; quia dum loquens aut interrogatus habet alia media obvia, quibus malum impediat, non præſumit, nec præſumere debet interrogans, aut audiens ipſum uti tali medio, quod propter ſolam neceſſitatem ſuggeſſit homini natura. Hinc

Reſol. 1. Non poſſe reum, etiam illegitimè interrogatum, illis uti, ſi poſſit aliter evadere, vel non reſpondendo, vel ad Judicem ſuperiorem appellando.

Reſol. 2. In tali neceſſitate præferendam eſſe æquivocationem (ubi ſufficere poteſt) Reſtrictioni mentali, cùm hujus ſenſus non ſit ita obvius, ac illius.

CONCLUSIO IV.

DEbet inſuper utens illis Reſtrictionibus ſcire, antequàm loquatur, propoſitionem ſuam in circumſtantiis occurrentibus habere ſenſum verum: aliàs convincitur velle ſignificare falſum, adeòque velle mentiri, & pejerare, ſi adſit juramentum; imò debet, quantùm in ſe eſt, intendere, ut audiens ſuæ propoſitionis ſenſum verum concipiat.

PARAGRAPHUS IV.

Quædam quæſtiunculæ ad materiam præſentem pertinentes.

PEtes 1. an, qui utitur verbis æquivocis ſine cauſa, ſit mendax, adeòque & perjurus, ſi addat juramentum?

Reſp. Neg. ſi ſenſus, ſecundùm quem loquitur, ſit receptus & uſitatus, licèt alter ſit magis obvius. Ita Boudart, Neeſen, & alii. Ratio eſt; quia verba hic de facto exprimunt exteriùs, quod loquens gerit interiùs; peccat tamen contrà virtutem Veracitatis, quæ non tantùm prohibet mendacium, ſed etiam præcipit, ut, dum loquimur, veritatem nudè, & ſimpliciter aperiamus, niſi aliter agendi cogat ex parte reſpondentis juſta neceſſitas. undè D. Ambroſius lib. 3. Officiorum cap. 12. *Unuſquiſque ſimplicem ſermonem proferat, nec ſuum fratrem circumſcriptione verborum inducat.*

Dixi: 1. In reſponſione, *Si ſenſus ſit receptus & uſitatus:* nam ſi verba ſenſum, ſecundùm quem proferuntur, non habeant in loco ubi proferuntur, licèt illum habeant in alio Regno, aut Provincia, mendax eſt & perjurus, qui illis utitur.

Dixi: 2. *Peccat tamen*, idque graviter vel leviter, ſecundùm injuriam aut detrimentum quod infert proximo per doloſam reſponſionem; imò ſi juramentum adhibeat, peccat ſemper mortaliter: cùm Dei teſtimonium aſſumat tanquàm inſtrumentum ad faciliùs decipiendum proximum, quod, ut antè diximus, eſt Deo maximè injurioſum: & quamvis non ſit perjurium ſtrictè, cùm ſupponatur adeſſe veritas; eſt tamen perjurium latè, defectu juſtitiæ, de quo perjurio loquitur Auguſtinus, ſecundùm Boudart, quando dicit: *Perjuri ſunt, qui ſervatis verbis*, id eſt ſelectis, *expectationem eorum, quibus juratum eſt, deceperunt.* Epiſt. 224.

Petes 2. An ille qui ſic æquivocè, adeòque doloſè juravit Petro v. g. teneatur juramentum adimplere ſecundùm mentem Petri, ſaltem ubi mens ejus eſt recta?

Reſp. Affir. Ita D. Th. 2. 2. q. 80. art. 7. ad 4. ubi ait: *Quando non eſt eadem jurantis intentio, & ejus cui jurat, ſi hoc provenit ex dolo jurantis, debet juramentum ſervari ſecundùm ſanum intellectum ejus, cui juramentum præſtatur.* Ratio eſt; quia inter homines eſt quoddam pactum tacitum & virtuale ita voces uſurpandi, ut per eas conceptus nudè & ſimpliciter aperiantur audienti; & conſequenter, ſi voces illæ ſano ſenſu ſumptæ obligationem involvant, debet adimpleri, non quidem vi juramenti, ſed pacti impliciti, licèt jurans non intenderit ad illum ſenſum jurare, aut ſe obligare.

Petes 3. Quid faciendum ei, à quo juramentum exigitur, quod non utatur Reſtrictione?

Reſp. Debere conſtanter juramentum denegare, cùm nullus homo teneatur homini de internis rationem reddere; ſive in judicio, ſive extrà; ſive legitimè interrogetur, ſive non: ſi tamen diſtricto gladio, ad id cogeretur in caſu, in quo liceret ipſi Reſtrictio latè mentalis, poſſet jurare cum Reſtrictione ſecunda propter eaſdem rationes, propter quas ipſi liceret cum prima.

Petes 4. Cur Deus in Scriptura ſacra uſus ſit quandoque verbis ambigui ſenſus?

Reſp. primo. Ne facilè à plebeis intellecta apud eos vileſceret. Secundo. Ut homines magis venerarentur Eccleſiæ Prælatos & Doctores, ad quos pro vero Scripturæ ſenſu cognoſcendo tenerentur recurrere. Tertio. Ne ab Infidelibus ſecundùm carnem & ſanguinem ſapientibus certa fidei myſteria riderentur. Quarto. Ut in volvendis ſacris Scripturis ſimus magis aſſidui.

ARTICULUS X.

An liceat exigere Juramentum à juraturo per falſos Deos, aut pejeraturo?

NOn quæritur hic, an liceat exigere ab altero, ut juret per falſos Deos, aut pejeret; cùm enim utrumque ſit intrinſecè malum, exigeretur ab illo peccatum; ſed quæritur, an poſſit peti juramentum nudè & ſimpliciter ab eo, qui aliundè ſcitur juraturus per falſos Deos, aut pejeraturus, licèt utrunque poſſit evitare?

CONCLUSIO I.

LIcitum eſt ex cauſa exigere juramentum ab eo, qui ſcitur juraturus per Idola, v. g. per Jovem aut Mercurium. Ita Auguſt. Epiſt. 154 quem ſequuntur Theologi. Ratio eſt; quia licet ex cauſa gravi & juſta id ab alio exigere, quod ille poteſt ſine peccato præſtare; atqui ad jurandum citatus poteſt id ſine peccato exequi, jurando ſcilicet per verum Deum: ergo &c. undè ſoli ejus malitiæ imputandum eſt, quòd per Idola juret; non autem juramentum exigenti, qui, ut Auguſt. ſup. *Non peccato ejus ſe ſociat, quo per dæmonia juravit, ſed bono facto ejus, quo fidem ſervavit.*

Confir. 1. Ex praxi; quia quotieſcunque Chriſtiani cum Infidelibus pro componenda pace conveniunt, licèt hi per falſos Deos jurare ſoleant, illi tamen ſine ſcrupulo juramentum exigunt.

Confir. 2. Licet in neceſſitate mutuum ab eo exigere, qui ſcitur non daturus ſine uſuris: ergo ſimiliter.

Porrò cenſetur eſſe cauſa ſufficiens, pax componenda, gravis litis deciſio, fœdus firmandum.

Dices 1. Non licet illud juramentum exigere ſine cauſa: ergo nec cum cauſa, cùm tunc non varietur ratio jurandi.

R. 1. Retorquendo argumentum; non licet exigere juramentum per verum Deum ſine cauſa, cùm tunc deſit judicium: ergo nec cum cauſa.

R. 2. N. conſeq. Diſparitas eſt, quòd primum juramentum nihil adferat utilitatis illud exigenti; ſecundum verò adferat, cum includat bonum fidelitatis, & confirmationem veritatis.

Inſt. Qui jurat per falſos Deos, ad nihil tenetur: ergo non habetur bonum fidelitatis.

R. Neg. Ant. ab ipſomet Auguſt. Epiſt. citata: *Nunc verò*, inquit, *quia & juravit per quos non debuit, & contra pollicitam fidem fecit, quod non debuit, bis utique peccavit.*

Petes: An graviùs peccet jurans falſum per Deum verum, quàm jurans verum per Deum falſum?

Reſpondet Auguſt. ibidem: *Sine ulla dubitatione minus malum eſt per Deum falſum jurare veraciter, quàm per Deum verum jurare fallaciter.*

CONCLUSIO II.

NOn licet homini privato, etiam cum cauſa, exigere juramentum ab eo, qui creditur pejeraturus. Huic ſententiæ contradicunt aliqui; illi tamen ſuffragatur Auguſt.

Prob. 1. Ejus authoritate, ſerm. 2. in Decoll. S. Joan. 117. inter novos: *Scribite in cordibus veſtris quod dico: qui hominem provocavit ad jurationem, & ſcit eum falſum juraturum, vincit homicidam; quia homicida corpus occiſurus eſt, ille animam: imò duas animas.* Et ſerm. 28. de verbis Apoſtoli: *Si autem ſcit eum feciſſe, novit feciſſe, vidit feciſſe, & cogit jurare, homicida eſt: ille enim ſuo perjurio ſe perimit, ſed iſte manum interficientis & expreſſit & preſſit.*

Prob. 2. Ratione; quia nulla utilitas, aut commodum ſperari poteſt ex tali juramento; quandoquidem contrà ipſummet poſtulantem ſit præſtandum: undè melius eſt, ut tua pe-

cunia careas, quàm illa carendo etiam ad perjurium detinentem cogas. Hujus ſententiæ veritatem expertus eſt Civis quidam Hypponenſis, qui, at refert Auguſt. ſup. in Decoll. S. Joan. extraordinariè fuit à Deo punitus, quia propter pecuniam juramentum à pejeraturo exegerat.

Dices: Non exigit ille perjurium, ſed juramentum, quod alter licitè præſtare poteſt: ergo ſi hic pejeret, ipſi, & non exigenti imputari debet.

Reſp. Diſt. Ant. Non exigit ille perjurium explicitè, C. Implicitè, N. nam cùm ex illo juramento contra ipſummet præſtando nullum poſſit habere emolumentum, convincitur velle potiùs perjurium, quàm quidquam aliud.

Dixi in concluſione primò. *Saltem homini privato*; quia juxtà D. Thomam 2.2.q.98. Artic. 4. poteſt perſona publica, qualis eſt Judex, tale juramentum exigere, ſi id poſtulet ordo Juris, & aliundè ab altero litigantium cogatur; quia, ut ait Doctor Angelicus: *Non videtur ille exigere, ſed ille, ad cujus inſtantiam exigit*. Crediderim tamen raro admodum, & fortè nunquàm ordinem Juris id poſtulare; nam cùm unus litigantium irrationabiliter id peteret à collitigante, ita & irrationabiliter ad illud exigendum cogeret Judicem, qui proindè non videtur poſſe illi acquieſcere.

Dixi 2. *Ab eo qui creditur pejeraturus*, ſub qua credulitate etiam comprehenditur fortis præſumptio, quæ cenſetur adeſſe, quando quis adhuc pejeravit, aut ferè nullius eſt conſcientiæ. Ubi autem neſcitur, an quis ſit verum, aut falſum juraturus, poteſt ab eo ex cauſa juramentum exigi; quia debet præſumi bonus, qui non probatur malus.

ARTICULUS XI.

Quibus modis tollatur obligatio Juramenti?

CUm Juramentum fieri poſſit ſoli Deo, ſoli homini, & utrique ſimul, de ceſſatione illius obligationis ſub hoc triplici reſpectu foret hic tractandum, quia tamen Juramentum ſoli Deo factum ferè in omnibus induit rationem voti, ideò de illo ſub hac conſideratione relinquimus agendum in materia de voto. Nunc de eo ſub alio duplici reſpectu duobus paragraphis breviter tractabimus.

PARAGRAPHUS I.

Quomodo ceſſet obligare Juramentum ſoli homini factum?

CONCLUSIO I.

QUilibet habens poteſtatem dominativam, poteſt ſibi ſubditorum Juramenta ſoli homini facta irritare, ſi ſint de materia ſibi ſubjecta. Hanc in terminis docet D. Thom. 2.2.q. 89. Art. 9 ad 3 ubi ait: *Ad unumquemque pertinet irritare Juramentum, quod à ſibi ſubditis factum eſt circa ea, quæ ejus poteſtati ſubduntur*. Eſt communis inter Doctores. Ratio eſt; quia omnes contractus, promiſſiones, donationes, & quaslibet alienationes à ſubditis factas in materia ſibi ſubjecta, poſſunt Superiores pro libitu reſcindere, idque ſine cauſa; quia cenſentur fieri cum hac conditione: *Niſi contradicat Superior*: Illis autem reſciſſis, poſſunt & Juramenti obligationem relaxare, quod ſimiliter fuit tacitè conditionatum. Hinc

Reſol. 1. Poſſe Summum Pontificem tollere obligationem Juramenti in omnibus, quæ ad rerum Eccleſiaſticarum diſpenſationem pertinent, v. g. in Officiorum aut Beneficiorum diſtributione, commutatione, reſignatione, rerum Eccleſiæ alienatione, numero Canonicorum aut Sacellanorum &c. quia in illis, ut ait D. Thomas ſuprà, pleniſſimam habet poteſtatem, ob quam ſemper tacitè ſubintelligitur hæc conditio: *Niſi Papa aliter decernat*.

Reſol 2. Poſſe Parentes irritare hujuſmodi Juramenta filiorum ſub patria poteſtate exiſtentium, Tutores pupillorum, Maritos uxorum, Dominos ſervorum, Superiores Religioſorum &c. Curatores verò, licèt poſſint irritare vota puberum ſibi ſubditorum, non tamen eorum Juramenta contractum firmantia: Jure ſic ſtatuente.

Dixi: *Si ſint de materia ſibi ſubjecta*; undè non poteſt maritus contractum uxoris juratum irritare, ſi ſit ex bonis Paraphernalibus, ſicut nec Pater Filii, ſi ſit ex bonis Caſtrenſibus; quia horum bonorum habent diſpoſitionem liberam.

CONCLUSIO II.

POſſunt etiam Juramenta ſoli homini facta relaxari per remiſſionem illius, in cujus favorem ſunt præſtita. Eſt communis. Ratio eſt; quia cùm jurans non intendat invitum ad Beneficium acceptandum compellere, cenſetur jurare, ſub hac conditione: *Si ille, in cujus favorem juratum eſt, velit ſibi præſtari*. Sed quid ſi duo aliquid ſibi viciſſim ſub Juramento promiſerint? Poteſt ſimpliciter utriuſque Juramentum ex mutua utriuſque remiſſione ceſſare; quia videtur eadem prorſùs ratio militare.

CONCLUSIO III.

NUllus, ne quidem Papa, poteſt diſpenſare in juramento in favorem hominis præſtito, niſi bonum commune id exigat, aut interceſſerit gravis culpa ex parte illius, in cujus favorem juratum eſt.

Ratio eſt; quia vi juramenti promiſſarius acquirit jus ad rem promiſſam; atqui non poteſt hic invitus privari jure ſuo ſine cauſa juſta: ergo.

Dixi 1. *Niſi bonum commune id exigat*; Nam ubi ſervari non poteſt juramentum ſine gravi detrimento boni publici, poteſt Superior illud relaxare, etiamſi indè aliquod detrimentum patiatur promiſſarius, qui deberet non tantùm promiſſa, ſed & acquiſita pro bono communi exponere. Hinc juramentum quo quis promittit ſe daturum alteri 50. aureos, ſi non accuſet aut denunciet Petrum, relaxari poteſt & debet à Superiore, ſi interſit boni publici ut denuncietur Petrus. Item poteſt relaxari illud quo ſponſus promittit aliquid ſponſæ, ſi reſiliat à ſponſalibus; quia bonum commune poſtulat, ut Matrimonium fiat omninò liberè.

Dixi 2. *Aut interceſſerit gravis culpa ex parte promiſſarii*. Hinc relaxari poteſt juramentum per vim, metum, aut dolum extortum. Item juramentum præſtitum uſurario de ſolvendis uſuris: ſicut & quodlibet aliud, ſi promiſſarius crimen commiſerit, ob quod meretur jure ſibi per juramentum acquiſito privari: ſi enim poteſt propter crimen privari poſſeſſis, quidni & poſſidendis?

CONCLUSIO IV.

CEſſat etiam obligatio juramenti Petro v. g. facti, ſi materia juramenti facta ſit phyſicè aut moraliter impoſſibilis; ſi ſit notabiliter mutata, aut ſi ceſſet totaliter & pro ſemper finis motivus.

Prob. prima pars; quia non cenſetur homo velle ſe obligare ad phyſicè aut moraliter impoſſibile; & ideò ſubintelligitur tacitè in juramento, *ſi res ſit poſſibilis*.

Prob. ſecunda pars; quia res notabiliter mutata non cenſetur moraliter eadem, ſed diverſa: ſed qui juravit rem unam, non juravit diverſam: ergo.

Dixi: *Notabiliter mutata*; quia non ſufficit mutatio quælibet; aliàs vix aliquid obligaret in mundo, cùm omnes promiſſiones, vota, juramenta, imò & præcepta ferè ſemper ſint mutationi expoſita. Cenſetur autem eſſe *mutatio notabilis*, quando vel ex communi hominum ſenſu, vel ex conſuetudine, vel ex aliqua regula Juris reputatur res alia ab ea, quæ jurata eſt; vel etiam, ſi ponatur in ea conſtitutione, in qua leges Divinæ non obligarent: hinc ſi juraſti alicui executionem operis, quod non potes implere ſine periculo vitæ, honoris, aut jacturæ bonorum notabilis, ad nihil teneris. In dubio autem, an materia jurata ſit notabiliter mutata, nec ne, tutior pars eligenda eſt.

Petes: An non ſufficiat mutatio illa, quàm ſi jurans prævidiſſet, non juraſſet?

Reſp. Neg. quia promiſſio facta illi, quem poſteà deprehendis eſſe prodigum, impium, tibi adverſum, ſecundùm omnes obligat, & tamen ſi id ab initio ſciviſſes, non promiſiſſes. Cujus ratio eſt, quòd obligatio juramenti ſumi debeat ex ea promiſſione, quæ facta eſt, non ex ea quæ facta fuiſſet.

Prob. tertia pars; quia materia jurata non obligat, niſi ut intenta à jurante; ſed, ceſſante motivo adæquato, propter quod materiam juravit, non ſtat ampliùs materia intenta à jurante, cùm ſit tantùm intenta propter finem, qui non ampliùs ſubſiſtit: ergo. Undè ſi totaliter motus ab infirmitate Patris, à paupertate Petri, à captivitate Pauli &c. Juraveris primo peregrinationem ob ejus ſanitatem: ſecundo ſingulis diebus certam eleemoſynam: tertio ſummam pecuniæ, liberato ab infirmitate Patre, Petro à paupertate, Paulo à captivitate, ceſſat juramenti obligatio.

Dixi 2. *Si finis ceſſet totaliter*: nam ſi res jurata ſit diviſibilis, & tantùm ceſſet finis ſecundùm unam partem, teneris ſecundùm aliam. Item, ſi juraſti alicui conficere iter v. g. propter duos fines, ceſſante uno fine, obligaris propter alium, niſi aliud intenderis.

Dixi 2.

Digitized by Google

Dixi 2. *Et pro ſemper*; quia ſi ſolùm ad tempus ceſſat, tantùm ſuſpenditur promiſſionis obligatio, revictura reviviſcente fine.

Dixi 3. *Finis motivus*, non impulſivus; quia licèt hic impellat ad jurandum, non tamen materia jurata intenditur propter illum, ſicut propter finem motivum; & ideò hoc manente, manet Juramenti obligatio, licèt extinguatur finis impulſivus.

PARAGRAPHUS II.

Qualiter ceſſet obligatio Juramenti ſimul in honorem Dei, & hominis utilitatem præſtiti?

TAle Juramentum foret, ſi frater juraret fratri ſe in Cælibatu manſurum, ut ipſum hæredem ſolum relinqueret; ità tamen, ut per illum actum æquè primò & Deo ſpecialiùs ſervire, & fratri prodeſſe intenderet. Item ſi quis cum Juramento promittat Eccleſiæ Calicem, ut Deus colatur, & Dominus Pagi ab onere illum providendi liberetur.

CONCLUSIO I.

QUilibet habens poteſtatem dominativam, poteſt hujuſmodi Juramentum à ſuis reſpectivè ſubditis præſtitum irritare, ſi materia jurata ſibi ſubjiciatur.

Ratio eſt; quia poteſt irritare, & Juramentum ſoli Deo factum, ut dicemus in materia de voto, & Juramentum in ſolius hominis favorem præſtitum, ut diximus: ergo & juramentum utrique factum.

CONCLUSIO II.

TOlli poteſt etiam obligatio Juramenti, ſi adſit ex parte promiſſarii remiſſio, & ex parte Superioris legitimi diſpenſatio: neutra tamen ſolitariè ad hoc ſufficit.

Prob. prima pars. Si factum eſſet duplex Juramentum, unum ſoli homini, & alterum ſoli Deo, poſſet homo remittere primum, & Superior legitimus relaxare ſecundum; atqui præfatum Juramentum æquivalet illi duplici: ergo.

Prob. ſecunda pars; quia licèt homo poſſit remittere jus ſuum, non tamen jus Dei, cùm ad hoc nullam receperit poteſtatem: è contrà licet poſſit Superior, ratione poteſtatis ſibi traditæ, jus Deo acquiſitum relaxare, non tamen jus alterius ſine juſta cauſa, ut concl. tertia paragraphi præcedentis diximus.

CONCLUSIO III.

SI jurans intendat principaliter utilitatem illius, cui jurat, & gloriam Dei tantùm ſecundariò & veluti occaſionaliter, poteſt promiſſarius obligationem Juramenti remittere.

Ratio eſt; quia tunc jurans cenſetur tantùm velle Deum honorare per actum gratificativum talis perſonæ, v. g. Petri pauperis: ergo ubi Petrus non vult gratificationem acceptare, eximitur jurans ab omni onere. Idem eſt, propter eandem rationem, ſi Deum velit quidem principaliter honorare, ſed limitatè ad talem perſonam, aut locum, ut ſi dicat: *Propter honorem tuum, ò Deus, juro, me daturum Altare marmoreum tali Eccleſiæ, decem aureos tali pauperi*; ita ut intentio dandi limitetur ad tales. Aliud eſſet, ſi denominatio perſonæ, aut loci haberet ſe tantùm occaſionaliter, ut, ſi quis meditans dare certam eleemoſynam pauperi indeterminato, juret ſe daturum illam Joanni, quia ipſi occurrit, vel quia audit ipſum eſſe extremè indigentem: tunc enim Joanne remittente, tenetur alteri dare; quia principalis ejus intentio non fuit ad Joannem limitata, ſed tantùm ſecundaria & occaſionalis.

Petes 3. An qui juravit ſe ingreſſurum Religionem indeterminatam, aut ſe daturum pauperi indeterminato eleemoſynam, poſſit, una Religione non admittente, aut uno paupere ipſi remittente, manere ſecurus?

Reſp. neg.; quià cùm promiſſio non ſit facta ipſis in particulari, ita nec poſſunt obligationem relaxare: unde ſi non interveniat diſpenſatio legitimi Superioris, tenetur ille tot pauperibus eleemoſynam offerre, donec unus illam acceptet, ſicut & ſe tot Monaſteriis offerre, donec admittatur in uno.

Petes 2. An qui ſibi mutuò jurarunt recitationem centum Pſalmorum, poſſint ſibi mutuò obligationem relaxare?

Reſp. Poſſe, ſi intentio jurantium fuerit mutua utilitas ex illis precibus proveniens; non poſſe autem, ſi per hoc intenderint ſeſe excitare ad Deum colendum. Ratio eſt; quia in primo caſu ipſimet jurantes ſunt promiſſarii, qui ideò poſſunt ſibi remittere: in ſecundo autem, non tam illi ſunt promiſſarii, quàm Deus.

ARTICULUS XII.

Quantum ſit peccatum perjurium, quæ ejus pœna, & quid perjuris imponere debeat Confeſſarius?

SUppono duplex eſſe Perjurium, unum latiùs ſumptum, alterum ſtrictè dictum. Primum eſt Juramentum uno ex tribus comitibus deſtitutum, ideſt Veritate, Juſtitia, aut Judicio: de illo loquitur Hieronymus ſuper cap. 4. Jeremiæ: *Si iſta defuerint, nequaquàm erit Juramentum, ſed Perjurium*. Secundum eſt mendacium Juramento firmatum, patet ex eodem Doctore ſup. ubi ait (ut citat Bondart) *Mentiendo jurare, quid eſt aliud, quàm pejerare?* de hoc ultimo hìc præſertim agitur.

CONCLUSIO I.

P*Erjurium peccatum eſſe, & grande peccatum, nemo dubitat*, inquit Auguſt. ſerm 28. cap. 5. de Verbis Apoſt. unde gravius eſt homicidio, & quolibet peccato contrà juſtitiam commiſſo, ut docet D. Thom. Ratio eſt; quia directè tendit contrà Divinum honorem, imò gravius eſt illa blaſphemia, qua quis verum per Deum falſum juraret, ut diximus ex Auguſt. ſupra.

CONCLUSIO II.

HÆ ſunt pœnæ jure tum civili, tum Pontificio perjuris inflictæ. Prima, eſt infamia, quæ tamen non incurritur, niſi quis ſolemniter jurando pejeraverit, & de perjurio in judicio ſit condemnatus. Secunda, eſt repulſio à teſtificando cap. 14. 22. q. 5. quia præſumitur quis pejeraturus, ex quo ſemel pejeravit. Tertia, eſt Depoſitio ab Ordine, ſi ſit Clericus, & detruſio in Monaſterium, ubi teſtimonium falſum in judicio dixerit: ſi autem ſit Laicus, falſumque teſtimonium adversùs reum dixerit, eadem eſt pœna puniendus, qua puniretur reus convictus. Quarta, eſt privatio Beneficii poſt ſententiam Judicis. Quinta, eſt quòd collatio Beneficii facta perjuro ſit ipſo jure nulla, cùm ſit infamis.

CONCLUSIO III.

NEceſſariò deberet Confeſſarius perjuris habituatis, aut perjurio expoſitis, quia modò verum, modò falſum jurant, pœnitentiam medicinalem imponere toties faciendam, quoties juraverint, ubi reperiuntur digni Abſolutione.

Ratio eſt; quia experientia docet vix, aut nunquàm pravam illam conſuetudinem eradicari, niſi per hujuſmodi pœnitentias; è contrà verò, multos ope illius remedii ſanari, in quantùm hujus occaſione, timore ſalutari concutiuntur, & quaſi refrænantur. Hoc ipſum in ſeipſo expertus eſt Auguſt. ſup cap. 9. *Ex quo Deo ſervire cœpimus*, inquit, *& quantum malum in perjurio ſit, vidimus, timuimus vehementer & veternoſiſſimam conſuetudinem timore frænavimus. Frænata reſtringitur, reſtricta langueſcit, langueſcens emoritur, & malæ conſuetudini bona ſuccedit*.

Expedit autem, ut Pœnitens ſtatim à commiſſo peccato pœnitentiam illam exequatur; & ideò prudens Confeſſarius talem illi injunget, qualem poterit etiam coram aliis imperceptibiliter exequi, ut ſunt linguam mordere, carnem digitis, aut acicula pungere, Cœlum animo contrito reſpicere: quòd ſi talis ſit pœnitentia, ut non poſſit, niſi domi practicari, diligenter numerum lapſuum adnotet, ut conſcientiæ examen inſtituens (quod ſingulis diebus facere tenebitur) toties injunctam pœnitentiam impleat, quoties ſe lapſum eſſe perceperit. Porrò non imprudenter imponeretur pro pœnitentia in ſecreto facienda, crucem in pavimento lingua efformare, terram aut Crucifixi plagas oſculari cum his verbis: *Deus propitius eſto mihi peccatori*, & ſimilia. Conſulunt alii impoſitionem eleemoſynæ: quod ſanè avaris multùm congruit. Hæc etiam Blaſphemis ſunt imponenda.

ARTICULUS XIII.

Quid adjuratio, quotuplex, & quos liceat adjurare?

QUoniam Juramento affinis eſt Adjuratio, hic pauca de ea ſubjungemus.

CONCLUSIO I.

ADjuratio eſt actus Religionis, quo per interpoſitionem Divini Nominis, aut alicujus rei ſacræ, quempiam ad aliquid præſtandum, vel omittendum impellimus.

Dicitur 1. *Actus Religionis*, in quo convenit cum Juramento, à quo differt per reliqua.

Dicitur 2. *Per interpoſitionem Divini Nominis*, non ad faciendam fidem, cùm hic Deus non adducatur in teſtem; ſed ut ſit objectum amoris, aut timoris reſpectu illius, quem adjuramus, indèque moveatur ad faciendum, vel omittendum id, quod intendimus.

Dicitur 3. *Aut alicujus rei ſacræ*, ſic aliquando adjuramus per Chriſti Sanguinem, Crucem, Paſſionem &c. eſtque tunc actus Latriæ: aliquando per B. Virginem, & eſt actus Hyperduliæ: aliquando per Sanctos, eſtque actus Duliæ. Quando autem interponitur vita patris, amor matris, nomen Regis, non eſt ſtricta Adjuratio, cùm non ſit actus Religionis.

Dicitur denique: *Ad aliquid &c. impellimus*; quia non imponit Adjuratio obligationem perſonæ adjuratæ, ſicut facit lex aut præceptum; ſed tantùm illam movet & excitat.

Ubi autem Adjuratio ſit licita, eoſdem requirit comites, quos juramentum, nempè Veritatem, Juſtitiam, & Judicium. Hinc peccat primò dives, qui ſimulans ſe pauperem, petit eleemoſynam ob amorem Dei, per viſcera Chriſti &c. quia Deo aut Chriſto eſt aliqua irreverentia: non tamen videtur gravis. Peccat ſecundo & quidem graviter, qui alium adjurat per Deum aut Chriſtum, ut peccet mortaliter, aut venialiter; quia utitur Dei aut Chriſti nomine tanquàm inductivo ad peccandum: quod ſemper videtur gravis irreverentia. Peccat tertiò leviter tamen, qui ſine prudentia & diſcretione adjurat aliquem per Dei aut Sanctorum nomen. Patet ex dictis de Juramento.

CONCLUSIO II.

DUplex eſt Adjuratio: una per modum imperii & compulſionis, & tantùm reſpicit Inferiores, & Dæmones. Hac videtur fuiſſe uſus Apoſtolus, dum 1. ad Theſſal. 5. dixit: *Adjuro vos per Dominum, ut legatur Epiſtola hæc.* Altera per modum deprecationis, & illa utimur reſpectu Dei, Sanctorum, Superiorum, & æqualium, in quos nullum eſt nobis imperium, licèt & poſſimus illa uti reſpectu inferiorum: illam adhibuit D. Paulus Rom. 12. *Obſecro vos*, inquit, *per miſericordiam Dei.*

CONCLUSIO III.

ADjurare poſſumus Deum, B. Virginem, Angelos & Beatos: deprecativè tamen, propter allegata. Ratio eſt; quia Adjuratio deprecatoria nihil eſt aliud, quàm quædam obſecratio & ſervida petitio, quam ut faciliùs impetremus, Chriſti ſanguinem & ejus merita interponimus, quod totum ſanctum eſt & religioſum.

CONCLUSIO IV.

POſſumus etiam adjurare homines; Superiores quidem & æquales deprecativè: inferiores verò etiam imperativè. Utraque pars patet ex facto D. Pauli concl. ſecunda citati.

An autem poſſint adjurari creaturæ irrationales? Diſtinguendum eſt: vel enim ſpectantur ſecundùm ſe, & ſic nequeunt adjurari, cùm ſint imperii exequendi, aut deprecationis ſuſcipiendæ incapaces: vel quatenùs referuntur ad eum, à quo moventur & aguntur; & tunc adjurari poſſunt, dirigendo adjurationem noſtram ad creaturam intellectualem, quæ illis præſidet, vel quæ illis uti aut abuti poteſt. Hujuſmodi adjurationes reperiuntur in Benedictione ſalis, aquæ, panis, domus novæ, thalami, fructuum &c. Item aliquando adjurantur locuſtæ, mures, & alia animalia, ne ſegetes vaſtent, aut arbores.

CONCLUSIO V.

ADjurari poſſunt etiam Dæmones, modò tamen certæ conditiones adhibeantur. Eſt de fide.

Prob. tum ex Script. variis locis, & præſertim Marci ult. *In nomine meo Dæmonia ejicient*: tum ex praxi antiquiſſima Eccleſiæ: tum etiam ex Patribus, Cypriano, Tertulliano & aliis, quos vide apud Wigers in hac materia.

Dixi: *Modò adſint certæ conditiones*, quarum prima eſt, ut ſit in adjurante ſolemniter legitima poteſtas, quam habet Exorciſta, quod eſt nomen græcum idem ſonans, quòd Adjurator. Unde peccant, ſaltem venialiter, qui ſine Exorciſtatus Ordine præſumunt hoc munus obire.

Dixi: *Adjurante ſolemniter*, id eſt, ſecundùm formulas adhiberi ab Eccleſia ſolitas: quia poſſunt laici, præſertim dum patiuntur Dæmonum infeſtationes, ſivè per terrores, ſivè per ſpectra, ſivè per ſuggeſtiones immundas, illos privatim adjurare his aut ſimilibus verbis. *Ecce* (formando Crucis ſignum) *Crucem Domini, fugite partes adverſæ*; vel: *in Nomine Domini diſcedite tenebrarum poteſtates &c.*

Secunda eſt, ut adjurans Dæmonem à corpore humano expellendum, ſciat hominem verè eſſe à Dæmone poſſeſſum, quod noſſe poterit, ſi poſſeſſus cantet, ſcribat, ludat inſtrumentis, licèt anteà nihil horum didicerit, ſi loquatur diverſo, ignotoque idiomate: ſi diſtantia & verè occulta manifeſtet. Alia ſigna, ut membrorum contorſiones, voces raucæ, motus extraordinarii, ſævi dolores, aut clamores &c. ſunt valdè incerta.

Tertia eſt, ut Dæmon adjuretur imperativè, increpativè &c. dicendo, v. g. *tace, obmuteſce, exi, fac, dic*; non autem deprecatoriè, aut amicabiliter, v. g. *obmuteſcas velim, rogo te exeas, nocere deſinas &c.* quia hoc ſonat quandam amicitiam cum infenſiſſimo Dei hoſte, enervatque poteſtatem, quam dedit Chriſtus fidelibus in Dæmones ad eoſdem ſuo nomine profligandos.

Quarta eſt, ut finis unicus adjurantis ſit, ut Dæmon ejiciatur, & nocere deſinat; ut autem finem illum aſſequatur, poterit de omnibus, quæ ad hoc prudenter judicaverit conducere, Dæmonem corpus humanum obſidentem interrogare, v. g. Chriſti exemplo, nomen ejus petere, tempus & cauſam ingreſſus ſciſcitari, an ſolus hominem poſſideat, nulloſque habeat ſocios? quid magis horreſcat &c. Item licebit in Dæmonis contemptum ipſius nomen ſcriptum comburere, & in obſeſſum ſpuere, ad loca ſordida conducere, leviter percutere, non tamen graviter; quia eſſet contrà Charitatem proximo debitam, & aliundè nihil facit ad Dæmonis expulſionem, qui percuſſiones corporeas non ſentit. Similiter poterit Exorciſta humiliaturus Dæmonem, imperare Dæmoniaco ut ſtet, genuflectat, maneat detectus, taceat, det ſignum egreſſus, candelam extinguendo, vitrum frangendo &c.

Quinta, ut caveat adjurans petere à Dæmone vana quædam & curioſa, ſivè ediſcenda, ſivè facienda. Hinc peccat, qui petit cognitionem ſcientiarum & occultorum, ſivè ſint præterita, ſivè futura, ſivè diſtantia. Item illi qui petunt, ut Dæmon eradicet arborem, Dæmoniacum ſublevet è terra, transferat lapidem molarem &c. Imò Caſtropalaus, nullam in his omnibus admittit materiæ parvitatem, eò quòd ſit commercium, aut familiaritatem habere cum Dæmone. Alii tamen à mortali excuſant illos, qui ex mera curioſitate ſemel atque iterum aliquid leve ediſcendum, vel faciendum poſtulant, brevi tamen ſermone; quia tunc non videtur eſſe familiaritas, aut commercium cum hoſte communi: ſicut non diceretur homo habere commercium, aut amicitiam cum altero, à quo leve quid ſimile poſtularet, & quidem duobus aut tribus verbis.

Sexta, ut nullatenùs accuſationibus à Dæmone factis fidem adhibeat: undè turpiter errant Judices illi, qui Dæmonibus ità deferunt, ut ab ipſis accuſatos apprehendant, ac examini ſubjiciant; meminiſſe enim debent, Diabolum eſſe patrem mendacii, qui per ſimilia tantùm quærit diſcordias, odia, animoſitates &c. inter homines diſſeminare.

Septima denique, ut non auſcultet Dæmonem quantumcunque pia, ſancta, aut ad peccatorum converſionem conducentia ſuggerat aut prædicet; cùm illa, non docendi, ſed decipiendi cauſa prænuntiet; & ideò tunc illi dicere debet cum D. Chryſoſtomo hom. ſecunda de Lazaro: *Ex infamium numero es, non eſt tuum liberè loqui, tace, obmuteſce, non eſt tuum prædicare: Apoſtolorum iſta eſt authoritas, quid uſurpas quod tuum non eſt? ſile, infamis eſto.*

QUÆSTIO III.

De Voto.

VOtum hìc non ſumitur pro deſiderio, ſicut ſumitur, cùm dicimus, contritionem juſtificativam debere eſſe cum Voto Confeſſionis, Baptiſmum in re, vel in Voto, eſſe ad ſalutem neceſſarium &c. ſed pro certa promiſſione Deo facta. Hoc modo ſumptum varias includit difficultates variis articulis enodandas.

ARTICULUS I.

Quid ſit Votum.

VOtum eſt promiſſio ſpontaneè & deliberatè Deo facta de re poſſibili & ipſi grata.

Dicitur 1. *Promiſſio*; quia non ſufficit nudum voluntatis propoſitum: quod advertere debent Confeſſarii pro pœnitentibus rudioribus, qui quandoque confunduut Propoſitum cum Voto; cùm tamen primum, etſi firmiſſimum, non pariat obligationem ſecundi.

Dicitur 2. *Spontaneè*; quia 1. metus gravis injuſtè ad Votum extorquendum incuſſus, illud irritat: non quidem jure naturæ, cùm valeat juramentum ſimiliter extortum, ut quæſt. præc. diximus; ſed jure Eccleſiaſtico: ut de Profeſſione ſolemni evidenter patet ex Trid. ſeſſ. 25. cap 19. *De Regularibus*, ubi ſatis inſinuat ad Religionem coactos ſuæ reſtitui poſſe libertati: quod & Doctores communiter extendunt ad quodlibet aliud Votum, idque probant ex cap. 14. *De Sponſalibus*, ubi colligunt, conſenſum gravi metu extortum pro nullo haberi ab Eccleſia. Dico: *Gravi metu extortum*; quia metus levis, ſicut preces importunæ, imperium ex quo non timetur grande malum: imò & metus gravis juſtè incuſſus, aut ex cauſis naturalibus ortus, v. g. ex periculo naufragii aut mortis, non invalidant Votum; quia non cenſentur ſufficienter repugnare libertati ad vovendum requiſitæ.

2. Etiam error quandoque irritum facit Votum. Vide dicta de Juramento, & hic applica. Ex dictis

Reſol. 1. Nullam eſſe Profeſſionem illius, quia Religionem profeſſus eſt præciſè, ut obediret Patri, aliàs carcerem, hæreditatis privationem, aut perpetuam ejus indignationem minanti, ſi juſtè illa timeat. Eſſet tamen valida, ſi tantùm præceſſiſſet importuna fratris ſuggeſtio, ardens matris deſiderium ſæpiùs inculcatum, aut etiam Patris mandatum, ex quo violato non immineret ipſi grava malum.

Reſol. 2. Validum eſſe Votum illius, qui territus ex diſcurſu Concionatoris, Avaritiæ vitium exaggerantis, vovet ſe daturum centum aureos pauperibus; quia metus iſte eſt juſtè incuſſus.

Reſol. 3. Propter eandem rationem, ſtare Votum illius, qui ſuſpendium meritus profiteretur Religionem, aut voveret nubere cum puella corrupta, ad mortem redimendam.

Reſol. 4. Si quis lapſus inter manus ſicariorum mortem minitantium voveat ſuſceptionem ſacrorum Ordinum, aut peregrinationem Romanam, caſu quo evadat, teneri, ubi evaſit, Votum adimplere; quia metus interveniens; licèt injuſtus, non fuit tamen ad extorquendum Votum incuſſus.

Dixi 3. *Et de libertate facta*, id eſt, cum advertentia quę requiritur, & ſufficit ad peccatum mortale: nam, ut ait Gloſſa in cap. 14. 32. q. 2. per quam deliberationem poteſt quis *ſe obligare Diabolo, poteſt & Deo*. Ratio eſt; quia non videtur quòd plus aut minus requirat Deus ad Voti meritum, quàm ad peccati mortalis demeritum. Hinc

Reſol. 1. Nullum eſse Votum factum ex ſubito motu, ex conſuetudine rationem præveniente, ex ſemiplena deliberatione, qualis eſt in ſemiſopito, ſemiebrio, in multis pueris, & in eo, qui ità alteri rei eſt intentus, ut ad id, quod vovet, non advartat. In dubio autem an fuerit plena deliberatio? pro adultis tutior pars eſt eligenda, juxtà raſolutiones noſtras generales: pro pueris, præſumitur (niſi aliud conſtet) adfuiſse poſt ſeptennium, non anta, ſi ideò dubia ſit deliberatio ſufficiens, quia dubius eſt uſus rationis.

Reſol. 2. Ex eo, quòd quis facti pœniteat ſtatim ab emiſſione Voti, non ſequi defuiſse ſufficientem deliberationem, cùm hæc haberi poſſit in inſtanti. Deindè ſi hoc eſset, etiam conſequeretur ſtatim à peccato commiſso pœnitentem, non peccaſſe; cùm ſit eadem ratio.

Reſol. 3. Contrà Panormitanum, deliberatum eſse Votum illius, qui vovit ex ardentiſſimo devotionis calore, licèt, devotione temperata, nollet voviſse.

Reſol. 4. Deliberationem circa Votum non debere eſſa talem, ut vovens omnes omninò voti circumſtantias perſpexerit: aliàs vix ulla eſſent Vota, Contractus, aut Matrimonia; quandoquidem convincamur experientia ſæpè in illis ſupervenire certas circumſtantias, quæ non fuerint prævifæ; imò quæ ſi præviſæ fuiſsent, non voviſsemus, aut non contraxiſsemus.

Dicitur 4. *Deo facta*; quia promiſſio facta homini rationem Voti non habet; licèt acceptata, titulo juſtitiæ obliget.

Dices: Si quis promittat B. Virgini Roſarium, B. Petro peregrinationem Romanam, Superiori Obedientiam, verè vovet: ergo.

Reſp. Diſt. Conſeq. Verè vovet prout præciſè illi promittit, N. Nam Votum, utpotè actus Latriæ, ſoli Deo fit. Prout virtualiter & ſecundùm communem Eccleſiæ acceptionem fit Deo, C. Undè illo caſu duæ ſunt promiſſiones, una facta B. Virgini, aut B. Petro; altera facta Deo. Prima, non eſt Votum, ſed materia Voti. Secunda, eſt Votum; quia eſt promiſſio virtualis obſervandi promiſſionem B. Virgini factam.

Dicitur 5. *De re poſſibili*; quia nemo poteſt obligari ad impoſſibile, etiam ſi velit, ut patet ex c. 6. *de Regul. Jur* in 6. & ideò ſtultus eſset, inquit D. Thom qui voveret ſe volaturum, ſe integro anno ſine cibo & potu victurum, Hinc

Reſol. 1. Votum de vitandis omnibus venialibus collectivè ſumptis toto tempore vitæ, eſſe nullum. Secùs de vitandis omnibus mortalibus, aut etiam venialibus diviſivè.

Reſol. 2. Valuiſſe D. Thereſiæ Votum, quo ſe obſtrinxit ad id omne, quod perfectius eſſe intelligeret; quia licèt foret maximè arduum, adeòque nunquam conſulendum; erat tamen poſſidile, intellectum de omni perfectiori diviſivè.

Reſol. 3. Eum, qui vovet materiam diviſibilem, cujus una pars eſt impoſſibilis, altera poſſibilis, teneri ad partem poſſibilem; quia cenſetur promittere quantùm poteſt: unde maritata vovens caſtitatem, non poteſt petere debitum, licèt non poſſit recuſare, quia primum eſt ipſi poſſibile, non ſecundum, ſaltem licitè.

Reſol. 4. Eum, qui vovit ingredi ſpeciale Monaſterium, propter circumſtantiam illi ſpecialiter annexam, ad nihil teneri, ubi denegatur ipſi ingreſſus; quia tunc materia Voti facta eſt ipſi impoſſibilis; aliud eſſet, ſi principaliter intendiſſet Religionem, & nonniſi ſecundariò & quaſi accidentaliter in tali Monaſterio: tunc enim deberet aliud ingredi.

Dixi denique: *Et ipſi grata*; quia aliàs Votum à Deo non acceptatur, cùm nullus ſoleat acceptare rem ſibi ingratam, aut indifferentem. Hinc

Reſol 1. Promittentis Deo actionem malam, etiam tantùm venialiter, nullum eſſe Votum; imò peccare lethaliter: quidquid dicant aliqui volentes eſse mortale, ubi res promiſſa graviter mala eſt, aliàs tantùm veniale. Ratio eſt; quia tantùm abeſt, ut Deus Votum illud acceptet, ut è contrà ſe ſentiat quodammodo indè irritum & vituperatum, cùm videat ſibi offerri tanquàm honorificum & gratum illud, quod ſummè abhorret, ipſique eſſentialiter repugnat: undè non habet hic locum materiæ parvitas, ſicut nec habet, propter eandem rationem, in executione talis Voti, ſi impleatur, quia Deo promiſsum.

Reſol. 2. Idem propter eandem rationem, eſſe dicendum, dum quis vovet rem bonam præciſè propter finem malum, v. g. eleemoſynam, ut poſſit ſumere vindictam gravem vel levem de inimico. Aliud eſſet, ſi res mala tantùm foret motivum vovendi, & non totus finis operis: hinc qui profiteretur Religionem, ut lautiùs viveret, aut fieret Prælatus, validè voveret.

Reſol. 3. Votum, quod fecit Jephte immolandi primum, qui de domo ſua egrediens ſibi victori occurret, probabiliter fuiſſe nullum; qui probabile credit Auguſtinus per *primum* intellexiſse hominem, non animal: cùm dixerit *Jud. 11. quicumque primus* & non *quodcumque primum*; occiſio autem hominis innocentis eſt intrinſecè mala, adeòque materia voti inepta: undè juxta D. Chryſoſt. Ambroſ & Hieron. Jephte fuit in vovendo ſtultus, & in reddendo impius: aliqui tamen ipſum excuſant dicendo, hoc feciſſe ex ſpeciali inſtinctu Spiritus S. imò Liranus N. vult tantùm ſpiritualiter filiam immolaſſe; ſed illi contradicit ſententia communis.

Reſol. 4. Votum de re indifferenti non ſtare: ſtaret autem, ſi res illa in finem bonum ordinaretur. Ratio eſt; quia res indifferens non eſt Deo grata, ubi autem in finem bonum refertur, fit bona, adeòque Deo accepta.

Reſol. 5. Nec valere Votum de ineundo Matrimonio: nam licèt ſit opus bonum; quia tamen melius eſt oppoſitum, non poteſt Deo placere: aliud eſſet, ſi non poſſet quis frænare concupiſcentiam, niſi per Matrimonium: tunc promiſſio eſſet Deo grata; adeòque valida. Plura vide de Juramento.

Reſol. 6. Quòd licèt oratio mentalis ſit perfectior vocali; Votum tamen de oratione vocali ſit validum: nam etſi hæc impediret illam fieri eodem tempore, non tamen reddit hominem inhabilem ad illam alio tempore exercendam; ſicut Votum Matrimonii reddit hominem ſimpliciter inhabilem ad ſervandum Cœlibatum.; undè ut res aliqua cenſeatur impeditiva majoris boni, adeòque irritans Votum, debet reddere hominem ſimpliciter & abſolutè inhabilem., ut utrumque exerceat: alias vix ullum Votum eſſet validum.

Digitized by Google

Reſol 7. Etiam valere Votum de opere aliundè præcepto; quia eſt Deogratum, quod quis in ejus obſequium ſibi vinculum vinculo ſuperaddat. Hocque confirmat uſus fidelium communis, qui vovent quandoque abſtinere ab omni impudicitia, quæ tamen lege naturali ipſis interdicitur.

ARTICULUS II.

Quotuplex Votum, & in quo conſiſtat Voti Solemnitas?

CONCLUSIO I.

Dividitur primò Votum in Abſolutum, Conditionatum, & Pœnale. Abſolutum eſt, cùm quis ſimpliciter aliquid Deo promittit, v.g. peregrinationem Lauretanam. Conditionatum, cùm fit promiſſio dependenter ab aliqua conditione, ut: *Si intero Matrimonium, dabo Calicem Eccleſiæ*. Pœnale eſt, quod ſupponit culpam in vovente, ut: *Quoties mentitus fuero, dabo aſſem pauperi*.

Dividitur 2. in Expreſſum & Tacitum ſeu Virtuale. Primum fit terminis expreſſis: Secundum per actionem habentem Votum annexum: ſic, qui ſacrum Ordinem ſuſcipit, cenſetur Caſtitatem perpetuam vovere. Volunt aliqui ſacris Ordinibus initiatos non teneri ad Caſtitatem ex Voto, ſed ex præcepto: ſed puram quæſtionem de nomine aliis examinandam libenter relinquimus.

Dividitur 3. in Neceſſarium & Liberum; illud eſt de materia præcepta, hoc de libera. Primum Facit, qui vovet abſtinentiam à carnibus in quadrageſima, ſecundum, qui vovet ingredi Religionem.

Dividitur 4. in Reale, Perſonale, & Mixtum. Reale eſt quo vovens promittit aliquid de ſua ſubſtantia, diſtinctum ab actione aut omiſſione perſonæ, v. g. eleemoſynam. Perſonale eſt, quo promittitur nuda actio aut omiſſio perſonæ, v. g. recitatio Roſarii, abſtinentia à luſu. Mixtum comprehendit utrumque, & tale eſt Votum illius, qui promiſit viſitare loca ſancta, ibique offerre torquem aureum.

Dividitur 5. In Perpetuum, & Temporale; hoc expirat poſt certum tempus, illud nonniſi cum vita voventis.

Dividitur denique in Simplex & Solemne. Simplex eſt illud, quod non habet annexam ſuſceptionem ſtatus immutabilis, ſive interim fiat publicè, ſive privatim; ſivè cum cæremoniis & ſolemnitatibus, ſive non. Solemne eſt, cui annectitur ſtatus immutabilis, ut fit tantùm in profeſſione Religioſa, & ſuſceptione Ordinis ſacri. In quo autem præcisè conſiſtat Vori Solemnitas? lis eſt inter Doctores, pro qua dirimenda, ſit

CONCLUSIO II.

Voti ſolemnitas conſiſtit in ſtatuto Eccleſiæ perſonam ſolemniter voventem ad certos effectus inhabilitante. Sic profeſſus in Religione approbata redditur inhabilis. 1. Ad validè contrahendum Matrimonium, ratione Caſtitatis, ſicut & Clericus ratione Ordinis ſacri. 2. Ad habendum alicujus rei dominium, ratione Paupertatis. 3. Ad ſe aliis, quàm Superioribus obligandum, ratione Obedientiæ, quam inhabilitatem non contrahunt emittentes Vota ſimplicia, quandoquidem per Votum ſimplex Paupertatis non reddatur quis incapax dominii, ſicut nec Matrimonii validè contrahendi per ſimplex Votum Caſtitatis.

Hanc ſententiam, quæ eſt hoc tempore communior, & omnibus ſpectatis probabilior docet Scotus 4. diſt. 38. q. unica, quem, ultrà Scotiſtas, ſequuntur Doctores innumeri, etiam Thomiſtæ: licèt videatur adverſari S. Thom. docens qu. 88. art. 7. ſolemnitatem Voti in quadam ſpirituali benedictione & conſecratione conſiſtere: & 4. diſt. 38. q. 1. art. 2. vult conſiſtere in quadam ſui ipſius traditione ex parte voventis, & in acceptatione ex parte Prælati Vota recipientis; & ideò docent aliqui Solemnitatem Voti eſſe de jure naturæ, & conſequenter nō poſſe Papam in Voto Solemni Profeſſionis diſpenſare. Dico, *Profeſſionis*; quia facilè concedunt poſſe diſpenſare in Voto ſuſceptioni Ordinis ſacri annexo, eo quòd, ut ajunt, ſit ſolemne tantùm quaſi per accidens, ejuſque ſolemnitas videatur in Eccleſiæ inſtitutum referenda.

Prob. igitur 1. concluſio. Voti ſolemnitatem inſtituit Eccleſia, ut patet tum ex verbis Bonifacii VIII. cap. unico *De Voto* in 6. *Nos igitur attendentes, quod Voti ſolemnitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inveata*; tum ex Bulla Gregorii XIII. *Aſcendente Domino*. §. 18. 89. apud Cherubin. Tom. 2. ubi ſic loquitur: *Nos conſiderantes Voti ſolemnitatem ſola Eccleſiæ inſtitutione inventam eſſe*; tum etiam quod ante Cæleſtini III. tempora nulla eſſet in Eccleſia mentio Voti Simplicis & Solemnis: ergo ſignum eſt, Voti ſolemnitatem conſiſtere in ſtatuto Eccleſiæ Votum ſolemnizante.

Dices: Voti ſolemnitatem accidentalem, quæ conſiſtit in certis cæremoniis, v. g. quòd publicè fiat, in manu Superioris, cum benedictione veſtium &c. inventam eſſe ab Eccleſia non tamen ſubſtantialem, quæ conſiſtit in præfata traditione & acceptatione. Sed

Contrà eſt primo, quòd illa diviſio Solemnitatis in ſubſtantialem & accidentalem ſit verè inventum adverſariorum in nullo fundatum.

Contrà eſt ſecundo, quòd loquantur ibi Pontifices de Voto ſolemni dirimente Matrimonium; atqui tantùm ſolemne ſubſtantialiter dirimit Matrimonium, ut fatentur Adverſarii: ergo de ſolemnitate ſubſtantiali fit mentio.

Contrà eſt tertio, quòd in ſimplici Voto Caſtitatis fiat eadem prorſus traditio & acceptatio, ac in Voto ſolemni: ergo non poteſt Voti ſolemnitas in illa conſiſtere.

Prob. Ant. in Voto ſimplici traditio fit immediatè Deo, & à Deo immediatè acceptatur; in Voto ſolemni traditio fit Deo, & à Deo acceptatur mediante Superiore; ſed traditiones illæ & acceptationes non differunt; quandoquidem quod quis per alium facit, per ſeipſum facere cenſendus ſit: ergo &c.

Replicabis: In Voto ſimplici tantùm eſſe promiſſionem, non traditionem ſicut in Voto ſolemni: & ideò comparatur Votum ſimplex ſponſalibus, & ſolemne Matrimonio. Verba ſanè pulchra! nihilominus

Contra eſt, quòd in Votis Ieſuitarum poſt biennium Novitiatus emiſſis ſit vera & perfecta traditio, eaque perpetua, ità ut non poſſint inſtitutum illud ſine apoſtaſia deſerere: Vota autem illa eſſe ſimplicia, declaravit Gregorius XIII. Bulla citata.

Dices: Illam traditionem non eſſe perpetuam abſolutè, ut in Votis ſolemnibus; ſed conditionatè, ſi nempè Superiores judicaverint ipſos in Societate retinere: undè abſolutè loquendo poteſt dici temporanea; ſed

Contrà eſt, quòd ad veram & integram rationem traditionis, merè accidentaliter ſe habeant temporaneitas & perpetuitas: unde tam verè ſe tradit ſervus Domino, cui elocat opera ſua pro 10. annis, quàm ſi pro ſemper. Præterea Voti ſolemnitas non eſt de jure Eccleſiaſtico, ut ajunt, ſed de jure naturæ, quia conſiſtit in traditione & acceptatione; ſed tam eſt de jure naturæ vinculum proveniens ex traditione temporanea, quàm proveniens ex perpetua, ut patet in omnibus contractibus: ergo vinculum ortum ex traditione & acceptatione facta in Votis à ſcholaribus Societatis Jeſu emiſſis eſt de jure naturæ: ergo ulteriùs non poteſt in illis Votis Papa diſpenſare; & conſequenter, cùm poſſit in omni ſimplici, dicendum eſt illa eſſe ſolemnia: quod apertè falſum eſt.

Prob 2. Si ſtatueret Papa, ut Vota in Ordine Seraphico emiſſa non eſſent ſolemnia, ſed ſimplicia, talia forent, ut fatetur Gonet Tom. 5. pag. 123. atqui tunc eadem prorſus eſſet traditio & acceptatio, quæ tunc; quandoquidem illa Conſtitutio nihil intrinſecè variaret: ergo non conſiſtit Voti ſolemnitas in illa traditione, & acceptatione, ſed in ſtatuto Eccleſiæ.

Dices: Matrimonium eſt de jure naturæ, & tamen, ſi deſit cdnditio à Papa requiſita, v. g. Parochi præſentia, erit nullum: ergo non eſt mirum, quòd poſſit Papa conditionem apponere, qua deficiente, Votum non eſt ſolemne, licèt ejus ſolemnitas ſit de jure naturæ.

Reſp Diſt. Ant Matrimonium &c. erit nullum, quia nullus erit contractus, C. erit nullum, valido ſtante contractu, N. in noſtro autem caſu eſſet valida traditio & acceptatio, imponeretque voventi & acceptanti gravem coram Deo obligationem. Non negamus ergo poſſe Eccleſiam ad valorem Voti ſolemnis exigere certas conditiones, ſed negamus poſse facere, ut ſit vera traditio & acceptatio, & non ſit Voti ſolemnitas, ſi hæc in illa conſiſtat: ſicut non poteſt facere, ut ſit validus contractus matrimooialis, & non ſit validum Matrimonium.

Obj 1. Authoritatem D. Th. ſup. dicentis, non poſſe diſpenſare Papam in Voto ſolemni.

Reſp. Doct. Angelicum tantùm velle, non poſse diſpenſare cum Religioſo manente Religioſo; quia illi eſſentialia ſunt tria Vota ordinaria: quod & voluit inſinuare Innocentius III. cùm dixit cap. 6. De Statu Monachorum: *Abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia Caſtitatis, adeo eſt annexa regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere*. Loquens autem D. Thomas in ſenſu diviſo 4. diſt. 38. q. 1. art. 4. docet probabiliùs Papam poſſe diſpenſare.

Obj. 2. Trid. ſeſs. 24. Can. 9. de Matrimonio: *Si quis dixerit Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos: vel Regulares Caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe Matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel Voto &c. anathema ſit*. Si autem crediidiſſet Concilium Voti ſolemnitatem

eſſe

Google

eſſe Juris Eccleſiaſtici, tantùmque Jure Eccleſiaſtico dirimere Matrimonium ſolùm dixiſſet: *Non obſtante lege Eccleſiaſtica*, nec addidiſſet *vel Voto*.

R. Tridentinum addere, *vel Voto*; quia in eodem Canone etiam loquitur de Matrimonio licitè contrahendo, ut patet; hoc autem non poſſunt ſacris initiati ratione legis Eccleſiaſticæ, & Religioſi ratione Voti: & ideò addendum erat, *vel Voto*.

Obji. 3. Poteſt Clericus manens Clericus ex diſpenſatione Pontificia inire Matrimonium: quod non poteſt Religioſus manens Religioſus; ſed hoc non poteſt aliundè provenire, quàm ex eo quòd Ordo ſacer Jure tantùm Eccleſiaſtico; Votum autem ſolemne jure naturæ dirimat Matrimonium: ergo.

R. N. Mi. Sed provenit ex eo, quòd Matrimonium non repugnet ſtatui Clericali, ut patet apud Græcos; repugnet autem ſtatui Monachali, cui eſſentiale eſt Votum Caſtitatis.

Obji. 4. Votum ſimplex & ſolemne differunt ſubſtantialiter; ſed ſi Voti ſolemnitas conſiſteret in ſtatuto Eccleſiæ tantùm differrent accidentaliter: ergo &c.

R. N. Maj. nam cùm idem habeant objectum, v. g. Continentiam, in illudque ferantur ſub eadem ratione formali Religionis, ſunt ejuſdem ſpeciei.

Inſt. juxta D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 7. ad 1. *Votum ſolemne habet fortiorem obligationem apud Deum, quàm Votum ſimplex: ergò*.

R. Diſt. Ant. Habet fortiorem obligationem ex ſuis intrinſecis, N. nam cap. 6. *Qui Clerici*, dicitur à Cæleſtino Papa III. Votum ſimplex non minùs obligare, quàm ſolemne. Ratione ſtatus cui annectitur, C. & ideò graviùs peccat Religioſus violans Votum, quàm alter, licèt circumſtantia illa non mutet ſpeciem, imò nec videatur notabiliter aggravare. Ex dictis

Reſol. 1. Profeſſionem Religioſam ex ſe non dirimere Matrimonium, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ: & ideò poſſe Papam, ubi graviſſima occurrit cauſa, in ea diſpenſare, ſicut & in Voto ſimplici.

Reſol. 2. Per Votum ſolemne, Religioſum ſe tradere quidem Superiori, in quantum ſe tradit in ejus juriſdictionem, ut Monaſterio incorporatus ſub ejus obedientia vivat, Deoque ſerviat; non tamen abdicare Dominium in corpus ſuum, quantùm ad actum & contractum conjugalem, quia promiſſio, in qua conſiſtit Votum, non conſtituit rem ſub Dominio alterius; & ideò Religioſus non tradit corpus ſuum Deo, ſed promittit illud cuſtodire caſtum.

Reſol. 3. Quòd etſi in Profeſſione Religioſa fieret traditio corporis, poſſet adhuc Papa in ea diſpenſare, remittendo nempè nomine Dei Religionis rem traditam, quæ ideò tunc poſſet per Matrimonium alteri tradi.

Reſol. 4. Quòd ſicut poteſt res conſecrata ex urgenti cauſa uſibus profanis deſervire, ut patet ex facto Davidis, qui panes conſecratos, aliis deficientibus, comedit; ità & homo Deo conſecratus, ob gravem admodùm cauſam, Matrimonio applicari. Prætereà dici poſſet, quòd Religioſus per diſpenſationem deſinens eſſe Religioſus, deſineret eſſe Deo conſecratus, ſicut Calix perdendo formam, perdit & conſecrationem.

ARTICULUS III.

Quinam poſſint vovere, an expediat, & an opus ex Votò prævaleat operi libero?

CONCLUSIO I.

Omnis homo ratione utens poteſt vovere, ſi non impediatur.

Ratio eſt; quia poteſt omnis homo, habita cognitione Dei, illum amare & colere: ergo & aliquid ipſi promittere, in quo conſiſtit ratio Voti. Non ſtaret tamen Votum illius, qui promitteret, ſed crederet ex promiſſione nullam induci obligationem: quod accidere poſſet in pueris & rudioribus, & ideò à Confeſſario ſuper hoc examinandis. Ex hoc

Reſol. 1. Omnia omninò Vota ſimplicia quorumlibet ratione utentium, ſive aliis ſubditorum, ſive non, valida eſſe; quia nulla legitur Eccleſiæ conſtitutio, per quam reddatur aliquis inhabilis ad votum ſimplex.

Reſol. 2. Profeſſionem Religioſam ante 16. ætatis annum completum eſſe nullam, ſicut nulla eſt, ſi fiat antè annum probationis integrum; quia Trid. ſeſſ. 25. cap. 15. *De regularibus* reddit inhabiles tam maſculos, quàm fœminas ad ſolemniter vivendum ante illud tempus; & ideò dixi: *Si non impediatur*.

Reſol. 3. Contra Richardum & Paludanum, Vota Religioſorum poſt Profeſſionem emiſſa, eſſe valida; quamdiu à Superiore non irritantur. Ratio eſt; quia nullibi inhibetur Religioſis actus vovendi; non habet quidem velle & nolle, ut agat contra voluntatem Superioris, habet tamen ad actiones virtutis, ubi Superior non contradicit, cùm hoc non poſſit nocere Religioni.

Reſol. 4. Vota filiorum familias, uxorum, ſervorum &c. ſubſiſtere, non tantùm in materia, in qua ſunt ſui juris, ſed etiam in ea, in qua aliis ſubduntur, modò ſit bona & licita: ſi tamen Vota illa impediant uſum Matrimonii, externam familiæ gubernationem, debitum obſequium &c. poterunt à Parentibus, Maritis, Dominis &c. irritari.

CONCLUSIO II.

Expedit tum Religioſis, tum Sæcularibus quandoque vovere, niſi aliter ſentiat prudens Confeſſarius

Ratio eſt; quia Votum eſt actus Religionis, per quem Deus colitur & honoratur; undè ad vovendum nos ſtimulat Scriptura variis locis: Pſ. 75. dicitur: *Vovete & reddite Domino Deo veſtro*, & Iſaiæ 16. *Vota vovebunt Domino, & ſolvent*. Hinc patet, quàm impiè dixerint Calvinus & Lutherus, impium eſſe rem non præceptam vovere cum opinione quòd Deus colatur indè; quaſi verò fieri poſſet in commodum noſtrum, ut fatentur, non tamen ad cultum illius, qui declarat in Scriptura Vota ſibi placere.

Obji. 1. Vovens exponit ſe periculo majoris peccati: ergo non expedit vovere.

R. Periculum illud non oriri ex Voto, ſed ex vitio hominis: quod non impedit quo minùs Votum ſit expediens: aliàs nec expediret præceptum.

Obji. 2. Juramentum non eſt conſulendum extrà neceſſitatem: ergo nec Votum.

R. Diſcrimen eſſe, quòd primum non ſit propter ſe appetendum; ſed propter aliud, nempè ad perſuadendam veritatem credere nolenti: & ſic ubi non reperitur talis neceſſitas, non eſt uſurpandum. Secundum autem, eſt propter ſe appetibile ad Deum colendum, ſicut orare; & ideò quandolibet frequentandum. Ex hac concluſione

Reſol. 1. Conſultum eſſe peccatoribus recidivis vovere, ſaltem ad aliquod tempus, certam orationem, eleemoſynam, aut corporis caſtigationem toties faciendam, quoties lapſi fuerint; quia per hoc non tantùm provocatur Deus ad Miſericordiam, ſed etiam frænantur paſſiones.

Reſol. 2. Imprudentes eſſe, qui diſſuadent communiter puellis, ne Caſtitatem voveant in ſæculo: melius eſt quidem illam vovere in Religione; ſed huic puellæ ineſt infirmitas, illi cura parentum, iſti paupertas, quibus Religionis ingreſſus ipſis interdicitur. Præterea Caſtitatem vovit in ſæculo B. V. voverunt innumeri Sancti & Sanctæ. Ulteriùs bonum eſt in ſæculo orare, corpus caſtigare, quidni & vovere? fragilis eſt ſexus; ſed fortis eſt gratia, quam largitur Deus mundis corde & corpore: deindè Caſtitatem vovent Sacerdotes ſæculares, quidni poſſint puellæ? cum his non tot occurrant occaſiones, quàm illis: bonum eſt in Cœlibatu permanere, juxtà Apoſtolum, quidni & illum vovere? fateor tamen, non eſſe admittendas ad Votum Caſtitatis, maximè perpetuum, niſi maturo admodum ſint judicio, & per tempus notabile virtutis ſolidæ experimentum dederint: aliàs permittatur eis vovere ad ſummum de ſolemnitate in ſolemnitatem.

Dixi: *Niſi aliter ſentiat prudens Confeſſarius*, qui videre debet, an Vota non ſint potiùs futura in ruinæ laqueum Pœnitentibus, quàm in ſalutis commodum.

CONCLUSIO III.

Prævalet apud Deum opus factum ex Voto, opere libero. Eſt communis inter Scholaſticos.

Prob. 1. Ex Aug. lib. de Virginitate cap. 8. ubi ait: *Neque ipſa Virginitas, Quia Virginitas eſt; ſed quia Deo dicata eſt, honoratur*.

Prob. 2. Melius eſt opus habens duplicem honeſtatem, quàm habens unicam; ſed opus factum ex Voto, ultrà honeſtatem, quam haberet ſine illo, habet honeſtatem Religionis: ergo

Prob. 3. Plus dat Deo qui exercet opus ex Voto, quàm qui ſine Voto: ergo opus ejus eſt melius. Prob. Ant. quia, ultrà actum, quem dat alter, etiam dat voluntatem, quam Deo adſtringit.

Prob. 4. Pejor eſt Fornicatio Deo dicati, quàm hominis liberi, cùm ipſi accreſcat Sacrilegium: ergo à contrario melior

eſt

eſt actus Caſtitatis Deo dicati, quàm hominis liberi; quandoquidem oppoſitorum oppoſita ſit ratio.

Obji. 1. Illud Apoſt. 2. ad Corinth. 9. *Non ex neceſſitate: hilarem enim datorem diligit Deus*; at Votum imponit neceſſitatem: ergo

R. D. Paulum loqui de neceſſitate contrà voluntatem impoſita, non de illa, quam quis ſponte aſſumit, ut in Voto; quia *felix eſt neceſſitas*, inquit, Aug. Epiſt. 45. *quæ in meliora compellit*.

Obji. 2. Proſper lib. 2. de vita contempl. cap. ult. dicit, bonum non eſſe vovere abſtinentias, vel jejunia.

R. diſt. aſſumpt. Bonum eſſe &c. quando ſunt impeditiva majoris boni, C. ſecundùm ſe, N. nec plus vult.

Obji. 3. Magis placet donum gratuitum, quàm debitum: ergo.

R. Diſt. Ant. Magis placet hominibus, C. Deo, N. cùm enim illi in donis ſpectent utilitatem, gratius eſt ipſis gratuitum, quàm aliundè debitum; Deus autem ſpectat ſuum honorem, qui augetur per accrementum Religionis contentæ in Voto.

Obji. 4. Poteſt adimplens Votum pœnitere Voti facti: ergo. Saltem illo caſu non ſtat concluſio.

R. N. conſequentiam, nam licèt ille peccet venialiter, ſi nulla ſit ratio pœnitendi; quia tamen voluntariè ponit rem promiſſam, imò vim ſibi facit ut illam ponat, plus meretur, quàm ſi opus non eſſet promiſſum.

ARTICULUS IV.

An votum obliget, & qualiter?

CONCLUSIO I.

VOtum inducit obligationem in conſcientia exequendi promiſſum. Eſt omninò certa, imò aſſerit D. Thomas quodlibeto 3. art. 12. *eſſe hæreticum aſſerere votum non obligare*.

Prob. 1. Ex ſcrip. Eccleſiaſtes 5. *Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio*, Deuter. 23. *Cum votum voveris non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus*. Item Iſaiæ 19. *Vota vovebunt Domino* (quod eſt conſilii) *& ſolvent*, quod eſt præcepti.

Prob. 2. Ratione. Magis obligatur homo Deo, quàm homo homini; ſed homo tenetur in conſcientia exequi promiſſionem factam homini: ergo à fortiori factam Deo.

Dices: Homo promittens homini, obligatur ex Juſtitia, promittens autem Deo, tantùm obligatur ſub mortali, & Fidelitate; ſed Juſtitia in re gravi obligatur ſub mortali, & Fidelitas tantùm ſub veniali, ſicut Veracitas: ergo promittens non tam obligatur Deo, quàm homini.

R. Fidelitatem ſolitariè ſumptam tantùm quidem obligare ſub veniali; ubi tamen materia fidelitatis conſtituitur materia alterius virtutis, ut per Votum Religionis, obligat proportionatè ad materiam illius virtutis, ad quam tranſit.

Petes: An omnes Votorum tranſgreſſiones ſint ejuſdem ſpeciei?

R. Affir. quia omnes opponuntur eidem virtuti, nempè Religioni ſecundùm eundem actum, qui eſt vovere: unde non committit aliud ſpecie peccatum omittens Roſarium, quàm omittens jejunium, faciens actionem ſibi per Votum interdictam, quàm omittens Deo promiſſam; hoc tamen intellige præciſè ratione Voti: nam ſi res Deo promiſſa, ſit aliundè præcepta aut prohibita, ſpecie differet una tranſgreſſio ab altera, ſicut differt in Religioſo tranſgreſſio Caſtitatis à tranſgreſſione Paupertatis, non ratione Voti, ſed præcepti.

Dices: Tranſgreſſiones præceptorum Eccleſiæ ſpecie differunt (aliter enim peccat frangens jejunium, & aliter non audiens Sacrum in die Feſto) ergo & tranſgreſſiones Votorum.

R. Diſparitatem eſſe, quòd Eccleſia præcipiat actum ex motivo illius virtutis, cujus eſt actus præceptus, adeoque ex motivo Temperantiæ, ſi pertineat ad Temperantiam, ex motivo Religionis, ſi pertineat ad Religionem &c. vovens autem tantùm ſe obligat ex motivo Religionis, ad quamcumque virtutem pertineat materia Deo promiſſa: imò quamvis intenderet ſe obligare etiam ex motivo alterius virtutis, v. g. Temperantiæ, vovendo jejunium, non tamen ageret contrà Temperantiam illud frangendo, v. g. comedendo carnes moderatè (niſi certè propter conſcientiam erroneam) quia non non poteſt vovendo ad aliud ſe obligare, quàm Votum ex natura ſua obliget: ſicut non poteſt promittendo ſoli homini inducere ſibi obligationem ex Religione, licèt velit: eo quòd promiſſio ex natura ſua tale vinculum non inducat, ſed ſolius Juſtitiæ. Quia ſæpè tamen una Voti tranſgreſſio eſt longè gravior altera, & aliundè circumſtantiæ notabiliter aggravantes ſunt in Confeſſione exprimendæ, expedit ut ſemper pœnitens naturam tranſgreſſionis aperiat Confeſſario.

CONCLUSIO II.

VOtum obligat graviter, ubi materia gravis eſt: leviter, ubi levis: Eſt communis.

Prob. Votum ſortitur in hoc rationem *Legis*, cùm ſit Lex quædam particularis, quam vovens ſibi imponit; ſed Lex obligat taliter: ergo & Votum.

Confirm. Quia non eſt veriſimile, quòd Deus voluerit nos aliter obligare ad exequenda Vota, quàm ad ſervandas ſuas Leges; ſed hæ obligant proportionatè ad materiam: ergo & illa. Hinc

Reſol. 1. Omittentem unum *Pater & Ave*, ad quod tenetur ex Voto, tantùm peccare venialiter: quod verum eſt, ſive ſit tota materia Voti, ſive pars materiæ totalis, v. g. Roſarii; quandoquidem culpæ gravitas aut levitas non petatur ex eo quòd tranſgreſſio habeat rationem totius, aut rationem partis, ut volunt Cajetanus, Angelus, Corduba & alii; ſed ex eo quòd res omiſſa ſit gravis aut levis: jam autem unum *Pater & Ave* ſive ſit objectum Voti totale, ſive partiale, ſemper eſt quid exiguum.

Reſol. 2. Omittentem ſingulis diebus 10. aut 12. verſus ex Pſalmis Pœnitentialibus, quos tenetur quotidie per annum ex Voto recitare, non eſſe reum peccati mortalis; quia cùm tranſgreſſio unius diei non coaleſcat moraliter cum altera, remanet ſingula tranſgreſſio quid leve. Aliud eſſet, ſi omnes illas recitationes voviſſet, dicendo, v. g. voveo recitare 365. vices. Pſalmos Pœnitentiales; quia tunc eſſet quædam unio moralis.

Reſol. 3. Eum, qui vovet diſparata, v. g. Roſarium, jejunium, peregrinationem &c. propter eundem finem, v. g. ad obtinendam Caſtitatem, peccare mortaliter, ſi ex omnibus tot parvula omittat, ut ſimul grave quid conſtituant; quia cenſentur partes ejuſdem Voti. Aliud eſſet, ſi illa voviſſet propter diverſos fines: tunc enim tantum peccaret leviter, ſi pauca, etiam eodem die, omitteret ex omnibus.

Reſol. 4. Votum abſtinendi à peccato obligare graviter, ſi peccatum ſit mortale, leviter, ſi veniale: excipe tamen, ſi peccatum veniale impediret notabiliter profectum virtutis, aut eſſe multùm indecens perſonæ voventi, v. g. mendacium Epiſcopo; quia cùm tunc Votum fieret ob gravem cauſam, obligaret ſub mortali.

Reſol. 5. Voventem dare quotidie per annum aſſem pauperi indeterminato, nunquàm peccaturum mortaliter, nec fore obnoxium reſtitutioni, etiamſi per annum integrum nihil dederit, ſi ſingulum diem determinaverit tanquàm terminum obligationis; quia omnes omiſſiones, cùm in unam non coaleſcerent, eſſent leves. Secùs eſſet, ſi diem deſignaſſet, non ut terminaret obligationem, ſed ne ultrà differretur: tunc enim foret peccatum grave, ubi aſſes omiſſi conſtituerent materiam gravem: urgeretque Votum ad omnes illos quamprimùm erogandos.

Dices: in 1. caſu, non tenetur reſtituere aſſes omiſſos: ergo nec in 2.

R. Diſparitatem eſſe, quòd in primo obligatio extinguatur poſt ſingulum diem; in ſecundo autem, dies ſinguli obligationem non extinguant, ſed urgeant. Imò ſic ordinariè intelligitur Votum eleemoſynæ ſæpiùs faciendæ niſi vovens aliter intendat. Obligatio tamen reſtituendi in hoc caſu tantum oritur ex Religione, non ex Juſtitia; quia non haberet alienum, ſicut haberet fur, qui quotidie aſſem ſuiſſet furatus.

Reſol. 6. Obligantem ſe per Votum ad rem levem, ſub gravi peccato, tantùm obligari ſub levi; quia ſicut non poteſt Legiſlator materiæ capacitatem excedere, ità nec vovens. Sed

Quæres: An vovens poſſit ſe obligare ad rem gravem ſub culpa levi?

R. Affir. Ratio eſt; 1. quia Votum non obligat ſine intentione ſe obligandi: ergo ubi vovens tantum vult ſe obligare ſub veniali, tantùm leviter obligat. 2. Vel poſſibile eſt vovere materiam gravem ſub obligatione levi, vel non: ſi primum, Votum obligat leviter; ſi ſecundum, non ſtat Votum, cùm ſit de re impoſſibili 3. Lex de materia gravi obligat leviter, ubi ſic ſtatuit Legiſlator: ergo ſimiliter Votum (quod eſt lex quædam particularis) ubi ſic intendit vovens.

Dices 1. Non poteſt quis profiteri in aliqua Religione, aut promittere, vel inire Matrimonium ſub obligatione levi: ergo &c.

R. Diſparitatem eſſe, quòd illi actus ſint utrinque oneroſi; & ideò cùm Religio profitenti & ſponſa ſponſo ſe obligent graviter,

Digitized by Google

viter, debent & illi graviter ſe obligare, aliàs non ſervaretur æquitas.

Dices 2. Obligatio ſequitur Votum ex natura rei, cùm ſit ejus proprietas: ergo, velit nolit vovens, obligat graviter in re gravi.

R. Diſt. Ant. Obligatio ſequitur Votum ex natura rei, hoc ſenſu, quòd omne Votum obliget, C. Hoc ſenſu, quòd ſemper obliget juxta materiæ capacitatem, N. nam poteſt obligatio attemperari ex intentione voventis, ſicut obligatio legis ex intentione Legislatoris.

Dices 3. In intentione vovendi includitur tacita intentio ſe obligandi: ergo in intentione vovendi in re gravi, includitur virtualis intentio ſe obligandi graviter.

R. Diſt. Conſeq. Includitur &c. Si illam non impediat alia intentio expreſſa, C. ſi impediat, N. in noſtro autem caſu eodem inſtanti quo vovens intendit in re gravi vovere, expreſsè intendit ſe tantùm leviter obligare, ſi tamen intentio obligandi ſe tantùm leviter, vel unico inſtanti ſequeretur emiſſionem voti, obligationem non reſtringeret, cùm hæc jam ſupponatur à Deo acceptata.

ARTICULUS V.

Quodnam Votum obliget?

CONCLUSIO I.

Certum eſt, Votum negativum, quo quis promittit ſine limitatione abſtinentiam ab opere, obligare ad ſemper & pro ſemper.

Ratio eſt; quia tale Votum ſequitur naturam præcepti negativi taliter obligantis. Hinc qui mortificationis ergo novit ſimpliciter non ludere pictis, non venari, non nubere &c. nunquam poteſt illa facere, ſecluſa irritatione, aut diſpenſatione.

Dixi: *Sine limitatione*; quia ſi tantùm voviſſet abſtinentiam à luſu, aut venatione per annum, poſſet, elapſo anno, ludere, venari &c. item ſi voviſſet non nubere ante vigeſimum ætatis annum, non poſſet ante, poſſet autem poſt.

CONCLUSIO II.

Votum affirmativum, quo quis promittit aliquid faciendum, obligat juxta temporis determinationem: ubi autem nullum tempus determinatum eſt, obligat quamprimùm moraliter, niſi juſta cauſa excuſet.

Prob. Prima pars; quia leges ſic obligant: ut patet in Officio Divino, Miſſa, Jejunio, quæ præſcriptis diebus debent adimpleri: ergo ſimiliter Vota, quæ rationem legum induunt. Hinc peccat mortaliter qui vovit jejunare die Veneris in honorem Paſſionis, ſi illo die non jejunet, licèt proponat jejunare die ſequenti.

Sed quid ſi voviſſem ſumere hodie diſciplinam, aut jejunare, nullo propoſito motivo extrinſeco, ſed præcisè corporis mortificandi cauſa, an non poſſem ad unum aut alterum diem differre ſine gravi culpa? de hoc caſu nihil apud Authores reperio: dixerim tamen, ſalvo meliori judicio, dilationem illam non videri mortalem, cùm tantumdem poſteà Deo præſtetur, corpus æqualiter mortificetur, nullus Sanctus, aut Sancta, nullum Chriſti aut B. Virginis myſterium aliquo honore privetur, & aliundè dilatio exigua moraliter reputetur. Prætereà tempus hodiernum tantùm ponitur ad urgendam Voti executionem; atqui dum quis vovit, nullo deſignato tempore, non peccat graviter, ſi executionem differat ad unum aut alterum diem, ultrà *quamprimùm moraliter*: ergo ſimiliter. Accedit, quòd promittens dare hodie Petro, v. g. centum aureos, parvam aut ferè nullam faciat ipſi injuriam, ſi tantùm craſtino aut poſtero die ſolvat, modò indè Petrus nullum patiatur detrimentum. Id applica in noſtro caſu.

Petes: An qui non poteſt Votum implere determinato tempore, teneatur prævenire?

R. Neg. imò eximitur ab onere Voti, ſi ſit affixum tali tempore, v. g. Vigiliæ alicujus Sancti: hocque patet ex præcepto jejunii, quod nemo tenetur prævenire, aut poſteà implere, ubi dies aſſignatus impeditur: qui autem voviſſet jejunium ſemel in menſe, & prævideret impedimentum in fine menſis, deberet prævenire, ſicut prævidens impedimentum hora duodecima pro Miſſa, deberet audire hora octava aut nona. Si verò tempus eſſet aſſignatum, non ad finiendam, ſed ad urgendam obligationem, non teneretur quidem vovens prævenire, licèt poſſet; teneretur tamen poſteà implere. Sic, ſi voviſti ingredi Religionem in fine anni, & poſteà prævides tunc fore impedimentum; ſi tempus prævenis, laudabiliter facis, ſi non prævenis, non peccas; quia necdum obligat Votum: tranſacto autem impedimento, teneris ingredi; quia annus non finit, ſed urget obligationem.

Prob. ſecunda pars; quia Votum emiſſum abſque ulla temporis determinatione aliquando obligat; atqui ſi non obligaret *quamprimùm moraliter*, nullum poſſet aſſignari tempus quo obligaret, cùm non ſit major ratio pro hoc tempore, quàm pro illo. Deindè promiſſiones factæ homini ſic obligant: ergo & promiſſio facta Deo: undè eſt illud Deuter. 23. *Cùm Votum voveris Domino, non tardabis reddere .... ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.*

Dixi: *Quamprimùm moraliter*, non *phyſicè*; quia præſumitur, talem fuiſſe voventis intentionem, cùm ſoleat eſſe talis in aliis promiſſionibus; imò ly *ſtatim*, ſicut & *quamprimùm*, patitur in Jure aliquam temporis latitudinem, ut patet ex lege 137. §. 2. ff. *De Verborum Obligationibus*, l. 45. tit. 1. item ex lege 105. ff. *De Solutionibus*, l. 46. tit. 3. ubi dicitur: *Statim ſolvere cum aliquo ſcilicèt temperamento temporis intelligendum eſt.*

Dixi: *Niſi juſta cauſa excuſet*; undè non eſt culpandus ille, qui ratione debilitatis differt jejunium, ratione belli peregrinationem, ratione febris acutæ certam precum recitationem &c. Item nec ille, qui differt aliquandiu Religionis ingreſſum, vel ut ſi aptior ad perferendas Religionis auſteritates, quibus nondum videtur ſatis idoneus; vel ut habeat ſufficientem litteraturam, quam non poterit, aut non niſi difficulter, in Clauſtro acquirere, vel ut temperet exacerbatum ideò Patris animum. In his tamen prudenter ſtabit conſilio docti & prudentis Confeſſarii.

Reſol. 1. Omittentem jejunare, Miſſam audire, Roſarium legere die præfixo ad honorandum Chriſtum, B. Virginem, aut aliquem Sanctum, peccare graviter; ſed ab obligatione liberari; quia eſt onus diei affixum.

Reſol. 2. Ubi tempus determinatum eſt ad ſollicitandam executionem, differentem ultrà tempus præfixum, non tantùm peccare; ſed teneri etiam poſteà implere, quia tempus illud non eſt terminus obligationis.

Reſol. 3. Si nullum ſit tempus deſignatum, non eſſe peccatum differre Pſalmos Pœnitentiales, Jejunium, Roſarium & alia hujuſmodi ad duos aut tres dies; item peregrinationem 5. aut 6. leucarum ad unam aut alteram ſeptimanam, peregrinationem Romanam vel Lauretanam ad duos aut tres menſes; quia, ut dixi, *quamprimùm* patitur quamdam temporis latitudinem, & quidem proportionatè ad Voti materiam. Ubi autem juſti limites aliquantulùm exceduntur, eſt peccatum veniale: ubi graviter, eſt mortale: quod pendet à judicio viri prudentis, attenta Votorum & Voventium conditione, officio, diſpoſitione &c.

Reſol. 4 Ad peccatum mortale majorem requiri dilationem in iis Votis, quæ nullam ex temporis lapſu patiuntur diminutionem, ut eſt jejunium, peregrinatio &c. quàm in iis quæ patiuntur, ut eſt ingreſſus Religionis: quò enim magis differtur, eò minùs in ea vivitur.

Reſol. 5. Adoleſcentem 15. annorum voventem ingreſſum Religionis ſine ulla temporis determinatione, non peccare graviter, ſi ad tres aut quatuor annos differat; quia non eſt præſumendum renuntiaſſe conſueto modo, & tempori aſſumendi illius vitæ genus, quod eſt ordinariè in maſculis circà decimum-octavum, decimumnonum, aut vigeſimum ætatis annum, & in puellis paulò antè: vovens autem Religionem poſt vigeſimum ætatis annum, peccat graviter, niſi tentet quamprimùm moraliter adimplere.

Reſol. 6. In Votis quæ per dilationem non minuuntur, non requiri tantam cauſam, ut licitè differantur; undè ſufficit, juxtà Bonacinam, major ſperata devotio, aut quid ſimile cedens ad Dei honorem.

ARTICULUS VI.

An voti obligatio poſſit ad alios tranſire?

Suppono 1. Vota, quibus parentes filios vovent Religioni, nullam imponere obligationem filiis, niſi adulti illa ratificent, & fiant illis propria: quod etiam verum eſt, licèt in præſentia filiorum non repugnantium omittantur. Ratio eſt; quia ex parte illorum nullus eſt conſenſus, nec illum arguit taciturnitas in iis, quæ ſunt oneri, maximè dum oblocutioni obſtat reverentia parentum; undè Votum illud tantùm obligat parentes, ut inclinent filios ad Religionem quantùm poſſunt, ſecluſa omni violentia.

Suppono 2. Ex dictis de Juramento nullum præter voventem obligari ex virtute Religionis ad executionem Voti, ſive perſonalis, ſive realis, ſive mixti: quia nullus contrahit obliga-

tionem

Digitized by Google

tionem Voti, niſi habeat intentionem vovendi; & ideò quæſtio noſtra tantùm procedit de obligatione juſtitiæ vi ſucceſſionis in bona voventis.

CONCLUSIO I.

NOn poteſt vovens, Vota perſonalia, aut mixta, ex ea parte qua ſunt perſonalia, per alium adimplere. poteſt tamen realia & mixta, ex ea parte qua ſunt realia. Eſt communis & certa.

Prob. Prima pars; quia Votum perſonale requirit actionem propriam voventis: undè qui vovit jejunium, diſciplinam, peregrinationem &c. tenetur per ſe illa exequi, & ubi factus eſt ad illa impotens, eximitur ab onere Voti, aliud eſſet, ſi voviſſet peregrinationem, v.g. per ſe, vel per alium exequendam; tunc enim eſſet ipſi liberum eligere: & ipſe ad illam impotens factus, deberet per alium exequi.

Prob. ſecunda pars, quia Votum reale non requirit actionem, ſed rem voventis: perindè eſt autem, ſive rem illam per ſe, ſive per alium tribuat: modò tribuat, ut patet in eleemoſynis, donis Eccleſiæ &c. Hinc

Reſol 1. Eum, qui vovit peregrinationem cum dono, excuſari quidem à peregrinatione, etiam per alium facienda, ubi factus eſt impotens, non tamen à donario.

Reſol 2. Hoc eſt diſcrimen inter Votum Perſonale & Reale: quòd Perſonale poſſit per procuratorem emitti, non tamen per illum impleri; Reale verò poſſit per procuratorem emitti, ac per eundem impleri: & ideò qui non poteſt reale per ſe, debet per alium implere. Cæterùm, non tenetur ſpoliatus bonis procurare, ut alii Votum ejus reale impleant, ſicut non tenetur ad illum finem eleemoſynam petere, vel laborare, ſi anteà non ſolebat; quia non præſumitur voviſſe de bonis realiter acquirendis, ſed de bonis quæ antè ſpoliationem poſſidebat.

CONCLUSIO II.

HÆredes non tenentur ad Vota perſonalia Defuncti; tenentur tamen ad realia, ſicut ad mixta ex ea parte qua ſunt realia. Ità communiter Caſuiſtæ.

Prob. prima pars; quia cùm Votum perſonale tantùm reſpiciat perſonam voventis, aut ejus actionem, extinguitur vovente extincto. Hocque patet ex cap. 6. *De Voto*, ubi Innocentius III. declarat, quòd filius Regis Hungariæ teneatur Votum perſonale Patris implere; quia, moriente Patre, ſuum fecerat: ex quo ſequitur, quòd, hoc ſecluſo, non teneretur.

Probatur; ſecunda pars; quia ſuccedens hæreditati ſuccedit & oneribus hæreditati annexis; atqui onus exequendi vota realia eſt annexum ex jure Canonico & Civili hæreditati: ut patet ex dictis de Juramento: ergo. Hinc

Reſol. 1. Si defunctus vovit eleemoſynam pauperi, ornamenta Eccleſiæ, certum ædificium Xenodochio &c. teneri hæredes ad illorum executionem. Si autem vovit peregrinationem cum dono, tenentur ad hoc, non ad illam.

Reſol. 2. Non obligari ſucceſſores ad Votorum realium executionem, ſi nolint hæreditatem adire: cùm onus Votorum tantùm hæreditati ſit annexum. Excipe tamen, niſi independenter ab hæreditate illa implere promiſerint.

Reſol. 3. Ità adeuntem hæreditatem, ut teneatur ſolvere debita, etiam vires hæreditatis ſuperantia, ſimiliter teneri ſolvere Vota, cùm ſit par ratio de his ac de illis, & Vota ſint verè debita.

Reſol. 4. Ubi hæreditas non ſufficit ad ſolutionem debitorum, funeralium, & Votorum, Vota non eſſe aliis præferenda; cùm non debeant ſolvi ex ære alieno, ſed ex ære ipſius voventis. Debent tamen præferri Vota legatis, cùm hæc ſint libera & gratioſa, illa obligatoria.

Reſol. 5. Aſcendentes, aut Deſcendentes Defuncti non teneri ad ſolvenda Vota per illius Teſtamentum emiſſa, ſi indè gravetur eorum Legitima; ſecùs eſt de Votis extrà Teſtamentum emiſſis. Ratio primæ partis eſt, quòd Jura declarent, omnia gravamina bonis à Teſtatore appoſita in præjudicium Legitimæ, ſive interim fiant per Vota, ſive per legata pia, nullius eſſe roboris. Patet ex lege 32. Cod. *De inofficioſo Teſtamento. lib. 3. Tit. 28.* Ratio ſecundæ partis eſt, quòd Parentes viventes poſſent donis remuneratoriis, piis operibus, eleemoſynis, contractibus oneroſis Legitimam Succeſſorum aliqualiter minuere. quidni & Votis? ubi autem Votum non eſt ſolutum, contrahit rationem debiti; & conſequenter debet, ſicut alia debita, ab hæredibus ſolvi, licèt minuatur indè Legitima.

ARTICULUS VII.

An & qualiter obliget Votum Conditionale, Pœnale, & Dubium?

AGimus de voto Conditionali pendente à conditione de futuro; quandoquidem conditio de præſenti, aut de præterito non faciat votum conditionale, nec ejus obligationem ſuſpendat: nam res eſt, vel non eſt, fuit, vel non fuit: ſi eſt, aut fuit, hic & nunc ſtat Votum & obligat; ſi non eſt, vel non fuit, nullum eſt Votum.

CONCLUSIO I.

POſita conditione, Votum Conditionale obligat, non poſita, ſine culpa voventis, non obligat.

Prob. prima pars; quia Votum illud præcisè pendet à conditione, ut fiat abſolutum: ergo ubi ponitur conditio, obligat eodem modo ac ſi fuiſſet abſolutè emiſſum; & ideò non requiritur novus conſenſus.

Prob. ſecunda pars; quia Voti obligàtio pendet ab intentione voventis; atqui vovens noluit ſe obligare, niſi poſita conditione: ergo.

Dixi: *Sine culpa voventis;* quia ſi malitiosè per fraudem, vim, aut dolum impediat conditionis poſitionem, non tantùm peccat graviter contrà Votum, cùm vovendo obligaverit ſe virtualiter ad non impediendum conditionis eventum, ne fruſtaneum eſſet Votum; ſed etiam tenetur probabiliùs Votum exequi. Ratio eſt; quia *fraus & dolus nemini patrocinantur.* Præterea, ut fatentur Adverſarii, quando homo homini promiſit ſub conditione, tenetur promiſſionem implere, ſi malitiosè conditionis eventum impedivit, quidni & quando promiſit Deo? Jus quidem ità diſponit in primo caſu; ſed quia juſtum eſt & rationi conſentaneum, ac naturæ promiſſionis conditionatæ proportionatum: & certè præſumendum eſt, talem fuiſſe mentem voventis, qui interrogatus immediatè poſt Votum, an ſi ipſemet conditionem per malitiam impediret, à Voto liberaretur? Certò certiùs reſpondiſſet negativè.

Dices: Equidem iſto caſu non ponitur conditio; ſed tantùm ſe obligavit poſita conditione: ergo.

R. Diſt. Maj. Non ponitur formaliter, C. Æquivalenter & ad ſenſum à vovente intentum, N. tantùm enim voluit Votum ſuum dependere à conditione vel poſita, vel infallibiliter ponenda, niſi ipſemet ex malitia illam impediret; quia tunc apud Deum & apud homines habetur pro poſita. Ex dictis hac concluſione

Reſol. 1. Voventem Cœlibatum, ſuſceptionem ſacrorum Ordinum, peregrinationem, aut jejunium, ſi naufragium evadat, ſanitatem recuperet, ſi frater convertatur &c. teneri, vitato naufragio, ſanitate recuperata, converſo fratre, ad illorum executionem, aliàs non.

Reſol. 2. Non ſufficere ad Voti obligationem, quòd conditio ponatur in ſimili: v.g. voviſti ingredi Religionem, ſi moriatur mater, cui per laboritium teneris ſuppeditare neceſſaria: non teneris ingredi, ſi ipſa fiat dives, aut aliundè habeat neceſſaria. Ratio eſt; quia intentio tua fuit alligata iſti conditioni, non alteri.

Reſol. 3. Voventem ſacros Ordines, aut Religionem, ſi meliùs ſe habeat, ſi parentes conſentiant, ſi palmam in Philoſophia reportaverit, peccare graviter contrà Votum, ſi, ut obligationem extinguat, cibis aut potibus nocivis utatur, minis aut verberibus impediat patris conſenſum, ſtudia negligat &c. Imò ultrà peccatum, adhuc tenetur, ſi ſit capax, ſacros Ordines recipere, aut Religionem ingredi. Patet ex dictis. Aliud eſſet, ſi tantùm ex pigritia ſtudia negligeret, aut ex paſſione ſumeret nociva nullatenùs intendens Voti impeditionem, ſed eo modo ſe gerens, ac ſe geſſiſſet, ſi Votum non emiſiſſet.

Reſol. 4. Voventem aliquid ſub conditione à ſe dependente, non teneri ad poſitionem conditionis; & ideò qui vovit eleemoſynam, ſi exeat urbe, jejunium, ſi bibat vinum &c. poteſt, & quidem eo animo ut eximatur à tali eleemoſyna, aut jejunio, non exire urbe, non bibere vinum &c. quia voluit Voti executionem à ſua libertate dependere.

Reſol. 5. Eum, qui vovet Religionis ingreſſum, ſi certam domum ingrediatur ſpatio unius anni, poſſe, data opportunitate, ante finem anni Matrimonium inire, ſi necdum domum illam intraverit; quia non eſt præſumendum, quòd per Votum illud, voluerit ſibi Matrimonium toto illo anno interdicere, etiam ubi opportuna occurreret occaſio. Excipe tamen niſi ea intentione nubat, ut domum illam ſine onere Religionis ſuſcipiendæ poſſit adire; quia, ut diximus, *Fraus & dolus nemini patrocinantur.*

CON-

CONCLUSIO II.

VOtum pœnale obligat poſita culpa, aliàs non. Voviſti jejunium, ſi blaſphemaveris, poſita blaſphemia, teneris; ſecùs, ſi abſtinuiſti. Ratio eſt, quia Voti obligatio ſequitur intentionem voventis, qui noluit ſibi imponere pœnam, niſi propter culpam.

Dixi: *Poſita culpa*, & in hoc differt Votum pœnale à purè conditionali, quòd non culpam, ſed aliud pro conditione involvat. Ex dictis

Reſ. 1. Non teneri voventem ad pœnam, ſi actus, quem ſibi per Votum interdixit, non ſit culpabilis; & ideò ubi voviſti Roſarium, ſi ſacrum non audieris, non teneris ad Roſarium, ſi ſacrum omittis, ut graviter infirmo ſuccurras; quia illud voviſti per modum pœnæ; ubi autem nulla eſt culpa, nulla debetur pœna.

Reſ. 2. Nec teneri ad pœnam, ſaltem ubi gravis eſt, ſi actio ratione ſubreptionis, aut inadvertentiæ ſit tantùm venialiter culpabilis; quia non præſumitur quis voluiſſe ſibi imponere gravem pœnam, niſi propter gravem culpam.

Reſ. 3. Si quis ut eradicaret conſuetudinem blaſphemandi, aut pejerandi, vovit eleemoſynam, quoties blaſphemavit, teneri ad illam, etiam ubi blaſphemia aut perjurium non eſſent culpabilia; quia illa conducit ad frænandam conſuetudinem. Excipe tamen, niſi pœnam ad ſolam culpam formalem limitaverit.

Reſ. 4. contrà quoſdam Caſuiſtas, ponente voluntariè actum ſibi ſub pœna interdictum, teneri ad pœnam, licèt peccando de pœna non cogitaverit. Ratio eſt; quia vovit ſimpliciter pœnam, ſi culpam committeret; ſivè autem de pœna cogitet, ſivè non, verè culpam committit.

Reſ. 5. Voventem pœnam ſine determinatione quoad numerum, V. g. jejunabo, ſi me polluero, viſitabo Limina Apoſtolorum, ſi pictis luſero, ſi lupanar ingreſſus fuero &c. teneri toties pœnam ſubire, quoties peccat, ſi pœna ſit moderata & ſolita, ut eſt jejunium reſpectu pollutionis; non teneri autem, niſi prima vice, ſi ſit inſolita, & quæ non ſolet repeti, ut eſt dicta peregrinatio. Ratio eſt; quia præſumitur rationabiliter, talem fuiſſe mentem voventis: & ità Votum illud interpretarentur viri docti & probi.

Reſ. 6. Voventem non ludere, & quoties luſerit, jejunare, non teneri ad jejunium, ſi, obtenta Voti diſpenſatione, luſerit; quia non cenſetur ſibi impoſuiſſe illam pœnam, niſi propter culpam; ubi autem diſpenſationem obtinuit, poteſt ſine culpa ludere: excipe tamen, niſi vovens intenderit luſum ſivè licitum, ſivè illicitum ſibi interdicere.

CONCLUSIO III.

DUbius de ſubſtantia Voti, id eſt, an voverit, necne, non tenetur ad illud; dubius autem de qualitate, aut quantitate, ſed certus de ſubſtantia, debet tutius eligere. Hæc eſt ſatis communis quoad utramque partem, ſed differunt Authores quoad modum probandi.

Ratio 1. partis eſt, non quia tunc poſſeſſio ſtat pro libertate, ut ſuo loco refutavimus, ſed quia facta cum maturitate & plena deliberatione (ſine quibus Votum non obligat) ſolent memoriæ inhærere.

Ratio ſecundæ partis eſt, quòd ubi non habetur veritatis præſumptio, tutior pars ſit eligenda, juxta regulam Juris. Hinc

Reſ. 1. Dubitantem an voverit Religionem, Caſtitatem in ſæculo, peregrinationem, jejunium &c. ad nihil teneri, cùm ſoleat quis eſſe memor rerum hujuſmodi: aliud eſſet, ſi memoria deficeret, tunc enim deberet tutius amplecti.

Reſ. 2. Certum, quòd voverit, ſed dubium, an cum ſufficienti deliberatione, vel quantum voverit, an decem vel viginti aureos? In primo caſu teneri ad Votum, ſecundo ad viginti aureos, propter Regulam aſſignatam; ubi tamen eſſet præſumptio veritatis pro parte benigniori, poſſet illam amplecti. Sic, ſi vovit frater Minor Roſarium; ſed neſcit, an ſit 7. aut 15. decadum, poteſt minus eligere, eò quòd non ſoleant FF. Minores aliud recitare.

Reſ. 3. Dubitanti an Votum Caſtitatis, quod emiſit, ſit temporale, an perpetuum? An Religio quam vovit ſit laxior vel ſtrictior, V. G. An apud Recollectos, vel Chordigeros; tutiori eſſe adhærendum: niſi pro altera parte ſtaret veritatis præſumptio, ut quòd ſoleret Chordigeros frequentare, non Recollectos.

ARTICULUS VIII.

Qualiter Votum ſit interpretandum?

CUm ſæpè oriatur difficultas circà Voti obligationem, eò quòd ſit quandoque indeterminatum, vel quoad tempus, vel quoad materiam, vel quoad ejuſdem qualitatem, quantitatem, aut numerum, operæ pretium erit hic ſtatuere quaſdam regulas, ex quibus prudens lector poterit variorum caſuum reſolutiones colligere.

REGULA I.

UBi conſtare poteſt de intentione voventis, illa ad amuſſim eſt ſequenda. Ratio eſt; quia tota Voti obligatio pendet à voluntate ipſius, qui conſequenter poteſt illam pro libitu ampliare vel reſtringere, modò non excedatur materiæ capacitas.

REGULA II.

SI de voventis intentione nullatenùs poſſit conſtare, colligendum, vel ex communiter accidentibus, vel ex natura materiæ promiſſæ; ità ut Votum taliter obliget, qualiter obligaret lex, aut præceptum in eadem materia. Ratio eſt; quia rationabiliter præſumi poteſt, noluiſſe voventem aliter ſe obligare.

REGULA III.

UBi præcedentia ad Voti intelligentiam ſufficere non poſſunt, judicandum eſt juxta verborum tenorem, attento communi uſu loquendi patriæ; quia tunc non incongruè præſumitur voluiſſe promittentem verba menti conformare. Ex his Regulis

Reſ. 1. Voventem Jejunium, Miſſæ auditionem, Confeſſionem Sacramentalem &c. debere illa exequi eo modo, ea integritate, qua eadem exequuntur Fideles, ubi occurrit Eccleſiæ præceptum.

Reſ. 2. Promittentem audire Sacrum in die ſancti Petri, teneri ad duas Miſſas; Promittentem verò audire quotidie per annum, tantùm obligari ad unam diebus Feſtis, & Dominicis; quia ſic ordinariè intelligitur in pœnitentiis Sacramentalibus.

Reſ. 3. Votum Virginitatis (niſi aliud conſtet ex mente voventis) adhuc obligare ad vivendum caſtè mente & corpore poſt violatam Virginitatem; Quia ex uſu recepto idem ſonat, *Voveo Virginitatem*, ac *Voveo perpetuam caſtitatem*.

Reſ. 4. Eum, qui vovit ſuſcipere ſacros Ordines, ſi Pater conſentiat, teneri, mortuo Patre, ante datum conſenſum vel diſſenſum, Votum exequi, quia in aſſumptione ſtatus illa verba, *ſi Pater conſentiat*, idem ſonant ex communi uſu, ac *ſi Pater non contradicat*; unde etiam ſufficit ad illius Voti obligationem, ſi Pater vivens ſciat, & non ſe opponat.

Reſ. 5. Eum, qui poſt Votum jejunandi in pane & aqua, ſemel comedit carnes & bibit Vinum, non poſſe eodem die iterum ſine novo peccato carnes comedere, aut Vinum bibere quidquid dicant aliqui nimiùm indulgentes; quia Votum illud ex uſu loquendi ſignificat, *nihil aliud ſumam niſi panem & aquam*. Et conſequenter cùm ſit negativum, importat abſtinentiam à Vino & carnibus per totum diem.

Reſ. 6. Voventem jejunare quotidie per menſem, non teneri jejunare diebus Dominicis, licèt debeat abſtinere à carnibus; Item vovens jejunare in Vigilia S. Franciſci poteſt & debet jejunare die Sabbathi, ſi Vigilia incidat in diem Dominicam; quia ſic obligant Eccleſiæ præcepta, ad quorum normam obligant Vota, niſi vovens aliud intendat.

Reſol. 7. Illum teneri jejunare in die Natali Domini incidentem in ſextam Feriam, qui vovit jejunare ſingulis ſextis Feriis; quia Jus Canonicum cap. fin. *De obſervatione Jejunior.* ſic decidit.

Reſ. 8. Eum, qui vovit indeterminatè aliquam eleemoſynam, debere elargiri talem, qualem ordinariè ſolet.

Reſ. 9. Non ſatisfacere Voto dandi Calicem, qui dat ſtanneum, plumbeum, aut æneum; quia communiter intelligitur ad minimùm argenteus.

Reſol. 10. Si habens duas campanas promittat unam indeterminatè, poſſit dare quamlibet. Sed quid ſi una pereat? ſi hoc accidat ex culpa voventis, tenetur dare alteram vel pretium perditæ; ſin minùs, facienda eſt diviſio, æſtimato utriuſque pretio. Hoc ſequitur ex communi modo taliter agendi in ſimilibus.

Reſ.

Digitized by Google

Reſol. 11. Eum, qui vovet Hoſpitali decem dolia cereviſiæ, teneri dare pinguem, ſi hoc promiſerit, ut honeſtè recrearentur peregrini vel ibi degentes. Si autem promiſerit, ut ſublevaret Hoſpitalis neceſſitatem cenſendum eſt, promiſiſſe talem, qualem, ordinariè conſumunt; quia ſic Votum illud interpretandum declarat ſenſus communis. Ex his reſolutionibus poteris innumeros alios caſus reſolvere.

ARTICULUS IV.

Quot modis ceſſet obligatio Voti?

CEſſat Voti obligatio mutata materia, aut ceſſante totaliter, & pro ſemper, cauſa finali. Hæc ſufficienter aperta ſunt ſup. de Juramento, illuc recurre, & hic applica.

Ceſſat 2. Irritatione. 3. Diſpenſatione. 4. Commutatione, de quibus breviter §§. ſequentibus.

§. I.

Quid ſit voti Irritatio, qui poſſint irritare, & an requiratur cauſa ad irritandum?

CONCLUSIO I.

VOti Irritatio eſt voti caſſatio, ſeu annullatio ejuſdem facta ab habente poteſtatem dominativam.

Dicitur 1. *Caſſatio, ſeu Annullatio*, ut diſtinguatur à Suſpenſione, quæ Votum non annullat, ſed ſuſpendit tantùm ejus executionem pro certo tempore. Sic prohibens Prælatus, aut Director, ne Novitius Votum probationis impeditivum adimpleat, illud non irritant, cùm deſit illis poteſtas dominativa in Novitium; ſed tantùm ſuſpendunt ejus obligationem, quæ reviviſcet, ceſſante prohibitione.

Dixi 2. *Facta ab habente poteſtatem dominativam*, & per hoc differt à Diſpenſatione, quæ requirit poteſtatem Juriſdictionis; & ideò Abbatiſſa poteſt ſuarum Vota irritare, non in illis diſpenſare.

Porrò facultas irritandi Vota in eo conſiſtit, quòd aliis ſubjecti, ſive ratione ſui, ſive ratione materiæ Voti, ſive ratione utriuſque, cenſeantur vel ex jure communi, vel ex natura rei, ut volunt aliqui, emittere Vota ſub hac tacita conditione: *Si Superior conſenſerit*, vel *niſi contradicat*.

CONCLUSIO II.

OMnis & ſolus ille poteſt irritare Vota, qui habet poteſtatem dominativam in perſonam voventem, vel ſaltem in materiam Voti.

Ratio eſt, quia reſpectu omnis illius & ſolius cenſetur inferior vovere ſub præfata conditione tacita. Hinc

Reſol. 1. Non poſſe Papam irritare Vota omnium Fidelium; quia nullibi legitur conceſſam eſſe illi in omnes Fideles poteſtatem dominativam; nec propterea defuit Eccleſiæ ſuæ Chriſtus, cùm dederit illi plenariam diſpenſandi facultatem, ubi juſta cauſa ſubeſſet.

Reſol. 2. Poſſe irritare Vota omnium Religioſorum & Monialium; quia reſpectu illorum eſt verus & ſupremus Prælatorum Prælatus. Idem poteſt, propter eandem rationem, circa Vota Eccleſiaſticorum de rebus ad Beneficia, vel bona Eccleſiaſtica pertinentibus.

Reſol. 3. Poteſtatem eſſe Epiſcopis irritandi Vota Monialium, aut etiam Religioſorum ſibi immediatè ſubjectorum, non tamen Monialium aut Religioſorum exemptorum, ſicut nec ſuorum Clericorum, aut aliorum ſæcularium. Ratio eſt; quia reſpectu illorum habent dominationem, reſpectu horum tantum juriſdictionem.

Reſol 4. Prælatos Regularium (ſub quibus comprehenduntur Generales pro toto Ordine, Provinciales pro tota Provincia, Priores, Guardiani, Rectores, Correctores pro ſuis reſpectivè Conventibus, ſimiliter in eorum abſentia per diem naturalem Priores in Abbatiis, Vicarii apud minores, miniſtri in ſocietate, modò nulla fraus interveniat) item & Abbatiſſas, Prioriſſas, Matres, & alios Superiores immediatos, poſſe omnia ſuorum & ſuarum Vota irritare, ſi pauca excipiantur. Ratio eſt quia illi omnes potiuntur de facto poteſtate dominativa in omnes ſubditorum & ſubditarum actiones. Undè D. Th. 2. 2. q. 88 art. 8. ad 3. *Nullum Votum Religioſi*, inquit, *eſt firmum, niſi ſit de conſenſu Prælati*.

Dixi: *Si pauca excipiantur*; nam 1. nihil poſſunt in Votum tranſeundi ad Religionem ſtrictiorem, & hoc ex ſpeciali Juris diſpoſitione c. 18. *De regularibus*.

2. Nihil poſſunt in Vota eſſentialia, ut ſunt Paupertas; Caſtitas, & Obedientia: quia ſunt fundamentum cur habeant Superiores in ſuos vel ſuas poteſtatem dominativam.

3. Nec in Vota eſſentialibus annexa, ut eſt Votum Redemptionis Captivorum apud Religioſos de mercede. Votum abſtinentiæ, Quadrageſimalis apud Minimos; quia ex ſtatuto Apoſtolico non habent annexam conditionem conſenſus Prælati.

Reſol. 5. Poſſe Patrem irritare omnia Vota perſonalia, realia, & mixta filiorum impuberum, ſive ſint implenda in impubertate, ſive poſt, imò & Votum Religionis, ſicut & Votum de peculio Caſtrenſi, aut quaſi Caſtrenſi. Ratio eſt; quia ubi jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; jura autem univerſaliter loquuntur de omnibus impuberum Votis ſine ulla diſtinctione: quod & facit D. Th. ſup. art. 9. Nec privatur Pater illa poteſtate poſt filii pubertatem, ſi ille factus pubes Vota non ratificaverit; quia militat eadem ratio, quòd fuerit emiſſa in illa ætate, in qua expediebat, ut alienæ voluntati ſubjiceretur in aſſumendis obligationibus.

Reſol. 6. Non poſſe Patrem irritare Vota perſonalia filiorum puberum, poſſe tamen, realia emiſſa ante annum ætatis vigeſimum quintum niſi ſint de bonis Caſtrenſibus, vel adſit venia ætatis. Ratio primæ partis eſt, quòd homo factus pubes cenſeatur ſufficienter diſcretus ad vovendum: & ideò ſtat irrevocabiliter Votum Religionis, jejunii, Communionis &c. Non eſt tamen irrevocabile Votum, quod obeſt familiæ regimini, aut adminiſtrationi paternæ, eo quòd Votum illud emittatur ſub tacita conditione conſenſus paterni. Ratio ſecundæ partis eſt, quòd homo, ſecluſa ætatis venia, nullam habeat ante annum 25. bonorum diſpoſitionem, ſi Caſtrenſia aut quaſi Caſtrenſia exceperis.

Reſol. 7. Eandem ineſſe poteſtatem Tutori reſpectu Pupillorum, & Curatori reſpectu Minorum, qualis ineſt Patri reſpectu filiorum; quia ex juris diſpoſitione ſuccedunt in locum Patris. Porrò datur Tutor Pupillo uſque ad annum 14. completum, & Curator Minori uſque ad annum 25. item completum. Quòd ſi duo ſint Tutores aut Curatores, poterit uterque independenter à ſocio idem quod Pater: cum hac tamen diſtinctione, quòd Curator ſuccedens in locum Tutoris poſſit quidem irritare Vota ſui Minoris facta ante pubertatem, quamdiu necdum 25. annum complevit, ſed non poſteà, cùm tunc ejus officium expiret; Pater autem, ſemper poſſit Vota à filio impubere emiſſa irritare, quamdiu manet ſub paterna poteſtate, licèt foret ſexagenarius aut ſeptuagenarius; quia ætas, etiam decrepita, non eximit filium ſenem à poteſtate Patris dominativa. Sic tamen intellige, modo Vota non fuerint ratificata poſt pubertatem, aliàs nec Curator, nec Pater poſſunt quidquam in illa.

Reſol. 8. Matrem, præſente Patre, aut præſente Avo ex parte Patris, Tutore, aut Curatore, ſi mortuus ſit Pater, ſi longiſſimè diſtans aut amens, nihil poſſe in Vota filiorum, Jure ſic diſponente. Si tamen facta eſſet Tutrix, eadem eſſet illi poteſtas quoad Votorum irritationem, ac Tutori aut Curatori. Sed quid ſi, mortuis Patre & Avo, nullus aſſignetur filiis Tutor aut Curator? probabile eſt Matrem ſubintrare naturaliter in locum Tutoris aut Curatoris; adeòque & in eorum poteſtatem circà filiorum Vota: tutius tamen ageret, ſi poſtularet à Judice deſignari ad curam Tutrix.

Reſol. 9. Omnia Vota uxoris tempore Matrimoniali emiſſa poſſe à Marito irritari, ſi præjudicent Familiæ, prolibus, debito conjugali, aliàs non; & ideò non poteſt irritare illius Vota non ludendi, Sacramenta frequentandi, moderatè jejunandi &c. imò nec realia de bonis Paraphernalibus. Ratio horum eſt, quòd uxor non ſubjiciatur marito in omnibus, ſed tantùm in iis quæ ſpectant ad uſum Matrimonii, prolium educationem, bonorum adminiſtrationem, & domus regimen & conſequenter poterit irritare Vota illis præjudicantia, non alia.

Dixi: *Tempore Matrimonii emiſſa*: quia ante illud facta poteſt quidem ſuſpendere ſi familiæ, prolibus &c. adverſentur, non tamen irritare.

Reſol. 10. Poſſe uxorem irritare Vota mariti uſui Matrimoniali, aut etiam mutuæ habitationi nociva, v. g. abſtinentiam immoderatam, preces continuas, longam peregrinationem, niſi ſit Hieroſolymitana in ſubſidium Terræ ſanctæ, ut patet ex cap. 9. *de Voto*. Item irritare poteſt Votum de ſuſcipiendo habitu Eremitæ; quia illa & ſimilia impediunt vel retrahunt uxorem à debiti petitione. Nec refert, quòd vir ſit caput mulieris; quia ipſa equidem habet verum dominium in ejus corpus, quod ſufficit ad irritanda Vota illius uſui adverſantia.

Reſol. 11. Si maritus & uxor ex mutuo conſenſu emittant Votum Continentiæ, illud non eſſe ab ipſis irritabile; quandoquidem in ordine ad debiti petitionem aut redditionem ceſſerint juri ſuo; & ideò ad Superiorem eſt recurrendum.

Reſol. 12. Poſſe dominos irritare Vota ſervorum, quæ obſunt

eorum

eorum obſequio, non alia, ſicut nec emiſſa ante ſervitutem, aut implenda, libertate obtenta. Ratio eſt; quia præciſè in rebus ſervitium concernentibus dominantur ſervis.

Reſol. 33. Denique heros defectu poteſtatis dominativæ in famulos & ancillas, non poſſe eorum Vota irritare, ſed executionem ſuſpendere, ſi debito obſint famulatui.

CONCLUSIO III.

AD irritationem Voti validam nulla requiritur cauſa; ad licitam requiritur aliqua.

Prob. prima pars; quia Votum inferioris emittitur ſub tacita conditione conſenſus Prælati, & ideò ubi ille diſſentit, Votum evaneſcit.

Prob. ſecunda pars; quia tenetur quilibet uti poteſtate ſibi conceſſa ad Dei gloriam, quantum poteſt; ſed poſtulat Dei gloria ut Votum non irritetur ſine cauſa; cùm Deus per illud ſit colendus: ergo. Sufficit tamen cauſa levis, & defectus illius eſt tantùm venialis tum in Superiore irritante, tum in inferiore irritationem exigente, ubi autem Superior conſentiendo approbavit, probabilius eſt graviter peccare, ſi illud ſine cauſa irritet, ſicut & inferiorem qui illius irritationem poſtularet; quia jam materia Voti eſt Deo obſtricta, & quidem ex cooperatione ipſiuſmet Superioris: undè Num. 30. dicitur de viro irritante Votum uxoris, cui licentiam emittendi dederat: *Portabit ipſe iniquitatem ejus*, ideſt, ut explicant Abulenſis, Lyranus, Oleaſter &c. *pœnam iniquitatis*, per quam intelligitur peccatum grave, cùm veniale non ſoleat venire nomine *iniquitatis*.

§. II.

Quid ſit voti Diſpenſatio, & an requiratur cauſa ad diſpenſandum?

SUppono, eſſe in Eccleſia Dei poteſtatem diſpenſandi in Votis, tum ex Script. Matth. 16. *Quodcumque ſolveris ſuper terram &c.* quod & repetitur c. 18. hoc autem intelligitur, ſecundùm Doctores & Interpretes communiter, de ſolutione cujuslibet vinculi ad animarum ſalutem neceſſaria; tum ex praxi Eccleſiæ antiquiſſima; tum etiam, quia poteſtatem illam requirit ſuave Eccleſiæ regimen.

CONCLUSIO I.

VOti Diſpenſatio eſt ablatio vinculi Voti facta nomine Dei ab habente juriſdictionem ſpiritualem in foro externo.

Dixi 1. *Ablatio vinculi*; 1. ut diſtinguatur à Commutatione, per quam tollitur vinculum, ſed in aliud transfertur, v.g. peregrinandi obligatio in obligationem jejunandi. 2. ut declaretur diſpenſationem in Voto non eſſe rigoroſam diſpenſationem, quæ requirit, ut, manente Voto, non teneatur quis illud exequi, ut patet in diſpenſatione legis. Hæc autem diſpenſatio rigoroſa in Votis nequidem Papæ competit; cùm Votum remanens Votum obliget ad executionem ex jure naturæ, in quo non poteſt diſpenſare.

Dixi 2. *Facta nomine Dei*; cùm enim per Votum fiat homo Deo debitor, neceſſe eſt, ut abſolvatur, quòd Deus, vel alter ejus nomine debitum relaxet.

Dixi 3. *Ab habente juriſdictionem ſpiritualem*; quam cùm habeat Epiſcopus electus & à Papa confirmatus, licèt nondùm in Epiſcopum ordinatus, aut conſecratus, poteſt diſpenſare, cùm non ſit actus Ordinis, ſed Juriſdictionis; non poteſt tamen Princeps ſæcularis, etiam ſupremus; quia illius Juriſdictio non eſt ſpiritualis.

Dixi 4. *In foro externo*; Quia poteſtas diſpenſandi jure ordinario tantùm competit perſonæ Eccleſiaſticæ habenti ſubditos, illoſque in foro externo regenti, cùm pertineat ad externam Eccleſiæ gubernationem, ſicut poteſtas condendi leges, ferendi cenſuras, concedendi indulgentias &c.

CONCLUSIO II.

POteſtas diſpenſandi in Votis competit Papæ pro tota Eccleſia, Epiſcopis pro ſua diœceſi, Legatis à latere & Nuntiis Apoſtolicis in ſua provincia, Prælatis majoribus Ordinum Religioſorum reſpectu ſuorum, ſi habeant Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, qualem habent Generales & Provinciales Ordinum exemptorum, & quidam Abbates.

Prob. de Summo Pontifice; quia Petro ejuſque Succeſſoribus dictum eſt Joan. 21. *Paſce oves meas* & Matth. 16. *Quodcumque ſolveris*, &c. unde cùm ſit conſtitutus Generalis Chriſti Vicarius, ac totius Eccleſiæ caput in terris hanc poteſtatem habere debet in omnes Chriſti Fideles pro omnibus Votis, etiam juratis & ſolemnibus. Hæc poteſtas etiam competit Concilio generali.

Prob. de Epiſcopis, tum ex Script. Matth. 18. ubi Chriſtus dixit Apoſtolis, quibus ſuccedunt Epiſcopi; *Quodcumque ſolveritis ſuper terram*, &c. tum ex vetuſtiſſima & recepta Eccleſiæ conſuetudine; tum etiam quia munus Epiſcopale hanc poteſtatem exigit, ut ſuccurratur ſpirituali ovium neceſſitati, moram quandoque non patienti. Hanc tamen poteſtatem in actu ſecundo coarctavit Summus Pontifex, reſervando ſibi quædam Vota, ut fecit in §. ſequentibus, nempè Peregrinationis ad Limina Apoſtolorum, ad Terram ſanctam, ad S. Jacobum de Compoſtella, Religionis approbatæ, & Caſtitatis integræ ac perpetuæ. Extra hos caſus, poſſunt in quibuslibet Votis perſonalibus, realibus, & mixtis diſpenſare; adeòque in Voto intrandi Religionem ſtrictiorem, v.g. S. Brunonis, modò vovens intret aliquam, v.g. S. Dominici, in Voto Religionis non approbatæ; ſuſcipiendi ſacros Ordines, non nubendi, non petendi debitum caſtitatis temporalis; imò & perpetuæ, ſi adſit admodùm gravis neceſſitas, qualem eſſe judicant Authores, dum quis poſt Votum Caſtitatis ſimplex Matrimonium contraxit, & jam cum uxore cohabitat: ante autem Matrimonium contractum idem poſſunt ad vitandum ſcandalum, aut gravem infamiam, ſi non pateat ratione bellorum, aut paupertatis ad ſummum Pontificem, aut ejus Legatum recurſus, & res moram non patiatur. Etiam diſpenſare poterunt ut morti proximus ineat Matrimonium ad legitimandam prolem.

Hæc omnia fundantur, vel in præſumpto rationabiliter conſenſu Papæ, vel in eo quòd non credatur voluiſſe in ſimilibus circumſtantiis Votum illud eſſe Epiſcopis reſervatum. Hæc autem diſpenſatio tantùm valet diſpenſato pro tempore Matrimonii, idque reſpectu propriæ conjugis, cùm non poſſint ultrà neceſſitatem in illo Voto diſpenſare; & ideò ſi aliam cognoſcat, aut ſe polluat, Votum tranſgreditur.

Eadem eſt poteſtas Capitulo Cathedrali Sede vacante, ac ipſi Epiſcopo: Archiepiſcopi tamen nihil poſſunt, etiam Sede vacante, in Vota Fidelium, qui ſubſunt Suffraganeis ſui Epiſcopatus, etiamſi viſitent Provinciam; quia non ſunt ordinarii illorum Paſtores: poſſunt quidem tempore viſitationis abſolvere eorum peccata, ut patet ex Cap. ult. de Cenſ. in 6. cùm tamen hæc poteſtas non ſit conjuncta cum poteſtate diſpenſandi in Votis; non debet ad illa extendi.

Prob. de Legatis à latere & Nuntiis Apoſtolicis; quia poteſt Summus Pontifex ratione plenitudinis ſuæ Juriſdictionis & poteſtatis in omnes Fideles Juriſdictionem ſpiritualem certis dignitatibus & Prælaturis communicare; & quaſi ordinariam adjungere, ſicut & junxit officio ſui Pœnitentiarii.

Prob. de Majoribus Prælatis Regularibus; quia illi omnes habent Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuos, & quidem in Foro externo; imò Salmanticenſes cum pluribus aliis id extendunt etiam ad Prælatos minores, ut ſunt Priores, Guardiani, Rectores &c. quia reſpectu ſuorum habent Juriſdictionem ordinariam in foro externo, & in Foro Sacramentali, quàm in Foro externo non habent Parochi, nec Monialium Confeſſarii, qui ideò extrà mortis periculum non poſſunt diſpenſare in Votis.

Si objicias, diſpenſare poſſe Parochum in jejunio & in opere ſervili die Feſtivo: dicam, id habere ex conſuetudine, quæ idem quoad Vota non introduxit.

Poſſunt ergò Prælati exempti in omnibus Votis ſuorum diſpenſare, ſi 5. reſervata excipias, & hoc verum eſt, licèt Vota fuerint de eorum conſenſu emiſſa; quia etiam poſt datum conſenſum remanet in ipſis integra Juriſdictio ſpiritualis, quæ eſt fundamentum talis diſpenſationis. Imò diſpenſare poſſunt cum ſuis in Voto Religionis ſtrictioris. Ratio eſt; quia id poſſunt Prælati reſpectu ſuorum in hac materia, quod poſſunt Epiſcopi reſpectu diœceſanorum; atqui poſſunt hi diſpenſare in Voto Religionis ſtrictioris quatenùs ſtrictioris, ideſt, Voto Religionis quoad ſubſtantiam relicto: ergo & illi, & indè patet, non eſſe ſuperfluam in Prælatis Regularibus poteſtatem diſpenſandi in Votis cum poteſtate irritandi; quandoquidem illud Votum non poſſint irritare; poſſint tamen in eo diſpenſare. Sed poſſuntne etiam in Votis ſuorum Novitiorum diſpenſare? Affirmativa eſt probabilior; quia licèt non habeant in ipſos poteſtatem dominativam, habent tamen juriſdictionem, & quidem in foro externo; cùm ad ipſius pertineat Novitios regere, punire &c.

CONCLUSIO III.

POſſunt Cōfeſſarii ordinū Mendicantiū, tam extra ſua Eccleſias, quā intra diſpenſare ex privilegio in omnibus Votis

Sæcu-

Sæcularium, in quibus poſſunt de jure Epiſcopi, adeòq; in omnibus perſonalibus, realibus, & mixtis, ſi 5. præſata excipiantur; modò tamen ſint ab Ordinariis approbati, & à ſuis Superioribus ad ſæcularium Confeſſiones audiendas deputati. Ità conceſſum eſt à variis Summis Pontificibus, ut conveniunt tum antiqui, tum moderni hanc materiam tractantes; ità ut ſolus ille reclamare poſſit, qui Mendicantium privilegia non legit; aut non admittit. Vide 4. aut 5. Bullas à P. Herinx citatas in hac materia.

Indulſit etiam Pius V. Mendicantium Provincialibus, ut concedere poſſint Confeſſariis ſuis ab Epiſcopo approbatis facultatem diſpenſandi ad petendum debitum, cum iis qui ante Matrimonium Caſtitatem voverant; ſed cùm hoc privilegium ſit vivæ vocis Oraculum, per Bullam Urbani VIII. videtur revocatum.

Dixi: *Ante matrimonium*; quia in Voto Caſtitatis tempore Matrimonii emiſſo poſſunt, etiam ſine ſpeciali Provincialis licentia, diſpenſare, cùm ſit tantùm Caſtitatis partialis; eò quòd vovens ſemper teneatur reddere debitum.

CONCLUSIO IV.

AD diſpenſandum validè & licitè requiritur juſta cauſa. Eſt communis.

Ratio eſt, quia diſpenſans qualiſcumque ſit, non agit ut Superior nomine proprio; ſed ut Inferior nomine Superioris, nempè Dei, qui non cenſetur habere ratam diſpenſationem, ubi abeſt juſta cauſa. Quod ſi concedens diſpenſationem putet bona fide cauſam ſufficientem, & poſteà reperiatur inſufficiens, probabilius eſt valere diſpenſationem, cùm non ſit credibile quòd Deus ad validam diſpenſationem plus requiſierit in prudenti Diſpenſatore, quàm quòd crederet bona fide cauſam eſſe ſufficientem; ubi autem cauſa non apparet ità ſufficiens, debet Votum in opus aliud pium commutari, & ſic Voti gravitas compenſari. Imòquamvis appareret cauſa ſufficiens, bonum eſt ſemper, exemplo Summorum Pontificum, aliquam Commutationem admiſcere.

Porrò debet eſſe cauſa proportionata Voto; ita ut, quò gravius eſt Voti m aut excellentius, eò gravior requiratur cauſa; quo de re minori, eò minor ſufficiat. Iſtæ cauſæ ſunt honor Dei, Eccleſiæ utilitas, bonum Communitatis, pax inter Principes, graviſſima voventis fragilitas, neceſſitas urgens, ætas tenera, ingenium debile, mens turbata tempore Voti. Item ſi metus naufragii, aut mortis à ſicario intentatæ dederit occaſionem Voto, aut etiamſi metus levis ad Votum extorquendum fuerit incuſſus. Dico. *Levis* quia gravis impedit Voti valorem, ut dictum eſt ſupra.

§. III.

Quædam quæſtiunculæ circa materiam diſpenſationis.

PEtes 1. An Votum eundi Romam ad impetrandam abſolutionem ab aliquo peccatum ſit unum ex quinque reſervatis.

R. Neg. quia tantùm reſervatur Votum conceptum ex devotione illius loci, ſivè ad viſitanda Limina Apoſtolor. Petri & Pauli, ut habetur in Extrav. 5. *De Pænit. & Remiſ.*

Petes 2. An Votum dubium ſit reſervatum?

R.N. Ratio eſt; quia reſervatio eſt odioſa, adeòque non niſi ad Vota certa debet extendi. Præterea peccatum dubium non eſt reſervatum: ergo nec Votum ſimile.

Petes 3. An Votum conditionale, & pœnale ſint reſervata?

R. Poſita conditione aut culpa, eſſe reſervata, non antè. Ratio primæ partis eſt; quia, poſita conditione aut culpa, ſunt omninò abſoluta, eandemque coram Deo imponunt obligationem, ac ſi fuiſſent emiſſa ſine conditione, ut patet in aliis contractibus conditionatis, qui, poſita conditione, eoſdem habent effectus morales, ac ſi eſſent abſoluti: undè immeritò dicunt aliqui conſenſum taliter voventis eſſe imperfectum, cùm ſupponatur maturè & deliberatè voluiſſe rem Promiſſam, ſi poneretur conditio: ſicut ergo nemo dicet imperfectum eſse conſenſum contrahentis ſponſalia ſub conditione; ita nec dici debet in noſtro caſu. Nec obſtat, quòd in Voto pœnali magis velit quis culpam vitare, quàm Voto ſe obligare; imò Voti obligationem timeat, cùm illam aſſumat ut frænum culpæ vitandæ; quia equidem rem illam vult, deliberatè vult, maturè vult, ſi et dependenter à conditione. Huic ſententiæ adhærent Covarruvias, Azorius, Corduba, Filliucius & aliis.

Ratio 2. partis eſt; quòd reſervatio, utpotè odioſa & reſtringenda, tantùm reſpiciat obligationem perfectam, exiſtentem, & conſummatam, qualis non eſt in Votis conditionalibus & pœnalibus ante poſitam conditionem, aut culpam. Hinc

Reſ. Poſſe Epiſcopos, ſicut & Confeſſarios Ordinum Mendicantium, abſolvere illos, qui vovent Religionem, aut unam ex 5. reſervatis, ſi ſanitatem V.G. recuperaverint, ſi fuerint fornicati &c. modò necdum ſit ſanitas recuperata; aut fornicatio commiſſa, aliàs non. Item abſolvere poſſunt à 5. reſervatis, ſi dubia ſint.

Petes 4. An idem poſſint Confeſſarii Mendicantium reſpectu 5. reſervaturum in neceſſitate, ac Epiſcopi.

R. N. quia poteſtas diſpenſandi ob urgentem neceſſitatem fundatur in Juriſdictione ordinaria, quam habent Epiſcopi, non Mendicantes.

Dices cum Crouſers, & aliis. Diſpenſare poſſunt Mendicantes in omnibus Votis, in quibus poſſunt Epiſcopi de jure ordinario: atqui in neceſſitate id poſſunt Epiſcopi circà reſervata jure ordinario: ergo.

R. Diſt. Maj.; poſſunt &c. in quibus poſſunt Epiſcopi jure ordinario tantùm radicali, N. immediato, C. Epiſcopi ergò jus ordinarium radicale habent à Deo, immediatum à Papa, qui illud limitavit in 5 Præfatis: & de hoc Jure loquuntur Summi Pontifices in privilegiis Mendicantibus conceſſis, cùm aliud jus non ſit expeditum.

Petes 5. An vovens poſſit ſua intentione reddere Votum ſuum à ſolo Papa diſpenſabile?

R. Neg.; quia cùm vovens non poſſit ab Epiſcopo Juriſdictionem tollere, ita nec facere, ut non poſſit in illius Voto diſpenſare, ſi illud non ſit reſervatum.

Petes 6. An facultas conceſſa ad diſpenſandum in omnibus Votis, cenſeatur conceſſa pro reſervatis?

R. N patet ex C 3. *De Pæn. & Remiſ.* in 6. ubi declarat Pontifex in conceſſione generali abſolvendi à peccatis, non contineri facultatem abſolvendi à reſervatis, niſi ſpecialiter exprimatur: cum, ut ſubdit, *In generali conceſſione illa non veniant, quæ non eſſet quis veroſimiliter in ſpecie conceſſurus* Quando tamen per Bullam Jubilæi datur facultas commutandi omnia Vota, præter Caſtitatis & Religionis, cenſetur & data reſpectu triplicis peregrinationis reſervatæ; quia exceptio illa ſatis denotat triplicem peregrinationem non excludi. Et ita Bullas Jubilæi recepit uſus communis.

Petes 7. An Epiſcopus aut alius habens poteſtatem ordinariam diſpenſandi cum aliis, poſſit ſecum diſpenſare?

R. in rigore Neg. Quia ad diſpenſandum requiritur Juriſdictio in Foro externo, qualem nullus habet reſpectu ſui: unde illo caſu debet poteſtatem illam alteri committere, à quo diſpenſetur; vel certè ad Archiepiſcopum, aut ad alium ſibi Superiorem recurrere.

Petes 8 An Vota emiſſa in ſavorem tertii ſint diſpenſabilia.

R. Affir. ſi ille tertius *ſit aliquis* de Curia Cœleſti, V. G. B. Virgo, Angelus Cuſtos, S. Petrus &c. quandoquidem *non minoris* ſit poteſtatis, Eccleſia in iis, quę concernunt *Beatos*, quàm in iis quæ concernunt ipſum Deum: ſecus eſt, ſi ille tertius ſit homo mortalis, qui promiſſionem acceptavit: quia tunc jus acquiſivit, à quo non poteſt deturbari, niſi in paucis caſibus in materia de Juramento recenſitis.

Dixi: *Qui acceptavit*: quia ſi tertius ille non acceptavit, ſive interim ſit pauper, ſive Eccleſia, ſive alius, poteſt Votum relaxari abſque illius injuria, cum nullum jus acquiſierit.

Petes 3. An ille, cui conceditur poteſtas delegata ad diſpenſandum in Votis, diſpenſare poſſit in Juramentis promiſſoriis ſoli Deo factis.

R. Probabiliùs, N. Ità Azorius, Filliucius, Petrus Ledeſma & alii. Ratio eſt; quia non eſt extendenda conceſſio ultrà verborum proprietatem, ſecundùm quam Votum non *eſt juramentum*: & licèt utriuſque vinculum ſit Religionis, eſt tamen diverſæ ſpeciei.

Dices: Votum & Juramentum confunduntur, non tantùm ex communi Fidelium exiſtimatione, ſed etiam ex mente Eccleſiæ ergò &c. Prob. Ant. quia Juramentum, quo quis jurat ſe ingreſſurum Religionem, eſt reſervatum, ſed non eſt reſervatum ut eſt Juramentum, cùm in jure nullum reſervetur: ergò ut eſt Votum, & conſequenter confunduntur.

R.N. Ant. Ad prob. dico, Juramentum promiſſorium Deo factum continere duo vincula: unum Promiſſionis Deo factæ, & per hoc convenit cum Voto; aliud juriſjurandi, & per hoc differt à Voto. Ex quo deducitur 1. Votum confundi quidem cum Juramento ſecundùm unam rationem, non ſecundùm omnem. 2. Poteſtatem diſpenſandi in Juramentis promiſſoriis extendi ad Vota, non è contra. Horum ratio eſt, quòd Juramentum contineat totam rationem Voti, & aliquid aliud.

Petes denique: An ſit aliqua forma ſervanda in Diſpenſatione, Irritatione, aut Commutatione?

R.N. ſed ſufficit quòd voluntas diſpenſantis, irritantis &c exteriùs manifeſtetur, ſivè verbis, ſivè nutibus, ſivè quocumque alio ſigno, cum jus aut praxis nihil aliud requirat.

§. IV.

§. IV.

Quid voti commutatio, à quibus, qualiter, & an ex cauſa ſit facienda?

CONCLUSIO I.

VOti Commutatio eſt ſubrogatio operis honeſti in locum alterius Deo promiſſi facta ſub eadem Voti obligatione in favorem voventis.

Dixi 1. *Operis honeſti*, quia; cùm indifferens nihil ad Dei cultum conferat, non poteſt ſubſtitui.

Dixi 2. *In locum alterius*, ſcilicet non reſervati; quia nullus Papa inferior poteſt Votum reſervatum in aliud quantumlibet præſtantius commutare, ſi unicam Religionis profeſſionem excipias, in quam omnia Vota ſunt commutabilia ex conceſſione Eccleſiæ, ut patet ex variis juris Canonici textibus: undè D. Th. 4. diſt. 38. q. 1. art. 4. *Et quia Votum Religionis includit omnia alia Vota... ideò qui aliquod Votum temporale fecit, poteſt, non requiſita alicujus Prælati diſpenſatione Religionem intrare*.

Dixi 3. *Deo promiſſi*; quia ſi contingat promiſſionem Eccleſiæ, aut alteri factam, & ab eodem acceptatam, non poteſt in aliud ſubſtitui, cùm jam tertius in rem promiſſam jus acquiſierit.

Dixi 4. *Facta ſub eadem &c.* quia vovens ex eodem Religionis vinculo tenetur ad opus ſubrogatum, ac tenebatur ad opus promiſſum.

Dixi denique: *In favorem voventis*; & ideò liberum eſt illi relicto opere ſubrogato, ad opus promiſſum redire; quia nullus tenetur uti gratia aut favore. Et hoc verum eſt, licèt opus ſubrogatum ſit melius opere promiſſo; cùm equidem fiat in favorem illius: *Et quilibet renuntiare valeat ei, quod pro ſe noſcitur introductum*: c. 3. *De Regular.* Imo ſi pluries Commutatio facta ſit, poterit quodlibet opus ſubſtitutum eligere, vel ad Votum redire. Excipe tamen, niſi opus ſubrogatum melius, Deo per aliud Votum promiſerit: tunc enim non poterit ad aliud regredi.

CONCLUSIO II.

OMnes illi qui poſſunt jure ordinario aut delegato in Votis diſpenſare, poſſunt illa commutare, non è contra.

Prob. prima pars, quam immeritò negant Azorius, Sanchez, & Navarrus pro delegatis; quia ex Cap. 53. *De R. J. in 6. Cui licet, quod eſt plus, licet utique quod eſt minus*; ſed potens diſpenſare, poteſt totam Voti obligationem tollere: ergò à fortiori illam in aliam commutare. Sunt quidem poteſtates diverſæ, non tamen eo ſenſu, ut major non importet minorem.

Prob. ſecunda pars; quia cui conceditur minus, non conceditur majus; ſed *minus eſt Votum commutare, quàm in Voto diſpenſare*, inquit D. Th. 2. 2. q. 88. art. 10. ergo. Unde in Bulla *Cruciatæ* datur facultas Vota commutandi, ut aſſerunt Bullæ expoſitores, non tamen diſpenſandi.

CONCLUSIO III.

POteſt quilibet authoritate propria Votum ſuum commutare in evidenter melius; non tamen in æquale, aut minus. Eſt communis quoad omnes ſuas partes.

Prob. prima pars. Ideò requiritur Prælati authoritas ad commutandum; quia juxta D. Th. ſup. art. 12. determinare debet quid ſit Deo acceptum: ergo ubi evidens eſt opus ſubrogatum eſſe Deo gratius & acceptius (quale eſt evidenter melius) non requiritur Prælati authoritas.

Confir. 1. ex c. 3. *De jure jurando*, ubi dicitur: *Non enim propoſitum, aut promiſſum infringit, qui in melius illud commutat*.

Confir. 2. Quia ubi conſtaret rem ſubrogatam eſſe homini gratiorem, quàm ſit res promiſſa, poſſet illi ſic ſatisfieri; quidni & Deo?

Objic. 1. Commutatio debet eſſe actus Juriſdictionis.

Reſp. Diſt. Aſſump. Commutatio in æquale, aut minus, C. in melius, N. ſed poteſt eſſe actus prudentiæ dictantis ſatisfieri creditori per ſolutionem ſuperabundantem.

Objic. 2. Solùm eſt concl. quando Votum includitur in re meliori, ut quando datur Altare marmoreum pro ligneo, candelabrum aureum pro ſtanneo, non autem quando ſubrogatur jejunium loco peregrinationis, aut è contra.

Reſp. Diſt. Aſſump. Quando includitur in re meliori tantùm formaliter, aut ſecundùm eandem rationem, N. quando includitur vel formaliter, vel eminenter, vel ſecundùm rationem, ſecundùm quam opus ſubrogatum eſt Deo gratius, C.

Objic. 3. Si homo daret alteri equum viginti aureorum pro veſte decem aureorum non teneretur acceptare: ergo ſimiliter non conſtat quòd Deus acceptet peregrinationem 20. leucarum pro jejunio unius diei.

Reſ. Diſp. eſſe, quòd melius, ſit ſemper Deo gratius, non ſic homini, qui quandoque quærit utilius.

Prob. ſecunda pars; quia in politia temporali, non licet authoritate propria certum debitum in aliud æquale, aut minus commutare: ergo nec in Votis. Prætereà licèt materia ſubrogata ſecundùm ſe eſſet Deo æquè grata, ac eſſet materia Voti ſecundùm ſe; hæc tamen quia promiſſa, eſt gratior Deo, cui magis placet firmitas & conſtantia in re promiſſa, quàm mutatio de una in aliam: undè hanc variationem non cenſetur approbare Deus, niſi per exceſſum manifeſtum cohoneſtetur. Ex dictis

Reſol. 1. Eum, qui vovit ingredi & probare Religionem ſtrictiorem, poſſe authoritate propria Votum illud commutare in Votum profitendi in Religione benigniori; quia hoc evidenter melius eſt, quàm illud.

Reſol. 2. Eum, qui vovit 8. vel 10. peregrinationes 12. aut 15. leucarum poſſe illas omnes commutare in peregrinationem Romanam, cùm hæc longè plus itineris, fatigationis, & difficultatis contineat, quàm omnes aliæ ſimul.

Reſol. 3. Eum, qui materiam promiſſam mutavit authoritate propria in æqualem: nullatenùs ſatisfacere ſuæ obligationi per hujus executionem: cùm enim commutatio in æquale, aut minus ſit actus Juriſdictionis, ut fatentur Adverſarii, concludendum eſt, commutationem illam authoritate propria factam, nullam eſſe & irritam, adeóque executionem materiæ ſubrogatæ omninò ſe impertinenter habere ad Voti ſolutionem.

CONCLUSIO IV.

QUi tantùm poteſt commutare, debet facere Commutationem in æquale moraliter; qui autem poteſt commutare & diſpenſare, poteſt illam facere in minus.

Prob. prima pars; quia ut Commutatio ſic juſta ſervari debet æqualitas rei ad rem: undè ſi fiat in minus, erit donatio aut emiſſio, ſaltem partialis & admiſcebitur aliquid diſpenſationis, quam faciendi non habet ille poteſtatem.

Dices: Difficillimum eſt reperire juſtam æqualitatem: ergo ſi non poſſit fieri Commutatio in minus, executio illius poteſtatis, quæ datur in Jubilæis, erit expoſita innumeris ſcrupulis, anxietatibus & dubiis.

Reſ. Diſt. Ant. Difficillimum erit reperire juſtam æqualitatem Mathematicam, C. moralem, in qua paulò minus pro nihilo reputatur, N. undè quando commutans, omnibus in ſtatera Domini libratis, credit prùdenter, materiam ſubrogatam æquare circiter promiſſam, debent ipſe & vovens remanere in conſcientia tuti. Si autem velit quis etiam umbram ſcrupuli vitare, recurrat ad Prælatos, aut ad Confeſſarios Regulares, qui Commutationi poſſunt diſpenſationem admiſcere, & inde ſecunda pars manet probata, cùm per poteſtatem diſpenſandi tolli poſſit pars obligationis. Ex hac concluſione.

Reſol. 1. Peregrinationem aliquam ſic poſſe in æquale mutari. 1. Pro labore itineris pios labores circiter æquales imponendo. 2. Itineris expenſas eleemoſynis proportionatis redimendo, deductis tamen expenſis domi faciendis. Patet ex c. 7. §. 5. & 6. De Voto. Si quis tamen voviſſet peregrinari mendicando, nihil deberet pro expenſis ſolvere modò onus mendicandi aliundè compenſaret.

Reſol. 2. Communiter commutari Votum reale in reale, perſonale in perſonale, perpetuum in perpetuum, temporale in temporale; quia ſic magis ſervatur proportio: poteſt tamen aliter fieri commutando jejunium, v. g. in eleemoſynam pauperibus, aut piæ cauſæ applicandam: ut autem meliùs ſervetur in Commutationibus æqualitas, notanda ſunt ſequentia.

1. Non tantùm ſpectari debet materia promiſſa, ſed etiam finis promiſſionis, ut ſi quis vovit duros labores, peregrinationem longam, flagellationes &c. ad macerationem corporis ſpiritui rebellantis: tunc enim proportionata ſunt ſubſtituenda: Sæpè tamen ſaluberrimum erit Sacramentorum frequentiam ſubrogare, cùm per illa Chriſti merita nobis applicentur, gratia conferatur, vel augeatur, & vires ad frænandas paſſiones & Dei legem ſervandam ſubminiſtrentur. 2. Videndum eſt, an materia promiſſa ſit aliundè præcepta, quia tunc Commutatio debet eſſe minor; cùm quidem non eximatur vovens ab onere materiæ ponendæ, vel omittendæ. 3. Etiam attendi debet finis extollentia, & ideò plus ſubrogandum eſt ei qui vovit abſtinere à luſu ex fine vitandi rixas, aut blaſphemias, quàm ei qui idem vovit, ut parceret ſumptibus exceſſivis. 4. Multum confert ſpectare perſonarum conditionem, ſexum, diſpoſitionem &c. ſic pro eodem Voto, minor ſubrogan-

rreganda eſt peregrinatio, quàm viro robuſto, minor eleemoſyna pauperi, quam diviti; pauciora jejunia debili ac laboranti, quam otioſo & bene habenti; quia illa plus oneris & difficultatis afferunt primis quam ſecundis.

CONCLUSIO V.

AD commutandum Votum in melius, nulla requiritur cauſa: ad commutandum in æquale, requiritur aliqua; ſed ſufficit modica, ut eſt major voventis devotio: ad commutandum autem in minus (quod non licet niſi admiſcendo aliquid diſpenſationis) requiritur major, ſed minor quam ad diſpenſandum, cùm diſpenſatio tollat omnem obligationem commutatio in minus, non niſi partem. Hæc habentur communiter tãquam certa. Sed difficultas eſt, an Commutatio in minus ſine rationabili cauſa non tantùm ſit illicita, quod admittunt omnes, ſed etiã irrita & nulla, ita ut remaneat obligatio prior integra? Negant aliqui volentes tantùm eſſe ſupplendum id quod deeſt ad ponendam æqualitatem inter rem promiſſam & ſubrogatam, ſed probabilius eſt oppoſitum: quia taliter commutans excedit ſuam poteſtatem, cùm illam non habeat niſi ut commutet in æquale, vel ſi in minus ratione poteſtatis diſpenſandi, non niſi ex juſta cauſa: unde non cenſetur Deus illam ratam habere, ſicut diximus de diſpenſatione data ſine cauſa ſufficienti.

Dices: Commutatio inæqualis in contractibus eſt valida, tantumque imponit onus ſupplendi defunctum: ergo & in Votis.

R. N. conſ. Diſparitas eſt, quod prima validetur à Jure ad vitandas lites: non ſic ſecunda à Deo, qui non dat facultatem Miniſtro excedendi ſuam poteſtatem.

§. V.

Quædam petitiones hanc materiam concernentes.

PEtes 1. An ſi Papa commutet peregrinationem Romanam in Lauretanam, hæc ſit reſervata.

R. N. quia reſervatio annexa eſt peregrinationi Romanæ, non Lauretanæ: poteſt quidem ſubrogatum ſapere naturam illius in cujus locum ſubrogatur, ut ajunt communiter Juriſconſulti, ſed non ſemper ſapit illius qualitatem extrinſecam maximè in odioſis, ut eſt Reſervatio.

Petes 2. An facultas commutandi Vota in Jubilæo ſe extendat ad Vota emiſſa poſt conceſſionem Jubilæi?

R. Affir. Imo & ad Vota emiſſa tempore Jubilæi. Ratio eſt, quia ubi litteræ Apoſtolicę nullum tempus diſtinguunt, nec nos diſtinguere debemus. Præterea peccatum reſervatum poſt conceſſionem commiſſum poteſt abſolvi; ergò & Votum poſt conceſſionem emiſſum commutari.

Petes 3. An qui non petiit Votorum Commutationem tempore Jubilæi, tamen opera explevit, poſſit illam deinceps obtinere à communi confeſſario?

R. N. quidquid dicant aliqui, quia poteſtas commutandi reſtricta eſt ad tempus Jubilæi, ut patet ex Bullis, & ſic tranſacto tempore, tranſit & eius poteſtas. Aliud eſſet; ſi Confeſſarius Pœnitenti Commutationem ex juſtà cauſa distuliſſet, quia ſicut poteſt ex cauſa peccatorum abſolutionem ultra tempus Jubilæi differre, ita Votorum Commutationem.

Petes 4. An qui obtinuit Votorum Commutationem tempore Jubilæi cum animo opera præſcripta adimplendi, teneatur ad prius Votum regredi, ſi illa negligat.

Reſ. N. Quia Commutatio, utpote abſoluta, ſtatim ſortita eſt ſuum effectum: aliud foret, ſi data fuiſſet ſub conditione operum adimplendorum. An autem peccet ille graviter opera negligens? videtur probabilius quòd non: quia recipiens Commutationem oſtendit quidem ſe habere animum opera exequendi, ſicut de facto habebat, non tamen obligationem ſibi impoſuit, aut à Confeſſario accepit.

Petes 5. An vovens, materia ſubrogata facta impoſſibili, teneatur priorem exequi?

R. N. Quia facta Commutatione, manet à priori omnino liber, & conſequenter ſi non poſſit ſubrogatam exequi, ad nullam tenetur; peccavit tamen ſi ejus culpa facta ſit materia impoſſibilis. Ità Malderus Wiggers & alii.

Petes 6. An qui poteſt commutare Votum, poſſit & pœnam ratione Voti tranſgreſſi debitam?

R. Affir. quia obligatio ad pœnam poſita culpa, v.g. ad jejunandum poſita blaſphemia, non eſt major obligatione Voti, quo quis abſolutè vovet jejunium, ut patet: ergo qui poteſt hanc obligationem commutare, poteſt & illam.

Petes 7. An poſſit quis Votum ſuum Religionis in Epiſcopatum commutare?

R. Neg. Patet ex Cap. 10. *De Voto*, ubi cogitur Epiſcopus Epiſcopatum abdicare, ut Religionem ingrediatur: eò quòd illam voviſſet ante ſucceſſionem Epiſcopatus.

Dices; Melior eſt ſtatus perfectionis acquiſitæ, quàm acquirendæ: atqui Epiſcopatus eſt perfectionis acquiſitæ & Religio acquirendæ: ergo.

R. Diſt. Min. Epiſcopatus eſt perfectionis acquiſitæ hoc ſenſu, quòd illam conferat ſuo ſubdito, N. hoc ſenſu, quod illam præſupponat in eo qui fit Epiſcopus, C. ſed cùm nullus præſumere poſſit ſe ſtatum illum acquiſiviſſe, ideo debet in illo caſu Religionem ingredi, ut in ea ſanctificetur adhuc, & de perfectione in perfectionem aſcendat.

Petes ult. An habens poteſtatem ordinariam aut delegatam ad commutandum, peccet recuſans commutationem petenti?

R. Affir. niſi juſtam cauſam habeat; quia cenſetur infidelis miniſter, cùm recipiens dictam facultatem ſe implicitè obligaverit ad illius uſum; ubi cauſa rationabilis afforet; quia tamen non deſunt alii, qui illud ſuppleant, non videtur defectus ille, ſecluſo gravi damno ſpirituali, aut tẽporali, eſſe pluſquã venialis.

DISPUTATIO TERTIA.

De Tertio Decalogi Præcepto.

TErtium Decalogi Præceptum (quod legitur Exodi 20, his verbis; *Memento ut diem Sabbathi ſanctifices*) partim naturale eſt, partim cæremoniale; naturale eſt inquantùm præcipit Deum aliquo tempore eſſe colendum: à natura enim edocti ſumus illum, qui noſtri principium eſt, & finis, aliquando cultu debito honorare: & certè ſi curando corpori, quidni & menti in Deo reficiendæ tempus aliquod deputaretur?

Cæremoniale eſt, in quantùm in memoriam diei ſeptimæ (qua Deus; conditis per ſex dies rebus omnibus, requievit ab opere) determinat certum diem ad cultum Deo exhibendum; quia natura non potiùs illa die, quàm alia dictat Deum colendum.

Præceptum hoc, in quantùm cæremoniale, per Legem Evangelicam antiquatum eſt, & abrogatum; & ideo Chriſtiani non diem Sabbathi, ſed Dominicum ſanctificant. Hæc autem obligatio Deum ſpecialiùs colendi, à die Sabbathi in diem Dominicum (quem Ethnici diem Solis vocant) translata eſt ab ipſis Eccleſiæ incunabulis, quandoquidem D. Jo. in ſua Apocalypſi cap. 1. dicat. *Fui in ſpiritu in Dominica die*, & tempore D. Pauli illo die convenirent Fideles ad Divina Officia, Verbum Dei, & Euchariſtiæ ſumptionem. unde Actorum 20. *Una autem Sabbathi.* Id eſt plurali hebræa, prima die poſt Sabbathum, *cum conveniſſemus ad frangendum panem, Paulus diſputabat cumeis.* Quod confirmat D. Auguſt. Epiſt. 89. ad Caſulanum; *Una Sabbathi*, inquit, *tunc appellabatur dies, qui nunc Dominicus appellatur.*

Utrum autem hæc translatio lege Divina, an Eccleſiaſtica facta ſit; diſputant Doctores: crediderim ego factam eſſe ab Eccleſia; quandoquidem dicat Aug. ſer. 251. de tempore *Dominicum diem Apoſtoli & Apoſtolici viri ideo religioſa ſolemnitate habendum ſanxerunt; quia in eodem Redemptor noſter à mortuis reſurrexit.* Ubi ly *ſanxerunt* ſatis denotat non fuiſſe Apoſtolos illius promulgatores, ſed inſtitutores. Præterea ſi Dominus, & non Apoſtoli illum inſtituiſſent, non dixiſſet tantùm Aug. allegans cauſam illius ſanctionis, *quia eodem die Redemptor noſter à mortuis reſurrexit*, ſed & præſertim: quia ſic ordinaverat, præceperat, diſpoſuerat &c: Chriſtus.

Porrò licet hoc præceptum in terminis ſit affirmativum, cùm præcipiat certum diem in Dei cultum ſanctificare; implicitè tamen eſt negativum, in quantum vetat eumdem profanare, & ideò quid pręcipiat quidve prohibeat conabimur breviter expedire.

QUÆSTIO I.

Quid præcipiatur die Dominico.

TOt circà hanc quæſtionem prodierint opiniones laxę, & rigidę, ut quid pręcisè practicare debeat Fidelis obligationi ſuæ ſatisfacturus, videatur incertum. Aliqui volunt teneri fideles toto die piis operibus vacare: alii poſt ſimplicẽ Miſſæ auditionem liberos dimittunt: hi etiam ad veſperas obligant, ſed an ſub levi vel gravi peccato? nihil determinant: illi ultrà ad *Miſſã* ſolemnem & concionem: ſed cũ dicant & non faciant, alios ſuę obligationis maximè incertos relinquũt. Imò volũt magis zeloſi peccare graviter audientẽ miſſam in ſtatu peccati: certè difficillimum eſt, & res plena periculi in tanta ſententiarum varietate mentem ſuam aperire. Attamen ne juvenes cõfeſſarios obligatio-

Digitized by Google

tionum Chriſtianarum arbitros relinquamus, ſingula quantùm poterimus, diſcutiemus.

CONCLUSIO I.

Congruit Chriſtianum exiſtentem in ſtatu peccati, ſtatum gratiæ ſibi per Confeſſionem, aut Contritionem perfectam procurare, ut aſſiſtat Miſſæ die Dominico, aut Feſto; non eſt tamen obligatorium, ſaltem ſub gravi peccato.

Prob. prima pars, quia congruit Chriſtianum, Chriſtianè ſeu meritoriè operari, ſed ubi non eſt gratia, non poteſt eſſe meritum: ergo. Deinde convenit offerentem minùs principalem ſe conformare offerenti magis principali, ſed hic, ſeu ſacerdos, debet eſſe in ſtatu gratiæ: ergo &c. Præterea cùm Sacerdote ſacrificium offerens debet & ſe ipſum offerre, oblatio autem immunda non poteſt eſſe Deo grata.

Prob. ſecunda pars, quia talis obligationis nullum legitur fundamentum, imo recepta potius Eccleſiæ praxis contrarium inſinuat, dum nec Confeſſarii hac de re pœnitentes interrogare, nec pœnitentes ſeipſos accuſare ſatagunt. Sciant ergo illi, qui ſic pro libitu præcepta multiplicant, ſe etiam multiplicare peccata; & ſub prætextu obſequii Deo præſtiti illaqueare animas innumeris peccatis.

CONCLUSIO II.

Non eſt etiam obligatio eliciendi præcisè in Dominica actus Fidei, Spei, & Charitatis. Eſt communis Ratio eſt, quod præceptum ut naturale eſt, præcipiat quidem Dei cultum, ſed indeterminatè, ideſt, non potius hoc modo, quàm illo, ut autem Eccleſiaſticum eſt, nullibi actus illos præcipit. Requirit quidem Doctor Subtilis 3. diſt. 27. q. 1. actum amoris Dei, ſed latè ſumptum, qualis eſt etiam pius in DEUM affectus, ſine quo non ſtat cultus Divinus; quia tamen actibus præfatis præſertim colitur DEUS, etiam præſertim illo die, quo ſpecialiùs Dei cultus præcipitur, ſunt à Fidelibus frequentandi.

CONCLUSIO III.

Præcisè ex vi cultus die Dominico præcepti non tenentur Fideles adeſſe Concioni, licèt ex alio capite poſſint obligari.

Prob. prima pars (quam multi impugnant ſpeculativè, pauci admodum practicè) quia nullum legitur Eccleſiæ decretum, nulla conſtitutio, nullum mandatum, nullave conſuetudo ad id obligans.

Dices 1. Trid ſeſſ. 24. cap. 4. de Reform. *Moneat Epiſcopus*, inquit, *populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commodè fieri poteſt, ad audiendum verbum DEI.*

Reſp. Concilium loqui de obligatione, quæ ineſt Fidelibus, non ad ſanctificationem Dominicæ; cùm loquatur de Concione, quæ non tantùm fit diebus Dominicis, ſed etiam tribus diebus per hebdomadam in Adventu & Quadrageſima, ſed in quantùm neceſſaria eſt ad cognitionem myſteriorum Fidei, ſalutis ſcientiam, notitiam præceptorum.

Dices 2. Catechiſmus Concil. Trid. p. 3. loquens de iis quæ fieri debent à Fidelibus diebus Dominicis & Feſtis, ait: *Attentè præterea, diligenterque ſacra Concio à Fidelibus eſt audienda.*

Reſp. Ibi non tantùm referri ea quæ fieri debent, ſed etiam ea quæ fieri convenit; cùm etiam inculcet infirmorum viſitationem, mœſtorum conſolationem &c.

Prob. ſecunda pars; quia ſi aliis diebus impediatur Fidelis ob laboritium, vocationem, officium &c. aut certè in loco domicilii non habeatur Concio, Exhortatio, aut Catechiſmus, niſi die Dominico, tenebitur illo die adeſſe, in quantum ipſi neceſſarium erit non tantùm ad ſufficientem myſteriorum cognitionem, ſed etiam ad debitam morum compoſitionem. Ratio eſt, quia qui obligatur ad finem, nempè ſalutem conſequendam, obligatur & ad media, ſine quibus non poteſt obtineri.

CONCLUSIO IV.

In his ſaltem partibus peccant, venialiter tamen, qui ſine ulla cauſa Veſperis adeſſe negligunt diebus Dominicis, aut Feſtis.

Prob. prima pars; quia vix ullus eſt timoratus in hoc Belgio Gallico, qui non apprehendat ibi aliqualem obligationem, ubi adeſt commoditas, ceſſatque omne impedimentum: undè parentes filios, magiſtri diſcipulos, heri domeſticos ad Veſperas urgent, abſentes negligentiam ſuam in Confeſſione exprimunt, illo tempore colludentes pueri corripiuntur, vendentes mulctantur; imò Lege Civili prohibetur ne tunc miſceantur pocula, aut compotatores recipiantur: quod ſignum eſt alicujus obligationis.

Prob. ſecunda pars; quia graviorem obligationem, nec Eccleſia conſuetudo introduxit, & ideò Fideles, etiam plebei diſtinguunt inter obligationem Miſſæ & obligationem Veſperarum.

CONCLUSIO V.

Omnes quantùm poſſumus in Domino exhortamur, ut diebus Dominicis & Feſtis adſint Miſſæ ſolemni; nullum tamen legimus præceptum quod ſit in vigore.

Ratio primæ partis eſt, quod ſit populis utiliſſimum, imò & nonnunquàm neceſſarius audire parochum docentem: jejunia & Feſta indicentem, proclamantem banna matrimonialia, Parochiæ neceſſitates, & pauperum miſerias exponentem; atqui hæc omnia fiunt inter Miſſarum ſolemnia: ergo. Accedit quod tunc ad Eccleſiam tota ferè confluat Parochia, ibique omnes per modum unius DEUM orent, laudent, invocent ipſique ſacrificium offerant; ubi autem vis unita, vis fortior.

Prob. ſecunda pars; quia quidquid reperitur in jure communi, Tridentino, Decretis Papalibus, ad ſummum inculcat obligationem Miſſam in Parochia propria audiendi; ſivè interim ſit privata, ſive ſolemnis, hocque confirmat praxis timoratorum, ſilentium parochorum, & conſenſus Epiſcoporum, qui non ſolent condemnare Parochianum, qui, audita Miſſa privata, adeſt Veſperis, Catechiſmo, aut Concioni, curatque diligenter Feſtorum, & jejuniorum notitiam ſibi comparare. Præterea dum in Eccleſiis Parochialibus celebrantur Miſſæ privatæ diebus Dominicis & Feſtis, tantùm abeſt ut claudatur Eccleſia, impediaturque acceſſus populi; ut è contra evocentur omnes per campanæ pulſum, licèt certò ſciatur aliam Miſſam non audituros.

CONCLUSIO VI.

Tenetur quilibet Fidelis uſum rationis adeptus audire Miſſam diebus Dominicis & Feſtis ſub gravi peccato. Patet tum ex cap. 26. & cap. 64. de Conſecratione diſt. 1. tum ex Traditione Apoſtolorum, Eccleſiæ antiquitate, conſenſu Doctorum & Fidelium conſuetudine. Unde hanc propoſitionem damnavit Innocentius XI. *Præceptum ſervandi Feſta non obligat ſub mortali ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.*

CONCLUSIO VII.

Qui legitimè impeditur die Dominico ab auditione Miſſæ, tenetur aliter diem illum colere.

Prob. 1. Ex Auguſt ſerm. 25. de temp. ubi ait: *Obſervemus diem Dominicum, Fratres, & ſanctificemus illum, ſicut antiquis præceptum eſt de Sabbatho.* Et infra loquens de iis qui non poſſunt venire ad Eccleſiam: *Qui vero hoc non poſſit, ſaltem in domo ſua oret, & non negligat Deo ſolvere Votum, ac reddere penſum Servitutis.*

Prob. 2. Ratione; quia Eccleſia quantùm ad ſanctificationem diei Dominicæ, non eſt inſtitutrix præcepti naturalis indeterminati quoad diem, & modum colendi; ergo licèt impotens adire Eccleſiam, ex vi præcepti Eccleſiaſtici præcisè, ad nihil aliud teneretur, obligatur tamen ex vi præcepti naturalis Deum aliquo cultu interno aut externo colere, ubi ſaltem huic naturali præcepto aliis hebdomadæ diebus non eſt ſatisfactum. Hinc

Reſol. 1. Cuſtodes ovium, excubias agentes, domi ex juſta cauſa remanentes, podagros, & alios hujuſmodi peccare graviter, niſi oratione, pia lectione, Roſarii recitatione, interno cordis affectu, peccatorum deteſtatione, aut aliter diem Dominicum ſanctificent: & de hac re neceſſariò monendi ſunt à Confeſſariis & Parochis fideles.

Reſol. 2. Eum, qui Miſſam & Veſperas neglexit, teneri ſub novo peccato, ubi obligationis ſuæ ſit memor, aliquo cultu diem illum ſanctificare, quia licèt præceptum ſanctificationis factum ſit illi impoſſibile, in quantùm Eccleſiaſticum eſt, non tamen inquantùm eſt Divinum naturale.

Reſol. 3. Non eſſe idem de Feſtis ac Dominicis, quia cùm pro Feſtorum ſanctificatione tantùm interveniat præceptum Eccleſiaſticum, & aliunde Eccleſia non injungat legitimè impeditis alia pietatis opera, non videtur culpandus peccati mortalis, qui ab Officiis Eccleſiaſticis legitimè impeditus, alio cultu diem Feſtum non ſanctificaret: ſuppoſito tamen quòd aliàs præcepto naturali Deum aliquo die ſpecialiùs colendi ſatisfecerit: quod ordinariè fit in Dominica.

CONCLUSIO VIII.

Licèt ex vi præcepti Eccleſiaſtici non peccaret graviter, qui die Dominica, audita Miſſa privata, otiosè tempus tereret, non tamen ſatisfaceret præcepto naturali conditionato de ſanctificatione illius diei. Hæc ſententia licèt non ita multos Caſuiſtas habeat patronos, eſt tamen veriſſima, & in Conciliis, Patribus, & ratione evidenter fundata.

Dixi: *Præcepto naturali conditionato*; quia præceptum naturale requirens aliquod tempus ad Dei ſervitium non magis afficit diem Dominicum, quàm alium, niſi ſub conditione hujus obligationis aliàs non impletæ.

Prob. ergo Concl. ex Conc. Maſticonenſi 2. ſub Pelagio II. Can 10. *Sint oculi, manuſque veſtræ toto illo die* (nempe Dominico) *ad Deum expanſæ.* Turonenſi Can. 4. *Die Dominico oportet omnes Chriſtianos in laude Domini, & gratiarum actione uſq; ad veſperam perſeverare.* Item ex Conc. Norbonenſi, Aquenſi, Avenionenſi, Bituricenſi, Burdigalenſi, ubi oſtenditur debere Chriſtianum hymnis, canticis, orationibus, aſſiſtendo Divinis myſteriis, Veſperis, Concioni, &c. diem Dominicum tranſigere: quibus ſatis declarant non ſufficere cultum ſemihoræ ad ſanctificationem diei integræ.

Prob. 2. Ex Patribus, Clemente 1. lib. 2. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap 63. *Quam excuſationem adferre poteſt Deo, qui hoc die non convenit ad audiendum ſalutarem de Reſurrectione ſermonem. . . in quo Prophetarum lectio habetur, & Euangelii prædicatio, & Sacrificii oblatio &c.* Juſtino martyre Apologia 2. pro Chriſtianis, ubi eadem ferè profert. Ex quibus patet in primitiva Eccleſia ad diei Dominicæ ſanctificationem uſurpatam fuiſſe Orationem, Concionem, Scripturæ lectionem, Miſſarum ſolemnia &c & quamvis fortè illa omnia non caderent ſub præcepto: tamen palpabiliter oſtendunt alium fuiſſe omnino mentem primorum Fidelium circa Dominicæ ſanctificationem, ac Caſuiſtarum hujus temporis, cùm hi vix ſemi-horam, illi autem vel totum diem moraliter, vel certè magnam diei partem requirerent. Juvat hic etiam proferre reſponſum Nicolai I. ad Conſulta Bulgarorum cap. 10. & 11. *A labore terreno ceſſandum, atque omni modo* (nota) *Orationibus inſiſtendum, ut quod negligenter per ſex dies agitur, per diem Reſurrectionis Dominicæ precibus expietur.*

Prob. 3. Ratione; quia in rei veritate non poteſt dici diem aliquam ſanctificare, qui ad ſummum quadrageſimam octavam illius partem ſanctificat: ergo qui ſolum Miſſam privatam audit in Dominica, Dominicam non ſanctificat.

Confir. 1. *Illa dicuntur ſanctificari in Lege, quæ Divino Cultui applicantur*, inquit D. Th. 2. 2. q. 122 art. 4 ad 3. ſed qui totum diem Dominicum impendit otio, nugis, ludis, & ſimilibus, excepta parte minima, non applicat illum cultui divino: ergo nec ſanctificat.

Confir. 2. Non cenſeretur ille natalem Regis celebrare, qui, data recreationi ſemihora, reſiquum diei tempus inſumeret in ſtudiis, negotiis, epiſtolis ſcribendis &c. ergo nec in noſtro caſu diem Dominicum ſolemnizate, qui, audita brevi Miſſa, quærit potius illum violare, quàm ſanctificare.

Dices 1. Sanctificatur totus dies per abſtinentiam integram ab opere ſervili.

Reſp. Sanctificationem illam eſſe merè negativam, ultra quam, etiam ſecundum Adverſarios, requiritur realis & poſitiva, quam apertè denotat verbum *ſanctifices*.

Dices 2. Dominica ſucceſſit loco Sabbathi, ſed Sabbathum ſignificat requiem: ergo Dominicam ſanctificat, qui toto die quieſcit.

Reſp. Diſt. Min. Significat requiem otioſam, N. requiem in Domino, qualem habent Sancti in Sabbatho æterno, ſeu Beatitudine, ubi continuò in Deum feruntur, C.

Dices 3. Eccleſia cultum Dominicæ indeterminatum determinavit ad ſolam Miſſam.

Reſp. Diſt. Ant. Determinavit, ideſt, obligavit ad ſolam Miſſam determinatè, tranſeat, ideſt, liberavit ab aliis pietatis operibus, N. præcepit ergo determinare Miſſam, ſed quantùm ad alia, permittit ut per hæc vel illa ſatisfaciamus præcepto naturali, licèt invitet ad officia publica, puta Miſſam ſolemnem, Concionem, & Veſperas, ad quas, ſaltem in his locis, etiam ſub veniali obligat.

Dices 4. Non poteſt determinari quantum temporis in ſanctificatione Dominicæ ſit impendendum: ergo meritò determinatur ad tempus Miſſæ.

Reſpondet Juenin tom 5. pag. 15. toto die piis operibus eſſe vacandum, ſed hoc nec phyſicè, nec moraliter poteſt intelligi: aliàs vix unus Chriſtianus obligationi ſuæ ſatisfaceret: crederem ego non eſſe condemnandum illum, ſaltem gravis peccati, qui ultra preces manè & veſperè recitari ſolitas, Miſſam attentè & reverenter audiret, ac poſtea Veſperis intereſſet, aut certè tempus Veſperis æquivalens orando, meditando, aut aliquid pium legendo inſumeret, quia Eccleſiæ Prælati, etiam maximè timorati, non videntur plus exigere.

Replicabis: Saltem ſola Miſſa contentus tantùm peccabit venialiter; quandoquidem obligatio intereſſendi Veſperis ſit levis.

Reſp. Neg. Aſſump. Ad prob. dico, obligationem illam eſſe levem, ſi aliunde ſatisfactum ſit præcepto naturali de ſanctificando Dominico, aliàs gravis eſt.

QUÆSTIO II.

Qualis requiratur præſentia ad debitam Miſſæ auditionem?

De Triplici præſentia poteſt eſſe quæſtio, nempè de morali, Religioſa, & integra, ſeu ad integram Miſſam; & ideò de hac triplici dabitur triplex reſolutio.

CONCLUSIO I.

Ad debitam Miſſæ auditionem requiritur præſentia moralis, ſeu ita quis debet adeſſe, ut humano modo cenſeatur præſens Sacrificio. Ratio eſt; quia auditio Miſſæ debet eſſe actus humanus, cùm non niſi talem præcipiat lex, ut autem quis humano modo audiat, aut aliqualiter percipiat, debet eſſe moraliter præſens. Hinc

Reſol. 1. Cæcos & ſurdos poſſe, adeòque teneri Miſſam audire, cùm poſſint eſſe moraliter præſentes, ſi nempè ſint in loco, undè, ſenſibus reſtitutis, poſſint audire, videre, aut percipere quid in Miſſa agatur.

Reſol. 2. Exiſtentem in oratorio anteriori, aut poſteriori, doxali, camera Eccleſiæ annexa, domo ſæculari per cancellos aut feneſtram templo contigua, eſſe moraliter præſentem, ſi inde quovis modo percipere poſſit actionem Sacrificii. Sed quid ſi inter domum & Eccleſiam mediaret via publica exiguæ diſtantiæ? etiam erit ſufficienter præſens, ſi inde plenè advertat quid in Miniſterio agatur, independenter ab aſſiſtentium multitudine: & certè, ſi videntes ipſum genuflectentem, & ad Altare reſpicientem, interrogarentur quid ille ibi ageret? reſponderent unanimiter Sacrum audire, quod ſignum eſt præſentiæ moralis.

Dixi: *Independenter ab aſſiſtentium multitudine*; nam ſi tantùm ex eo, quòd illi ſurgant, genuflectant, pectus percutiant &c. colligat actionem Sacerdotis, non cenſetur moraliter præſens, niſi multitudini conjungatur.

Reſol. 3. Etiam moraliter adeſſe exiſtentem poſt Altare, poſt columnam, imò extra Eccleſiam non omnes capere ſufficientem, ſi ex ſignis aliorum, quibuſcum facit unicam multitudinem, advertere poſſit quid agat Celebrans.

Reſol. 4. Ebrium aut dormientem non audire Miſſam, cùm aſſiſtat materialiter tantùm, non moraliter: aliud eſſet de eo qui in extaſim raperetur, aut vi contemplationis abſorberetur in Deo; quia ille nobiliorem habet attentionem & præſentiam.

Reſol. 5. Non ſufficere aſſiſtentiam illius, qui peccata confitetur; quandoquidem illo tempore non cenſeatur moraliter præſens Sacrificio: undè tantùm illum excuſare poteſt aut Confeſſionis brevitas, aut illo tempore confitendi neceſſitas; non autem ſola commoditas, ut volunt aliqui.

Reſol. 6. Pauculo tempore occupatum in pulſanda campana, quærendo vino, excitando turribulo &c. cenſeri toti Miſſæ moraliter præſentem; quia illa ad actionem Sacrificii aliqualiter pertinent.

CONCLUSIO II.

Requiritur etiam ad legitimam Miſſæ auditionem præſentia Religioſa, quæ ultra præſentiam moralem, importat quòd quis ibi aſſiſtat, etiam interius, per modum Deum colentis, aut laudantis.

Ratio eſt; quia talis debet eſſe præſentia, qualis eſt actus ad quem ordinatur, ſed auditio Miſſæ eſt actus Religionis: ergo & præſentia debet eſſe Religioſa.

Dixi: *Quòd quis ibi aſſiſtat etiam interius*; nam *veri adoratores*, inquit Chriſtus, *adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate*: unde qui Deo cultum exhibet exteriorem ſine interiori, Judæus eſt, non Chriſtianus; & ideò Trid. ſeſſ. 22. in Decreto de obſervandis &c. *Ne patiantur . . ſacrum hoc Sacrificium peragi, niſi prius qui interſunt, compoſito decenter corporis habitu, declaraverint ſe mente etiam ac devoto cordis affectu, non ſolùm corpore adeſſe.* Præterea oratio externa ſine interiori, ſimulacrum eſt orationis, non oratio, quam tamen hic requirit Eccleſia, ſicut in Horis Canonicis. Vide dicta ibidem. Unde hanc propoſitionem tanquam abſonam, Verbo Dei contrariam, inducentem hypocriſim proſcripſit Clerus Gallicanus anno 1700. *Præcepto Eccleſiaſtico orandi ſatisfacit, qui voluntariè labiis tantùm, non autem mente orat.* Sicut & ſequentem durioribus cenſuris: *Eidem præcepto ſatisfacit per reverentiam exteriorem tantùm, animo licèt voluntariè in aliena, imò & prava cogitatione defixo.* Hinc

Reſol. 1. Tempore Miſſæ confabulantes, corridentes, hinc inde reſpicientes, tabulas, epitaphia, picturas, vitra, ornamenta &c. luſtrantes, ultra peccatum irreverentiæ, non ſatisfacere præcepto Eccleſiaſtico, etiam in ſententia laxiori attentionem internam non requirente.

Reſol. 2.

by Google

Reſ. 2. Venientem ad Eccleſiam præciſè ut expectet amicum, aut amaſiam, aut comitetur herum, conducat nobilem matronam, aut puellam, honoret pompam funebrem, videat quid in Templo agatur, quæ perſonæ conveniant, Miſſam non audire, defectu aſſiſtentiæ Religioſæ, ad quam requiritur intentio orandi, aut Deum laudandi.

Reſ. 3. Etiam voluntariè diſtractos non ſatisfacere, unde vel debent aliam Miſſam audire, vel certè peccant graviter. Quantum verò temporis debent internè vel externè diſtrahi, ut incurrant peccatum mortale? dicendum eſt ſufficere, quod æquivalet omiſſioni partis notabilis, de qua concl. ſeq. Porrò optima attentio, eſt ad ſenſum & myſteria per actionem Sacrificii repræſentata, maximè verò ad Chriſti mortem & Paſſionem, licèt ſufficiat attentio ad verba & actiones Sacerdotis, imò attentio generalis ad Dei cultum: expedit tamen, ut legens librum, aut recitans Roſarium, paululum deſinat, ut principalioribus Sacrificii partibus, putà Oblationi, Conſecrationi, & Sacramenti ſumptioni magis ſe attentum exhibeat. Quæri poſſet hìc, an liceat tempore Miſſæ pœnitentiam Sacramentalem; Horas Canonicas, aut quid ſimile obligatorium recitare? Sed quia actiones illæ non ſunt incompatibiles, reſpondet ſententia communior affirmativè, in tractatu de Legibus, ubi legitur, quod licèt ad ſatisfaciendum obligationi Miſſæ audiendæ requiratur intentio Miſſam audiendi, non tamen intentio ſatisfaciendi præcepto; & ideò audiens ſacrum ignorans eſſe Feſtum, non tenetur aliud audire, ubi Feſtum eſſe comperit.

CONCLUSIO III.

REquiritur ulterius præſentia integra, ſeu ad integram Miſſam. Patet ex c. 64. de Conſecrat. diſt. 1. ubi ex Conc. Agatenſi c. 31. ſic ſtatuitur. *Miſſas die Dominico ſæcularibus totas audire ſpeciali ordinatione præcipimus; ità ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præſumat.* Item ex c. 65. ubi ex Conc. Aurelian. prohibetur ne populus ante benedictionem Sacerdotis à Miſſa recedat, hocque confirmat praxis Eccleſiæ univerſalis. Hinc

Reſ. 1. Peccare graviter omittentem partem Miſſæ notabilem. Eſt autem pars notabilis, ſecundùm D. Antonin. & Doctores communiter, ipſa Conſecratio, ſicut & tertia pars Miſſæ, ità ut qui Conſecrationem omittere, vel dicto Euangelio adveniret, aut ante Communionem recederet, Reus eſſet peccati lethalis; leviter autem delinqueret, ſi ante Euangelium; aut peracta Communione egrederetur.

Reſ. 2. Exeuntem tempore *memento*, etiam ad quadrantem producti, tantùm peccare venialiter, quia ſecundùm ſe eſt quid leve, & ſolùm ex devotione indiſcreta celebrantis tamdiu productum.

Reſ. 3. Serius accedentem ad ſacrum, ubi unicum eſt, teneri reliquum audire; etiamſi peracta ſit conſecratio; quia ſi carens Breviario teneatur id recitare quod novit memoriter, licèt tantùm foret quinta aut ſexta pars Officii, quidni & in noſtro caſu quod reſtat ex Miſſa audire.

Reſ. 4. Audientem ſimul duas Miſſæ medietates à duobus Sacerdotibus, quorum unus eſt in Introitu, alter circa conſecrationem; non ſatisfacere præcepto, licèt per intentionem utramque partem referat ad audiendam Miſſam integram. Ratio eſt; quia Miſſæ auditio eſt ens ſucceſſivum, cujus implicat partes eſſe ſimul, ſed neceſſariò una ſuccedit alteri: unde hanc propoſitionem damnavit Innoc. XI. *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro qui duas ejus partes, imò quatuor ſimul à diverſis Celebrantibus audit.*

Reſ. 5. Contra quoſdam obligationum Chriſtianarum arbitros, obligatum ad tres Miſſas, unam ex voto, ſecundam ex pœnitentia, tertiam ex præcepto, nullatenus ſatisfacere, ſi ſimul & ſemel illas audiat à tribus Sacerdotibus eodem tempore celebrantibus; quia certum eſt non eſſe talem voventis, aut Confeſſarii intentionem, ſed ut tres ſucceſſivè audiat, ſicque diutius oret, diutiuſque in Eccleſia moretur.

R. 6. Etiã probabilius non ſatisfacere præcepto Eccleſię audientem Miſſam à Conſecratione ad finem ab uno Sacerdote, & poſtea ab Introitu ad Conſecrationem ab altero. Ratio eſt; quia tenemur ex præcepto Eccleſiæ audire Miſſam integram, ut patet ex concluſione; atqui medietates illæ non integrant unam Miſſam, unum ſacrificium, cùm non ſint partes ejuſdem ſacrificii, ſed diverſorum, nec una pars ordinetur ad aliam: ergo propriè non audit integrum ſacrificium: & ita tenent Suar. Toletus, Azorius, Conink, Lugo & alii.

Dices 1. Licèt medietates illæ non faciant unum in ratione ſacrificii, faciunt tamen unum in ratione obſequii ab Eccleſia requiſiti.

R. Obſequium ab Eccleſia requiſitum eſſe auditionem ſacrificii integri, quod non fit in noſtro caſu; quandoquidem non ſit in poteſtate audientis ordinare partem Miſſæ prioris, ad partem Miſſæ ſubſequentis, cùm de ſe non ſint ad invicem ordinabiles.

Dices 2. Auditionem Miſſæ per medietates ſucceſſivas tolerat Eccleſia, cùm damnando auditionem per medietates ſimultaneas, hanc non tetigerit.

R. Eccleſiam damnando unam propoſitionem nullatenus authorizare aliam, etiam ad examen propoſitam, cùm expreſsè dicat; *Nolumus tamen per hoc approbare alias hic non condemnatas.*

QUÆSTIO III.

Quæ cauſę excuſent ab auditione Miſſæ.

QUatuor ordinariè aſſignantur ab Authoribus, nempè Charitas, Officium, Impotentia, Conſuetudo.

CONCLUSIO I.

EXcuſat charitas ab audienda Miſſa, quando concurrit præceptum Miſericordię, aut Dilectionis ſive corporalis, ſive ſpiritualis graviter obligans. Ratio eſt; quia cũ tunc concurrat duplex præceptum: humanum unum, naturale alterum, ubi utrumque non poteſt impleri, debet naturale præferri. Hinc

Reſ. 1. Potentem ſua præſentia impedire latrones, agrorum devaſtatores, incendiarios &c. poſſe, & debere à ſacro abeſſe.

Reſ. 2. Teneri aliquem, relicta Miſſa, manere apud rixantes, ſi prævideat aliquem occidendum, aut graviter lædendum: idem dic, ſi prævideat perjuria, aut blaſphemias, quas præſens poteſt impedire.

Reſ. 3. Idem eſſe de cuſtode infirmi, ſi hic non poſſit ſine periculo gravis detrimenti ſolus relinqui, nec ſit alter qui curam illius habeat. Et hoc etiam militat pro matribus, aut matricibus reſpectu infantium, quos non expedit ad Eccleſiam deferre, nec ſolos domi relinquere.

Reſ. 4 Non excuſari puellam, quæ novit ſe ab adoleſcente perditè adamari, cùm poſſit tempus prævenire, ſe velare, aut aliter ejus peccatum impedire. imò etſi certò ſciret adoleſcẽtem peccaturum, non teneretur Miſſam relinquere; quia cùm non ſit illi ſcandalum activum, ſed merè paſſivum, non obligatur ob ipſius malitiam Sacrum perdere: poſſet tamen domi remanere, ſi vellet; quia rationabiliter præſumere poſſet nolle Eccleſiam in illa circumſtantia obligare.

CONCLUSIO II.

ETiam excuſat quandoque Officium ab auditione Miſſæ. Ratio eſt, quòd Officium obliget interdum ad certa munia, quæ non poſſunt omitti ſine gravi injuſtitia, adeoque ſine violatione juris naturæ; & ideò ubi illa cum auditione Miſſæ ſunt incompatibilia, præcepto naturali cedat præceptum Eccleſiaſticum, neceſſe eſt. Hinc

Reſ. 1. Nec teneri, nec poſſe milites pro audienda Miſſa ſtationem deſerere, vigiles excubias, pugnantes certamen, duces exercitum periclitantem &c. quia inde grave immineret detrimentum bono communi.

Reſol. 2. Idem eſſe de cuſtodibus ovium, bubulcis, operariis, & aliis hujuſmodi, qui operarum pagi curam gerunt, ſi juſta communitatis neceſſitas id exigat: non video tamen ego, cur non poſſent diebus Dominicis & Feſtis pecora in ſtabulis contineri, donec peracta ſit Miſſa, quam ideò poſſent Parochi citius inchoare.

Reſ. 3. Poſſe aliquem de familia domi remanere, ſi tempore Sacri meritò apprehendantur ſures, hoſtes, milites &c. limita tamen, niſi in Parochia vicina non potuerit ante Miſſam audire: unde inter ſe convenire deberent Parochi vicini, ut unus citius, alter ſerius Miſſam celebraret; & ſic Parochianorum utilitati conſuleretur.

Reſolut. 4. Excuſari à Miſſa laborantes in fuſuris vitrariis, aut ferrariis, ubi ſemel accenſa fornace non poſſunt, præſertim Feſtis per Hebdomadam currentibus, à laboribus abſtinere ſine gravi detrimento: debent tamen, ſi fieri poſſit, ſibi invicem ſuccedere, ut non niſi urgente neceſſitate Miſſa omittatur.

Reſ. 5. Famulos & ancillas ab heris tempore Miſſæ occupatas excuſari quidem, non tamen excuſari ipſos Dominos, ſi impedimentum non ſit legitimum. Imò nec excuſabuntur famuli aut ancillæ, ſi poſſint alibi ſine gravi incommodo de miniſterio ſibi providere.

CONCLUSIO III.

EXcuſat ſimiliter ab auditione Miſſæ impotentia ſive ſpiritualis, ſive naturalis, ſive moralis.

Ratio eſt; quia, ut habet regula 6. Juris in 6. *Nemo poteſt ad impoſſibile obligari*, ſive, ut legitur lib. 50. ff. tit. 17. l. 145. *impoſſibilium nulla eſt obligatio*; & ideò

Reſ. 1. Excuſari Fideles ratione impotentiæ ſpiritualis, ſi nullus adſit Sacerdos, niſi interdictus, à Divinis ſuſpenſus, aut excommunicatus: & idem eſt, ſi parochianus ſit ipſemet excommunicatus, aut interdictus; quia id tantùm propriè poſſumus, quod ſine peccato poſſumus. Si cui tamen permiſſum eſſet tempore interdicti localis Sacro intereſſe, teneretur aſſiſtere; quia non tam eſt privilegium, quàm ablatio, aut ſuſpenſio impedimenti; interim tenetur excommunicatus, aut interdictus moralem diligentiam & ſubmiſſionem facere, ut abſolutus poſſit ſuis obligationibus ſatisfacere.

Reſ. 2. Excuſari ratione impotentiæ naturalis incarceratos, ligatos, domi per vim, aut ex juſto Superioris mandato detentos, navigantes in mari, lecto affixos, qui ultimi, etſi privilegium haberent audiendi Sacrum in Oratorio domeſtico, non tenentur illo uti, cùm nemo teneatur uti privilegio de ſe odioſo, Juri communi adverſo, reverentiæ Sacramenti non ita proportionato; excipe tamen, niſi benè habentes ſolerent in tali loco Miſſam audire; quia non eſt juſtū, ut habeant Sacellanum celebrantem dum poſſunt ad Eccleſiam pergere, & illum dimittant, dum non poſſunt domo exire. Item excuſantur degentes in locis Infidelium aut Hæreticorum, ubi non ſacrificatur, ſi ibidem commorandi juſtam cauſam habeant, aliàs tenentur ad partes Catholicorum remeare, ſuntque in continuo peccato mortali, ſi diutius ibi maneant. Eſt autem juſta cauſa converſio animarum, Reipublicæ neceſſitas, aut magna utilitas. Item ſi mercator non poſſit alibi, unde familiam ſuſtentet, lucrari: cavendum tamen ne mentiatur iniquitas ſibi, & dum corporalia quæruntur, anima detrimentum patiatur.

Reſ. 3. Similiter excuſari ratione impotentiæ moralis, qui non poteſt Sacrificio intereſſe ſine gravi detrimento vitæ, honoris, aut bonorum fortunæ, eoque ſundato, & non chimerico. Exempla primi generis ſunt: ſi ob rixas aut inimicitias timeas homicidium, aut quid ſimile; ſi convaleſcens juſtè apprehendas recidivam, aut adhuc infirmus, ne morbum ingraveſcat; ſi non poſſis eſſe in Eccleſia aut Sacello ſine periculo peſtis. Exempla ſecundi generis ſunt, ſi puella honeſta, ſed ex fornicatione gravida, non poſſit exire niſi ſe prodat & infamet. Addunt aliqui ſi perſonis nobilibus deſint veſtes ſuo ſtatui decentes; ſed præcipua nobilitas eſt vita Chriſtiana. Tertii generis ſunt, ſi propter fures aut hoſtes non poſſit domus deſeri; ſi cui non expediat perdere viæ comites propter periculum latronum aut ſicariorum. Propter lucrum ex contractu, venditione, aut negotiatione excuſationem non admittimus; cùm equidem illa diebus Dominicis & Feſtis ſint prohibita. Item excuſantur qui non poſſunt venire ad Eccleſiam ſine gravi difficultate, aut moleſtia prudentis arbitrio dijudicanda, habita ratione perſonarum, ætatis, itineris, aquarum, tempeſtatis &c.

CONCLUSIO IV.

EXcuſat denique conſuetudo, ſi ſit legitima & à timoratis recepta: ſic excuſantur mulieres, quæ poſt partum aliquibus diebus continentur, etſi benè habeant. Item aliquibus in locis viduæ nobiles ob mariti mortem: ſed longè melius eſſet, ſi ad Eccleſiam pergerent pro anima mariti ſacrificium oblaturæ: interim certum eſt, ſi propter alia domo egrediantur, nullatenus à Miſſa excuſari.

QUÆSTIO III.

Quid prohibeatur in die Dominica?

QUoniam de variis poteſt eſſe quæſtio, ideò commodiùs hanc quæſtionem per varios articulos ſolvemus.

ARTICULUS I.

Quid dicendum de peccato die Dominica patrato?

CONCLUSIO I.

CErtum eſt magis eſſe familiare Chriſtianis peccatum diebus Dominicis & Feſtis, quàm feriatis. Hujus concluſionis veritatis pudere debet Chriſtianos.

Prob. 1. Ex Script. Malachiæ 2. ubi exprobratio facta olim Judæis, fit & nunc Catholicis: *Diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemnitatum veſtrarum*: ubi dicit Deus: *ſolemnitates veſtras*, non *meas*, quaſi exprobret: *Vos ſolemnitates vobis, veſtris voluptatibus, veſtræ libidini, veſtræ gulæ conſecratis, non mihi nec meo cultui*.

Prob. 2. Ex Cyrillo Alex. l. 8. in Joann. c. 5. *Idne eſt, ò Chriſtiani, celebrare diem Feſtum, indulgere ventri & inconceſſis voluptatibus habenas laxare.... diebus ad exercenda opera ſervilia conceſſis unuſquiſque ſuo intentus eſt operi, & abſtinet à crapula, ludis, & vanitatibus; diebus autem feſtis paſſim concurritur ad cauponam, ad ludos, ſpectacula, & choreas in irriſionem divini Nominis, & Diei prævaricationem*.

Prob. 3. Infelici experientia qua videmus homines per ſex dies honeſto labori detentos, totum ferè diem Dominicum unicè pietati & Chriſtianæ ſanctitati deſtinatum, diſſolutionibus, aleis, chartis, rixis, contentionibus, ebrietatibus, blaſphemiis, luxuriæ &c. conſecrare: unde diceres potius eſſe ſolemnitatem diaboli, quàm Dei. Hinc

Reſ. fortiter inclamandum eſſe paſtoribus & concionatoribus contrà hunc abuſum in dies ingraveſcentem, qui nos & ſolemnitates noſtras reddit Deo odibiles, & fratribus noſtris ſeparatis ridiculos.

CONCLUSIO II.

GRavius eſt peccatum commiſſum die Dominico, quàm die feriato. Ità expreſsè S. Cyrillus Alex. ſup. Alexand. Alenſis, D. Th. D. Bonav. D. Antoninus, & plurimi alii tum antiqui, tum moderni; imò abſtrahendo an circumſtantia diei graviter vel leviter aggravet, ut nunc facimus, poteſt dici communis.

Prob. 1. Concl. ex Synodo Lingonenſi; *Gravius peccat qui peccat in die Feſto, putà furatur, fornicatur, quàm qui in aliis diebus hoc facit*. Quid clarius & expreſſius pro ſententia noſtra?

Prob. 2. Ex D. Th. 2. 2. q. 122. art. 4 ad 3. *Opus ſervile dicitur à ſervitute; eſt autem triplex ſervitus, una quidem qua homo ſervit peccato.... alia verò ſervitus, qua homo ſervit homini.... tertia autem ſervitus Dei: opera ſervilia, quæ dicuntur ſervilia 1. vel 2. modo contrariantur obſervantiæ Sabbathi*.

Prob. 3. Quia licèt peccatum non adverſetur præcepto, magis tamen adverſatur fini præcepti, quàm opus ſervile, cùm longè magis retrahat à cultu Divino: undè Catechiſm. Conc. Trid. p. 3. num. 17. *Facilè perſpici poteſt omne ſervilis operis genus prohiberi, non quidem ea re quòd ſua natura aut turpe, aut malum ſit, quia mentem noſtram à Divino cultu, qui finis præcepti eſt, abſtrahit, quo magis peccata à Fidelibus vitanda ſunt, quæ non ſolùm animam à Divinarum rerum ſtudio avocant, ſed nos à Dei amore prorsùs ſejungunt*.

Prob. 4. Omnia peccata in loco ſacro commiſſa, etſi illum non polluunt, nec ab Eccleſia ibidem fieri prohibeantur, induunt tamen malitiam ſacrilegii, ſaltem veniale, ut tenet communior ſententia, quia repugnant ſanctitati loci; atqui peccata in die Dominico patrata repugnant ſanctificationi diei: ergò induunt novam aliquam malitiam, ſicque fiunt graviora.

CONCLUSIO III.

QUi peccat graviter die Dominico aut Feſto, non committit duplex peccatum in Confeſſione neceſſariò exprimendum, V. Gr. unum fornicationis, & aliud ſacrilegii mortalis reſpectu diei profanatæ. Eſt ſententia Doctorum communiſſima, univerſalis timoratorum praxis, & immemorialis Confeſſariorum uſus, qui nunquàm fuerunt ſolliciti à Pœnitentibus inquirere, an die Dominico, aut feriato peccaſſent?

Prob. Ubi nullum eſt præceptum, ibi nullum eſt peccatum, ut patet ex definitione peccati; ſed nullum eſt præceptum Naturale, Divinum, aut Eccleſiaſticum graviter obligans ad non peccandum ſpecialiter die Dominico, aut Feſto: ergo. Prob. mi. non quidem Naturale, quia non dictat ratio naturalis quodlibet peccatum in Eccleſia commiſſum eſſe grave ſacrilegium; ità nec à fortiori commiſſum in Dominica: non etiam Divinum; quia ſicut Deus prohibendo Judæis opus ſervile in Sabbatho, non prohibebat per hoc ſpecialiter peccatum, ita nec prohibet Chriſtianis in die Dominica, quæ tantùm ex inſtitutione Eccleſiæ ſucceſſit in locum Sabbathi: non denique Eccleſiaſticum; quia nullibi vel umbra talis præcepti oſtendi poteſt: ergò immeritò imponitur ſuper humeros Chriſtianorum onus illud grave.

Obj. 1. *Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*, Jo. 8. ergò peccatum tanquàm opus ſervile eo die prohibitum eſt.

R. Peccatum eſſe opus ſervile impropriè & ſimilitudinariè, non autem propriè & realiter: *Opera enim corporalia* (inquit

D. Th:

D. Th. 2. 2. q. 122 art. 4. ad 3.) *Ad ſpiritualem Dei cultum non pertinentia in tantum ſervilia dicuntur, in quantùm propriè pertinent ad ſervientes; in quantùm verò ſunt communia ſervis & liberis, ſervilia non dicuntur*: atqui peccatum commune eſt ſervis & liberis: ſervis & dominis, nobilibus & ignobilibus: ergo. Præterea peccatum non contineri ſub opere ſervili prohibito, evidentiſſimè patet ex Catechiſmo Concil. Trid ſuprà, ubi dicitur: *Facilè perſpici poteſt, omne ſervilis operis genus prohiberi, non quidem ea re, quod ſua natura aut turpe, aut malum ſit, ſed &c.* atqui peccatum ſua natura turpe & malum eſt: ergo non continetur ſub genere operis ſervilis prohibiti.

Objic. 2. Auguſt citatus à D. Th. ſup. variis locis aſſerit meliùs eſſe die Dominico lanam facere, quàm in theatrum prodire: ergo.

Reſp. Neg. Conſeq. indè enim nullatenùs probatur peccatum eſſe ſpiritualiter die Dominico prohibitum, ſed tantùm minus eſſe peccatum nere, aut arare in die Dominico quàm choreas, aut repræſentationes impudicas facere, quod veriſſimum eſt, cùm hæc jure naturali, illa tantùm poſitivo ſint vetita.

Objic. 3. D. Th. ſup. *magis contrà hoc præceptum agit*, inquit, *qui peccat in die Feſto, quàm qui aliud opus licitum facit.*

Reſp. Diſt. Aſſump. Magis contra hoc præceptum, ideſt, contra ſubſtantiam hujus præcepti, ideſt contra finem præcepti, inquantùm magis impedit vacationem rebus Divinis, quam opus ſervile, C. nec aliud intendit Doctor Angelicus, cùm immediatè antè dicat: *contrariantur obſervantiæ Sabbathi*, nempè peccata, *inquantùm impediunt applicationem hominis ad Divina*: jam autem cùm finis præcepti non cadat ſub præcepto, nec à fortiori cadunt illa, quæ finem illum impediunt, ſi non ſint contra ſubſtantiam præcepti.

Inſt. 1. Non tantùm peccata impediunt finem præcepti, ſed etiam executionem ejuſdem, nempè cultum Divinum.

Reſ. Cultum Divinum non eſſe executionem præcepti prohibentis opus ſervilè, per quod Adverſarii prohiberi peccatum volunt, ſed eſſe finem illius, cùm interdicatur homini opus ſervile, ut faciliùs vacet Deo.

Inſt. 2. Tenemur impedientia legis executionem tollere; ſed peccata ſaltem impediunt executionem præcepti obligantis ad cultum Divinum: ergo.

Reſ. 1. Poſſe fieri quod aliquis, ſanctificato die Dominico per auditionem Miſſæ ſolemnis, Concionis, Veſperarum &c. peccet, ſicque Cultum Divinum non impediat.

Reſ. 2. Minùs impediri cultum Dei per cognitionem impuram, de qua ſtatim pœnitet, quàm per ſtudium ſpeculativum trium aut quatuor horarum, & tamen hoc non prohibetur die Dominico aut Feſtu.

Reſ. 3. Peccatum impedire quidem, ut actus divinus ponatur cum magno affectu & ſpeciali devotione, non tamen quo minùs ponatur debitè; nam ſi poſſit Sacerdos, commiſſu peccatu, Horas ſuas debitè legere, ut nullus dubitat, quidni & Chriſtianus Miſſam audire, Veſperis intereſſe &c.

ARTICULUS II.

Quænam opera interdicantur diebus Dominicis & Feſtis?

SUppono 1. triplicis generis eſſe opera, nempè Servilia, Liberalia, & Communia. *Servilia* ſunt, quæ ex ſe famulatum quemdam habent, & non niſi ab iis, qui aliis inſerviunt, communiter fieri ſolent, ut fodere, arare, ædificare, ſuere & alia mechanica, quæ principaliter conſiſtunt in actione corporis; & ideo etiam *Corporalia* dicuntur. *Liberalia* ſunt, quæ non habent effectum materialem & corporeum, vel, ſi habent, is ad exercitandum vel inſtituendum animum principaliter ordinatur, ut docere, concionari, conſilium dare, cantare, organa pulſare, & quæ ordinariè ſunt actiones liberorum & dominorum. *Communia* ſunt, quæ dominis & ſervis, nobilibus & ignobilibus conveniunt, ut iter facere, piſcari, ludere &c.

Suppono 2. Opus ſervile, ex eo quòd fiat gratis ex recreatione, aut pia intentione, non deſiſtere eſſe ſervile, ſicut liberale factum propter lucrum, ex intentione vana, aut turpi, cum magno labore, deſatigatione &c. ſemper manet liberale: Ratio eſt; quia illa omnia nullo modo mutant naturam operis; & ideò ſi independenter ab illis ſint diebus Dominicis licita vel illicita, etiam cum illis remanent talia.

Suppono 3. Ad determinationem operis ſervilis multùm conferre uſum & conſuetudinem Patriæ; nam cùm operis ſervitus aut liberalitas ab hominum exiſtimatione depēdeat, quid de certis operibus communiter ſentiatur, inſpiciendum eſt.

Suppono 4. Non ita arctam eſſe prohibitionem operandi ſerviliter in die Dominico, aut Feſtu, quàm olim in Sabbatho; quia obſervantia Dominicæ non ſuccedit obſervantiæ Sabbathi ex vi præcepti legis Divinæ, ſed ex ſola Eccleſiæ conſtitutione. His poſitis

CONCLUSIO I.

OMnia illa opera interdicuntur die Dominico aut Feſto, quæ juxta Religionis conſuetudinem reputantur Servilia, ſi pauca excipiantur; quod addo. 1. Permittuntur opera coquinæ, ut ſunt, cibos parare, tortas, paſtillos, placentas &c. coquere animalia minora, ut pullos, aves, lepores occidere; non tamen majora, ut boves, vitulos, oves, quia quantum ad illa, niſi calor vehemens impediat, præveniendum eſt, ſicut & pro coctione panum, niſi certè populi multitudo, aut Feſtorum continuatio id exigeret. Item permittitur, propter majorem ſuavitatem, certorum fructuum, putà, fragrorum aut uvarum collectio. 2. Tolerantur illa, quæ pertinent ad domus nitorem, aut hominis decentem compoſitionem, ut lectum ſternere, loca verrere, leviter certa utenſilia lavare, veſtes purgare, corpori aptare, etſi ut rectè aptentur eſſet aliquid leve farciendum, aut ſuendum quod die præcedenti non fuit prævisum.

Prob. autem concluſio; quia operum ſervilium prohibitionem apertè declarat tum Eccleſiæ præceptum, tum praxis Fidelium, tum etiam conſuetudo univerſaliter recepta. Hinc

Reſol. 1. Vetita eſſe die Dominico aut Feſto omnia opera ruralia, ut arare, ſeminare, metere, fœnum ſiccare, arbores cædere, vineam colere, ſepem aptare &c. Patet ex Concilio Sueſſionenſi.

Reſol. 2. Non tantùm eſſe interdicta opera artis Lignariæ, Ferrariæ, Arariæ, Sartoriæ, Textoriæ, & aliorum hujuſmodi: ſed etiam Picturiæ: volunt quidem plurimi pictores artem ſuam eſſe liberalem, ſed cùm illius objectum ſit quoddam arte factum ſenſibile & externum, ut eſt opus artis ſculptoriæ, ſtatuariæ &c. tenet communis ſententia illius opera eſſe ſervilia, adeòque prohibita: non condemno tamen illos, qui permittunt ipſis delineationes, ſeu deſignationes, eò quòd magis videantur opera ingenii, quàm corporis; quamvis non ſuffraget illis; qui animi recreandi cauſa permittunt pingere.

Reſol. 3. Etiam prohibitum eſſe in auro vel argento cælare, ſigillum ſculpere, horologium facere &c. quia de facto, utpotè ad artem fabrilem ſpectantia, ſunt ſervilia.

Reſol. 4. Idem eſſe dicendum de impreſſione librorum, ſivè agatur de ordinatione characterum, quod negat Layman, ſivè de impreſſione eorundem ſupra chartam, quod concedunt omnes, quia utrumque eſt verè mechanicum & ſervile opus; quandoquidem litterarum ordinatio, nihil aliud ſit, quam fabricatio inſtrumenti mechanici ad opus mechanicum per inſtrumenta mechanica ordinati.

Reſol. 5. Etiam inhiberi venationem, piſcationem, & aucupium; ſi intermiſceantur opera ſervilia in tranſportandis, deponendis, trahendis retibus, magnis inſtrumentis & ſimilibus cum magno apparatu & gravi labore: hocque vetuit Concil. Turonenſe anno 1583. Ubi tamen excluditur labor & apparatus magnus (ut ſi quis animi relaxandi gratia piſcaretur arundine, aut levi inſtrumento, inſequeretur leporem cum uno aut altero cane, aucuparetur retibus exiguis extra Officiorum tempora) non videntur præfata condemnanda; eò quòd uſus illa permiſerit, ut ex communi Doctorum tenet Boudart.

Reſol. 6. Etiam fœminis interdicta eſſe opera textoria acupictilia, & alia hujuſmodi, ex Concil. Aquiſgranenſi cap. aa. addo ego & Monialibus certa opera apparenter pia, ut facere ſcapularia, texere chordulas, aptare Roſaria, conficere imagines cereas, ſericas, chartaceas, aut ex alia materia: cùm hæc opera ſint ejuſdem rationis cum prioribus. Nec dicant, eſſe opera devotionis; aliàs dicam ego licitum eſſe fabricare ſtatuam Salvatoris, imaginem ligneam B. V. Remonſtrantiam Vener. Sacramenti; cùm hæc magis; quàm illa ſint opera devotionis. Nec etiam allegent, quòd gratis operentur; cùm operari gratis, vel propter lucrum non variet rationem operis.

CONCLUSIO II.

ULtra ſervilia, quatuor alia prohibentur die Dominico, aut Feſtu c. 1. *De Feriis* nempè Mercatus, Placitum, Judicium criminale, & ſacramentum publicum. *Mercatus* tria comprehendit. 1. Nundinas ſolemnes, quæ ſemel aut bis in anno fieri ſolent variis in locis: has prohibet Jus commune diebus præfatis, licèt pluribus in locis illas introduxerit conſuetudo; quæ certè non eſt extendenda, ſed potiùs ab Epiſcopis & Magiſtratibus abroganda, & Nundinæ in diem Feriatum transferendæ. 2. Quaſi nundinas, gallicè *jour de marché*, ad quas conveniunt bis aut ter in hebdomada ruſtici, ſuburbani, & quædam aliæ perſonæ vulgares vendentes granum, herbas, radices, olera, pullos, ova &c. & hæ nullibi permittuntur diebus Dominicis aut Feſtis. 3. Sumitur pro qualibet emptione & ven-

Digitized by Google

& venditione, conductione, locatione, & ſimilibus, quæ cum præveniri poſſint, juſtè diebus præfatis interdicuntur.

Ab hac tamen regula excipiuntur, juxtà Juenin, parte 5. pag. 157. ruſtici, quibus non niſi die Dominico, aut Feſto ad urbem accedere valentibus vendi poſſunt neceſſaria, putà, calcei, veſtes, pilei &c. ſecretò tamen & ſine ſcandalo. Excipiuntur quoque peregrini, quibus varia deſunt pro conficiendo itinere ipſo die Feſto, aut immediatè poſt Feſtum. Item excipiuntur vendentes & ementes ea quæ ad victum quotidianum requiruntur, ut ſunt panis, vinum, cerevíſia, carnes coctæ, fructus, electuaria, & alia quæ legitima conſuetudine introducta ſunt.

Nomine *Placiti* intelliguntur ſtrepitus civilis & judicialis, & ideò non licet illo die partes audire, teſtes adducere, cauſam defendere, ſententiam ferre, imò omnia, vel ad formationem proceſſus, vel ad ſententiæ prolationem, facta, ſunt ipſo facto irrita; non prohibentur tamen actus extrajudiciales; & ideò poteſt Advocatus cauſam privatim examinare, clientem interrogare; poteſt Notarius partes litis tranſcribere &c.

Per *Judicium criminale* intelligimus ſententiam mortis, aut alterius pœnæ corporalis; ex cauſa tamen licet quandoque illo die ad mortem condemnare, ut ſæpè fit in caſtris, ubi ad aliorum terrorem ſtatim ſine proceſſu & ſententia ſuſpenduntur Rei: & idem eſt ſi fundatè timeant Judices, ne Juſtitia dilata injuſtè impediatur.

Sacramentum Publicum, eſt juramentum judiciale, quod die Feſto (niſi fiat cauſa pacis, aut magnæ neceſſitatis) ſemper eſt prohibitum, & idem eſt de extrajudiciali ad confirmationem contractus, non tamen in aliis caſibus, ut inaugurar etur Doctor &c.

ARTICULUS III.

ALia opera, ut animæ ſeu ſpiritualia, liberalia, ſicut & ſervis ac liberis communia non prohibentur die Dominico, aut Feſto.

Ratio eſt; quia non veniunt nomine operum ſervilium, nec aliundè leguntur alicubi interdicta. Hinc

Reſol. 1. Licere die Dominico exhortari, rudes inſtruere, Conciones diſponere, in qualibet ſcientia ſtudere, legere, diſputare, componere, Advocatos conſulere. Judices privatim informare, ad quælibet officia eligere; quia illa omnia ſunt animæ opera.

Reſol. 2. Nec prohiberi ſcriptionem, cùm ſit opus mentis ac locutio quædam permanens ordinata ad noſtram, aut alienam inſtructionem. Idemque videtur dicendum de tranſcriptione, quam aliqui mechanicam faciunt & ſervilem. Ratio eſt: quia eodem modo loquendum eſt de translocutione, ac de locutione; ſed licita eſt ſcriptio, quia eſt quædam locutio: ergo & tranſcriptio, quæ nihil eſt aliud niſi translocutio.

Adde quòd ſit opus liberis & ſervis commune: undè Romæ paſſim Copiſtæ Brevia aut Privilegia ſine ſcrupulo tranſcribunt; quod & facere poſſunt Notarii & Curiæ Officiales, imò & mercatores, empta & vendita de libro diurno ad communem transferentes: modò tamen Divinis Officiis intereſſe non negligant.

Reſol. 3. Licitum eſſe cantare, organis ludere, inſtrumenta muſica tangere, digladiare, exercitationes militares facere, copias luſtrare, imò & bellare; quia illa omnia vel de ſe, vel ſaltem ex conſuetudine non reputantur ſervilia.

Reſol. 4. Idem eſſe de itineratione, ſive fiat equo, ſive navi, ſive lectica, ſive rheda; quia non eſt opus ſervile, ſed omnibus commune & naturale ad corporis conſervationem, & ad negotia ubique peragenda ordinatum. Sed quid de conducentibus naves, currus, aut jumenta onuſta? ſervilibus occupari extra dubium eſt, ideò, niſi excuſet neceſſitas publica, conſuetudo, aut damnum notabile in diſcontinuando itinere incepto, peccant juxta materiæ gravitatem, aut levitatem.

ARTICULUS III.

Quæ cauſæ permittere poſſint operationem ſervilem in die Dominico, aut Feſto?

CONCLUSIO I.

EXcuſare poteſt laborantem operis modicitas.

Ratio eſt; quia in moralibus parum reputatur pro nihilo, & aliunde non impedit quò minus poſſimus debitum Deo cultum reddere: quod confirmat D. Antonin. part. 2. tit. 9. c. 7. §. 5. *Modicus receſſus à medio non tollit bonum virtutis .... ideò quòd aliquis in horto aliquid faciat parvum, ut obturando ſepem, vel evellendo malas herbas, vel ſuendo aliqua puncta veſtis diſſutæ vel caligæ, & hujuſmodi, non judicatur violator Feſti:* Unde non eſſet condemnandus, qui in horto ſuo plantam unam, aut alteram terræ infigeret, herbas ad breve tempus extraheret; peccaret tamen leviter, ſi ad unam horam laborem protraheret, & graviter ſi ad tres horas; imò ſi ad duas, ſi opus ſit valdè ſervile, ut fodere, lignum aut lapides cædere &c. & hoc etiam extendi debet ad illum, qui eodem die toties per modica intervalla laboraret, ut tandem labor notabilis conſtitueretur.

Dixi: *Eodem die;* quia diverſis diebus modicum laborans nunquam peccat mortaliter, eo quòd obligatio abſtinendi ab opere ſervili, ſit cuilibet diei affixa, & ideò tranſgreſſio unius diei non conjungitur cum tranſgreſſione alterius, ut patet etiam in jejunio, Horis Canonicis, &c.

CONCLUSIO II.

OPera ſervilia, quæ proximè ad Dei cultum pertinent, fieri poſſunt die Dominico; non autem illæ quæ tantùm remotè conferunt.

Prob. prima pars; quia per propinquitatem ad Dei cultum quaſi liberalizantur, aut ſaltem ex conſuetudine pro liberalibus reputantur. Et ideò non tantùm licet Crucem, imagines, aut Reliquias Sanctorum deferre, turribulum agitare, campanas pulſare, organis inſufflare &c. ſed etiam Altaria candelabris, imaginibus, ſertis, & aliis ornamentis veſtire; unde Matthæi 12. dicitur quòd Sacerdotes faciebant omnia, quæ erant neceſſaria in Templo die Sabbathi.

Prob. ſecunda pars; quia cùm opera remotiora, cultui præſupponantur; etiam diei Dominico aut Feſto, in quo cultus exhibendus eſt, debent præſupponi, ſeu ante fieri; & ideò, ſecluſa neceſſitate, non eſt licitum tapetibus parietes adornare, ſerta pro Altaribus conficere, Eccleſiam lavare, hoſtias pro celebraturis aut communicaturis facere, aut aptare; in his tamen facilius reperitur excuſatio à mortali peccato, quàm in aliis ſervilibus, etiam aliqualiter ad Eccleſiam pertinentibus, ut calicem fabricare, ſacellum ædificare, lignum aut lapides ad ſtructuram templi vehere, mappas, corporalia, albas &c. lavare, agros Eccleſiæ colere; quia niſi adſit gravis neceſſitas, aut Epiſcopi vel Parochi facultas, illa tanquam verè ſervilia ſunt omninò interdicta.

CONCLUSIO III.

OPerari ſerviliter permittit quandoque neceſſitas propria, aut aliena.

Prob. Ex Script. Matthæi 12. ubi Chriſtus excuſavit Diſcipulos ſpicas evellentes in Sabbatho, eo quòd eſurirent: en neceſſitas propria, & ibidem habentem manum aridam eodem die curavit, Judæoſque ipſum reprehendentes confutavit, exemplum ponens de bove in foveam lapſo: en neceſſitas aliena. Hinc

Reſol. 1. Poſſe laborare illum, qui non poteſt aliter ſibi, aut familiæ ſuæ victum comparare: & quidem, ſi neceſſitas ſit evidens, poteſt authoritate propria; ſi ſit dubia petenda eſt Parochi licentia. Hoc tamen fieri debet ſecretò, audita priùs Miſſa.

Reſol. 2. Medicos, chirurgos, pharmacopolas, infirmarios, in tantùm poſſe circa ægrotos operari, in quantùm requirit neceſſitas præſentis diei.

Reſol. 3. Licere agricolis ad evitandum, imminentis pluviæ damnum ſegetes & fœnum tranſmutare, ligare, aſportare, congregare; item in periculo inundationis foſſas & aggeres aquis opponere; in periculo tempeſtatis uvas colligere; in periculo obſidionis mœnia & alia reparare, in caſu neceſſitatis *vias &* pontes uſui publico neceſſarios reficere; pro adventu *Regis*, cauſa pacis, aut alterius lætitiæ communis, ignes feſtivos conſtruere, tabulata conficere: theatra ornare, in quantum antea non potuerunt præveniri.

Reſol. 4. Etiam excuſari poſſe Sartores abſolventes die Feſto veſtes lugubres ipſo die neceſſarias pro funeralibus, ſicut & veſtes militum ipſo die diſcedentium, non tamen veſtes ſponſorum aut aliorum, cùm nulla prorſus ſit neceſſitas: niſi certè meritò apprehenderentur rixæ graves, aut ſimilia.

Reſol. 5. Poſſe etiam laborare coquentes lateres, calcem, vitrum, cereviſiam, fundentes ferrum, ſalinarios, nautas, aurigas &c. quando opera inchoata non poſſunt niſi gravi damno relinqui: quamvis antea non debeant opus inchoare, niſi juſta cauſa aut conſuetudo legitima id permiſerit.

Reſol. 6. Famulos & ancillas, qui non poſſunt alibi miniſterium aut laboritium reperire, vel certè non niſi cum notabili detrimento, poſſe, ubi à dominis coguntur, ſerviliter operari; quia in his & ſimilibus non cenſetur benigna mater Eccleſia velle ad ſuam legem obligare.

CONCLUSIO IV.

EXcuſat etiam quandoque laborantem Charitas; cui tunc cedit Eccleſiæ præceptum, & ideò licèt die Dominico ſepelire mortuos, foſſam pro ſepultura diſponere, nudos veſtire, etiam veſtes, ſi opus fuerit, aſſuendo. Item licitum eſt opus ſervile, ut ſuccurratur determinato pauperi graviter, aut extremè indigenti, ubi alia media non ſuppetunt, quia ſi tunc licèt ipſi pauperi, licèt & alteri: Dico, *determinato pauperi*; quia cùm hujus præcepti obligatio ſit gravis, non debet communi pauperum neceſſitati cedere.

Excuſant aliqui operantes ratione peccati vitandi, cujus prævident periculum: hanc Charitatem ſpiritualem erga ſeipſum non condemno, credo tamen faciliùs fore peccati victores orando, legendo, Eccleſias viſitando, aut aliis piis operibus ſe occupando.

CONCLUSIO V.

EXcuſat etiam Superioris diſpenſatio, quam dare poteſt Summus Pontifex in tota Eccleſia, Epiſcopus in ſua Diœceſi, imò & Parochus in ſua parochia, permittente conſuetudine, ubi ſaltem non eſt facilis ad Epiſcopum acceſſus: nihil tamen poteſt Confeſſarius ut Confeſſarius, niſi tantùm declarare (ſicut faceret quilibet vir doctus) cauſam ad laborandum eſſe juſtam & ſufficientem. Prælati autem Regulares nihil poſſunt reſpectu ſæcularium, in quos nullam habent Juriſdictionem ſpiritualem, etiam in eorum Monaſterio laborarent: unde *videant Prælati* (inquit Portel. in dubiis Regularium Verbo *Laborare*) *ſe peccare mortaliter, & facere mortaliter peccare alios, ſi . . . . patiantur quòd in ſuis conventibus ſæculares laborent, etiam gratis*.

Virtute diſpenſationis conceſſæ ab Aleſſandro III. cap. 3. *de Feriis*, poſſunt Piſcatores in Feſtis non ſolemnibus piſcari haleces, quæ certo anni tempore maria noſtra excurrunt, idque propter neceſſitatem vel utilitatem publicam, né victui communi deficiant; non autem propter lucrum tranſitorium, ut volunt aliqui, qui ideò permittunt emptiones & venditiones, imò & opus ſervile die Dominico aut Feſto, quando inde ſperatur lucrum notabile, vel, ut ajunt, extraordinarium: quaſi verò Dei & Eccleſiæ præcepta cedere deberent mercatorum avaritiæ, & cupiditati. Præterea dato gratis, quòd propter lucrum tranſiens diſpenſaverit Pontifex pro piſcandis halecibus, malè trahitur conſequentia ad alia opera prohibita, cùm diſpenſando in uno, non diſpenſet in altero; imò quaſi fortius prohibet: quandoquidem exceptio firmet legem: unde ſi qui authores extendant dictam diſpenſationem ad thinnos, & alios piſces, qui tantùm certo anni tempore, eodemque brevi, capiuntur, in ſola neceſſitate publica poſſunt ſe fundare.

CONCLUSIO VI.

PErmittit denique interdum laborem ſervilem conſuetudo legitima.

Ratio eſt; quia conſuetudo ſicut poteſt legem introducere, ita & introductam abrogare, vel ex parte illi derogare.

Dixi: *legitima*; quia videndum eſt, an non ſit potius corruptela, quàm conſuetudo, abuſus, quàm uſus: multa enim à Prælatis ex juſta cauſa tolerantur, quæ non approbantur, & ideò conſuetudini Barbitonſorum quoslibet ad ſe venientes radentium ſeſe opponunt Prælati plurimi, & nuperrimè Epiſcopus Atrebatenſis, excuſari poſſent quoad ruſticos & opifices tota ſeptimana labori occupatos, non tamen facilè quoad alios. Quantum ad Molitores, ſervari poteſt recta patriæ conſuetudo, quæ non eſt extendenda, ſed potiùs limitanda.

DISPUTATIO IV.

De quarto Decalogi Præcepto.

PRogredimur ad Præcepta ſecundæ Tabulæ, quæ hominem ordinant ad Proximum, ſicut Præcepta primæ Tabulæ eundem ordinant ad Deum. Quoniam autem inter proximos nobis primo loco habendi ſunt Parentes, utpote qui omne quod ſumus, quod poſſidemus, ab illis poſt Deum obtinemus; ideò etiam inter Præcepta ſecundæ Tabulæ 1. loco ponitur Exodi 20. *Honora Patrem & Matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram*. Porrò Parentum nomine intelliguntur 1. Illi, qui nobis vitam corporalem dederunt. 2. Qui ſpiritualem, ſeu qui in Chriſto JESU per Euangelium nos genuerunt, ut Epiſcopi, Parochi, Sacerdotes &c. 3. Tutores, Curatores, Patrini & Adoptantes, eo quòd in Patris locum ſuccedant. 4. Reges & Magiſtratus, qui ſunt Patres populi. 5. Magiſtri, Pædagogi, Domini: unde ſervi Naaman Syri ipſum vocant Patrem 4. Regum 5. 6. Senes; & ideò prima ad Timoth. 5. dicitur: *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut patrem. . . . anus ut matres*. Licèt autem hoc Præceptum principaliter reſpiciat illos, à quibus naturaliter ſumus geniti; de aliis tamen etiam pauca dicemus; ſicut & de obligatione Parentum collateralium & conjugum adinvicem, cùm nullibi videatur aptior locus.

QUÆSTIO I.

Qualiter honorandi ſint Parentes?

HOnor parentibus debitus in quatuor præſertim conſiſtit, in Amore, Reverentia, Obedientia & Suſtentatione, ubi id exigit neceſſitas.

CONCLUSIO I.

TEnetur filius ſub gravi peccato amare Parentes amore tum interno, tum externo.

Prob. 1. Ex Script. Eccl. 7. *Memento quoniam niſi per illos natus non fuiſſes, & retribue illis quomodo & illi tibi*; atqui Parentes verum & ſincerum amorem filio teſtantur: ergo tenetur filius eundem illis retribuere.

Prob. 2. Ratione: obligamur amore interno & externo Proximum diligere: ergo à fortiori Parentes, quibus nihil nobis proximius; cùm perſona Patris cenſeatur quodammodo eadem cum perſona filii. Hinc

Reſol. 1. Graviter delinquere contra pietatem filios, qui Parentes interiùs odio, contemptu, gravi indignatione, aut malevolentia proſequuntur, de eorum infortuniis gaudendo, de proſperitatibus dolendo, malum eis deſiderando, mortem exoptando, ſive ut ab eis liberentur, ſive ut citiùs habeant hæreditatem; & ideò hanc propoſitionem meritò proſcripſit Innocentius XI. *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum, ſed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas*.

Reſol. 2. Reos ſimiliter eſſe illos, qui Patrem aut Matrem exteriùs affligunt, qui torvo oculo, geſtibus contemptivis, maledictionibus, injuriis, contumeliis &c. appetunt, qui eos deſpiciunt, domo excludunt, aſpernantur, ſubſannant, illudunt &c. in quos invehit fortiter Script. Prov. 30. *Oculum, qui ſubſannat Patrem, & qui deſpicit partum Matris ſuæ, effodiant eum corvi de torrentibus & comedant eum filii aquilæ*; & cap. 19. *Qui affligit Patrem & fugat Matrem, ignominioſus eſt, & infelix*.

CONCLUSIO II.

DEbet inſuper filius Parentibus reverentiam corde, verbo, ſigno, & facto.

Prob. ex Script. Eccl. 3. *Qui timet Dominum honorat Parentes, & quaſi Dominis ſerviet his qui ſe genuerunt*: unde D. Ambr. lib. 8. in Luc. *Honora* Parentes *tuos; quia ſuos Dei filius honoravit: legiſti enim*: & erat ſubditus illis: *ſi Deus ſervivit, quemadmodum tu Parentibus?*

Prob. 2. Debet filius ſervire Parentibus quaſi Dominis ex paſſu jam allegato; atqui ſervi Dominis ſuis ſerviunt cum magna reverentia, eos tanquam Superiores agnoſcendo, humiliter alloquendo, caput inclinando, famulando &c. ergo & illa præſtare debent filii Parentibus. Hinc

Reſol. 1. Reos eſſe filios, qui in corde parentes non cognoſcunt ut Superiores, licèt exteriùs illos honorent ad ſervandum decorum.

Reſol. 2. Etiam graviter peccare, ſi detrectent parentes alloqui, ſalutare, cum ipſis converſari, ſi ipſos negent, tanquam incognitos tractent, ex ſocietate expellant &c. Nollem tamen condemnare illum, qui ex juſta cauſa diſſimularet parentes cognoſcere, ipſis tacitè conſentientibus; quandoquidem non videantur in talibus circumſtantiis inhonorari. Eſſet autem cauſa ſufficiens, ſi aliàs cognito Patre, deberet filius pati damnum notabile vel in honore, vel in bonis fortunæ.

Reſol. 3. Nunquam licere filio agere aut teſtari contra Patrem in Foro Civili, aut Criminali, niſi alimenta injuſtè denegata ſollicitando; aut etiam niſi Pater reus eſſet læſæ Majeſtatis per conſpirationem, aut proditionem; quia tunc ante factum, non poſt, teneretur illum deſiſtere nolentem accuſare; eo quòd bonum commune Reipublicæ prævaleat bono privato,

etiam Parentum; quod & facere deberet à fortiori, ſi eſſet diſſeminator Hæreſis, alioſque corrumperet; cùm honor Patris Cœleſtis præferri debeat honori Patris carnalis, Patrem Cœleſtem taliter inhonorantis.

Reſol. 4. Profereutes in Parentes verba de ſe provocativa ad gravem iram, peccare mortaliter contra pietatem, licèt non iraſcantur.

Reſol. 5. Graviter delinquere filium, ſi Patrem aut Matrem percutiat, etiam leviter; imò ſi tantùm manum aut inſtrumentum elevet ad percutiendum; quia illa legi naturæ graviter adverſantur. Pro majori hujus & præcedentis Concluſionis intellectione

Advertendum 1. Filium, qui ſine juſta cauſa ea facit, omittit, loquitur &c. ex quibus prævidet, aut prævidere debet Parentes contriſtandos, exacerbandos, in gravem iram concitandos &c. etiam graviter peccare, licèt factum, omiſſum &c. non ſit de ſe peccatum. Ratio eſt; quia amor ſpecialis & timor reverentialis, quem debemus Patribus noſtris, ſeu iis qui ſunt nobis loco Dei, id ſanè exigit. Hinc accuſatur peccati mortalis Eſau, quòd ſine cauſa acceperit uxorem de filiabus Chanaau, unde ſciebat Patrem ſuum Iſaac contriſtandum.

Advertendum 2. Odium, injuriam, contemptum, malevolentiam, quæ reſpectu alterius forent mediocres, graves reputari reſpectu Parentum, propter ſupremam eorum ſub Deo poteſtatem.

Advertendum 3. Ità peccantem in Parentes, ut, ſi idem perſonę indifferenti faceret, peccaret mortaliter, duplicis mortalis eſſe reum; quia ultra virtutem violatam, v.g. Juſtitiæ, violat & Pietatem, quam ex jure naturæ debet Parentibus: ad quod reflectera debent Confeſſarii.

CONCLUSIO III.

PRætereà obedire debet filius Parentibus in omnibus, in quibus illis ſubeſt.

Prob. 1. Ex Script. ad Epheſ. 6. *Filii obedite Parentibus veſtris in Domino*, & ad Coloſſ. 3. *Filii obedite Parentibus veſtris per omnia*.

Prob. 2. Exemplo Chriſti, qui non tantùm fuit æterno Patri *obediens uſque ad mortem*, ſed & patuit Mariæ Matri; & Joſepho tanquam Parenti; quibus *erat ſubditus*. Etiam inſigne obedientiæ exemplum nobis reliquerunt Rechabitæ, qui propter mandatum Patris ſemper à vino abſtinuerunt, Jerem. 35. & præſertim Iſaac, qui Patri ipſum immolare volenti ſine reluctatione obedivit, Geneſ. 22.

Prob. 3. Ratione: tenentur Parentes debitam filiorum curam gerere, atqui id præſtare non poſſent, ſi filii non tenerentur illis obedire: ergo. Porrò inobedientia contra expreſſa Parentum mandata, eſt genere ſuo peccatum mortale. Patet ex Deut. 21. ubi filius inobediens & contumax jubetur lapidibus obrui; imò Rom. 1. inter traditos in reprobum ſenſum ponuntur *Parentibus non obedientes!* excuſat tamen materiæ parvitas; quia ſicut non poteſt legiſlator ſubditos, ſic nec Pater filium obligare graviter jure levi; cùm non poſſit excedere materiæ capacitatem.

Dixi: *Contra expreſſa Parentum mandata*; quia ſi tantùm ſint exhortationes, conſilia, monitiones &c. non peccabit filius contra obedientiam, illa non implendo: peccabit tamen ex alio capite, ſi factum, vel omiſſum ſit aliunde prohibitum. Ex hac Concluſione

Reſol. 1. Peccare mortaliter filium, ſi non obediat Patri in lis quæ ſpectant ad bonos mores, aut ad ſalutem, v. g. prohibenti commercium cum meretricibus, occaſiones periculoſas, converſationem certarum perſonarum, loca ſcandaloſa, ludos prohibitos, contractus uſurarios, ſimoniacos &c. Item præcipienti frequentationem Concionum. Catechiſmi, Sacramentorumq; & aliorum ad ſalutem tum neceſſariorum, tum conducentium: ubi enim negligentia in illis prudentis arbitrio cenſetur notabilis, etiam notabiliter contra obedientiam delinquit filius.

Reſol. 2. Etiam teneri obedire in iis, quæ reſpiciunt familiæ regimen, & domeſticam adminiſtrationem, v.g. ſi præcipiat Pater, ut nihil de rebus familiæ donet, vendat, mutet, alienet &c. ut domum tali hora revertatur, ut non addiſcat talem val talem artem &c. juxta enim materiæ proportionem tenetur ſub gravi, vel levi peccato illa exequi.

Reſol. 3. Non teneri tamen filium obedire Patri vel Matri in omnibus: & ideò diximus in Concluſione: *In omnibus in quibus illis ſubeſt*: unde mandata paterna in quantùm adverſantur præceptis, aut conſiliis Euangelicis, non ſunt adimplenda; & ideò Mater præcipiens filiæ, ut frequenter comœdias, ſpectacula, choreas, converſationes periculoſas, &c. ut nubat viro impio, aut malè morigerato, non eſt audienda, Pater præcipiens filio, ut vendat cum fraude, exerceat contractus uſurarios, duellum offerat vel acceptet, eſt omninò fugiendus, tunc enim militat illud Chriſti Matth. 10. *Qui amat Patrem aut Matrem pluſquam me, non eſt me dignus*. Et illud Act. 5. *obedire oportet Deo magis, quàm hominibus*.

CONCLUSIO IV.

DEnique debet filius Parentibus ſubventionem: tum in corporalibus, tum in ſpiritualibus, ubi occaſio vel neceſſitas exigit.

Prob. 1. Ex Script. Eccl. 7. *Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviſcaris .... & retribue illis quomodo & illi tibi*; atqui veri Parentes miniſtrant filiis tum corporalia tum ſpiritualia: ergo & illa debent filii Parentibus.

Prob. 2. Ex D. Ambr. in cap. 18. Lucæ, ubi ait: *Etſi paveris matrem, adhuc non reddidiſti .... cruciatus, quos pro te paſſa eſt, non reddidiſti obſequia quibus te illa geſtavit, non reddidiſti alimenta quæ tribuit ..... non reddidiſti famem, quam pro te illa toleravit ...... tibi illa quem voluit cibum non accepit, tibi, quem noluit cibum ſumpſit, tibi vigilavit, tibi flevit, & tu illam egere patieris? ...... illi debes quod habes, cui debes quod es*; cùm autem potiora ſint animæ jura, quàm corporis, quid non dixiſſet S. Doctor de ſubventione ſpirituali, ſi hac de re ſermonem inſtituiſſet.

Prob. 3. Ratione, quia hanc obligationem nobis inculcant etiam bruta animantia; & præſertim ciconiæ, qui Parentes in ſenectute alunt, fovent, conſervant &c. Hinc

Reſol. 1. Quantùm ad ſpiritualia, teneri filium, cum modeſtia tamen & reverentia, admonere Parentes, ut reſipiſcant ſi adverterit eos aliena retinere, aut rapere, Sacramenta negligere, certa vitia frequentare, ſalutis curam non gerere &c. quod à fortiori verum eſt in periculo mortis, ubi tenentur de Confeſſario docto & prudenti illis providere, tempeſtivè Sacramentorum adminiſtrationem procurare, & religioſos aut alios eorum ſaluti conſervandæ, aut procurandæ neceſſarios non elongare.

Reſol. 2. Peccare graviter filium, ſi impediat quo minùs Parens faciat teſtamentum, Miſſas, eleemoſynas, aut alia legata pro animæ ſalute relinquat, ſi Parentis mortui debita non ſolvat, aut nimium differat, legata non adimpleat, malè acquiſita non reſtituat, modò ſufficiat hæreditas.

Reſol. 3. Quantum ad corporalia, obligari, ſi Parentes infirmi ſint, eos viſitare, conſolari, curationem procurare: ſi ſint captivi, aut incarcerati, eorum liberationem ſollicitare: ſi ſint injuſtè gravati, vexati, lacerati, eorum cauſam defendere: ſi indigeant, alimenta & alia ad victum & veſtitum neceſſaria providere, quod etiam verum eſt, etſi mendicando, aut artem ſuo ſtatui indecentem, vel ætati incompetentem exercendo poſſent victitare. Hæc omnia fundantur in jure naturæ.

QUÆSTIO II.

Quid filii debeant Parentibus in eligendo ſtatu?

SUppono 1. non poſſe, à parentibus proles invitas ad Religionem, Clericatum, aut Matrimonium compelli, ſive directè, ſive indirectè, quia injuſtum eſt aliquem cogere ad id, reſpectu cujus Deus ſummam unicuique relinquit libertatem, undè excommunicantur à Trid. ſeſſ. 25. c. 18. *De Regularibus* quomodocumque virginem, viduam, aut aliam mulierem *invitam* ad Religionem cogentes, ad id favorem aut auxilium præbentes, Veſtitioni, aut profeſſioni ſuam præſentiam, conſenſum, vel authoritatem interponentes, & c. 17. permittit omnibus per vim, aut metum Religionem ingreſſis coram ſuo Superiore & Ordinario cauſas deducere, & re probata, exire. Item ſeſſ. 24 *De Reform. Matrim.* requirit ad valorem Matrimonii liberum ſponſi & ſponſæ conſenſum. Videant ergo immiſericordes illi Parentes quantis criminibus ſe ſuoſq; implicent, dum filios & filias tamquàm victimas infelices ſtatui ingrato & involuntario devovent: quot enim indè deſideria illicita, quot maledictiones, quod imprecationes, quot ſacrilegia, impudicitiæ, deſperationes? ſæpè eheu! faciunt in altera vita damnatos, quos in hac vita fecerunt captivos.

Suppono 2. Quod ſicut peccant Parentes filios ad ſtatus præfatos cogendo; ità & illos ſine cauſa impediendo: ſi enim à Religione, aut Clericatu retrahunt, quod directè repugnat Charitati; ſi Matrimonio, illos variis exponunt peccatis, non advertentes cum Apoſtolo meliùs eſſe nubere quàm uri. Aliud eſſet, ſi tantùm retraherent à tali vel tali Religione: eo quòd ibi non ità religiosè viveretur vel à Matrimonio cum tali vel tali contrahendo; quia pravæ eſſet indolis, relinquentes inte-

rim

Digitized by Google

rim libertatem pro alia Religione, aut Matrimonio. Dixi: *ſine cauſa impediendo*, quia ſi probè noverint filium ob complexionem eſſe omninò Religioni ineptum? ob mores pervicaces potiùs Monaſterio, & ſibi ipſi obfuturum, ob defectum ſcientiæ eſſe omninò ſtatu Clericali indignum, licitè poſſunt illum impedire; imò ad id tenentur.

Suppono 3. Poſſe & debere quandoque Parentes prolium vocationem examinare, conſtantiam experiri, eorum propoſito ſeſe aliquandiù opponere, ut probent, an voluntas ex DEO ſit, an ex levitate, aut phantaſia. His poſitis

CONCLUSIO I.

VOlens inire Matrimonium, tenetur Parentum conſilium & conſenſum poſtolare, ſi autem injuſtè denegent, poteſt, ipſis invitis, validè, imò & licitè contrahere.

Prob. 1. pars ex Script. Eccl. 6 quæ curam imponit Parentibus, ut nuptui tradant filios & filias, & quidem debitè: *Trade filiam ..... & homini ſenſato da illam*: quomodo autem Parentes poſſent debitè proles in Matrimonio collocare, ſi ipſæ, inconſultis invitiſque Parentibus, poſſent nubere? Undè peccat graviter contrahens non petito Parentum conſenſu; & idem eſt, ſi petitum juſtè denegaverint, quia prævident connubium proli ſuæ fore graviter damnoſum corporaliter, aut ſpiritualiter. Quantum ad obligationem conſilii petendi, non videtur eſſe gravis, imò petendo quis conſenſum, cenſetur & petere conſilium, cùm debeat declarare omnia, quæ ipſum ad tale connubium provocant.

Prob. ſecunda pars; quia filius in eligendo ſtatu, & præſertim Matrimonio, eſt ipſo jure naturæ liberrimus, & aliundè nulla lege poſitiva ſtatuitur defectum voluntatis Parentum eſſe impedimentum dirimens: imò Conc. Trid: Seſſ. 24. de Reform. Matrim cap. 1. gravit. reprehendit eos, *qui falsò affirmant Matrimonia à filiis familias ſine conſenſu Parentum contracta, irrita eſſe & Parentes ea rata vel irrita facere*. Hac de re plura dicuntur in Tractatu de Matrimonio.

Prob. tertia pars; quia tantùm debemus Parentibus honorem & ſubjectionem in iis, in quibus ſunt rationabiles, atqui ubi injuſtè denegant conſenſum, ſunt irrationabiles: ergo &c. cenſentur autem injuſtè denegare, ſi Matrimonium contrahendum ſit honeſtum, utile, ac ſalutare ipſi contrahenti: undè non ſemper eſt cauſa ſufficiens Parentibus, denegandi juſtè conſenſum, ſi filius nobilis ducat ignobilem, dives pauperem, aut è contrà, ſi aliundè bona indoles, egregiæ qualitates, aut amor ſincerus & honeſtus compenſet id, quod natura aut fortuna denegavit; eſſet tamen, ſi indè familia graviter inhonoraretur, aut ſi contrahens poſſet per aliud Matrimonium æquè aut ferè æquè commodum, ac conveniens pacificare familias diſſidentes, aut familiam paternam ab aliqua notabili neceſſitate liberare.

CONCLUSIO II.

NOn tenentur filii obedire Parentibus Religionem, aut Clericatum diſſuadentibus; imò ſtatim ubi ſentiunt ſe à DEO vocatos, poſſunt ipſis inſciis, Clericatum aſſumere, vel Religionem ingredi, ſi juſtè timeant ab illis directè vel indirectè fore impediendos: limita tamen, niſi obſtaret Parentum neceſſitas, aut alia circunſtantia.

Ratio eſt, quia tunc præſertim militat illud Chriſti Matt. 1. *Qui amat Patrem aut Matrem pluſquàm me, non eſt me dignus*: unde D. Greg. homil. 17 in Euangelia: *Quos adverſarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo neſciamus*, & D. Hierunymus Epiſt. prima ad Heliodorum: *Licet ſparſo crine & ſciſſis veſtibus ubera, quibus te enutrierat, Mater oſtendat, licet in limine Pater jaceat, per calcatum perge Patrem, ſiccis oculis ad vexillum crucis evola: ſolum pietatis genus eſt in hac re eſſe crudelem*.

Dixi: *Niſi obſtet Parentum neceſſitas*, propter dicenda quæſt. ſeq. Addidi. *Vel alia circunſtantia*; nam ſi quis defloraſſet virginem cum promiſſione Matrimonii, nec poſſet, niſi per connubium, damnum reparari, illicitè Religionem, aut Clericatum amplecteretur. Et idem eſt, ſi ligetur aliquo impedimento Profeſſionem Religioſam irritante.

QUÆSTIO III.

An Parentibus graviter aut extremè indigentibus poſſit filius Religionem ingredi, & an Profeſſus teneatur egredi?

SUppono 1. hanc quæſtionem etiam habere locum in filio illegitimo: ſi enim tenetur Parens ipſum alere, reciprocum eſt, ut Parenti indigenti teneatur ſuccurrere, item in filio emancipato, quia hæc obligatio non oritur ex paterna poteſtate, ſed ex intimo ſanguinis vinculo.

Suppono 2. Non teneri aliquem abſtinere ab ingreſſo Religionis ob neceſſitatem fratrum, aut ſororum extrà curam Parentum exiſtentium. Ratio eſt, quia obligatio fratribus, aut ſororibus ſuccurrendi, tantùm eſt Charitatis, licèt majoris quàm reſpectu aliorum; Charitas autem, non obligat cum gravi ſuo incommodo præſertim ſpirituali: expediet tamen illo caſu ingreſſum differre, imò & omittere, maximè ſi ſit ſoror graviſſimè indigeat, eo quòd fœmina difficiltus poſſit ſibi conſulere, aliundè majoribus exponatur periculis.

Dixi: *Extra curam Parentum exiſtentium*, quia quamdiù ſunt ſub illorum cura; eorum neceſſitas cenſetur eſſe neceſſitas Parentum, quibus incumbit illis providere.

Suppono 3. Id quod reſolvimus de obligationibus filiorum in favorem Parentum indigentium, à fortiori reſolvendum eſſe de parentibus Religionem meditantibus reſpectu filiorum pauperum, cùm major ſit hac in re obligatio Parentum quàm filiorum.

Suppono 4. Nomine *Parentum* huc etiam venire avos & proavos, quia ſunt etiam vera principalia, licèt mediata, & ideò major requiritur neceſſitas in illis, quàm in principiis immediatis.

Suppono 5. Triplicem eſſe neceſſitatem: Extremam, Gravem, & Communem. Extrema eſt, quando Parens ſine filii ſubſidio deberet mori fame, vel nuditate, eo quod ſit infirmus, captivus, aut incarceratus. Gravis eſt, quando non poteſt, ſine gravi vitæ aut famæ incommodo, etiam parcè vivere; ut ſi teneatur cum ſtatus indecentia mendicare, aliis inſervire, artem ſuæ ſorti indecentem, vel ætati incompetentem exercere. Communis eſt, ubi poteſt ſine ſtatus dedecore tenuiter vivere, licèt ſæpiùs non tantùm ſuperfluis, ſed etiam convenientibus careat.

CONCLUSIO I.

PRopter Communem Parentum neceſſitatem, non tenetur filius ab ingreſſu Religionis abſtinere, ſecùs propter gravem, aut extremam, ſi adſint certæ conditiones. Eſt communis quoad utramque partem.

Prob. 1. Pars, quia talis neceſſitas reputatur levis, adeoque poſtponenda actui tam generoſo & perfecto, qualis eſt ingreſſus Religionis: & idem dicendum eſt de qualibet neceſſitate, quæ non eſt actualis, ſed tantùm futura, quia non tenetur filius Parentum indigentiam prævenire: undè 2. Corint. 12. dicuntur *filii non* debere *Parentibus theſaurizare*, ideſt, bona pro futura neceſſitate colligere, *Sed Parentes filii*; cujus diſcriminis ratio eſt, quòd Pater tanquàm principium teneatur per ſe filio providere, filius autem, cum non ſit principium, non debeat Parenti ſuccurrere, niſi per accidens, ſeu in quantum indiget: quod ſonat præſentem neceſſitatem, hocque docet D. Th. 2. 2. q. 101. art 4. Fatendum tamen, ob communem, aut tantùm futuram Parentum neceſſitatem, ſæpè conſultum eſſe (non tamen obligatorium) ab ingreſſu Religionis abſtinere: quod maximè verum eſt, ubi Parentes ſunt ære alieno gravati, vel onuſti prolibus, & præſertim puellis, quarum honor ſine ſubſidio periclitatur. Imò in talibus circunſtantiis non deberet ad religionem admitti, cùm ſit periculum, ne Profeſſus ob Parentum neceſſitatem inquietè vivat, alios inquietos reddat, imò & Superiores conturbet, ut ſuis ſubveniat.

Prob. 2. pars: quia ingredi religionem, eſt tantùm conſilii, & ſubvenire Parentibus graviter, vel extremè indigentibus, eſt præcepti naturalis: ergo. Unde Chriſtus Matth. 15. graviter redarguit Judæos, qui ſuadebant filiis ſub ſpecie religionis, & munerum DEO oblatorum, Parentum miſeriam negligere, volens oſtendere omnes oblationes voluntarias, etiam Deo factas, poſtponendas eſſe Parentum indigentium pietati. Hinc

Reſol. 1. Amplectentem ſtatum Religioſum, relictis in gravi, aut extrema neceſſitate Parentibus, delinquere graviter, tenerique toto Probationis anno habitum dimittere, & ſi-

pro

profiteatur, ejus Profeſſio eſt illicita, licèt ſit valida, ut doceot communiter Doctores.

Reſol. 2. Etiam ſtare concluſionem noſtram, licèt quis vo viſſet ingredi Religionem; vel enim vovit dum indigerent Parentes; & Votum, licèt validum, non obligat pro tempore indigentiæ, otpotè incompoſſibile cum præcepto naturali; vel ante & tunc propter rerum mutationem ſuſpenditur ejus obligatio, ſicut ſuſpenderetur in eo, qui voviſſet jejunare in pane & aqua, ſi fieret infirmus.

Dixi in concluſione: *Si adſint certæ conditiones*. Prima eſt ut filius remanens in ſæculo non ſit io occaſione proxima peccati mortalis, quam vinceret ingrediendo Religionem, quia tenetur unuſquiſque ex Charitate ordinata magis curare ſalutem propriam ſpiritualem, quàm Parentum corporalem. Secunda, nt non ſint aliæ proles, quæ poſſiot & velint Parentibus ſuccurrere. Tertia, ut ſit vera & fundata ſpes Parentibus in ſæculo ſubveniendi. Quarta, ut factus religioſus non poſſit ità facilè illis ſubſidium ferre: nam ſi poſſit in religione æquè aut faciliùs ſubvenire, poſſet illam ingredi: hoc autem accidere poteſt in Monaſteriis divitibus, vel etiam, ſi ſe ad hoc obliget Conventus.

CONCLUSIO II.

SI filius non poſſit manens in religione Parentibus extremè indigentibus ſuccurrere, poteſt, & tenetur egredi, petita priùs, licèt non obtenta, Superioris licentia.

Ratio eſt; quia omnia vota, votorumque executio cedere debent juri naturali fortiùs obliganti, quale eſt, ſecundum omnes, præceptum ſuccurrendi Parentibus in noſtro caſu.

Confirm. 1. Si quis à Monaſterio videret in Platea hominem ab equo indomito occidendum, niſi ſubveniret, poſſet Monaſterio egredi, etiam Superiore egreſſum denegante, ergo à fortiori poteſt filius, ut ſuccurrat parenti tame perituro.

Confir. 2 Licet invito domino aliquid ſurripere, ut ſubveniatur extremæ alterius neceſſitati, ergo licet, invito ſuperiore, ſe ipſum ſubſtrahere Monaſterio, ut ſublevetur extrema Parentum neceſſitas.

Dices 1. Hoc eſſe verum, quando Parentum indigentia fuit ante Profeſſionem, non autem quando contigit poſteà.

Reſp. Quod ſicut filius per Profeſſionem non deſinit eſſe filius: ità nec deſinit obligari ſubvenire Parentibus extremè indigentibus, quandocumque adveniat eorum indigentia.

Dices 2. Filius per Profeſſionem moritur Mundo: ergo non ampliùs tenetur Parentibus.

Reſp. Diſt. Ant. Moritur Mundo, ideſt, actionibus mundanis, C. ideſt, nemini de mundo tenetur ſuccurrere, N. nam tenetur, ſicut quilibet alius proximo ſuo corporaliter & ſpiritualiter ſubvenire, ubi Charitas exigit: quidni & Parentibus?

Dices 3. Religioſus non habet proprium velle: ergo non poteſt, invito Superiore, egredi.

Reſp. Diſt. Ant. Non habet proprium velle in iis, io quibus rationabilis eſt Superior, C. io quibus eſt ſummè irrationabilis, ut in noſtro caſu, in quo tenetur ſub gravi peccato, vel ipſemet ſuccurrere, vel filio permittere, N.

Dices 4. Strictiori vinculo ligatur filius Superiori, quàm Parenti, cùm illi ligetur ex præcepto primæ Tabulæ, ad quod pertinet Votum; huic autem, ex præcepto ſecundæ.

Reſp. Neg. Ant. In noſtro caſu: ad probationem dico, illam nimium, adeoque nihil, probare: probat enim eum, qui voviſſet unum *Pater* & *Ave*, debere potius mortem Patris permittere, quàm illud omittere: unde ad gravitatem obligationis cognoſcendam, non tantùm attenditur ad præceptorum qualitatem, ſed ad gravitatem materiæ præceptæ, aut prohibitæ.

Dices 9. Saltem noo poteſt, ubi Parens cedit juri ſuo.

R. Quòd ſicut Parens non poteſt mortem ſibi inferre, ita nec illi juri cedere, ſi non ſit alius, qui ſuccurrat.

Advertendum tamen extremam paupertatem eſſe rariſſimam, adeòque non debere facilè Religioſos id ſibi perſuadere.

Dixi in concluſione: *Si non poſſit manens in Religione*; quia ſi poſſit, non poteſt egredi, eo quòd tunc religio non ſit incompoſſibilis cum præcepto Parentibus ſubveniendi.

CONCLUSIO III.

UBi Parentum neceſſitas tantùm eſt gravis, non poteſt filius ſine Prælati licentia (quàm non tenetur dare) è Monaſterio egredi. Eſt communis.

Ratio eſt; quia certum eſt, ſecundùm omnes, minùs obligari filium Parentibus poſt Profeſſionem, quàm ante, & conſequenter oon videtur obligandus poſt Profeſſionem, ubi neceſſitas ſolùm eſt gravis, aliàs æqualiter obligaretur poſt Profeſſionem, ac ante: jam aotem, ſi egredi non obligetur, egredi non poteſt, cùm tantùm poſſit, quia obligatur.

Confirmatur: Non poteſt Clericus, depoſito habitu Clericali, militiam, aut aliud ſtatui ſuo indecens amplecti, ut ſubveniat gravi Parentum paupertati, ergo nec Religioſus, relicta vita communi, ad ſæculum remeare: unde debet quidem ipſis poſt Profeſſionem ſubvenire, ſicut ante, quia res tranſit cùm ſuo onere; non tamen omni modo, quo ante, ſed mediis ſtatui ſuo accommodatis.

Dixi: *Quam non tenetur dare*; quia ſicut filius non tenetur egredi; ita nec tenetur Superior licentiam concedere: ſi tamen religio conſcia fuerit neceſſitatis Parentum, filium recipiendo, debet Prælatus vel per Monaſterii eleemoſynas ſuccurrere, vel ſuo, ſi aliter ſubvenire non poteſt, egreſſum permittere, quia Monaſterium virtualiter ad illa ſe obligavit recipiendo filium Parentum ſic indigentium. Ubi autem poteſt filius remanens in Conventu, Parentibus ſubvenire modo ſtatui ſuo convenienti, tenetur Superior licentiam ad id præbere: ſive interim in receptione nota fuerit Parentum neceſſitas, ſive non; & ideò, ſi Superior injuſtè illam deneget, poteſt inferior occultè & ſine ſcandalo (ſalvis tamen manentibus obligationibus ordinariis & Regulari obſervantia) huic obligationi ſatisfacere, ſcribendo, laborando, celebrando, eleemoſynas particulares ſollicitando, caveat tamen ne mentiatur iniquitas ſibi, & ne ſub prætextu ſuccurrendi, quærat ſibi ſatisfacere: ut autem obvietur omnibus inconvenientiis, debet Prælatus, ubi noverit veram Parentum neceſſitatem, modus quibus filius ſuccurrat, determinare, & alios prohibere.

Peres: Quid faciendum filio, ubi mortui ſunt Parentes, aut à gravi neceſſitate liberati?

R. Teneri ad omnia vota, exercitia, & obligationes, ad quas, ſecluſa Parentum neceſſitate, fuiſſet obligatus; quia tantùm fuit ſuſpenſa illorum executio, in quantum erat incompoſſibilis cum præcepto ſubveniendi Parentibus: & ideò non tantum profeſſus debet in Monaſterium regredi, ſi fuerit egreſſus; ſed etiam, qui tempore Parentum indigentiæ vovit Religionis ingreſſum, debet illam ingredi.

Scio plurimos ſuſtinere votum illud eſſe invalidum, ſed quo pacto? neſcio: & certè ſi maritus qui vovit Religionem, teneatur illam ingredi, defuncta conjuge, quia votum fuit validum, quidoi & io noſtro caſu? Prætereà votum illud eſt de objecto bono, & ſecundùm ſe licito. Non poteſt quidem tunc licitè impleri, ſed taotùm indè ſequitur ſuſpenſam eſſe pro iſto tempore executionem. Deinde ſi eſſet invalidum, quia impedit impletionem præcepti naturalis, ut volunt Adverſarii, à fortiori invalida eſſet Profeſſio Religioſa in iiſdem circunſtantiis, cùm æquè, imò magis illam impediat: hoc tamen negatur à Doctoribus communiter.

QUÆSTIO IV.

Quænam ſit obligatio Parentum ad filios?

NUllam de obligatione Parentum erga filios mentionem facit hoc præceptum; quia ſicut non datur præceptum de amore ſui, eo quòd ad id ſufficienter inclinet natura, ità & hic tacetur debitum Patris & Matris erga proles; quia ita in natura radicatum eſt, nt ſolius generationis memores, ſuæ obligationis erga genitos admoneantur. Quia tamen reperiuntur genitores ita naturæ obliti, ut quod in eorum corde ſcriptum eſt, legere contemnant, illorum oculis hanc obligationem admovit Apoſtolus Eph. 6. ubi ait: *Patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros, ſed educate illos in diſciplina, & correptione Domini*: varia debent filiis Parentes, quæ ſequentibus concluſionibus diſcutiemus.

CONCLUSIO I.

DEbent filiis Parentes ſincerum amorem, tum internum, tum exteroum. Hæc obligatio in ipſo naturæ lumine ſcripta eſt; unde videant quantum ſint odibiles Deo & hominibus Parentes illi, qui propria pignora ſine juſta ratione odio, rancore, pravo affectu perſequuntur, domo expel-

expellunt, eorum aſpectum non patiuntur, qui, ut uni faveant, alios tanquam adulterinos negligunt.

Dixi: *Sine juſta ratione*; quia ſi propter gravem filiorum culpam denegent ad aliquod tempus domus ingreſſum, alloqui detrectent, indignationem teſtentur &c. idque ſolùm correptionis cauſa, non ſunt condemnandi.

CONCLUSIO II.

Obligaotur inſuper Parentes ab ipſo conceptus exordio debitè prolium ſuarum vitam fovere; quia ratio poſtulat, ut quibus vitam dederunt, eandem illis accuratè & diligenter conſervare ſatagant, illoſque ad juſtæ ætatis magnitudinem perducant. Hioc

Reſol. 1. Peccare Matres, juxta materiæ proportionem, ſi poſt conceptam prolem immoderatè itinerentur, ſaltent, currant, nociva bibant, aut comedant, ſi ſibi & fructui in lecto, vel alibi non conſulant, ſi de obſtetricibus expertis non provideant, ſi tempore lactationis ſeipſas non obſervent. Item ſi ſine cauſa proles lacte proprio non nutriant, quia ubi ſubeſt cauſa, non eſt peccatum, ubi deeſt, eſt ſaltem veniale, cùm natura ipſa, imò bruta partus ſuos nutrire doceant: *Prava autem in conjugatorum moribus conſuetudo ſurrexit, ut mulieres filios, quos gignunt, nutrire contemnant, eoſque ad nutriendum aliis mulieribus tendant*. Cap. 4. diſt. 5.

Reſol. 2. Delinquere, ſaltem venialiter, Patres & Matres, qui tempore Purificationis aut menſtrui vacant impuris commixtionibus, ex quibus naſcuntur nonnunquam proles monſtruoſæ, claudæ, gibboſæ, infirmæ.

Reſol. 3 Reos eſſe Patres, qui cum periculo abortus, vel fructus extinguendi, aut ei notabiliter nocendi, conjuges crudeliter tractant, vexant, exaſperant, percutiunt.

Reſol. 4. Debere utrumque Parentem ſub gravi peccato diligentem curam gerere, ne parvuli nimium plorando ſibi graviter noceant, ne in ignem, aut aquam cadant, ne ſuffocentur: & ideò nunquam debent cum ipſis in eodem lecto dormire: unde, ut hoc infortunium præveniret Guido Illuſtriſſimus Atrebatenſium Epiſcopus, reſervavit ſibi *oppreſſionem parvulorum factam à quibuſcunque perſonis cum iis in eodem lecto recumbentibus ante primum ætatis annum completum*.

Reſol 5. Etiam debere prolibus, donec ad ætatem ſufficientem pervenerint, ſubſidia ad victum & veſtitum ſuo ſtatui proportionatum ſubminiſtrare; imò ipſis in futurum, quantum honeſtè fieri poteſt, theſaurizare: ut, redditus annuos comparando, ſcientiam, artem, opificium, quo honeſtè vivant, procurando; & ideò, ſicut peccant avari neceſſaria denegando, ità & nimium prodigi proles miſeras relinquendo.

Dixi: *Quantum honeſtè fieri poteſt*: quia ſi rapinis, fraudibus, injuſtitiis divitias accumulent, potiùs ignes æternos ſibi & prolibus theſaurizant, quàm vitæ tranſigendæ neceſſaria.

Reſol. 6. Filios in Templis, aut in aliis locis, ſine urgenti neceſſitate exponentes, ſicut & in pauperum Xenodochiis ex avaritia collocantes, graviter peccare, tenerique ad reſtitutionem omnium damnorum Magiſtratui, aut pauperibus illatorum.

CONCLUSIO III.

Strictè obligantur Parentes inſtructionem & diſciplinam ſalutarem per ſe, vel per alios, filiis procurare.

Prob. 1. Ex Script. Deut. 11. *Docete filios veſtros* (verba mea) *ut illa meditentur*: & Eccl. 30. *Doce filium tuum, & operare in illo*: quod egregiè præſtitit Tobias, dum filio dixi: cap 4. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: & cave ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas Præcepta Domini Dei noſtri..... omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant*. Plura vide ibidem.

Prob. 2. Ratione: Parentes producunt filios mundo, non propter mundum, ſed propter Cœlum, ſeu propter æternam beatitudinem; & conſequenter tenentur ipſos media, qoibus illam aſſequi valeant, edocere. Hinc

Reſol. 1. Teneri Parentes mores verè Chriſtianos prolibus inſpirare, eorum vitia & vitioſas inclinationes extirpando; virtutis ſtudium inculcando, mortificationi Chriſtianæ paulatim aſſuefaciendo, Fidei myſteria Deo, & Eccleſiæ præcepta edocendo, ad Divini Officii, Catechiſmi, Concionis Sacramentorum & frequentationem urgendo, à conſortio ſociorum pravæ indolis penitùs avertendo.

Reſol. 2. Si has obligationes ratione negotiorum, officii, qualitatis, aut alterius impedimenti non valeant per ſe implere, teneri providere ipſis de Magiſtris, ac Præceptoribus piis & vigilantibus, qui illo munere exactè fungantur.

Reſol. 3. Has inſtructiones inculcandas eſſe prolibus, maximè in ætate tenera: eſt enim puerorum animos, inquit Clavis Regia, tanquam tabula raſa, qui ſicut facilè inducitur ad bonum, ità & facilè Parentum incuria declinat ad malum, à quo difficile eſt poſteà illos retrahere, juxta illud Prov. 22. *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea*.

Reſol. 4. Non mereri nomen Parentum, qui, ut parcant ſumptibus, ſpiritualem filiorum educationem negligunt, non attendentes, quòd melius ſit illos mittere ad Cœlum cum virtutibus, quàm ad infernum cum divitiis.

CONCLUSIO IV.

Quia tamen exempla efficaciùs movent, quàm verba, debent Parentes in omnibus ſeipſos præbere exemplum bonorum operum: unde D. Hieron. Epiſt. 7. ad Lætam. *Mementote vos Parentes virginis, magis eam exemplo doceri poſſe, quàm voce*.

Ratio eſt; qoia verba ſtatim evaneſcunt, exempla autem ſemper habentur præ oculis. Prætereà quis facilè credat dicenti, & non facienti? Hinc

Reſol. Maximè ſcandaloſos eſſe Parentes illos, qui coram pueris impudica loquuntur, blaſphemias evomunt, maledicta congerunt, uxores, proles, domeſticos appetunt injuriis, imprecationibus &c. ſectantur ebrietatem, furibundorum inſtar ira abripiuntur, Eccleſiam rarò frequentant, rarius Conciones, rariſſimè Sacramenta.

CONCLUSIO V.

Denique obligantur Parentes corripere filios delinquentes, diſcretè tamen & cum prudentia; & ideò dicit Apoſtolus Epheſ. 6. *In correptione Domini*.

Prob. Ex Script. Prov. 13. *Qui parcit virgæ, odit filium ſuum.* Et cap. 23. *Noli ſubſtrahere à puero diſciplinam: ſi enim percuſſeris eum virga, non morietur: tu virga percuties eum: & animam ejus de inferno liberabis*: Item Eccl. 30. *Tunde latera ejus, dum infans eſt, ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ*. Ex quo patet caſtigationem à teneris annis eſſe adhibendam, ne tunc concipiant vitia ad alias ætates facilè tranſitura.

Prob. 2. Ex gravi ſupplicio, quos Deus afficit Parentes in corripiendis filiis incurios & negligentes: unde ideò Heli cadens retrorſum *Fractis cervicibus mortuus eſt*. 1. Reg 4. ideò duo filii ejus Ophni & Phinees uno die occiſi; ideò tranſlatum ab ejus domo Sacerdotium, multaque mala ejus poſteris illata.

Dixi: *Diſcretè tamen & prudenter*, ut non excedant indulgentia, vel auſteritate; & ideò peccat Pater, qui pueros rarò corripit; peccat & Mater, quæ ex amore apparenter materna, ſed de facto crudeli, eorum caſtigationem impedit; peccat uterque, dum tantùm exhibent verba, ubi veniendum eſſet ad verbera; *Heli propter filios periit*, inquit Chryſoſt. hom. 9. in 1. Epiſt. ad Timoth. *Illos quippè cùm acrius coercere debuiſſet, verbis tantùm levibus monuit: quo circa dum illis moleſtus eſſe ſevera increpatione recuſat illos & ſeipſum una perdidit. Audite hæc Patres*.

Peccant ſecundò: Parentes nimiùm ſeveri, ſuntque in cauſa, cur quando in odium, puſillanimitatem, imò & deſperationem adducantur filii: quod maximè cavendum monet Apoſt. ad Coloſſ. 3. *Patres nolite ad indignationem provocare filios veſtros, ut non puſillo animo fiant*.

Peccant tertiò: Qui magis iræ impetu, quàm Charitatis impulſu, magis vindicta, quàm correctione, magis phantaſia, quàm ratione in filios ſæviunt, & correctis nequidem placari volunt. Pro Coronide hujus quæſtionis

Advertendum, defectus Parentum in filios militare contra Juſtitiam; & ideò, ſi ſint aliunde peccaminoſi, committunt duplex peccatum in Confeſſione exprimendum.

QUÆSTIO V.

Quid debeant Parentes filiis illegitimis?

Suppono 1. Debere ipſis amorem, inſtructionem, exemplum, & correptionem, ſicut legitimis, cùm militet eadem ratio: unde tantùm eſt quæſtio de alimentis.

Suppono 2. Nomine *Alimentorum* venire non tantùm victum, veſtitum, lectum & habitationem, ſed etiam medicinas infirmo, funeralia mortuo, & cætera proportionata ſtatui.

Suppono 3. Filios illegitimos (id eſt illos qui extra Matrimonium validum procreantur) alios eſſe Spurios, alios naturales.

Digitized by Google

tes. Spurii ſunt, qui naſcuntur ex perſonis ad Matrimonium inter ſe contrahendum inhabilibus, putà inceſtuoſis, ſacrilegis, adulteris: Naturales verò, qui procreantur ex illis, qui Matrimonio legitimo poſſunt ad invicem copulari. His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

TEnetur Mater alere filium, ſive naturalem, ſive ſpurium uſque ad triennium completum, niſi lacte careret, aut non lactandi juſtam cauſam haberet: quo caſu ad lactationis expenſas tenetur Pater l. 6. Cod. *De Patria poteſtate*: ſi tamen Pater non eſſet ſolvendo, deberet in hac obligatione Patri ſuccedere Mater.

CONCLUSIO II.

TRanſacto triennio, tenetur Pater tum filio naturali, tum ſpurio alimenta præbere; ipſo tamen deficiente; obligatur Mater l. 5. ff. *De liberis agnoſcendis*: ſi autem etiam deficiat Mater, tenentur Avi & alii aſcendentes.

Prob. autem concluſio de filio Naturali, quia ratio Naturalis dictat puerum eſſe alendum; ſed poſt debitam lactationem nulli hæc obligatio magis competit, quàm Patri, cùm puer ſit ſanguis ejus; ſemen illius &c. Prætereà per nullam legem poſitivam eximitur ab hoc onere naturali; quin è contrà poſſet, deficientibus filiis legitimis, omnia bona ſua donare, vel relinquere filio naturali.

Probatur etiam de filio Spurio; quia per hoc quòd ſit Spurius, non deſinit eſſe filius, nec minùs jus habet ut ſibi vita conſervetur, quàm alter: ex copula quidem per leges reprobata natus eſt; ſed non eſt juſtum, ut filius innocens, propter crimen Parentum, à Parentibus relinquatur: undè Leges Civiles, quæ videntur prohibere, ne Pater filio ſpurio alimenta ſubminiſtret, ſunt à Jure Canonico correctæ, tanquam juri naturæ repugnantes, licèt maneant in ſuo vigore quantùm ad hoc, quòd nihil poſſit ipſi cauſâ mortis donare vel relinquere, ne ſcilicet hæredum legitimorum minuatur hæreditas. Hinc

Reſol. 1. Idem eſſe de filia ſpuria, cui tenetur Pater relinquere dotem alimentis poſt triennium neceſſariis præcisè correſpondentem.

Dico: *Præcisè*; quia ſi excedat, tenetur ſpuria & ejus maritus, ſi nubat, non expectata Judicis ſententia, hæredibus legitimis exceſſum reſtituere: hæc autem dos conſtitui debet etiam ex fructibus Beneficii ſi Pater ſit Beneficiarius, & deſint patrimonialia; quia ſi poſſit ex illis pauperibus ſuccurrere quidni & propriæ proli & ideò Conſtitutiones Pii V. quæ videntur ſpuriis etiam prohibere alimenta, intelligi debent, aliquando illa aliundè haberi poſſit.

Reſol. 2. Hanc obligationem ſive paternam, ſive maternam alendi filios; tranſire ad hæredes illius, qui ad id tenebatur: ſicut & ad illos, quibus Pater & Mater univerſa bona reliquerunt, quidquid contradicant aliqui, quia quantum ad portionem bonorum alimentis ſubminiſtrandis neceſſariam, videtur donatio probabiliter invalida; & ideò debent illi vel ſpurium alere: vel patrem honorum huic oneri correſpondentem relinquere.

Reſol. 3. Hanc obligationem, etiam afficere Religioſos, quibus certorum bonorum permittitur libera adminiſtratio, non tamen alios; & ideò imputet ſibi ſtulta mulier quæ conſentit illi, à quo ſciebat nullum ſibi & proli recipere poſſe ſubſidium: expedit tamen ad cavendum ſcandalum & ad ſervandum Religionis honorem, quem expoſuit ovis ſcabioſa, prolem, etiam ſtatim à partu, retrahere, & in loco Matri ignoto Monaſterii expenſis alere, ſi illas tacere recuſet Mater.

Reſol. 4. Solvenda eſſe à Patre debita, quæ pro alimentorum neceſſariorum comparatione contraxit filius; ſi autem laborando, vel aliundè illa ſibi procuravit, ad nihil tenetur Patre, quia in tantùm tenetur, in quantum filius indiget: ubi autem arte vel modo decenti poteſt ſibi neceſſaria procurare, non cenſentur indigere. Dico: *Modo decenti*; quia ſi, Patre alimenta negante, debuit illa per mendicationem quærere ultra, quòd graviter deliquit, pater, tenetur æquivalens pauperibus reſtituere, niſi eſſet ipſemet pauper.

Reſol. 5. Si vivente Patre vel exiſtente Tutore, Mater ultrà triennium filium aluerit, poſſit alimenta repetere, ſi proteſtata eſt ſe animo repetendi illa præbere l. 34. ff. *de liberis cognoſcendis*; non poteſt tamen mercedem laboris, quem in alendo filio impendit, expoſcere; quia non videtur rationabile, quòd Mater obſequium illud naturale, filio proprio impenſum velit repetere: ſi autem non fuit proteſtata, nihil repetere poteſt: quia reputatur amore Patris, aut filii id gratis feciſſe.

Reſol. 6. Si, mortuo Patre, nec exiſtente Tutore, Mater aluerit filium bona aliqua poſſidentem, poſſe expenſas repetere; ſi animo poſitivo repetendi aluerit, aliàs ſi defuerit animus ille, cenſetur liberaliter id filio præſtitiſſe.

QUÆSTIO VI.

Quid ſuis debeant Patres ſpirituales, & è contrà?

NOmine *Patrum ſpiritualium* huc veniunt, duo perſonarum genera, nempè animarum noſtrarum Paſtores, ut Epiſcopi, Parochi, Superiores &c. & illi qui nos ſuſcipiunt in Baptiſmo, aut Confirmatione, quos ordinariè Patrinos vocamus: & de utriſque breviter dicemus.

CONCLUSIO I.

INcumbit Paſtoribus oves paſcere; & ideò ut hanc obligationem inculcaret Chriſtus Petro, dixit illi tertiò: *Paſce oves meas* Joan. 21. quaſi vellet dicere, ut explicat D. Bernard. lib. de colloquio Simonis ad Jeſum §. 11. Paſce *Exemplo converſationis*, *verbo Prædicationis*, *fructa orationis*: hanc triplicem obligationem conabimur probare.

Prob. prima pars, *de Exemplo converſationis*, tum ex Scrip. 1. ad Timoth. 4. *Exemplum eſto fidelium in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate*, & ad Titum 2. *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate*, tum ex SS. PP. Aug de Paſtorib. c. 4. *Omnis qui malè vivit in conſpectu eorum, quibus præpoſitus eſt, quantum in ipſo eſt, occidit . . . . . oves &c.* Greg. part. 3. curæ Paſtoralis Admonitione 5 *Scire Prælati debeat, quia ſi perverſa unquam perpetrant, tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt: unde neceſſe eſt, ut tantò ſe cautius à culpa cuſtodiant. quanto per prava quæ faciunt, non ſoli moriuntur*; tum etiam Ratione; quia ſi illi, qui corpora mundo genuerunt, teneantur genitis exemplo prælucere, quidni & tenerentur illi, qui debent animas gignere Cœlo? Hinc

Reſol. Triplici crimine reos eſſe Paſtores, qui per vitam ſuam diſſolutam ovibus ſuis ſunt ſcandalo in rebus gravis momenti; ultra enim peccatum contra Caſtitatem v. g. & contra Charitatem, cui opponitur ſcandalum datum, etiam peccant contra Juſtitiam, per quam obligantur ratione Officii populum ſibi commiſſum ædificare.

Prob. ſecunda pars, *de Verbo Prædicationis*, Similiter 1. ex Script. Ezech. 33. *Si me dicente ad impium: impiè morte morieris, non fueris locutus, ut ſe cuſtodiat impius à via ſua; ipſi impius in iniquitate ſua morietur; ſanguinem autem ejus de manu tua requiram*. Et 2. ad Timoth. 4. *Prædica verbum, inſta opportunè, importunè: argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina*. 2. Ex Conc. Valentino III. Arelatenſi VI. & tandem Trid Seſſ. 5. *de Reform.* Cap. 2. ubi legitur: *Statuit & decrevit Sancta Synodus omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & omnes alios Eccleſiarum Prælatos teneri per ſeipſos, ſi legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum Sanctum Jeſus Chriſti Evangelium*. Et paulò inferius docet omnes illos, qui obtinent Eccleſias curam animarum habentes, debere per ſe, vel per alios idoneos, ſi legitimè impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis ſolemnibus Verbum Dei populo proponere. 3. Ratione; quia, cùm teneantur ignorantes docere; peccatores à via iniquitatis avertere, Hæreticos, quantùm in ſe eſt, ad Eccleſiæ gremium reducere, Juſtos in via ſalutis confirmare, neceſſariò debent in hunc finem Concionem, *Catechiſmum*, Exhortationes, Admonitiones tum publicas, tum privatas, tum in Tribunali pœnitentiæ, tum extrà inſtituere. Hinc

Reſol. 1. Graviter delinquere animarum curam gerentes; ſeque innumeris exponere peccatis, ſi abſque debita ſcientia & inſtructione onus Paſtorale ſuſcipiant.

Reſol. 2. Peccati lethalis reos eſſe illos, qui Catechiſmum negligunt, cùm ferè unicè ex illo animarum ſibi commiſſarum ſalus æterna dependeat.

Reſol. 3. Etiam mortaliter peccare, non tantùm qui rarò Concionem habent, ubi vitia redarguant, virtutes extollant &c. ſed etiam qui prædicando in altis ambulant, quærentes conceptus ſublimes, & ea, quæ ſunt ad captum populi, negligentes: ſic enim concionari, & non concionari, perinde eſt; ità ut verificetur illud Threnorum 4. *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*.

Reſol. 4. Si habeant in ſuo diſtrictu Hæreticos, aut peccatores publicos, puta concubinarios, uſurarios, blaſphemos &c. debere modis omnibus ſatagere, ut eos ab hæreſi, vel à viis ſuis peſſimis retrahant prædicatione, controverſiis, privata inſtructione, adhortatione, obſecrationibus, incre-

increpationibus, imò cenſuris, ubi opus fuerit.

Reſol. 5. Graviter eſſe culpabiles coram Deo Paſtores illos, ſicut & alios Confeſſarios, qui in Tribunali pœnitentiæ quoslibet peccatores à quibuslibet peccatis præcipiti abſolutione donant, nulla adhibita exhortatione, & ſalutari monitione: meminiſſe debent ſe eſſe animarum medicos, & conſequenter teneri, quantùm in ſe eſt, morbos præſentes curare, & futuros præcavere: circa *Præſentes*, ad verum dolorem, verumque propoſitum fortiter excitando: circa *Futuros*, peccati horrorem, Dei judicia, infernum, æternitatem, Dei amorem, eorum ingratitudinem &c. ob oculos proponendo; & interim, ubi opus fuerit, cum fortitudine, temperata tamen manſuetudine, abſolutionem denegando aut differendo; ne ſi ſecus faciant, meritò applicetur eis illud Ezech. 13. *Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis &c.* dimittentes peccatores cum pace, & apparenti abſolutione, qui ideò in peccatis dormiunt cum ſecuritate.

Reſol. 6. Denique peccare contra Charitatem & Juſtitiam Paſtores illos, qui vix unquam extra tempus Paſchale in Confeſſionali ſe exponuot, & ferè omnes ad illud tempus remittunt: licèt enim in rigore ſolùm teneantur Fideles ſemel in anno confiteri; tenentur tameo Parochi, ubi illi ſe præſentaverint, ipſorum Confeſſionem excipere; niſi certè juſto impedimeoto detinerentur. Meminerint etiam ſuæ obligationis in viſitandis infirmis, admonendis, edocendis, conſolandis, Sacramenta eis tempeſtivè miniſtrando, preces ab Eccleſia ordinatas recitando, & eorum morti, ſi fieri poſſit, per ſe, vel per alium aſſiſtendo.

Prob. tertia pars, *de fructu orationis*; tum ex Script. Hebr. 5 *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis*; tum ex D. Aug. lib. de Doct. Chriſti, c. 15. ubi de Paſtore ait, *ſic orator antequam dictor ..... prius quàm exerat proferentem linguam, ad Deum levet animam*; tum etiam Ratione; quia Sacerdos eſt quodammodo medius ioter Deum & homines conſtitutus, ut populi neceſſitates tum corporales, tum præſertim ſpirituales Deo humiliter repræſentet, pro ipſis orando, & identidem ſacrificando: Unde peccant graviter qui nunquam, aut rarò pro plebe ſibi commiſſa Sacrificium applicant.

E contra debent Fideles Paſtoribus ſuis 1. *obedientiam* in iia quæ pertinent, aut conducunt ad ſalutem, juxta illud Hebræ. 13. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacet eis; ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* 2. *Reverentiam*; quia *qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habentur*, inquit Apoſt. 1. ad Timoth. 5. 3. *Subſidium*, eis Decimas de omnibus, juxta patriæ conſuetudinem, ſine fraude miniſtrando: dicit enim Script. *Non alligabis os bovi trituranti: & dignus eſt operarius mercede ſua*. Ibid. Item debent & ipſis *ſincerum amorem*; unde peccant ſpecialiter contra Pietatem, qui Paſtores ſuos odio, contemptu, irreverentia, detractione, contumelia, injuriis &c. proſequuntur, ſicut & contra Juſtitiam peccant, qui Decimas, & alia ipſis debita non ſolvunt. Dixi: *Paſtoribus ſuis*; quia reſpectu aliorum Sacerdotum ſolùm debent reverentiam dignitati eorum Sacerdotali, quamvis in gradu & neceſſitate æquali ſint aliis præferendi.

CONCLUSIO II.

TEnentur Patrini ſub gravi peccato inſtruere filios ſpirituales de Fide, Religione, virtutibus, & moribus Chriſtianis.

Prob. 1. Ex S. Aug. ſer. 215. de Tem. *Filios quos in Baptiſmo excipitis, ſcitote vos fidei juſſores pro ipſis apud Deum extitiſſe, & ideo tam illos, qui de vobis nati ſunt, quàm illos, quos de fonte excepiſtis, ſemper caſtigate, & corrigite, ut caſtè, juſtè, & ſobriè vivant.*

Prob. 2. Ratione; qoia, ut docet D. Thom. tenetur unuſquiſque officio ſuo fungi; atqui Patrinus aſſomit in ſe officium pædagogi reſpectu filii ſpiritualis; ergo tenetur illum de omnibus ad ſalutem neceſſariis imbuere. Ab hoc onere tamen ſæpè liberantur propter curam Parentum, Paſtorum exhortationes, Præceptorum Catechiſmos frequentes &c. quod ordinariè ſupponitur in partibus Catholicorum, niſi contrarium appareat. Similiter excuſant Patrinum plurimi, quando filius ſpiritualis jam eſt ſufficienter inſtructus, eo quòd non cenſeatur amplius indigere Pædagogo: credo tamen: ſi etiam adultus vitam diſſolutam, aut Hæreſim amplecteretur, fore obligatum Patrinum, deficientibus Parentibus, fortiter adlaborare, ut ipſum bonis moribus imbueret, aut ad Eccleſiæ gremium reduceret; cùm etiam tunc in illa materia teneret locum Patris. Alia Patrinorum obligatio eſt, ut quos ædificare debent exemplis, non ſcandalizent peccatis.

Econtra debent filii ſpirituales Patrinis ſuis amorem reciprocum, reverentiam filialem, & obedientiam obligationi Patrinorum proportionatam; ità ut, ſi in illis deſint, peccent ſpecialiter contra Pietatem.

QUÆSTIO VII.

Quid debeant alii quaſi Parentes ſuis reſpectivè, & è contra?

ALii quaſi Parentes ſunt Principes & Magiſtratus, Tutores, Toparchæ, Domini, Præceptores, & Senes.

CONCLUSIO I.

DEbent Principes & Magiſtratus ſuis exemplo prælucere, eorom ſaluti obviaotia tollere, ipſos cooſervare, Juſtitiam eis rectè adminiſtrare.

Prob. prima pars 1. Ex Script. Pſ. 2. *Et nunc Reges intelligite: erudimini qui judicatis terram: ſervite Domino in timore.* 2. Ex Aug. lib. 5. de Civit. Dei c. 24. *Neque enim nos Chriſtianos quoſdam Imperatores ideò felices dicimus, quia diutius imperarunt, vel hoſtes Reipublicæ domuerunt &c. ſed felices eos dicimus, ſi juſtè imperant ..... ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maximè dilatandum Majeſtati ejus famulam faciunt. ſi Deum timent, diligunt, colunt &c.* 3. Ratione; quia *Regis ad exemplum totus componitur Orbis*; & ideò videant Principes, videant & Magiſtratus, quot peccatis ſe ſuoſque exponant, ſi eorum vita ſit ſcandaloſa: ſciant ſibi à Deo datam eſſe poteſtatem, non in deſtructionem, ſed io ædificationem.

Prob. ſecunda pars; quia inſtituti ſunt Reges & Magiſtratus non tantùm ut temporali Reipublicæ tranquillitati conſulant, ſed etiam ut Religionem, Eccleſiæ diſciplinam, moreſque Chriſtiaoos conſervent, & promoveant; atqui non poſſunt ea fideliter exequi, niſi tollant illa, præſertim publica, quæ ſubditorum Saluti æternæ adverſantur: ergo. Majorem probat Conc. Pariſiense VI. parte 2. c. 2. ex S. Iſidoro Hiſpalenſi, *Cæterùm intra Eccleſiam poteſtates neceſſariæ non eſſent, niſi ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ ſermonem, poteſtas hoc imperet per diſciplinæ terrorem: ſæpè per Regnum terrenum Cæleſte Regnum proficit. ut qui intra Eccleſiam poſiti contra Fidem & diſciplinam Eccleſiæ agunt, vigore Principum conſerventur &c.* Unde debent Magiſtratus è ſuis territoriis meretrices expellere, lupanaria exterminare, comœdias; ſpectacula, & alia inhoneſta juvenum mores corrumpentia nullatenus permittere; uſuris, blaſphemiis, perjuriis fortiter reſiſtere: debeot, & præſertim Reges, homicidia, & duella pœnarum ſeveritate coercere, ut fecit non mious feliciter, quàm fideliter Regum Chriſtianiſſimus Ludovicus XIV.

Prob. Tertia pars; quia tum Reges, tum Magiſtratus præficiuntur populo, non ut præſint, ſed ut ipſi proſint; eorumque leges & mandata eo tendere debent, ut ſubditorum conſervationem, pacem, tranquillitatem, imò & commodum procurent.

Prob. quarta pars, de Juſtitia rectè adminiſtranda, tum ex Script. Sap. 1. *Diligite juſtitiam, qui judicatis terram*: & Iſaiæ 5. *Væ..... qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo*; tum ex Conc. Pariſ. ſup. *Regale miniſterium eſt populum Dei gubernare & regere cum æquitate & juſtitia*. Tum etiam Ratione, quia ubi oon regnat Juſtitia, potius eſt Chaos [illegible]ronum, quàm ſocietas Chriſtianorum. Hinc

Reſol. 1. Peccare graviter Magiſtratus, qui præponunt, & patiuntur Judices ignaros, injuſtos, aut nimium intereſſatos: attendere enim debent ad illud Exodi 18. *Provide de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam.*

Reſol. 2. Peccare & ipſoſmet Judices, ſi Officium illud ſuſcipiant ſine ſoſſicienti legum peritia, ſcientia, prudentia, imò ſunt in continuo ſtatu damnationis, quamdiu illud non dimittunt.

Reſol. 3. Etiam Reos eſſe illos, qui pauperum, viduarum, pupillorum cauſas negligunt, qui ſine juſta ratione lites protrahunt, qui Juris ordinem pervertunt, qui ſunt perſonarum acceptores, qui ſontes abſolvunt, & inſontes condemnant, qui ultra ſtipendium juſtum aliquid exiguot.

Ex correlativo debent ſubditi Regibus & Magiſtratibus 1. *honorem*, juxta illud primæ Petri 2. *Regem honorificate*. 3. *obedientiam* juſtis eorum Legibus & Mandatis: unde Rom. 13. *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal &c.* ſicut autem non eſt cujuslibet examinare, an bellum aliquod ſit juſtom, necne, ità nec an tributa juſtè, vel iojuſtè imponantur. Denique *fidelitatem*, ità ut nihil contra Principem, Patriam, bonum publicum moliantur.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO II.

DEbent Tutores Pupillis educationem, tum corporalem, tum ſpiritualem, ità ut, ſi in eis deſint, peccent, ſicut peccarent veti Patentes, quorum loco jnre publico, conſtituuntur; & ideò debent etiam eſſe ipſis exemplo, ne deſtruant factis, quod adſtuunt verbis. Curam inſuper tenentur gerere bonorum Pupilli ſui, ità ut peccent; juxta materiæ proportionem, ſi illa dilapident, injuſtè adminiſtrenr, ſibi uſurpent, ſi ſua culpa pereant, ſi illa, dum poſſunt, non augeant, ſi tempore debito illorum computum reddere detrectent.

Pupilli reciprocè debent illis tanquam parentibus *amorem*, *honorem*, *obedientiam*, in iis quæ ſpectant ad eorum tutelam, ità ut peccent mortaliter, ſi in re gravi ſint inobedientes, irreverentes &c.

CONCLUSIO III.

TOparchæ, ideſt, Oppidorum, aut Pagorum Domini, debent, quantùm in ſe eſt, ſubditorum ſaluti tum æternæ, tum corporali conſulere: *æternæ* quidem, Parochos prudentes & doctos eligendo, ſcholas pro inſtruenda juventute aperiendo, abuſus contra Dei, aut Eccleſiæ præcepta extirpando, juventutis diſſolutiones non tolerando, compotitationes in tabernis tempore Officii Divini, aut nimium ſerò ſeverè puniendo, diſſidentes ad pacem & concordiam revocando &c. quæ ut facilins impleantur, debent eſſe Parochus & Toparcha in illis promovendis, ſicut in aliis omnibus, cor unum, anima una, *Temporali* verò, eos nec opprimendo, nec ultra modum gravando, lites inter vaſallos impediendo componendo, finiendo; cauſas pauperum, viduarum, pupillorum libenter audiendo, & eas juſtè judicando, eorum ſegetes, herbas, & alia hujuſmodi curſu, aut venatione non conculcando, pauperibus ſubveniendo &c.

Econtra debent vaſalli Toparchis amorem, honotem, obedientiam; *amorem* propter ipſorum curam & ſollicitudinem; *honorem* propter excellentiam & dominationem; *obedientiam* illorum obligationi proportionatam.

CONCLUSIO IV.

TEnentur Domini famulos ſuos diligere, compenſare, inſtruere, corrigere.

Prob. prima pars ex Scripe. Eccl. c. 7. *Servus ſenſatus ſit tibi dilectus quaſi anima tua*, & c. 33. *ſi eſt tibi ſervus fidelis ſit quaſi anima tua, quaſi fratrem ſic eum tracta:* & certè ſi perſonas indifferentes tenemur diligere, quidni à fortiori illas, quæ ſerviendo, & obediendo conantur in omnibus nobis placere? & ideò debent Domini, ut monet Apoſt. ſervis minas remittere, cum illis tanquam cum ejuſdem naturæ conſortibus agere; cum benignitate, non cum arrogantia præcipere: *Neque enim dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi: nec principandi ſuperbia, ſed providendi miſericordia*. Aug. lib. 19. de civit. Dei cap. 14.

Prob ſecunda pars; quia *dignus eſt operarius mercede ſua* 1. ad Timoth 5. & ideò debent ipſis ultrà alimenta labori & obſequio proportionata, mercedem, de qua convenerunt, ſine fraude, ſine dilatione exhibere. Hinc peccant, juxta materiæ gravitatem, qui famulis neceſſatia ad victum denegant, qui mercedem non ſuppeditant, qni illam, ipſis invitis, retinent, aut diſfernnt, qui famulos infra infimum pretium conducnnt, ant nulla facta conditione, quod juſtnm eſt recnſant, qui ægrotos dimittunt, aut curare negligunt &c. qui ſenes expellunt &c.

Advertendum tamen, non deberi famulis tempore infirmitatis mercedem; imò nec debet Dominus expenſas Medico, Chirurgo, Pharmacopolæ faciendas ſolvere, niſi famulum urgeret gravis, aut extrema neceſſitas.

Prob. tertia pars; quia cùm Dominus ſit ſervo inſtar Patris, tenetur ipſum de Fidei myſteriis, Religione, & moribus Chriſtianis per ſe, vel per alium inſtruere: nam *ſi quis ſnorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*. 1. ad Timoth. 5. Unde ſeriò invigilare debet, an Dei, & Eccleſiæ præcepta noverit, an Chriſtianorum rudimenta calleat, Sacramenta frequentet, orationi manè & veſperi incumbat, obligationi ſuæ diebus feſtis & Dominicis ſatisfaciat, an Chriſtianè vivat &c.

Prob. quarta pars; quia quamdiu illorum curæ ſubſunt, tenentur reſpectu illorum Patris officium gerere, & conſequenter delinquentes corrigere: imò, nbi delicti gravitas exigit, etiam caſtigare, non tamen pro defectibus levioribus verbis aſperis, aut verberibus excipere. Ubi autem, adhibita correctione ſufficienti, non deſinit famulus eſſe aliis ſcandalo debet expelli: *Ne patiatur*, inquit Conc. Mediol. III. de Officio Patrisfamilias, *in familia eſſe quempiam qui blaſphemus ſit, qui perjurus, qui corruptis moribus, qui obſcœnè quidquam vel loquatur, vel agat qui denique cæteris turpis vitæ exemplum præbeat*.

Similiter debent famuli Dominis 1. *reverentiam* ſeu honorem: *Dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur*, inquit D. Paulus 1. ad Timoth. 6. & ideò peccant ſpecialiter contra Obſervantiam famuli, qui heros ſuos contemnunt, irrident, negligunt, calumniantur, de abſentibus detrahunt &c. 2. *Obſequium rationabile*, ideſt, *non ad oculum ſervientes: ſed ſervientes ſicut Domino, & non hominibus*. Epheſ. 6. & certè juſtum eſt, ut qui ſtipendium pro famulatu accipit, etiam rationabile reddat obſequium: undè ſi minus laboraverit, quàm ſoleant alii famnli ejuſdem conditionis mediocriter laborioſi, minuendum eſt pro rata ſtipendium, &, ſi totum recipit, tenetur ad reſtitutionem partis; imò & ad intereſſe, quod inde paſſus eſt Dominus, niſi ille ſciens remittat. 3. *Obedientiam*, quam inculcat Apoſt. Epheſ. 6. *Servi, obedite Dominis carnalibus*. Ad Titum 2. *hortare* .... *Servos Dominis ſuis ſubditos eſſe:* & ne putent illam tantùm deberi Dominis piis, & prudentibus, dicitur 1. Petri 2. *Servi ſubditi eſtote in omni timore Dominis; non tantùm bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis:* unde peccant mortaliter, ſi in re gravi ſint inobedientes: caveant tamen ne ipſis obediant in iis, quæ Dei aut Eccleſiæ mandatis adverſantur. Hinc meritò propoſitionem ſequentem proſcripſit Innoc. XI. *Famulus, qni ſubmiſſis humeris, ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam Virginem & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalas, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, putà, ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aſpiciatnr, ne domo expellatur*.

4. *Fidelitatem*; nam, nt dicitur ad Titum 2. debent ſervire Dominis ſuis *non contradicentes, non fraudantes; ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes*; & ideò ultra peccatum non tantùm tenetur ad reſtitutionem eorum quæ ſurripiunt; ſed etiam illorum, quæ ipſorum culpa pereunt, aut ab aliis ſurripiuntur; imò licèt ſine culpa; ubi quoad certarum rerum cuſtodiam ita conventum eſt.

CONCLUSIO V.

PRæceptores debent diſcipulis amorem, doctrinam, correctionem & exemplnm; diſcipuli autem præceptoribus amorem reciprocum, reverentiam & obedientiam, in iis quæ ſpectant ad eorum curam. Hæc omnia patent ex natura rei: unde peccant præceptores falſa, temeraria, aut ſcandaloſa docendo, ſcholam, Catechiſmum, aut ea, quæ ad bonos mores pertinent, negligendo, injuſtè aut indiſcretè puniendo, correctionem debitam omittendo, ſcandaloſè vivendo &c.

Peccant & diſcipuli Præceptorem odio habendo, irridendo, irritando, deſpiciendo, convitiis, injuriis, detractionibus lacetando, ipſi in ſtudiis, & aliis ſuæ curæ ſubjectis inobediendo &c.

CONCLUSIO VI.

DEbent Senes Junioribus exemplum, & hi debent illis reverentiam, præſertim ſi ſint vitæ probatæ. Primam patet ex facto Eleazari, qni ne juvenes ſcandalizarentur, maluit mori, quàm carnes porcinas contra legis edictum manducare. Secundum Prob. ex Script. Levit. 19. *Coram cano capite conſurge, honora perſonam Senis*. 1. ad Timoth. 5. *Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut Patrem*.

QUÆSTIO VIII.

Quid ſibi invicem debeant Parentes collaterales, quid Conjuges?

PArentes Collaterales hic intelligimus illos, qui non deſcendunt ab invicem, ut ſunt Fratres, Sorores, Avunculus & Nepos, & alii conſanguinei & affines.

CONCLUSIO I.

PArentes Collateta les debent ſibi invicem amorem, honorem, & in neceſſitate ſubſidinm.

Ratio eſt, quia pietas naturalis dictat, quòd plus debeamus iis, qui nobis carnis cognatione, aut affinitate ſunt conjuncti, quàm extraneis; & conſequenter quòd ſpecialiter debeamus eos diligere, adjuvare & reverentiam aliquam ipſis exhibere. Hinc

Reſol. 1. Teneri exprimere in Confeſſione circumſtantiam parentelæ tanquam ſpeciem mutantem, ſi ſe invicem gravi injuria, detractione, contumelia, odio, contemptu, percuſſione, aut aliter proſequantur. Nollem tamen hoc extendere ultra 3. gradum, imò neque ad 3. gradum utrinque completum: quia, moraliter loquendo, non tanti fit conſanguinitas, aut affinitas illa; ut credatur inductiva ſpecialis peccati mortalis, ubi quis deficit in amore, reverentia, aut ſubſidio: non nego tamen ultra peccatum ordinarium inducere peccatum veniale contra Pietatem.

Reſol. 2. In defectu aliorum teneri ſibi invicem alimenta præbere; non tantùm in gravi, aut extrema neceſſitate, quæ obligat omnes, ſed etiam in ordinaria paupertate: cùm ſibi invicem majori obligationis vinculo ligentur, quàm alii.

Reſ. 3. Etiam ſtare hanc obligationem, ubi frater, ſoror &c. facti ſunt ex ſua culpa indigentes, ſi hic & nunc ſint in vera neceſſitate: quia etiam tunc urget ad ſubſidium naturalis Pietas. Ut tamen victui per laborem, aut induſtriam quærendo aſſuefierent, poſſent aliquandiu deſeri, modò haberent undè mors impediretur: quod magis verum eſt, ubi remedium illud judicatur expediens pro corrigendis moribus diſſolutis, & ſcandaloſis.

Reſol. 4. Parentes inferiores etiam debere quamdam obedientiam parentibus ſuperioribus, non tantùm in linea recta, ut ſunt Avi, Proavi, de quibus diximus; ſed etiam in linea tranſverſa, ut ſunt Avunculus, Amita, quia eorum in parentela ſuperioritas id exigit.

CONCLUSIO II.

OBligantur Conjuges 1. *Ad amorem mutuum?* quia tenetur quilibet proximum diligere: quis autem proximior uxori, quàm Maritus, aut Marito, quàm uxor? cùm ſint *duo in carne una*. Undè Eph. 1. dicitur: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam*: & ad Titum 2. dicitur de uxoribus: *viros ſuos ament*.

2. *Honorem:* nam mulier debet reverentiam Marito tanquàm capiti, debet & Maritus honorem uxori tanquàm adjutorio collaterali, cùm non ſit ejus famula, ſed ſocia, juxtà illud Adami Geneſ. 3. *Mulier, quam dediſti mihi ſociam*.

3. *Obedientiam proportionatam:* mulier enim tenetur obedire viro in iis, quæ pertinent ad bonos mores, bonorum adminiſtrationem, domus regimen &c. quia caput eſt familiæ; & ideò 1. Petri 3. legitur: *Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis*; Maritus autem obedire debet uxori in reddendo debito conjugali, de quo poſteà.

4. *Societatem conjugalem*, ideſt, Cohabitationem: *qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari*, Matth. 5. quod intelligendum eſt tam de cohabitatione quoad domum, quàm quoad torum.

5. *Debitum Matrimoniale*, cùm ideo ſint Matrimonio conjuncti, ut illo mediante genus humanum multiplicent. Eorum obligationem inculcat Apoſt. 1. Corinth. 7. *Uxori vir debitum reddat, ſimiliter uxor viro &c.*

6. *Alimenta*; quia ſunt *duo in carne una*; jam autem *nemo unquàm carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam*. Epheſ. 5. Hinc

Reſol. 1. Peccare graviter contra amorem mutuum conjuges ſi ſeſe afficiant gravibus odiis, maledictionibus, contumeliis, imprecationibus, rixis, injuriis &c. quæ peccata eò ſunt graviora, quò majori Charitatis vinculo ligantur. Item ſi Maritus uxorem, & à fortiori, ſi uxor Maritum graviter percutiat.

Reſol. 2. Ream eſſe peccati lethalis uxorem, contra honorem Marito debitum, ſi ipſum irrideat, ſubſannet, verbis aſperis, contumacia, capitoſitate, ad iram, blaſphemiam, perjuria &c. provocet. Similiter Reus eſt & Maritus, ſi uxorem infamet, aut in illam evomat verba infamatoria, v. g. vocando adulteram, ſi indè immineat periculum infamiæ, licèt abſque animo infamandi, aut injuriandi dixerit.

Reſol. 3. Delinquere mulierem contra obedientiam, juxta materiæ proportionem, ſi detrectet ea exequi, in quibus Marito ſubditur; nam ſicut tenetur Maritus familiam regere, bona adminiſtrare, uxoris & domeſticorum curam gerere, victui & veſtitui neceſſaria providendo, pravos mores & peccatorum occaſiones ab eis avertendo; ita & tenetur uxor in illis obedire. Non eſſe tamen culpanda mulier, quæ, viro prodigo bona dilapidante, occultè pecunias aliquas ſurriperet, ad ſui & prolium ſuſtentationem in futurum. Idem poteſt ad erogandas eleemoſynas ſuæ conditioni proportionatas, ſi Maritus illas deneget; modò tamen vitentur rixæ & perturbatio pacis.

Dixi: *In quibus Marito ſubditur*: nam in rebus ad ſalutem pertinentibus, & debitæ domus adminiſtrationi nullatenùs adverſantibus, non tenetur obedire; peccatque Maritus ſi illas prohibeat.

Reſol. 4. Violari graviter ab uxore ſocietatem conjugalem, ſi Maritum aliò migrantem nolit ſequi, niſi factus eſſet vagabundus poſt Matrimonium, aut niſi immineret mortis, aut peccati gravis periculum, aut etiam interveniſſet pactum in Matrimonio de non mutando loco quo tamen non obſtante, deberet illum comitari, ſi ipſi juſta neceſſitas diſcedendi ſuperveniret, v. g. infirmitas, Regis mandatum &c. Non videtur tamen obliganda ad ſequendum Maritum, ubi hic vellet pro libitu ad partes remotiſſimas diſcedere; puta, in Indias; quia non cenſetur mulier in contractu Matrimoniali illam ſibi obligationem impoſuiſſe. Item hanc ſocietatem violat Maritus, ſi abſque conſenſu conjugis ad tempus notabile diſcedat ſine gravi cauſa, qualis eſſet mandatum Principis, Reipublicæ utilitas, familiæ neceſſitas.

Reſol. 5. Peccare lethaliter conjuges debitum Matrimoniale denegantes, niſi excuſaret infirmitas, periculum abortus, & alia, de quibus in tract. de Matrimonio.

Reſol. 6 Peccare Maritum graviter, ſi paucis caſibus exceptis alimenta deneget uxori: quod verum eſt, etſi pro his obtinendis laborem, aut induſtriam debeat impendere; quia illam accipiendo, cenſetur id onus ſuſcepiſſe: hocque exigit amor conjugalis. Sed quid ſi mulier dotem non attulerit? Etiam tenetur, ſivè interim ipſa ſit pauper, ſivè dives; ſi dotem conſtituere nolenti conſenſerit Maritus; quia tunc cenſetur uxoris perſonam pro dote accipere. Si tamen uxorem divitem acceperit, nulla facta mentione dotis, non tenetur illam alere, niſi dotem præbeat; quia tunc, ut volunt Doctores, tacitè convenitur de dote conſtituenda. Aliud eſſet, ſi Pater eſſet dives; non ipſa, quia ſibi nunc imputare debet, quòd uxorem indotatam acceperit.

Dix.: *Exceptis paucis caſibus*: 1. Si Pater dotem filiæ promiſſam non ſolvat, cùm poſſit, non tenetur ipſam alere; quia dos conſtituitur, ut indè Maritus ſuſtineat onera Matrimonii, & alat uxorem l. 20. *De Jure dotum*. Si autem pars dotis ſolvatur, tenetur ad partem alimentorum, & non plus.

Dixi: *Cùm poſſit*: nam ſi Pater & uxor non ſint ſolvendo, nec in promiſſione interceſſerit dolus, ad alimenta obligatur Maritus, ſicut & quoties uxor, aliis deficientibus, eſſet in gravi aut extrema neceſſitate, id exigente arcto conjugii vinculo. 2. Nec tenetur ipſam alere, ſi pro ſuo libitu à viro diſcedat, vel ob levem Mariti exceſſum in ipſius caſtigatione, aut quid aliud futile; ſecùs ſi diſcederet ob caſtigationem graviter inordinatam, vel ob morbum Mariti contagioſum, aut venereum, vel etiam ob culpam propriam, quæ non tendit directè in ſeparationem.

Nec alimenta debet uxori, ſi crimen committat, propter quod dotis bona ſunt fiſco addicta; & idem eſt ſi propriam dotem validè vel invalidè conſumat, inſcio Marito; quia quando perit dos ex ſola uxoris culpa, perindè eſt ac ſi non fuiſſet ſoluta; ſecùs dicendum, ubi dos perit caſu fortuito, aut ſine uxoris culpa.

Reſol. 7. Etiam teneri uxorem alimenta præbere Marito ex bonis dotalibus, aut aliundè provenientibus, etiamſi ex propria culpa ſit incarceratus, ad triremes damnatus, infirmus, exul &c. ſi eiſdem indigeat, nec ſibi neceſſaria comparare valeat; quia id poſtulat vinculum conjugale.

Pro fine hujus quæſtionis & Præcepti, advertendum eſt zelotypiam inordinatam non rarò familiarem conjugibus, ſæpè eſſe grave peccatum, ſi non ratione ſui (cùm interdùm ſit tantùm ſuſpicio de fide alterius) ſaltem ratione effectuum: quot enim inde jurgia? quot rixæ? quot imprecationes? quot perturbationes? undè ſeriò monendi ſunt, ut peſſimam tot malorum radicem eradicare ſatagant.

DISPUTATIO V.

De quinto Decalogi Præcepto.

DElirarunt olim Manichæi circa quintum Decalogi Præceptum, Exod. 20. ſic breviter expreſſum, *Non occides*: Volebant enim per illud non tantùm prohiberi occiſionem hominis, ſed etiam cujuslibet animalis; imò & deſtructionem plantarum & herbarũ, cùm tamen animalia Gen 9. & herbæ ac legumina Gen. 1. nobis ſint à Deo conceſſa in cibũ. Hunc Manichæorũ errorẽ reprehẽdẽs Aug. l. 1. de Civ. Dei c. 20. ſic loquitur, *Cùm legimus, Non occides, ſi propterea non accipimus hoc dictũ eſſe de fructetis, quia nullus eſt eis ſenſus, nec de animalibus irrationalibus . . . quia nulla nobis ratione ſociantur &c.* undè licitè poteſt

homo ſua, vel quæ nullius ſunt animalia, occidere: aliena verò ſi occidat, peccat quidem, non quia occidit, ſed quia occidendo nocet proximo: non excuſarem tamen peccati venialis illum, qui ſine cauſa animal crudeliter occideret, aut de ejus doloribus delectaretur, cùm hoc aliqualiter repugnet naturæ, licèt non repugnet præcepto *Non occides*, quod ſolam vetat hominis occiſionem. Quia tamen hæc occiſio variè poteſt conſiderari; ideò ſex diverſa in hac diſputatione tangemus, nempè homicidium authoritate publica, homicidium ſui-ipſius, homicidium alterius authoritate privata, bellum, duellum & abortum.

QUÆSTIO I.

An non liceat occidere malefactores, quos, & qua forma.

CONCLUSIO I.

NEmini licet authoritate privata occidere malefactorem. Eſt communis & certa.

Ratio eſt; quia nemini licet occidere, niſi id ſibi à Deo mortis & vitæ Domino mediatè, vel immediatè fuerit commiſſum; ſed nulli agenti authoritate privata id commiſſum eſt immediatè à Deo, vel mediate ab ejus Miniſtro, aliàs non ageret authoritate privata, ſed publica: ergo. Quod & verum eſt, licèt occidendus cederet juri ſuo; quia licèt vitæ ſuæ uſum habeat, non tamen dominium, quod ſoli Deo competit. Hinc

Reſol. 1. Non licere Patri filiam, aut Marito uxorem in adulterio deprehenſam occidere; undè proſcripta eſt propoſitio ſequens ab Alexandro VII. *Non peccat Maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehenſam.* Leges quidem Civiles non puniunt Maritum ut homicidam in tali caſu; ſed, ut inquit D. Thom 4 diſt. 37 quæſt. 2. art. 1. *Eccleſia in hoc non eſt adſtricta legibus humanis, ut judicet eum ſine reatu pœnæ æternæ.*

Reſol. 2. Non ſolùm homicidam, ſed & parricidam eſſe illum, qui occidit Principem ſuum Tyrannum, ſeu tyrannicè populum regentem; imò in Conc. Conſtantienſi definitum eſt, hæreticum eſſe, aſſerere licitam eſſe privato occiſionem Tyranni.

Dixi: *Qui Principem ſuum*; quia volunt Doctores licere privato occidere Tyrannum, qui non legitimè, ſed uſurpativè Regnum, aut Statum armis occupavit; quia hoſtis eſt Reipublicæ: ſed dixerim, ſalvo meliori judicio, id non licere, niſi illi, quorum intereſt Rempublicam regere, aut defendere, id cuilibet privato permiſerint: aliàs cenſetur authoritate privata occidere: quod intrinſecè malum eſt. Dicunt quidem adeſſe conſenſum Reipublicæ præſumptum, ſed in materia tanti ponderis, cujus juſtitia aut injuſtitia non à judicio cujuslibet privati, ſed à publica anthoritate dijudicanda eſt, non eſt tam facile præſumendum.

CONCLUSIO II.

LIcet authoritate publica occidere malefactores, eſt certa & praxi omnium Nationum conformis.

Prob. 1. Ex Script. quæ poſtquàm dixiſſet Exodi 20. *Non occides:* ſubdit c. 22. *Maleficos non patieris vivere. Qui coierit cum Jumento, morte moriatur.* Et Lev. 20. jubetur interfici qui declinaverit ad magos & ariolos. Idipſum confirmat Apoſt. ad Rom. 13. ubi inſinuat Principem aut Magiſtratum gladium portare ad ſumendam de male agentibus vindictam: *Non eſt igitur iniquitatis* (inquit Auguſt. Epiſt. 54. ad Macedonium poſt init) *Sed potiùs humanitatis ſocietate devinctus qui propterea eſt criminis perſecutor, ut ſit hominis liberator.*

Prob. 2. Ratione; quia ſicut expedit membrum putridum ſeparari ut totum corpus vivat, & conſervetur; ita expedit quandoque ad conſervationem pacis, quietis, & ſecuritatis publicæ hominem noxium & ſcandaloſum de medio tolli. Miror ſanè quoſdam Thomiſtas Scoto affixiſſe opinionem contrariam, quaſi docuiſſet 5. Decalogi Præcepto etiam prohiberi malefactorum occiſionem, cum 4. diſt. 15. quæſt. 3. expreſsè ſententiam noſtram teneat. licèt neget ibidem pœnam mortis poſſe furibus imponi propter ſimplex furtum, de quo concluſione ſequenti.

CONCLUSIO III.

LIcet authoritate publica occidere omnes illos malefactores, quorum crimina, cujuſcunque generis ſint, graviter adverſantur bono communi Reipublicæ, & ideo occidi poſſunt non tantùm illi, quorum mentionem facit Scriptura, ſed etiam fures, adulteri, incendiarii, hæretici, proditores, Rei læſæ Majeſtatis &c.

Ratio eſt; quia hi non minùs ſunt peſtiferi & nocivi conſervationi & tranquillitati corporis communis, quàm illi. Si autem inquiras ubi reperiatur Dei diſpenſatio, ut illi juſtè occidantur? Dicam in cordibus noſtris eſſe impreſſam ab eo, à quo ſcripta eſt ibidem lex naturæ dictantis extirpandam eſſe partem putridam, ne totum pereat.

Dices 1. Lex Moſaica prohibebat occidi furem diurnum. Exodi 22. ergo &c.

Reſ. Hoc prohibuiſſe: quia, cùm tunc populus non eſſet addictus latrociniis, ſufficiebat pœna mitior ad cohibendam manum; creſcentibus autem paulatim latrociniis, & furtis, debuit augeri pœna: tandem, cùm fierent ita communia, ut perturbaretur pax, bonum, & ſecuritas Reipublicæ; inflicta eſt pœna mortis pro gravioribus, imò & pro aliis ſæpius repetitis.

Dices 2. Scotus ſupra citatus negat poſſe occidi furem: quod & ante ipſum negavit Alexander Alenſis, hac ratione ductus, quòd ut pœna ſit juſta, debeat eſſe crimini proportionata, *pro menſura peccati erit & plagarum modus.* Deut. 25 atqui in rebus hujus vitæ bona fortunæ obtinent locum ultimum, & vita primum: ergo injuſtitia eſt hanc pro illis auferre.

Reſ. 1. Doctores Subtilem & Irrefragabilem id ſuſtinuiſſe; quia, ut docet Soto, tempore D. Thom (cui Præceptor, adeoque contemporaneus fuit noſter Alenſis & ferè Scotus) non occidebantur fures ſimplices, & ideò invehit idem Soto in Baldum, quem putat fuiſſe authorem, ut pro furto ſimplici imponeretur pœna mortis: imò expreſsè hanc Scoti ſententiam ſuſtinet D. Thom. 2. 2. quæſt. 66. art 6. ad 2. ubi ſic loquitur: *Non pro quolibet peccato mortali infligitur pœna mortis, ſed ſolùm pro illis quæ inferunt irreparabile nocumentum, vel etiam pro illis, quæ habent aliquam horribilem deformitatem; & ideò pro furto, quod irreparabile damnum non infert, non infligitur ſecundùm præſens judicium pœna mortis, niſi ubi furtum aggravatur per aliam gravem circumſtantiam, ſicut patet de Sacrilegio.* Quid pro Scoto expreſſius? undè mirum eſt quoſdam Thomiſtas, eò uſque Scotum laceraſſe, ut ejus ſententiam dixerint eſſe iniquam, temerariam, periculoſam.

Reſp. 2. Scotum, ſicut & D. Thomam locutum fuiſſe ſecundùm jura antiqua Imperialia, quæ pro furto ſimplici imponebant quidem fuſtigationes, incarcerationes diuturnas, damnationem ad triremes &c. non tamen pœnam mortis; jura autem nova id ſtatuerunt, non pro furto ſimplici, ſeu præcisè, quia damnoſum eſt perſonæ privatæ, ut intelligit Scotus, ſed pro furto, cui annexa eſt gravis circumſtantia, putà, grave damnum Reipublicæ, ut furtum nocturnum, domeſticum, ſacrilegum, publicum, ſeu in viis publicis, furtum beſtiarum in agris, equorum in pratis, pannorum, lanarum, coriorum &c. ad ſiccationem expoſitorum: ex illis enim graviter impeditur publica ſecuritas, mercatura, negotiatio, famulatus neceſſarius &c.

CONCLUSIO IV.

NOn poſſunt ordinariè condemnari ad mortem malefactores, niſi ſervato ordine Juris, nec poſſunt occidi, niſi antea conceſſo tempore neceſſario pro recipiendis Sacramētis.

Prob. prima pars; ex Script. Deut. 17 *Non occidatur, uno contra ſe dicente teſtimonium.* Et paulo poſt requiritur teſtimonium duorum aut trium. Si autem occidi non poſſit reus ſine teſtimonio ſufficienti, nec poterit à fortiori ſine examine, ſine accuſatione, ſine convictione, ſine defenſione &c. Præterea exigit natura actus publici, ut ex poteſtate & ſcientia publica procedat; atqui talis eſt juſta hominis occiſio facta authoritate Judicis legitimi: ergo Hinc

Reſol 1. Peccare Judicem per defectum, ſi in examine Rei, circumſtantiarum, Accuſatoris, & teſtium, non adhibeat diligentiam ſufficientem, ſi nimium præcipitet, ſi reo Advocatum deneget, ſi ſeipſum defendentem detrectet audire.

Reſol. 2. Peccare per exceſſum, ſi reum examinet de rebus, quarum nec directè, nec indirectè præceſſit accuſatio, aut juridica ſuſpicio; ſi admittat Teſtes ſuſpectos, aut jure non admittendos, ſi reum gehenna torqueat ſine ſufficienti ratione, ſi condemnet ad mutilationem, aut mortem crudeliorem, quàm criminis ratio exigat.

Reſol. 3. Judicem eſſe homicidam, ſi jubeat occidi illum, quem certo novit eſſe reum, ſi ſecundùm allegata & probata non probetur talis: quia licèt ſcientia publica non ſemper ſufficiat ad occidendum aliquem, ut dicemus poſtea, ſemper tamen requiritur.

Dixi in Concl. *Ordinariè*: nam 1. ſi quidam ſceleratus ratione comitatus, artis magicæ, aut aliunde non poſſet capi, poſſet citatus, licèt nec præſens, nec auditus, ad mortem à quolibet infe-

Digitized by Google

inſerendam condemnari, præmiſſo tamen proceſſu, & modo occidatur de territorio proprio: nam peccaret qui illum occideret extra territorium Principis, cùm Princeps alibi nullam habeat juriſdictionem. 2. Si quis juſtitiæ Miniſtrum in foro publico, aut in ipſo Tribunali occidat, ſine alia forma poteſt occidi; quia facti notorietas tenens locum Accuſatoris & Teſtium, facit publicam ſcientiam; & excitat publicam poteſtatem ad actum juſtitiæ publicum, & ideo id etiam extendunt Doctores ad quodlibet factum ita publicum & notorium, ut nulla tergiverſatione poſſit colorari. Tertiò: quando expedit ad aliorum terrorem repertos in flagranti delicto ſtatim interficere, ut fit quandoque in bello.

Prob. ſecunda pars; quia ſi expedit malefactorum corpus occidere, ut deſinant nocere, expedit & magis eorum animam per Sacramenta vivificare, ne pereant ſine fine: unde Clem. V. Clement. prima *De Pænit & Remiſſ.* ſic loquitur: *cùm ſecundum ſtatuta Canonica ultimo deputatis ſupplicio negari (ſi petant) non debeat Pænitentiæ Sacramentum, abuſum damnabilem, in quibuſdam partibus contra hoc introductum aboleri omnino volentes, Juſtitiarios omnes, & Dominos temporales, ut ab hujuſmodi deſiſtant abuſu &c.* Hinc graviter peccat Judex, qui denegat Reo ad mortem damnato tempus Confeſſionis inſtituendæ neceſſarium; licèt timeatur Rei fuga, aut ereptio; quia ſatius eſt ut fugiat ſceleratus, quàm ex Judicis culpa pereat in æternum damnandus: nec Judicem excuſare poteſt ulla conſuetudo contraria.

Quoad Communionem, etiam urget tunc Præceptum Divinum, & præſertim ſi occidendus nunquam communicaverit, & ideo in Urbe, ut refert Navarrus, morte puniendis ſemper datur Eucharistia. Quamvis autem poſſet miniſtrari etiam non jejunis, cum detur per modum Viatici, optima tamen eſt Belgarum praxis, ubi ſummo manè pergunt ad Reos Religioſi, qui, auditis eorum Confeſſionibus, Miſſaque in Altari carceris celebrata, jejunos communicant. Non eſt tamen abſolutè condemnanda praxis certarum Provinciarum, ubi ex juſta cauſa denegatur ipſis Eucharistia, ſi aliquando primam Communionem fecerint.

Quid dicendum de Reo, qui nollet pœnitere?

Reſ. Debere Judicem per ſe, vel per alios ipſum ad pœnitentiam pluribus modis excitare: ſi impœnitens maneat, nec ſpes affulgeat pœnitentiæ, poteſt & debet occidi, quia bonum commune, tum temporale, tum ſpirituale ex ejus morte proveniens prævalet bono privato hominis ex ſua malitia miſerabiliter morientis. Deinde ſi contrarium fieret, fingerent ſe Rei impœnitentes, ut illo artificio à morte liberarentur.

QUÆSTIO II.

An liceat authoritate publica occidere innocentem?

DUobus caſibus hoc accidere poſſet. Primò: dum Tyrannus aliquis caput innocentis poſtularet. Secundò: Dum quis in judicio probaretur nocens, & ſciret Judex ſcientia privata ipſum eſſe innocentem. Ante reſolutionem

Suppono 1. in caſu 2. teneri Judicem nihil non moliri, ut deſiſtant Accuſatores à falſo crimine imponendo, ſicut & Teſtes à falſo teſtimonio: & ideo debet adhibere monita publica & privata, minas, terrores &c. Judicium interim protrahendo, ſententiam differendo, Teſtes ſæpius ſeparatim & ſtrictè examinando, ut fraus pateat.

Suppono 2. Ubi prætata nihil proficiunt, debere cauſam criminalem ad Superiorem remittere, & apud ipſum perſonam Teſtis in favorem accuſati gerere, ſi autem abſolutè velit Superior, ut hic judicium ferat, quæritur an poſſit ipſum condemnare?

CONCLUSIO I.

NUllo caſu licet, etiam authoritate publica, Innocentem directè occidere, etiamſi totius Urbis immineret excidium; & ideo Tyranno caput innocentis poſtulanti non eſt parendum. Eſt communis. Ratio eſt; quia occiſio innocentis eſt intrinſecè mala, non minus ac fornicatio, adulterium &c. conſequenter nulla ratione, nulla neceſſitate poteſt cohoneſtari. Præterea tantùm habet jus Reſpublica in vitam Civium, in quantùm ſunt bono communi ex ſe & ratione ſui pernicioſi; ſed innocens ratione ſui, potius eſt Communitati proficuus, quam noxius: ergo. Patietur quidem detrimentum Communitas ex conſervatione innocentis, ſed hoc non innocenti, ſed Tyranni malitiæ debet imputari.

Dices 1. Joſue 6. Parvuli Urbis Jericho, adeoque innocentes ab Iſraelitis fuerunt occiſi.

Reſ. Id factum eſſe ex mandato Dei, vitæ & mortis Domini, ſicut ex ejuſdem mandato 70. filios Achab interfecerunt viri Samariæ: 4. Reg. 1.

Dices 2. Licitum eſt Reipublicæ pro bono communi vitam alicujus particularis exponere evidenti mortis periculo: ergo & vitam eripere.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd actus per quem particularis exponitur evidenti mortis periculo, conducat per ſe ad defenſionem, aut conſervationem boni communis, occiſio autem innocentis, non per ſe, ſed tantùm ex malitia Tyranni ad illud conducat.

CONCLUSIO II.

NOn licet Judici condemnare ad mortem probatum nocentem, ſi ſcientia privata noverit innocentem. Ita cum Doctore Seraphico tenent ferè omnes DD. Auguſtini, & Scoti diſcipuli contra plurimos Thomiſtas.

Prob. 1. Ex Script. Exodi 23 ubi dicitur Judici: *Non ſuſcipies vocem mendacii. Non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut à vero devies.* Et infra: *inſontem & juſtum non occides*, atqui in ſententia oppoſita Judex ſciens & advertens ſuſcipit vocem mendacii, ſequitur turbam ad faciendum malum, nempe Accuſatorem & Teſtes iniquos, ut perdat innocentem, à veritate deviat ob ſententiam plurimorum, & Inſontem occidit: ergo videtur opinio altera formaliter & expreſſè repugnare Scripturæ ſacræ.

Prob 2. Ex D. Auguſt. ſerm. 22. de Verbis Apoſt. cap. 8. *Si Judex es ... ſi veris documentis, teſtibuſque convincitur* (nempe accuſatus) *coerce, corripe, excommunica*, ubi ſatis inſinuat S. Doctor, quòd ubi novit Judex ſe documenta & teſtimonia falſa recipere, non poſſe accuſatum corripere, adeoque nec ad mortem condemnare.

Prob. 3. Ratione. Non poteſt Judex ſciens privatim aliquam mulierem non eſſe conjugem Petri v. g. quæ talis publicè probatur, obligare Petrum per ſententiam ad cognoſcendam illam id requirentem, quia intrinſecè malum eſt; ſed occidere innocentem etiam intrinſecè malum eſt: ergo.

Prob. 4. Deſtruendo Achillem adverſariorum. Lex obligans Judicem ad judicandum ſecundùm allegata & probata eſt purè humana; atqui lex prohibens occidere inſontem eſt Divina, & quidem naturalis: ergo huic cedere debet altera.

Objic. 1. *In ore duorum aut trium teſtium ſtat omne verbum*; Matth. 18.

Reſ. Diſt. Aſſumpt. In ore duorum vel trium veritatem dicentium, C. mentientium, N. prohibet enim Deus ſuſcipere vocem mendacii.

Objic 2. Cap 2. 3. & 6. q. 2. traditur ſententia oppoſita: ergo.

R. Neg. Ant. Quia tantùm docetur non poſſe Judicem condemnare illum, quem privatim novit criminoſum, ſi crimen illius non probetur juridicè. Eſt autem diſparitas inter hunc & noſtrum caſum, quòd leges humanæ, propter inconvenientia, præcipere poſſint Judici, ut non puniat reum, niſi adſit probatio juridica; quia non punire reum non eſt de ſe malum, aliàs nunquam liceret Principi gratiam facere reo: non poſſunt autem leges illæ eidem præcipere ut occidat inſontem, licèt contra ipſum foret probatio juridica; eò quòd inſontem occidere ſit omni caſu illicitum, quia intrinſecè malum.

Objic. 3. In cauſis civilibus ſemper judicandum eſt ſecundùm allegata & probata: ergo & in cauſis criminalibus.

Reſ. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd bona fortunæ ſint reparabilia, non ſic vita amiſſa: unde poſtquam Judex in cauſa civili judicavit in favorem illius, cui favebant falsò allegata & probata, poteſt & debet ex charitate induere perſonam Teſtis, ut agat in novo proceſſu in favorem illius, qui litem perdidit, ſicque poſſit amiſſa recuperare.

Objic. 4. Judex illo caſu non poteſt accuſatum liberare: ergo tenetur condemnare.

Reſ. Ant. eſſe falſum de Judice ſupremo; de Judice autem inferiore illud diſtinguo: non poteſt accuſatum liberare, negligendo carceris cuſtodiam, ipſi fugam facilitando &c N. imò ad id tenetur. Non poteſt per ſententiam declarativam ipſius innocentiæ, C. quia hoc prohibent leges humanæ; & ideo ut nec legem naturæ, nec humanam violet, abſtinere debet à condemnatione & liberatione juridica; ſi autem ad condemnationem cogatur, potiùs Officium, ſuaque omnia perdere, imò & mortem ſubire, eligere debet.

Objic. 5. Poſſet fieri quòd Judex tantùm noverit innocentiam accuſati ex Confeſſione Sacramentali.

Reſ. Vel novit ex confeſſione ipſiuſmet accuſati, vel ex confeſſione illius qui crimen patravit: ſi primum, negligenda eſt illa ſcientia, quia licet credere debeamus pœnitenti tam pro ſe, quàm contra ſe loquenti in ordine ad abſolutionem; non tamen in ordine ad forum externum, cùm poſſit evaſurus mentiri; & ideo ſilere debent Confeſſarii, nec innocentes proclamare illos, qui ducuntur ad ſupplicium, ſi id tantùm noverint ex ſcientia Con-

Digitized by Google

feſſionali, cùm id prodeſſe non poſſit: ſi ſecundum, nec ſit periculum ſigilli revelandi, non poteſt condemnare; ſi autem ſit periculum, condemnare debet credendo Deum, qui nullo caſu voluit revelari ſecretum Confeſſionale dediſſe ſibi facultatem in vitam illius hominis: quod in aliis caſibus non poteſt præſumi.

Objic. 6. Judex debet agere ut perſona publica: atqui ut talis non novit accuſatum eſſe innocentem: ergo.

Reſ. Diſt. Ant. Debet agere ut perſona publica in iis quæ ſubſunt diſpoſitioni Reipublicæ, C. in aliis, N. Reſpublica autem nullam poteſtatem habet in vitam innocentis.

Objic. 7. Miniſtrari debet Euchariſtia indigno publicè petenti, ſi tantùm ſcientia privata cognoſcatur indignus: ergo ſimiliter.

Reſ. Neg. Conſeq. Diſp. eſt, quòd diſtributio Sacramenti ſit de ſe bona, & tota malitia illo caſu oriatur defectu reverentiæ debitæ ex parte recipientis, cujus peccato non cenſetur cooperari Miniſter, cùm juſtam habeat cauſam illud permittendi, nempe exemplum Chriſti Judam indignum communicantis; Judex autem per ſententiam non tantùm permiſſivè, ſed etiam poſitivè & directè influit in occiſionem innocentis.

Objic. 8. cap. 28. §. 4. de Offic. & Poteſt. Judicis deleg. præcipitur Judici, ut exequatur ſententiam, quam novit injuſtam.

Reſ. Non agi illo loco de Judice, ſed de Executore, qui cùm præſumatur incapax, ut de ſententiæ juſtitia aut injuſtitia judicet, ideo decernitur ut quamvis crederet injuſtam, illam mandet executioni. Præterea cauſa ibi agitata non eſt criminalis, ſed purè Eccleſiaſtica.

Petes: An ſaltem liceat authoritate publica indirectè occidere innocentem?

Reſ. Affir. Quando per actionem indirectè occiſivam intenditur effectus licitus, & bono communi neceſſarius, v. g. Princeps obſidet Urbem, quam non poteſt expugnare, niſi deſtructa turri, in qua ſunt innocentes, poteſt tormentum bellicum in illam dirigere, licèt innocentium mortem prævideat. Ratio eſt, quia nunquam poſſet geri bellum, etiam juſtiſſimum contra nocentes, præſertim Urbem obſidendo; quandoquidem moraliter certum ſit per tormenta bellica interficiendos eſſe aliquos innocentes, qui ſunt, ut declaravit Alexander III. cap. 2. *De Tregua & Pace*, pueri, mulieres, presbyteri, monachi, peregrini, mercatores, advenæ, ruſtici &c.

Dixi: *Bono communi neceſſarius*; quia ſi Oppidum v. g. expugnari poſſit, turri recta perſeverante, illicitè impeteretur, cum periculo vitæ innocentium ibidem exiſtentium. Idem dic de ſimilibus.

QUÆSTIO III.

An liceat ſeipſum occidere?

DUpliciter poteſt aliquis ſeipſum occidere. 1. Directè per ſe, & ex intentione vitam ſibi eripiendi, ut ſi quis flammis ſe donet, præcipitio collidat, gladio transfodiat, laqueo ſuſpendat. 2. Indirectè, ſeu non ex intentione mortis, ſed faciendo, vel omittendo id per quod evidenti mortis periculo exponitur. Hanc duplicem occiſionem articulo duplici explicabimus.

ARTICULUS I.

An ſit aliquando licita directa ſui ipſius occiſio, aut mutilatio?

CONCLUSIO I.

NUnquam licitum eſt, ſecluſo Dei mandato, aut Inſtinctu Divino, ſeipſum directè occidere. Eſt definitum in Conc. Bracharenſi. Hanc fidei veritatem expugnarunt tempore Julii Papæ & Conſtantii Imperatoris Circumcelliones, ſeu Circuitores, qui omnia loca circumeuntes docebant hominem ſeipſum interficientem, aut ab alio, quem rogaverat, interfectum, eſſe martyrem.

Prob. 1. concl. ex Script. quæ per præceptum *Non occides*, prohibet omnem occiſionem rectæ rationi adverſantem; ſed nihil magis rationi repugnat, quàm ſui ipſius occiſio, cùm natura ipſa nobis inſpiret inclinationem vitæ conſervandæ: ergo.

Prob. 2. Ex Sanct. PP. Cypriano lib. *De duplici mart.* ſi ſit illius author: *Si qui leguntur ſibi fortiter conſciviſſe necem, aut infirmitas erat morte quærens dolorum finem, aut ambitio, aut dementia.* Auguſt. pluribi & præſertim lib. 1. de Civit. Dei cap. 26. *Hoc dicimus, hoc aſſerimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem ſpontaneam mortem ſibi inferre debere.*

Prob. 3. Ratione; injuriam Domino facit, qui ſervum illius occidit, cùm vitæ illius Dominus ſit ſolus Deus, & homo tantùm depoſitarius: unde Sap. 16. dicitur: *Tu es Domine qui vitæ & mortis habes poteſtatem.* An autem ſuicidium ſit tantùm contra Charitatem, an etiam contra Juſtitiam? diſputatur: crediderim tamen eſſe aliqualiter contra juſtitiam, cùm ſuicida diſponet de eo quod ſuum non eſt, invito rationabiliter Domino, qui Deus eſt. Imo poſſet quis etiam peccare contrà juſtitiam Reipublicæ debitam, ut ſi eſſet Princeps, aut Dux egregius, à quo pax & ſalus Reipublicæ dependeret, qui autem bono communi non eſſet utilis, non violaret illam juſtitiam, cùm Reſpublica non ſit domina, etiam ſecundaria, vitæ Civium.

Objic. 1. Razias ſeipſum occidit, & tamen Scrip. 2. Mach. 14. de ipſo ait: *Gladio ſe petiit, eligens potius nobiliter mori, quã &c.*

Reſ. Scrip. vocare mortem illius *nobilem* ad ſenſum ipſiuſmet Raziæ in hoc decepti: unde D. Th. 2. 2. q. 64. art. 5. ad 5. de ipſius facto ſic loquitur: *Non eſt vera fortitudo, ſed magis quædam mollities animi non valentis mala pœnalia ſuſtinere.*

Objic. 2. Factum Sampſonis ſeipſum cum hoſtibus domus ruina opprimentis, ſicut & Eleazari, qui ſe cum elephante (cui Regem hoſtium inſidere putaverat) interfecit.

Reſ. Non peccaſſe Sampſonem: quia, ut ait Auguſt lib. 1. de Civit. Dei c. 21. *Spiritus latenter hoc juſſerat, qui per illum miracula faciebat*: unde Apoſt. Hebr. 11. inter Sanctos commemorat Sampſonem: Eleazarum autem arrogantem vocat Greg. l. 16. Moral. c. 13. Tamen Ambr. lib. 1. Offic. c. 40. ipſum excuſat, & aſſerit quòd *Hæredem virtutis ſuæ pacem* reliquerit: nec immeritò, quia ſperabat Eleazarius vel fuga, vel lapſu elephantis in alteram partem ſibi conſulere.

Objic. 3. Hiſtoriam variarum Virginum, quæ pro Sanctis coluntur, quarum aliquæ in ignem, ut S. Apollonia, aliæ in flumen ſe projecerunt.

Reſ. Hoc feciſſe inſtinctu Divino: unde legitur in Breviario de S. Apollonia, quod ſe injecerit in ignem, *Majori Spiritus Sancti flamma intus accenſa.* Idem refertur de D. Ignatio proponente urgere leones ut ſe velocius devorarent. Vel etiam excuſari poſſunt Virgines illæ ex ignorantia, qua crediderunt ſuicidium circumſtantia virtutis palliatum, v. g. ob conſervationem pudicitiæ, defenſionem Fidei &c. eſſe licitum.

Objic. 4. Aliquando licet occidere alterum: ergo aliquando ſeipſum.

Reſ. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd recta ratio aliquando dictet neceſſariam eſſe alterius occiſionem, ut malefactorum; nunquam autem occiſionem ſui-ipſius: vel enim eſt innocens, qui ſeipſum interficit, & parricida eſt, inquit Auguſt. vel eſt nocens, & nullam habet in vitam ſuam poteſtatem.

Objic. 5. Saltem Judex ſupremus poterit ſeipſum nocentem occidere, cùm poſſit alterum.

Reſp. Neg. Aſſump. Ideo enim poteſt Judex alterum occidere, quia poteſt illum judicare: cùm autem nullus reſpectu ſui-ipſius ſit Judex, ità nec poteſt eſſe interfector: poteſt tamen ſe aliorum judicio committere, & ſententiam expectare.

Objic. 6. 1. Joan. 3. dicitur: *Nos debemus pro fratribus animas ponere*; & alibi aſſerit Scriptura, non eſſe majorem Charitatem, quam animam pro amicis ponere: ergo licet ſeipſum occidere pro ſalute proximi.

Reſ. Diſt. Ant. Debemus animam ponere, mortem nobis inferendo, N. aliquando mortem aliunde illatam patienter tolerando, C. unde proponitur nobis præcisè exemplum Chriſti, qui mortem non ſibi intulit, ſed à Judæis illatam pro nobis ſuſtulit.

Inſt. 1. Prævalet apud Deum vita animæ vitæ corporis: ergo ſi ſim apud fluvium, v. g. cum puero non baptizato jam jam morituro, poſſum me in illum cum puero projicere, ut ipſum baptizem, licèt non ſit ſpes evadendi.

Reſ. Diſt. Ant Prævalet apud Deum, ideſt, magis utilis eſt Deo vita animæ, quàm corporis, N. quia Deus nihil commodi percipit ex creatura, ideſt, vult Deus, ut vitam animæ præferamus vitæ corporis, quando id fieri poteſt ſine peccato, C. ſed hoc non ſtat in noſtro caſu.

Inſt. 2. Præſumitur tunc conſenſus Dei, volentis omnes homines ſalvos fieri.

Reſ. Præſumptionem eſſe infundatam; quia Deus vult quidem ſincerè ſalutem omnium, ſed per media licita obtinendam, unde ſicut mulier, cui ſceleratus diceret: *Vel permitte mihi uſuram tui corporis, vel occidam prolem tuam non baptizatam*, non poſſet præſumere Dei conſenſum, ita nec homo in noſtro caſu; quia, ut ait Auguſt. lib. 1. de Civ. Dei c. 20. *Nuſquam nobis ... permiſſum reperiri poteſt, ut vel ipſius adipiſcendæ immortalitatis, vel illius carendi, cavendivè mali cauſa nobiſmet ipſis necem inferamus.* Hinc

Reſol. 1. Peccaturum, qui loco alterius juſtè vel injuſtè decollandi, ſeſe ad mortem præſentaret. Aliud eſſet, ſi, commiſſo gravi crimine, ſe offerret Judici puniendum, quia tunc non cenſeretur ſe occidere ſicut in primo caſu, ſed debitam crimini pœnam exigere: quod eſt actus virtutis.

Reſol 2. Eſſe ſui homicidam, qui, ne alter fame moriatur, moritur ipſemet cedendo panem: ſicut & illum, qui ne amicus interficiatur, ſe gladio objicit.

Re-

Reſol. 3. Ream eſſe matrem, ſi certò ex vulnere moritura permittat ſibi aperiri ventrem, ut baptizetur puer; id tamen poteſt, ubi apparet ſpes evadendi.

Reſol. 4. Nefas eſſe ſe ipſum interimere ad puniendum peccatum præteritum. Circa hoc errarunt Donatiſtæ facientes Martyres illos, qui ſe ob commiſſa peccata occiderent, cùm tamen nullus ſit ſibi Judex idoneus: & aliundè expediat vivere, ut peccata per pœnitentiam diuturnam deleantur.

Reſol. 5. Id etiam non licere ad cavendum lapſum futurum; quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona: hinc D. Aug. lib. de Civit. Dei c. 25. *Quis ita deſipiat ut dicat: jam nunc peccemus, ne poſteà fortè peccemus, jam nunc perpetremus homicidium, ne fortè poſteà incidamus in adulterium.*

Reſol. 6. Nec permiſſum eſſe ſuicidium ad vitandum ſtuprum; quia pudicitia eſt virtus animi, quæ, oppreſſo corpore, non amittitur, ſi mens non conſentiat. Hæc patent ex Auguſt. ſupra c. 18.

Reſol. 7. Etiam graviter delinquere, qui ſe gladio transfodit, ne ignominioſè ſuſpendatur, ne crudeliter trucidetur, vivus comburatur, aut patiatur duriora; quia licèt non teneamur vitam omnimodè conſervare; non poſſumus tamen illam poſitivè deſtruere: imminet quidem mors acerbiſſima, ſed ſuicidium non eſt medium ad illam vitandam ordinatum; & ideò non licet illud etiam ut medium intendere: quod tamen faciunt, qui ſe interimunt, mortem acerbiorem vitaturi.

Reſol. 8. Morbo contagioſo infectum illicitè ſe projicere in mare, ne aliis ejuſdem navis noceat.

CONCLUSIO II.

POteſt quis membrum ſuum mutilare, vel ab alio illius mutilationem pati, ubi id exigit conſervatio totius; aliàs non.

Prob. prima pars; licet abſcindere ſui partem, quæ non poteſt conſervari; ſed ubi non poteſt conſervari totum, niſi abſcindatur pars, nec poteſt ipſa conſervari; quandoquidem, pereunte toto, periret & ipſa: ergo. Deindè pars eſt propter totum: ergo debet illa negligi, ut totum ſervetur incolume. Hinc

Reſol. 1. Poſſe aliquem ſibi abſcindere brachium, pedem, tibiam, &c. Ubi propter putredinem, fracturam, aut quid ſimile aliàs imminet evidens mortis periculum.

Reſol. 2. Etiam poſſe amputari membrum ſuum ad vitandam mortem aliàs inevitabilem; & ideò manu ad palum alligatus poteſt illam ſibi abſcindere, ſi aliàs eſſet igne conſumendus, a beſtia devorandus, aut à ſicariis necandus.

Reſol. 3. Idem eſſe, ſecundùm veriorem ſententiam, ſi Tyrannus minetur mortem, niſi mihi aurem, aut aliam partem abſcindam; quia id dictat prudentia & ratio naturalis; quandoquidem ipſamet pars eſſet cum toto peritura: peccat quidem mandans, non tamen exequens, cùm id non faciat ut illi obtemperet, ſed ut ſibi conſulat.

Eſt autem diſparitas inter hominem reſpectu ſuorum membrorum, & Rempublicam reſpectu ſubditorum; quòd hæc non poſſit extirpare membrum, niſi ſit ratione ſui bono communi nocivum; & ideò diximus, non poſſe occidere innocentem ut vitet Tyranni minas: ille verò poſſit de membro diſponere in quantùm exigit totius conſervatio; ſivè interim ſit nocivum, ſive non cujus ratio ulterior eſt, quòd homo majorem habeat adminiſtrationem in hac materia, quàm Reſpublica, cùm hæc reſpectu ſuorum tantùm habeat moralem, ille naturalem: hæc autem plus permittit, quàm illa.

Sed teneturne homo pati abſciſſionem membri putridi totius excidium cauſantis, ubi ſine extraordinariis doloribus non poteſt abſcindi?

Reſp. Neg. Etiamſi præcipiat Superior aut Reſpublica, niſi certè eſſet bono communi neceſſarius, quod rarò accidit. Ratio eſt; quia non tenetur homo per media extraordinaria & horribilia vitæ ſuæ conſulere; & cùm actus ille nimium ſit difficilis, non cadit ſub poteſtatem Superioris. Ubi verò non forent tanti dolores, teneretur abſciſſionem pati, ut concedunt omnes: non poſſet tamen aliquis, ipſo invito, id facere; cùm homo, reſpectu ſuorum membrorum, ſit ſui juris. Excipe tamen illos, qui curam perſonæ mutilandæ tenentur gerere, ut eſt Pater, Tutor, Dominus reſpectu Mancipii, Superior &c. Hi enim poſſunt, invito ſubdito infirmante, id per ſe, vel per alium exequi.

Prob. ſecunda pars, quia homo non eſt ſuorum membrorum Dominus, ſed adminiſtrator, qui ideò, niſi totius conſervatio, cujus tenetur curam gerere, id exigat, nullo caſu poteſt id exequi ſine gravi peccato. Hinc

Reſol. 1. Graviter peccaſſe Originem, qui ſe caſtravit, ut ſecurius mulieribus per domos prædicaret. ſicut & peccant illi, qui id faciunt, ne multiplicentur proles, ut vitent peccata carnis, ut vocem habeant ſuaviorem: & à fortiori illi, qui in hunc finem jubent caſtrari parvulos.

Reſol. 2. Factum D. Marci Anachoretæ pollicem ſibi amputantis, ne ſacris initiaretur, non eſſe approbandum, niſi inſtinctu Divino id fecerit, aut ipſum excuſaverit ignorantia, quæ potuit excuſare Clariſſas illas apud Wading, quæ, ne ſtuprarentur, faciem ſibi enormiter deturparunt.

Dices 1. Matt. 19. dicitur: *Sunt Eunuchi qui ſeipſos caſtraverunt propter Regnum Cælorum.*

Reſ. cum D. Chryſoſt. in illum locum, ſe caſtraſſe, non per membrorum abſciſſionem, ſed per malarum cogitationum interemptionem: plus enim nocent caſtitati pravæ cogitationes & occaſiones, quàm ipſa membra de ſe omninò indifferentia.

Dices 2. *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Matth. 18. ergo &c.

Reſ. Chriſtum ibi tantùm velle occaſiones, pericula, converſationes, imò & ipſos parentes eſſe à nobis elongandos, ſi ſint nobis cauſa peccati.

ARTICULUS II.

An liceat aliquid facere, vel omittere, ex quo probabiliter timetur propria mors indirectè ſecutura?

CONCLUSIO I.

LIcet ex juſta & gravi cauſa certas actiones facere, ex quibus timetur mors indirectè ſecutura, ſi ſaltem affulgeat ſpes evadendi. Eſt communis. Ratio eſt; quia licèt Deus homini prohibuerit vitam ſibi quaſi exoſam adimere; nullibi tamen prohibuit illam ex gravi cauſa, præſertim publica, periculo exponere: imò id ſæpius juſſit, ut patet ex veteri Teſtamento, ubi plurima leguntur bella ex Dei mandato, aut conſenſu geſta.

Confir. Quia etſi intrinſecè malum ſit ſe polluere, aliquando tamen laudabile eſt, ſe indirectè illius periculo exponere, ut Confeſſiones audiendo, caſum neceſſarium in re venerea diſcutiendo &c. modò tamen abſit periculum conſenſus: ergo ſimiliter in noſtro caſu. Hinc

Reſol. 1. Poſſe, imò & debere Epiſcopum aut Parochum tempore peſtis per ſe, vel per alium Sacramenta peſte correptis adminiſtrare.

Reſol. 2. Poſſe uxorem ad conſolationem Mariti peſte infecti aſſidere ejus lecto, ſicut & amicum aut Religioſum, ſi ſperetur aliquis fructus, v. g. ejus pœnitentia.

Reſol. 3. Poſſe & teneri militem tempore obſidionis muros Civitatis conſcendere, ſtationem deſignatam cuſtodire, hoſtem aggredi, ſuſtinere, repellere.

Reſol. 4. Exiſtentem in parte ſuperiori domus, poſſe ad evitandum incendium, ſe per feneſtram projicere, modò ſit ſpes aliqua vitæ conſervandæ.

Reſol. 5. Poſſe milites navales igne tormentario navem abſumere, ne tormenta bellica, divitiæ, merces &c. veniant in manus hoſtium, ſi appareat ſpes evadendi, natando, naviculas conſcendendo &c. aliàs non licèt; quia tunc actio illa reputatur directè, occiſiva: unde

Advertendum, actionem eſſe directè occiſivam, quando inde mors eſt certò ſecutura, ſive illa intendatur, ſive non; ſive intendatur bonum publicum, ſive aliud: indirectè autem occiſivam, quando mors nec intenditur, nec creditur certò eventura: unde falluntur illi, qui, ut ità loquar, directionem, vel indirectionem actionis occiſivæ petunt ab intentione operantis, cùm ſit petenda à natura talis actionis in talibus circumſtantiis; ita ut ſi mortem certò inferat, ſit directè occiſiva; indirectè autem, ſi ſolùm probabiliter, & ad alium finem dirigatur.

CONCLUSIO II.

POteſt quis licitè & laudabiliter varia omittere; ex quorum omiſſione timetur, imò prævidetur mors indirectè ſecutura, aut acceleranda.

Ratio eſt; quia non tenemur vitam noſtram omnibus modis conſervare: hocque nobis oſtendit Chriſtus verbo & opere: *opere* quidem, dum permiſit ſe à Judæis occidi, cùm poſſet ſe defendere; quod exemplo Capitis fecerunt & innumeri Martyres: *verbo* autem, cùm Joan. 15. dixit: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Hinc

Reſol. 1. Eſſe actum virtutis heroicæ potius mortem patienter tolerare, quàm injuſtum vitæ aut honoris invaſorem occidere.

Reſol. 2. Non teneri hominem omnibus modis, etiam licitis, vitam longiorem quærere: unde non tenetur ad aerem ſalu-

briorem tranſire, medicinas extraordinarias ſumere, cibos pretioſos ſibi comparare, etiamſi per hoc ad aliquod tempus vita prolongaretur; quia non vult Deus, ut de longa vita ſimus adeo ſolliciti.

Reſol. 3. Non eſſe abſolutè condemnandos illos, qui nolunt acquieſcere Medicis, ſi experientia noverint pharmaca potius ſibi nocere, quàm prodeſſe: ubi tamen ab aliqua medicina mors, aut vita dependeret ſecundùm prudentis Medici judicium, teneretur quis illam ſumere, non obſtante experientia, aut repugnantia: ſiquidem *Altiſſimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa*, Eccle. 38.

Reſol. 4. Non peccare aliquem per vigilias & abſtinentias moderatas, licèt inde vita ſit abbrevianda: ſicut nec peccat per ſtudium, orationem, mortificationem, flagellationes, modò illa ordinentur ad corporis caſtigationem, non deſtructionem: quod addo: quia ſi quis per illa graviter noceat valetudini, ſeque paulatim interimat, ſuiipſius homicida eſt, & contravenit Apoſtolo dicenti Rom. 14. *Noli deſtruere opus Dei*: unde prudentia & diſcretione opus eſt, & cavendum ne illis ſe immiſceat amor proprius: & ideò ſæpè expedit ut prudentis Doctoris conſilium ſit menſura mortificationum, ad præcavendam inimici aſtutiam.

Reſol. 5. Non teneri aliquem nubere, licèt in cœlibatu mori debeat ob indiſpoſitionem: hinc laudat Eccleſia S. Caſimirum Regem, qui maluit mori Virgo, quàm maritatus vivere.

Reſol. 6. Quòd licèt Carthuſiani teneantur veſci carnibus, ubi alioqui deberent fame perire; poſſint tamen ab illis abſtinere in infirmitate, etiam periculoſiſſima, imò extrema, ſi adſint alii cibi ad vitam ſufficientes, licèt, ratione debilitatis, minus ſolidi. Ratio eſt; quia in 1. caſu adſtat lex naturæ de conſervanda vita prævalens omni conſtitutioni humanæ: unde refert Gerſon Carthuſienſem in extrema neceſſitate, equi ſanguinem ſuxiſſe, nec de hoc à fratribus fuiſſe reprehenſum, in 2. autem, tantùm exponit vitam evidenti periculo: quod quandoque licet pro bono virtutis, & obſervantiæ communis, ſicut licet pro bono patriæ, aut Reipublicæ.

ARTICULUS III.

Varia diſcutienda de ſui-ipſius occiſione.

PEtes 1. quid dicendum de illis, qui paulatim vino aduſto ſe interimunt?

Reſ. Eſſe in continuo ſtatu peccati, & in continuo ſui-ipſius homicidio, adeoque omni abſolutione, omnique Sacramento eſſe indignos, niſi reſipiſcant; imò toties peccant mortaliter, quoties ſibi graviter nocent: quod ſemper accidit, ubi jam in tali ſtatu ſunt poſiti, ut vel ſit relinquendum vinum aduſtum, ſaltem in magna copia, vel moriendum. Dico: *In magna copia*, quia jam aſſuetis non eſt totaliter interdicendum, ſed paulatim illius quantitas minuenda, juxta præſcriptum prudentis Medici. Idem dicimus de illis, qui nonnunquam exceſſus notabiles committunt in vino, aut aliis liquoribus, ſicut & in crapula: nam *Multos exterminavit vinum*, Eccl. 35. Et *propter crapulam multi obierunt*, 37.

Petes 2. Quid ſentiendum de illis, qui ambulant, ſaltant, geſticulationes exercent ſuper chordam in loco excelſiori poſitam?

Reſ. Niſi per longam experientiam ſint moraliter certi de ſua dexteritate, induſtria, agilitate &c. peccare graviter ob periculum lapſus & mortis, cui ſe exponunt.

Petes 3. Quid de illis, qui, ut extollant virtutem ſuæ theriacæ, ſumunt venenum, vel ſe à vipera morderi permittunt?

Reſ. Id eſſe licitum, ubi ſequentia concurrunt 1. Si conficiens ſit vir peritus. 2. Experientiam fecerit in aliquo bruto. 3. Si credat certò nullum eſſe periculum. 4. Si, caſu quo poſt ſumptionem videret ſe decipi habeat ad manum remedium infallibile; aliàs præfata non licent.

Petes 4. An damnatus ad mortem poſſit ſupplicio ſuo cooperari?

Reſ. Aliquos actus ad mortem proximè & efficienter diſponere, ut in ignem proſilire; à ſcala patibuli ſe dejicere, venam ſibi aperire, ut totus ſanguis effluat &c. & illi actus ſunt morti adjudicato illiciti; quia continent directam ſui occiſionem; alii actus tantùm diſponunt remotè, ita ut ex illis nec proximè, nec efficienter ſequatur mors, ut eſt collum præbere, ſcalas aſcendere, os veneno ſumendo aperire, linguam abſcindendam extrahere: & illi actus videntur liciti; quia ſunt tantùm diſpoſitiones ad commodiùs & faciliùs mortis ſententiam ſubeundam.

Petes 5. Sed quid ſi Judex præciperet reo, deficiente juſtitiæ Miniſtro, ut ſeipſum interficeret, tenereturne id exequi? affirmant aliqui, negant plurimi: ego diſtinguendum puto; aut enim juſtitiæ executio parit gravem horrorem, & repugnantiam, ut eſſet, ſe laqueo ſuſpendere, gladio transfodere, membratim conſcindera, linguam ſibi amputare &c. aut vix aliquem continet horrorem, ut, cibum vel potum venenatum ſumere, venam ſibi aperire, unde totus effluat ſanguis, ſe in flumen projicere: in 1. caſu nec Judex poteſt præcipere, nec reus ſententiam in ſe exequi, quantumlibet crimen commiſerit; quia tunc reus, ob nimiam naturæ repugnantiam, non eſt idoneus Juſtitiæ Miniſter ſui ipſius, videturque præceptum & executio humanæ rationi graviter adverſari; in 2. autem caſu, poterit Judex præcipere, & poterit, imò & tenebitur reus exequi, ſi mors ab alio inferenda debuiſſet eſſe ob criminis gravitatem longè acerbior. Ratio eſt; quia tunc inter ſententiam & delictum videtur proportio, nec apparet rationi diſſentaneum, quòd quis authoritate publica illam in ſeipſo exequatur.

Dices 1. juxta D. Th 2. 2. q. 69. art. 4. ad 2 *Nullus ità condemnatur quòd ipſe ſibi inferat mortem, ſed quòd ipſe mortem patiatur*: & q. 94. art. 5. ad 2. aſſerit, non licere Judici ſeipſum interimere, cujuslibet criminis ſit reus.

Reſ. ad primum ſanctum Doctorem tantùm velle non eſſe ordinarium; non negat tamen poſſe aliquando fieri.

Ad ſecundum dico, ideò Judicem non poſſe ſeipſum occidere; quia licet ſit Judex reſpectu aliorum, non eſt tamen Judex reſpectu ſui ipſius, ut antea diximus; & ideò ſi ſeipſum interimeret, id non faceret authoritate publica, ſed privata; quod ſemper intrinſecè malum eſt.

Dices 2. Talis executio repugnat naturæ: ergo

Reſ. Diſt. Ant. Repugnat naturæ, id eſt inclinationi naturali quam habet homo ad ſui conſervationem, C. id eſt dictamini rationis, N.

Dices 3. Talis actio non eſt actus Juſtitiæ vindicativæ, cùm non ſit ad alterum.

Reſ. Neg. Aſſump. Quia poteſt quis in ſeipſum illam exercere, ut patet in inquiſitione, & in Religionibus, ubi Rei jubentur ſeipſos flagellare.

Dices 4. Nulla lex, ſive divina, ſive humana, ſive naturalis, permittit ſui ipſius occiſionem.

Reſ. Diſt Aſſump. Nulla lex permittit ſui-ipſius occiſionem authoritate privata, C. pubica, N.

Petes 6. An condemnatus, ut fame pereat, poſſit cibum reſpuere?

Reſ. Neg. Ita expreſsè D. Thom. q. 69. art. 4. ad 2. quia ſeipſum occideret: dicitur enim homo ſe occidere non ſolùm dum gladio, laqueo, aut alio inſtrumento vitam ſibi eripit, ſed etiam dum mortem venientem mediis ordinariis non impedit, ut patet in eo, qui flammas, aquas, beſtias appropinquantes non fugeret.

Dices: Hoc faceret authoritate publica; atqui ex dictis hoc licet: ergo

Reſ. Neg. Mai. quia talis ſententia tantùm præcipit, ut ei cibus non offeratur; non autem, ut oblatum reſpuat: ſi autem juſta ſententia id etiam præciperet, poſſet reſpuere, ſed tunc authoritate publica ſe occideret.

Petes 7. An damnatus ad mortem poſſit; ubi fugere poteſt in carcere manere?

Reſ. Affirm. Quia ſi poſſit reus ſe Judici puniendum offerre, ut diximus, quidni à fortiori in carcere manere? hoc enim juxta communem hominum exiſtimationem non eſt ſe occidere, ſed mortem juſtè inferendam expectare, idque in criminum punitionem & aliorum exemplum. Prætereà patienter tolerare pœnam peccatis proportionatam eſt actus virtutis: ergo & velle illam tolerare.

Dices: Ergo damnatus, ut fame pereat, poterit cibos reſpuere, cùm mors ſit peccatis proportionata.

Reſ. Neg. illationem; quia excederet ſententiam Judicis, quæ non eſt, ut fame pereat dum offeruntur cibi, ſed ut, deficientibus illis, mortem patiatur.

Petes denique: An qui arripuit tabulam poſt naufragium, poſſit illam cedere Patri, aut alteri, ſi, illa conceſſa, nulla ſit ſpes evadendi?

Reſ. Neg. Quidquid dicant aliqui; quia ſe directè occideret: & certè ſi directè ſe occideret, illam relinquens ſine ullo motivo: quidni & relinquens ex motivo pietatis? quandoquidem motivum extrinſecum non variat rationem actionis.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO IV.

De injuſto alterius Homicidio.

HOmicidium culpabile, de quo hic agitur, definitur: *Hominis ab homine injuſta occiſio.*

Dicitur: *Ab homine* ſimpliciter, & non ab altero homine, ut includatur tam ſuicidium, quod eſt occiſio ſui-ipſius, quàm Homicidium, quod eſt occiſio alterius.

Dicitur etiam: *Injuſta*, ut excludatur occiſio nocentium facta authoritate publica. De Suicidio & Homicidio authoritate publica egimus; reſtat agendum de Homicidio authoritate privata: circa quod cùm variæ poſſint eſſe quæſtiones, etiam varios proponemus articulos.

ARTICULUS I.

Quantum ſit peccatum Homicidium, quot modis committatur, & qualiter à Confeſſariis examinandi ſint Homicidæ?

CONCLUSIO I.

HOmicidium eſt peccatum ex genere ſuo mortale, & quidem inter omnia, quæ in proximum committuntur, graviſſimum.

Prob. 1. Ex Script. Exodi 20. quæ inter præcepta negativa proximum reſpicientia, primum ponit: *Non occides*; imò poſt Diluvium primum Dei mandatum fuit de non occidendo homine: *Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius*, Gen. 9. & ut oſtendat illius præcepti tranſgreſſionem eſſe abominabilem, addit: *Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.* Primum etiam fuit in Euangelio à Chriſto explicatum: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non occides.* Matth. 5.

Prob. 2. Ex Catechiſmo Concil. Trid. p. 3. c. 6. *Deo injuriam is facit, & quaſi violentas illi manus afferre videtur, qui ejus imaginem de medio tollit*; unde ejus malitia non tantùm conſiſtit in violatione Juris humani; ſed etiam, & præſertim, Juris Divini; & ideò Homicida, ultra Charitatem, etiam violat Juſtitiam tum Deo, tum homini debitam: Deo, ratione dominatus in vitam noſtram, & homini, ratione uſus ſibi in illam conceſſi.

Prob. 3. Eò quòd Homicidas ſubjecerit Eccleſia pœnæ publicæ per totam vitam, aut ſaltem per longam annorum ſeriem, ut patet ex antiquis Canonibus.

Prob. 4. Ratione; quia crimen illud adverſatur primo, & principali hominis bono temporali: quod eſt ejus vita, qua nihil habet pretioſius.

CONCLUSIO II.

SEx modis committi poteſt Homicidium, facto, præcepto, conſilio, defenſione, permiſſione, cooperatione.

Facto, Homicidæ ſunt qui manibus, ferro, lapide, veneno, laqueo, ſubſtractione ciborum vitam eripiunt; ſic Amaſam proditoriè occidit Joab. *Qui tenuit manu dextra mentum Amaſæ quaſi oſculans eum... & percuſſit eum in latere, & effudit inteſtina ejus in terram.. & mortuus eſt.* 2. Reg. 20.

Præcepto; Hujus criminis Rei ſunt Principes, & Judices, qui condemnant ad mortem innocentes, aut minus nocentes, ſicut & Domini præcipientes ſamulis alicujus occiſionem. Sic peccavit David jubens poni Uriam ex adverſo belli, ubi fortiſſimum eſſet prælium, eumque derelinqui, ut percuſſus interiret. 2. Reg. 11.

Conſilio, Hoc nefas committunt, qui alios ad id inflammant, injuriam aliquam exaggerando, ignaviam exprobrando, honoris jacturam exponendo, imò & aliquando boni communis neceſſitatem oſtendendo, ut fecit Caiphas, qui dedit conſilium Judæis, ut Chriſtum interficerent.

Defenſione, Homicidium perpetrant, qui Homicidas ſuſtinent, apud ſe recipiunt, ipſis favent, aſylum præbent. Item qui ſpolia occiſorum à latronibus retinent, emunt, vendunt; qui eos, dum boni communis intereſt, non accuſant, non denuntiant &c. ac per hoc audaciores reddunt.

Permiſſione, occidunt illi, qui juriſdictionem habentes, ut Principes, Magiſtratus, Toparchæ &c. negligunt comprehendere, aut ſecundùm demerita punire Homicidas, graſſatores, ſicarios &c. unde timere debent ne ipſis dicatur, ſicut dixit Propheta Regi Achab, 3. Reg. 20. *Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus.*

Denique *Cooperatione* Homicidio communicant, qui arma ſubminiſtrant, qui occidendos capiunt, ligant, detinent, qui in cuſtodiendis ſarcinis miniſterium præbent Homicidis, ſicut præbebat Saulus lapidantibus Stephanum, *magis ſæviens*, inquit Auguſt. ſer. 24. de Sanctis, *omnes adjuvando, quam ſuis manibus lapidando*.

Advertendum autem, omnes illos Homicidas teneri ad reſtitutionem omnium damnorum ex Homicidio provenientium, ſecundùm ordinem præſcriptum in materia de Reſtitutione, quam conſule.

CONCLUSIO III.

INterrogare debet 1. Confeſſarius Homicidam, an occiſum provocaverit, an autem fuerit provocatus? an ſui ſceleris ſocios adhibuerit? tot enim peccata commiſit, quot perſonas ad id incitavit. An in loco ſacro vel profano actionem commiſerit? An occiderit ex ſubita paſſione, vel ex odio inveterato? quoties iræ motus & occidendi voluntatem renovaverit? An non blaſphemiæ, imprecationes, contumeliæ præceſſerint? an non feritatem in cadaver occiſi exercuerit?

2. Interrogare debet de perſona occiſa, an non ſit ſanguine aut affinitate conjuncta? an non ſit aliquis de Magiſtratu, Tutor, Præceptor, Herus; quia tunc ultra juſtitiam, violat Pietatem vel Obſervantiam parentibus, aut quaſi parentibus debitam. An non ſit Monachus, Sacerdos, aut alius Clericus? eò quòd tunc committatur Sacrilegium, & incurratur excommunicatio.

3. Examinandus eſt de qualitate occiſi, an non eſſet maritatus, qui uxorem & proles laboritio nutriret? An non eſſet filiusfamilias, Parentibus pro ſuſtentatione neceſſarius? An ante mortem occiſi non fuerint expenſæ factæ pro Chirurgo, Medico, Pharmacopola? Quot dietas perdiderit occiſus? & hoc examen etiam fieri debet, quando quis alium mutilavit, ut ſciat Confeſſarius, an pœnitens ſit obnoxius reſtitutioni, necne.

ARTICULUS II.

Quænam peccata reducantur ad Homicidium.

NOn agimus hìc de peccatis internis, ut ſunt ira, odium, invidia &c. quia licèt illa, Chriſto declarante Matt. 5. ad Homicidium aliqualiter reducantur, cùm tamen de illis alibi ex profeſſo tractetur, illuc Lectorem remittimus.

CONCLUSIO I.

OMnis injuſta verberatio, læſio, mutilatio, cruciatus, violentia, incarceratio &c. reducitur ad Homicidium, & dici poteſt quædam hominis occiſio inchoata: unde ubi illa, vitæ humanæ graviter nocent, ſunt mortalia, per præceptum *Non occides* prohibita.

Ratio eſt; quia per hoc præceptum non prohibetur ſola hominis occiſio, ſed & omne illud, quo contra diſciplinæ ordinem corpus ejus malè tractatur; cùm ſit vel mortis cauſativum, vel vitæ nocivum; ubi autem ſimilia exercentur in Parentes, aut perſonas Eccleſiaſticas, debet circumſtantia neceſſariò exprimi proportionatè ad ea quæ diximus §. præcedenti.

CONCLUSIO II.

OMnis injuria, irriſio, contumelia, detractio, ex qua quis advertit, aut advertere debet ſecuturam probabiliter percuſſionem gravem, læſionem, aut necem, ultra malitiam in illis contentam; continet malitiam percuſſionis, vulnerationis, aut mortis: ita ut irridens &c. illam incurrat affectu & effectu, ſi unum vel aliud ſequatur; affectu autē, etſi non ſequatur.

Ratio eſt; quia qui advertens, aut advertere debens vult cauſam, cenſetur velle & effectum.

CONCLUSIO III.

MEdici, Chirurgi, Pharmacopolæ, Infirmarii, qui ex ignorantia, negligentia, avaritia &c. ſunt in cauſa, cur moriatur infirmus, aut morbus ejus notabiliter ingraveſcat, vel etiam diu prolongetur, violant hoc præceptum: & idem eſt, ſi infirmum tantùm exponant illorum periculo.

Ratio eſt; quia ut quis ſit & dicatur Homicida completus aut inchoatus, parum refert, an utatur gladio, vel pharmaco, an occidat, aut lædat bombarda, vel medicina. Hinc

Reſ. 1. Secundùm Aſteſanum noſtrum lib. 6. tit. 14. art. 18. peccare Medicos tripliciter, ante factum, in facto, & poſt factū. *Ante factum* quidem, cùm medicinam exercent ſine ſufficienti ſcientia implētes burſā pecuniis & cœmeteria mortuis; *In facto*,

Digitized by Google

cùm artem callentes, non regulas artis, ſed phantaſiam ſequuntur capitis: *Poſt factum*, quando, dato ſalutari pharmaco, infirmum negligunt.

Reſol. 2. Tranſgreſſores eſſe hujus præcepti Chirurgos, qui ſine debita cognitione & experientia medentur vulneribus, brachium abſcindunt uni, tibiam alteri.

Reſol. 3. Aromatarios ſeu Pharmacopolas, ultrà furtum, reos eſſe contrà 5. præceptum, ſi in compoſitione medicinæ, ponendo vetuſtas ſpecies parum vel nihil operantes, graviter noceant infirmo.

Reſol. 4. Etiam hoc præceptum violare Infirmarios, qui non ſequentes præſcriptum Medicorum, ægrotos regunt ſecundùm ſuum capricium.

Reſol. 5. Omnes præfatos in caſibus allatis, & ſimilibus nullum poſſe recipere ſalarium, imò teneri ad reſtitutionem omnium damnorum indè ſequentium, ſi conducti illa exerceant.

Addit Caramuel, Medicos ignorantes & artis exercendæ incapaces etiam reſtituere debere penſionem, quam pro viſitandis ægrotis recipiunt à Magiſtratu.

ARTICULUS III.

An liceat occidere invaſorem vitæ, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ?

Dico: *ſervato moderamine inculpatæ tutelæ*; quod fit dum invaſus, *non ad ſumendam vindictam, ſed ad injuriam propulſandam*, ut loquitur Innoc. III. c. 18. *De Homicidio*, id præcisè facit, quod ad vitæ ſuæ defenſionem neceſſarium eſt: undè ſi illam tutari poſſit minis, verbis, aut fuga, non poteſt percutere, ſi percutiendo, non poteſt mutilare, ſi mutilando, non poteſt occidere; ſi autem in illis excedat, certum eſt proportionatè ad exceſſum graviter aut leviter peccare. Ante reſolutionem

Adverte 1. Illum, qui occidit vitæ ſuæ Invaſorem, poſſe mortem illius intendere, vel tanquàm finem ſuæ actionis, v. g. dum pugnat, percutit, vulnerat, ut alterum occidat; vel tanquàm medium ad vitæ ſuæ conſervationem, quod fit, dum formalem alterius occiſionem ordinat ad vitæ ſuæ tutamen.

Adverte 2. Poſſe invaſum (nullatenus intendendo mortem invaſoris, ſed præcisè reddere ipſum incapacem ad nocendum) exercere actum defenſionis, ex quo probabiliter prævidet ſecuturam mortem, aut ejuſdem periculum. His notatis

CONCLUSIO I.

Nullo caſu licet interficere vitæ invaſorem, intendendo mortem ejus, ut finem ſuæ actionis. Eſt communis & certa. Ratio clara eſt; quia talis convincitur agere, non cauſa vitæ conſervandæ; ſed vindictæ ſumendæ: quod eſt ordinatum, dicente Domino. *Mihi vindicta, & ego retribuam.* Hebr. 10.

CONCLUSIO II.

Non licet intendere mortem invaſoris tanquam medium, ad vitæ conſervationem. Hanc concluſionem varii admodùm impugnant explicitè, vel ſaltem implicitè, volentes licere mortem invaſoris, adeòque ad minus tanquàm medium &c. Eſt tamen D. Thomæ, Cajetani, Wiggera, & plurimorum recentiorum.

Prob. 1. Ex verbis Angel. Doctoris 2. 2. q. 64. art. 7. *Quia occidere hominem non licet niſi publica authoritate propter bonum commune, illicitum eſt quòd homo intendat occidere hominem, ut ſeipſum defendat*: quid clarius?

Prob. 2. Quia, ut quis vitam ſuam tueator, non requiritur quòd alterius mortem non intendat, ſed ſufficit quòd invaſorem repellendo, percutiendo, debilitando, imò & vulnerando, ſi opus ſit, reddat ipſum incapacem ut noceat: & hoc intendere poteſt, non mortem aut mutilationem.

CONCLUSIO III.

Licitum eſt invaſo ſe defendere eo modo, quo poteſt, & in quantum neceſſe eſt ad ſui defenſionem, licet prævideat ex ictu infligendo probabiliter, imò & moraliter ſecuturam mortem, modò illam non intendat, ſed aggredientis debilitationem, & vitæ propriæ conſervationem. Ità tenet cum Divis Thom. Bonav. & Antonino, ferè univerſalis Theologorum torrens; undè hanc ſententiam vocat communem & certam Sylvius, communem, & receptam Wiggers: huic tanquàm D. Thomæ Oraculo adhærent Eſtius, De Cocq, Boudart, Natalis Alexander; & alii in materia morum de laxitate minimè ſuſpecti, contrà duos aut tres Antiquos, & totidem Recentiores, volentes invaſum tali caſu teneri permittere occiſionem. An autem ipſi illa occaſione id eſſent facturi? novit Deus, non ego; fundantur in novo aut altero Auguſt. paſſu non evidenti; cùm tamen pro ſententia univerſali evidentiores habeat, ut dicemus infrà.

Prob. 1. Ex ſcript. Exodi 22. *Si effringens fur domum ſive ſuffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſor non erit reus ſanguinis*; quia nempè ignoratur, an veniat ad furandum, an ad occidendum, ut dicit Auguſt. infrà citandus: ergo ſupponit lex licitè occidi poſſe invaſorem vitæ, ubi ad ſui defenſionem neceſſe eſt.

Dices: Lex illa eſt judicialis, tantumque reſpicit forum externum, in quo ille percuſſor non debet haberi tanquàm homicida. Sed

Contrà eſt 1. quòd juxtà Aug. Scriptura ſit intelligenda ſimpliciter, ubi indè nullum ſequitur inconveniens, aut implicantia; ſed nihil ſemel ſequitur ex eo quòd hæc verba, *non erit reus ſanguinis*, intelligantur ſimpliciter: ergò. Præterea, ſi occiſio illa furis nocturni in foro conſcientiæ eſſet illicita, nunquàm prohibuiſſet Deus illius punitionem in foro externo, cùm per hoc videretur authorizare peccatum.

Contrà eſt 2. Quòd præfata verba referantur in Jure Canonico c. 3. *De Homic.* Jus autem Canonicum, præſertim in hac materia, agit de Foro conſcientiæ cùm ſoleat corrigere Jus Civile, ubi illicitum permittit: undè quia lex Civilis permiſerat præſcriptionem malæ fidei, illam in hoc reformavit lex Canonica, ſicut & in eo quòd permiſerat occiſionem uxoris in adulterio deprehenſæ: ex quo ſequitur, ſi non eſſet vera noſtra ſententia, quòd etiam jus Canonicum reformaſſet jus Civile permittens invaſo occidere invaſorem.

Dices cum Van Roy, Eccleſia quandoque ex cauſa, aut neceſſitate relinquit quædam impunita. Præterea nihil reformare ſolet; niſi in iis quæ ſunt certò mala.

R. Tantùm abeſſe, ut dubitaverit Eccleſia de homicidio in noſtro caſu, an eſſet licitum, necne, & ideò, vel ex alia cauſa impunitum reliquerit; ut è contrà declaret eſſe abſolutè licitum: ut patet ex c. 18. *de Homic.* ubi Innoc. III. ait: *Vim vi repellere omnes leges, & omnia jura permittunt.*

Prob. 2. Ex Auguſt. in dicta verba Exodi quæſt. 84. *Intelligitur ergò nunc non pertinere ad homicidium, ſi fur nocturnus occiditur, ſi autem diurnus, pertinere: hoc eſt enim quod ait, ſi oriatur ſuper eum ſol; poterat quippè diſcerni, quòd ad furandum, non ad occidendum, veniſſet.* Ubi excuſat homicidium nocturnum ad ſenſum Exodi, adeoque in foro conſcientiæ. Item Epiſt. ad Macedon. 54. *Cùm homo ab homine occiditur, multùm diſtat utrùm fiat nocendi cupiditate, vel injuſtè aliquid auferendi, ſicut fit ab inimico ſicut à latrone; an ulciſcendi vel obediendi ordine, ſicut à Judice, ſicut à carnifice; an evadendi vel ſubveniendi neceſſitate, ſicut interimitur latro à viatore, hoſtis à milite.* Ubi manifeſtè oſtendit in 1. caſu occiſiones eſſe illicitas, in 2. & 3. licitas; quandoquidem in 3. ponat in exemplum occiſionem factam ex neceſſitate evadendi cum occiſione hoſtis à milite; atqui conſtat hanc eſſe licitam, ergò & illam.

Dices; S. Doctor immediatè poſt addit: *aliquando qui cauſa mortis fuit, potiùs in culpa eſt, quàm ille qui occidit*: ergo etiam occidens invaſorem in culpa eſt.

R. Ly. *Potius* non ſumi comparativè (aliàs juxta Aug. tortor maleſactorem, & miles hoſtem occidens eſſent in culpa) ſed adverſativè: vel certè, ſi ſumatur comparativè, non refertur ad eum qui occidit invaſorem; aliàs etiam referretur ad militem, qui occidit hoſtem

Confirm. ex eodem Doct. lib. 22. contrà Fauſtum c. 70. *Ille autem utitur gladio* (ſcilicet malè) *qui nulla Superiori, ac legitima poteſtate vel jubente, vel concedente, in ſanguinem alicujus armatur*; atqui in noſtro caſu armatur invaſus cum omnium legum id concedentium poteſtate; cùm lex naturalis dictet vitam propriam potiùs conſervandam eſſe quàm alienam; lex Divina id permittat Exodi 22. Eccleſiaſtica & Civilis id concedant variis locis, ut jam dicemus: ergo.

Prob. 3. ex aliis PP. Cyrillo in Joan. c. 35. quærente: *Undè nam, dices, Petrus gladium habuit? quia ſecundùm leges gladio ſe defendere licebat.* Ambroſ. lib. 1. Offic. c. 36. ubi Moyſen laudat quòd Ægyptium pro defenſione fratris occiderit; non eſt autem dubitandum; quia ſi hoc pacto defendere ſociũ liceat, licet & ſeipſũ.

Prob. 4. ex Catechiſmo Rom. par. 3. c. 6. n. 4. *Si quis ſalutis ſuæ defendendæ cauſa, omni adhibita cautione, alterum interemerit, hac lege (ſcilicet non occides) non teneri, ſatis apparet.*

Prob. 5. Ex SS. Th. Bonav. & Antonino: Primus ſic loquitur 2. 2. quæſt. 64. art. 7. *Secundùm jura vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ, nec eſt neceſſarium ad ſalutem, ut hunc actum moderatæ tutelæ prætermittat ad evitandam occiſionem alterius; quia plus tenetur homo vitæ ſuæ providere, quam vitæ alienæ*: Secũdus. Sic habet ſer. 6. de 10. præceptis. *Si autẽ ſit neceſ-*

Digitized by Google

neceſſitas inevitabilis, ut homo occidat alium hominem, non amore vindictæ, ſed amore conſervationis vitæ .... & hoc fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, hoc conceſſum eſt perſonis etiam perfectis. Tertius parte 2. tit. 7. c. 8. §. 2. *Latronem inſidiantem in itineribus ſecundum Leges, cuilibet licet occidere.*

Prob. 6. Ex jure Canonico & Civili. Primum c. 18. *De Homic.* ſic habet: *Vim vi repellere omnes leges & omnia jura permittunt*, modò id fiat, ut ait ibidem Innoc. III. *Cum moderamine inculpatæ tutelæ*, id eſt, *Non ad ſumendam vindictam, ſed ad propulſandam injuriam*: quod confirmat Alexander III. c. 3. *De Sententia Excom.* ubi docet illum, qui Clericum læſit vim vi repellendo, non eſſe tranſmittendum ad Sedem Apoſtolicam; *Cum*, ut ait, *Vim vi repellere omnes leges omniaque jura permittant*; in jure autem Civili lege 3. ff. *De juſtitia & jure* ſic legitur: *jure hoc evenit, ut quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit, jure feciſſe exiſtimetur.*

Prob. 7. quia hæc veritas ità fortiter in naturæ viſceribus impreſſa eſt, ut dixerit Cicero in defenſione Milonis, à quo interiectus eſt Clodius: *Hoc ratio doctis, & neceſſitas Barbaris, & mos gentibus, & feris natura præſcripſit, ut omnem vim quacumque ope poſſunt, à corpore, à capite, à vita ſua propulſarent.*

Prob. 8. Ex Inconvenientibus; quia ſententia oppoſita, ut loquitur Comitolus lib. 4. q. 10. n. 10. arma miniſtrat injuſtitiæ, cædi bonorum, everſioni Reipublicæ, tyrannidi vitiorum: item tollit divinæ providentiæ præſcriptionem, quæ non patitur ut temeritas parricidarum, & improbitas impiorum dominetur vitæ & innocentiæ, eamque perimat.

Obj. 1. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*, Matth. 26. ergo etiam invaſus.

R. Hoc eſſe intelligendum ſine legitima poteſtate, quam in noſtro caſu omnia jura concedunt: hoc autem dixit Chriſtus Petro; 1. quia non erat voluntas Patris ut Chriſtus iniquam Judæorum violentiam ſubterfugeret. 2. quia id faciebat contra voluntatem Domini, cujus reſponſum non expectaverat. 3. quia ſciebat Chriſtum non indigere defenſione. 4. quia equidem non poterat tantæ hominum multitudini reſiſtere.

Obji. 2. Apoſt. Rom. 12. ſic loquitur: *Non voſmetipſos defendentes chariſſimi:* quod exponens D. Anſelm. addit: *Non percutientes eum, qui vos percuſſerit, ſed date locum iræ, id eſt, ſinite iram perſecutoris in vobis expleri.*

R. cum Interpretibus, Apoſtolum ibi non prohibere defenſionem nudam, ſed ultionem, quo etiam ſenſu loquitur Anſelm. cùm immediatè poſt addat: *Quid opus eſt vos ipſos veſtras ultum ire injurias?* quod etiam intendit Chriſtus Matth. 5. dum jubet ut non reſiſtamus malo.

Obji. 3. Aug. lib. 1. de lib. arb. c. 5. ubi ait: *Quo pacto iſtos defendam, qui interficiunt*, (ne interficiantur) *non invenio*, & infrà: *Quomodo apud Deum ſunt iſti à peccato liberi, qui pro iis rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti ſunt?*

R. D. Auguſtinum à cædibus humanis ſemper alienum ibi in aliam ſententiam propendiſſe, nihil tamen abſolutè reſolviſſe, ut fateri debet omnis ille, qui Evodii interrogata, & Auguſtini reſponſa examinaverit ſine præventione: cur enim reſponderet interrogando, ſi contrarium abſolutè teneret? cur diceret, ſe non invenire qualiter excuſet, cùm deberet illos intrepidè accuſare? cur dubitaret, an non ſit lex ſecreta quæ vindicat id, quod lex humana permittit in noſtro caſu? cur aſſereret, ſe non reprehendere leges humanas homicidia in ſui defenſionem permittentes? cum lex permittens peccatum ſit abſolutè reprehenſibilis, niſi fiat ad vitanda majora mala, quæ hic non occurrunt. Non reprehendit ergo Aug. leges humanas; quia ſicut non invenit qualiter excuſet, etiam non ſatis invenit qualiter accuſet: quod inſinuat ipſemet lib. 1. Retract. cap. 9. ubi ait, quod in lib. 1. de lib. Arb. (quem junior compoſuit) multa inquiſiverit, quæ invenire & plenè ſolvere non potuit: inter quæ, ſecundùm omnem apparentiam, eſt caſus noſter.

Dices: Si hoc eſſet, illud expunxiſſet in lib. Retractationum, ubi etiam minima explicat, aut retractat.

R. Non eſſe opus retractatione, aut expunctione, ubi nihil reſolutum eſt.

Replicabis: Aug. jam factus Epiſcopus idipſum tenuit Epiſt. 154. *De occidendis hominibus*, inquit, *Ne ab eis quiſque occidatur, non mihi placet conſilium.*

R. Cùm Publicola, ad quem reſcribit, non interrogaſſet an Chriſtianus invaſus à Barbaro, aut Romano *Poſſet*, ſed an *Deberet* illum occidere, ne ipſemet occideretur? nihil ibi reperiri contra nos.

Confirm. Quia libenter fatemur cum veriori & communiori ſententia, non *Debere* occidere, ſe poſſe corpus ſuum pro ſalvanda invaſoris vita exponere, ſi ſaltem credat invaſus, ſe eſſe in ſtatu gratiæ, verba autem Publicolæ ſunt: *Si Chriſtianus videat ſe à Barbaro vel à Romano interfici, debeat eos ipſe Chriſtianus interficere, ne ab illis interficiatur?*

R. 2. Non placere Auguſtino conſilium de occidendis hominibus. Primo; quia conſilium debet eſſe de meliori bono; in noſtro autem caſu, etſi liceat, melius eſt tamen non occidere. Secundo: quia difficile eſt ſervare moderamen inculpatæ tutelæ, ita ut non miſceatur aliquis affectus vindictæ: ſic nec dat, nec approbat dantes hoc conſilium, licèt per hoc non neget eſſe licitum. Ex quibus apertè patet, paſſus Auguſtini in probatione allatos fortiores eſſe pro noſtra ſententia, quàm ſint hi pro oppoſita.

Obji. 4. Ambroſium lib. 3. Offic. cap. 4. ubi docet quòd non poſſit quis latronem ferientem referire.

R. Tantùm velle non poſſe ſervando Euangelii conſilium & perfectionem, & ideo ſubdit: *Ne, dum ſalutem defendit, pietatem contaminet*; non autem quod non poſſit ſine peccato, aliàs ſibi contradiceret, ut patet ex probationibus.

Obji. 5. Difficillimum eſt invaſo moderamen inculpatæ tutelæ, ita ut nec excedat, nec intendat vindictam, aut mortem invaſoris, ſed ſui tutelam præcisè.

R. Si hoc ſit difficile viris calidis & igneis, non tamen moderatis & phlegmaticis, præſertim ubi ſe defendunt, invocato Dei auxilio. Sanè mirum eſt, unum aut alterum juniorem ridiculam facere totam antiquitatem, ſcholæ Principes, Juriſperitos, Jus Canonicum, & Civile, Sanctos, ſummos Pontifices, & generaliter omnes Theologos: quid enim ridiculius pro ipſis, quàm aſſerere licitam eſſe injuſti vitæ invaſoris occiſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, ſi in praxi moderamen illud ſit impoſſibile? debebant ſanè dicere ſimpliciter & abſolutè occiſionem illam eſſe illicitam & ſic tot periculis, & peccatis non expoſuiſſent fideles.

Obji. 6. Exigit Charitas Chriſtiana, ut corpus præponamus animæ in peccato perituræ.

R. Hoc eſſe verum in neceſſitate, non autem quando quis eſt in periculo ex ſua malitia, quod poteſt, ſi velit, deſerere.

Obji. 7. Non licet homini mentiri, ne occidatur: ergo nec alterum occidere.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd mendacium ſit intrinſecè malum, nulloque caſu imaginabili cohoneſtabile; occiſio autem tantum, ſit mala, quando ſit ſine poteſtate legitima, quam habet homo in noſtro caſu, ut oſtendimus.

Obji. Denique. Non licet invaſo ſe defendenti velle mortem invaſoris: ergo nec ipſi infligere ictum mortis cauſativum; quia qui vult cauſam, vult & effectum neceſſariò ex cauſa ſequentem.

Reſp. Neg. Conſeq. Ad Prob. dico, illam eſſe veram; ſed nego ictum ſe defendentis neceſſariò eſſe mortis cauſativum, cùm invaſor poſſit ictum, dum adhuc eſt in via, ſubterfugere ſe retrahendo; unde tantùm eſt cauſativus mortis ex ſuppoſito quòd invaſor nolit ictum declinare, quæ ſuppoſitio, cùm non dependeat ab invaſo, qui nollet invaſorem eſſe præſentem, ſed ab invaſore nolente loco recedere, non cenſetur invaſus mortem velle.

ARTICULUS IV.

Corollaria Reſolutionis præcedentis.

RESOL. 1. Licere Filio occidere Patrem, inferiori Superiorem, Civi aliquem de Magiſtratu, ſervo Dominum, laico Sacerdotem &c. & è contra, ad ſenſum concluſionis: idque ſine ullo Excommunicationis, Irregularitatis, aut impietatis periculo. Ratio eſt; quia jus intimum conſervandæ vitæ illa omnia excludit.

Reſol. 2. Licere etiam occidere furioſum, amentem, ebrium; nam etſi non peccent formaliter, me aggrediendo; quia tamen licitum eſt mihi vitam meam conſervare, etiam licitum eſt vim vi repellere.

Reſol. 3. Legitimè ſe defendere invaſum, etſi cauſam aliquam dederit invaſori, puta, calumniando, irridendo &c. quia ſicut calumniatus, irriſus &c. non acquiſivit jus per hoc me occidendi, ità nec per hoc amiſi jus vitam meam conſervandi.

Reſol. 4. Si, propter commiſſum enorme crimen, data eſſet à Republica cuilibet me reperienti poteſtas me occidendi, non poſſem invaſorem occidere; imò nec ipſi vel minimam injuriam facere, quamvis eſſem ab ipſo certò occidendus; quia poteſtate legitima & publica me invaderet. Aliud eſſet, ſi me innocentem pro alio nocente agnoſceret, & monitus deſiſtere nollet.

Reſol. 5. Me non teneri fugere à facie invaſoris, ſi prævideam quòd fugiendo ſim à tergo occidendus. Aliàs ſi per fugam poſſem tueri vitam, quam non tuerer, niſi alterum occidendo,

Digitized by Google

ter cor fugere, licèt ſim miles, nobilis, aut cujuslibet alterius conditionis. Ratio eſt, quia in tantum poſſum; in quantum neceſſarium eſt ad vitæ defenſionem: ergo ſi poſſum mihi conſulere fugiendo, non poſſum percutiendo, lædendo &c.

Reſol. 6. Non ſervare moderamen inculpatæ tutelæ, qui fugientem (à quo vulnus, etiam lethale, accepit) percutit, vulnerat, aut occidit. Ratio eſt; quia id cenſetur fieri ad ſumendam vindictam, non ad conſervandam vitam: unde Innoc. XI. damnavit ſententiam illorum, qui dicebant licere viro honorato occidere fugientem, à quo recepit alapam, aut fuſtis ictum.

Reſol. 7. Non teneri invaſum expectare, donec invaſor primum ictum dederit, ſed poſſe illum accedentem prævenire, ne ipſemet præventus non poſſit amplius ſe defendere.

Reſol. 8. Non licere uxori occidere maritum, quem ſcit occultaſſe gladium, ut ipſam de nocte interficiat, etiamſi domo exire nequeat; quia poteſt maritus animum mutare, ac uxoris precibus, lacrymis, proteſtationibus &c. flecti. Deindè invaſio illa non eſt moraliter actualis; ante illam autem (ne multis inconvenientiis januam aperiamus) defenſionem actualem non permittimus: ideò.

Reſol. 9. Te illicitè prævenire inimicum, quem ſcis quærere opportunitatem te occidendi, cùm necdum reputetur invaſor.

Reſol. 10. A te peccaminosè occidi illum, qui criminibus, aut teſtimoniis parat circumvenire judicem, à quo ideò prævides mortis ſententiam tibi imminere; quia illa ſunt nimis remota: unde propoſitionem ſequentem proſcripſit Alex. VII. *Licitè interficere falſum accuſatorem ...... à quo iniqua certò imminet ſententia, alia ſi via non poteſt innocens damnum vitare.*

Reſol. Denique, mihi licitam eſſe defenſionem actualem contra eum, qui ſolvit canem ferocem, ut me dilaceret; quia ex nunc moraliter aggreditur. Ex his caſibus innumeri alii poſſunt reſolvi.

ARTICULUS V.

An liceat occidere invaſorem bonorum temporalium?

QUæſtio non procedit de rebus levioris momenti: illas enim vitæ proximi poſtponendas eſſe, naturalis dictat ratio: undè hanc propoſitionem damnavit Innoc. XI. *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei* ſed de rebus magni valoris, ex quarum ablatione graviſſimum detrimentum pateretur dominus.

CONCLUSIO I.

Licet ad bonorum temporalium conſervationem, aut recuperationem injuſtum aggreſſorem repellere, percutere, imò & vulnerare, modò ſervetur moderamen inculpatæ tutelæ, nec ſit occiſionis periculum.

Prob. 1. Ex illo principio toties decantato, quo vim vi repellere cuilibet permittitur: agendum eſt tamen non ex odio, non cupiditatis æſtu, non affectu vindictæ, ſed ex voluntate reddendi furem impotentem ad rapinam, aut furtum.

Prob. 2. Ex D. Hieronymo in cap. 1. Sophoniæ n. 13. *Si quis fortitudinem latronis, & piratæ, & furis diripiat, infirmoſque eos reddat, prodeſt illis ſua infirmitas.*

Prob. 3. Ratione; quia bona magni momenti, quibus homo vitam fovet: familiam ſuſtentat, ſtatum moderatum conſervat &c. meritò præponi poſſunt percuſſioni, aut læſioni non periculoſæ injuſti raptoris, vulnus illud ex ſua malitia quærentis: deindè ſi hoc nequidem liceret, redderentur fures in ſuis furtis & rapinis audaciores, vixque poſſent homines neceſſaria ad victum & veſtitum conſervare.

Dices 1. Matth. 5. dicitur: *Qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.*

R. Secundùm omnes Interpretes contineri ibi conſilium ſaluberrimum, non tamen præceptum.

Dices 2. Non licet pro defenſione rerum temporalium invaſorem occidere, ut dicetur poſteà: ergo nec vulnerare: cum hoc ſit intrinſecè malum, ſicut eſt illud; imò utrumque eodem præcepto prohibetur.

Reſp. Neg. conſeq. Diſp. eſt, quòd vulnerare ſit multò minùs, quàm auferre vitam, quæ ſemel ablata; eſt irreparabilis: & ideò ratio naturalis, quæ dictat licere primum (quia vulnus illud juxta ſanam hominum exiſtimationem poſtponi debet tantæ rerum jacturæ) non dictat ſecundum, eo quòd vita prævaleat omnibus temporalibus.

CONCLUSIO II.

NUnquàm licet occidere, aut periculo mortis exponere invaſorem bonorum temporalium, etiam ſub prætextu ſolius defenſionis. Hæc ſententia, quæ multos hactenùs habuit adverſarios: plurimos habet hoc tempore patronos.

Prob. 1. ex Script. Exodi 22. ubi dicitur licere occiſionem furis nocturni, non diurni. Et rationem adfert Aug. q. 84. in Exod. quia non poteſt diſcerni, an fur nocturnus veniat ad furandum, an ad occidendum: de diurno autem poteſt diſcerni; & ideò tantùm veniens ad furandum non poteſt occidi.

Prob. 2. Ex eodem D. lib. 1. de lib. arb. cap. 5. ubi ait: *Quomodo enim ſunt iſti à peccato liberi, qui pro iis rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti ſunt.* Dubitavit quidem Aug. interrogatus, an liceret occidere pro conſervatione vitæ, ut diximus; ſed non dubitaſſe pro conſervatione bonorum illorum, quæ Euangelium flocci facit, quæ Sancti tanquàm lutum æſtimarunt, & quæ ſæpè nobis ſunt occaſio peccati, imò & damnationis.

Prob. 3. Ratione; quia bona temporalia ſunt longè inferioris ordinis, quàm vita hominis. Deinde hæc amiſſa, eſt irreparabilis, illa irreparabilia. Accedit, quòd bona fortunæ ſint poſtponenda famæ, pro cujus conſervatione nequidem licet invaſorem occidere.

Obji. 1. Tam licet vim vi repellere reſpectu furis, quàm reſpectu vitæ invaſoris; ſed licet hunc, repellendo, occidere: ergo & illum.

Reſp. diſt. maj. tam licet, ubi vis eſt ordinata, C. Ubi eſt inordinata, N. quando autem occidere volentem occidis, ne occidaris, vis tua eſt ordinata; quia vita tua eſt æqui, imò magis tibi pretioſa, quàm ſit vita invadentis, ſi verò furem occidis, eſt omninò inordinata, quia vita illius longè prævalet bonis ablatis, aut auferendis.

Obji. 2. cap. 6. *de Sent. Excomm.* in 6. dicitur licuiſſe Decano Aurelianenſi ſe defendere contrà Ballivum illius bona auferre præſumentem.

Reſp. Id eſſe intelligendum de defenſione proportionata, repellendo, percutiendo &c. non autem de exceſſiva per occiſionem.

Obji. 3. cap. 2. *de homic.* legitur: *Si autem ſine odii meditatione te tuaque liberando ejuſmodi membra diaboli interfeciſti.... ſi aliquid jejunare volueris, bonum eſt tibi*; ergo ſupponitur non eſſe homicidam.

Reſp. *Te tuaque liberando* non ſunt disjunctivè, ſed conjunctivè, ità ut ſenſus ſit, bona tua ſimul & vitam tuam defendendo, ità tamen ut fiat ſpecialiter vis ſuprà *ly te* ſeu *vitam tuam*; quia hujus ſeparatim conſervatio, non illorum, ſufficit ad licitam occiſionem, ſuppoſitis modificationibus recenſitis.

Obji. 4. D. Th. q. 64 art. 7. ad 1. docet non eſſe licitum ex intentione occidere furem, ergo cenſet, ſi fiat ſine intentione occidendi, eſſe licitum.

Reſp. Neg. Conſeq. quia hoc nullatenùs ſequitur; ſicut non ſequitur, non licet occidere hominem Sacerdotem, ergo licet occidere hominem non Sacerdotem. Præter eà ſi putaſſet D. Th. hoc licere, id expreſſiſſet, ſicut expreſſit de occiſione invaſoris vitæ, quem, ut ibidem docet, non licet ex intentione occidere. Ex dictis

Reſol. 1. Non licere interficere litigantem, qui falſis ſcriptis aut teſtimoniis conatur in judicio tua ſuffurari. Patet ex condemnatione hujus propoſitionis: *licet interficere falſum accuſatorem* &c.

Reſol. 2. Nec à fortiori licitum eſſe pro defenſione bonorum nondum poſſeſſorum: undè proſcripta eſt ſequens propoſitio ab Innoc. XI. *Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ea ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.*

ARTICULUS VI.

An liceat Virgini interficere ſtupratorem, ubi nòn adeſt alia via conſervandæ pudicitiæ?

DIco: *Ubi non adeſt alia via*; quia certum eſt anteà poſſe, & deberet fugere, ſicut etiam verbis, minis, precibus, lacrymis, clamoribus, repulſu, percuſſione, imò & læſione non periculoſa invaſorem à ſe excutere, ne cooperetur alterius peccato, & ne ipſamet fortè in delectationem conſentiat. Quòd etiam poſſit lædere, indè patet, quòd jactura pudicitiæ longè præferatur à puella honeſta omnium bonorum jacturæ, pro quorum conſervatione diximus licere etiam taliter lædere, ubi juſta defenſio id exigit: tantùm ergo procedit quæſtio de occiſione.

CON-

CONCLUSIO UNICA.

NOn licet Virgini in noſtro caſu ſtupratorem occidere. Hæc ſententia, licèt non ſit communis, eſt tamen vera.

Prob. 1. Non licet quemquam occidere, niſi ex DEI mandatu, aut conſenſu, cùm ipſe ſolus ſit vitæ Dominus; atqui nullibi reperitur tale mandatum, aut talis conſenſus: ergo.

Dices 1. Legem naturalem id permittere: Sed

Contrà eſt, quòd vita per ſe & ex natura ſua ſit altioris ordinis, & æſtimationis, quàm ſit corporis integritas.

Dices 2. Jus gentium, & poteſtatem civilem dare virgini in tali caſu poteſtatem in vitam ſtupratoris, ſicque authoritate publica, non privata, hoc facere.

R. Id gratis afferri, cum nullibi legatur talis facultas ſcripta, ſi autem lex civilis in tali circumſtantia virginem homicidam non puniat, non oritur ex eo, quòd tale homicidium approbet, ſed ex aliis capitibus. 1 quia præſumitur ex turbatione & quaſi coactam id feciſſe, adeoque eſſe venia dignam 2. quia non videtur rationabile, ut duplici virga corripiatur. 3. ne authorizentur ſtupra, & beſtiales impetus in puellas ac honeſtas mulieres.

Prob. 2. Quia vel pudicitia, ſeu virginitas conſiſtit in integritate corporis, vel in virtute animi, atqui in utralibet conſiſtat, non licet pro ea conſervanda quemquam occidere: ergo. Prob. Mi. quia corporis integritas, ut diximus, eſt inferioris ordinis, quàm ſit vita, virtus autem animi, per violentam corporis oppreſſionem non poteſt corrumpi, quandoquidem nulla vis externa poſſit voluntatem, in qua illa reſidet, cogere, undè Aug. lib. 1. de Civ. c. 18 *Quis ſana mente putaverit ſe perdere pudicitiam, ſi fortè in appreheņſa & oppreſſa carne ſua exerceatur, & expleatur libido non ſua? Si enim hoc modo pudicitia perit, profectò pudicitia virtus animi non erit*. Et infra: *Nec ipſi corpori aufert Sanctitatem violentia libidinis alienæ, quam ſervat perſeverantia continentiæ ſuæ*.

Dices 1. S. Doctor lib. de lib. arb. cap. 5. aſſerit ſtuprum eſſe immanius occiſione ſtupratoris.

R. Inde ſequi etiam illam occiſionem eſſe immanem quandoquidem comparativum ſupponat poſitivum. Præterea dicitur *immanius*, quia tunc longè minus voluntariè perpetratur homicidium, quàm ſtuprum.

Prob. 3. Vel enim virgo illa inde timet eſſe Deo odioſam, vel hominibus: Deo, ratione peccati fortè committendi, hominibus, ratione violati corporis, ſed neutrum juſtificare poteſt homicidium: ergo. Prob. Min. Non quidem primum quia non debet eligi peccatum certum, ut evitetur incertum. Præterea *Nullo modo* ut ait D. Aug. lib. 1. De Civit. Dei c. 25. *hoc faciet animus, ut conſentiat libidini carnis ſuæ aliena libidine concitatæ, qui Deo potius, ejuſque ſapientiæ, quam corporis concupiſcentiæ ſubjectus eſt*: non etiam ſecundum quia nunquàm ideò vituperio erit, aut contemptui perſonis honeſtis, ſed magis compaſſioni & æſtimationi, ob cuſtoditam Dei legem: poterit quidem inde pingue matrimonium perdere, ſed nunquid debet jactura illa hominis vitæ, & damnationi æternæ cedere.

Nec obſtat concluſioni noſtræ dictum Ambroſii: *Periculum pudoris in bonis fœminis morte gravius eſſe*, quia loquitur de periculo pudoris annexum habente peccatum, non autem de pudore ſimpliciter: undè dicebat S. Lucia Tyranno: *Si invita juſſeris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam*.

ARTICULUS VII.

An liceat occidere aggreſſorem pro defenſione honoris ſeu famæ?

CONCLUSIO UNICA.

NUlli unquam licet, ſive militi, ſive nobili, ſive Principi, ad conſervationem honoris, aut famæ, aggredientem occidere, aut mutilare.

Prob. 1. Ex Script. quæ ſatis evidenter contrarium nobis inſinuat Matth. 5. ubi dixit Chriſtus per modum præcipientis, *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos*: quomodo autem poſſumus calumniantes mutilare & occidere, pro quibus jubemur orare.

Prob. 2. Ex Aug. lib. 5. de Civ. Dei cap. 17. *Nec ſic pro magno haberi debuit honor humanus, quia nullius eſt ponderis fumus*; atqui non tantum pro magno, ſed etiam pro maximo haberet umbram honoris, qui pro illius defenſione alterum occideret: ergo.

Prob. 3. Ideò tibi liceret occiſio, aut mutilatio in noſtro caſu, quia non poſſes aliter honorem tuum conſervare, atqui hoc falſum eſt: ergo. Prob. Min. quia per occiſionem, aut mutilationem invaſoris non habetur quòd ea, quæ dicta ſunt, ſint falsò aut injuſtè dicta, vel facta, ſed quòd fueris impatiens, nec potueris verbum, aut levem injuriam ſufferre pro illo, qui pro te mortem ignominioſam ſuſtulit.

Prob. 4. In ſui defenſionem ſolum licet vim vi repellere; ſed contumelia, detractio, exprobatio &c. non ſunt vis (aliàs liceret contumeliam contumelia, injuriam injuria ſolvere) ergo non per vim, ſed alia via ſunt repellendæ. Accedit quòd honor, ſeu fama ſit bonum inferioris ordinis, quàm ſit vita. Præterea oppoſita ſententia portam aperit plurimis homicidis & cædibus.

Obji. 1. *Melius eſt nomen bonum, quàm divitiæ multæ*. Proverb. 22.

R. Nihil inde ſequi, cùm nequidem pro conſervandis divitiis liceat alterum interficere: diximus quidem, licitum eſſe quandoque lædere, nempè quando læſio eſt medium neceſſarium ad illarum conſervationem, ſed cùm pro defenſione honoris nunquàm ſit neceſſaria, nunquam etiam eſt adhibenda.

Obji. 2. Poteſt quis militi ſtrenuo exprobare quòd ſit ignavus, tyro in armis contrectandis &c. ſed hæc injuria, præſertim publica, non poteſt reparari, niſi per alterius occiſionem: ergo.

R. Vel impetitus cognoſcitur ab aliis tanquàm miles generoſus, vel non: ſi primum nihil proderit alterius exprobratio, cùm audientes ſint aliundè de illius falſitate convicti: ſi ſecundum parum aut nihil nocebit, ſicque fruſtrà ad arma recurret. Præterea ſi generoſitatem ſuam oſtendere velit, id faciat in bello juſto. Deinde vel calumniatorem vulnerabit, aut interficiet ſtatim, & hoc etiam apud milites, non eſt generoſitas, ſed ignavia, vel provocabit ad duellum, in quo ſtulta & diabolica conſiſtit plurimorum gloria, & hoc ſemper illicitum eſt, & execrandum, ut poſteà dicemus.

Obji. 3. Si hoc ſit, non poterit vir honeſtus contra detractores & calumniatores famam ſuam tueri.

R. N. Aſſumpt. Poterit enim aſſumptis impoſiti criminis teſtibus, detrahentem cogere ad canendam palinodiam coram legitimo Judice. Si autem quandoque accidat, quod non poſſit apud homines honorem vanum & umbratilem mediis licitis defendere, quærat apud Deum verum & ſolidum honorem poſſidere, dicatque cum Apoſtolo: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ*. 2. Cor. 1.

Obji. 4. Licitum eſt quandoque pro alterius ſalute vitam propriam exponere: ergo & pro conſervanda fama (à qua multorum ſalus & ædificatio dependet) alterum occidere.

R. N. Conſeq. Plus enim daturus eſt ædificationis, calumniam exemplo Chriſti patienter tolerando, quàm alterum interficiendo: fama quidem neceſſaria eſt iis, qui præſunt, aut proximorum ſaluti occupantur; ſed mediis licitis obtinenda & conſervanda: ità ut potius eligant mortem ſubire; quàm famam ſua culpa perdere, & hoc ſenſu charior debet eſſe fama; quàm vita, non autem quaſi poſſemus pro illa conſervanda alterius vitam immolare; ut finxerunt à 100. circiter annis nonnulli caſuiſtæ. Hinc

Reſol. 1. Homicidam eſſe Nobilem, qui etiam plebejum, à quo alapa aut fuſte percuſſus eſt, interficit, ſive interim plebejus remaneat, ſive fugiat. Ratio eſt, quia cum non poſſit alapam datam impedire, convincitur ex ſola vindicta procedere.

Reſol. 2. Nec licere gravi calumniæ jamjam inferendæ, nec aliter impediendæ, per alterius occiſionem obviare. Hæc omnia patent ex condemnatione hujus propoſitionis ab Inn. XI. *Fas eſt, viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat*.

Reſol. 3. Nec id licitum eſſe Religioſo, etiam ut impediat gravia crimina de ſe, aut ſua Religione juſtiſſimè ſpargenda, & ideò proſcripſit propoſitionem ſequentem Alex. VII. *Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit &c.*

Reſol. 4. Nequidem licere viro honorato fuſte aut alapa percuſſo, percutientem repercutere, quia illud fieret in vindictam, non in defenſionem. Aliud eſſet, ſi invaſor ulteriùs percutere tentaret: tunc enim percutere poſſet invaſus, non in defenſionem honoris, cùm hoc ſit omninò pertinens, ſed corporis.

Reſol. 5. Teneri, etiam Nobilem, aut Ducem potiùs fugam capere, quàm occidere illum, à quo pugnis aut baculo impetitur. Ratio eſt; quia etſi in hoc videatur ignominia apud mundanos; eſt tamen vera & ſolida gloria apud Deum & Angelos.

Reſol. 6. Execrandum eſſe illud axioma diabolicum nempè unum *Mentiris* alapa eſſe ſolvendum.

A R-

Digitized by Google

ARTICULUS VIII.

Quid mihi liceat in hac materia pro conſervatione vitæ, bonorum & pudicitiæ proximi?

NOn loquor hic de fama, cùm enim ipſimet infamato nequidem liceat infamatorem percutere, nec à fortiori quidquam licebit mihi in hac materia in favorem proximi; & ideò etſi videres Dominum tuum, Principem, aut etiam Patrem gravibus contumeliis pertinaciter impeti, non poſſes calumniatorem graviter percutere, aut lædere; minùs occidere; cùm illa defenſio Patri, Principi &c. non poſſit prodeſſe.

CONCLUSIO I.

POſſum, ſi opus fuerit, pro defendenda vita proximi, injuſtum invaſorem occidere, modò ſervem cautelas art. 4. recenſitas, ad id tamen non teneor, niſi requiſitus.

Prob. prima pars: Id ego poſſum ex charitate pro alio præſtare, quod ipſe poteſt ex juſtitia pro ſe; ſed poteſt proximus injuſtum vitæ ſuæ aggreſſorem occidere: ergo & poſſum ego ipſe. Et hoc etiam verum eſt, licèt invaſus nollet defendi; quia cùm non ſit Dominus vitæ ſuæ, non poteſt in hoc juri ſuo cedere.

Prob. ſecunda pars; quia non teneor ego vitam alterius conſervare cum periculo meæ. Præterea cùm illo caſu tam invaſor, quàm invaſus ſit mihi proximus, & unus ſit in periculo vitæ, alter animæ, poſſum invaſi mortem permittere, ut non pereat invaſoris anima, quandoquidem ipſemet invaſus poſſit ob illum finem ſui ipſius occiſionem permittere, ſaltem ſi credat ſe eſſe in ſtatu gratiæ.

Dixi: *Niſi requiſitus:* quia ubi auxilium meum implorat invaſus; poſſumque ſine gravi meo periculo impendere, ad id teneor; quia opem meam requirens quaſi me ſuum defenſorem facit nexu Charitatis dictantis non eſſe denegandam juſtiſſimè illam poſtulanti; & ideò tunc invaſum præferre teneor invaſori. Excipe tamen, niſi invadenti ſim ſpecialiter parentela, aut obſervantia obligatus; ut, ſi foret Pater, aut frater, avunculus, tutor, Princeps ſupremus; quia tunc nec poſſum, nec teneor: eo quòd non permittat Pietas parentibus, aut quaſi parentibus debita, ut cum eorum occiſione ſuccurram extraneo.

Petes: An Magiſtratus, aut Prætor teneatur ratione Officii Civem ſuum injuſtè invaſum defendere cum periculo vitæ; ſicut tenentur Feudatarii, ſeu Vaſſalli defendere Dominum ſuum?

R. Quòd, licèt Magiſtratus, aut Prætor obligetur non tantùm quietem publicam, ſed etiam privatorum vitam, imò & bona conſervare, præcipiendo, vigilando, puniendo &c. non tenetur tamen, ſenſu communi ſic interpretante, ad manualem ſubditi defenſionem, ubi id præſtare non poteſt ſine vitæ periculo.

CONCLUSIO II.

TEnemur ex Charitate, ſecluſo gravi noſtro incommodo, defendere bona proximi contra injuſtum invaſorem, ipſum repellendo, percutiendo, imò & lædendo ſine periculo mortis, ſi aliter ſervari non poſſunt.

Ratio eſt: quia tenemur próximum diligere, ſicut noſmetipſos: atqui mediis illis bona propria defendere poſſumus, ut diximus: ergo & iiſdem conſervare tenemur bona proximi, ſive præſentis, ſive abſentis: ut, ſi fures totam ſubſtantiam vicini auferrent, ſi inimicus domum ejus incenderet, ſegetes vaſtaret &c. Ubi tamen proximus opem noſtram recuſaret, nec teneremur, nec poſſemus invaſorem malè tractare; quia tunc invaſus reſpectu bonorum, quorum ſupponitur Dominus, cenſetur cedere juri ſuo.

Dixi: *Ex Charitate*, non ex juſtitia: & ideò qui illo caſu ſuccurrere omittit, peccat quidem mortiferé, non tenetur tamen quidquam reſtituere.

CONCLUSIO III.

PRo conſervanda alterius pudicitia contra injuſtum aggreſſorem id omne poſſumus, & tenemur, ſi abſit grave periculum, quod poteſt ipſamet puella pro defendenda ſua integritate.

Ratio petitur ex lege Charitatis nobis inſinuantis, maximè in gravi neceſſitate, id eſſe faciendum in favorem alterius, quod in noſtrum favorem vellemus fieri.

QUÆSTIO V.

Quid Duellum, quotuplex, an aliquando licitum, & quæ pœnæ duellantium?

CONCLUSIO I.

DUellum (aliter Monomachia, quaſi pugna alterius contra alterum) eſt periculoſum certamen duorum ex condicto initum, deſignato tempore & loco.

Dicitur 1. *Periculoſum*, ut excludantur pugnæ, quæ fiunt armis ad occidendum aut lædendum ineptis, v.g pugnis, levi baculo, crinium avulſione: licèt enim quandoque inter adultos ſint gravia peccata, non ſunt tamen Duella.

Dicitur 2. *Duorum*, ſi enim plures inter ſe pugnent, non eſt propriè Duellum, ſed rixa; niſi certè ſinguli contra ſingulos decertent; quod ſit, dum principales duellantes, aſſumptis ſociis, ſeu, ut vocant, ſecundantibus, ità certamen ordinant, ut principalis contra principalem, ſocius contra ſocium pugnet.

Dicitur 3. *Ex condicto initum:* condictum autem ſonat convocationem ad pugnam; poſtea certo loco & tempore ineundam. Hinc, ſi qui rixantes ſtatim ex calore arma ſumant & pugnent; ſi inimici in platea ſibi occurrentes gladios exerant & certent; ſi unus alterum quærat, aut ejus tranſitum exploret, non erunt Duella defectu condicti.

Dicitur 4. *Deſignato tempore & loco:* quia id requirunt Gregorius XIII. Clemens VIII. in ſuis Bullis; non cenſentur autem locum & tempus deſignaſſe, qui rixantes in loco anguſto, periculoſo, ſacro, aut inepto, dicunt: *Exeamus hinc*, & ſtatim egreſſi inter ſe pugnant. Aliud eſſet, ſi egredientes dicerent: *Pergamus ad talem locum;* quia tunc deſignatur locus, imò & tempus, nempè præſens: Nec reputandus eſt duellaſſe in ordine ad incurrendas pœnas, qui poſtquam dixerat: *Quandocumque repererote in loco apto, rem armis decidemus*, poſteà, data occaſione, cum altero, qui & id acceptaverat, de facto congreditur; quia nec locus, nec tempus fuerunt deſignata. Idem eſt de illis, qui pugnantes baculis, aut pugnis, domum currerent gladios aſſumpturi, ſi de loco nihil loquantur. Sed quid de eo qui diceret: *Mane hic, quæro gladium:* vel, *exi domo*, aut *quære arma, te hic expectabo?* Probabilius eſt, quidquid dicant aliqui, eſſe pro duellante habendum; quia *Locum* determinat particula *hic* & *tempus* reditus aut adventus alterius; quod diligenter advertendum eſt, non pro cognoſcendo peccato, quod idem eſt; ſed ut ſciatur an pugnantes pœnas duellantibus impoſitas incurrerint, necne.

CONCLUSIO II.

DUplex Diabolus inſtituit Duellum, ſolemne unum, ſimplex alterum. Solemne (quia fortè ſolemniùs conducit ad Tartara) eſt, in quo adhibentur certæ cæremoniæ, ut deſignatio armorum, electio patrinorum, ſeu ſecundantium, aſſumptio teſtium &c. Simplex eſt, quod fit abſque illis cæremoniis.

Dividitur ulteriùs in illud, quod fit authoritate publica, & in illud quod fit authoritate privata.

CONCLUSIO III.

NUllo caſu licitum eſt Duellum authoritate privata ſive fiat provocando, ſive acceptando.

Prob. 1. Ex Script. quia per præceptum, *Non occides*, non tantùm prohibetur occiſio authoritate privata, ſed etiam periculum ejuſdem, ut patet in aliis præceptis; atqui in Duello ad minimum exponitur uterque evidenti occiſionis periculo: ergo. Undè duellans duplex committit peccatum, unum in quantum ſe exponit periculo occiſionis propriæ, alterum in quantum quærit alterum occidere.

Prob. 2. Ex Trid. ſeſſ. 25. de Reform. cap. 19. ubi fortiter admodum invehit in diabolicum illud inventum his verbis: *Deteſtabilis Duellorum uſus, fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Chriſtiano Orbe penitùs exterminetur.*

Prob. 3. Ex multis & gravibus pœnis, quas tum ipſummet Concilium, tum varii ſummi Pontifices, tum Jus Canonicum & Civile, tum ipſi Reges duellantibus impoſuerunt; ita ut Monarcha noſter Chriſtianiſſimus quoslibet cujuſcumque ſint dignitatis, gradus, conditionis, nobilitatis, ignominioſo ſupplicio jubeat affici: quod ità fœliciter ſucceſſit in Gallia; ut monſtrum illud tantò magis quærat latere, quantò gloriabatur olim ſe prodere.

Dices

Digitized by Google

Dices 1. Si vir nobilis Duellum oblatum reſpuat habebitur apud militares & nobiles tanquàm trepidus, ignavus, infamis, eritque illis contemptui & ludibrio, & tenebitur tandem armis & officio cedere cum vitæ periculo, dedecore familiæ, prolium neceſſitate. Hæc ſane videntur aliquibus ità urgentia, ut acceptationem Duelli in illo caſu fecerint licitam: nihilominùs.

R. Nec tunc licere: ſicut enim, etſi præfata imminerent, non poſſet quis fornicari, aut ſe polluere; ità nec poteſt evidenti periculo occiſionis propriæ, aut alienæ ſe exponere, cùm hoc ſit tam intrinſecè malum, quàm illud. Debet ergo tunc provocatus DEUM timere, non homines; non linguarum morſus, ſed dæmonum cruciatus: non dedecus imaginarium, ſed tormentum reale & æternum. Sciat, & cordi imprimat verum & ſolidum honorem eſſe in virtute fundatum, omnemque alium eſſe vanum, futilem & imaginarium. Sciat inſuper DEUM, qui etiam aviculis neceſſaria ſubminiſtrat, non defore hominibus, qui ſe ſuaque exponunt, leges ejus ſervaturi. Interim hanc propoſitionem proſcripſit Alex. VII. *Vir equeſtris ad Duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

Dices 2. Poteſt quis cogere alterum ad acceptationem Duelli cum minitatione mortis hic & nunc inferendæ, niſi acceptet: ergo tunc ſaltem licebit.

Reſp. Neg. Conſeq. quia etiam tali caſu debet illud reſpuere; poterit tamen contra aggredientem ſe defendere, etiam occidendo, ſi opus fuerit, ut diximus ſuperius.

CONCLUSIO IV.

SI Unum aut alterum caſum exceperis, etiam non licet duellum authoritate publica.

Ratio eſt; vel enim fieret ſpectaculi gratia, vel ad detegendam innocentiam, vel ad litem finiendam, atqui ex nullo illorum capite licet; ergo: non quidem *ſpectaculi gratia*, quia Principes non habent jus in vitam ſuorum ſubditorum, niſi ſint malefactores, & conſequenter enormiter peccant, ſi pro libitu illorum vitam exponant. Imò peccaret Princeps, ſi duos malefactores morti adjudicandos ad Duellandum obligaret, ut, qui vinceret, evaderet mortem; quia eorum corpora exponendo occiſioni, eorum animas exponeret damnationi cùm fieri poſſit, ut unus aut alter vulneratus ſocium appetat affectu vindictæ.

Non etiam ad detegendum crimen, aut innocentiam, quia cùm medium illud non ſit ad hoc à natura ordinatum (quandoquidem in illo conflictu tam poſſit cadere innocens quàm nocens) debet veritatis manifeſtatio expectari vel à diabolo, & tunc erit Divinatio; vel à DEO, & erit DEI tentatio, niſi fieret inſtinctu Divino, ut legitur de quodam fabro qui, ut Judæum convinceret de ſacrilegio in imaginem B. Virginis Cambronenſis commiſſo, ipſum ad Duellum convocavit.

Nec ad finiendam litem; quia vel inſtituitur Duellum ad detegendum pro quo ſtet juſtitia, & redeunt dicta pro caſu præcedenti; vel ſic ut partes deſinant litigare, & erit inventum diabolicum, cum ſint innumeræ aliæ viæ, quibus collitigantes pacificentur.

Dixi in concluſione: *Si Unum aut alterum caſum excipias*; quia 1. non condemnarem ſingulare certamen, ubi attentis belli incommodis, bonorum jacturis & gravaminibus, multarum necium periculis &c. utilius foret Reipublicæ Duello, quàm bello rem controverſam decidere. 2. Nec condemnarem Principem injuſtè invaſum, ſi prævidens, ob virium debilitatem eſſe in bello ſuccumbendum, Duellum inter duos duces, aut milites committendum acceptaret, aut offerret; quia tunc cenſetur uti viribus in ſui ſuæque Reipublicæ defenſionem eo meliori modo, quo poteſt. Additur & alius caſus, quando niſi Princeps Duellum ab alio oblatum acceptaret, hoſtis fieret indè animoſior & audacior; ipſius autem exercitus dejectus & timidus, cùm magno detrimento boni communis.

CONCLUSIO V.

VAriæ pene graves contrà duellantes emanarunt à Conc. Trid. & Summis Pont. Julio II. Leone X. Clemente VII. Pio IV. Gregorio XIII. quas omnes confirmavit & auxit Clemens VIII. Per Bullam quæ incipit: *Illius vices* datam 7 Septembris 1592. ubi duellantes, eiſque cooperantes miris execrationibus & maledictionibus feriuntur, illam lege. Pœnæ autem datæ occaſione duellorum, ſunt Excommunicatio Papæ reſervata, infamia perpetua, confiſcatio bonorum, inhabilitas ad dignitates, & Beneficia Eccleſiaſtica, privatio eorundem, ſi duellans ſit Clericus, privatio ſepulturæ. Eccleſiaſticæ, ſi duellans moriatur in conflictu.

1. Autem omnes illas pœnas incurrunt ipſimet pugnantes, ſive ſint principales, ſive non, ſive ſit ſolemne duellum, ſive ſimplex, etiamſi non ſequatur mors, vel mutilatio; imò licèt pactiones initæ ſint de dirimendo certamine cùm primùm alteruter vulneratus fuerit, aut ſanguinem fuderit, aut certus ictuum numerus fuderit datus. Quantum verò ad ſepulturam, illa privantur, etiamſi in loco Duelli ſigna pœnitentiæ dederint, imò & Confeſſarium petierint, ſecùs, ſi ad alium locum tranſlati pœnituerint: quia, cùm verba Tridentini, *ſi in tali conflictu deceſſerint*, ſint pœnalia, non ſunt ultrà rigorem litteræ extendenda, quando autem dubitatur, an pugna, in qua quis occubuit, fuerit Duellum? non poteſt Parochus privare occiſum ſepultura; quia non cenſetur pœna illa eſſe impoſita, niſi pro iis, quos conſtat in Duello occubuiſſet. Si tamen ſciret Parochus, poſſe Duellum probari per teſtes ſufficientes, teneretur, antequàm ſepeliret, rem ad Epiſcopum remittere.

2. Illas incurrunt patrini, ſocii, litteras provocatorias ſcribentes, ſcienter, deferentes, provocationem oretenùs denunciantes, ad Duellum ſeriò provocantes, acceptantes, etiam pugna aliqua ſecuta non fuerit, ut ait Clemens VIII. Nomine autem *provocantium* non tantùm intelliguntur inſtigantes alteros, ut volunt aliqui, ſed etiam, & à fortiori, provocans principalis, ut vult minor ſententia.

3. Præfatis pœnis ſubjacent duellantium adjutores, ſive (ut Gregorius XIII. in ſua Bulla: *Ad tollendam*, loquitur) auxilium, conſilium, vel favorem dantes, equos, arma commeatum, pecuniam, & alia ſubſidia ſcienter adminiſtrantes: conſilium autem debet eſſe efficax, ſeu debet perſuadere, licèt effectus poſteà non ſequatur: qui autem conſilium datum omnibus modis revocat, pœnas incurrit; niſi contrarium perſuadeat; quia cenſetur adhuc duellans vi conſilii agere. Has pœnas non incurrunt qui duellum ſuo nomine factum approbant, aut ratum habent; quia id nullibi exprimitur.

4. Incurrunt illas, ex induſtria, ſeu ex compoſito ſpectatores, ideſt, qui ex ſua præſentia aut viſione videntur ad pugnam incitare; ideò non comprehenduntur illi, qui ex occulto, vel obiter tranſeundo reſpiciunt; quia nihil ad acuendam pugnam conferunt.

5. Extenduntur dictæ pœnæ ad locorum Dominos, Magiſtratus, Præſides, Locum tenentes, Duces militum, & Capitaneos, qui Duellum vel permittunt, vel non prohibent, quantum poſſunt, vel commiſſum non puniunt, Civitates verò, Oppida, Terræ, Caſtra, in quibus commiſſum eſt, permittentibus aut tolerantibus Dominis, Eccleſiaſtico ſubjiciuntur Interdicto.

Abſolutio autem à præfata Excommunicatione, aliàs Papæ reſervata, competit ex privilegio omnibus Confeſſariis Mendicantium extra Italiam degentium; ita declaravit Clemens VIII. ut teſtantur Comitolus, Reginaldus, Dicaſtillo, Lezana, Filliutius, & alii.

QUÆSTIO VI.

De Bello.

BEllum, quaſi ironicè ſic dictum eſt, eo quòd, ut vult Hieron ad Fabiolam Epiſt. 127. manſione 33. nihil habeat bellum, ſed omnia acerbitate plena. Varia de eo Articulis ſequentibus occurrunt examinanda.

ARTICULUS I.

Quid Bellum, & an ſit licitum?

CONCLUSIO I.

BEllum eſt conflictus multorum contra multos extraneos.

Dicitur 1. *Conflictus*; quia hic loquimur de Bello actuali, & non habituali, quod eſt profeſſio nocendi vi, & armis contrariæ parti.

Dicitur 2. *Multorum contra multos*, ut excludatur *Duellum*, quod eſt unius contra unum, & *rixa*, quæ eſt vel unius contra unum, vel paucorum contra paucos.

Dicitur 3. *Extraneos*: ut diſtinguatur à ſeditione, quæ fit inter homines ejuſdem Regni aut Communitatis. Eſt autem duplex Bellum, Defenſivum unum, Offenſivum alterum: primum eſt, quando vim & injuriam ab aggreſſore illatam vi & armis propulſamus. Secundum eſt quo hoſtis hoſtem aggreditur compenſationis obtinendæ, aut injuriæ vindicandæ gratia. Pro Bello autem Defenſivo juvat advertere, non eſſe obli-

gatio-

Digitized by Google

gationem ſervandi moderamen inculpatæ tutelæ, ſeu præciſè in ſui defenſionem pugnare, ut fit in defenſione privata, ſed poſſe aggreſſum etiam vindicare injuriam ab aggreſſore factam, ſi fundatè judicet bellum offenſivum injuſtè moveri.

CONCLUSIO II.

Licitum eſt Bellum tam Offenſivum, quàm Defenſivum, modò veſtiatur conditionibus poſteà aſſignandis. Eſt de fide, cùm Deus in veteri Teſtamento ſæpiùs Bellum geri juſſerit, imò & auxilium juſtè bellantibus promiſerit & dederit. Eſt tamen contra Manichæos, qui, teſte Aug. lib. 21. contra Fauſtum cap 74. omnia Bella tanquam injuſta repudiabant, & ideò Moyſen, quod Bella geſſiſſet, impudenter arguebant. Eſt etiam contra Julianum Apoſtatam, quem ſecuti ſunt Anabaptiſtæ, Cornelius Agrippa, & Eraſmus interdicentes Bellum Chriſtianis, maximè contra Chriſtianos, propter illud Matth. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.*

Lutherus autem (qui voluit juſtum eſſe Bellum contra Chriſtianos, & præſertim contra Papam & Papiſtas) docuit injuſtum eſſe contra Turcas, quia ſunt peccatorum noſtrorum flagella. Hanc tamen ſententiam, nonnihil moderata paſſione, retractavit in libro de viſitatione Saxonica.

Prob. Autem prima para Concl.tum ex innumeris veteris Teſtamenti paſſibus; tum ex Aug. ſup. ubi ait: *Quid culpatur in Bello? an quia moriuntur quandoque morituri, ut dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere, timidorum eſt, non Religioſorum.* Tum etiam ratione, quia quandoque expedit aut læſionis compenſationem obtinere, aut injuriæ vindictam ſumere, ſed inter eos, qui nullum ſuperiorem agnoſcunt, non poſſunt illa executioni mandari, niſi bellando, ubi lædens non vult ſatisfacere parti læſæ: ergo. Præterea poteſt judex particularis illatas civibus injurias punire quidni poſſet Reſpublica illatum ſibi damnum, aut injuriam, indicto bello, vindicare? exponuntur quidem in bello vita & fortuna multorum, ſed particularia illa cedere debent bono communi, & Reipublicæ tranquillitati, ac conſervationi.

Prob. ſecunda pars; Quia licitum eſt jure naturæ vim vi repellere: ergo, ubi creditur aggreſſor injuſtè aggredi, poteſt aggreſſus injurias propulſare: & certè mirum eſſet, quòd poſſet homo privatus ad vitæ defenſionem alterum occidere, & non poſſet Reſpublica peritura, aut graviter debilitanda contra injuſtum aggreſſorem ſe defendere?

ARTICULUS II.

Quæ conditiones requirantur ad Belli juſtitiam?

CONCLUSIO I.

PRimò neceſſaria eſt Authoritas, quam ad bellum indicendum habet omnis, ſoluſque Princeps ſupremus & Reſpublica independens, ſeu perfecta. *Omnis* quidem; quia ut habet Aug. loco citato cap. 75. *Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poſcit, ut ſuſcipiendi belli Authoritas atque conſilium penes Principem ſit*; cùm enim non habeat Superiorem, apud quem pro juſtitia obtinenda conqueratur, ipſi jure naturæ conceſſum eſt de injuria illata cognoſcere, judicare, & illam, eo modo quo poteſt, vindicare: *Solus* autem; quia cùm quilibet alius Superiorem habeat ad quem recurrat, non poteſt propria authoritate ſe vindicare, alterum aggrediendo, percutiendo, occidendo, & ideò Reſpublica imperfecta, ut ſunt Principatus in Germania ab Imperatore dependentes, ſi à Principe ſupremo injuriam paſſa eſt, debet pro ea ulciſcenda facultatem à ſuo Superiore legitimo obtinere, ſi verò alteri ipſa het intulit, debet damnificatus damnificantis Superiorem adire. Ubi autem Reſpublica injurians & injuriata eundem Superiorem habent, debent ad illum pro componendo negotio recurrere.

Dixi: *Ad bellum indicendum*; quia, durante periculo & neceſſitate; poteſt Reſpublica imperfecta, aut etiam Civitas injuſtum invaſorem Bello repellere, non expectata Superioris facultate, cùm hoc dictet & permittat ratio naturalis.

CONCLUSIO II.

SEcundò requiritur juſta cauſa, quæ videtur eſſe unica, nempè injuria gravis ulciſcenda.

Ratio eſt; quia Bellum offenſivum ſeu aggreſſivum eſt actus Juſtitiæ vindicativæ, adeòque pro fine & objecto reſpicit injuriæ ultionem, aut damni compenſationem, & ideò dixit Aug. q. 10. in Joſue: *Juſta Bella definiri ſolent: quæ ulciſcuntur injurias.*

Variæ autem referuntur injuriæ Bello vindicabiles. 1. Subditorum ſeditio, rebellio, aut juſti tributi negatio. 2. Gravis ignominia Principi aut ejus Legatis illata. 3. Violatio fœderis. 4. Jus, aut Civitas uſurpata. 5. Rebellium contra Principem defenſio. 6. Auxilium Regis hoſtibus conceſſum. 7. Fœderatorum injuſtè oppreſſorum aut cauſam juſtam tuentium aggreſſio. 8. Tranſitus jure naturali debiti negatio: quam ob cauſam debellarunt Iſraelitæ Reges Amorrhæorum. Unde Cæſar apud Lucanum ait: *Arma tenenti omnia dat, qui juſta negat*; non ſufficit tamen ad Bellum juſtum, gloriæ acquirendæ, aut Regni dilatandi cupiditas: nam *inferre bella finitimis, & inde in cætera procedere, ac populos ſibi non moleſtos, ſola Regni cupiditate conterere, & ſubdere, quid aliud, quàm grande latrocinium nominandum eſt*, inquit Aug. lib. 4. de Civit. Dei cap. 6. Porro ad cauſam juſtam non eſt ſatis, quòd talis appareat Principi, ſed debet ipſe cum Conſilio ſuo tum ſuas, tum adverſariorum rationes ſæpius & maturè diſcutere, & in ſtatera domini librare. Ubi autem, omnibus conſideratis, res apparet dubia, melior eſt conditio poſſidentis, ita ut aggrediens Poſſeſſorem, peccet tot peccatis, quot homines Bello cæduntur, aut graviter in bonis ſuis læduntur, teneturque ad omnium damnorum reſtitutionem. Non eſt autem inferiorum; ſeu eorum, qui ad Conſilium non admittuntur, Belli juſtitiam examinare, ſed Regi & Ducibus ejus parere, etſi Belli juſtitia appareat ipſis dubia: quod expreſsè docet Aug. lib. 21. contra Fauſtum cap. 75. & ideò poteſt & debet ſubditus, dubio depoſito, militare. Dico: *Subditus*; qui enim ad ſerviendum non cogitur, non poteſt de juſtitia belli dubitans militiæ nomen adſcribere, cùm nulla ſit ei ſerviendi neceſſitas.

CONCLUSIO III.

NEceſſaria eſt etiam ad bellum licitum recta intentio, ità ut pugnetur, non ex odio, ſed juſtitiæ zelo; non nocendi cupiditate, ſed bono communi favendi voluntate: unde Aug. ſupra cap. 74. *Nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, implacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi quæ ſimilia: hæc ſunt, quæ in Bellis jure culpantur.*

Dixi: *Ad Bellum licitum*; quia etſi Princeps, aut ejus ſubditi procederent ex odio, ex ira, ex crudelitate &c. & ideò peccarent: Bellum tamen eſſet juſtum & reſtitutioni minimè obnoxium, ubi adeſſent duæ priores conditiones, nempè authoritas, & cauſa legitima.

CONCLUSIO IV.

NEceſſarius eſt denique bellando modus executionis moderatus; ac 1. Nunquam bellum indici aut inchoari debet, niſi pars lædens debitè de injuria, aut damno monita ſatisfactionem competentem recuſaverit parti læſæ, ità ut ad bellum ſola compenſationis obtinendæ impellat neceſſitas: nam, ut ait Aug. Epiſt. 205. ad Bonifacium: *Pacem habere debet voluntas, Bellum neceſſitas.* Imò ſi in progreſſu Belli, & jam occiſis ex utraque parte plurimis, offerat pars impetita debitam ſatisfactionem, omniumque damnorum reparationem, debet aggrediens acquieſcere.

2. Debent milites in belli proſecutione occidendo, vaſtando, ſpoliando &c. crudelitatem vitare, modos ordinarios non excedere: ideò meminiſſe debent ſe non latronum, aut ſicariorum partes agere, ſed executorum ſententiæ juſtæ, ac decretæ à Principe legitimo vindictæ; non eſt tamen ipſis prohibitum, ad hoſtium deceptionem, conſilia diſſimulare, inſidias parare, ſtratagemata tendere: quia, ut ait Aug. q. 10. in Joſue: *Cùm juſtum* quis *Bellum ſuſceperit, utrum aperta pugna, an per inſidias vincat, nihil ad juſtitiam intereſt?*

4. Quoad vitam parcere debent innocentibus, ità ut ne unum quidem directè, aut ex intentione interficiant, licèt poſſint quandoque indirectè occidere, ut ſuo loco diximus. Si autem interdum Iſraelitæ nec ætati, nec ſexui pepercerint, ut Joſue 6. & 1. Regum 15. vitæ & mortis Domini juſſio urgebat. Veniunt autem nomine *Innocentium* Clerici, Religioſi, mulieres, infantes quorumlibet, etiam Turcarum, pueri, ſenes, ad arma inepti, ruſtici, mercatores, extranei, peregrini, amentes, aut quaſi amentes: ſi tamen aliqui ex illis (licèt mulieres, aut Religioſi) ſeſe bello immiſceant, aggeres erigendo, faſcinas comportando, tormenta bellica explodendo &c. non ſunt pro innocentibus habendi.

Dixi: *Quoad vitam*; quia niſi contributiones ſolvant, poſſunt eorum bona, ſicut & aliorum, licitè auferri, ſpoliari, vaſtari &c. Ratio eſt; quia licèt in ſe ſint innocentes, ſunt tamen membra Communitatis nocentis & punibilis. Excipiuntur tamen bona Clericorum, Religioſorum, & Peregrinorum, quæ nunquam licet auferre, aut deteriorare; niſi certè

pars

Digitized by Google

pars impetita eſſet illis ad reſiſtendum uſura; quo caſu licet ab Eccleſiaſticis & peregrinis equos, naves, arma, pecunias, granum &c. auferre, ſicut & illorum agros depopulari; finito tamen Bello, ſi quid ex ablatis reſtet, aut non ſit juſtè conſumptum, eſt ipſis reſtituendum. Hæc ſunt jure certa, ſed malè obſervata.

4. Circa eos, qui in jure non reputantur innocentes, cavere debent milites, ordinariè loquendo, ne poſtquam in aliquo conflictu, aut urbis compoſitione ſe dederint, ipſos occidant, bonis noceant, injuſtè vexent. Item extra conflictum non poſſunt hoſtem occidere, ubi ſine ſui, ſuorum, & Reipublicæ periculo poſſunt illum ſubjicere, ſeu captivum reddere: quia, ut ait Aug. Epiſt. 205. ad Bonifac. *Hoſtem pugnantem neceſſitas prima: non voluntas: ſicut rebellanti & reſiſtenti violentia redditur: ita victo vel capto miſericordia debetur.*

Dixi: *Ordinariè loquendo*; quia ubi non intervenit pactum de ſervanda captorum vita, poſſunt ex Principis mandato aliquos interficere, ſi criminis enormitas, ut rebellionis, ſeditionis &c. id exigat: ubi autem victor ex juſta cauſa permittit totius urbis deprædationem (quod rariſſimè aut vix unquam, propter horribilia inconvenientia permitti deberet) invigilare debent Duces, ne milites ſpolient Eccleſias, Monaſteria mulierum ingrediantur, Conventibus noceant, Virgines aut Matronas violent, Innocentes interficiant &c. Imò Eccleſias, aut Monaſteria expoliantes ſunt excommunicati. Si tamen Bellum fieret contra Eccleſiæ Prælatum, poſſent Clerici tanquam ejus ſubditi bonis ſuis ſpoliari. Sed quid poſſunt circa Eccleſiam more caſtri munitam? ſi hoc factum ſit ad defenſionem Eccleſiaſticorum, aut Laicorum innocentium, non poſſunt ipſi ullam vim inferre, licèt poſſint arma bellica eripere; ſi autem ſit hoſtibus aſylum, poſſunt hoſtes per vim ex ea extrahi.

ARTICULUS III.

Quæ ſint peccata Bello inſervientium?

PLura perſonarum genera peccare poſſunt ratione Belli, milites gregarii, Duces Supremi, Duces ſubordinati, Vivendarii, Amonitionarii, & Commiſſarii.

CONCLUSIO I.

MIlites peccant primò *contra Regem*, ſi ipſum non protegant, bona procurando, mala avertendo; ſi ſint ipſi infideles, Belli ſecreta hoſtibus revelando, cum ipſis pro tradenda civitate paciſcendo, ſtationem deſerendo, hoſtes latentes non denuntiando; ſi in certamine ignaviter ſe gerant, pericula declinent, necdum deſperata victoria fugiant, aliis timorem incutiant.

Secundò peccant *contra incolas terrarum hoſtilium*, ſi ipſos ſpoliando concuſſiones barbaras exerceant, ſi contributionem ſolventes bonis, ſegetibus, pecuniis &c. ſpolient: quo caſu tenentur ad reſtitutionem ipſi Domino, ſi fieri poſſit, aliàs populo læſo per manus Epiſcopi loci faciendam: & quidem tenentur ſinguli in ſolidum, ſi ſeſe invicem excitantes, vel auxiliantes deprædati ſint. Aliud eſt, quando unus, licèt cum aliis furetur, non eſt cauſa moralis furti alterius, defectu autem militum tenentur Duces deprædationem injuſtam authoriſantes, vel permittentes. Item tenentur milites reſtituere, quando contra expreſſam aut tacitam Superioris voluntatem hoſtibus nocent, niſi prohibitio tantùm facta eſſet pro ſervando ordine militari; quia tunc peccarent quidem contra Obedientiam, non contra Juſtitiam.

Tertiò: Peccant *contra hoſpites ruſticos*, aut alios non hoſtes, ipſos gravando, concutiendo, injuriando, indebita poſtulando vel auferendo, rem familiarem vaſtando: nec ipſos excuſat Ducis authoritas, aut diſſimulatio; licèt pro victu excuſare poſſit urgens neceſſitas defectu ſtipendii, quod tamen compenſare tenebitur Princeps, aut Dux militiæ, ſi ſtipendium injuſtè retineat.

CONCLUSIO II.

DUx ſeu Princeps ſupremus peccat 1. cum obligatione reſtituendi omnia damna & expenſas, ſine cauſa ſufficienti Bellum decernendo, declarando, inferendo, ſicut & ejus Conſiliarii, ipſumque juvantes. Peccat 2. cum eadem obligatione, milites ab injuſtis extorſionibus, rapinis, deprædationibus, incendiis, furtis, ſtupris &c. legum & pœnarum ſeveritate non coercendo. 3. Militibus neceſſaria ſuo tempore non miniſtrando, quorum defectu, ipſis furantibus, tenetur omnia ſarcire, excuſari poſſet Princeps, ſi in Bello defenſivo contra noxios hoſtium impetus ſuſcepto, tardiùs aut tenuiùs ſtipendia ſuppeditaret defectu ſufficientium: quo caſu ipſis militibus & Provinciæ incolis aliquid pro bono communi tolerandum eſt.

CONCLUSIO III.

DUces ſubordinati peccant 1. Si in itinere à privatis aut Communitatibus pecunias, aut alia recipiant, ut alio divertant pro hoſpitio, cum aliorum gravamine. 2. Si abſque juſta ratione exponant milites occiſionis periculo, aut jubeant in loca infecto, aut minùs ſano morari. 3. Si ſtipendii partem militibus retineant, ſi victualia minora, corrupta, aut minus bona miniſtrent, ſi ideò milites ab hoſpitibus, aut ab aliis neceſſaria ſurripiant. 4. Si ſtipendium pro certo numero recipiant, & pauciores habeant, aut etiam in luſtratione fictos milites ſupponant. 5. Si milites, quantùm poſſunt, à blaſphemiis, perjuriis, verbis & actionibus obſcœnis non impediant. 6. Si tumultuariè & extra regulas militiæ unicuique hoſpitium accipere permittant cum injuſto innocentium gravamine. 7. in diſtributione Spoliorum, vel onerum juſtitiam diſtributivam violent. 8. Si invitos ad militiam cogant. 9. Si Clericos majorum Ordinum militaturos recipiant, aut, ſi poſtquàm tales eſſe noverint, non dimittant.

CONCLUSIO IV.

VIvendarii peccant. 1. Si inter ſe monopolio conveniant, ut panis, vinum, cereviſia, caſeus, ova, carnes, fœnum, avena &c. carius diſtrahantur. 2. Si pecunia, aut aliis Capitaneos, vel alios Officiales circumveniant, ut ſuos milites obligent ut apud eos pro neceſſariis divertant. 3. Si pretium taxatum tranſgrediantur.

CONCLUSIO V.

AMonitionarii peccant. Si frumentum, avenam, fœnum & alia corrupta miniſtrent, aut vilioris pretii, quàm ſit conventum. 2. Si donis inducant Provinciæ Superintendentem, ut pretium grani viliùs taxet, aut impediat alios certo tempore ſuas proviſiones facere, ut ſic ipſimet viliori pretio emant ſibi neceſſaria. 3. Si oblatis conentur excæcare Opinatores, vulgò *Controlleurs*, ut eorum fraudes retineant. 4 Si cum Capitaneis conveniant pro numero indebito panum, candelarum, liquorum, carbonum &c. cum Regis detrimento. 5 Si militibus neceſſaria ſuo tempore non provideant. 6. ſi cum Regis pallio gravent Religioſorum Monaſteria per impoſitionem frumenti, farinæ, &c.

CONCLUSIO VI.

COmmiſſarii Theſaurarii peccant. 1. Si dicant ſe non habere pecuniam Regiam, eo fine, ut munus aliquod recipiant à militibus, quibus ſimulant ex pecunia propria ſolutionem anticipatam facere. 2. Si ſolutionem differant, ut poſſint cùm pecunia Regia lucrari. 3. Si in ſolutione ſtipendiorum utantur cambiis uſurariis. 4. Si in luſtratione militum cum Officialibus conveniant de ſubſtituendis militibus ſuppoſititiis, ut ſic ſtipendia indebita inter ſe rapaciter dividant. Sed væ illis omnibus in æternum, niſi reſtituant.

ARTICULUS IV.

In quo varia dubia de Bello reſolvuntur.

PEtes 1. An Bellum poſſit eſſe utrinque juſtum?

R. Poſſe, non materialiter, quaſi verò poſſet jus à parte rei pro utroque ſtare, ſed formaliter, in quantum fieri poteſt, ut bona fide exiſtimet uterque ſe habere rationes ſufficientes & fundatas, ut Bellum vel declaret, vel ſuſtineat: hocque patet in omni ferè lite, ubi tam poſtulans; quàm defendens credit ſe jus habere.

Petes 2. Quid dicendum de deſertoribus?

R. 1. Violare juramentum fidelitatis. 2. Peccare contrà juſtitiam, tum ratione obſequii debiti; ad quod ſe mancipaturunt, tum ratione ablatorum, puta veſtis, equi, armorum &c. Undè tenentur ad reſtitutionem omnium. Nec ſufficit ſi pro obſequio debito reddant id, quod in ſua inſcriptione receperunt, ſed debent juxta moralem obſequii valorem reſtituere, attento temporis ſpatio, quo tenebantur inſervire.

Petes 3. Quid de Capitaneis, qui per vim aliquos militiæ adſcribunt?

R. Gravem committere injuſtitiam, in quantum auferunt

ab

Digitized by Google

ab homine libertatem, qua nihil pretioſius, imò niſi ipſum liberum dimittant, remanent in continuo ſtatu peccati, ſuntque omnis Sacramenti ſuſcipiendi incapaces. Præterea ſi per vim captis, aut eorum familiæ damnum intulerint, v. g. quia pinguem habebant præ manibus fortunam, quia nutriebant parentes pauperes, quia uxorem cum prolibus ſuſtentabant &c. tenentur o. nia reſarcire. Sententia vera, praxis inaudita.

Petes 4. An in juſto Bello offenſivo liceat Monachis, & Clericis Sacrorum Ordinum militare?

R. Neg. quia licèt jus naturæ id ipſis non prohibeat, prohibet tamen jus Eccleſiaſticum variis in locis, ut c. 4. & 5. 23. q. 8. & alibi: nec immeritò, quia dedecet Altaris Miniſtros, qui proximè, vel remotè Agni manſueti immolationi aſſiſtunt, munus ſanguinolentum exercere, & ideò peccant graviter ob materiæ & pœnarum in Canonibus impoſitarum gravitatem, qui per ſe dimicant, exercitum dirigunt, præeunt militibus, tormenta in hoſtes explodunt, aut explodentibus præſunt: non eſt tamen illis prohibitum animum militibus ad ſtrenue pugnandum addere, ut patet ex communi Doctorum ſenſu, & timoratorum praxi, & ideò dum contrarium inſinuatur c. 5. *De Pœnit.* ſermo eſt, juxta gloſſam, de Bello injuſto.

Dixi *Clericis Sacrorum Ordinum*, quia Minoriſtis, ſi ſæculariter vivant, non eſt interdictum bellare, ſi autem Clericorum more, tantùm ſub veniali prohibetur, eo quòd remotius Sacrificio aſſiſtant.

Dixi: *Per ſe*; quia Clericis (qui ſunt ſupremi Principes) ſicut licet per alios in cauſa ſanguinis judicare, ita & bellare.

Petes 5. An liceat Principi Bellum declarare, ne vicinus fiat potentior?

Reſponderet Machiavelliſta affir. ſed Chriſtianus neg. quia licet ex Regis vicini potentia timeat nocumenta, non eſt tamen faciendum malum (quale eſt poſſeſſorem pacificum injuſto Bello vexare) ut eveniat bonum.

Petes 6. Quid dicendum de iis, qui aliquem ex hoſtibus inducunt promiſſis, ut prodat Caſtrum, Urbem, Exercitum, Belli ſecretum &c.

Hos iterum juſtificaret Machiavelliſta, ſed reprobare cogitur Theologus: ſi enim graviſſime peccet proditor contrà fidelitatem ſuo Principi debitam: quidni & peccaret ad peccandum inducens, imò & ipſius peccati author? licet quidem hoſtem ſtratagematibus circumvenire, decipere &c. ſed licitis mediis, & à Deo ordinatus: nec valet profana excuſatio politicorum noſtri temporis, quòd inducens intendat præcisè victoriā, non alterius peccatum. qui enim intendit quod hic & nunc non poteſt haberi ſine peccato, cenſetur & peccatum intendere.

Petes 7. An ſit licitum in Bello juſto copias auxiliatrices Infidelibus, aut Hæreticis præbere, aut ipſis recipere? Dico *in Bello juſto*; quia in Bello injuſto, aut Fidei Catholicæ everſivo, pluſquàm certum eſt non licere.

R. Per ſe loquendo affirm. Prob. Tum ex Script. 1. Machab. 8. ubi populus Judaicus fœdus init cum populo Romano, ut in Bello eſſet unus alteri ſocius: quod confirmavit Jonathas cap 12. & Simon c. 14. Tum etiam Ratione, quia Infidelitas, aut Hæreticitas non alterat juſtitiam cauſæ, ut per ſe patet. Præterea licitum eſt in Bellis uti beſtiis, quidni & hominibus, ſecluſis inconvenientibus?

Dixi: *Per ſe loquendo*; quia ſi præbens Infidelibus, aut Hæreticis auxilium, prævideat, aut prævidere debeat falſas ſectas dilatandas cum præjudicio Fidei Catholicæ, certum eſt, nullatenus poſſe: ſicut certum eſt non poſſe Infidelium aut Hæreticorum turmas advocari, ſi juſtè timeatur veræ Religioni fore noxias, Templa & Altaria deſtruendo, Sacerdotes indignè tractando, Monaſteria extirpando, cæremonias noſtras irridendo, &c.

Petas 8. An licitè poſſit Catholicus militare inter Infideles aut Hæreticos, ſi ad id non obligetur?

R. Neg. imò tot peccatis reus eſt, quot Miſſarum, Confeſſionum, & Communionum omiſſionibus ſe exponit, defectu Sacerdotum & exercitiorum Religionis Catholicæ: ac ultra incurrit evidens periculum ſubverſionis in Fide & moribus, cùm deſit Sacerdos, a quo inſtruatur; Sacramenta, quibus reficiatur; Exemplum bonorum, quo animetur: adſint autem ſectæ falſæ, dogmata impia, mores perverſi, quibus ſcandalizetur. Aliud eſſet, ſi in illis partibus exercitia Catholicorum permitterentur, aut tolerarentur.

QUÆSTIO VII.

An liceat quandoque procurare Aborſum, quale ſit peccatum, quæ pœnæ illum procurantium, & à quibus poſſint abſolvi?

SUppono 1. Aborſum eſſe ejectionem fœtus immaturi, ſive interim ſit animatus, ſive non, modò ſit conceptus: quod addo, quia expulſio ſeminis ante conceptionem non eſt propriè abortius: & ideò propter illam non incurruntur pœnæ procurantibus aborſum impoſitæ.

Suppono 2. Aborſum diverſimodè poſſe procurari, puta medicinis, apertione venæ, potionibus, ſaltationibus immoderatis, laboribus, aut itineribus exceſſivis, percuſſionibus, oneribus mulieri gravidæ impoſitis, & aliis pluribus modis, quos adinvenit perditarum mulierum audacia aut libido.

Suppono 3. Procurationem Aborſus fieri poſſe vel directè, vel indirectè: directè fit per actionem ex ſe tendentem in expulſionem, aut extinctionem fœtus, indirectè per actionem ex ſe tendentem in curationem morbi mulieris prægnantis, v. g. movendo ipſi per potionem menſtrua, extrahendo ſanguinem &c. licèt per accidens ſequatur fœtus extinctio aut ejectio.

Suppono 4. Juxta communem ſententiam, animari mares die quadrageſimo, & fœminas die octogeſimo: quod neceſſario ſciendum eſt, ut conſtet an procurans Aborſum pœnas incurrerit, necne. in dubio autem, an fœtus abortivus ſit mas, vel fœmina, & conſequenter an eſſet animatus in ejectione, vel non? Præſumendum eſt pro foro conſcientiæ animatum eſſe poſt 40. dies, ut habet praxis pœnitentiariæ Romanæ, teſte Navarro. His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

NUnquam licet procurare directè aborſum fœtus animati, imò nec inanimati. Eſt communis & certa.

Prob. prima pars; quia nullo caſu licitum eſt occidere innocentem, & ideò potius millies deberet mori mater, quàm id facere, aut permittere.

Prob. ſecunda pars (quam contra communem impugnant aliqui) ideò nunquam licet ſibi procurare directè pollutionem, quia ſemen eſt per ſe à natura ordinatum ad generationem, ſed multò immediatus ad illam ordinatur fœtus: ergo. Unde Tertullianus in Apologetico c. 9. loquens de fętu concepto, etiam ante animationem, *homicidii feſtinatio eſt*, inquit, *prohibere naſci.*

Contr. Ex condemnatione hujus propoſitionis ab Innoc. XI. *Licèt procurare aborſum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.*

Dices 1. Poteſt quis ſibi abſcindere partem corporis ad conſervationem totius, ſed fętus inanimatus eſt quædam pars matris periclitantis: ergo ad conſervationem vitæ ſuæ poteſt illum expellere.

Reſp. Neg. Min. Quia ſicut poſt animationem non dicitur pars matris, nec poteſt dici ante, cùm ex tunc dicat ordinem ad ſuppoſitum diſtinctum: unde tantùm dicitur pars matris defunctæ in ordine ad ſepulturam.

Dices 2. Fętus tunc eſt aggreſſor vitæ matris, ſicut ſunt pravi humores: ergo ſicut licet hos expellere, ita & illum.

R. 1. Retorquendo argumentum. Semen nimis abundans eſt quandoque aggreſſivum vitæ hominis: ergo licet illud expellere, quod tamen, ſecundùm omnes, falſum eſt.

R. 2. Fętum animatum plus nocere vitæ maternæ, quàm inanimatum, cùm ille, utpotè grandior, plus trahat de ſubſtantia Matris, atqui hunc non licet expellere: ergo nec illum. Aliud eſt ad humoribus, qui non ordinantur à natura ad aliud ſuppoſitum, ſicut fętus. Hinc

Reſol. Non licere Matri periclitanti ſumere pharmacum, quod eſt æqualiter nocivum fętui, ac proficuum matri: quod à fortiori verum eſt, ubi fętus eſt animatus; quia tunc pharmacum directè tendit in ejectionem fętus, licèt etiam directè tendat in curationem Matris.

CONCLUSIO II.

LIcet Matri periculosè ægrotanti, nec aliud remedium habenti, ſumere potionem directè tendentem in curationem morbi, etſi juſtè timeatur extinctio, aut ejectio fętus inanimati. Eſt communis inter Doctores.

Ratio eſt; quia tunc fętus extinctio non cenſetur procurata, ſed præmiſſa, Matre jure ſuo utente, ſicut pollutio à nullo dicitur volita aut procurata, etſi ex ſumptione pharmaci ad ſanationem directè tendentis timeatur ſecutura: unde ſicut tempore obſidionis explodens in turrim, ubi ſunt aliqui innocentes, non reputatur eorum mortem velle, ſed permittere, ita in noſtro caſu.

CONCLUSIO III.

PEccat Mater, ſi ad evitandam mortem ſumat pharmacum, ex quo timetur ſecutura indirectè mors fętus animati, ſi, Matre à pharmaco abſtinente, credatur probabiliter in lucem edendus & baptizandus.

Ratio

Ratio eſt; quia tenemur ex lege Charitatis vitam noſtram corporalem exponere ad ſalvandam vitam ſpiritualem proximi: unde Mater illo caſu debet animo forti & Chriſtiano vitæ ſuæ ſacrificium Deo offerre in ſalutem parvuli. Sed nunquid poteſt permittere ventris ſui inciſionem, ut baptizetur fœtus? R. non poſſe, ſi actio illo ſit occiſiva, eo quòd non habeat vitæ ſuæ dominium.

Dixi: *Si credatur probabiliter in lucem edendus*, quia ſi nulla ſit ſpes, & aliundè ſperetur Matris ſanitas, poterit ſumere potionem directè in curationem morbi tendentem; quia ut diximus ante, extinctio fœtus illo caſu ſolùm cenſetur permiſſa.

Dices: Si hoc caſu extinctio ſit tantùm permiſſa, & non volita, etiam talis erit in caſu priori, cùm ſit eadem ratio, & conſequenter tunc etiam erit licita.

R. Neg. Aſſumpt. quia ubi affulget ſpes prolis in lucem edendæ, non habet jus Mater cum periculo ſalutis infantis potionem ſumendi, cùm teneatur vitam ſuam pro ſalute parvuli exponere, & ideò extinctio fœtus non dicitur tunc ſolùm permiſſa, ſed volita; ubi autem nulla ſpes baptizandæ prolis apparet, ſolùm exponitur puer periculo vitæ citius perdendæ, pro quo vitando nulla lege tenetur Mater vitam ſuam contemnere.

CONCLUSIO IV.

NOn licet, etiam ex quacumque cauſa, impedire fœtus conceptionem, ſtatim à copula ſemen ejiciendo, aut venenum ſterilitatis ſumendo. Eſt communis contra Sanchez volentem hoc licere ad vitandam puellæ Nobilis, aut Monialis ignominiam.

Ratio eſt; quia ſicut non licet unquam ſe polluere, ita nec à fortiori ſemen receptum ejicere, cùm hoc æquè, imò magis ſit contra bonum prolis naſcituræ, & ordinem naturæ, quàm illud. Unde hic militat illud Apoſtoli Rom. 3. *Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona:* ex quo ſequitur, quòd, licèt prævideretur Matrem deprehenſam gravidam fore cauſam ſcandalorum, inimicitiarum, homicidiorum &c. nequidem liceret.

Petes, an puellæ gravidæ volenti ad vitandam infamiam ſe occidere, licitum ſit potius Aborſum conſulere? Suppono ipſam prius omnibus modis eſſe à tali crimine removendam, ſed caſu quo omnia monita nihil proſint, & credatur infallibiliter ſe occiſuram, adeòque & ſecum prolem, nec appareat ulla via ipſam impediendi.

R. Id poſſe conſuli conditionatè hoc modo: ſi abſolutè vis te, & prolem occidere, potius ſoli proli noceas, ipſam ejiciendo. Ratio eſt; quia tunc non eſt proximum ad actionem malam impellere, ſed ipſum duo mala abſolutè volentem ab uno retrahere.

CONCLUSIO V.

ABorſus graviſſimum eſt peccatum, ſive fœtus ſit animatus, ſive non, & quidem ſub ſpecie homicidii.

Ratio eſt; quia ſi fœtus ſit inanimatus, impedit vitam humanam, ſi ſit animatus, illam aufert, imò & ſalutem æternam; fœtus quidem inanimis non eſt phyſicè & completè homo, & ideò ejus extinctio non eſt phyſicè homicidium; moraliter tamen ad homicidium & violationem quinti præcepti educitur: ſicut enim injuſtè impediens proximum, ne lucretur, violat ſeptimum præceptum, licèt phyſicè furtum non faciat; ita impediens hominis vitam, peccat contrà quintum præceptum, etſi phyſicè non occidat: undè Aborſus etiam fœtus inanimati vocatur Tertulliano Sup. *homicidii feſtinatio:* quod confirmat Aug. lib. *De Nuptiis & Concupiſcentia* cap. 15. ubi ait: *Aliquando eo uſque pervenit hæc libidinoſa crudelitas, vel libido crudelis, ut conceptos fœtus aliquo modo intrà viſcera extinguat ac fundat, volendo ſuam prolem priùs interire, quàm vivere.*

CONCLUSIO VI.

VArias Sixtus V. impoſuit pœnas in ſua Bulla *Effrænatam* contrà hujus criminis reos: ac 1. per ſe vel per alium fœtus animati vel inanimati, formati vel informis Aborſum procurantibus; ſicut & illum cooperantibus, favorem dantibus, litteris, verbis, ſignis, aut quocumque alio modo juvantibus, aut conſulentibus, præter pœnas Jure Canonico & Civili contrà homicidii reos latas, & ab ipſo renovatas, Excommunicationem latæ ſententiæ imponit Sanctæ Sedi reſervatam. 2. declarat neminem poſſe; etiam in foro conſcientiæ, ſuper irregularitate indè contracta diſpenſare, etſi crimen ſit occultum. 3. reddit Laicos inhabiles ad Ordines ſacros ſuſcipiendos. 4. ultrà præfatas pęnas, privat Clericum uſu Ordinis Clericalis, omni Officio, Beneficio, & dignitate Eccleſiaſtica, ipſumque inhabilitat ad illa in poſterùm obtinenda, cum degradatione, in manus poteſtatis ſæcularis. 5. eaſdem pęnas extendit ad illos, qui ad conceptionem impediendam quovis modo concurrerint.

Gregorius tamen XIV. Sixtinam Conſtitutionem moderatus eſt per Bullam, *Sedes Apoſtolica*, ubi liberat à pęnis Sixtinis impedientes conceptionem, aut procurantes Aborſum fętus inanimati, vult tamen ut pęnæ à Sixto impoſitæ maneant in ſuo vigore, ubi fętus eſt animatus, cum hac limitatione, quòd Excommunicatio & peccatum Aborſus poſſint abſolui à quibuslibet Confeſſariis ad hoc ſpecialiter ab Ordinario deputatis.

Advertendum 1. Excommunicationem non incurrere procurantem Aborſum, ſi effectus non ſequatur, quia requiritur in Bulla, ut reipſa Aborſus ſecutus fuerit: & ideò dans vel ſumens potionem, aut aliquid contribuens eo animo, ut fętus extinguatur, aut ejiciatur, ſi id non accidat, etſi divinitus impediatur, illam non incurrit.

Advertendum 2. Nec illam incurrere eos, qui vel neſciunt actionem ſuam eſſe procurativam Aborſus, vel, ſi ſciant, ignorant de facto illi annexam eſſe Excommunicationem, licèt ignorantia in utroque caſu ſit vincibilis, modò non ſit craſſa, ſupina, aut affectata. Ratio eſt, quia ad incurrendam cenſuram requiritur contumacia, quam non cenſetur habere taliter ignorans. Præterea in dicta Bulla requiritur ut fiat ſcienter.

Advertendum 3. Etiam excuſari ab illa Excommunicatione, qui præter intentionem illum procurant, licèt coram DEO à peccato Aborſus non forent immunes. Ratio eſt: quia debet eſſe ex induſtria quæſitus, & ideò illam non incurrunt. 1. mulier ferens grave onus, etſi timeat id, quod poſteà accidit; ſi nullatenùs intendebat. 2. maritus cum nimia agitatione explens libidinem, ſi hanc, non Aborſum, quærebat. 3. mulierem ex mero odio, aut cholera graviter percutiens 4. Medicus ignorans dans potionem ſanitatis cauſa. 5. fęmina nimium laborans, itinerans, aut etiam graviter irata; quia etſi coram DEO ſint graviſſimè culpabiles Aborſus ſecuti, quia tamen illum data opera non quæſierunt, ſunt à cenſura illa immunes.

Advertendum 4. Mandantem Aborſum non eſſe excommunicatum, ſi antè executionem abſolutè mandatum revocaverit, quia tunc procurans non cenſetur authoritate aliena, ſed propria agere. Aliud eſt de conſulente, quia niſi ità revocet, ut efficaciter contrarium perſuadeat, cenſetur opus vi conſilii dati procedere.

CONCLUSIO VII.

POteſt quilibet Sacerdos ab Ordinario deputatus, à peccato Aborſus, & Excommunicatione illi annexa abſolvere. Patet ex dictis

Sed occaſione illius verbi *Specialiter*, orta eſt difficultas inter Doctores; an habens facultatem abſolvendi à peccatis, & cenſuris Epiſcopo reſervatis, poſſit etiam ab his abſolvere: negat Sylvius cum pluribus aliis, eo quòd debeat Confeſſarius eſſe ad hunc caſum *Specialiter* deputatus: affirmat Bonacina, quia facultas abſolvendi à peccatis Epiſcopo reſervatis includit ſpecialiter hunc caſum, ſi diſtributivè explicetur: res manet dubia: & ideò in praxi Epiſcopi intentio inquirenda. Hoc tamen videtur certum contrà Portel, Luth, & quoſdam alios non ſufficere Confeſſario Regulari deputationem à ſuo Provinciali reſpectu ſæcularium, cùm requirat Pontifex deputationem ab Ordinario loci, qualis nunquàm eſt Provincialis reſpectu ſæcularium.

Dixi: *Reſpectu ſæcularium*; quia illam facultatem concedere poteſt reſpectu ſuorum: quam tamen facultatem non eſt certum habere illum, cui data eſt poteſtas abſolvendi à reſervatis, ut dictum eſt ante.

DISPUTATIO VI.

De Sexto Decalogi Præcepto.

LIcèt in rigore ſolam męchiam, ſeu Adulterium prohibere videatur ſextum Præceptum, his verbis expreſſum Exodi 20. *Non mæchaberis*; DEUS tamen per illud omnem omninò vetuit impudicitiam mentis, oris, & corporis, ut patet tum ex declaratione Chriſti Matth. 5. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non Mæchaberis. Ego autem dico vobis; quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mæchatus eſt in corde ſuo.* Si autem hoc præceptum ex mente Chriſti prohibet aſpectum mulieris ordinatum ad ejus concupiſcentiam: ergo à fortiori verba impudica, tactus, oſcula, pollutionem, fornicationem, & his pejora. Dum etiam

Digitized by Google

ex Aug q. 71. in Exodum, ubi ſic habet: *Si furti nomine bene intelligitur omnis uſurpatio illicita rei alienæ, . . . profectò & nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus uſus prohibitus debet intelligi*. Septem vulgò aſſignantur luxuriæ ſpecies, nempè Fornicatio, Adulterium, Inceſtus; Sacrilegium, Stuprum, Raptus, Peccatum contrà naturam, quibus octavam addit Doctor Seraphicus in ſuo Confeſſionali cap. 2. nempè concubitum conjugalem libidinoſum. Addemus & nos alteram, ſcilicèt impudicitiam inchoatam conſiſtentem in aſpectibus, oſculis, tactibus &c.

QUÆSTIO I.

Quid dicendum de Fornicatione & Concubinatu?

CONCLUSIO I.

FOrnicatio eſt congreſſus naturalis ſoluti cum ſoluta.

Dicitur 1. *Naturalis*, ut excludatur congreſſus contra naturam, ſeu in vaſe ad hoc à natura non ordinato.

Dicitur 2. *Soluti cum ſoluta*, quia niſi fiat inter perſonas, quæ nullo conſanguinitatis, affinitatis, Ordinis, Voti aut Matrimonii vinculo ligantur, non eſt ſimplex Fornicatio; ſed vel Inceſtus, vel Sacrilegium, vel Adulterium. Sed nunquid pro ſolutis habendæ ſunt perſonæ, inter quas interceſſerunt ſponſalia? Negant aliqui, affirmant alii; Sed dicendum quod licèt non ſint ita ligatæ, ut unus ipſorum congrediens cum alia committat Adulterium propriè & ſtrictè dictum; non ſunt tamen plenè ſolutæ & liberæ: & ideò alium vel aliam cognoſcens, ultrà fornicationem, committit aliquam injuſtitiam reducibilem ad Adulterium tanquàm imperfectum ad perfectum ſui generis. Eſtque circumſtantia in confeſſione neceſſariò exprimenda.

Ratio eſt, quia licèt in mutua corpora non habeant jus in re, habent tamen jus ad rem, & ideò alteruter concedens alteri uſuram ſui corporis, injuriam facit comparti.

Dices: Non promittunt ſponſi per ſponſalia abſtinere ab alieno concubitu.

R. Id facere implicitè: ſicut enim in Matrimonio, tradendo jus in mutua corpora, implicitè ſibi copulam alienam interdicunt, ita & in ſponſalibus, quandoquidem promittant ſibi mutuo rem talem, qualis nunc eſt, quod tamen non adimplet tradens illam per concubitum alienum pejoratam.

CONCLUSIO II.

FOrnicatio eſt peccatum mortale, & quidem jure naturali graviter prohibitum.

Prob. prima pars (quæ eſt de Fide) tum ex Scriptura Epheſ. 5. *Omnis Fornicator, aut immundus . . . . non habet hæreditatem in Regno Chriſti & Dei*, Apoc. 21. *Fornicatoribus . . . . pars erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda*. Tum ex PP. Fulgentio epiſt. 1 c. 4. *Fornicatio nunquam poteſt eſſe ſine gravi crimine:* Chryſoſtomu hom. 22. in 2. ad Cor. circà fin. *Quoties ſcortatus es, toties condemnaſti teipſum*. Tum etiam Ratione, quia ex Fornicatione nata eſt ſequi omiſſio debitæ educationis, inſtructionis, defenſionis, in grave damnum prolis, ut experientia quotidiana convincit: ſi autem unus inter mille debitè educatur, per accidens eſt, nec impedit quo minus actio illa nata ſit de ſe inconvenientia præfata generare.

Prob. ſecunda pars (quæ eſt contra Caramuelem volentem, ſecluſa poſitiva Dei prohibitione, non fore peccatum: & contrà Durandum docentem tantùm fore veniale) quia natura abhorret concubitus vagos tanquàm fini generationis, bono prolis, imò & bono communi oppoſitos: *Fini quidem generationis*, cùm finis ille ſit proles, non tantùm generanda, ſed educanda, inſtruenda, & in virum perfectum promovenda; id autem nata eſt impedire Fornicatio, defectu curæ paternæ, aut maternæ, aut etiam utriuſque: *Bono prolis*; quia ſi licita foret Fornicatio, non poſſet non ſequi confuſio, conturbatio, querela, ignorantia in genere humano.

Confirm. contra Durandum, quia ſi jus naturæ tantùm leviter Fornicationem prohiberet, tantùm leviter etiam eam prohiberet Deus; quandoquidem interdicens aliquid lege naturali interdictum, non augeat illius malitiam, ſed tantum fortius & expreſſius illam inculcet & proponat, ut patet in mendacio.

Dices 2. Oſeæ 1. mandat Deus Prophetæ, ut faciat *Filios Fornicationis*, ergo eſt licita jure naturæ.

Reſpondent Scotiſtæ Deum diſpenſaſſe, quia juxta ipſos quibus apertè favet D. Bernardus, diſpenſare poteſt in iis, quæ ſunt de jure naturæ late, qualia ſunt præcepta ſecundæ tabulæ excepto octavo, Thomiſtæ autem volunt, per *Filios Fornicationis* intelligi filios illius, quæ fuit fornicata, ſeu fuit meretrix, licet fuerit Oſeæ legitimè copulata. Dicuntur autem *Filii Fornicationis*, quia proles nonnunquàm ſequuntur inclinationes matris, ita ut ſi illa fuerit Fornicationibus dedita ita & illæ.

Dices 2. Poſſent Fornicarii ita inter ſe convenire ad prolis educationem, ut nullum ipſi proli, aut humano generi ſequeretur detrimentum: ergo tunc non eſſet contrà jus naturæ.

R. N. Conſeq non enim ideò lex naturæ prohibet Fornicationem, quia nocet actualiter proli, aut bono communi; ſed quia nociva eſt, ſeu nata nocere, ita ut ſit per accidens, ſi contrarium eveniat.

Dices 3. Melius eſt proli eſſe, quàm non eſſe: ergo.

R. Indè probari etiam quandoque licitum eſſe Adulterium: licèt ergo melius ſit proli eſſe, quàm non eſſe, non eſt tamen melius parentibus dare eſſe via illicita quàm non dare.

ARTICULUS III.

COncubinatus eſt continuata Fornicatio cum eadem perſona, ita ut ſuprà Fornicationem, dicat ſtatum & perſeverantiam: ſive interim quis fornicariam domi habeat, ſive ex conſuetudine illam conveniat. Per ſe loquendo non addit Fornicationi circumſtantiam neceſſario in Confeſſione exprimendam, addit tamen per accidens ratione ſcandali. Imò quamvis nullum foret ſcandalum, ſtatum ſuum aperire tenerentur fornicarii, cùm aliàs circà ipſos non poſſint debitè munere ſuo fungi Confeſſarii. Caveant autem hinc concubinarios abſolvant, niſi de facto priùs concubinas dimiſerint, & quamvis mille propoſita, mille emendationes interponerent; vota, juramenta, gemitus, lacrimas &c. niſi dimiſerint, non ſunt audiendi: experientia enim convincit vix unum ex mille aliter emendari: imò etiamſi amplius non peccarent, ſi tamen ſcandalum oriatur ex retentione mulieris, ad illius expulſionem ſunt obligandi: undè meritò hanc propoſitionem damnavit Alexander VII. *Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgò Regalo, dum deficiente illa nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.*

Graves pœnas concubinariis contumacibus, tum Laicis, tum Clericis imponit S. Synodus Trid. ſeſſ. 24. *De Reformatione Matrim.* cap. 8. & ſeſſ. 25. c. 14. *De Reform.* quia tamen omnes, aut ferè omnes ſunt ferendæ ſententiæ, potius forum judiciale reſpiciunt, quàm Sacramentale, & ideò illuc judices remittimus.

Petes 1. De quibus ſint examinandi fornicarii & fornicariæ?

R. Eſſe interrogandos, an ſint conſuetudinarii, ſcandaloſi, aut induxerint compartem: quod ſæpius accidit viris, quàm fœminis. An Matrimonium promiſerint? An non actiones Sodomiticæ, aut quaſi Sodomiticæ interceſſerint? An prolem aut ignominiam vitaturi extra vas non ſeminaverint, An in eadem impudica converſatione non repetierint copulam? An non prolis conceptionem impedierint, aut Aborſum procuraverint ante vel poſt fœtus animationem? An liberos Fornicationum neglexerint, expoſuerint? De iis & ſimilibus interrogare poterit Confeſſarius, attenta perſonarum conditione, habitudine, commercio &c. prudenter tamen & caſtè: ubi autem pœnitens præciſè copulam exprimit interrogari debet de ſua & compartis qualitate, an non ſint affines, conſanguinei, uxorati &c.

Petes 2. An poſſit & debeat Fornicator inceptam copulam relinquere, etiam cùm ſui, aut fœminei ſeminis perditione?

R. Affir. quia poteſt & tenetur peccator omni inſtanti actionem illicitam abrumpere: nocet quidem humanæ generationi, ſed per accidens & præter intentionem, cùm actus pravi abruptio, non ſeminis perditio, intendatur. Aliud eſſet, ſi propter motivum humanum abrumperetur.

Petes 3. Quid dicendum ſit de copula cum muliere mortua?

R. 1. Eſſe pollutionem. 2. Fornicationem, aut aliam luxuriæ ſpeciem juxtà qualitatem perſonæ apprehenſam. 3 Libidinem inſolitam, nomine quidem carentem, ſed in Confeſſione ob malitiam pluſquàm beſtialem neceſſariò exprimendam.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Quid Adulterium, quale peccatum, an liceat conſentiente comparte? Accedunt variæ quæſtiunculæ.

CONCLUSIO I.

ADulterium eſt violatio thori alieni, ità D. Th. 2.2.q 154. art.8. Tripliciter contingere poteſt. 1. quando conjugatus cognoſcit ſolutam. 2. quando ſolutus conjugatam. 3. quando conjugatus conjugatam. In 1. & 2. caſu unicum eſt Adulterium. In 3. eſt duplex numero in Confeſſione exprimendum.

Ratio eſt; quia violantur duo jura; quandoquidem conjugatus injuriam faciat, non tantùm propriæ uxori, ſed etiam marito uxoris illius, quam carnaliter cognoſcit. Idem eſt de conjugata. Porrò longè majus eſt peccatum conjugatæ cum ſoluto, quàm conjugati cum ſoluta. Cujus ratio eſt, quòd prima copula magis repugnet juri naturæ, quàm ſecunda. 1. Enim mulier duobus viris copulata impedit nonnunquam generationem. 2. Si non impediat, incertum eſt ſæpe cujus viri ſit proles, an proprii, an alieni, idque in damnum prolis deſtitutæ ideò cura paterna. 3. Facit, aut exponit ſe periculo faciendi injuriam marito, & prolibus, conſtituendo prolem ſuppoſititiam, quæ ſuccedat hæreditati cum legitimis. Hæc autem non eveniunt ex copula conjugati cum ſoluta. Et ideò fortè nunquam permiſit Deus mulierem duobus viris copulari, licèt permiſerit olim viro, habere plures uxores.

CONCLUSIO II.

ADulterium eſt peccatum mortale, & quidem graviſſimum. Prob. 1. Ex Script. Prov. 6. *Qui Adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam, turpitudinem & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur.* Et 1. Corinth. 6. *Nolite errare, neque Fornicarii .... neque Adulteri, ... neque molles regnum Dei poſſidebunt.*

Prob. 2. Ex SS. PP. vehementer in illud crimen invehentibus, ut videre eſt paſſim apud Authores.

Prob. 3. Ratione; quia Adulter aut Adultera, ultra crimen Fornicationis, injuriam facit Sacramento, injuſtitiam comparti, officit bono prolis, nocet familiæ, innumeris ſe exponit malis, ut hiſtoriæ tum ſacræ, tum profanæ convincunt, & præſertim experientia quotidiana.

CONCLUSIO III.

ADulterium, etiam conſentiente marito, eſt illicitum. Eſt communis & certa.

Ratio eſt; quia, non obſtante mariti conſenſu, remanet Adulterium, & conſequenter illicitum. Unde proſcripta eſt hæc propoſitio ab Innoc. XI. *Copula cum conjugata, conſentiente marito, non eſt Adulterium &c.* pro cujus intelligentia

Adverte, hominem quorundam bonorum eſſe verè & propriè dominum, ut prædiorum, reddituum, ſupellectilis, pecuniarum &c. Aliorum verò tantum eſſe cuſtodem, ut vitæ, corporis, membrorum, & his annumeratur integritas uxoris: nam cùm ſint *duo in carne una*, caro hujus cenſetur caro illius. Ex quibus patet, quòd ſicut homo non poteſt cedere juri, quod habet in corpus proprium, ità nec juri quod habet in corpus uxoris: & ſic velit, nolit, conſentiat, diſſentiat, cognita ab alio uxore, injuriam patitur: ſcienti quidem & volenti nulla fit injuria in iis, quorum dominus eſt, non tamen in illis, quorum diſpoſitionem liberam non habet. Prætereà dato gratis, quòd injuriam non pateretur illo caſu; tamen actio illa adhuc eſſet Adulterium, quia fieret injuria ſtatui & juri Matrimoniali, cui non poteſt conjux renuntiare, ſicut non poteſt Clericus cedere, ut trahatur ad Tribunal ſæculare ſine injuria, eo quòd violetur jus ſtatui Clericali annexum.

Dices: Dubitavit Aug lib. 1. *de ſerm. Domini in monte* c. 16. de peccato mulieris Antiochenæ, quæ conſentiente marito, alteri ſe copulaverat, ut ipſimet marito interficiendo vitam ſervaret: ergo dubitavit, an eſſet Adulterium.

R. 2. Quamvis dubitaſſet de peccato (quod nos probabilius credimus contra eos, qui volunt ſolùm dubitaſſe de Hiſtoria) dubium ejus non fuiſſet, an tunc eſſet Adulterium, ſed an mulier eo caſu ob bonam fidem & ſimplicitatem non eſſet immunis à malitia formali Adulterii.

Petes 10. De quibus ſint interrogandi Adulteri?

R. Examinandam eſſe 1. Adulteram, an ex adulterio conceperit vel ſit gravida? An proles illa ſit ex labore mariti nutrienda? An habeat liberos legitimos, quibus per hoc ſit obfutura? An non poſſit bonis paraphernalibus, aut induſtria ſua illam ſine aliorum præjudicio alere? Deinde modos aptiores, quibus ſpurio ſubveniat ſine familiæ detrimento, ipſi proponere. Hi autem modi exponentur in Tractatu de Reſtitutione. 2. Interrogandus eſt Adulter, an non per vim mulierem oppreſſerit, quia tunc obligatur ſolus ad alimentum, & ad reparationem omnium damnorum. An procuret, vel ſit procuraturus alimenta ſpurio? An non dilapidet bona familiæ cum Adultera? An non habeat conſuetudinem. Item hic inſervire poterunt dicta pro examine Fornicariorum.

Petes 2. Ad quid teneantur Adulteri pro alimento prolis?

R. Juxta caput 2. *De converſione infidelium*, teneri matrem ad alimenta uſque ad tertium annum incluſivè, patrem verò ab illo tempore uſquedum proles valeat ſibi neceſſaria providere. Sed quid ſi deficiat pater? tenetur ad omnia mater, quia illis omnibus ſe expoſuit peccando.

Petes 3. A quo ſit alenda proles, quando dubitatur de duobus, qui eodem die copulam habuerunt, cujus ſit?

R. Juxta ſententiam communem teneri utrumque ad partem alimentorum, ſicut & damnorum. Ratio eſt; quia quando dubitatur, an res aliqua ſit Petri, vel Pauli v.g. ſcitur tamen eſſe hujus vel illius, facienda eſt diviſio: ergo ſimiliter dum ex duobus conſtat aliquem eſſe patrem, dubitatur verò an ſit hic vel ille, debent alimenta providenda inter ſe dividere: deinde jus habet ſpurius, ut alimenta recipiat à patre: ergo in caſu noſtro debet ab utroque partem accipere; aliàs jus illud eſſet ipſi inutile.

Petes 4. An poſſit conjux innocens, propter Adulterium compartis, authuritate propria negare debitum?

R. Affirm. quia cùm redditio debiti ſit actio ſecreta, non requirit publicam Judicis ſententiam. Deinde negatio debiti non eſt propriè pœna, ſed conditio quædam jure naturæ in contractu matrimoniali incluſa, ut ſervetur fides ſervanti, frangenti frangatur niſi condonare voluerit innocens. Aliud eſt de ſeparatione quoad habitationem: cùm enim ſit actio publica, etiam publicam requirit ſententiam, niſi certè Adulterium eſſet notorium & publicum.

Petes 5. An ſi poſt Adulterium reddat innocens nocenti debitum, cenſeantur reconciliati?

R. affir. per ſe loquendo; quia parum refert an condonatio fiat verbo, an facto: unde illo caſu non poteſt ulteriùs innocens negare debitum. Dixi *per ſe loquendo*; quia ſi innocens ità reddidit debitum, ut nullatenus reddidiſſet, ſi ſciviſſet ſibi jus eſſe, ob compartis Adulterium, illud denegare, non cenſentur reconciliati: quia tunc copula non reputatur moraliter condonatio, ſed debiti putativi ſolutio; & ideò ſciens jus ſuum poſteà, poteſt debitum denegare.

Petes 6. An teneatur nocens, facto divortio, ad innocentem id poſtulantem redire?

R. affir. quia cùm ſententia divortii lata ſit in odium nocentis, & in favorem innocentis, non eximitur nocens à poteſtate innocentis; & conſequenter ſi hic velit cedere juri per ſententiam obtento, tenebitur alter redire, eſtque ſententia communis.

Petes 7. An teneatur maritus uxorem publicè in Adulterio perſeverantem dimittere?

R.N. quia ultra quod exponatur, ob uxoris abſentiam variis incontinentiis, exponitur & ipſa uxor liberiùs peccandi periculo: unde ſufficit ſi illam ſeriò moneat & moderatè corrigat.

Dices 1o. Cap. 3. *De Adul.* dicitur maritus in illo caſu *peccati particeps*, & Prov. 18. *ſtultus & impius*.

R. Caput illud loqui de marito uxorem non corripiente, ſed tolerante; Scripturam autem de eo, qui poteſt caſtè ſine uxore vivere: ille enim, cùm, retinendo uxorem, perdat aliquid de ſua fama, ſtultus eſt, ſi, cùm poſſit ſe continere, illam retineat.

Dices 2. Si maritus uxori Adulteræ ſe immiſceat, erit periculum incertæ prolis.

R. Idem poſſe objici in Adulterio ſecreto. Deinde ſumptis præcautionibus, ſæpiùs poterit cognoſcere an proles ſit ſua, vel aliena.

Petes 8. An conjux nocens per divortii ſententiam ſeparatus habeat jus compartem repetendi, ſi hæc ſimiliter Adulteretur?

R. Cum Doctore Seraphico affir. Ratio eſt; quia cùm ſententia feratur in favorem innocentis ut innocentis, cenſetur ferri conditionatè, ſi nempe perſeveret innocens. Cujus ratio ulterior eſt, quòd jure divino in Adulteriis fiat compenſatio, ubi uterque conjux eſt Adulter. Hanc autem compenſationem jure divino authorizatam non poteſt ſententia humana impedire.

Petes 9. An divortium concedatur propter omne adulteriũ?

Reſp. Neg. ſed eximuntur certi caſus. 1. Quando uxor per vim opprimitur cap. 4. 32. q. 5. Et idem eſt ſi fiat ex metu cadente in conſtantem fœminam. 2. Si conjux cognoſcat extraneum, aut extraneam credens bona fide eſſe proprium, aut

propriam conjugem. Cap. 6. 34. q. 1. ut evenit Jacob cum Lia, Gen. 29. 3. Quando innocens condonat nocenti verbo, aut facto ſeu per actum conjugalem. 4. Dum uxor credens invincibiliter mortuum maritum, alteri nupſit. 5. Si mulier ex mariti mandato, coactione, aut conſenſu alteri copuletur. Cap. 6. *De eo qui cogn. conſang.* Denique, ſi uterque conjux eſt Adulterii Reus; quia paria crimina mutua compenſatione abolentur, ut habetur Cap. 4. *De divortiis:* unde Auguſt. lib. 1. *De ſerm. Dom. in monte* cap. 16. *Nihil iniquius, quam Fornicationis cauſa dimittere uxorem, ſi & ipſe convincitur Fornicari.*

Petes 1. An alia peccata luxuriæ ſint cauſa ſufficiens divortii?

R. 1. Tactus, oſcula, amplexus, & à fortiori peccata interna non eſſe cauſam ſufficientem, quia per illa non fit carnis in aliam diviſio, quod eſt fundamentum divortii. Idem eſt de pollutione, etiam cum tertia perſona: item & de copula ſine ſeminis intra vas effuſione; quia licèt conjux per ſeminis perditionem in 1. Caſu lædat Matrimonium & compartem, & fortè gravius peccet, quam Adulterando; non tamen dividit carnem ſuam in aliam per concubitum; quod requirunt leges. In 2. autem caſu tentat quidem dividere, non tamen de facto divìdit. Aliud eſſet, ſi ſemen intra vas effunderet, licèt non penetraret; quia delictum eſt omninò conſummatum.

R. 2. Cum Doct. Angelico & Seraphico, Sodomiam ſive activam, ſive paſſivam ſufficere ad divortium; quia tunc caro ſive agentis, ſive patientis integrè dividitur in aliam contra inſtitutionem Matrimonii, eò tendentis ut fiant conjuges caro una. Idem ſit judicium de Beſtialitate, quia parum refert, an caro dividatur cum animali ejuſdem, aut diverſæ ſpeciei.

QUÆSTIO III.

Quid Inceſtus, quale peccatum, qualiter differant gradus conſanguinitatis &c. Et qualiter in Confeſſione aperiendi.

CONCLUSIO I.

INceſtus eſt peccatum luxuriæ cum perſona conſanguinitate, aut affinitate conjuncta intra gradus prohibitos.

Dicitur: *Peccatum luxuriæ*; quia non ſolus concubitus, ſed etiam tactus, oſcula, amplexus &c. participant rationem Inceſtus, ſi fiant inter perſonas conſanguineas, aut affines, eo quòd inducant malitiam actus principalis, ad quem ordinantur. Sed quid de Sodomia? probabilius eſt, contrahere malitiam Inceſtus, non tantùm in 1. & 2. gradu conſanguinitatis, ut volunt aliqui, ſed etiam in 3. & 4. imò uſque ad quartum gradum affinitatis. Ita Sylvius. Ratio eſt, quia in quolibet illorum gradum læditur reverentia parenti debita, vel ex jure naturæ, ut in 1. & 2. gradu conſanguinitatis, vel ex præcepto Eccleſiæ, ut in aliis gradibus.

Dices cum Sanchez: Eccleſia non prohibet coitum inter perſonas ejuſdem ſexus, ſed diverſi, ſeu inter illas, inter quas prohibitum eſt Matrimonium celebrari: ergo coitus Sodomiticus tantùm eſt inceſtuoſus quando fit inter perſonas, inter quas jure naturæ prohibitum eſſet Matrimonium, ſi forent diverſi ſexus, id eſt, in 1. & 2. gradu conſanguinitatis præcisè &c.

R. N. Ant. Quia ordinavit Eccleſia, ut ſit quædam parentela, non tantum inter perſonas diverſi, ſed etiam ejuſdem ſexus uſque ad quartum gradum tum conſanguinitatis, tum affinitatis; illa autem poſita, dictat ratio naturalis perſonis illis debitam eſſe ſpecialem reverentiam, quam graviter lædit actus ille turpiſſimus.

Confirm. Secundùm communem ſententiam coitus inter eum qui baptizavit & baptizatum, eſt inceſtuoſus: ſed nulla alia ratione eſt talis niſi quia poſita per Eccleſiaſticam legem cognatione ſpirituali inter illos, lex naturæ dictat debere ſibi mutuo ſpecialem reverentiam & pietatem: ergo ſimiliter in noſtro caſu.

Dicitur 2. *Cum perſona conjuncta conſanguinitate*; eſt autem conſanguinitas vinculum, ſeu propinquitas perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium per carnalem propagationem, ſive interim deſcendant per lineam rectam, ut filius à patre, ſive per lineam collateralem, ut duo cognati germani. Pro quibus conſule Tractatum de Matrimonio.

Dicitur 3. *Aut affinitate*, quæ eſt propinquitas perſonarum orta ex copula carnali duorum, ratione cujus omnes conſanguinei unius fiunt affines alterius in eodem gradu, in quo ſunt alteri conſanguinei.

Dicitur denique: *Intra gradus prohibitos*, ideſt, uſque ad quartum incluſivè inter perſonas conſanguineas, ſicut & inter affines ex copula matrimoniali, ex copula autem illicita uſque ad ſecundum etiam incluſivè, & ideò ſi cognoſcis carnaliter matrem, cognatam germanam, ſubgermanam, amitam, neptem, proneptem, inceſtuoſus es propter conſanguinitatem: ſi novercam, ſi ſororem, aut alias conſanguineas uxoris tuæ, eodem crimine reus es propter affinitatem: ſi autem matrem, ſororem, amitam, aut cognatam germanam illius, cui illicitè copulatus es, etiam inceſtum committis propter affinitatem ortam ex copula illicita.

CONCLUSIO II.

INceſtus eſt peccatum mortale graviſſimum.

Prob. 1. Ex Script. Levit. 2. ubi mors diverſis gradibus inceſtuoſorum ſtatuitur, quia tantam turpitudinem, tantum nefas, tantùm ſcelus &c. patraverunt; Item 1. Corinth. 5. ubi Apoſt. inceſtuoſum Corinthium in deteſtationem criminis tradidit Satanæ, ut ſpiritus ſalvaretur.

Prob. 2. Ratione, quia actus carnales, utpote fœdi & turpes, graviter adverſantur honori, reverentiæ, & pietati, quam debent ſibi conſanguinei & affines. Imò hanc reverentiam nobis inſinuant quædam bruta animantia, quæ ex ingenito reverentiæ inſtinctu nolunt parentibus miſceri. undè Ariſt. lib. 9. hiſtoriæ animalium Cap. 47. narrat à camelo qui ex fraude camelarii fuerat congreſſus matri, interfectum eſſe deceptorem; equum vero ſimiliter deceptum ſe ex alto præcipitaſſe.

CONCLUSIO III.

GRadus conſanguinitatis ſunt ejuſdem ſpeciei, tam inter ſe, quàm cum gradibus affinitatis. Eſt contrà varios, quorum aliqui, ut Navarrus, Valentia, ſpecie diſtinguunt omnes gradus conſanguinitatis inter ſe, alii autem docentes gradus conſanguinitatis inter ſe non differre ſpecie, ſicut nec gradus affinitatis ſimiliter inter ſe; volunt tamen gradus conſanguinitatis à gradibus affinitatis taliter differre. Eſt tamen D. Thomæ 2. 2. q. 154. art. 9. ad 2. ubi aſſerit conſanguinitatem & affinitatem eſſe ejuſdem rationis.

Prob. prima pars de gradibus conſanguinitatis inter ſe, quia illa non differunt ſpecie, quæ tantùm differunt ſecundùm majus & minus, ut patet in furto; atqui non aliter differunt gradus conſanguinitatis inter ſe: ergo Prob. Min. quia præcisè differunt in hoc, quòd perſonis magis aut minus propinquis major vel minor debeatur reverentia, & pietas, cujus violatio majorem vel minorem inducit culpam & indecentiam. Idem eſt de gradibus affinitatis inter ſe.

Prob. ſecunda pars de gradibus conſanguinitatis reſpectivè ad gradus affinitatis; quia Eccleſia prohibendo Matrimonium intra certos gradus affinitatis, idem habet motivum, eundemque finem, ac quando lex naturæ; aut etiam ipſamet Eccleſia prohibet illud intrà gradus conſanguinitatis, nempe, ut ſervetur honor & reverentia inter certas perſonas: ergo cum horum & illorum idem ſit motivum, eadem etiam cenſetur ſpecies, ex quo ſequitur omnes Inceſtus eſſe ejuſdem ſpeciei, cùm à gradibus parentelæ ſpecificentur.

Cæterum, non obſtante Inceſtuum identitate ſpecifica, neceſſariò juxtà gradus ſuos ſunt in Confeſſione exprimendi; quia licèt ſpeciem non mutent, malitiam tamen notabiliter aggravant, & ideò obligationi ſuæ non ſatisfacit, qui dicit ſimpliciter ſe commiſiſſe Inceſtum, ſed debet exprimere; an cum matre vel noverca? an cum ſorore vel matertera? an cum cognata germana, vel alia: & ſic de aliis?

Sed quid de Inceſtu ratione cognationis ſpiritualis? Hæc cognatio contrahitur inter Baptizantem & baptizatum ex una parte, & inter baptizantem & parentes baptizati ex Altera Item inter baptizatum, & ejus patrinum & matrinam: ac tandem inter parentes baptizati & patrinum & matrinam ejuſdem. Idem dic cum proportione in Confirmatione.

Reſp. Licèt ab aliquibus dicatur *inceſtus*; ſpecie tamen differt ab inceſtu carnali. Ratio eſt, quia inceſtus ille addit circumſtantiam Sacramenti, ratione cujus reducitur ad quoddam genus ſacrilegii.

Inceſtum etiam incurrere Confeſſarium, qui carnaliter cognoſcit pœnitentem, ſuſtinent nonnulli; ſed non ſatis fundatè, cù ex Sacramento Pœnitentiæ nulla ſequatur cognatio ſpiritualis: non quidem jure naturæ, ut patet: non etiam jure poſitivo, cum nullibi reperiatur ſcriptum: imò c. fin. *De Cognatione ſpirituali in 6.* declaratur cognationem illam tantum ex Baptiſmo & Cōfirmatione provenire. Crediderim tamen hanc circumſtantiam eſſe in Confeſſione exprimendam, quia juxta moralem conſiderationem videtur peccatum notabiliter aggravare: imò ſpeciem mutaret, ſi Confeſſarius eſſet Parochus, quia tenetur ex officio, adeoque ex juſtitia, ovibus ſuis exemplo prælucere. Porrò licèt Inceſtum non committat Confeſſarius, committit tamen grave ſacrilegium, ſi Sacramento illo utatur ad ſollicitandam pœniten-

Digitized by Google

nitentem, vel ſi eam ſollicitaverit in Confeſſione: & idem eſt ſi paulò ante, vel poſt factam Confeſſionem, idque ob irreverentiam Sacramento illatam.

Petes: Quis poſſit diſpenſare ut maritus, qui inceſtuosè cognovit conſanguineam ſuæ uxoris in 1. aut 2. gradu, poſſit petere debitum? Ante reſolutionem

Suppono 1. Illo caſu contrahere maritum cum uxore propria affinitatem, cùm ex copula illicita oriatur affinitas, ut diximus, uſque ad ſecundum gradum incluſivè.

Suppono 2. Copulam fuiſſe completam, id eſt, talem, quæ ſufficiat ad generationem, aliàs non contrahitur affinitas.

Suppono 3. Maritum antè diſpenſationem petentem debitum peccare mortaliter, quia tranſgreditur Eccleſiæ præceptum graviter obligans: tenetur tamen debitum reddere, quia non eſt juſtum, ut privetur innocens ſuo jure, propter delictum nocentis.

Suppono 4. Quod diximus de marito, reſpicere etiam uxorem ſe cum conſanguineo mariti commiſcentem. His ſuppoſitis

Reſp. Poſſe Epiſcopos, & quidem etiam tunc, cùm ad Nuntium Apoſtolicum, & ad Papam facilis patet aditus. Ratio eſt; quia licet initio tantùm fuerit conceſſa illis dicta facultas ob cauſæ urgentiam, vel ob S. Sedis aditus difficultatem: jam tamen ob caſus frequentiam, & peccati periculum ipſis abſolutè conceſſa eſt.

Sed nunquid etiam id poſſunt Confeſſarii Ordinum Mendicantium, ubi à ſuo Provinciali ad id deputantur? id olim conceſſerat Pius V. vivæ vocis oraculo; ſed cùm omnia privilegia vivæ vocis oraculo data revocaverit Urbanus VIII. certum eſt vi illius privilegii non ampliùs poſſe. Vi tamen alterius privilegii Benedictinis congregationis Valliſoletanæ à Julio II. conceſſi, & à Lezana, Rodriguez, & Sotoo relati, probabilius eſt, adhuc poſſe ratione communicationis privilegiorum. Debent tamen, ut expreſsè requirit privilegium, 1. eſſe à ſuo Provinciali ſpecialiter ad hoc deputati, 2. debent diſpenſare in Tribunali Sacramentali, non extrà: & quidem in domibus & Eccleſiis Ordinis.

QUÆSTIO IV.

Quid Sacrilegium, quale peccatum, & an duplex committat Sacerdos & Religioſus ſimul?

MUltiplex eſſe Scrilegium, oſtendimus in explicatione primi præcepti, & ideò hic tantùm reſtat agendum de ſacrilegio in materia luxuriæ, & quidem præcisè ratione perſonæ.

CONCLUSIO I.

SAcrilegium hic eſt peccatum luxuriæ fœdans perſonam Deo ſacratam. Quadrupliciter contingere poteſt. 1. quando perſona ſacra ipſam contaminat cogitationibus impuris, deſideriis, aſpectibus, aut tactibus venereis. 2. quando perſona ſacra libidinem ſuam explet in perſona non ſacra, ipſam impudicè oſculando, tangendo, polluendo &c. quo caſu tenetur etiam perſona non ſacra circumſtantiam ſacrilegii in Confeſſione aperire, licèt nihil egiſſet in corpore perſonæ ſacræ, quidquid dicant aliqui; quia injuriam facit DEO quòd permittat ſe tangi, pollui &c. manibus ipſi ſpecialiter conſecratis. 3. quando perſona non ſacra præfata exercet in perſonam ſacram. 4. quando in illis actionibus utraque perſona eſt ſacra, & tunc committitur duplex numero ſacrilegium neceſſariò declarandum. Hinc

Reſol. 1. Peccatum illud committi non tantùm ab iis qui Ordinem ſacrum ſuſceperunt, aut Profeſſionem ſolemnem emiſerunt, ſed etiam ab illis, qui ſimplici voto Caſtitatis ligantur.

Reſol. 2. Canonicos, Sacellanos, & alios ſolis Ordinibus Minoribus initiatos, etſi actualiter Eccleſiæ deſerviant, non eſſe ſacrilegos, ubi in hac materia delinquunt; quia licèt vi muneris ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, non tamen ligantur Voto, aut præcepto Caſtitatis.

CONCLUSIO II.

SAcrilegium eſt genere ſuo grave peccatum, & quidem eò gravius, quo perſona magis Deo dicata, lædit Caſtitatem.

Prob. Prima pars; tum ex PP. qui perſonam ſacrilegam vocant *Cæleſtium nuptiarum violatricem*, *Adulteram* &c. Tum ex gravibus pœnis, quibus Canones, Summi Pontifices, & Concilia afficiebant olim ſacrilegii reos: Clericos ſiquidem de ſuo gradu ac miniſterio in perpetuum dejiciebant, imò & Synaxim in fine vitæ recipere prohibebantur; Moniales autem & Religioſi à Communione arcebantur, & Monaſteriorum, Ecleſiarumque conventibus eliminabantur. Tum etiam Ratione; quia ſi in alia materia votifragus peccet graviter, quidni & ille, qui corpus ſuum Deo dicatum, conſecratum, ac Templum Dei ſpecialiter effectum violat, & contaminat, etiam graviter peccaret?

Prob. ſecunda pars; quia promittens Deo Caſtitatem, cenſetur illam vovere ſecundùm materiæ proportionem: ergo ubi materia Caſtitatis violata gravior eſt, gravius crimen incurritur, & ideò longè gravioris ſacrilegii rea eſt perſona ſacra committens Sodomiam, quàm committens fornicationem.

CONCLUSIO III.

QUi ſimul eſt Sacerdos & Religioſus, nō committit duplex ſacrilegium, violando Caſtitatem, ſed unicum gravius.

Prob. prima pars, Peccatorum diverſitas ſpecifica petitur, ut ſuo loco dicitur, ex virtutibus, aut motivis ſpecie diſtinctis, quibus opponuntur peccata; ſed Religioſus tenetur ad Caſtitatem propter eandem virtutem, idemque motivum, propter quod tenetur Sacerdos, nempè propter virtutem & motivum Religionis: ergo &c.

Confir. 1. Qui bis, aut ter renovavit profeſſionem non committit duplex, aut triplex ſacrilegium luxurioſe peccando: ergo ſimiliter. Ant. admittitur ab omnibus. Prob. Conſeq. Ideò renovans profeſſionem non committit duplex ſacrilegium, quia ſecundum Votum habet pro objecto eandem virtutem, idemque motivum, ac primum: ſed Eccleſia præcipiens Saeris Ordinibus initiato ut ſervet Caſtitatem, habet pro objecto eandem virtutem, idemque motivum, ac vovens in Religione Caſtitatem, & èeontra: ergo.

Confir. 2. Non poteſt Eccleſia, aut vovens, quando materia, circa quam verſatur præceptum, aut Votum, eſt unica, ſub unica ratione, & ex unica virtute procedens, ſpecie diverſam obligationem imponere, ut per ſe patet, ſed hic materia obligatoria eſt unica, nempè Caſtitas, ſub unica ratione, nempè ob ſtatus reverentiam, & puritatem, & ex eadem virtute, ſcilicèt Religionis: ergo.

Prob. ſecunda pars, quia quo magis firmatum eſt promiſſionis vinculum, eo major eſt in violante infidelitas. Non tamen apparet ità notabilis, ut neceſſario debeat in Confeſſione exprimi: ſicut nec quando Voto ſimplici Caſtitatis additur Votum ſolemne in Religione approbata, aut per ſuſceptionem Ordinis ſacri, quia tantùm eſt repetitio ejuſdem Voti: undè ſicut in tali caſu nullus credit ſe obligatum ad declarandam circumſtantiam renovationis profeſſionis; ità nullus obligatur ad declarandum quòd ſit ſimul Sacerdos & Religioſus, ſed ſufficit ſi unū exprimat vel aliud, quamvis tutius ſit utrumq; declarare.

Petes 1. Quid faciendum Confeſſario, qui novit ſuam pœnitentem ab alio Confeſſario fuiſſe ſolicitatam in Confeſſione, aut in loco Confeſſionibus audiendis deputato, licèt ſimulatoria tantùm eſſet Confeſſio?

R. Debere ſeriò monere illam de obligatione denuntiandi Ordinario ſollicitantem, ita enim ordinavit Greg. XV. in ſua Bulla, *Univerſi Dominici gregis* anno 1622. quod etiam verum eſt, licet tantùm chartam ſollicitatoriam in Confeſſione dederit, ut patet ex hac propoſitione damnata ab Alexandro VII. *Confeſſarius, qui in ſacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſteà legendam, in qua ad venerem excitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus.* Caveat tamen, ne faciliùs ſuſcipiat in ſe onus denuntiationis, ſcire enim debet mulieres quandoque ex invidia, ira, aut ex alia paſſione ipſis non inſolita illa procedere, ut perdant viros honeſtiſſimos.

Petes 2. An ſacris initiatus, qui conſuluit perſonæ laicæ, ut in ſe, vel cum tertio impudica exerceret, debeat in Confeſſione exprimere ſe eſſe in ſacris?

R. Neg. Per ſe loquendo, ſed ſufficit ſi declaret ſe ioduxiſſe perſonam ad tale, vel tale peccatum. Ratio eſt, quia talis non vovit Caſtitatem alienam, ſed propriam.

Dices: Perſona laica patiens tactus impudicos à Sacerdote, committit ſacrilegiū, & tamen non vovit Caſtitatē Sacerdotis.

R. Diſparitatem eſſe quòd perſona illa phyſicè concurrat ad actionem ſacrilegam, nempè ad pollutionem manuum, aut corporis Deo ſacrati, in quantum præbet corpus ſuum, in quod ſimilia exercentur, Sacerdos autem in noſtro caſu, nec committit, nec cenſetur committere actum impudicum.

Dixi: *Per ſe loquendo*: nam ſi impudica conſulendo, in impudicis repræſentatis delectetur, certum eſt committere ſacrilegium.

Petes: An ſacerdos Alba indutus committat duplex ſacrilegium impudica agendo?

R. Probabilius affir. quia gravem facit irreverentiam ornamentis ad Sacrificium ordinatis & benedictis. Aliud eſſet, ſi

Digitized by Google

fornicaretur habens Agnum Dei, aut Reliquias ad collum; quia moraliter non cenſetur ipſis injuria fieri: unde ſine ſcrupulo ſolent conjuges actum matrimonialem cum illis exercere, quamvis meliùs eſſet contrarium. Si tamen id fieret in contemptum rerum ſacrarum vel ſi quis illis uteretur in ipſo actu venereo, ſine dubio duplicis ſacrilegii reus eſſet, uno ratione perſonæ, altero ratione rei violatæ.

QUÆSTIO V.

Quid Stuprum, & an differat à ſimplici Fornicatione?

CONCLUSIO I.

STuprum eſt violenta virginis oppreſſio. Dicitur 1. *Violenta* ut excludatur copula, in quam conſentit virgo, licèt enim à nonnullis dicatur Stuprum quælibet virginis defloratio, ſive interim ipſa conſentiat, ſive non, quia tamen Stuprum, in quod conſentit puella, non diſtinguitur à ſimplici Fornicatione, ut dicemus, nullum hic reperit locum. Porro cenſetur violenter opprimi virgo, ſic ut committatur Stuprum propriè dictum. 1. Si per vim fuit deflorata. 2. Si per metum cadentem in conſtantem puellam. 3. Si per fraudulentas matrimonii, aut magnæ dotis promiſſiones. 4. Si per metum reverentialem, utpotè, quia ſtuprator erat illi Superior, aut Dominus. 5. Si per magnas & extraordinarias importunitates ſæpius repetitas, quia illæ æquivalent ferè coactioni, ſaltem apud homines, quod addo, quia apud Deum, niſi plena & integra interceſſerit violentia, culpabilis eſt virgo.

Dicitur 2. *Virgines*, 1. ut excludatur concubitus etiam violentus corruptæ, ſeu illius, quæ antea habuerat copulam, quia etſi illa oppreſſio ſit peccatum ſpeciale in Confeſſione exprimendum (licèt per vim oppreſſa foret publica meretrix) non tamen eſt Stuprum, cùm non ſit violatio integritatis virginalis. 2. ut includatur concubitus illius, quæ per mollitiem ſelpſam polluerat, quia licèt non ſit amplius virgo quoad virtutem & aureolam Virginitatis, cenſetur tamen virgo quoad ſtatum & integritatem carnis.

Sed nunquid nomine *Virginis* venit maſculus?

Negant plurimi, eo quòd per copulam non perdat ſignaculum aliquod naturale, ſicut puella: ſed probabiliùs credo quod ſic, quia licèt moraliter non fiat ei per hoc tanta injuria tantaque infamia, quanta puellæ, de facto tamen perdit virginitatem, adeoque ſpecialis fit ei injuria. Et ideo

Reſol. 1. Stuprum committere mulieres, quæ per vim, metum gravem, dolos, aut fraudes ab adoleſcentulis, ſæpè eheu ignorantibus, virginitatis florem extorquent, nec hoc extraordinarium videri debet, cum legatur in Chronicis Minorum Adoleſcentulos innocentes & caſtos pro defendenda Virginitate uſque ad agonem pugnantes inter brutales fœminarum conatus occubuiſſe.

Reſol. 2. Ejuſdem criminis reos eſſe nebulones illos, qui invitum adoleſcentem adhuc Virginem polluunt, aut etiam ad pollutionem, ſub prætextu rei indifferentis, aut licitæ, pelliciunt.

Reſol. 3. Idem eſſe de mulieribus, quæ digitis, aut inſtrumentis copulam ſimulantes, violenter auferunt ab aliqua puellula clauſtrum virginale.

Reſol. 4. Adoleſcentem aut puellam ſe ſponte ita polluentem, ut ſignaculum Virginitatis tollatur, non committere Stuprum, quidquid dicant aliqui, quia ablatio illa Virginitatis non eſt violenta, ſed voluntaria.

CONCLUSIO II.

STuprum ſumptum ut ante, eſt ſpecies luxuriæ diſtincta à ſimplici Fornicatione, ab ea tamen non diſtinguitur, ſi ſumatur pro illicita virginis defloratione, in quam conſentit virgo.

Prob. prima pars, quia Stuprator ultrà Fornicationem, gravem infert virgini injuriam, cùm illam privet ſignaculi virginalis integritate, quæ ſummæ eſt apud homines æſtimationis in ordine ad ſtatum ſuſcipiendum: & licèt in maſculo Virginitas non tanti valeat apud homines ad ſtatus ſuſceptionem, in ſe tamen conſiderata eſt Deo, Angelis, & hominibus amabiliſſima, pulcherrimum animæ & corporis ornamentum, & Theſaurus inæſtimabilis, quem à Domino quilibet accepit, *ut ſciat unuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore* 1. ad Theſſal. 4.

Prob. ſecunda pars, quia Stuprum tantùm addit ſupra Fornicationem injuriam factam virgini, atqui ſcienti & volenti nulla fit injuria, ergo.

Dices 1. Stuprator, etiam conſentiente virgine, pervertit naturalem rerum ordinem, qui eſt, ut clauſtrum virginale perſeveret integrum, vel uſque ad Matrimonium, vel uſque ad mortem, ergo ultra fornicationem committit aliud peccatum.

R. Nõ alia ratione debere clauſtrum virginala eſſe integrum uſque &c. niſi quia prohibetur virgo per actum illicitum ad ejus effractionem concurrere activè vel paſſivè; ita ut non effractio præcisè prohibeatur, ſed actus venereus, quo effringitur; & ſic ultra fornicationem in noſtro caſu nihil reperitur.

Dices 2. Licèt Paulus v.g. cognoſcat uxorem Petri conſentientis, tamen ultra fornicationem committit aliam ſpeciem peccati: ergo ſimiliter deflorator, virgine conſentiente.

Dices 2. Licèt Paulus v.g. cognoſcat uxorem Petri conſentientis, tamen ultra fornicationem committit aliam ſpeciem peccati: ergo ſimiliter deflorator, virgine conſentiente.

R. Diſp. eſſe, quòd conſenſus mariti eodem modo ſe habeat, ac ſi non eſſet, ut de Adulterio oſtendimus; conſenſus autem virginis facit, ut nulli inferatur injuria.

Dices 3. Stuprator, ſive conſentiat virgo, ſive diſſentiat, facit injuriam patri aut tutori, cui commiſſa eſt cura corporis puellæ: ergo &c.

R. 1. Poſſe puellam non habere patrem, aut tutorem; vel, ſi habeat, poſſe ipſoſmet in deflorationem virginis conſentire: ergo falſum eſt quòd inde petatur ratio Stupri.

R. 2. Virginem quoad actum illum eſſe ſui juris, non quidem ut ſemper faciat licitè, ſed ut faciat vel licitè in Matrimonio, vel illicitè extra illud; quia non parentes, ſed ipſa habet *jus* in corporis ſui integritatem.

Dices 4. Saltem infert parentibus dedecus.

R. Non ex ipſa defloratione, ſed ex facti divulgatione id evenire, & ideò ſi factum divulgavit juvenis, fatemur aliam culpam incurriſſe, tenerique infamiam tum puellæ, tum ejus parentibus inde illatam reſarcire, non tamen ob deflorationem, ſed ob detractionem ipſa poſteriorem, ſi autem ipſa puella turpitudinem ſuam revelavit, aut non ſufficienter abſcondit, quidquid indè evenit, ipſi imputandum eſt, aut fortè negligentiæ, imprudentiæ, aut dormitanti cuſtodiæ parentum, non autem juveni, qui tunc ad nihil prorſus tenetur, nec filiæ, nec parentibus.

QUÆSTIO VI.

Quid Raptus, & quæ pœnæ Raptorum?

CONCLUSIO I.

RAptus eſt peccatum luxuriæ, quo perſona aliqua violenter abducitur libidinis explendæ cauſa.

Dicitur 1. *Peccatum luxuriæ*, & quidem ſpecies ab aliis diſtincta: duplicem enim continet malitiam, unam impudicitiæ, per quam convenit cum aliis ſpeciebus, alteram injuſtitiæ, per quam differt ab illis.

Dicitur 2. *Quo perſona aliqua*, ſive maſculus, ſive fœmina, ſive uxorata, ſive non; ſive ſerva, ſive libera, ſive virgo, ſive corrupta, aut etiam meretrix; quia cujuſcumque conditionis, aut ſexus ſit perſona Rapta, equidem injuſtitiam Raptori propriam patitur. Eò autem majus eſt peccatum, quò major eſt qualitas perſonæ abductæ, & ideò primum locum tenet Raptus ille, ubi maſculus maſculum, aut fœmina fœminam rapit. 2. Ubi Clericus, aut Laicus Monialem. 3. Ubi conſanguineam, aut affinem. 4. Ubi conjugatam. Deinde ubi virginem, viduam, meretricem; quia ultra injuſtitiam, in 1. reperitur Sodomia, in 2. Sacrilegium, in 3. Inceſtus, in 4. Adulterium, deinde Stuprum, aut Fornicatio.

Dicitur 3. *Violenter*; quia fieri debet violentia vel Raptæ, vel ſaltem illis, quorum curæ commiſſa eſt, ſive ſint parentes, ſive tutor, ſive maritus, ſive alius: unde ſi puella ſponte diſcedat cum amaſio, inſciis parentibus, fuga eſt, non Raptus; ſi ſcientibus, ſed repugnantibus, verus eſt Raptus.

Dicitur 4. *Abducitur*, id eſt, transfertur de loco in locum moraliter diſtantem; & ideò ſi quis libidinis ſecretiùs explendæ cauſa puellam de loco publico, aut aperto per vim trahat ad aliquot paſſus, non eſt Raptor, ſed Stuprator. Aliud eſſet, ſi de agro in villam, de domo in domum auferret. Imò Raptor eſt, qui pœnitentia, aut alio motivo ductus prædam deſerit antequam ad locum deſtinatum perveniat; quia equidem verè abduxit.

Dicitur 5. *Libidinis explendæ cauſa*; quia ſi fiat ob alium finem, v.g. ſervitutis, aut ancillatus cauſa, non erit Raptus, ſed furtum hominis. Ubi autem quis abduxit puellam volentem, eo fine præcisè, ut parentes poſteà conſentiant in Matrimonium, cui repugnant, eſt quidem verus Raptus, cui annexæ ſunt pœnæ Tridentini, non eſt tamen Raptus prout eſt ſpecies luxuriæ.

CON-

CONCLUSIO II.

VAriæ feruntur pœnæ in jure tum Canonico, tum Civili contra Raptores; ſed in foro conſcientiæ tantum obligant illæ, quas decernit Trid. Seſſ. 24 de Reſor. Matrim. Cap. 6. Prima eſt, *ut Raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes, ſint jure ipſo excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces*. Secunda, ut *inter Raptorem, & Raptam, quamdiu ipſa in poteſtate Raptoris manſerit, nullum* poſſit *conſiſtere Matrimonium*, etiamſi Rapta nolit poni extra poteſtatem Raptoris. Tertia, ut *teneatur Raptor mulierem raptam, ſive eam uxorem duxerit, ſive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare*. Ex dictis

Reſol 1. Pœnas illas non incurrere fœminam, quæ rapit adoleſcentulum; quia cùm Decretum tantùm loquatur de Raptore, & non de Raptrice, & aliunde ſit pœnale, non eſt extendendum.

Reſol. 2. Pœnis ſubjacere illum, qui rapit fęminam vel repugnantem, conſentientibus parentibus; vel conſentientem, iiſdem repugnantibus; quia in utroque caſu intervenit Raptus propriè dictus: volunt quidem aliqui non incurrere pęnas in ſecundo caſu; ſed cùm non diſtinguat Concilium, nec nos diſtinguere debemus.

Reſol. 3. Contra Sanchez, ConinK, & alios, Raptum ob ſolam libidinem, abſque ullo Matrimonii prætextu, dirimere Matrimonium, ipſique annexas eſſe omnes pœnas Raptui impoſitas. Ratio eſt; quia propriiſſimè venit nomine Raptus. Deinde punit ibi Concilium Raptores & fautores, etſi Clericos; hi autem non rapiunt Matrimonii cauſa.

Reſol. 4. Quòd ſponſus abducens ſponſam, ut libidinem expleat ante nuptias, aut etiam ut illam, Matrimonium implere recuſantem, compellat, de facto Raptorem eſſe, pęnaſque incurrere; cùm hoc libertati Matrimonii (quam conſervare intendit Concilium) graviter noceat. Et idem eſt, ſi uxorem tempore primi bimeſtris de Religione deliberantem violenter abducat, ad Matrimonii conſummationem: excepto quòd Matrimonium maneat validum: licèt ipſa poſſit Religionem profiteri invito marito, qui, vivente uxore, non poterit alteri nubere.

Reſol. 5. Si ſponſus abducat ſponſam conſentientem, non eſſe Raptum, etſi repugnent parentes; quia ratione ſponſalium habet jus quoddam in ipſam, præſertim ubi accedit ejus conſenſus, ſicque declaratum eſt cap. 6. *de Raptoribus*, ubi ſic legitur: *Iſte Raptor dici non debet, cùm habuerit mulieris aſſenſum, & prius eam deſponſaverit, quam cognoverit, licèt parentes reclamarent*.

QUÆSTIO VII.

Quid dicendum de peccatis contra naturam?

DUpliciter dicitur Peccatum aliquod contra naturam. 1. In quantùm repugnat rationi naturali, & hoc ſenſu omnia peccata contra legem naturalem, dici poſſunt contra naturam. 2. In quantum repugnat ordini, quem præſcripſit natura in actibus generationi ſubſervientibus. Hic ordo. 5. exigit. 1. Duorum commixtionem; & ideò ubi quis ſemen ſine conjunctione emittit, Pollutio eſt. 2. Eandem commixtorum naturam, ità ut natura humana miſceatur naturæ humanæ, & non brutali; aliàs eſſet Beſtialitas. 3. Sexum diverſum, cujus defectu concubitus maſculi cum maſculo, aut fœminæ cum fœmina, eſt Sodomia. 4. Vaſa congrua, & ideò maſculus congrediens cum fœmina in vaſo præpoſtero, Sodomiticus eſt, licèt, non ità propriè. 5. Modum debitum, ſicut non impediatur generatio, quod accidere poſſet, viro ſuccumbente. De duobus ultimus agemus quæſtione ſequenti, hìc de tribus primis.

ARTICULUS I.

Quod Pollutio, quale peccatum, & an unquam liceat?

CONCLUSIO I.

POllutio, aliter Mollities, eſt voluntaria ſeminis effuſio extra concubitum.

Dicitur 1. *Voluntaria*; quia commune eſt axioma Theologicum, *nullum peccatum niſi voluntarium*, & ideò Pollutio, quæ nec in ſe, nec in cauſa voluntaria eſt, ſive interim in vigilia accidat, ſive in ſomno, non eſt culpabilis; ſi autem eveniat ſemidormienti aliqualiter conſentienti, venialis eſt; quia ſemivoluntaria. Sed quid ſi dubitetur an in ſomno, vel in vigilia acciderit? Standum eſt ordinariè pro ſomno; quia ſolemus eſſe memores eorum, quæ deliberatè in vigilia facimus.

Dixi: *Ordinariè*; quia ſi quis illi peccato ſit ità addictus, ut vix cum aliquo conſcientiæ remorſu illud perpetret, res manebit dubia. Hoc tamen certum eſt, emiſſionem ſeminis in ſomno inchoatam, & in vigilia conſummatam eſſe peccaminoſam, ſi expergefactus in illam conſentiat; quia tunc de involuntaria tranſit in voluntariam.

Dixi 2. *Seminis*; quia ſi fiat diſtillatio cujuſdam humoris medii inter urinam & ſemen, non eſt Pollutio, licèt ſit etiam peccaminoſa, ſi fiat voluntariè cum carnis rebellione. Si autem contrà voluntatem accidat, nec eam comitetur carnis commotio, non eſt de illa magis curandum, quàm de ſudore, inquit Cajetanus. Diſtinguet autem aliquis, an ſemen, vel humor ille fluxerit, ex eo quòd ſemen ejiciatur cum impetu, humor ille ſenſim ſine ſenſu abſque ejaculatione. Item ex eo quòd humor ille non ſit mordax, ac groſſus, faciliuſque fluat.

Dixi 3. *Effuſio*; eſt autem indifferens, ſive quis illam ſibi procuret per tactus, ſive per intenſam venereorum cogitationem, ſive per certum corporis ſitum, ſive per medicinam, eo directè tendentem; pejus tamen eſſet, ſi juberet quis, aut permitteret ſibi ab alio procurari; quia tunc etiam alieni peccati foret particeps.

Dixi denique: *Extra concubitum*, & non extra vas ad generationem ordinatum, ut comprehendantur mulierum Pollutiones, quæ licèt ſeminent in vaſe ad generationem ſubſervienti, Pollutionis tamen culpam incurrunt, dum id extrà copulam faciunt: quod verum eſt in omnium ſententia, & maximè in ſententia D. Bonaventuræ & Scoti poſt Hypocratem & Galenum, quibus communius adhærent Medici, volentes ſemen mulieris activè concurrere ad generationem, & conſequenter tunc fruſtrari fine à natura intento.

Errant ergo Confeſſarii, qui tantùm inquirunt à mulieribus, an non ſenſerint aliquando humoris fluxum extra corpus, putantes tunc eſſe Pollutionem, aliàs non; cùm ſæpè exteriùs ſentiant humoris medii fluxum ſine Pollutione imò ſine delectatione: è contra verò patiantur interius veras Pollutiones ſine fluxu externo: quod accidit dum ſemen de vaſe deciſum ad matricem mittitur: quod fęminæ facilè ſentiunt, imò magna voluptate percipiunt. Fatendum tamen aliquando per motus valdè violentos, & enormes etiam exterius pati Pollutionem, licèt rarius.

CONCLUSIO II.

POllutio eſt grave peccatum mortale, & quidem contra jus naturæ; ita ut, ſecluſa prohibitione Divina, adhuc foret mala.

Prob. prima pars ex Gen. 38. ubi peccatum Onam ſemen in terram fundentis dicitur res deteſtabilis: & 1 ad Corinth. 6. dicitur: *Neque adulteri, neque molles.... Regnum Dei poſſidebunt*.

Prob. ſecunda pars, 1. Ex condemnatione hujus propoſitionis ab Innoc. XI. *Mollities jure naturæ prohibita non eſt; unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona & aliquando obligatoria ſub mortali*. 2. Ratione: ideò mentiri eſt contra naturam; quia eſt contra finem ad quem inſtituta ſunt verba: atqui Pollutio eſt contra finem, ad quem ordinavit ſemen natura: ergo &c.

CONCLUSIO III.

NUllo unquam caſu licitum eſt ſe polluere. Sequitur ex dictis: quod enim intrinſecè malum eſt, nullo fine, etiam honeſtiſſimo, poteſt cohoneſtari. Hinc

Reſol 1. Potiùs eſſe moriendum, quàm vel minimam ſeminis jacturam ſibi procurare: natura quidem alios habet purgationis modos, nempè per ſudores, per abſtinentias, per alias evacuationes materiæ ſpermaticæ conſumptivas; ſed eſto alios non haberet, potius mors, quàm Pollutio eſſet eligenda.

Reſol. 2. Succumbere illum tentationi, qui, ut tentationem vincat, ſe polluit: nec enim hoc genus tentationum, niſi in jejunio, oratione, corporis caſtigatione, & præſertim profunda coram DEO humiliatione vincitur.

Reſol. 3. Sumentem potionem, accubantem in lecto, tali ſitu, v. g. ſuper renibus, comedentem, aut bibentem plura, vel calidiora, eo fine, ut ſequatur Pollutio, etiam in ſomnis, culpabilem eſſe, quamvis intenderet præcisè exonerationem corporis, ut ſpiritus eſſet promptior & expeditior ad DEI obſequium. Ratio eſt; quia tunc phyſicè concurrit, aut concurrere intendit ad Pollutionem.

Reſol. 4. Ubi conſtat in corpore ſive hominis, ſive mulieris eſſe ſemen aliquod corruptum, poſſe ſumi medicamenta, etiam directè ad illius expulſionem tendentia, quia non

reputatur ampliùs ſemen, ſed potius lues, aut venenum.

Dixi: *Ubi conſtat.* nam ſi dubitetur, an ſemen ſit integrum vel corruptum, in favorem ſeminis judicandum eſt.

Reſol. 5. Non licere mulieribus per tactus, inſtrumenta, fricationes &c. expellere ſemen corruptum; quia actiones illæ ſunt per ſe provocativæ ad expulſionem veri ſeminis.

Reſol. 6. Nec licere fricationem verendorum ad ſedationem pruritus importuni, ſi adſit Pollutionis periculum. Ratio eſt; quia quando ex actione illa ſequitur, cenſetur directè ex illa procedere: unde cum patientia toleranda eſt illa infirmitas, ac recolendum, longum eſſe martyrium Caſtitatem, cui longius promiſſum eſt præmium.

Dices: Chirurgus poteſt operari in verendis mulieris, licèt timeat Pollutionem ſine periculo conſenſus ſecuturam: ergo à fortiori licet in ſe operari cum tali periculo ad ſedandam infirmitatem.

Reſp. Diſp. eſſe, quòd actio illa Chirurgi non ſit per ſe cauſativa Pollutionis in corpore proprio, ut per ſe patet; præfata autem fricatio ſit talis.

Reſol. 7. Poſſe aliquem ſumere pharmacum directè tendens ad renum exonerationem; aut aliam infirmitatem pellendam, licèt timeatur Pollutio ſecutura præter intentionem. Ratio eſt; quia, ſi id liceat mulieri cum periculo expulſionis fœtus inanimati, ut diximus, à fortiori in noſtro caſu, cùm ſemen minus appropinquet ad generationem, quàm fœtus inanimatus.

ARTICULUS II.

An ſemper ſit illicitum ponere actionem, ex qua probabilius creditur Pollutio ſecutura?

SUppono 1. Semper eſſe illicitum, ſi adſit periculum conſenſus in ipſam Pollutionem: quandoquidem nullo caſu ſit licitum ſe exponere periculo proximo peccati formalis; quia *Amans periculum, peribit in illo*, Eccl. 3. & ideò quæſtio noſtra intelligitur ſecluſo conſenſus periculo.

Suppono 2. ut Pollutio ſit voluntaria in cauſa, ſicut & quodlibet aliud peccatum, tria requiri. 1. Quod fuerit prævisa in cauſa, aut ſaltem prævideri potuerit, quia nihil voluntarium, niſi cognitum. 2. Ut cauſam illam poſſis vitare; quia nemo peccat in eo quod vitare non poteſt. 3. Ut tenearis cauſam illam vitare: ubi enim non ſubeſt obligatio vitandi, Pollutio ſequens potius cenſetur permiſſa, quàm procurata. His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

NOn eſt illicitum ponere actionem honeſtam & utilem; ex qua prævidetur Pollutio ſecutura ſine conſenſus periculo. Eſt communis inter Doctores. Ratio eſt; quia non imputatur *jus* ſuum proſequenti effectus præter intentionem, & per accidens ſubſecutus.

Confirm. 1. Non imputatur mulieri expulſio fœtus inanimati ſequens per accidens ex ſumptione pharmaci directè tendentis ad ſanitatis recuperationem: ergo nec imputari debet Pollutio ponenti actionem honeſtam, cum illa nullatenùs directè in Pollutionem tendat.

Confirm. 2. Quia Pollutio illa nec in ſe, nec in cauſa voluntaria eſt: non in ſe, ut ſupponitur; non etiam in cauſa, cùm nulla ſit obligatio illam vitandi.

Dices: Qui vult id, ex quo ſequitur effectus, vult & effectum.

Reſp. Diſt. Aſſump. Qui vult id, ex quo neceſſariò ſequitur effectus, vult & effectum, C. ſic qui vult abſtinentiam à cibo, vult & famem. Si effectus tantùm ſequatur per accidens, N. univerſaliter loquendo. Hæc magis patebunt ex dicendis. Hinc

Reſol. 1. Confeſſarium, Medicum, Chirurgium, Studioſum, Infirmarium, qui tenentur ex officio impudica vel audire, vel legere, vel aſpicere, vel tangere, ex quibus patiuntur quandoque Pollutionem, non teneri officium relinquere, quandoquidem coram Deo non ſint culpabiles; ſi tamen eſſet morale periculum conſenſus: eo quòd experientiam haberent, quòd frequenter in Pollutionem advenientem conſentirent, non obſtantibus orationibus, abſtinentiis, caſtigationibus, votis, humiliationibus, & aliis remediis ad hoc adhibitis, tenerentur officio cedere; quia nullo caſu licitum eſt, propter quodcumque bonum, peccato, aut peccati periculo ſe exponere: undè hic militat illud Evangelii: *Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur; animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Matth. 16.

Reſol. 2. Accubantem lecto ſitu honeſto, aut neceſſario ad dormitationem, equitantem negotiorum aut honeſtæ recreationis cauſa, comedentem, aut bibentem ordinaria, non debere ob Pollutionem prævisam ab illis abſtinere, modò ſemper abſit illius intentio, & conſenſus periculum.

CONCLUSIO II.

QUi vacat rei illicitæ, ex qua, ordinarie loquendo, nata eſt ſequi Pollutio, reus eſt Pollutionis prævisæ, etiamſi illam non intendat, imò vellet non habere.

Ratio eſt, quia qui vult cauſam, vult & effectum naturaliter ſequentem.

Confirm. 1. Quia res illa notabiliter per ſe, & directè tendit ad excitandos motus venereos, Pollutionemque conſummandam.

Confir. 2. Vel nulla actio influit graviter in Pollutionem, quod nemo admiſerit, vel certè illa, ex qua attenta communi hominum conditione, frequenter ſequitur pollutio.

Cenſentur autem graviter in Pollutionem influere tactus aſpectus; oſcula, amplexus, cogitationes, deſideria, lectiones, locutiones, & alia quæ communiter reputantur graviter turpia, aut impudica.

Dices 1. Sæpiſſimè habentur cogitationes, aut deſideria impura ſine Pollutione: ergo falſum eſt in illam graviter influere.

Reſp. Diſt. Ant. Habentur ſæpiſſimè ſine Pollutione immediatè illos actus ſequente, tranſeat. Sine Pollutione vel tunc, vel poſteà in ſomnis accidente. N. quia regulariter loquendo, relinquunt quandam corporis commotionem, vel aliquas ſpecies in phantaſia, quæ virtute priorum actuum tandem concurrunt ad Pollutionem.

Dices 2. Indè ſequitur omnem cogitationem impuram ſemper habere malitiam annexam Pollutionis; & idem eſt de tactibus & aliis.

Reſp. Veram eſſe ſequelam, quando Pollutio, ſaltem confuſè, in illis prævidetur: ubi tamen nullatenùs prævidetur, uſus invaluit, ut in Confeſſione non exprimatur; quamvis conſultum eſſet eam exprimere, ſaltem ubi quis antè illius adventum de cauſa non pœnituiſſet.

Advertendum, omnia dicta hic de cauſis Pollutionis, eſſe applicanda cauſis motuum notabilium generationi ſubſervientium, cùm ſit par ratio.

ARTICULUS III.

An liceat Pollutionem involuntariam deſiderare, an de illa habita gaudere propter ſanitatem?

STatus quæſtionis eſt, an liceat optare, ut in ſomno eveniat Pollutio via *purè naturali* per cauſas à natura conſtitutas abſque ulla prorſus cooperatione, idque propter naturæ exonerationem, & an liceat de illa propter eundem finem gaudere?

Suppono 1. Nunquam licere illam optare, aut de ea gaudere ex complacentia libidinis, ſeu ex affectu venereo, cum libidini conſentire ſit intrinſecè malum.

Suppono 2. Nec licere illam propter ſe appetere; puta dum quis illam non appetit propter finem utilem, aut naturæ convenientem; convincitur illam propter libidinem annexam appetere, cum aliud appareat in illa appetibile.

Suppono 3. Non omnem Pollutionem eſſe ex natura ſua malam, ſed tantum illam, quæ vel in ſe, vel in cauſa aliqualiter procuratur: undè adveniens ex cauſis purè naturalibus abſque ullo polluti interventu mediato, aut immediato, nec materialiter, nec formaliter mala eſt, ſive in ſomno accidat, ſive *in vigilia*, cum non ſit actus humanus, imò nec eſſe poſſit prout ex talibus cauſis præcisè progreditur, ſed ſit merè naturalis, qualis eſt ſternutatio, aut emiſſio humoris ſuperflui per aures. His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

NOn licet, ob ſanitatem recuperandam, aut tentationem vincendam deſiderare Pollutionem merè naturalem, ſeu omninò naturaliter fluentem. Ita Sylvius, Azorius, & alii.

Prob. 1. Non licet deſiderare actionem, ex qua alteri grave damnum provenit, atqui ex ſeminis expulſione, etiam merè naturali, provenit grave damnum humano generi, nempè privatio prolis, ad quam ex natura ſemen ordinatur: ergo &c.

Prob. 2. Tenetur quis Pollutionem naturaliter fluentem cohibere, ſi poſſit abſque gravi ſuo incommodo: ergo non licet illam deſiderare, cùm nemo poſſit id appetere, quod etiam inchoatum tenetur impedire.

Prob. 3. Si Medicus expertus prævideret ex ſui corporis diſpoſitionem ſecuturam naturaliter Pollutionem, deberet, ſi remedium noviſſet, illam impedire, nec injurioſus fieret naturæ: ergo falſum eſt, poſſe illam appetere.

Dices

Dices 1. Licitum eſt deſiderare id, quod non eſt peccatum propter bonum finem: atqui Pollutio illa non eſt peccatum, ut ſuppoſuimus, ſed quid naturale & indifferens: ergo licet illam deſiderare propter ſanitatem?

Reſ. Diſt. Maj. Licitum eſt deſiderare &c. ſi inde proveniat malum alteri, N. ſi non eveniat, C. hocque patet ex eo, quòd non liceat filio deſiderare ſuffocationem Patris, etiam ex cauſa purè naturali, ut poſſit hæreditatem ſibi ad vivendum omninò neceſſariam citius adire, licèt ſuffocatio illa ſupponatur merè naturalis, & nullatenus peccaminoſa.

Dices 2. Poſſumus adoleſcenti voluptuoſo deſiderare morbum, ut reſipiſcat: ergo ſimiliter.

Reſ. Diſparitatem eſſe, quòd morbus in his circumſtantiis non ſit adoleſcenti nocivus, ſed bonus, proficuus, & ſalutaris. Pollutio autem, etiam in caſu concluſionis, ſit abſolutè & ſimpliciter nociva humano generi.

CONCLUSIO II.

ILlicitum eſt etiam gaudere de pollutione habita in ſomnis, ob naturæ alleviationem: ſequitur ex concluſione præcedenti Et ratio eſt, quòd non liceat de eo habito gaudere, quod illicitum eſt deſiderare, atqui ad ſenſum concluſionis illicitum eſt Pollutionem deſiderare: ergo & de habita gaudere.

Dices 1. Div. Thom 4 diſt. 6. q. 1. art. 4. ſic loquitur: *Si autem placeant*, nempe Pollutiones, *ut naturæ exoneratio, vel alleviatio, peccatum non creditur*.

R. S. Doctorem non loqui de Pollutionibus ut ſic, ſeu ſecundùm ſe, ſed ſecundùm effectum, ſub quo reſpectu licitum eſt, ſecundùm omnes, de illis ſibi complacere.

ARTICULUS IV.

Quid Sodomia, quale peccatum, & quibus pœnis ſubjaceat?

SOdomia ut ſic, eſt coitus libidinoſus cùm perſona indebita, vel, ſi cum perſona debita, in vaſe indebito. Eſt duplex, una perfecta, altera imperfecta. Prima eſt concubitus maſculi cum maſculo, aut fœminæ cum fœmina: hæc communiùs intelligitur nomine Sodomiæ; imò quando Sodomia reſervatur, aut pœnæ contra illam ſtatuuntur, de hac ſola mentio fieri cenſetur. Eſt autem indifferens ad Sodomiam perfectam & reſervatam, in quo vaſe coeant maſculi inter ſe, ſive in vaſe præpoſtero, ſive (quod horribile eſt) in ore: ſicut indifferens eſt, an fœminæ utantur vaſe anteriori, vel poſteriori; ſcio aliquos negare coitum fœminarum in vaſe anteriori eſſe caſum reſervatum, quia ſervatur vas ad generationem ordinatum; ſed cùm hoc peccatum præſertim conſiſtat in affectu ad ſexum indebitum, etiam tunc eſt Sodomia propriè dicta, adeoque & reſervata, modò fiat intra vas ſeminis effuſio; qua deficiente ſive in maſculis, ſive in fœminis, non eſt caſus reſervatus, quia non cenſetur completa & conſummata. Secunda, ſive imperfecta, eſt concubitus viri cum fœmina extra vas naturale. ſpecie differt à perfecta, & ideo eſt in Confeſſione ſpecificanda; quandoquidem prima fiat cum affectu ad ſexum indebitum, ſecunda cum affectu quidem ad ſexum debitum, ſed in vaſe indebito.

CONCLUSIO I.

SOdomia eſt peccatum valde enorme & abominandum.

Prob. 1. Ex Script. Gen 17. ubi Sodomitas, à quibus Sodomia nomen habet, abſumpſit Deus cum quinque eorum Civitatibus propter nefandum illud crimen. *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur & ignem... & ſubvertit Civitates has & omnem circa regionem, univerſos habitatores Urbium & cuncta terræ virentia.* Unde D. Gregor. lib. 14. moral. cap 10. *Sulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem. Qui itaque ad perverſa deſideria ex carnis fœtore arſerant, dignum fuit, ut ſimul igne & ſulphure perirent.*

Imò Apoſt. Rom. 1. dicit Gentilium ſapientes propter Idololatriam traditos eſſe *in reprobum ſenſum, in paſſiones ignominiæ*: intelligens per hoc ſcelus illud execrandum; *Propterea*, inquit, *tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ: nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem uſum in eum uſum, qui eſt contra naturam. Similiter autem & maſculi, relicto naturali uſu fœminæ, exarſerunt in deſideriis ſuis invicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes.*

Prob. 2. Ex D. Chryſoſt. hom. 4. in Epiſt. ad Rom. *Quodcunque delictum nominaveris, nullum huic peccato par dixeris; qui ſi facta ſua ſentirent, qui patiuntur, ſexcenta utique mortes obirent, ut ne hoc paterentur.* Et inferiùs: *Quid viro corpus ſuum meretricio more proſtituente abominabilius? Quid autem ſceleſtius?... O vos & brutis inſipientiores, & canibus impudentiores! nuſquam enim hujuſmodi congreſſus apud illos, ſed agnoſcit proprios terminos naturæ: vos autem genus veſtrum infamius brutorum genere effeciſtis.*

Prob. 3. Ex pœnis graviſſimis, quibus Sodomitæ tum ex Script. tum ex jure Canonico & Civili puniuntur, de quibus poſteà.

Prob. 4. Ratione; quia crimen illud eſt ita naturæ exoſum, ut ipſamet bruta animantia illud abhorreant: unde ſola effrænis & indomita hominum concupiſcentia tantum nefas adinvenit.

Porrò, ultra malitiam propriam, aliam ſpecie diſtinctam habet, ſi perſonæ copulatæ, ſint vel conſanguineæ, vel affines, vel conjugatæ, vel Deo ſacræ: tunc enim committitur vel Inceſtus, vel Adulterium, vel Sacrilegium: & quidem aliquando duplex, ſi utraque perſona eſt Deo ſacra, vel conjugata.

Petes: An ſit exprimendum in Confeſſione quis fuerit patiens, vel agens?

Reſ. Probabilius affir. quia etſi fortè peccata agentis & patientis ſpecie non differant, notabiliter tamen gravius eſt peccatum agentis; cùm hic Pollutionem habeat, non alter ut patiens eſt: quod addo; quia non rarò patiens illo tempore in Pollutionem prorumpit.

Advertendum hic, peccata maſculorum, aut fœminarum ſeſe per modum copulæ commiſcentium reduci ad Sodomiam, licèt in nullo vaſe ſemen emittant, ſed in membris effluat: imò putant aliqui non aliter fœminas inter ſe miſceri; quamvis affirment alii, ementitis virilibus congreſſibus, inſtrumentis quibuſdam ita in invicem exardeſcere, ut ſemen intra vas recipiatur. Proh dolor! quò proceſſit hominum malitia!

CONCLUSIO III.

JUre Civili punitur Sodomita pœna ignis. Patet ex Codice Theodoſiano lib. 9. titulo 7. ubi dicitur: *Hujus ſcelus ſpectante populo, flammæ vindices expiabunt.* Jure autem Canonico antiquo Clericus convictus de hoc crimine, depoſitus, & à Clero rejectus detrudebatur in Monaſterium pœnitentiam acturus; Laicus verò, excommunicandus ſtatuitur in Concil. Lateranenſi III. Can. 2. Jure autem novo Pii V. in Conſtitutione, *Horrendum illud ſcelus*: Clericus Sodomiam exercens privatur omni privilegio Clericali, Officio, Beneficio, & dignitate, ac degradatus Judici ſæculari traditur. Illas tamen pœnas non incurrit, qui mulierem cognoſcit Sodomiticè: aut qui mixtus maſculo non ſeminavit intra vas; quia primo caſu Sodomia non eſt perfecta, in ſecundo non eſt conſummata: lex autem pœnalis, niſi aliter exprimatur, tantùm afficit delictum perfectum & conſummatum. Pœnæ verò præfatæ, juxta Doctores communiter, neminem ligant ante Judicis ſententiam criminis declaratoriam.

ARTICULUS V.

Quid Beſtialitas, quale peccatum, & quid Concubitus cum dæmone?

CONCLUSIO I.

BEſtialitas eſt coitus cum bruto: eſt autem indifferens in ordine ad Confeſſionem, cum qua Beſtia quis peccaverit; cùm hoc nihil conferat ad ſpeciem moralem. Putem tamen coeuntem cum animali valde turpi & ſordido debere circumſtantiam illam, utpote notabiliter aggravantem, in Confeſſione exprimere.

Petes: An non ſatisfaceret, qui Beſtialitatem, aut Sodomiam exprimeret in Confeſſione ſub nomine *Pollutionis?*

Reſ. Neg. Patet ex hac propoſitione ab Alexan. VII. condemnata: *Mollities, Sodomia, & Beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei: ideòque ſufficiet in Confeſſione dicere, ſe procuraſſe Pollutionem.*

CONCLUSIO II.

BEſtialitas eſt omnium peccatorum contra naturam graviſſimum; quandoquidem congreſſus ille inter diverſas ſpecies maximè repugnet naturæ: unde juxta Gloſſ de hoc ſcelere loqui videbatur Joſeph Gen. 37. dum *accuſavit fratres ſuos apud patrem crimine peſſimo*. Et Levit. 20. prohibetur coitus ille ſub pœna mortis, ſtatuiturque ut Beſtia, & Beſtialitatem committens interficiantur: quod etiam nunc ſervatur apud Chriſtianos, ubi uterque in deteſtationem tanti ſceleris flammis devovetur: nec immeritò, cùm execrandum illud nefas nullo unquam ſufficienti ſupplicio poſſit expiari.

CON-

CONCLUSIO III.

COncubitus viri, aut fœminæ cum dæmone ſuccubo, vel incubo, reducitur ad Beſtialitatem, ſive interim dæmon in corpore aſſumpto appareat ſub ſpecie viri, ſive mulieris, ſive alterius aoimalis; quia licèt aſſumat formam hominis, de facto tameu ſpecie differt ab illo.

Porrò in coitu viri aut mulieris cum dæmone triplex ordinariè concurrit peccatum: 1. Beſtialitas. 2. Superſtitio, ſeu commercium cum Dei, noſtrumque omnium hoſte infenſiſſimo. 3. Peccatum illius ſpeciei, circa quod fertur affectus; ita ut, ſi vir miſceatur dæmoni tanquam maſculo, ſit Sodomia; ſi tanquam mulieri liberæ, ſit fornicatio: ſi tanquam cognatæ aut affini, inceſtus: ſi tanquam conjugatæ, ſit adulterium.

QUÆSTIO VIII.

Quid dicendum de Concubitu Conjugali libidinoſo, ſeu de peccato Conjugum?

DOctor Seraphicus in ſuo Confeſſionali c. 2. ſeptem luxuriæ ſpeciebus addit octavam, nempè coitum libidinoſum Conjugalem, refertq; ibidem ex Alexandro de Ales Præceptore ſuo actus Conjugalis modum triplicem, licitum, fragilem, & impetuoſum.

Licitus, ſit tripliciter, vel cauſa prolis procreandæ, & eſt pietatis: vel cauſa debiti reddendi, & eſt juſtitiæ: vel cauſa fornicationis vitandæ, & eſt cautelæ.

Fragilis, eſt quando ſit cauſa delectationis, & ordinariè non excedit veuiale.

Impetuoſus, eſt, qui ex ſola libidine proveniens, metas rationis & honeſtatis tranſcendit. Ità ferè D. Bonav. qui etiam recenſet 5. modos limites honeſtatis rranſcendentes; nos autem tres exponemus tribus concluſionibus ſequentibus. Ac 1. ea quæ fiunt in ordine ad copulam. 2. Ea quæ fiunt in copula, aut circa copulam, & tandem ea quæ illam ſequuntur.

CONCLUSIO I.

OMnes tactus, oſcula, amplexus, turpiloquia, aſpectus &c. quæ fiunt inter Conjuges ſine ordine ad copulam, ſunt peccata mortalia, ſi fiant cum periculo Pollutionis in uno vel altero, vel pertineant ad Sodomiam quandam inchoatam; aliàs non ſunt niſi venialia.

Prob prima pars; quia ſicut nunquam licèt Conjugibus ſeſe in particulari aut invicem polluere; ita nec illius periculo ſeſe exponere; imò ſicut ſe polluendo duplex committunt peccatum, unum contra naturam, quia ſemen prodigitur; alterum adulterii inchoati, eò quòd eorum caro dividatur, ſaltem inchoatè, contra datam in Matrimonio fidem; ita & duplicis peccati Rei ſunt, illius periculo ſe exponentes. Quod advertere debent Confeſſarii.

Quantùm ad ea, quæ Sodomiam inchoatam ſapiuut, res etiam clara eſt; quia ſicut actus impudici, & alia ejuſmodi ſunt peccata gravia in ſolutis, eò quòd diſponant ad copulam ipſis illicitam; ita etiam actus Sodomitici & ſimilia ſunt in Conjugibus mortifera, cùm de ſe ordinentur ad actum ſemper ipſis graviter interdictum. Hinc

Reſol. 1. Incipientes copulam in vaſe præpoſtero, etiam cum animo tantùm ſeminandi in vaſe ordinario, reos eſſe Sodomiæ inchoatæ, etiamſi abſit periculum perdendi ſeminis.

Reſol. 2. Se tangentes valdè impudicè eo tempore, aut loco, in quo non poſſunt conjungi, graviter peccare; quia cenſetur adeſſe Pollutionis periculum.

Dixi: *Eo tempore &c.* quia ſi illa fecerint in lecto cum animo copulæ, ſi ſe graviter commotos ſenſerint, excuſari poſſunt à mortali.

Prob. ſecunda pars, quam docet ſententia communior contra paucos; quia ſicut facit Matrimonium, ut copula ob delectationem habita, ſit tantùm venialiter mala; ita & facit, ut illa, quæ natura ſua explicitè vel implicitè ad illam ordinantur, non ſint pejora.

Confir. 1. Ideo præfata ſunt mortalia in ſolutis; quia concubitus, ad quem ex ſe dicunt ordinem, eſt ipſis graviter malus; atqui hoc non ſtat in Conjugatis? ergo.

Confir. 2. Tantùm venialiter peccant Conjuges non ordinantes copulam ad generationem, quia equidem talem de ſe dicit ordinem: ergo nec gravius peccant, dum prædicta ad copulam non ordinant, cùm eò tendant ex natura ſua.

Dices 1. Ultra copulam non plus licet Conjugatis, quàm ſolutis; ſed hi in præfatis peccant mortaliter: ergo & illi. Prob. Maj. quia finis Matrimonii eſt generatio, ad quam ſola copula conducit.

Reſ. Diſt. Ant. Ultra copulam ſolitariè ſumptam, N. ultra copulam, & ea quæ de ſe ad copulam diſponunt & ordinantur, qualia ſunt prædicta, C.

Inſtabis. Supponitur in concluſione illa fieri ſine ordine ad copulam: ergo, &c.

Reſ. Diſt. Ant. Sine ordine extrinſeco, & ex parte operantis, C. ſine ordine intrinſeco, & ex parte operis, N. illa enim de ſe & independenter ab operante talem dicunt ordinem; hocque ſufficit ad vitationem peccati mortalis, ut patet in copula ob delectationem habitam quę Conjugatis tantùm venialis eſt, ut diximus, eò quòd de ſe ad generationem ordinetur, licèt hic & nunc ad illam non ordinetur à conjugibus.

Hæc dicta ſint non ad laxandas Conjugatis habenas, ſed ad declarandam rei veritatem, & inſtruendos juniores Confeſſarios, qui ſæpè ex zelo Indiſcreto dicentes eſſe peccatum, ubi non eſt, aut mortale, ubi tantùm eſt veniale, aggravant jugum Domini, & multiplicantes obligationem ac præcepta, multiplicant & peccata; & certè uon minoris, imò majoris eſt periculi dicere peccatum eſſe, ubi non eſt, quàm docere non eſſe peccatum, ubi eſt.

Dixi in concl. *Inter Conjuges*; quia Conjux ſolus ſeipſum moroſè aſpiciens, aut tangens, peccat mortaliter, eò quòd talis actus in homine ſolo, non ordinetur ad copulam, ſed ad pollutionem; & ideo ultrà peccatum ipſi & ſoluto commune, etiam committit quandam ſpeciem injuſtitiæ contrà fidem in Matrimonio datam.

CONCLUSIO II.

PEccant Conjuges, juxta materiæ proportionem, qui modo, tempore, aut loco indebito copulantur.

Ratio eſt; quia licet Matrimonium actum illum reddat licitum, requirit tamen certos modos, certa tempora, certas præcautiones, quibus violatis, violatur & prudentis rationis regula. Hinc

Reſol. 1. Peccare Conjuges, ſaltem venialiter, qui in copula vas naturale ſervantes, variant tamen ſitum coeundi ordinarium; imo peccant graviter, ſi adſit ſeminis perdendi periculum: ſi tamen abſque effuſionis periculo & ex juſta cauſa id fecerint, excuſari poſſunt à peccato.

Reſol 2. Reos eſſe graviter maritos, qui ſine ulla præcautione accedunt ad uxores partui vicinas cum periculo abortus, aut ſuffocationis prolis; quod non rarò accidere poſſet in ebriis, aut quaſi ebriis.

Reſol. 3. Delinquere venialiter, ſi uxorem cognoſcant tempore puerperii, aut menſtrui; imò peccarent mortaliter, ubi per experientiam noviſſent eſſe periculum fœtus monſtruoſi, putà, gibboſi, enormiter claudi, difformis &c.

Reſol. 4. Gravem culpam incurrere Conjuges, qui copulantur in loco, ubi à prolibus, domeſticis, aut ab aliis videri, aut percipi poſſunt, ob periculum ſcandali.

CONCLUSIO III.

PEccant graviter Conjuges, qui poſt completam, aut inchoatam copulam, impedire conantur conceptionem.

Ratio eſt; quia generationem impedire, graviter repugnat bono prolis & naturæ; & ideo intrinſecè malum eſt, nulloque caſu poteſt cohoneſtari. Hinc

Reſol. 1. Peccare mortaliter maritum, aut uxorem: ſi ſe retrahant in actu ſeminationis, ne proles concipiatur.

Reſol. 2. Ejuſdem peccati ream eſſe mulierem, quæ tempore copulæ aliò cogitationem vertit, ut, ſeminante viro, ipſa non ſeminet; quia juxtà longè probabiliorem ſententiam etiam ad generationem concurrit ſemen mulieris.

Reſol. 3. Non minùs culpabilem eſſe uxorem, quæ completo actu Conjugali, ſe erigit, premit, aut aliud facit ut ſemen expellat, aut certè non ſit prolificum; quia vult privare ſemen fine a natura intento. Dico, *vult*; quia de facto non privat, cùm matrix ob vim retentivam ſemper retineat ſemen ſufficiens ad generationem.

Reſol 4. Similiter delinquere virum, qui copulam incipit prævidens ratione morbi, aut alterius impedimenti non fore complendam; quia exponit ſe manifeſto periculo ſeminis extra vas diſpergendi.

QUÆSTIO IX.

Quid dicendum de Impudicitia?

PEr Impudicitiam intelligimus hic ſpeciem luxuriæ inchoatam, ſeu quæ non pertingat uſque ad copulam, aut ſeminationem, ut ſunt oſcula venerea, tactus & aſpectus Impudici, turpi-

Digitized by Google

turpiloquia, ſcriptio & repræſentatio laſciva, choreæ ejuſdem generis, ornatus mulieris indecens &c. de quibus ſequentibus articulis, quibus unum addemus circa parvitatem materiæ in ſe venerea.

ARTICULUS I.

Quandonam Oſcula ſint licita, quando venialia, quando mortalia?

SUppono 1. ob triplicem finem dari poſſe Oſcula. 1. In ſignum amicitiæ, pacis, urbanitatis &c. 2. præciſè ob delectationem organicam ex ipſo Oſculo exurgentem. 3. ob delectationem veneream. Et ideò

Suppono 2. duplicem hic diſtinguendam eſſe delectationem, unam ſenſualem præciſè ſeu organicam, quæ conſiſtit in quadam convenientia rei tactæ aut viſæ cum organo tactus, aut viſus, ita ut delectatio terminetur ad rem pulchram, mollem, teneram, lenem, blandam, abſque ulla prorſus rei obſcœnæ delectatione. Alteram veneream, aut carnis & ſpirituum generationi deſervientium commotionem.

Suppono 3. per ſextum Decalogi præceptum prohiberi omnia & ſola Oſcula libidinoſa, cùm ea ſola & omnia prohibeantur, quæ vel ſunt copula illicita, vel ad copulam illicitam ordinantur. His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

QUando Oſcula fiunt ſecundùm morem patriæ, cauſa urbanitatis, benevolentiæ, pacis, amicitiæ fovendæ, ſunt, per ſe loquendo, licita. Eſt communis & certa.

Prob. 1. Ex praxi primitivæ Eccleſiæ, ubi Chriſtiani, etiam diverſi ſexus: ſeſe invicem oſculabantur in oſculo ſancto.

Prob. 2. Quia talia Oſcula nihil ſunt, niſi ſigna externa & veluti ſymbola amicitiæ & unionis animorum: unde etiam licita eſt delectatio ex illis nudè ſumptis proveniens; quia cùm aliqua actio licita eſt, etiam licita eſt delectatio ipſi per ſe annexa; modò tamen non fiat actio illa propter delectationem tanquam finem. Nihilominus dedecet Eccleſiaſticos, & maximè Religioſos hujuſmodi Oſculis amicitiam, aut benevolentiam teſtari erga mulieres, ſive Religioſas, ſive ſæculares, ſive conſanguineas, aut affines, ſive extraneas, idque ob periculum ſcandali.

Dixi in concluſione: *Per ſe loquendo*; quia ſi quis advertat periculum conſenſus in motus carnales inde ſibi oriri ſolitos, tenetur ab illis omninò abſtinere.

CONCLUSIO II.

DUm Oſcula dantur obiter, & more ſolito propter delectationem merè organicam, abſque ullo libidinis, aut delectationis venereæ periculo, ſunt tantùm peccata venialia. Ita D. Antoninus, Viguerius, Comitolus, Colvenereus, Sylvius, Wigers, Vincentius, Baronius, Loth, Boudart, & alii, imò præfatus Baronius ſect. 1. defenſionis Caſtitatis dicit communem eſſe Thomiſtarum, nec Patres Societatis eſſe ipſis hac in re ſeveriores.

Prob 1. Ex Auguſt. l. 4 contra Julian c. 3 & l. 5. c. 16. ubi & alibi diſtinguit delectationem ſenſualem à libidinoſa, dicitque priorem non eſſe ita malam, ac poſteriorem.

Prob. 2. Ex D. Th. 2. 2. q. 154. art. 4. Ubi docet ea ſola Oſcula eſſe libidinoſa, quæ fiunt propter delectationem peccati mortalis, ſeu, ut ſe explicat, propter Fornicationem, aut alteram luxuriæ ſpeciem, quæ ſit peccatum mortale: ergo Oſcula data ob meram vanitatem, aut delectationem ſenſualem, non ſunt libidinoſa, adeoque nec peccata mortalia.

Prob. 3. Ratione: Oſcula non ſunt ex ſe libidinoſa, aliàs nunquam licerent: ergo tantùm ſunt talia ex intentione, aut cogitatione Oſculantium. Subſumo; atqui ſupponimus in concluſione nullam eſſe intentionem, aut cogitationem libidinoſam, imò abeſſe omne periculum ejuſdem; ergo &c.

Confir. 1. Tantùm eſſe veniale comedere, aut bibere ob delectationem guſtus: ergo & Oſculari propter delectationem organicam tactus.

Confir. 2. Non eſt peccatum, ſaltem mortale, conſentire in delectationem merè ſenſualem ortam ex Oſculo dato cauſa urbanitatis, aut amicitiæ, ut docet communis ſententia: ergo nec mortale eſt Oſculari præciſè propter illam.

Confir. 3. Oſculari affectuoſè molles infantium carnes abſque ulla turpi intentione, vel nullum peccatum eſt, vel tantùm veniale; atqui certum eſt id non fieri ſine delectatione ſenſuali: ergo &c.

Objic. 1. Hanc propoſitionem ab Alex. VII. damnatam. *Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantum veniale Oſculum habitum ob delectationem carnalem ac ſenſibilem, quæ ex Oſculo naſcitur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & Pollutionis.*

Reſ. Meritò hanc propoſitionem eſſe proſcriptam; quia *Per delectationem carnalem* ſatis communiter intelligitur delectatio venerea, ſeu illa, quæ annexam habet carnis & ſpirituum generationi deſervientium commotionem; in illam autem conſentire, aut propter illam operari, ſemper mortale eſt. Præterea propoſitio illa, utpote generalis, comprehendit etiam Oſcula moroſa, repetita, columbina &c. à quibus ordinariè non ſecluditur conſenſus ulterioris periculum.

Objc 2. Apoſt ad Epheſ 5. docet immunditiam excludere à Regno Dei; atqui ad illam pertinent Oſcula præfata: ergo

Reſp. Neg. Min. Quia tantùm ad illam pertinent Oſcula libidinoſa.

Objic. 3. Oſcula ut delectabilia diſponunt ad copulam carnalem: ergo &c.

Reſ Diſt. Ant. Diſponunt remotiſſimè, ſicut litigium ad Homicidium, C. proximè, N. nullum autem apparet fundamentum dicendi diſpoſitionem remotiſſimam ad actum mortalem, etiam eſſe mortalem; aliàs tangere manum mulieris, aſpicere ejus faciem, cum ea parum familiariter colloqui, ob meram delectationem ſenſualem, ſemper eſſet mortale.

Objic. 4. Impoſſibile eſt, moraliter loquendo, ut non ſit annexum tali Oſculo periculum delectationis venereæ: ergo &c.

Reſ. Diſt. Ant. Impoſſibile eſt &c. ſi fiat moroſè, aut repetitis vicibus, C. ſi fiat leviter & tranſitoriè, N & ideo dixi in concluſione, *Dum fiunt obiter & more ſolito?* quia Oſcula moroſa, ſicut & aliquoties repetita, item columbina, dum lingua intromittitur in os, præſertim criſpantibus labris, ſemper ſunt mortalia, ob periculum evidens delectationis venereæ: quod non advertimus in Oſculo obiter dato in genis, abſque ullo affectu libidinoſo. Et certè ſi hoc eſſet, omnis converſatio inter procos & procas, etiam ſub ſpe Matrimonii, eſſet amputanda; quandoquidem ab illis Oſculis abſtinere, ſit ipſis valdè difficile, ne dicam ferè impoſſibile; ſæpe tamen fiunt ex vanitate, joco, aut levitate; ſæpius tamen ob delectationem ſenſualem. Fateor nihilominus animo verè caſto etiam hæc eſſe ſedulò fugienda; cùm in hac materia lubrica à delectatione ſenſuali ad veneream facilè deſcendatur. Præterea licèt quis ſciret ſe non eſſe libidinoſè commo[v]endum, non poteſt tamen de perſona, cui Oſculum infigit, reſpondere.

CONCLUSIO III.

OMnia Oſcula libidinoſa ſunt mortalia, ſive apparenter fiant urbanitatis cauſa; ſive amicitiæ fovendæ ergo; ſive aliter. Ita poſt D. Th. DD communiter: ſunt autem Oſcula libidinoſa, quæ fiunt ob delectationem veneream ſeu carnalem; hæc autem definiri poteſt: *Delectatio orta vel ex repræſentatione copulæ, aut actuum eò tendentium, vel ex commotione carnis circa genitalia cum commotione ſpirituum generationi ſubſervientium.* Cùm autem in illis ſibi complacere, aut propter illa operari ſit ſemper mortale, etiam ſemper mortalia ſunt Oſcula ob talem delectationem data, aut recepta: & ne idipſum poſtea repetere cogamur; idem, propter eandem rationem, reſolvimus de tactibus, aſpectibus &c. Imò illa omnia ſic ſunt in Confeſſione exprimenda, ut etiam circumſtantiæ perſonarum, inter quas facta ſunt, declarentur; quia ſunt ejuſdem malitiæ moralis, cujus eſt copula, ad quam ex ſua natura ordinantur, licèt non intendatur ipſa copula: & ideo ſi libidinoſè tetigiſti, aſpexiſti, oſculatus fuiſti affinem, aut conſanguineam, inceſtuoſus es; ſi maſculum, Sodomiticus.

ARTICULUS II.

Quale peccatum ſit tangere alterum, ſeipſum, beſtias &c.

NOn loquimur de Tactibus; qui fiunt animo libidinoſo, quia certum eſt ex dictis ſemper eſſe mortales, in quacunque corporis parte fiant, ſive in alio, ſive in ſeipſo: ſicut nec de illis qui fiunt à Medico, Chirurgo, Infirmario medendi cauſa, aut alterius neceſſitatis: ergo; quia ſunt conformes rectæ rationi, &, ſi inde ſuboriantur interdum motus inordinati ſunt involuntarii, quamdiu abeſt conſenſus, aut ejuſdem periculum: ſed loquimur de illis, qui fiunt ex curioſitate, joco, vanitate, levitate, aut præciſè propter delectationem ſenſualem, ſeu organicam.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO I.

QUi ex levitate, joco, aut propter delectationem merè ſenſualem tangit alterum cujuſcunque ſexus in parte corporis honeſta, tantùm peccat venialiter; mortaliter tamen ordinariè, ſi in partibus ſecretioribus. Eſt communis quoad utramque partem.

Prob. prima pars; quia tactus illi, cùm ſint de ſe indifferentes, non plus habent malitiæ, quàm communicet ipſis affectus tangentis; ſed affectus tantùm eſt venialis: ergo & ipſi veniales; & ideo excuſantur à mortali juvenes; qui leviter & abſque ulla intentione libidinoſa tangunt faciem aut manum Amaſiæ, brachium torquent, digitum premunt, pedem pulſant. Idem dicunt aliqui de tactu mamillarum: quod concesſerim humanæ fragilitati, ſi fiat valdè obiter, & quidem in parte ſuperiori, aliàs non, propter periculum; quia etſi ſtatim ex joco, aut levitate fiat, non rarò tamen libidinem excaleſcere, miſeriæ humanæ probant.

Cæterùm, etſi præfata tantùm venialia eſſe poſſint; non eſt tamen illis facilè indulgendum, etiam ſub prætextu amicitiæ fovendæ, aut amoris honeſti: tela enim inimici ignita ſunt, & hoſtis ille inviſibilis etiam in die pleno honeſtatis ſagittis venenatis corda pungere novit.

Prob. ſecunda pars; nam etſi tactus illi procederent abſque affectu libidinoſo; quia tamen fiunt in partibus libidinoſis, ſeu libidinem quaſi naturaliter (ubi deeſt juſta neceſſitas) excitantibus, & ad Pollutionem proximè diſponentibus, ſunt mortiferi.

Dixi: In concl. *Ordinariè*; quia poteſt jocus aut levitas perſonas ejuſdem ſexus impuberes, omniſque veneris expertes à mortali excuſare; non autem puberes, ubi tactus eſt deliberatus, idque propter turpitudinem, & veneris periculum. Ex dictis

Reſol. 1. Etiam peccati mortalis eſſe reum, qui tangit perſonæ alterius ſexus partes pudendis vicinas, idque propter periculum.

Reſol. 2. Eum, qui ex ſola levitate, aut joco tangit obiter alterius pudenda ſuprà veſtes, non ſuper induſium, poſſe à peccato gravi excuſari; quia non videtur tantùm periculum, licèt & hoc ſit ſeriò vitandum, præſertim perſonis alterius ſexus.

Reſol. 3 Ancillas, aut nutrices, quæ infantes veſtiendo, lavando, aut alterius debitæ ſervitutis officium exercendo, ipſos quandoque in ſecretioribus attingunt, peccare graviter, ſi intermiſceatur animus libidinoſus; leviter, propter ætatem infantilem, ſi ſola ſit curioſitas; non peccare, ſi ſola interveniat neceſſitas.

Reſol. 4. Fœminam permittentem ſe tangi impudicè, non tantùm peccare ratione cooperationis alterius peccato, ſed etiam ratione tactus paſſivi, licèt abeſſet affectus libidinoſus; quia non minus ad libidinem excitat tactus paſſivus, quàm activus.

CONCLUSIO II.

TAngentem ſeipſum in verendis præcisè ex joco, aut curioſitate, excuſant Doctores ſatis communiter à peccato mortali. Quorum ratio eſt, quòd tactus in corpore proprio non ita excitet ad libidinem, ac tactus in corpore alieno: nolim tamen hoc univerſaliter admittere, ſed tantùm quando obiter exercetur, nec repetitur; quia tactus ille moroſus & repetitus facilè à delectatione jocoſa, aut curioſa declinat ad carnalem & veneream, aut ſaltem illius periculum eſt.

CONCLUSIO III.

QUI tangunt genitalia equorum, jumentorum, aut aliorum pecorum grandiorum ſine vera neceſſitate, peccant mortaliter; imò ſpeciem quandam Beſtiabtatis committunt.

Prob. prima pars; quia talis attactus eſt valdè turpis, adeoque maximè periculoſus. Poſſet tamen jocus, aut curioſitas tactum valdè levem à culpa gravi eximere.

Prob Secunda pars; quia, ut diximus, actus libidinoſus aut libidini expoſitus induit malitiam copulæ, ad quam ex natura ſua ordinatur.

Dixi in concluſione: 1. *Pecorum grandiorum*; quia non ita facilè peccati mortalis condemnarem illos, qui joci, aut curioſitatis ergò feles, aut catulos tangerent, eò quòd tactus illi non videantur ita turpes & libidinis excitativi; quamvis & in hoc moroſitas & repetitio ſit graviter apprehendenda.

Sed quid de eo, qui felem, aut canem uſque ad ſeminis emiſſionem agitaret? non apparet peccaturum graviter, præcisè quia ſemen animalis prodigeret: nam ſicut poſſumus ipſos viventes occidere, ita &, ne iidem naſcantur, impedire; attamen propter periculum delectationis venereæ, reus eſſet peccati mortalis.

Dixi 2. *Sine vera neceſſitate*; quia conjungentes animalia victui humano deſtinata, merè ob propagationem, non ſunt culpandi, ſi ipſamet non commiſceantur.

ARTICULUS III.

Quid dicendum de aſpectu corporum, & laſcivarum Picturarum?

SUppono 1. Aſpectus, ſicut & Tactus eſſe ex natura ſua indifferentes, adeoque nullam habere malitiam, niſi illam, quam ipſi communicat malus agentium affectus.

Suppono 2. Omnes Aſpectus libidinoſos, ſive in ſe, ſive in aliis eſſe mortiferos, ut patet ex dictis.

CONCLUSIO I.

VIr aſpiciens fœminam, aut fœmina virum in ſecretioribus, aut iiſdem valdè vicinis abſque juſta neceſſitate, peccat ordinariè mortaliter; ſecus in partibus honeſtis.

Prob. Prima pars; quia ex tali Aſpectu tanquam urgentiſſimo luxuriæ ſtimulo fœdæ libidinis imagines in animos noſtros irrumpunt, motuſque inordinati & libidinoſi ut plurimum in corpore excitantur. Hujus rei veritatem in ſe ſenſit, & deflevit Propheta pœnitens. Accedit quòd talis Aſpectus multùm repugnet honeſtati naturali: undè primi Parentes, licèt conjuges, ſeipſos nudos videre erubuerunt; & ideo, ut nuditatem ſuam cooperirent, fecerunt ſibi perizomata, ut habetur Gen. 3. *Nec dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos; quia impudicus oculus, impudici cordis eſt nuntius.* Auguſt. Epiſt 109. ad Monachas in med.

Prob. Secunda pars; quia cùm Aſpectus ſit ſenſus magis ſpiritualis & elevatus, non movet per ſe ad libidinem: quod à fortiori verum eſt, ubi ſit in partibus honeſtis. Ex dictis

Reſol. 1. Graviter delinquere illos, qui ſub prætextu diſciplinæ mulieres coram ſe nudari jubent, ut aliquando cœcis & carnalibus cœcarum fœminarum ducibus inſufflavit dæmon, teſte S Antonino 2. par. tit. 5. cap 1. §. 7.

Reſol. 2. Ejuſdem delicti reos eſſe, qui aſpiciunt concubitum viri cum fœmina: aſpiciens autem copulam brutorum ex ſola curioſitate, non eſt damnandus peccati mortalis, ſi abſit ulterius periculum. Ratio eſt; quia ſecundus aſpectus non *ita ad* venerem excitat, ſicut primus.

Reſol. 3. Aſpicientem mulieris faciem, manus, brachium, collum, & alias partes honeſtas cum ſola delectatione illius pulchritudinis, *albedinis &c.* tantùm peccare venialiter; & certè ſi tantùm leviter peccet illa tangens, *abſque libidinis periculo*, quidni & eadem aſpiciens, cùm aſpectus longè minus commoveat animum, quàm tactus: cavendus tamen aſpectus moroſus, ne tandem phantaſia apprehendat rem illam non tantùm ut delectabilem viſui, ſed etiam ut delectabilem carni; nam *nequius oculo quid creatum eſt?* Eccle. 31. & ideo ajebat Job c. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut nè cogitarem quidem de virgine.* Unde hoc monitum D. Aug. loc cit. omnibus eſt applicandum: *Oculi veſtri etſi jaciantur in aliquem, figantur in neminem.*

Dixi in 1. parte concluſionis: *Ordinariè*; quia Sylvius cùm quibuſdam aliis tantùm accuſat peccati venialis aſpicientem, ſi ſit adhuc puer, aut ita frigidæ complexionis, ut abſit omne periculum libidinis: quod etiam extendit ad illum, qui *objectum* impudicum ita obiter aſpicit, ut non timeatur delectatio, aut commotio venerea; ſed unuſquiſque conſulat ſemetipſum, ſciatque materiam hanc eſſe lubricam, periculoſam, adulatoriam, & ſæpè mentiri iniquitatem ſibi. Sed quid de eo, qui objectum venereum ex loco remoto conſpicit? eſſe veniale vult Author quidam; ſed *De longè vidit David illam, in qua captus eſt, Mulier longè, libido propè; Alibi erat quod videret, in illo, unde caderet ... numquid tu fortior, quàm David?* inquit Auguſt. enarratione in tit. Pſal. 50.

CONCLUSIO II.

ASpicientes ſeipſos, aut alios ejuſdem ſexus ſtudiosè & morosè in partibus verendis, abſque cauſa, etiam culpam lethalem incurrunt.

Ratio eſt; quia licèt initio tantùm adſit curioſitas, aut quædam organica delectatio; attamen ob moroſitatem ad venerem declinat natura fragilis.

Dixi: *Studiosè & morosè*, quia ſi tantum fiat per tranſennam, ut contingit inter viros in eodem flumine natantes, aut inter fœminas ſe lavantes, tantum erit venialis curioſitas.

Adver-

Digitized by Google

Advertendum tamen, viris & fœminis ſe lavantibus quærenda eſſe loca ita ſecreta, ut ad illos perſonis alterius ſexus non pateat acceſſus, propter evidens ſcandali periculum: unde non video quomodo excuſari poſſunt à mortali, qui de die in plena Civitate ſe nudos exponunt coram mulieribus natandi cauſa. Similes igitur natationes publicas interdicere debent Magiſtratus: imo expediret, ut nunquàm adoleſcentes inter ſe natarent, niſi coopertis ſecretioribus; tot lapſus, tot horribilia non evenirent.

CONCLUSIO III.

GRaviter Deum offendunt, qui picturas, imagines, aut ſtatuas valdè turpes, perſonas grandiores repræſentantes, contemplantur ex affectu ſenſuali.

Ratio ſæpius repetita, eſt periculum delectationis libidinoſæ: nam *dæmon nudæ figuræ aſſidet*, inquit Chryſoſt.

Dixi 1. *Perſonas grandiores repræſentantes*; quia ſicut aſpectus infantis nudi non ita ad libidinem excitat ſicut aſpectus perſonæ grandioris; ità nec à fortiori aſpectus picturæ ejuſdem rationis.

Dixi 2. *Ex affectu ſenſuali*; quia ſi quis illas intuentur præcisè artis induſtriam miraturus, aut edocendus, excuſatur ab aliquibus; ſed non ita facile excuſaverim ego; cùm curioſitas illa ſit omninò vana & inutilis, & aliundè ſimilia pingere, aut efformare, ſit omninò illicitum, & à ſacris Canonibus inhibitum. Et ideò,

Reſol. 1. Præfata efformantes, vendentes, retinentes, reos eſſe, non unius tantùm peccati, ſed tot peccatorum, quot lapſibus exponunt aſpicientes; imò omnium Sacramentorum eſſe incapaces, quamdiu illa non deſtruunt, vel ad honeſtatem reconcinnari non præcipiunt.

Reſol. 2. Teneri Epiſcopos & Paſtores efficere, quantùm ſui muneris eſt, ut illa non tantùm à locis publicis, ſed etiam ab hortis, receſſibus, domibus &c. omninò auferantur, vel certè emendentur: quibus manum præbere debent Magiſtratus, cùm illa bono communi noceant, mores corrumpant, juventutem depravent, & peſtem animis inferant.

ARTICULUS IV.

Quale ſit peccatum turpia loqui, canere, legere, audire, componere, &c.?

CONCLUSIO I.

TUrpia loqui, audire, legere, aliquando eſt peccatum mortale, aliquando veniale, aliquando licitum.

Prob. prima pars; quia ſi quis turpia loquatur, audiat, vel legat cum delectatione ad res narratas, aut ſignificatas, vel cum periculo ejuſdem, certum eſt graviter peccare, cùm ſit apertè libidinoſa voluptas: excuſantur tamen à peccato mortali conjuges, ſi inter ſe, & non coram aliis loquantur de iis rebus, quas abſque culpa gravi exercere poſſunt; modo abſit in utroque Pollutionis periculum.

Prob. ſecunda pars; quia ſi turpia narrentur, audiantur, aut legantur ex joco, aut curioſitate, aut etiam cum delectatione ad ſermonis ſuavitatem, aut verborum artificium, ſecluſo ſcandalo, aut conſenſus venerei periculo, erit ſolùm veniale; quia illa delectatio non eſt libidinoſa, nec niſi remotè ad libidinem diſponit.

Dixi, *Secluſo ſcandalo*; quia ſi adſtantes ſint adoleſcentes, ſpiritu debiles, aut non probatæ virtutis, & aliundè narrata ſint valdè obſcœna, ſimilia proferens peccabit mortaliter, & quidem tot peccatis, quot erunt adſtantes: imò, ſi inter illos adſint maritati, aut Deo Sacrati, tenebitur circumſtantiam illam in Confeſſione exprimere; quia cooperatus eſt ad alterius Sacrilegium, aut adulterium inchoatum, aut ſaltem expoſuit illos tali periculo.

Optandum ſanè, ut Paſtores, Confeſſarii, Concionatores, Patresfamilias, Præceptores, Domini &c. graviſſimum turpiloquii horrorem incuterent, cùm pluſquàm media pars hominum, hujus occaſione, Caſtitatis naufragium patiatur, & in peccata enormia ac conſuetudines vix eradicandas, miſerabiliter labatur.

Dixi etiam, *Et conſenſus venerei periculo*; quia ubi ille adeſt, etiamſi verba non eſſent ita turpia, imò forent honeſta, ſub culpa gravi eſſent omittenda. Et ne facilè ſibi quiſquam aduletur in hac materia, audiat Apoſtolum 1. ad Cor. 15. *Nolite ſeduci; corrumpunt mores bonos colloquia mala* Et D. Baſilium hom. 24. ad Popul. *Pravis aſſueſcere ſermonibus, via quædam eſt ad rem ipſam*. Caveant ergo illi & timeant, qui ſe de rerum laſcivarum metaphoris jactant, æquivocis aſſueſcunt, ferè omnia ad turpes ſenſus detorquent, aut cantilenis impuris occupant & occupantur.

Prob. tertia pars; quia turpia loqui, legere &c. eſt intrinſecè indifferens; & ideò, ſi adſit neceſſitas, aut juſta utilitas, ut contingere poteſt in Theologis, Confeſſariis, Medicis, Chirurgis &c. nullum erit peccatum, imò poterit eſſe meritorium.

CONCLUSIO II.

QUi turpia componunt, puta comœdias, poeſes, cantilenas, aut alios tractatus de rebus obſcœnis ſine juſta neceſſitate, aut utilitate, graviſſimè peccant, etiamſi ſtudendo, aut ſcribendo nullatenùs cogitatis, aut ſcriptis delectentur. Hæc ſententia communis eſt inter DD.

Ratio eſt; quia ſciunt, aut ſcire debent pleroſque legentes chartam illam, aut librum turpem, lapſuros eſſe in libidinem: adeòque tot peccatis fore coram Deo culpabiles, quot perſonis erunt cauſa ruinæ ſpiritualis. Unde meritò Pius IV. Sixtus V. & Clemens VIII. ſanxerunt, ab Epiſcopis eſſe puniendos illos, qui libros laſciva ex profeſſo tractantes retinuerint; imò ipſorum lectionem fidelibus inhibuerunt. Nec mirum; quia talis eſt infœlix hominum propenſio, ut libentiùs occupentur obſcœnis & turpibus, quàm ſanctis & cœleſtibus; faciliùs retineant verſum, aut cantilenam impuram, quàm Symbolum, vel præcepta Divina aut Eccleſiaſtica: undè S. Cæſarius ſerm. 97. *Quàm multi ruſtici*, inquit, *& quàm multæ mulieres ruſticanæ, cantica diabolica, amatoria, & turpia memoriter retinent & ore decantant! ita poſſunt tenere atque parare quæ diabolus docet, & non poſſunt tenere quod Chriſtus oſtendit.*

Advertendum hic 1. non eſſe facilè excuſandos eos, qui componunt libros amatorios, vulgò *Romanzi*; licèt enim turpia verbis expreſſis non referant, ſæpè tamen turpes ingerunt imagines; dùmque amantium colloquia, familiaritates, eventus, litterulas, artes, milleque caſus intricatos oculis exponunt, non rarò in teneris & incautis adoleſcentium & puellarum animis, ſimiles excitant flammas: & ideò omnes illi libri ſunt à familiis verè Chriſtianis ablegandi.

Advertendum 2. valdè etiam periculoſas eſſe caſtitati litteras amatorias, in quibus, ſub ſpecie amoris honeſti, amor impurus latitat, & dum urbanitas apparenter declaratur, nonnunquam intus libido accenditur.

ARTICULUS V.

Quid dicendum de Choreis & Comœdiis?

MAteria ſanè delicata; & ideò à paucis hoc tempore tractata. Nec mirum! ſi enim illas permittimus, variis peccatis indulgemus, ſi autem univerſaliter & indiſcriminatim illas condemnamus, ut faciunt quidam Moderni, accumulatis ad hoc Patrum ſententiis, totam ferè juventutem, imo omnium ferè urbium Magiſtratus condemnamus. Ut tamen hæc materia non relinquatur intacta

Suppono 1. Choreas fieri poſſe inter perſonas ejuſdem ſexus, & tales ſunt Choreæ, quas interdùm puellæ ruſticanæ, abſoluto laboritio, inter ſe agunt ſine ullo turpitudinis geſtu, aut affectu, nulliſque adſcitis maſculis. Idem eſt, ſi fiant inter adoleſcentes à puellarum conſortio ſemotos. Has credo licitas, permittunturque à Superioribus in tragœdiis ad juvenum recreationem & exercitium.

Suppono 2. Choreas inter perſonas diverſi ſexus eſſe illicitas, adeoque à domibus & urbibus ablegandas, ſi adhibeantur geſtus laſcivi, tactus parum pudici &c. quia tales natæ ſunt tùm choreizantes, tùm ſpectatores ad libidinem provocare. Et tales Choreas D. Carol. Borromæus condemnat Tract. *adverſus Choreas*, dùm dicit: *Chorea mundana eſt circulus, cujus centrum eſt diabolus, & cujus circumferentia ſunt Angeli ejus circumſtantes.* Has etiam condemnat, cum in Inſtructione Prædicatorum tit. *de tollendis pravis conſuetudinibus*, ſic loquitur: *Choreas, ſaltationes, ac tripudia, è quibus mortiferæ cupiditates excitantur* (nota) *de ſuggeſtu ſæpè graviter reprehendet, atque inſectabitur.* Unde ſolum de Choreis, quæ inter perſonas diverſi ſexus honeſtè, ſaltem exterius, aguntur, dicendum eſt.

Suppono 3. Comœdias alias eſſe puras, aliàs impuras: Puras voco, quæ actiones indifferentes abſque ullo verborum laſcivorum interventu repræſentant; vel, ſi facta quædam vitioſa exhibeant, ad vitium tamen non inclinant: & tales ſunt, quæ repræſentant dexteritatem alicujus furis, factum alicujus hominis avari &c. impuræ ſunt, quæ vel laſciva exhibent, vel certè ad laſciviam provocant tum agentes, tum ſpectatores. His ſuppoſitis

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO I.

LIcèt Choreæ inter perſonas diverſi ſexus nonnunquam ſint Caſtitati periculoſæ, adeoque animo verè Caſto ſugiendæ; non videntur tamen peccati mortalis culpandæ, ſi adſint conditiones ſequentes. 1. Si abſit Choreizantibus animus libidinoſus, geſtus laſcivus, & periculum delectationis venereæ. 2. Si non fiant in loco ſacro, nec tempore officiorum Divinorum. 3. Si Choreas ducentes, non ſint Clerici aut Regulares; illis enim interdicuntur tum jure communi antiquo, tum novo Tridentini Seſſ. 22. c. 1. *De Reform.* Hanc ſententiam ſic modificatam tenent Cajetanus, Sylveſter, Armilla, Tabienſis, Angelus, Filiutius, Azorius, Loth, Jacobus Marchantius, & alii communiter.

Prob. 1. Quia Choreæ illæ non ſunt per ſe illicitæ, ſed tantùm ex Choreizantium abuſu, aut affectu inordinato: ergo ubi illa abſunt, non ſunt condemnandæ.

Prob. 2. quia SS PP. Choreas reprehendentes, apertiſſimè loquuntur de illis, quæ vel ſunt libidinoſæ, vel (propter circumſtantias geſtus, affectus, aut diſpoſitiones Choreizantium) ad libidinem excitativæ.

Prob. 3. Debent juvenes & puellæ mutuam ſibi benevolentiam conciliare in ordine ad Matrimonium contrahendum; ſed certum eſt minus periculoſum eſſe, ut illam ſibi concilient per Choreas publicas, & in omnium oculis factas, quàm per converſationes ſolitarias, ut experientia & Confeſſio quotidiana teſtatur: ergo.

Confir. 1. Quia in conſortio particulari tota intentio, totus affectus, tota occupatio in unum tendit, ſicque facilè libidinis flamma accenditur; in Chorea autem publica, propter objectorum diverſitatem, corporis agitationem, ad verba cantilenæ advertentiam &c. magis diſſipatur affectus, ſicque rarius excitatur libido.

Confir. 2. Ex ſenſu communi hominum, qui longè minùs tùm pro ſe, tùm pro ſibi ſubditis apprehendunt ex publicis illis lætitiæ ſignis ubique fieri ſolitis, quàm ex colloquio, aut converſatione ſecreta. Propterea abuſus ſunt corrigendi, & ſeriò monendi Choreizantes, ut, ſi adverterint Choreas ſibi eſſe occaſionem peccandi, ab illis abſtineant.

CONCLUSIO II.

LIcèt Comœdiæ puræ tolerari poſſint, non ſunt tamen tolerandæ impuræ, & ideò graviter peccant ipſas repræſentantes, authorizantes, non impedientes, cum poſſint; ſicut & ſpectatores.

Ratio eſt; quia ſunt verè ſchola diaboli, cathedra peſtilentiæ, occaſiones peccatorum, libidinis irritamenta, innocentiæ carnifices, juventutis corruptelæ, ſacratium Veneris &c. Unde D. Chryſoſt. hom. 15. ad Populum Antioch. poſt med. *In theatra rursùm aſcendere ... non videtur multis peccatum eſſe manifeſtum: ſed infinita vitæ mala ſolet inferre. Etenim in Theatris immoratio fornicationem, petulantiam, & omnem incontinentiam peperit*: & hom. 3. de Davide & Saule poſt init. *An non hæc ſunt vitæ ſubverſio, Conjugorum corruptelæ, bella &c.?* infra; *Quapropter rogo vos omnes, ut & ipſi pravas in ſpectaculis commorationes vitetis, & alios ab his retrahatis; quicquid enim illic geritur, non eſt oblectatio, ſed pernicies, ſed pœna, ſed ſupplicium.* Ex quibus

Reſol. 1. Maximam ineſſe tùm Gubernatoribus, tùm Magiſtratibus, tùm Epiſcopis obligationem ad impediendas ſimiles repræſentationes; & ideò Boſſius 2. moralium tit. 20. n. 35. *Si neglexerint Principes*, inquit, *providere nè impura repræſententur, ſciant ſe graviter à Deo puniendos, utpotè quia permiſerint & ſua authoritate conſenſerint infamem & publicam omnium ſcelerum ſcholam haberi*: Et paulò poſt: *remedium tutius eſt, ut Principes hiſtriones non recipiant, ſed ex Regnis expellant.*

Reſol. 2. Comicis & Hiſtrionibus impura, aut ad impuritatem tendentia exhibentibus deneganda eſſe Sacramēta, quamdiu infamem illam artem non dimiſerint. Patet ex Concil. Arelatenſi 1. c. 5. *De Theatricis, & ipſos placuit, quamdiu agunt, à Communione ſeparari.* Item ex Concil. Elibertino Can. 62. *Si Pantomimi credere voluerint, prius artibus ſuis renuncient, & tunc demum ſuſcipiantur, ita ut ulterius ad eas non revertantur: quod ſi facere contra interdictum tentaverint, projiciantur ab Eccleſia.* Quod confirmat Cypr. lib. 1. Epiſtol. Epiſt. 10. ad Eucratium: *Conſulendum me exiſtimaſti ... quid mihi videatur de Hiſtrione quodam, qui apud vos conſtitutus in ejuſdem adhuc artis ſuæ dedecore perſeverat, & Magiſter & Doctor non erudiendorū, ſed perdendorum puerorum, id quod malè didicit, cæteris quoque inſinuat: an talis debeat communicare nobiſcum? Quod puto ego nec Majeſtati Divinæ, nec Evangelicæ diſciplinæ congruere, ut pudor & honor Eccleſiæ tam turpi & infami contagione fœdetur.* Unde Valentinianus, Valens, & Gratianus Imperatores, Eccleſiæ regulas venerati, prohibuerunt Hiſtrionibus, Mimis & Comœdis, etiam in vitæ periculo conſtitutis, Sacramenta miniſtrari, niſi artem ſuam ejurarent.

Objic. Illud D. Thomæ 2. 2. q. 168. art. 3. ad 3. *Officium Hiſtrionum, quod ordinatur ad ſolatium hominibus exhibendum, non eſt ſecundùm ſe illicitum, nec ſunt in ſtatu peccati.*

Reſ. Loqui de Hiſtrionibus latius ſumptis, ſeu de iis, qui exhibent Comœdias puras, quas diximus poſſe tolerari, & ideo immediatè poſt addit: *Dummodo moderatè ludo utantur, ideſt, non utendo aliquibus illicitis verbis, vel factis ad ludum.*

ARTICULUS IV.

Qualiter peccent mulieres utentes fucis, crinibus appoſititiis, veſtitu immoderato, aut pectora nudantes?

SUppono 1. Poſſe mulierem honeſtè ſe ornare, non tantùm ad corporis tegumentum, ſed etiam ad ſtatus decorem, ſeu, ut coram aliis prodeat juxta ſtatus ſui conditionem, cùm hoc ſit rationabile.

Suppono 2. cum D. Thoma 2. 2. q. 169. art. 2. nec peccare Conjugatam ad hoc ſe honeſtè ornantem, ut placeat viro. Et idem eſt de aſpirantibus ad Matrimonium, ſi id faciant, ut placeant amaſio, ut colligitur ex eodem ibidem. Ratio eſt; quia finis ille eſt honeſtus, imò neceſſarius, ut amor conjugalis vel conſervetur, vel obtineatur.

Suppono 3. Ornantem ſe ob finem graviter malum, v. g. ad luxuriam in aliis excitandam, etiam graviter delinquere, ut per ſe patet: unde D. Chryſoſt. Hom. 17. in Matth. *Si qua verò ideo ornatur, & comitur, ut in ſe oculos omnium irritet, etiamſi nullum pulchritudine ſua potuerit vulnerare, dabit tamen extrema ſupplicia; paravit quippè virus, temperavit venenum, porrexit poculum, etiamſi nullus, qui mortem biberet, inventus eſt.*

CONCLUSIO I.

PEccat mulier, quæ ſine cauſa rationabili fucat faciem, etiamſi abſit pravus affectus, nec ſit periculum ſcandali.

Prob. 1. Ex PP. Tertulliano lib. de cultu fœminarum cap. 5. *In* Deum *enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus ungunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinant.* Cypriano lib. de Diſciplina & Habitu Virgin. N. 7. *Manus Deo inferunt, quando id, quod ille formavit, reformare, & transfigurare contendunt.* Et paulò ſuperius admonet omnes omninò Fœminas: *Quod opus Dei & factura ejus & plaſtica adulterari nullo modo debeat, adhibito flavo colore, vel nigro pulvere, vel rubore, vel quolibet denique lineamenta nativa corrumpente medicamine.*

Prob. 2. Ratione; quia non niſi vanitas, ſuperbia, aut oſtentatio poteſt eſſe finis talis decolorationis. *Non ſemper tamen talis fucatio*, inquit D. Thomas ſupra ad 2. *eſt cum peccato mortali, ſed ſolùm quando fit propter laſciviam, vel in Dei contemptum*: in quibus caſibus loquitur Cyprianus ſicut & loquuntur alii Patres, dum culpant mulieres peccati mortalis.

Dixi: *Sine cauſa rationabili*, qualis eſt, juxta D. Thomam, ſi fiat ad occultandam turpitudinem ex aliqua cauſa provenientem, putà, ex ægritudine, ſolis ardore, vel alio hujuſmodi, non autem ad fingendam pulchritudinem à natura denegatam. An autem liceat, ut uxor placeat marito, aut puella nobilis amaſio? Affirmant aliqui, negat S. Doctor, niſi certè id crederet neceſſarium mulier, ad retrahendum ab adulterio maritum.

CONCLUSIO II.

NOn peccat, ſaltem graviter, mulier aut juvenis, qui, ſeclusa prava intentione, aut ſcandalo, utitur capillis appoſititiis ad pulchritudinem & ornatum.

Ratio eſt; quia non apparet in hoc tanta deordinatio. Imò nullam eſſe, ubi adeſt aliqualis neceſſitas, ſatis declarat praxis recepta. Fugienda tamen vana gloria & oſtentatio, ac præſertim animus libidinoſus: unde D. Bernardinus Senenſis tom. 1. Serm. 47. art. 3. initio: *Si quæratur*, inquit, *quid eſt caput ornatum mulieris vanæ? Reſponderi poteſt, quòd tumor ſuperbiæ, Babilonica turris, vexillum diaboli, deriſio Chriſti, luxuriæ ſignum, duplicitas cordis, ſanctificatio criminis, luci-fuga animarum, laquei dæmonum, diabolicum monſtrum, ſedes ſatanæ, & remuneratio paſſionum.*

CONCLUSIO III.

MUlier utens veſtitu inordinato, vel quia contra patriæ morem, vel quia ſupra ſtatus conditionem, vel quia propter delicias, peccat, ſaltem venialiter. Ita tenent communiter Doctores cum D. Thoma ſupra.

Prob.

Digitized by Google

Prob. prima pars; quia, ut ait Auguſt. lib. 3. Confeſ. c. 8. *Turpis omnis pars eſt ſuo univerſo non congruens*: quandoquidem maculetur vitio ſingularitatis: & ideo peccant tum excogitantes, tum conficientes, tum ferentes novas veſtimentorum formas, quæ ſapiunt vanitatem, aut nimiam curioſitatem.

Prob. ſecunda Pars; quia quæ utuntur veſtimentis pretioſioribus, quàm ferat earum ſtatus, ac conditio, abutuntur facultatibus ſibi à Deo conceſſis, convincunturque vanitatis & ſuperbiæ: & utinam, propter inanem veſtium pompam, non teneantur mercatores aut creditores fraudare! modeſtiam in habitu inculcat mulieribus Apoſt. 1. ad Timoth. 2. ubi ait: *Mulieres in habitu ornato cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe, & non intortis crinibus, aut auro, aut Margaritis, vel veſte pretioſa.*

Prob. tertia pars; quia veſtimenta ordinavit natura ad corporis indumentum & honeſtam converſationem, non autem ad delicias.

Dixi: *Peccat ſaltem venialiter*; quia ſi talis eſſet veſtimentorum forma, ut nata foret accendere libidinem, peccaret mortaliter, & quidem tot peccatis, quot alios exponeret. Idem dic cum proportione de habitu virorum, ac de habitu mulierum.

CONCLUSIO IV.

PEccant graviter mulieres pectora nudantes, aut illa linteo adeo tenui & pellucido cooperientes, ut ſint perſpicua maſculis. Nec ipſas excuſare poteſt conſuetudo; quia, ut ait Angelus, non eſt conſuetudo, ſed corruptela & abuſus.

Prob. 1. Ex PP. Clem. Alexand. lib. 3. pædagog. cap. 2. ubi ait: *Nullo modo permittendum eſt mulieribus, ut nudam aliquam corporis partem offerant viris, ne ambo prolabantur*. Tertul. lib. de Virgin. veland. cap. 17. *Judicabunt vos*, inquit, *Arabiæ fœminæ ethnicæ, quæ non caput, ſed faciem quoque ita totam tegunt, ut, uno oculo liberato, contentæ ſint dimidiam frui lucem.*

Prob. 2. Ex innumeris ſtatutis Synodalibus, quæ fœminas cum ſcandalo nudatas, abſolutione Sacramentali & ſacra Communione donari prohibent.

Prob. 3. Quia vix fieri poteſt, moraliter loquendo, ut mulier nudata non ſit uni, aut alteri in laqueum; cum etiam cooperta nonnunquam maſculis ſit cauſa ſcandali. Hunc articulum concludo cum hac Tertulliani obteſtatione ad mulieres: *Oro te*, inquit ſupra, cap. 16. *Sivè mater, ſivè ſoror, ſive filia virgo, vela caput* .... tege pectus & collum, *Si materes, propter filios; ſi ſoror, propter fratres, ſi filia, propter patres: omnes in te ætates periclitantur, indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum ſexui tuo ſtrue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.*

QUÆSTIO X.

An detur parvitas materiæ in re venerea?

MAteria communiſſimè obvia, à multis tracta, à paucis comprehenſa, & a nemine forſitan ſufficienter diſtincta, inquit author quidam modernus, qui tamen ipſemet rem adhuc ſatis intricatam reliquit. Ante reſolutionem

Suppono 1. Patres Societatis, qui unanimiter poſt Decretum R. P. Claudii Aquavivæ Præpoſiti Generalis rejiciunt in re venerea materiæ parvitatem, etiam unanimiter materiæ parvitatem admittere in oſculis, aſpectibus, tactibus, & aliis hujuſmodi factis ex vanitate, joco, levitate, curioſitate in partibus corporis honeſtioribus, ut admiſimus & nos ſuperius; & ideò neceſſario facienda eſt diſtinctio inter hanc materiam, & materiam veneream.

Suppono 2. Diſtinctionem hic neceſſariam non ſatis congruè poni per *materiam luxuriæ & materiam veneream*, ut voluerunt aliqui; quandoquidem ſenſus hominum communis illa duo confundat tanquam ſynonima. Et ideò

Suppono 3. Congruentiùs ſtabiliri per *materiam ſenſualitatis & materiam veneream*. Materiam ſenſualitatis voco omnem actionem illam, quæ fit in hac materia ex curioſitate, joco, levitate, aut etiam propter delectationem merè organicam, ſeu proportionem inter ſenſum & ſenſibile, ſecluſo delectationis venereæ periculo. Per materiam autem veneream, ſeu libidinoſam, intelligo culpam de ſe, vel ex communi ſenſu tendentem ad generationem, ut coitum, pollutionem, commotionem ſpirituum generationi ſubſervientium, oſculum, tactum, aſpectum, turpiloquium &c. ex animo libidinoſo, aut cum periculo libidinis.

Suppono 4. Aliquas ex cauſis (quas remotè tantum per accidens ad pollutionem, aut gravem carnis commotionem concurrere antea diximus) per ſe & proximè concurrere ad levem commotionem. Ratio eſt; quia etſi non habeant de ſe ſufficientem vim ad commovendam graviter naturam, habent tamen ad commovendam leviter, ſicque levis commotionis ſunt, propriè loquendo, cauſæ per ſe & proximè; & tales puto aſpectum mulieris in facie fixum & moroſum, tactum levem & momentaneum mammillarum, compreſſionem manus puellæ, & ſimilia ex joco, aut levitate facta. His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

DAtur materiæ parvitas, ſeu dantur certæ actiones, quæ non ſunt mortales in materia ſenſualitatis. Eſt communiſſima. Patet evidenter ex dictis ſupra, ubi oſtendimus dari oſcula, tactus, aſpectus, turpiloquia &c. tantùm venialia.

CONCLUSIO II.

NOn datur parvitas materiæ in re venerea in ſe volita. Eſt communior & ſecurior.

Prob. 1. Vel enim voluntas fertur in objectum venereum grave, ut eſt copula, pollutio, notabilis commotio carnis &c. vel in objectum leve ſaltem phyſicè, ut eſt levis genitalium commotio, ſed in utrumlibet feratur, peccat mortaliter: ergo. Minor quoad primam partem certa eſt; quandoquidem apud omnes conſenſus in objectum malum ſit etiam mortalis.

Prob. quoad ſecundam partem, in qua conſiſtit tota difficultas; quia, cum hæc materia ſit valde lubrica, plenaque periculi ob vehementem naturæ corruptæ inclinationem, vix aut ne vix fieri poteſt, ut homo ſiſtat in certa delectatione, quin ulterius progrediatur, aut certè ulterius progrediendi manifeſto exponatur periculo, nam ſæpè accidit, ut qui pedes ſuper glaciem lubricam ponunt; ulterius ferantur, quàm initio cogitaverint.

Confirm. 1. Juxta plurimos, homo tangens manum puellæ ob delectationem ſenſibilem, peccat mortaliter, quia facilè à delectatione ſenſibili ad veneream deſcenditur; ſed infinitè facilius, ut ita loquar a parva delectatione venerea, ad majorem ejuſdem rationis declinat natura fragilis, quandoquidem conſenſus in parvam carnis commotionem de ſe generet graviorem: ergo.

Confirm. 2. Propoſitio dicens tantum eſſe veniale oſculum datum ob delectationem carnalem ſine periculo ulterioris conſenſus, damnata eſt; quia, juxta illius Interpretes, ſupponit ordinariè ſalſum, nempè poſſe eſſe delectationem carnalem ſeu veneream ſine periculo ulteriori.

Objic. 1. Talis eſt delectatio, quale eſt objectum in quod fertur; ſed objectum hic eſt leve, nempe levis commotio: ergo:

R. Diſt. Mi. Talis eſt delectatio &c. quando ſumit totam ſuam malitiam ab objecto, C. quando ſumit inſuper malitiam ab alio, ut hic à periculo ulterius progrediendi, N.

Objic. 2. In aliis peccatis in ſe volitis, puta ebrietate, furto &c. datur materiæ parvitas: ergo hic.

R. N. Conſeq. Diſp. eſt, quod in aliis peccatis periculum ulterius, ſi quod ſit ordinariè tantum ſit remotum, ut experientia patet; hic autem ſit proximum, propter materiæ lubricitatem & maximam naturæ corruptæ inclinationem.

CONCLUSIO III.

DAtur materiæ parvitas in re venerea, quæ tantùm volita eſt in cauſa, id eſt, ſi quis, abſque conſenſus periculo ponat actionem, ex qua ordinariè tantum ſequitur levis ſpirituum generationi ſubſervientium commotio, tantùm peccat venialiter, ſi aliunde actio, ex qua ſequuntur motus, non ſit graviter mala. Hanc admittunt ferè omnes quoad rem, licet videantur illam rejicere plurimi per ſuas probationes: & quidem Patres Societatis admittunt nobiſcum allegata in ſuppoſito 4. tantùm eſſe venialia, licèt ex illis ſequatur per ſe levis commotio; ſed quomodo poteſt ſtare illa aſſertio cum hac probatione, qua utuntur ad oſtendendum non dari parvitatem in materia venerea; *quia* nempè *omnis delectatio venerea, etiam modica, eſt quædam pollutionis inchoatio*; nam, cum talis delectatio non ſit inchoatio pollutionis, niſi propter carnis commotionem & alterationem; hanc autem alterationem velit ille, qui ponit cauſam ex qua per ſe ſequitur levis commotio, dicendum eſt ponentem illam cauſam, id eſt, oſcula vel aſpectus ex joco, &c. peccare mortaliter; quod tamen ipſi rejiciunt: unde relicta probatione illa, quam poſtea refutabimus

Prob. aliter; Ideò in re venerea in ſe volita non datur materiæ parvitas; quia quando quis in leves motus actualiter conſentit, exponit ſe periculo ulteriori, ſed quando quis vult tantum in cauſa leves motus, non exponit ſe tali periculo, cum ſupponatur abeſſe periculum conſenſus in ipſos motus advenientes: ergo.

Con-

Digitized by Google

Confir. 1. Quia levis genitalium commotio (ſecluſo periculo conſenſus) tantùm remotè diſponit ad copulam; ſed diſpoſitio tantùm remota ad peccatum mortale, non eſt pluſquàm venialis: ergo. Prob. Min. Ex aliis peccatis: hauſtus immoderatus diſponit ad ebrietatem, litigium aut rixa ad homicidium, quæ ſunt mortalia; & tamen quia tantùm remotè ad illa diſponunt, ordinariè non ſunt niſi venialia.

Confir. 2. Quia nulla videtur ratio, cur in materia hominibus tam familiari, tàm ordinaria, non detur materiæ parvitas, ſecluſo periculo ulteriori, ut in caſu concluſionis, & tamen detur in aliis hominem concernentibus.

Dices: Omnis motus carnis, etiam leviſſimus, eſt inchoatio pollutionis; cùm ſemper decidat è lumbis ad partes obſcœnas aliquid ſeminis, ut teſtatur Galenus cum aliis Medicis, ergo volens in cauſa motum illum, vult peccatum mortale.

Reſ. Neg. Maj. Quia licèt in motu levi decideret aliquid ſeminis, non tamen debet dici pollutio inchoata, nam ſicut unus hauſtus immoderatus non dicitur inchoata ebrietas, aut rixa, inchoatum homicidium, ſed tantum diſpoſitio remota ad illa, ita & commotio levis: unde ut commotio dicatur inchoata pollutio debet eſſe notabilis, ſeu talis, ut adſit pollutionis periculum in homine ſano: tuncenim ſemen deciſum è lumbis eſt phyſicè vel moraliter in via ad pollutionem: quod non accidit in motu levi, tantum in cauſa volito, cùm ex illo nec pollutio, nec pollutionis periculum ſequatur.

QUÆSTIO XI.

Qualiter ſe gerere debeat homo circa motus in parte inferiori natu aliter exortos?

VOlunt aliqui ſufficere, ſi homo habeat ſe negativè, vel permiſſivè, illos nec approbando, nec reprobando, ſed diſtinctione opus eſt.

CONCLUSIO I.

NOn eſt obligatio, ſaltem ſub mortali, reſiſtendi poſitivè motibus carnis naturaliter obortis, propter ipſos motus, ſed tantùm propter conſenſus periculum. Ita D. Bonav. Sylveſter, Cajetanus, Angelus, Sylvius & alii.

Ratio eſt, quòd motus illi ſint naturales, & naturaliter exorti, adeoque nullo modo in ſe peccata. Quod confirmare videtur Aug. lib. 1. de Civ. c. 25 ubi ſic habet: *Quanto magis abſque culpa eſt (illa concupiſcentialis inobedientia) in corpore non conſentientis, ſi abſque culpa eſt in corpore dormientis.*

Dices 1. Voluntas tanquàm potentiarum Regina tenetur frænare potentias rationi repugnantes, juxta illud Gen. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*: ergo.

Reſ. Diſt. Ant. Tenetur frænare, quando ex pugna imminet periculum ruinæ, C. aliàs, N. nec plus vult paſſus allegatus.

Dices 2. Eo ipſo, quo ratio motum advertit, & voluntas non reſiſtit, cenſetur interpretativè conſentire: ergo &c.

Reſ. Neg. Ant. Quia conſenſus interpretativus omninò præſupponit obligationem ad reſiſtendum, & in ea fundatur, adeoque niſi conſtet de obligatione reſiſtendi, eſt manifeſta petitio principii; undè ut voluntas dicatur culpabilis interpretativè, tria requiruntur, ſcilicet quòd poſſit agere, teneatur agere, & non agat.

Dices 3. Quando motus illi oriuntur culpabiliter, tenemur illos reprimere: ergo & quando oriuntur naturaliter.

Reſ. Neg. Conſeq. Diſp. eſt quòd primi ſint peccata, quia voluntarii, non ſic ſecundi.

Dices 4. Præceptum: *Non concupiſces*, non tantùm prohibet voluntatis conſenſum, ſed etiam paſſionem inordinatam: ergo.

Reſ. Diſt. Ant. Prohibet paſſionem inordinatam liberam, C. naturalem ſeu neceſſariam, quales ſunt motus, de quibus agimus, N. quia, cùm omnis lex ſit regula actuum humanorum, non poteſt niſi actus liberos præcipere, aut prohibere.

CONCLUSIO II.

QUoties ex perſeverantia motus carnalis imminet conſenſus periculum, debet voluntas ſub peccato gravi reſiſtere. Eſt communis & certa.

Ratio eſt; quia non tantum tenemur abſtinere à conſenſu in objectum pravum, ſed etiam à periculo conſentiendi, juxtà illud Eccl. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Imo tunc adeſt conſenſus interpretativus: nam, cùm non tantum poſſit, ſed etiam teneatur motum reprimere, ob periculum conſenſus imminentis, ſi non faciat quod in ſe eſt, ut appetitum reprimat, præſumitur conſentire.

Quandonam autem ex permiſſione motus inordinati immineat conſenſus periculum? Vix poteſt determinari & ideò unuſquiſque ſeipſum judicet, ſuamque complexionem, diſpoſitionem, paſſionem, & experientiam ſerio & ſine præventione examinet: nec facile ſibi aduletur, præſertim cum tanta ſit voluntatis cum appetitu ſenſitivo ſympathia.

Porrò ubi adeſt grave periculum conſenſus, non ſufficit, ut homo dicatur efficaciter reſiſtere, ſi aliis rebus ſe occupet, v. g. ſtudio, labori, lectioni &c. ſed debet habere diſplicentiam circa motum, aut volitionem non conſentiendi. Cujus ratio eſt, quòd in actione diſparata nihil ſit, quod ita voluntatem à motibus carnalibus retrahat, ejuſque conſenſum cohibeat, maximè cum venerei motus inſenſibiliter & quaſi proditoriè à qualibet occupatione in ſui delectationem hominem alliciant, diſplicentia autem, licèt ſit inefficax ad motuum carnalium repreſſionem, poteſt tamen eſſe efficax ad impediendum voluntatis conſenſum.

CONCLUSIO III.

HOmo probus, qui nunquàm, aut rarò admodum conſentit in aliquid notabile, nec putat ſe hic & nunc ab iſtis motibus eſſe vincendum, eò quòd ſint ipſi faſtidio, non peccat graviter, ſi permiſſivè ſe habeat, modo tamen illos quaſi negligendo & ſpernendo, alteri rei ſeſe occupet.

Ratio eſt, quia talis hominis diſpoſitio, & aliundè occupatio videntur efficaciter periculum præcavere. Quia tamen eſt materia valde lubrica, ſaluberrimum pro omnibus conſilium erit, inquit Author quidam modernus, ut ubi primum adverterint ſurgentem in appetitu motum inordinatum, incunctanter illum avertere omnimodè curent ſivè firmos in virtute, ſivè infirmos ſe agnoſcant, infirmi quidem, propter conſenſus periculum, firmiores autem, quia ſtatus perfectæ virtutis id expoſcit.

QUÆSTIO XII.

Qualiter ſint examinandi pœnitentes in materia luxuriæ?

MUlta hic prudentia & diſcretione Confeſſariis opus eſt, cùm ut tanquàm obſtetrices tortuoſum colubrum educant, id eſt, peccatum abſconditum, & nonnunquàm præ pudore in conſcientiæ latebris reconditum detegant, tum, & maximè, ne caſtas aures offendant, doceantque ſuos pœnitentes materias, quas utiliùs & ſalubriùs ignorarent. Ut autem cum ordine procedamus. 1. Inſtituemus examen maſculorum ſeparatim. 2. Puellarum. 3. Maſculorum & puellarum ſimul converſantium: de Conjugatis ſufficienter anteà diximus.

CONCLUSIO I.

UBi ex Confeſſione adoleſcentis cauſam habet Confeſſarius dubitandi, aut ſuſpicandi de peccatis carnalibus, ſic eum poterit examinare. An decumbat ſolus, an cum ſocio? ſi ſolus an in lecto ante, vel poſt ſomnum non cogitaverit de puellis? ubi tunc manum haberet; an ſupra pectus, vel inferius? An ex tactu nihil effluxerit? Si cum ſocio: an non fuerint turpia locuti? An ſocius non tetigerit corpus ipſius? In qua parte: An ipſe viciſſim ſocium non attigerit: An fuerit ſecuta pollutio In qua parte corporis ſemen ceciderit, & ſic paulatim, & quandoque etiam Sodomitica reperiet. Interrogari etiam poterit: an non fuerit cùm ſociis in flumine, natandi, aut natantes reſpiciendi cauſa, & tunc ſenſim ſine ſenſu de cogitationibus & deſideriis, ad aſpectus, tactus, turpiloquia &c. deſcendere, cautè tamen, ita ut nunquàm ulterius procedat, niſi opus fuerit.

CONCLUSIO II.

PUellam ordinariè verecundiorem interrogare debet; an diligat maſculos? An aliquando cogitet de illis? An libenter Matrimonium iniret? An non ſibi repræſentet quæ in Matrimonio aguntur? An illa deſideret? in quibus illo tempore occupentur manus? Quòd ſi in partibus ſecretioribus, interrogari debet, an non ſe compreſſerit? An alicujus humoris quaſi liquefactionem cum pruritu & delectatione non fuerit experta, etiamſi exteriùs nihil defluxerit. Deinde ſi ſocias in lecto aut alibi habuerit: an non fuerint turpiter locutæ, & ſic deinceps, ſicut dictum eſt de maſculis. Non ſit tamen præceps Confeſſarius, inquit Ludovicus Bail, nec omnes indifferenter ita urgeat, ne fortè dedocendo peccatum, illud edoceat. Ulteriùs examinanda eſt, an non, ut in ſui concupiſcentiam adoleſcentes alliceret, ſuperfluè ſe ornaverit, faciem fucaverit, alteraverit capillos, pectora, brachia &c. nudaverit, prodierit in publicum, certas Eccleſias frequentaverit, in feneſtra aut porta ſe conſpiciendam expoſuerit, cantaverit, oculis adblandierit &c. ex quibus aliqua etiam in maſculis examinandis prodeſſe poterunt: illa enim omnia ſunt retia, quibus animæ incautæ facilè capiuntur.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO III.

SI juvenis, aut puella jam alterius ſexus converſationem admiſerit, poterit ſic prudenter, ubi opus fuerit, examinari. Ac 1. puella: an non fuerit turpia locutus ille, quocum ſub ſpe Matrimonii, aut ex alio motivo converſatur? an illa libenter audierit? an non munera, aut litterulas amatorias receperit? quo animo illas legerit? an non reſcripſerit, quid & quo affectu? an permiſerit oſcula? qualia, an moroſa, columbina &c. an non admiſerit compreſſionem pedis, tactus manuum, faciei, mamillarum, pudendorum ſupra veſtes, amplexus moroſos, & ſic paulatim? An ipſa amaſium tetigerit? ſeſe invicem, & quid tunc cogitaret, quid optaret &c. & ſic deinceps nonnunquam ad copulam uſque. An non ex apprehenſione prolis ſecuturæ ſe retraxerit, ſemen expulerit, venam ſibi aperiri fecerit, fructui nocuerit &c. Item interrogare debet, cautè tamen, an ante, aut poſt copulam quædam Sodomitica non fuerint intermixta? 2. Interrogari debet juvenis, an ſub ſpe Matrimonii puellam videat? aliàs acceſſus interdicendus. Deinde interrogari debet cum proportione ad ea quæ diximus de puella.

Præterea, tam pro maſculo, quàm pro puella ſcire debet Confeſſarius, an ſimul habitent? an ſint in occaſione proxima? an brevi Matrimonium ſit contrahendum &c.? nec obliviſci, horum omnium numerum & conſuetudinem inquirere. Non ſit tamen curioſus pro inveſtigandis certis circumſtantiis, quæ nihil, aut non niſi leviter ad peccatorum variationem, aut gravitatem conferunt, præſtat enim aliquando Miniſtrum non ita perfectè peccatum pœnitentis noſſe, quàm illi vel ſibi ſcandalum eſſe.

Turpia ſunt, quæ de hoc præcepto ſcripſimus: ſed quoniam Confeſſariis incumbit turpium hominum actiones turpes cognoſcere, meliùs fuit hæc turpia non turpiter dicta, nec turpi animo ſuſcipienda tyronibus exponere, quàm ipſos cum ſui & pœnitentium detrimento in ignorantia relinquere. Speramus etenim, flante Dei gratia, quòd ſicut radius Solis cloacas & loca ſordidiſſima penetrat ſine ſui & aliorum contaminatione, ità quòd hæc Confeſſariorum cum zelo proximorum ſaluti incumbentium ſint animos ſubitura, ut intacta intactos ſint relictura. Interim ò Cenſor importune, ſi tibi hic ſermo ſordeſcere viſus eſt, tibi adſcribe: tui enim cauſa factus eſt.

Porrò remedia contra luxuriam ſunt ſequentia.

1. Animo recolere nos ad Civitatem illam mundiſſimam eſſe deſtinatos, in qua Deus Virgo, Virgo Chriſtus & Filius Virginis, Angeli Virgines, Virgines maſculi, Virgines & puellæ plurimæ: in quam nihil introibit coinquinatum, cùm in ejus ſuperliminaribus ſcriptum ſit: *Foris Canes & Impudici*: mutate ergo, ò Chriſtiani, mutate conſilium, mutate vias veſtras & amores veſtros ſpurciſſimos.

2. Cùm luxuria ſit quædam olla flammis concupiſcentiæ accenſa, aquis mortificationis temperanda eſt: Mortificate igitur membra veſtra quæ ſunt ſuper terram. Offerte corpora veſtra in hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, per jejunium, caſtigationem, lautorum & mollium abſtinentiam, pœnarum inferni meditationem &c.

3. Fugite otium, fugite lectum extra ſomni neceſſitatem, fugite occaſionem, fugite impudicos: *fugite fornicationem*, inquit Apoſtolus, 1. ad Cor. 6. quoniam ſi in aliis vincimus pugnando, hic vincimus fugiendo.

4. Denique frequenter ad orationem, tanquam ad fortiſſimum præſidium, recurrite, vos humiliando, Dei gratiam implorando, Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ frequentando.

DISPUTATIO VII.

De ſeptimo Decalogi Præcepto.

UT ſuum erga nos amorem teſtaretur Deus, non tantùm per Præcepta expreſſa, vitæ noſtræ, corpori, & honori conſulit; ſed etiam fortunæ bonis, prohibens illa injuſtè auferri, detineri, violari, deteriorari &c. & ideo verba hæc ad omnes homines dirigit, Exodi 20. *Non furtum facies*, quaſi oſtendere vellet, bona noſtra poſita eſſe ſub ejus cuſtodia & tutela. Circa hoc Præceptum nonnulla veniunt quæſtionibus ſequentibus diſcutienda.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Furtum, quotuplex, & quale peccatum?

CONCLUSIO I.

FUrtum eſt occulta rei alienæ ablatio, detentio, aut deterioratio, invito rationabiliter Domino.

Dicitur 1. *Occulta*, ut diſtinguatur à Rapina, quæ manifeſtè & violenter exercetur &c.

Dicitur 2. R*ei alienæ*, ideſt, quæ alterius eſt vel dominio, vel uſufructuum, vel uſu juris, vel conceſſione ſimplicis uſus facti, vel quocunque alio titulo; & ideo reus eſt Furti. 1. Qui auſert ab altero rem, putà equum, navim &c. quam ipſi ad aliquod tempus conduxerat; quia etſi locator, illius ſit Dominus, locatarius tamen tanquam uſuarius injuriam patitur. 2. Qui libros v. g. à FF. Minoribus ſurripit, etſi reſpectu illorum ſolùm habeant uſum facti. 3. Qui tollit rem ſuam datam in pignus; quia pro tempore oppignorationis reputatur alterius; *Siquidem nihil prohibet id, quod eſt ſimpliciter unius*, inquit D. Th. 2. 2. q. 66 art. 3. ad 3. *ſecundùm quid eſſe alterius*.

Dicitur 3. *Ablatio*, per quam intelligitur non ſolùm illa, quæ fit animo rem ablatam detinendi, ſed etiam illa, quæ fit cum voluntate ablatum reſtituendi, ſi credatur invitus rationabiliter Dominus: crediderim tamen in hac ablatione longè plus requiri ad Furtum mortale, quàm in alia; cùm multò minorem injuriam patiatur Dominus.

Dicitur 4. *Detentio*; quia detinere id, quod alterius eſt, non minoris eſt ipſi detrimenti, ac ſi de facto ſurriperetur: unde fures ſunt, qui inſcio Domino, commodatum ſibi appropriant, debita reticent &c.

Dicitur 5. *Deterioratio*; quia prohibetur per furtum quælibet actio injurioſa, qua proximo in fortunæ bonis nocumentum infertur. Hinc Furtum committunt qui domos incendunt, ſegetes vaſtant, fructos impediunt &c. licèt inde nullum emolumentum referant. Item qui equos elocatos non debitè nutriunt, qui domos conductas ex malitia, aut incuria debilitant, aut ex parte deſtruunt, qui animalia, aut alia ſuæ cuſtodiæ mandata notabiliter negligunt &c.

Dicitur 6. *Invito Domino*; quia ſi conſentiat Dominus, aut bona fide, omnibus attentis, credatur conſenſurus, ſi adeſſet, & aliunde res moram non patiatur, Furtum non committitur. Non eſt præſumendum tamen de conſenſu Domini, ubi facilè conveniri poteſt. Invitus autem cenſetur Dominus; non tantùm quando actualiter repugnat (aliàs nunquam eſſet invitus in Furto, cùm ſemper fiat occultè & ipſo inſcio) ſed etiam dum creditur taliter conſtitutus, ut, ſi rem ſuam auferri noviſſet, illius ablationi ſeſe opponeret.

Dicitur denique, *Rationabiliter invito*; quia ubi in rei ſuæ acceptionem conſentire tenetur, ſi ſe opponat, irrationabiliter dicitur invitus. Et ideo non eſt fur, qui ab homine ſeipſum, aut alterum parato occidere arripit gladium. Sicut nec fœmina, quæ contradicente marito, clam pecunias accipit ut faciat eleemoſynas ſuo ſtatui proportionatas, vel etiam ne maritus prodigus illas in ludis & commeſſationibus profundat. Item nec ille, qui alterius vinum effundit, ne inebrietur, aut chartas comburit, ne Dei nomen blaſphemetur. Similiter nec fures fuerunt Iſraelitæ Ægyptiorum bona auferentes, cùm id fecerint ex ſuprema Dei authoritate, cui nullus rationabiliter reſiſtere poteſt.

CONCLUSIO II.

QUinque aſſignantur ordinariè Furti ſpecies, nempe furtum ſimplex, Plagiatus, Peculatus, Sacrilegium, & Abigeatus. *Furtum ſimplex* eſt, quo bonum privatum ab homine privato ſurripitur. *Plagiatus* ſeu *Plagium*, eſt injuſta hominis abductio in ſervitutem, ſive interim homo ille ſit liber, ſive ſervus alienus. *Peculatus* eſt, quo quis Communitatis bona publica in ſuos uſus privatos convertit: illius Rei ſunt, qui juſta vectigalia & tributa fraudant, qui ex actionibus iniquis populum opprimunt, qui Reipublicæ onera inæqualiter diſtribuunt &c. *Sacrilegium* eſt, quo ſacrum de ſacro, vel ſacrum de non ſacro, vel non ſacrum de ſacro furtim ſurripitur. De hoc fuſiùs in 1. præcepto *Abigeatus* eſt fraudulenta ovium, boum, equorum, & aliorum id genus pecorum ex paſcuis, aut armentis, ſubſtractio. Dico: *ex paſcuis aut armentis: nam ſi quis oves aberrantes, vel equos in ſolitudine relictos abduxerit, non eſt Abigeus, ſed fur potius*: l. 1. §. 1. ff. *de Abigeis* l. 47. tit. 14.

Addunt aliqui ſextam Furti ſpeciem, nempe Rapinam; ſed cùm Furtum, & Rapina ſint eſſentialiter diſtincta, juxta ſententiam communiorem, non benè hæc illius ſpecies conſtituitur.

Digitized by Google

Ratio autem diſtinctionis ſpecificæ inter illa, petitur ex eo, quòd per Furtum tantùm fiat nocumentum proximo fraudulenter; per Rapinam verò, violenter: unde Rapina *non ſolum* infert *damnum in rebus, ſed etiam vergit in quandam perſonæ ignominiam*, ut ait S. Thom. ſuprà art. 9.

Sic definiri poteſt Rapina: manifeſta rei alienæ per violentiam ablatio, detentio, aut deterioratio, & ideo committitur per quamcunque acti nem violenter alterius oppreſſivam in bonis fortunæ. Eſt autem violentia duplex, una abſoluta, quæ fit domino totaliter repugnante, altera ſecundum quid, cùm per vim aut metum conſentit: & hæc ſufficit ad Rapinam. Unde Raptores ſunt. 1. Viatorum ſpoliatores. 2. Domini qui famulorum, ancillarum, operariorum &c. mercedem retinent, aut contra eorum voluntatem in longum protrahunt. 3. Judices, qui venalem habent Juſtitiam, pauperum cauſas avertunt, lites ſine ratione producunt &c. 4. Illi qui cedunt foro, cùm ſint ſolvendo 5. Qui debita negant, qui ita ſunt in ſolvendo moroſi, ut creditoribus damnum notabile inferant, aut qui non ſolvunt, niſi per Judicis ſententiam coacti. 6. Qui per monopolium frumenta, aut alia carius diſtrahunt &c.

CONCLUSIO III.

FUrtum & Rapina ſunt mortalia ex genere ſuo. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex Script. Zachariæ 5. *Hæc eſt maledictio quæ egredietur ſuper faciem omnis terræ; quia omnis fur . . . judicabitur.* Habacuc. 2 *Væ ei qui multiplicat non ſua*; & 1. Corinth. 6. *Neque fures . . . regnum Dei poſſidebunt.*

Prob. 2 Quia Furtum graviter opponitur huic præcepto univerſali omnibus noto: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: unde Auguſt. lib. 2. Conf c 4. *Furtum certe punit lex tua, Domine, & lex ſcripta in cordibus hominum.*

Prob. 3. Quia Furtum adverſatur Charitati, Juſtitiæ, & bono communi: *Charitati* quidem, qua tenemur proximum tum in ſe, tum in ſuis diligere ſicut noſmetipſos: *Juſtitię*, quæ inclinat ad reddendum, aut relinquendum unicuique quod ſuum eſt: & *Bono communi*, in quantùm per Furta & Rapinas turbatur, aut diſſolvitur pax & ſocietas humana.

Dices: Prov. 6 legitur: *Non grandis eſt culpa, cùm quis furatus fuerit.*

Reſ. Cum V. Beda in hunc locum: *Furtum non ex ſui æſtimatione, ſed ex comparatione peccati majoris, id eſt, adulterii, non grandis eſſe culpa perhibetur.*

Dixi: *Ex Genere ſuo*; nam certum eſt, ratione parvitatis materiæ, poſſe eſſe venialia: quis enim dicat, reum eſſe peccati mortalis ſurripientem unum quadrantem, aut fruſtulum panis? Poſſet tamen è contrario Furtum veniale fieri mortale ratione circumſtantiæ, ut ſi prævideas ex Furto tuo Dominum graviter contriſtandum, blaſphematurum &c. aut etiam artificem dietam perditurum.

QUÆSTIO II.

Quanta materia requiratur ad Furtum mortale?

QUot capita, tot ſententiæ: aliqui enim, ut Navarrus, volunt ſufficere medium regalem, ſeu ſemi-ſchelingum; ſed mihi & aliis durior videtur hæc ſententia; cùm non ſit veriſimile Deum velle pro tantilla re æternis cruciatibus hominem addicere. alii, teſte Arragonio, loquuntur de 20. aureis, ſed nimis exceſſivè laxa eſt: alii requirunt tres florenos reſpectu cujuslibet perſonæ, ſive pauperis, ſive divitis: alii duos regales: alii unum cum medio: alii talem quantitatem, quæ ſufficiat ad victum diurnum unius hominis: alii denique taxationem ſumunt per reſpectum ad perſonas, quibus fit injuria; ita ut ad Furtum mortale plus debeat ſurripi à divite, quàm à paupere. Nos antequam probabiliorem ex illis ſeligamus.

Supponimus 1. Pro conſtituenda Furti gravitate habendam eſſe rationem Provinciarum, cùm in uno loco majoris ſit valoris pecunia, quàm in altero.

Supponimus 2. Etiam habendam eſſe rationem temporum, quandoquidem olim in Belgio pecunia eſſet ita rara, ut modius tritici, qui nunc venditur 4 aut 5. florenis, daretur pro uno aut altero ſchelinguo.

Supponimus 3. Omne Furtum à pecunia diſtinctum debere menſurari per reſpectum ad pretium pecuniarum, ſeu attendendum eſſe, quanti res ablata tali loco & tempore venderetur, ſi foret emenda, ut ſic faciliùs Furti gravitas, aut levitas innoteſcat. His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

MAlè conſtituitur Furti gravitas per reſpectum ad perſonam opulentam aut pauperem: quaſi verò ad Furtum mortale plus requiratur à divite, quàm à mediocri, aut à paupere. Eſt Wiggers, Neeſen, Natalis Alexandri, & aliorum contra plurimos.

Prob. Concluſio; quia quòd perſona, à qua res aliqua ſurripitur, ſit pauper, aut dives, eſt merè extrinſecum Furto: ergo. Prob. Ant. quia Furtum conſiſtit in ablatione rei alienæ; atqui dum ſurripitur ſchelingus à paupere, non plus accipitur de re aliena, quàm ſi acciperetur à divite: ergo.

Confir. 1. Nihil poteſt aggravare Furtum in ratione Furti, niſi ſit Furto intrinſecum; ſed damnum, quod patitur pauper ſupra divitem, non eſt Furto intrinſecum; aliàs illud ſentiret & dives: ergo.

Confir. 2. Quia damnum Furto intrinſecum & immediatum eſt privare Dominum re ſua; atqui tam dives, quàm pauper privatur re ſua: ergo

Dices: Magis damnificatur pauper ex ablatione ſchelingi, quàm damnificaretur dives ex ablatione nummi: ergo &c.

R. D. A. Magis damnificatur damnificatione Furtiva, ſeu quæ pertineat ad Furtum, N. damnificatione a Furto diſtincta, v. g. quia damnificatus non poteſt ſe, aut familiam debitè ſuſtentare, vel quia magis indè triſtabitur, quàm dives; vel etiam quia debebit cum pudore mendicare, C. ſed cùm hæc damnificatio ſit omninò Furto extrinſeca, non poterit illud in ratione Furti aggravare, licet aggravet in ratione peccati diſtincti, v. g. crudelitatis, immiſericordiæ &c.

Dices 2. Dum ſurripitur acus à ſartore, aut ſubula à ſutore, ob cujus defectum non poteſt victum lucrari, damnificatio ſequens ex ablatione inſtrumenti aggravat Furtum acus, aut ſubulæ in ratione Furti: ergo & damnificatio ſequens in paupere.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd damnificatio ſequens ex Furto inſtrumenti, ſit etiam propriè Furtum; cum ſit ablatio dietæ: & ſic non eſt mirum quod prius Furtum aggravet in ratione Furti; damnificatio autem ſequens, ultra ablationem ſchelingi in paupere, non ſit furtum, ſed quædam contriſtatio, aut quid ſimile.

Dices 3. Magis eſt invitus pauper in Furto, quàm dives; ſed quòd Dominus ſit magis invitus, facit ad gravitatem Furti: ergo.

Reſp. Diſt. Min. Quòd Dominus ſit magis invitus, facit ad gravitatem Furti intrinſecam, N. aliàs ſi Dominus propter Furtum aſſiculæ eſſet maximè invitus, fur peccaret mortaliter, quod eſt inauditum: imò cùm ſæpè divites, propter majorem affectum ad bona temporalia, ſint magis inviti, quàm pauperes, plus peccaret ſurripiens à divite, quàm à paupere: quod eſt inverſio objectionis. Facit ad gravitatem Furti extrinſecam, ſeu cauſat majorem diſplicentiam in Domino, C. ſed hæc non aggravat alterius Furtum in ratione Furti, licet aggravet in ratione peccati: unde ad rationem Furti intrinſece concurrit diſſenſus Domini quæſtione præcedenti explicatus; ita ut ſine illo non ſtaret Furtum; non tamen illius majoritas, aut minoritas.

CONCLUSIO II.

NEc placet ſententia requirentium tres ducatos, imo nec requirentium tres florenos: ſicut nec illorum qui volunt ſufficere 10. aut 12. aſſes. Ratio eſt; quia primi, attenta communi hominum opinione, videntur excedere, alii autem deficere: & ideò ſit

CONCLUSIO III.

AD Furtum mortale requiritur & ſufficit id, quod neceſſarium eſt ad ſuſtentationem diurnam honeſtæ perſonæ, id eſt 24. aſſes circiter. Hæc eſt probabilior & verior.

Ratio eſt; quia, cum non poſſit Furti gravitas, aut levitas conſtitui per reſpectum ad paupertatem, aut abundantiam perſonarum; & aliundè authores per reſpectum illum Furti gravitatem conſtituentes requirant ad Furtum mortale patacomem, aut 3. florenos in prædivite, & unicum regalem ſeu ſchelingum in paupere, ille prudenter incedit qui viam mediam arripit, nec ad dexteram aut ſiniſtram deflectendo. Accedit quòd victus diurnus decens & ordinarius honeſtæ perſonæ videatur quid notabile; adeòque illius æquivalentis ablatio ſufficiens eſt ad peccatum grave. Hinc

Reſol. 1. In Furto ſub ratione Furti non eſſe attendendum, an perſona læſa ſit Rex, nobilis, dives, pauper &c.

Reſol. 2. Exprimendas tamen eſſe in Confeſſione circumſtantias illas, quæ etſi ad gravitatem Furti ut Furti nihil contulerint, illud tamen in ratione peccati notabiliter aggravarunt: ut, ſi fur prævidit, aut prævidere debuit ob rem ablatam dominum in gravem, aut extremam neceſſitatem eſſe reducendum, contra proles, aut uxorem tanquam Furti authores eſſe rixaturum, blaſphematurum, in morbum, aut quid gravius eſſe lapſurum &c.

Re-

Digitized by Google

Reſol 3 Furem eſſe obnoxium reſtitutioni omnium damnorum, quæ dominus ex Furto ſine culpa ſua ſuſtinet. Dico: *ſine culpa ſua*; quia ſi operarius propter ſublatum inſtrumentum nolit operari, licèt poſſit cum alio inſtrumento, non tenebitur fur ad reſarciendum damnum illud, etſi peccaverit contra Charitatem, ſi hoc præviderit.

QUÆSTIO III.

Quid dicendum de Furtis minutis?

CONCLUSIO I.

QUi ex animo multa furandi, plura modica ſucceſſivè ſurripit ab uno, aut diverſis peccat mortaliter; & quidem toties, quoties minuta ſurripit.

Prob. prima pars, nempè quòd peccet mortaliter, ex Script. quæ vendentes cum ſtatera doloſa, aut pondere injuſto redarguit peccati gravis, licèt ſæpe ſæpius non niſi in minutioribus ementes fraudent: nam poſtquam dictum eſt Deuter. 25 *Non habebis in ſacculo diverſa pondera, majus & minus; nec erit in domo tua modius major & minor*, ſubditur: *abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc*. Prov c. 11. *Statera doloſa abominatio eſt apud Dominum*. Ubi ſatis indicatur culpa lethalis.

Hoc ipſum inſinuat & ratio; quandoquidem intendat ille diteſcere notabiliter de alieno, invitis Dominis.

Prob. ſecunda pars, nempe quòd toties, quoties; quia licèt minuta illa Furta ſeorſim ſumpta, ſint levia ſecundùm ſe; quatenus tamen informatur voluntate ita continuandi, ſunt mortalia; quandoquidem ſingula ſint ablatio rei parvæ cum intentione auferendi magnam: unde D. Hieron in c. 2 Epiſt. ad Titum. *Fur autem non ſolùm in majoribus, ſed etiam in minoribus judicatur: non enim quod Furto ablatum eſt, ſed mens furantis attenditur*.

Advertendum tamen pro confeſſione, quamdiu omnia illa Furta modica ſimul ſumpta nec dum faciunt rem notabilem, non eſſe tot peccata mortalia numero diſtincta: cùm enim tantùm ſint mortalia ratione intentionis, & illa ſit unica continuata, etiam omnia Furta minuta dici debent unum mortale continuatum, licèt ſecundùm ſe, & ſine ullo reſpectu ad illam intentionem ſint venialia nova & numero diſtincta: ſi tamen voluntas illa interrumperetur, & toties renovaretur, quoties res modica ſurripitur, ſingula Furta eſſent peccata mortalia numero diſtincta. Hæc doctrina inſervire poteſt ad diſtinguenda cauponum peccata, qui vel menſuris minoribus, vel ſufficientibus non repletis, vinum, aut cereviſiam depromunt adventantibus, ſicut & mercatorum in ſtatera, pondere, menſura, aut pretii exceſſu defraudantium.

Dixi in concl. *Ab uno aut diverſis*: quia etſi ſingulis ſeorſim damnum leve inferatur, attamen communitas, quæ de omnibus damnificatis exurgit, grave nocumentum patitur, ut ajunt ſatis communiter Authores. Sed hæc ratio non mihi apparet ſatis ſolida; quandoquidem ſinguli ſingulare patiantur incommodum, & quidem tanquam ſuppoſita partialia, non autem per modum unius ſuppoſiti, aut corporis, ſicut quando auferuntur theſauri Reipublicæ, aut communitatis unde non videntur illa incommoda partialia ſic coaleſcere, ut conſtituant unum notabile; & ideò probabilius exiſtimo peccare mortaliter, quia rem alienam notabilem apud ſe retinet, abſtrahendo an ſinguli Domini graviter vel læviter lædantur.

CONCLUSIO II.

QUi ſurripit plura minuta abſque intentione continuandi, ſed quaſi occaſionaliter, nunc hic, nunc alibi, hodie à Petro, cras à Paulo aliquid accipiendo, reus eſt ſurti mortalis, ubi omnia ſimul quantitatem notabilem conſtituere advertit, nonante.

Prob. Quia Furtum ultimum licèt de ſe, & ſine ordine ad alia ſit leve, in quantum tamen facit, ut fur hic & nunc detineat aliena in quantitate notabili, cenſetur eſſe complementum Furti lethalis.

Dixi: *Ubi advertit*; quia reflectere debet fur, ſaltem confuſè, ad Furta præcedentia, cùm quibus hoc ultimum coaleſcens conſtituit unum notabile; aliàs non convincitur velle rem alienam notabilem ſurripere, aut detinere, Poteſt autem præſumi inadvertenter proceſſiſſe, quando fur eſt ita habitualiter animo diſpoſitus, ut nunquàm vellet Furtum mortale committere, & ſi reflexiſſet ad Furta anteriora, quorum hic & nunc nullatenus meminit propter temporum intervalla, & perſonarum aut rerum diverſitatem, omnino abſtinuiſſet ab hoc ultimo.

CONCLUSIO III.

FUrtum leve ultimum non coaleſcit cum prioribus, ubi hæc de facto ſunt reſtituta, aliud eſſet, ſi tantùm ad fuiſſet voluntas reſtituendi.

Prob. prima pars, quia ſi coaleſceret, eſſet vel quia compleret grave nocumentum proximi, vel quia concurreret ad detentionem rei alienæ notabilis, atqui neutrum ſtat: ergo. Prob. Min. quia, cùm Furta priora, utpote reſtituta, nec amplius noceant proximo, nec amplius ſint apud furem formaliter, aut æquivalenter, nec damnum, nec detentionem poſſunt augere, & ideò ſi quis per totam vitam centies modica furaretur, & toties poſt ſingula Furta reſtitueret, nunquàm peccaret mortaliter, modò abeſſet animus continuandi.

Prob ſecunda pars, quia voluntas, aut propoſitum reſtituendi, ſi quod præceſſit; videtur revocari per novum Furtum, cùm vix poſſit concipi quòd quis velit ſerio & efficaciter rem alienam reſtituere, & iterum rem alienam ſurripiat. Præterea dato gratis, quòd voluntas reſtituendi permaneret, equidem poſt ultimum Furtum rem notabilem, invitis Dominis, retineret, atqui quod Furta modica coaleſcant in unum, oritur ex detentione rei alienæ, invitis Dominis, aut Domino: ergo. Prob. Min non coaleſcunt quia peccata ſunt præcisè; aliàs (quod falſum eſt) etiam mendacia jocoſa, verba otioſa & ſimilia coaleſcerent in peccatū mortale: ergo ratione detentionis rei alienæ.

Dices 1. Indè ſequitur redactum ad impoſſibilitatem reſtituendi, peccare non reſtituendo, cum equidem detineat virtualiter rem alienam invito Domino.

R. Dominum eſſe invitum irrationabiliter, cùm nemo valeat impoſſibile exequi.

Dices 2. Etiam ſequitur eum, cui poſt Furtum trium ſchelingorum facta eſt reſtitutio impoſſibilis, peccaturum graviter, ſi auferat quartum, atqui hoc eſt falſum, cùm tres primi regales propter impotentiam reſtitutionis non coaleſcant cùm quarto, ergo.

R. N. Min. Quia reſtitutionis impotens debet ſaltem habere voluntatem reſtituendi, ubi aderit fortuna pinguior, quam voluntatem videtur abjicere, ubi furto priori novum addit, ſicque Furtum ultimum cum primo coaleſcit.

CONCLUSIO IV.

PLus requiritur ad furtum mortale, ſi à pluribus minuta auferantur, quàm ſi ab uno, plus ſi ab eodem diverſis vicibus, quàm unico actu, plus ſi per longa intervalla, quàm ſi eodem tempore, modò tamen abſit animus ex illis diteſcendi, aut ulterius Furta continuandi.

Ratio horum eſt, quia cùm Domini ex modicis illis inſenſibiliter ablatis, vix aliquid damni percipiant, non cenſentur illa tanti æſtimare, acſi ſimul & ſemel ſurriperentur: undè D. Thomas. 2. 2. q. 66. ad 3. *In his quæ minima ſunt, homo non reputat ſibi nocumentum inferri*: cùm ergo ex nocumento gravi aut levi, Furti gravitas colligatur, ſequitur in Furtis illis plus requiri ad mortale, quàm in aliis: undè duplum requirimus, id eſt, pataconem, ſeu nummum argenteum ordinarium, & aliquando plus; aliquando minus, juxta temporum intervalla, aut perſonarum læſarum multitudinem.

Dices: Tantum retinet de re aliena, qui diverſo tempore, aut à diverſis perſonis ſurripit 4 regales, quàm qui ſimul, aut ab eodem, atqui in hoc caſu ſufficiunt 4. regales ad Furtum mortale: ergo & in illo.

R. Diſt. Ant. Tantum retinet de re aliena tanti æſtimata, N. minoris æſtimata, C. cùm ergo à Dominis pendeat rerum ſuarum valorem minuere: eo ipſo, quo minoris illas æſtimant, cenſentur res reſpectu illorum minoris valere.

CONCLUSIO V.

QUi commiſit Furtum mortale uno, aut pluribus actibus, non toties peccat mortaliter, quoties poſtea modica furatur. Ita Salmanticenſes.

Ratio eſt, quia inde ſequeretur famulum, qui ab hero nummum abſtuliſſet, toties peccaturum mortaliter, quoties mediam partem aſſis ab eodē, aut ab alio ſurriperet: quod apparet nimis durum: unde dicendum eſt, abſoluto primo Furto mortali, incipere novam ſeriem Furtorum modicorum, quæ quamdiu non attingit novam quantitatem notabilem: non facit novum mortale, ubi verò attingit, conſtituit mortale à priori diſtinctum.

Dices: Toties quoties ille furatur modicum, cenſetur renovare intentionem non reſtituendi, ſaltem ſi ad id advertat: ergo peccat mortaliter.

R. D. Conſeq. Peccat mortaliter, quia renovat illam intentionem, C. præcisè quia facit Furtum novum, quod ſupponitur in ſe leve, N. & ſic conciliari poſſunt Authores, qui videbantur contrarii.

CONCLUSIO VI.

QUI per modica Furta tandem abſtulit rem notabilem, tenetur ſub mortali ad reſtitutionem faciendam Domino, aut Dominis, ſi poſſibile ſit, aliàs pauperibus, aut in pias cauſas. Eſt contra Tannerum, qui ſicut ſuſtinet nunquam peccari mortaliter per Furta modica in rebus diverſæ rationis, ita & ſuſtinet nunquam ex illis oriri obligationem reſtituendi ſub mortali. Idem tenet Medina de pauperibus, qui tempore meſſis de agro in agrum currentes colligunt ex faſciculis hinc indè unam, aut alteram ſpicam.

Prob. tamen prima pars; quia ſive Furta modica fiant in rebus diverſæ, ſive ejuſdem rationis, ſive ſur ſit pauper, ſive dives, equidem omnia ablata coaleſcunt in ratione rei alienæ & conſequenter, ubi gravis eſt, gravem imponit reſtituendi obligationem: undè hanc propoſitionem condemnavit Inn. XI. *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per pauca Furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.*

Prob. ſecunda pars, quia ubi reſtitutio non poteſt fieri Dominis, vel quia incertis, vel quia ignotis; vel quia nimium diſtantibus, ratio poſtulat, ut in illos uſus expendatur res ablata in quos rationabiliter præſumitur velle ut expendatur Dominus abſens, aut ignotus, ſicut dictas de rebus inventis: illi autem, circa quos magis præſumitur voluntas Domini, ſunt vel pauperes, vel Eccleſia, vel piæ cauſæ. Sed quid ſi rem alienam habentes eſſent ipſimet pauperes? Poterit prudens Confeſſarius ipſis partem remittere, non tamen expedit, ut totum remittat: imò pro parte remiſſa imponet conſultò aliquas preces, ut magis ab hujuſmodi peccatis deterreantur, ſicque ab illis iterandis caveant.

CONCLUSIO VII.

QUI abſtulit aureum, & totum reſtituit; exceptis duobus regalibus, non tenetur ad horum reſtitutionem ſub mortali. Eſt contra paucos.

Prob. 1. Qui aufert duos regales, non peccat graviter, ut diximus: ergo nec qui illos retinet, cum retentio non ſit magis prohibita, quàm ablatio.

Prob. 2. Ideo tenetur quis aureum reſtituere ſub gravi peccato, quia infert damnum notabile proximo, ſed, illo reſtituto, exceptis duobus regalibus, non amplius infert grave nocumentum proximo: ergo.

Prob. 3. Quia talis nec detinet, nec vult detinere alienum in quantitate notabili: ergo non eſt, undè ad reſtitutionem obligetur ſub peccato gravi.

QUÆSTIO IV.

An liceat aliena ſurripere in neceſſitate, & an ſint poſtea reſtituenda?

SUppono 1 Triplicem aſſignari poſſe neceſſitatem, communem, gravem, & extremam. *Communis* eſt, quam patiuntur pauperes oſtiatim mendicando, ſicut & homines abjectæ conditionis. *Gravis* eſt, quæ privat hominem ſuo ſtatui neceſſariis, etſi non prematur fame, aut nuditate. *Extremam* patiuntur illi, quibus defectu cibi, potus, veſtitus, aut alterius rei imminet hic & nunc vitæ, infirmitatis incurabilis, membri, aut ſenſus amittendi periculum: de duabus ultimis eſt quæſtio, cùm neceſſitas communis, ut conveniunt omnes, non poſſit Furtum excuſare.

Suppono 2. Non licere, etiam in extrema neceſſitate alienum capere, ſi humiliter petendo, laborando &c. poſſit res neceſſaria obtineri.

Suppono 3. Nec id licitum eſſe, ſi dominus rei auferendæ ſit per hoc in æqualem neceſſitatem conjiciendus. His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

NOn licet tantùm graviter indigenti alienum capere. Communis eſt & certa poſt hujus propoſitionis condemnationem ab Innoc. XI *Permiſſum eſt furari non ſolùm in extrema neceſſitate; ſed etiam in gravi.* Ratio eſt; quia gravis neceſſitas non facit res communes, nec tribuit alicui jus in bona aliena; quandoquidem rerum diviſio nullibi legatur ſub tali conditione facta: & certè ſi hoc eſſet, innumeris Furtis pateret aditus; multi ſiquidem ſibi facilè perſuaderent aut fingerent ſe gravi neceſſitate compreſſos.

Confirm. 1. Ex cap. 3. *De furtis*, ubi legitur: *Si quis per neceſſitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, veſtem, vel pecus, pœniteat per hebdomadas tres*; atqui pœnitentia ſupponit peccatum, & fames ac nuditas ſupponunt ſurripientis neceſſitatem, & quidem valde gravem: ergo ſurripiens in tali neceſſitate non excuſatur à Furto.

Confirm. 2. Quia juxta D. Thomam, cùm multi ſint graviter indigentes, relinquitur domini arbitrio, iſti, vel illi ſuccurrere; & conſequenter ſurripiens facit injuriam domino, cùm illum privet jure eligendi. Ex dictis

Reſol. 1 Virum nobilem, qui non poteſt niſi mendicando ſuæ neceſſitati ſubvenire, non poſſe alienum, invito domino, capere: quia periculum honoris perdendi non inducit extremam neceſſitatem, ſed tantùm gravem, ut conveniunt Doctores.

Reſol. 2. Nec id licitum eſſe debitori, ut evadat carcerem: ſicut nec viro honorato, ut conſtituat filiæ dotem; imò nec puellæ in periculo pudoris amittendi propter inopiam; quia omnes illæ neceſſitates ſunt tantùm graves, non extremæ.

Dices 1. Tenemur graviter indigenti ſuccurrere, quia *Res, quas aliqui ſuperabundanter habent, ex naturali jure debentur pauperum ſuſtentationi*, inquit D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 7.

R. Diſt. Aſſum Tenemur ex Charitate, C. ex Juſtitia, N. & ideo ſi aliena ſurripiat graviter indigens, violat Juſtitiam: unde de Miſericordiæ debito, non Juſtitiæ, loquitur S. Doctor; cùm alibi doceat eleemoſynam graviter indigenti impenſam, eſſe actum Miſericordiæ.

CONCLUSIO II.

LIcitum eſt extremè indigenti rem alienam, ſive occultè, ſive manifeſtè, ſurripere, ſi neceſſaria ſit, ut illi neceſſitati ſubveniatur. Eſt communis omnium ſententia.

Prob. 1. Licet unicuique quod ſuum eſt accipere: atqui *Per talem neceſſitatem*, id eſt, extremam, *efficitur ſuum id quod aliquis accipit ad ſuſtentandum propriam vitam*, inquit D. Thom. ſupra ad 2. ergo: unde rerum diviſio ad pacem inter homines conſervandam inſtituta, ſub hac expreſſa, aut tacita conditione facta eſt, ut in extrema neceſſitate omnia ad ſtatum communem redirent. Hinc

Reſol. 1. Id etiam licere ad ſubveniendum extremæ neceſſitati alicujus tertii; quia cùm ille tertius id poſſit per ſeipſum, quidni & per me? quandoquidem quidquid aliquis per alium facit, per ſeipſum facere cenſendus ſit.

Reſol. 2. Tunc licitum eſſe Dominum ſeſe opponentem aggredi, & vim vi moderatè repellere.

Obji. 1. Non licet puellæ extremè indigenti uſuram ſui corporis permittere: ergo nec aliena capere, cùm hoc & illud ſit intrinſecè malum.

R. N. Conſeq Diſp. eſt, quòd fornicatio in quolibet caſu imaginabili ſemper ſit fornicatio, adeòque ſemper intrinſecè *mala*; ablatio autem rei alienæ in tali caſu, non ſit furtum, cùm *res illa* fiat accipientis, & illius Dominus ſit irrationabiliter *invitus*.

Obji. 2. illud Concluſione præcedenti citatum ex Jure Canonico: *Si quis per neceſſitatem &c.*

R. Mentionem ibi fieri gravis neceſſitatis, non extremæ, ut explicat D. Thomas.

CONCLUSIO III.

NOn ſunt reſtituenda ablata in extrema neceſſitate, ſi auferens erat ſimpliciter indigens, & res accepta erat ipſo uſu conſumptibilis. Eſt Scoti 4. diſt. 15. qu. 2. & plurimorum.

Prob. 1. Nullus tenetur reſtituere, niſi detineat alienum, aut alieno injuriam fecerit; ſed qui rem uſu conſumptibilem in extrema neceſſitate ſumpſit, nec alienum detinet, nec alieno injuriam fecit, cùm res illa per acceptionem, facta ſit accipientis, ut patet ex D. Thoma ſupra: ergo.

Prob. 2. Quia ex peccato divitis, pauperi extremè indigenti neceſſaria denegantis, non debet diviti advenire commodum, & pauperi incommodum: adveniret autem, ſi eſſet obligatio reſtituendi rem acceptam; quandoquidem ſi dives eleemoſynam dediſſet, ſicut reſpectu hujus pauperis determinati in conſcientia tenebatur, nec pauper reſtituere deberet, nec dives quidquam prætendere potuiſſet.

Dices 1. Potuiſſet dives rem neceſſariam dare mutuò: ergo.

R. N. Ant. quia, ut dicitur in Tractatu de Charitate, tunc obligat præceptum eleemoſynæ, ſeu donationis gratuitæ.

Dices 2. Non plus concedendum eſt extremè indigenti, quàm ſit neceſſarium, ut ſubveniatur ejus neceſſitati; atqui ad hoc ſufficit, ſi rem neceſſariam habeat cum onere reſtitutionis: ergo.

R. N. Maj. quia jus naturæ, cui non derogavit jus gentium, ut dictum eſt, tunc concedit rei neceſſariæ non tantùm uſum, ſed etiam dominium, ſi ſit conſumptibilis; & certè hoc humanæ Charitati apparet valde conſonum, cui ſententia oppoſita nonnihil derogare videtur.

Dixi 1. in Concluſione: *Si auferens ſit ſimpliciter indigens*; quia ſi habeat alibi bona, aut ſit in proximo habendi, ſive per artem, ſive per ſucceſſionem, ſive aliter, tenetur rem conſumptam reſtituere. Ratio eſt, quòd tunc rei Dominus non teneatur

illam

by Google

illam gratis concedere, ſed ſuſſiciat ſi illam det mutuo, aut commodato, ſeu cum onere eamdem aut ſimilem reddendi: ergo ſi auferatur, juſtum eſt ut reſtituatur. Hinc fit, quod exercitus auferens à piſtoribus omnes panes in extrema neceſſitate, teneatur, acceptis ſtipendiis, damnum reſarcire.

Dixi 2. *Et res accepta erat ipſo uſu conſumptibilis*; quia ſi poſt tranſactam neceſſitatem perſeveret in ſua ſpecie, ſine dubio reſtituenda eſt, cum tantùm illius uſu indiguerit. Idem eſt, ſi quis in extrema neceſſitate conſumpſerit rem, quam ante neceſſitatem debebat ex contractu; quia tempore indigentiæ non fuit obligatio extincta, ſed ſopita. Sed ſi quis abſolutè pauper arripuiſſet? non teneretur ditior factus reſtituere: non quidem ratione rei acceptæ, cùm non amplius extet in ſe, aut in æquivalenti: nec etiam ratione acceptionis, cùm equum non habuerit ex contractu, aut delicto, ergo ex nullo capite.

QUÆSTIO V.

An quando plures, minuta furando, inferunt grave damnum Domino, peccent ſinguli mortaliter, & ſint obnoxii reſtitutioni?

SEnſus quæſtionis eſt, an quando plures intrant pomarium aliquod, vineam, hortum, agrum &c. & ſinguli pauca poma, racemos, herbas, aut legumina auferunt, ita ut graviter lædatur Dominus, ſinguli committant Furtum mortale obnoxium reſtitutioni?

CONCLUSIO I.

SI ita fiat, ut nullus illorum ſit author, aut conſcius Furti alieni (quod accidere poteſt, quando Furta illa fiunt ſucceſſivè à tranſeuntibus) nemo ex illis peccat graviter, ſed ſinguli venialiter, tantū tenentur ad reſtitutionem ſuę partis ſubveniali.

Ratio eſt; quia nullius illorum fecit damnum notabile, aut cauſa fuit illius, imò nec dici poteſt illud conſenſiſſe, cum ſinguli ſupponantur alienorum Furtorum inſcii.

CONCLUSIO II.

SI omnes id faciant communi conſilio, conſenſu, ajutorio &c. omnes peccant graviter, tenenturque ſinguli ad reſtitutionem in ſolidum, deficientibus ſociis. Ratio eſt; quia ſinguli ſunt verè cauſa moralis totius damni illati. Si tamen unus fuiſſet ſociis ſuis author totius Furti, hic ante omnes teneretur in ſolidum. Dicitur autem aliquis obligari ad reſtitutionem in ſolidum, quando non tantùm debet partem, quam abſtulit, reſtituere; ſed etiam omnes aliorum partes, ſi hi ſuæ partis reſtitutionem non faciant.

CONCLUSIO III.

SI ex cohorte militum, aut peregrinorum tranſeuntium unus, v.g. Capitaneus, aut conductor, primus furetur ex vinea aliquos racemos, aut ex viridario aliqua poma, prævidens ſuo exemplo alios ad ſimile Furtum efficaciter movendos, reus eſt Furti mortalis, debetque, deficientibus ſociis, totum damnum reſarcire, etſi per hoc non intendat alios provocare.

Ratio eſt; quia perinde eſt, ſive quis facto, ſivè exemplo, ſive verbo ſit cauſa moralis damni illati, atqui ſi verbo, id eſt, hortando, aut alliciendo fuiſſet cauſa damni, eſſet obnoxius tali peccato & reſtitutioni: ergo ſimiliter in hoc caſu.

Dico: *Prævidens efficaciter movendos*, quia ſi certè ſciebat equidem damnum eſſe inferendum, nec illud, abſtinendo, aut etiam prohibendo, fore impediendum, non videtur cauſa totius damni. In his nulla eſt difficultas; ſed gravis reſtat, quando ex omnibus nullus quidem author eſt Furti alieni, ſed omnes advertunt ex ſuo & aliorum Furto Dominum vineæ, aut pomarii eſſe graviter lædendum. Volunt quamplurimi tunc omnes peccare mortaliter, ſingulosque teneri ſub peccato gravi ad reſtitutionem ſuæ partis licèt nullus teneatur in ſolidum, etiam aliis deficientibus. Pro quo ſit

CONCLUSIO IV.

VErius eſt & probabilius neminem peccare mortaliter, neminemque teneri ſub gravi peccato ad reſtitutionem. Ita Malderus, Salmanticenſes, & alii.

Prob. 1. Nullus peccat mortaliter in materia Furti, niſi vel grave damnum intulerit, vel ſit cauſa talis damni, ſed nullus in noſtro caſu grave damnum intulit, cùm ſinguli tantum unum aut alterum pomum, unum aut alterum racemum abſtulerint, nec ullus fuit cauſa gravis damni, cùm, ut ſupponimus, & concedunt adverſarii, nullus concurrerit ad Furtum ſui ſocii: ergo.

Prob. 2. Si tunc aliquis peccaret graviter, eſſet vel ratione ſui Furti, vel ratione Furti alieni: non ratione ſui, cùm ſit in ſe leve: non ratione alieni, cùm illud non debuerit, imò ſæpè non potuerit impedire: ergo.

Prob. 3. Quia inde varia abſurda ſequerentur. 1. Quòd ſurripiens aſſem à Rege, peccaret mortiferè, cùm ſciat ab illo modica plurima ſurripi, quæ ſimul cum hoc aſſe inferunt Regi damnum notabile. 2. Quòd quis accipiens unum ſolidum magis peccaret, quam ille, qui paulo ante ab eadem perſona ſurripuiſſet tres; quia hic, defectu materiæ ſufficientis, tantùm peccaſſet venialiter; ille autem quia Dominus propter additamentum quarti ſolidi grave damnum pateretur, graviter delinqueret. 3. Religioſos toties eſſe peccati mortiferi reos, quoties modica ex communibus Monaſterii bonis accipiunt, quandoquidem ſciant ab aliis quandoque etiam modica eſſe ablata, quæ omnia ſimul ſumpta grave quid conſtituunt. 4. Colligentem paucas uvas ex vinea, ex qua novit plurimas ab aliis antea eſſe ablatas, graviter delinquere.

Objic. 1. Sciens ex ſingulis Furtis Dominum graviter lædi, videtur damnum illud approbare, ſi etiam furetur: ergo peccat graviter.

Reſp. Neg. Ant. Quandoquidem non furetur, ut damnum aggravet (aliàs gravis peccati reus eſſet) ſed ut ſibi ſuccurrat, v. g. ut ſitim extinguat.

Obji. 2. Saltem ille, qui complet damnum notabile, notabiliter culpabilis eſt.

R. Neg. Aſſumpr. Quia, cùm nullatenus ſit cauſa Furtorum priorum, non ſunt ipſi imputabilia, poteſt quidem dici complementum materiale, ſed cùm ſit in ſe leve etiam tantùm leviter peccat.

Obji. 3. Poſſunt omnes, qui modica ſurripuerunt, cogi per Excommunicationem ad reſtitutionem: ergo lethaliter offenderunt.

Reſp. Neg Conſeq. Quia tunc excommunicatio ferretur, non quidem propter grave delictum quod commiſiſſent furando, ſed inobediendo Superiori, qui poteſt illo caſu ſub gravi peccato omnes ad reſtitutionem obligare, propter grave nocumentum domini læſi.

Obji. 4. Inde ſequeretur, quòd poſſet aliquis omnia ſua perdere, & tamen nemo teneretur, ſaltem ſub culpa lethali reſtituere.

R. Totum eſſe verum; illud autem inconveniens debet Dominus ſuæ incuriæ & negligentiæ imputare, aut ſaltem malæ fortunæ.

QUÆSTIO VI.

An liceat occulta compenſatio, ut quis rem ſuam, aut ſibi debitam recuperet?

SUppono 1. Semper eſſe illicitam, ubi poteſt quis via Juris rem ſuam, aut ſibi debitam recuperare; quia nemini licet cum injuria publicæ Poteſtatis in propria cauſa jus ſibi dicere: unde D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 5. ad 3. *Peccat contra communem juſtitiam, dum ipſe ſibi uſurpat rei ſuæ judicium, juris ordine prætermiſſo*; & ideò procedit quæſtio, quando propter Judicis iniquitatem, defectum probationis, debitoris authoritatem, creditoris inopiam, aut quid ſimile, non niſi valdè difficulter poteſt res ſua obtineri.

Suppono 2. Eum, qui occultè ſurripuit rem ſuam, aut ſibi certò debitam, non teneri ad reſtitutionem, licèt peccaſſet ob violatum juris ordinem; quia ille rem ſuam, & non alienam, detinet. Ita D. Thom ſupra Eſtque communis.

Suppono 3 Creditorem habentem apud ſe pignus, poſſe ſibi per compenſationem illud retinere, ſi alter non ſolvat; quia talis detinet rem ſuam, cùm pignus ſuccedat loco rei debitæ: mens enim dantis pignus fuit: *Retine tibi hanc rem, ſi non ſolvero, ſeu donec ſolvero*. His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

LIcitè quis utitur occulta compenſatione, ut rem ſuam, aut ſibi certò debitam recuperet, modo adſint conditiones poſtea recenſendæ. Eſt communis contra paucos, qui quidem compenſationem admittunt, ſed tantùm in rebus ejuſdem ſpeciei, ut quando auſertur pecunia pro pecunia, granum pro grano, vinum pro vino &c. non autem in rebus diverſæ ſpeciei, ut ſi auferantur oves, aut boves pro tritico &c.

Prob. Tamen concluſio univerſaliter intellecta, quia ille propriè jus ſibi non dicit, ſed circa rem ſuam jus naturale exequitur, deficiente juris civilis ſubſidio.

Confir. 1. Quia talis actio non eſt vindicatio injuriæ, ut voluit Henricus, ſed recuperatio illius, quod tuum eſt, aut quod tibi debetur, & ab altero injuſtè detinetur.

Confir. 2. Quia licèt unicuique ex jure naturali ſe Indemnem conſervare ſine alterius injuria, atqui dum accipis rem tuam aliàs perdendam, aut non niſi difficulter recuperandam, non facis injuriam debitori: quandoquidem auferas quod tuum eſt, & non ipſius: ergo.

Dixi: *Modo adſint certæ conditiones*, quorum prima eſt, quòd debitum ſit certum: undè peccas, ſi quidquam accipis, ubi debitum eſt dubium, tenerisque ablatum reſtituere, cùm in dubio melior ſit conditio poſſidentis.

Secunda eſt, ut accipiens faciat quidquid in ſe eſt (ſalvo periculo aut gravi incommodo) ut debitor, aut detentor injuſtus iterato non ſolvat, aut fortè ejus hæredes, imò, ut non maneat in affectu non ſolvendi.

Tertia eſt, ut compenſatio, quantum fieri poteſt, fiat ad æqualitatem, ità ut non plus accipiatur, quàm debeatur: quod maximè advertendum eſt, quando compenſatio, deficientibus rebus ejuſdem rationis, fit in rebus alterius ſpeciei, ut cum ſumuntur veſtes pro equo, linteum pro pecunia &c.

Quarta. Ut vitetur ſcandalum & damnum tertii: ſcandalum quidem, nam ſi juſtè timeas te habendum eſſe tanquàm furem, ex qua fama prævides aliorum, præſertim tibi ſubditorum, ruinam, teneris abſtinere, damnum verò tertii; quia Charitas poſtulat, ut nihil agas; ſi prævideatur aliquis de furto ſuſpectus habendus, aut ideò puniendus: quod maximè verum eſt; ubi debitum eſt paucorum aureorum; & probabile eſt furtum eſſe alteri imputandum cum graviſſimo nocumento, aut periculo infamiæ, flagellationis, aut etiam capitis. Imò idem eſt, ſi ſit periculum, ne indè familia tua diffametur, cùm non poſſis illius famam pro libitu prodigere.

Quinta. Ut debitum jam ſit contractum, non tantùm contrahendum; cum necdum habeas Jus in aliud: ſi tamen prævideres illum, qui tibi debet ſolvere in fine anni 100. aureos v. g. ante illud tempus foro ceſſurum, aut fugam capturum, poſſes tibi præcavere, ſine tamen præjudicio creditorum anteriorum.

Sexta. Ut compenſatio fiat in bonis ipſius debitoris: unde rem alicujus apud tuum debitorem depoſitam aut oppignoratam accipis, Furtum committis, cùm non tuum, ſed verè alienum accipias, & quidem invitò rationabiliter Domino.

Septima. Ut non fiat compenſatio in re tui debitoris apud te depoſita, idque propter utriuſque Juris prohibitionem; ſed hæc tantum reſpicit forum externum, vel certè ſi reſpiciat forum conſcientiæ, intelligi debet quando compenſatio in foro judiciali ſine magna difficultate poteſt obtineri.

CONCLUSIO II.

NOn licet famulis, ancillis, vel operariis uti occulta compenſatione; licèt credant operam ſuam eſſe majorem ſtipendio recepto.

Prob. 1. Ex condemnatione hujus propoſitionis ab Innoc. XI. *Famuli & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario quod recipiunt.*

Prob. 2. Quia etſi putent ſalarium eſſe labori proportionatum, attamen cùm liberè convenerint, potuerintque, vel plus exigere, vel non contrahere, vel alibi famulatum quærere, ſibi imputare debent, quòd non plus recipiant. Undè illis conquerentibus reſpondere poteſt Pater familias: *Amice, non facio tibi injuriam: nonne ex denario convenisti mecum? tolle quod tuum eſt, & vade.*

Prob. 3. Quia ſententia oppoſita conſtituit homines non rarò lucri avidos, & ad judicandum omninò ineptos, judices in propria cauſa, ſcilicet in taxando operum ſuorum ſalario: quod eſt innumeris furtis portam aperire.

Dices: ſæpè conſentiunt in talem contractum, fame, aut neceſſitate compulſi.

Reſp. Aliquando ſic eſſe, & ideò mercedis operariorum defraudatæ rationem reddent ſupremo Domino: Attamen, inito contractu, non ampliùs relinquitur famulorum judicio laboritii ſui valorem taxare, præſertim cùm potuerint Domini habuiſſe juſtas cauſas ſic contrahendi, quas ipſi ignorant: ac 1. quia fortè Dominus niſi pro mediocri ſalario non fuiſſet famulo uſus: 2. quia aderant alii, qui eodem ſtipendio fuiſſent famulati, jam autem ſicut multitudo mercium minuit earum pretium, ita & multitudo famulantium, aut operariorum minuit ſalarium. 3. quia expreſsè, vel tacitè inculcavit Dominus, ſe velle aliter famulantium labores compenſare, v. g. officium, vel utile Matrimonium procurando &c.

Sed quid ſi Domini, tranſacto tempore, denegent ſalarium ex contracto debitum? Poterunt famuli, aut famulæ; ſtantibus conditionibus concluſione prima recenſitis, occultè ſe indemnizare; quandoquidem propoſitio condemnata ad hunc caſum non ſe extendat.

QUÆSTIO VII.

Quid dicendum de Furtis domeſticorum, parentum & filiorum, conjugum, & Religioſorum?

SUppono 1. ablationem rei poſſe diſplicere Domino, vel quoad ſubſtantiam, vel quoad modum: diſplicet quoad ſubſtantiam, quando ipſamet acceptio eſt contra ejus voluntatem: diſplicet quoad modum, quando non acceptio, ſed modus acceptionis, v. g. occultus & ſine licentia expreſſa, reprobatur.

Suppono 2. Poſſe colligi, an Dominus ſit invitus quoad ſubſtantiam, an tantum quoad modum ex complexione ipſius Domini, & natura rei auferendæ: unde ſi talis ſit res, ut petita negaretur, cenſetur invitus quoad ſubſtantiam, ſi autem petita concederetur, tantum eſt invitus quoad modum, & illam accipiens nec Furtum committit, nec peccat graviter. His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

DOmeſtici (ſub quibus comprehendo famulos, ancillas, & operarios apud Dominum degentes) ordinariè non peccant graviter ſurripiendo eſculenta, aut poculenta communia in uſus proprios niſi forent exceſſiva, ſecus in aliis materiis.

Prob. prima pars, quia Domini reſpectu illorum non ſolent eſſe inviti quoad ſubſtantiam, ſed tantùm quoad modum, quandoquidem ſi illa peterentur, concederentur. Excipe tamen, niſi domeſtici eſſent ebrioſi, aut guloſi, quia licèt poſſit præſumi velle Dominum concedere ſuis juſtum alimentum, aut paulò plus, non tamen velle miniſtrare materiam peccati.

Dixi in concl. *Eſculenta aut poculenta communia*, id eſt, famulantibus ordinaria, & ideò non ſunt excuſandi illi, qui ſurripiunt delicatiora, aut etiam qui vinum depromunt in hac patria.

Dices etiam: *In uſus proprios*, quia ſi illa ſurripiant ad dandum parentibus, aut amicis; ad videndum, ad compotationes, ludos, meretricia, & alia hujuſmodi, committunt Furtum mortale obnoxium reſtitutioni, ubi quantitas notabilis, etiam per minuta Furta, ablata eſt, quia reſpectu illorum eſt ſimpliciter invitus Dominus, & quidem rationabiliter.

Prob. ſecunda pars, quia in aliis materiis, id eſt, pecunia, veſtibus, linteis &c. peccant ſicut extranei, imò gravius: cùm illorum cura ſit eorum fidelitati & cuſtodiæ commiſſa: & ideò longè gravius puniuntur Furta domeſtica, quàm alia, nec mirum, cùm extraneo omnia ſint clauſa, ſervo autem furaci, ferè omnia aperta, ita ut vix, aut ne vix poſſit tibi Dominus ab illorum Furtis præcavere.

Petes 1. An peccent famuli villicorum, dum ovibus, equis bobus &c. plus dant alimenti, quam taxaverit Dominus?

R. Non eſſe accuſandos ordinariè gravis peccati, ſi indè nullum eveniat damnum villico, utpotè quia in tantum meliorantur pecora Domino, in quantum patitur ex augmento alimenti, ſi autem hoc fiat cum detrimento villici, peccant graviter, ubi grave damnum intulerunt, tenenturque ad reſtitutionem.

Petes 2. An fures ſint famuli ſartorum, qui, confecto habitu, uſurpant ſibi reliquias panni, ſerici, aut alterius materiæ?

R. Si Reliquiæ illæ ſint pretio æſtimabiles, de facto furari, tenerique ad reſtitutionem, ut diximus de Furtis minimis, quandoquidem dietim taxatum pro labore ſalarium recipiant: imò & peccant illorum Domini illas retinentes, ſi pro veſte conficienda juſtum habeant ſtipendium, ſeu illud de quo convenerunt: ſi autem fragmenta ſint tam parvi momenti, ut pro nullis, aut derelictis habeantur communiter, nec famuli, nec eorum Domini peccant illa retinenda.

CONCLUSIO II.

FUrti lethalis rei ſunt parentes, qui quantitatem notabilem ſurripiunt ex bonis, quorum filii habent dominium & adminiſtrationem, ut ſunt bona Caſtrenſia, aut quaſi-Caſtrenſia

Ratio eſt, quia de facto rem alienam accipiunt, invito Domino, & ideò tenentur ad illorum reſtitutionem, ſicut extranei. Aliud eſſet, ſi illa acciperent ad ſuam & ipſorum filiorum ſuſtentationem, deficientibus aliundè auxiliis; quia tunc filii non eſſent rationabiliter inviti.

Dices: nunquàm ſunt inviti filii reſpectu parentum, quando quidē videntes nō contradicerent, imò parentibus concederent.

R. N. Aſſump. ex eo enim quòd filii concederent, aut non contradicerent, malè infertur, ipſos non eſſe invitos, cùm ſæpè ex timore reverentiali videantur conſentire exterius, interius autē diſſen-

Digitized by Google

d ſſentiant. Crediderim tamen plus requiri, ut Furtum illud ſit mortale, cùm non ſit credibile velle filios tam rigoroſè cum parentibus procedere, præſertim ubi modica ſucceſſivè accipiunt.

Filii etiam Furto mortali ſunt obnoxii, ſi ex illis bonis, quorum ineſt Patri Dominium, vel uſusfructus, notabilia ſurripiant. Communis eſt & certa.

Prob. 1. Ex Script. Prov. 28. *Qui ſubtrahit aliquid à Patre ſuo & à Matre, & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps homicidæ eſt.*

Prob. 2. Ex hoc præcepto, *Non furtum facies*, quod ſine diſtinctione dirigitur ad omnes homines, qui prohibentur alienum rapere invito domino, atqui bona patris non ſunt actualiter bona filii, nec rationabiliter præſumi poteſt, conſentire patrem in tales ſurreptiones, quæ non rarò luxui, ebrietatibus, imò & meretricio impenduntur: ergo. Undè tenetur filius illa reſarcire, vel extraordinariè pro patris utilitate laborando, vel de bonis Caſtrenſibus, aut quaſi Caſtrenſibus, ſi habeat, refundendo, vel pecuniam ſuis recreationibus deſtinatam familiæ applicando: quod ſi vivente patre, reſtituere non poſſit, debet poſt illius mortem ablata in bonorum diviſionem adducere, ut non fraudentur fratres, niſi certe ipſimet tantum ex bonis paternis conſumpſiſſent, aut niſi pater debitum condonaſſet. Quantùm autem requiratur in furtis filiorum ad mortale? diſconveniunt Authores: ego prudentis Confeſſarii judicio id relinquendum exiſtimo, attento tamen patris ſtatu, liberalitate, affectu; ſicut & filii opera, ætate, officio &c. item & in quos uſus res ſit expendenda: hoc tamen videtur certum apud omnes, multo plus requiri in filio ad furtum mortale reſpectu patris, quàm reſpectu extranei, adeòque non minus quàm pataconem, ſeu 8 regales.

Advertendum, Furta filiorum modica, præſertim à patre liberali, & per longa intervalla, rarò in unum mortale coaleſcere, quod adhuc verius eſt in eſculentis & poculentis quia nonnunquam præſumi poteſt patrem illa donare.

CONCLUSIO III.

PEccat maritus cum onere reſtituendi, ſi diſſipet bona uxoris paraphernalia, dotalia, imo & familiæ communia.

Ratio eſt, quia *paraphernalium* nec dominium habet, nec adminiſtrationem: *dotalium* tantùm eſt adminiſtrator & uſufructuarius, & conſequenter tantùm frui poteſt illorum fructibus, ſalva & integra manente eorum ſubſtantia, cui ſi detrahat, fur eſt & latro: *communium* verò licèt ſit adminiſtrator, ita ut poſſit illa vendere, de illis contrahere, lucro & amiſſioni exponere; quia tamen ſolius medietatis dominium habet, injuriam facit uxori, ſi illa diſſipet. Hinc

Reſol. Licèt poſſit maritus aliqua de bonis Communibus, ſeu lucratoriis ludo exponere, cùm ſit contractus ſortuitus æqualiter lucro & jacturæ expoſitus, attamen tenendum eſſe in praxi illorum ſententiam, qui dicunt, maritum ex bonis Communibus magnas pecuniæ ſummas exponentem graviter peccare, tenerique perdita ex bonis propriis reſarcire: nec irrationabilirer invita dici debet uxor, cùm experientia cautum ſit, vix ullum lucrum ex ludo reportari: fereque omnes habitualiter luſores ad mendicitatem redigi.

Uxor etiam rea eſt Furti mortalis cum onere reſtitutionis, ſi ex bonis, quorum dominium, aur adminiſtrationem habet maritus, quantitarem notabilem ſurripiat.

Prob. Tùm ex Auguſt Epiſt. 199. ad Ecdicam, ubi ait: *Mulierem conjugatam non licet dicere, facio quod volo de meo, cùm & ipſa non ſit ſua, ſed capitis ſui hoc eſt viri:* Tùm ex condemnatione hujus propoſitionis à Clero Gallicano an. 1700. *Poteſt uxor viro ſurripere pecuniam etiam ad ludendum, ſi mulier talis ſit conditionis, ut ludus honeſtus pari loco cum alimentis, & victu habeatur.* Tum etiam Ratione; quia grave damnum infert marito & rei domeſticæ; plus tamen requiritur ad mortale in Furtis uxorum, quàm aliorum: quod ponderandum eſt attentis omnibus circumſtantiis: ut dictum eſt de filiis familias.

Imò excuſari poteſt uxor ab omni peccato in ſequentibus caſibus. 1. ſi clam accipiat ad ſolutionem debitorum, quæ maritus injuſtus non vult ſolvere. 2. ſi ad erogandas eleemoſynas ſuo ſtatui proportionatas. 3. ſi ad ſuſtentationem familiæ, aut decentem ſui, vel prolium ornatum, & honeſtam recreationem. 4. ſi ad avertendum familiæ, aut ipſius mariti damnum, tum temporale, ut fecit Abigail, tum ſpirituale: v.g. pro illius converſione Miſſas, aut eleemoſynas fieri curando. 5. ſi ad ſuccurrendum Patri aut Matri, aut etiam prolibus ex primo Matrimonio, ſi indigeant: ubi maritus avarus omnia præfata injuſtè denegar.

CONCLUSIO IV.

REligioſi ſurripientes de bonis Monaſterii quantitatem notabilem, duplex peccatum incurrunt: unum proprietatis contra paupertatem; alterum Furti contra juſtitiam.

Ratio eſt; quia etſi Religioſi ſint in Monaſterio quaſi filii-familias, imò & illius membra, quia tamen ratione voti Paupertatis ſunt omnis proprietatis incapaces; ideo quidquid ſurripiunt, conſumunt, donant, invito rationabiliter Prælato, Furtum eſt, & actus proprietatis. Eadem autem ſufficit, & requiritur quantitas in qualibet materia ad Furtum mortale, ſicut ad actum proprietatis lethalem. De illa materia fusè dicemus in Diſp. de Statu Religioſo, in altero Tomo.

Hæc ſunt, quæ de Furto tractanda ſuſcepimus: alia quidem reſtant dicenda, ut de Contractibus iniquis, venditionibus doloſis, monopoliis, uſuris &c. ſed cùm hæc in Tractaru de Jure & Juſtitia fusè exponantur, illuc Lectorem remittimus.

DISPUTATIO VIII.

De octavo Decalogi Præcepto.

SIcut ſeptimo Decalogi Præcepto non tantùm inhibetur rei alienæ ablatio, ſed etiam omnis actio, per quam in bonis fortunæ læditur proximus; ita octavo Præcepto (ſcilicet: *Non loqueris contra Proximum tuum falſum teſtimonium*) prohibetur omne illud, quod ejus honori & famæ adverſatur. Tribus autem modis poſſumus famæ Proximi nocere. 1. In nobiſmetipſis per *Judicium temerarium*. 2. In judicio per *Teſtimonii falſitatem*. 3. Extra judicium per *Detractionem, contumeliam &c.* De 1. & 3. hic agendum, præmiſſa unica de Mendacio quæſtione, de 2. alibi acturi.

QUÆSTIO I.

Quid Mendacium, quotuplex, an aliquando licitum, & quale ſit peccatum?

CONCLUSIO I.

MEndacium eſt locutio, aut ſignificatio contra mentem cum animo fallendi. Colligitur ex Auguſt. lib. *Contra Mendacium* cap. 12.

Dicitur 1. *Locutio*, ſcilicet complexa, ſeu quæ ſit integra propoſitio: nam ſicut in unica voce non poteſt dari veritas, ita nec Mendacium.

Dicitur 2. *Aut ſignificatio*; quia non tantùm fieri poteſt verbo, ſed etiam nutu, ſcripto, geſtu &c. unde Auguſt. ſupra cap. 3. *Ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet ſignificationibus enuntiat.*

Dicitur 3. *Contra mentem*; quia mentiri eſt contra mentem ire; & ideo neceſſe eſt ad Mendacium, ut illud quod dicitur, falſum putetur: hinc poteſt fieri quòd quis non mentiatur, licèt falſum dicat, ſi nempe credat illud eſſe verum; & è contra mentiatur, licèt verum dicat, ſi dictum ſuum putet eſſe falſum. Totum patet ex Auguſt. Enchiridii cap. 18. *Nemo*, inquit, *sanè mentiens judicandus, qui dicit falſum quod putat verum, quoniam quantùm in ipſo eſt, non fallit ipſe, ſed fallitur... potiuſque è contrario, quantùm in ipſo eſt, ille mentitur, qui dicit verum quod putat falſum.*

Dicitur 4. *Cum animo fallendi*. Hujus particulæ neceſſitatem negant plurimi, voluntque ſufficere ad Mendacium, quòd quis loquatur contra mentem, ſive interiùs intendat fallere, ſive non. Sed hanc expreſsè requirit Auguſtinus lib. *Contra Mendacium* cap. 1. ubi docet, quòd mendacium ſit *Falſa ſignificatio cum voluntate fallendi*. Et Enchiridii cap. 22. *Omnis autem qui mentitur, contra id, quod animo ſentit, loquitur, voluntate fallendi.* Et ideo non mentiretur ille, qui jocandi cauſa diceret: *Ego hodie ivi Romam, & inde huc redivi*; cùm per hoc nullatenus intendat fallere, ſed nugari.

Advertendum tamen non requiri animum fallendi expreſſum & formalem, ſed ſufficere tacitum contentum in verbis, quæ in talibus, aut talibus circumſtantiis nata ſunt fallere.

CONCLUSIO II.

TRiplex ordinariè aſſignatur Mendacium, Pernicioſum, Jocoſum, & Officioſum. Pernicioſum eſt, quod infert alteri nocumentum: & hoc vitio maculantur illi, qui affingunt aliis falſa crimina, qui fraudant in commerciis, qui effingunt

contractus falſos &c. Jocoſum eſt, quod fit ſola placendi aut delectandi conſuetudine: quo genere mendacii peccare ſolent homines garruli, qui multa comminiſcuntur de nocte, ut novarum rerum cupidos delectent de die. Officioſum eſt, quo intenditur juvamentum, aut nocumenti ablatio ſine alicujus injuria.

Dices: Mendacium Jocoſum fit ſine intentione fallendi; atqui ad Mendacium requiritur illa intentio: ergo Mendacium Jocoſum non eſt verum Mendacium. Prob. maj. ex Aug. in Pſal. 5. *Illud primum in jocando, ideo non eſt pernicioſiſſimum, quia non fallit.*

R. N. Maj. Ad prob. dico, tantùm velle Mendacium non fallere cum nocumento; & ideo dicit: *Non eſſe pernicioſiſſimum*: nec mirum: quia audiens, etſi forte neſciat loquentem mentiri, ſcit tamen jocari: *Novit enim ille, cui dicitur*, (ait ibid.) *joci cauſa eſſe dictum*. Ex quo fit, quod etſi ex illo oriatur periculum deceptionis in audiente, non tamen nocumenti. Et hanc eſſe genuinam mentem Auguſtini, patet tum ex dictis Concluſione prima, ubi expreſsè requirit intentionem fallendi; tum etiam quia in lib. de Mendacio, cap. 14. dividens illud in octo ſpecies aſſerit Mendacium, quod fit *ſola mentiendi, fallendique libidine*, eſſe *mirum Mendacium*: quod non dixiſſet, ſi credidiſſet, animum fallendi eſſe aliquid ſupra mendacium.

CONCLUSIO III.

NUllo caſu licitum eſt mentiri. Eſt communis & certa, non tantùm contra Priſcillianiſtas, qui mentiendo, imò & pejerando hæreſim ſuam occulendam eſſe exiſtimabant; ſed etiam contra Originem, Platonem, Caſſianum, & quoſdam alios volentes Mendacium, ſaltem Jocoſum, non eſſe peccatum.

Prob. 1. Ex Script. quæ indiſcriminatim omne mendacium condemnat, ut Prov. 19. *Qui Mendacia loquitur, non effugiet*, ſcilicet ſupplicium: Exodi 23. *Mendacium fugies*. Levitici 19. *Non mentiemini*. Ad Coloſſ. 3. *Nolite mentiri invicem*, Et alibi.

Prob. 2. Ex Aug. *de Mendacio* ad Conſentium: *Quiſquis autem eſſe aliquod genus Mendacii, quod peccatum non ſit, putaverit, decipit ſeipſum turpiter*. Idem habent alii SS. Patres à Sylvio citati.

Prob. 3. Ratione: quia omne Mendacium in quolibet caſu intrinſecè malum eſt, cùm importet animum decipiendi, quod humanæ ſocietati repugnat. Et ideo licèt deberes fortunam, vitam, honorem, imò & animam ipſam perdere, non licet tibi mentiri. Hocque expreſsè docet Aug. lib. *contra Mendacium* cap. 26. ubi aſſerit eum, qui non poſſet baptizari, niſi deceptis Mendacio cuſtodibus, eſſe ſine Baptiſmo relinquendum: & tandem concludit. *Si ergo non docet veritas facere, propter hominem baptizandum, quod eſt contrarium Caſtitati, non docebis, propter hominem baptizandum, facere quod eſt contrarium veritati.*

Varia ſolent objici ex Scriptura Sacra, quæ videntur mendacium authorizare; ſed de illis fusè egimus in 2. Præcepto, ubi de uſu reſtrictionum mentalium.

CONCLUSIO IV.

MEndacium pernicioſum eſt peccatum mortale ex genere ſuo: Jocoſum autem, & Officioſum ſunt tantum venialia. Eſt communis.

Prob. prima pars ex Script. Pſalm. 5. *Perdes omnes qui loquuntur Mendacium*. Et Sap. 1. *Os quod mentitur, occidit animam*. Ubi cum non fiat mentio de Mendacio Jocoſo, aut Officioſo, quæ tantùm venialia eſſe oſtendemus, clarum eſt intelligendos eſſe illos paſſus de Pernicioſo. Accedit quòd Mendacium Pernicioſum non tantum opponatur veritati, ſed etiam Charitati, & quandoque Juſtitiæ. Ratione tamen indeliberationis aut parvitatis nocumenti poteſt eſſe veniale.

Prob. ſecunda pars (quæ eſt contra Magiſtrum Sententiarum volentem Mendacia Jocoſa, & Officioſa in hominibus perfectis eſſe mortalia) quia nec ſecundum ſe, nec ſecundum finem intentum opponuntur Charitati: non ſecundum ſe, quia opinio, quam generant, nulli eſt nociva: non etiam ſecundum finem intentum, cum ille ſit vel levis delectatio, vel utilitas proximi: unde Aug in Pſalm 5. *Duo ſunt genera Mendaciorum, in quibus non magna culpa eſt, ſed tamen non ſunt ſine culpa, cum aut jocamur, aut, ut proxime proſimus, mentimur*. Quod autem nequidem in viris perfectis ſint mortalia, inde patet, quod aliàs omnia venialia in ipſis eſſent mortalia cum videatur par ratio. Præterea non eſt impoſitum aliud præceptum perfectis, quàm imperfectis circa Mendacium: ergo ubi hos tantum obligat leviter, etiam illos. Fatendum tamen ratione ſcandali facilius peccare graviter. Ex dictis hac concluſione.

Reſol. 1. Reos eſſe peccati mortalis Theologos, Juriſtas, Medicos &c. docentes falſas opiniones, ſi inde grave nocumentum temporale, aut ſpirituale immineat proximo.

Reſol. 2. Concionatorem annuntiantem falſa miracula, falſas indulgentias, falſas Reliquias, fingentem vitam alicujus Sancti aliter quàm ſit, &, univerſaliter loquendo, mentientem in materia doctrinæ, peccare mortaliter; tum quia exponit miracula, indulgentias, exempla Sanctorum, doctrinam Catholicam ludibrio, contemptui, tum etiam ratione officii & loci, cum in tali caſu gerat perſonam Dei, & in Dei perſona loquatur; & ideò teneatur doctrinæ veritatem conſervare, ut docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 110. art. 4. ad ultimum: cui præluxerat Aug. lib. *de Mendacio* cap. 21. ubi ait: *Non eſt mentiendum in doctrina pietatis magnum enim ſcelus eſt, & primum genus deteſtabilis Mendacii*.

Dixi: *In materia doctrinæ*; quia ſi tantum mentiatur in citationibus, aut etiam dicendo ſe aliquid vidiſſe quod non vidit, modò non ſit doctrinale, non videtur accuſandus peccati gravis.

Reſol. 3. Ita mentientem in Confeſſione, ſi id, circa quod mentitur, vel ſit tota materia confeſſionis, ut ſi dicat ſe blaſphemaſſe, cum non blaſphemaverit; vel alteret notabiliter judicium Confeſſarii, ut ſi ſe accuſet de Furto veniali, cum ſit mortale, aut è contra, incurrere culpam lethalem, quia facit gravem injuriam Sacramento. Aliud eſſet, ſi Mendacium tantum reſpiceret circumſtantiam aliquam levem, & aliundè haberetur materia Confeſſionis.

Reſol. 4. Contra Cajetanum, non omne Mendacium in judicio forenſi eſſe mortale, cum poſſit dari aliquod, quod nec judicio, nec proximo graviter noceat, ut ſi quis dicat aliquam circumſtantiam, quæ rem in judicio agitatam vel non tangit, vel non niſi leviſſimè. Hoc tamen intellige ſecluſo juramento.

QUÆSTIO II.

Quid ſit judicium temerarium, quid requiratur ut ſit mortale, & an dubia ſint in favorem proximi interpretanda?

SUppono 1. Judicium temerarium, ſicut & ſuſpicionem ex triplici præſertim capite oriri. 1. Ex pravitate *ipſius* judicantis: qualis enim unuſquiſque eſt, tales & alios ordinariè judicat, juxta illud Eccl. 10. *In via ſtultus ambulans, cum ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat*. 2. Ex invidia vel odio: nam ſicut actiones eorum, quos diligimus, in bonam partem interpretamur, *ità* & *in* partem malam actiones eorum, quos odio habemus. 3. Ex longo uſu & experientia: unde ſenes, teſte Philoſopho, ſunt maximè ſuſpicioſi.

Suppono 2. Judicium temerarium eſſe prohibitum jure Divino & naturali: Jure quidem Divino Matth. 7. *Nolite judicare, ut non judicemini*: quod S. Aug. lib. *de Sermone Domini in monte* cap. 28. intelligit de Judicio temerario: Jure autem naturali, quia judicans temerariè, violat jus, quod alter habet ad ſuam famam, ipſum apud ſe infamando, facitque alteri quod nollet ſibi fieri. His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

JUdicium temerarium eſt aſſenſus firmus de malitia proximi ex levibus indiciis procedens.

Dicitur 1. *Aſſenſus*, ut diſtinguatur à dubio, & ſuſpicione, à dubio quidem, per quod animus in medio pendulus nihil affirmat, aut negat de malitia proximi: à ſuſpicione autem, qua animus à medio recedens magis inclinatur, ut male potiùs, quàm benè de proximo opinetur, licèt neutri parti aſſenſum præbeat.

Dicitur 2. *Firmus*, ut excludat opinionem, qua quis circa malitiam proximi aſſenſum præbet, ſed cum magna formidine de oppoſito. Aliæ particulæ patebunt inferius. Ex quibus

Reſol. Quatuor eſſe animi noſtri gradus in ferenda de altero ſententia. Primus eſt Dubium ſeu dubitatio, ſecundus, Suſpicio, tertius, Opinio, quartus, Judicium firmum. Et hæc omnia ſunt peccata, ſi fiant ex levibus conjecturis, ſeu inſufficientibus circa malum proximi: ſunt alia aliis graviora, nam opinio & judicium ſunt mortalia, quando veſtiuntur circumſtantiis concluſione ſequenti aſſignandis, licèt gravius ſit Judicium temerarium propter firmitatem aſſenſus, quàm ſit opinio temeraria: de his fuſius poſtea. Dubium autem & ſuſpicio prout à nobis definita ſunt, tantùm ſunt venia-

nia-

nialia, ordinariè loquendo, idque expreſsè docet Aug. Tract. 90. in Joannem, ubi ait: *Quanquam in his rerum tenebris humanarum ſuſpiciones vitare non poſſimus*. Cui conformis eſt D. Thomas 2. 2 q 60. art. 3. Ubi docet ſuſpicionem, & conſequenter à fortiori dubitationem, pertinere ad tentationem humanam, ſine qua vita noſtra non ducitur. Quibus ſatis oſtendunt, præfata non eſſe mortalia, cum certum ſit vitam hanc ſine mortali duci poſſe.

Accedit quòd dubitatio, & ſuſpicio non propriè auferant famam Proximi, cum non tollatur niſi per Judicium contrarium: Unde non videtur inde graviter lædi bona ejus exiſtimatio. Deinde ideo aſſerit Divus Thomas ſupra, Judicium temerarium eſſe mortale, quia conjunctum eſt cum gravi contemptu Proximi, ſed ex eo quòd dubitem, an Petrus, v. g. commiſerit fornicationem, non contemno ipſum graviter quandoquidem ne ipſum contemnam injuſtè, ſuſpendam omnem actum: Ergo.

Dices 1. Aug. Epiſt. 137. aſſerit malas ſuſpiciones eſſe mortiferas; ait enim, quòd Diabolus, *Si nec famam innocentis maculare potuerit, hoc & perſuadere tentat, at per malevolas ſuſpiciones de fratre ſuo judicet, & ſic ab illo implicatus abſorbeatur*. Idem docet infrà.

R. S. Doctorem non loqui de ſuſpicione pura, quæ excludit omnem aſſenſum, ſed de ſuſpicione declinante in opinionem, ut patet evidenter ex verbo *judicet*.

Dices 2. Honeſtus vir graviter ferret, ſi ſciret adduci in ſuſpicionem peccati gravis; imò mallet perdere 10. aureos, quàm illud pati.

R. Quod cum ſuſpicio, etiam circa viros Sanctiſſimos, ſit propter naturæ fragilitatem valde familiaris, ita ut *ſuſpiciones vitare non poſſimus*, ut ait Aug. non debet credere vir prudens honorem ſuum inde graviter lædi: ſicque irrationabiliter ideo graviter commoveretur. Quod dicitur de 10. aureis, ridiculum eſt, quandoquidem, ſi pro vitandis ſingulis dubiis, aut ſuſpicionibus 10. aureos elargiri teneretur, vix ipſi ærarium Regium ſufficeret.

Dixi: *Ordinariè loquendo*; nam ſi quis ex frivola conjectura ſuſpicaretur Epiſcopum, aut alium ejuſdem gravitatis, eſſe Sodomitam, inceſtuoſum in 1. gradu, hæreticum, Patriæ proditorem &c. non eſſet excuſandus à peccato gravi, cum tunc gravem injuriam faceret.

CONCLUSIO II.

UT Judicium temerarium ſit peccatum mortale, quatuor requiruntur.

1. Ut ſit plenè deliberatum, non ſubitaneum, & repentinum: unde ſi videndo mulierem cum milite loquentem, ſtatim de illis malè judicas, non planè advertens quid agas, non peccas graviter, ſi ad te reverſus judicium illud tibi diſpliceat. Aliud eſſet, ſi, facta reflexione, illud approbares. Sed quid ſi dubitet aliquis an deliberatè judicaverit, necne? Si ſit timoratæ conſcientiæ, nec ſoleat de proximo temerariè judicare, in bonam partem reſolvendum eſt, ſi contra, in malam partem; ſi inter utrumque, debet judicium illud tamquàm dubium in Confeſſione exprimi.

2. Ut ſit verum, id eſt, non ſufficit ſola rei repræſentatio, cùm hæc non ſit judicium, ſed judicii objectum: quod bene advertendum eſt pro ſcrupuloſis, non requiritur tamen firmum, ſeu ut excludat omnem formidinem: ubi enim aſſentitur quis uni parti, licèt cum formidine de oppoſito, in materia gravi, graviter offendit, quia equidem judicat fratrem ſuum impudicum, v. g. ſimoniacum, uſurarium &c. quod eſt ipſi notabiliter injurioſum.

3. Requiritur ut ſit de re gravi: quæ gravitas non ſemper petitur ex eo quòd temerè de altero judicatum, ſit peccatum mortale, cum poſſit quis graviter peccare judicando temerè de alterius peccato veniali, præſertim habituali, v. g. gravem Religioſum, aut Sacerdotem eſſe mendacem, & è contra peccare tantum venialiter judicando de alterius peccato mortali, v. g. juvenem perditum fovere amores impudicos, Nobilem, aut militem quærere de injuria vindictam &c. Sed petenda eſt ex eo quòd, ſpectatis omnibus perſonæ, loci, temporis circumſtantiis, prudenter credatur hic & nunc proximi famam graviter lædere, ſive interim illud ſit mortale, ſive veniale, ſive etiam naturalis defectus. Hæc magis patebunt cum materiam detractionis mortalis aſſignabimus; cum ut hæc & illud ſint mortalia, requiratur, & ſufficiat eadem materia.

4. Debet eſſe ex levibus conjecturis, aut indiciis formatum; quia ſi fiat ex rationibus fundatis, nec temerarium eſt, nec ſuſpicioſum, adeòque nec peccatum, quamquam ſit de alterius peccatis, aut defectibus. Determinare autem, quando indicia ſint ſufficientia, & quandonam inſufficientia ad judicandum ſine temeritate, impoſſibile eſt propter caſum & circumſtantiarum multitudinem. Nonnihil tamen proderit ad id cognoſcendum in caſibus particularibus, attendere ad conditionem *perſonæ*, an ſit gravis, vel levis? timorata, vel perdita? ſenex, vel juvenis? *loci*, an ſit publicus vel ſecretus? an ſit clauſus, vel apertus? *temporis*, an ſit nocturnum, vel diurnum? an tenebroſum, vel lucidum? *diſpoſitionis*, an puella eſſet veſtita, vel nuda? an in lecto, vel cubiculo, ex quibus omnibus colligere poterit vir prudens, an judicia ſufficiant, necnè. Claritatis gratia unum aut aliud exemplum proferam. Video honeſtum Sacerdotem, aut Religioſum intrantem locum male famatum, ſi judicem mali cauſa ingredi, Judicium temerarium eſt, cum ſit veriſimilius proximi corripiendi cauſam intrare: ſi autem ingrediens, ſit quidam juvenis procax, tale judicium non eſt temerarium. Similiter, video hominem domui alienæ ſcalas admoventem, & per feneſtras intrantem, temerè judico ipſum eſſe furem, aut flagitioſum, ſi id faciat de die & coram omnibus: ſecus, ſi id faciat de nocte, & furtivè. Surgit filius familias de nocte, intranſque furtim cubiculum ancillæ, ibi per aliquod tempus moratur, indicium ſufficiens eſt, ipſum vel impudicè cum illa converſari, vel impudica velle extorquere. Aliud eſſet, ſi ipſa intraret de nocte cubiculum filii-familias ægrotantis.

Cæterum, etſi circa indicia multa ſint incerta, hoc tamen unum certum eſt, minora requiri indicia ad dubitandum, quàm ad ſuſpicandum; minora ad ſuſpicandum, quam ad opinandum; item & minora ad opinandum, quàm ad judicandum.

CONCLUSIO III.

EXiſtentibus utrinque motivis ſufficientibus ad dubitandum de actione proximi, an bona ſit, vel mala, non teneor illam interpretari poſitivè in bonam partem; teneor tamen negativè. Ante reſolutionem

Advertendum, factum aliquod explicari *poſitivè in bonam partem*, dum abſolutè judicamus eſſe bonum; *negativè*, quando nec bonum nec malum judicamus, ſed ſuſpendimus omnem actum. Hoc notato

Prob. prima pars; quia etſi tenear mentem in meliorem partem inflectere, ſuppoſito quòd velim judicare de actione proximi, quia nempe in dubio melior eſt conditio famam poſſidentis, & ubi jura ſunt obſcura, favendum eſt reo, attamen nulla lege teneor de ejus probitate aut improbitate judicium ferre, nullamque patitur injuriam, aut contemptum, ex eo quod actum ſuſpendam, quandoquidem intellectus meus ſuſpendens judicium habeat ſe prout natura objecti requirit.

Prob. ſecunda pars; cum non teneamur in dubio judicare proximum poſitivè bonum, nec poſſimus judicare poſitivè malum, defectu indiciorum ſufficientium, ſequitur, nos teneri ad minus actum ſuſpendere: quæ ſuſpenſio dicitur interpretatio negativa dubii in meliorem partem; quia nempe melius eſt à judicio abſtinere, quàm malè judicare. Et de tali interpretatione loquitur Aug. dum lib. 2. *de Serm. Domini in monte* c. 18. docet nobis præcipi dubia in meliorem partem interpretari. Fatendum eſt tamen, ſi gravis urgeret tentatio malè opinandi de proximo, quàm tentationem vix, aut ne vix quidem poſſet quis vincere, niſi poſitivè judicando in bonam partem, ad id fore obligandum.

CONCLUSIO IV.

QUando agitur de damno in nobis, aut in aliis præcavendo, poſſumus dubia quaſi in partem pejorem interpretari, non quidem definitivè, ſeu judicando, opinando, aut ſuſpicando, proximum eſſe improbum, ſed quaſi ſuppoſitivè, ſeu agendo quaſi eſſet improbus, licèt talis non credatur.

Ratio eſt; quia taliter agere eſt actus prudentiæ, præcautionis, & vigilantiæ: nec alteri fit injuria, cum nullum jus habeat ignotus, cur teneamur ipſi fidere in damni periculo, cum inter homines ſint fideles & infideles, juſti & injuſti, probi & improbi. Unde ob dubia quædam indicia poſſunt parentes erga liberos, Domini erga ſervos, Superiores erga ſubditos ex quadam ſuppoſitione agere, ipſos monendo, cautelas & remedia adhibendo, ipſis veriſimilitudinem mali patrati objiciendo, quædam interdicendo &c. non tamen ipſos propterea puniendo, malos judicando, apud alios infamando &c.

Pro coronide lubet Hugonis Victorini lib. 1. miſcellan. c. 99. doctrinam de formando erga fratrem judicio hic ponere:

De

D: proximo tuo hoc modo judicare debes : vide quidquid facit, an certum bonum, an dubium bonum. Si certum bonum eſt, parvum magnum, & magnum majus æſtima, ſi dubium bonum eſt, verum puta, ſi certum malum eſt, magnum parvum, & parvum minus judica, ſi dubium malum eſt, bonum puta : hoc eſt judicium verum, judicium bonum, judicium Deo placitum.

QUÆSTIO III.

De Detractione, Contumelia, Irriſione, Suſurratione, Adulatione.

EXplicatis defectibus per judicium temerarium committi ſolitis explicanda veniunt peccata oris, quibus non raro proximus læditur.

ARTICULUS I.

Quid Detractio, quotuplex, quot modis fiat, et quale ſit peccatum?

CONCLUSIO I.

DEtractio eſt injuſta & occulta famæ alienæ violatio.

Dicitur 1. *Injuſta*, ut excludantur aliqui caſus, quibus juſtè, adeòque ſine peccato, alterius famæ detrahitur : ut 1. quando revelatur crimen occultum judici, aut Superiori ob punitionem, bono communi id exigente. 2. quando ſervato ordine correctionis fraternæ, aperitur delictum proximi, ut emendetur. 3. quando quis id facit, mortem, aut aliud grave damnum ſpirituale, vel temporale vitaturus, ſi aliter vitari non poſſit : quod etiam verum eſt, licèt ille, cujus crimen detegitur, ſimili periculo exponeretur, aut illud ſub ſecreto naturali mihi revelaſſet, quandoquidem non teneat alterius crimen occultare cum tanto meo gravamine, nec ſit præſumendum, quòd voluerim me ad ſecretum obligare in talibus circumſtantiis. 4. ſi id fiat ad impediendum ſimile damnum in proximo innocente, v.g ne pervertatur, pravis moribus imbuatur, occidatur, domus ejus comburatur, ad mortem aut triremes condemnetur &c. 5. Juſtè etiam poſſum manifeſtare ignorantiam alicujus Doctoris, Advocati, Medici, aut alterius, qui verboſitate, aut neſcio qua dexteritate famam ſibi fecit cum detrimento illorum, quorum conſcientias, ſanitatem, aut cauſas dirigit. Similiter poſſunt & debent detegi pauperes ſimulati, cum noceant veris pauperibus.

Dicitur 2. *Et occulta*, ut diſtinguatur 1. à Diffamatione ; quæ in malam partem accepta, importat publicam famæ ſivè propriæ, ſivè alienæ diſſipationem, ſeu factam coram pluribus 2. à Contumelia, quæ fit in præſentia, illius, cujus honori detrahitur, aut, ſi in abſentia, cum intentione, ut ad ejus notitiam perveniat Cum tamen Detractio ex intentione dicentis debeat eſſe occulta.

Dicitur 3. *Famæ alienæ*. Eſt autem fama *bona opinio, quam habent aliqui de aliquo*, Diſtinguitur ab honore, Cujus ablatio eſt objectum formale Contumeliæ) per hoc, quod hic ſit *Quædam reverentia alteri ob ejus excellentiam exhibita*, ſivè interim excellentia fundetur in virtute, ſivè in doctrina, ſivè in officio, ſivè in aliquo alio : undè Honor ſupponit bonam opinionem, quam honorans habet de honorato.

CONCLUSIO II.

DUplex eſt Detractio, formalis una, materialis altera. Prima eſt, quæ fit cum intentione alterius famam lædendi.

Secunda, quæ quidem eſt de ſe læſiva, fit tamen ſine intentione læſionis, ſed ex garrulitate, loquacitate &c.

CONCLUSIO III.

COntingere poteſt Detractio 8. modis, his verſibus expreſſis.

Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens,
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remiſsè.

Per *Imponens*, intelligitur ille, qui alteri falſum crimen affingit, & hic modus eſt omnium peſſimus. Per *Augens*, qui alterius delictum amplificat. Per *Manifeſtans*, qui proximi crimen verum, ſed occultum, detegit. Per *In mala vertens*, qui alterius actionem ſiniſtre interpretatur. Per *Negat*, qui alterius virtutes, merita, dotes, rectè facta &c. denegat. Per *Minuit*, qui præfata extenuat. Per *Reticet*, qui ſilet in iis circumſtantiis, in quibus ſilentium pro tacita vituperatione ſumitur. Denique per *Laudat remiſſe* ; qui ita frigidè laudat, ut laudatio cedat in vituperium laudati : undè eſt illud Phavorini *Pejus eſt frigidè laudare, quam apertè reprehendere* Porrò hi omnes modi ſunt ejuſdem ſpeciei, quandoquidem in ratione læſionis famæ alienæ tantum differant ſecundùm plus & minus : undè omnes opponuntur Charitati & Juſtitiæ, & quàmvis longè gravius ſit peccatum, alteri falſum crimen proximi, quàm verum ejus occultum declarare, utrumque tamen lædit Juſtitiam : quamdiù enim ille ; qui crimen commiſit, non eſt detectus, jus ad famam retinet, poteſtque à detrahente ſatisfactionem in judicio exigere, ut docet praxis communis.

CONCLUSIO IV.

DEtractio ſivè materialis, ſivè formalis, eſt ex ſuo genere peccatum mortale.

Prob. 1. ex Script. Proverb. 24. ubi dicitur : *Abominatio hominum, Detractor.* Jacobi 4. *qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem ſuum, detrahit legi, & judicat legem*, & ideò Rom. 1. inter eos qui digni ſunt morte recenſentur Detractores.

Prob. 2. ratione ; quia Detractio eſt gravius peccatum quàm furtum, ſed hoc eſt mortale ex genere ſuo, ut diximus : ergo & illa. Prob. Maj. quia per furtum tantùm aufertur pecunia, aut æquivalens, per Detractionem autem tollitur fama, ſed *melius eſt nomen bonum, quàm divitiæ multæ*. Prov. 22. ergo

Dixi in concluſione : *Sivè ſit formalis, ſivè materialis* ; quia licèt in detractione materiali non intendatur expreſsè læſio proximi ; intenditur tamen implicitè eo ipſo, quo ſcienter proferuntur verba de ſe læſiva, nihilominus differt formalis à materiali, quòd hæc poſſit eſſe venialis defectu advertentiæ, illa non : ut per ſe patet.

Dixi 2. *Ex ſuo genere*, quia in confeſſo eſt apud omnes, poſſe Detractionem eſſe venialem ob materiæ levitatem : ut autem colligatur, quando ſit mortalis, quando venialis pono hanc regulam generalem *Quotieſcumque manifeſtatur defectus proximo graviter probroſus, ſivè ille ſecundùm ſe ſit naturalis, ſivè criminalis, ſivè mortalis, ſivè venialis, Detractio eſt mortalis, aliàs venialis*. Ex hac regula.

Reſol. 1. peccatum eſſe mortale, dicere de gravi Sacerdote, aut Religioſo, eſſe amatorem puellarum, aut mendacem : quod de Laico non ita ſpectabili dictum, eſſet tantum veniale, quia huic non eſt ita probroſum, ac illis. Aliud eſſet, ſi diceretur de illis, ſamel atque iterum fuiſſe cum puella familiariter collocutos &c. hæc enim non videntur ita injurioſa.

Reſol. 2. eſse tantum veniale aperire certos defectus velut in genere, ut, aliquem eſse iracundum, avarum, ſuperbum &c. quia talia ſunt facilè cognoſcibilia, & aliundè ſolùm denotant inclinationem, aut certà defectus leves. *Si tamen illa* dicerentur tali modo, in talibus circumſtantiis, de tali perſona, ut inde eſset graviter contemnenda, aut damnificanda, eſset culpa lethalis.

Reſol. 3. per ſe loquendo nullum, aut non niſi leve peccatum eſse, revelationem defectuum naturalium, v.g. aliquem eſse gibboſum, cœcum, Sacerdotis filium, ignobilem, ſtupidum ; parvi cerebri aut ingenii, quia defectus illi ſunt involuntarii. Dico : *per ſe loquendo*, quia dicere de aliquo eſse illegitimum in iis locis, ubi probra parentum redundant in filios & ideo infames habentur, eſset mortale : ſicut etiam, foret, aſserere aliquem extraneum, qui eſt & habetur verè nobilis, plebejum eſse, aut filium ſartoris.

Reſol. 4. quædam peccata mortalia reſpectu certarum perſonarum non eſse graviter infamatoria, & ideo non graviter detraheret, qui diceret in hac patria plebejum fuiſse ebrium, militem commiſiſse duellum, juvenem mundanum fuiſse fornicatum : cum ipſimet non multum curent illa occultare, imò non raro ſoleant de illis ſe jactare.

Reſol. 5. Dicentem Petrum v.g. eſse infectum lue venerea, tantùm peccare venialiter, ſi Petro, quia militi aut juveni mundano, non ſit magnum dedecus fornicatio revelata. Si autem ſit talis, ut revelatio fornicationis ſit ipſi graviter probroſa, detectio illius morbi erit lethalis, niſi certè ſtatim ſubjicias, ex lecto, ſuppellectili, aut alia re infecta id ipſi accidiſse.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS II.

An modus propalandi crimen, v. g. quia jocando, quia non aſſertivè, quia uni tantum, quia de perſona innominata, mortua &c. excuſet detrahentem à mortali?

CONCLUSIO I.

DEtrahere ex intentione jocandi in iis circumſtantiis, aut apud tales perſonas, ut certò credatur fides non adhibenda, non eſt peccatum, ſaltem mortale, Ratio eſt, quia rigorosè loquendo non eſt detractio, cùm indè nulla ſequatur proximi infamia. Si tamen prævideretur, audientes non eſſe aſſuetos joco, aut eſſe leves in credendo, poſſet eſſe peccatum grave, ubi gravia propalarentur.

CONCLUSIO II.

QUi refert alterius crimen non aſſertivè, ſed tanquam dictum ab alia, licèt vilibus perſonis, raro excuſatur à mortali. Ratio eſt, quia experientia quotidiana nos convincit homines in malum proclives facile ſimilibus adhibere fidem, ſi non certiſſimam, ſufficientem tamen, ut graviter lædatur proximus, aut ejus fama periculo exponatur. Præterea cum *fama creſcat eundo*, ſi primus narret crimen tamquam ab aliis auditum, ſecundus aut tertius narrabit tamquam certò factum: & licèt fortè primus non læderet graviter famam proximi, illa tamen exponit periculo evidenti læſionis notabilis.

CONCLUSIO III.

NOn licet ſine iuſta cauſa crimen proximi uni, aut alteri revelare. Eſt communior & probabilior contra quoſdam volentes id eſſe licitum, ſi revelatio fiat viro probo & diſcreto.

Prob. 1. quia poſſeſſio famæ in animo viri probi & prudentis, eſt bonum notabile: ergo ejus deſtructio apud eundem eſt damnum notabile.

Prob. 2. non minus perdit famam ſuam proximus apud virum honeſtum, cui manifeſto illius crimen, quàm apud me temerarie de illo judicantem; ſed quando judico temerariè perdit famam ſufficienter, ut peccem mortaliter, ergo etiam quando revelo ejus crimen.

Prob. 3. quia ſi hoc eſſet, poſset quilibet audire detractorem ſine ſcrupulo, ſibi perſuadens ſe eſse prudentem & diſcretum.

Dices 1. non cenſeor infamatus, quando aperio crimen meum in Confeſſione Sacerdoti: ergo nec ille, cujus delictum viro prudenti & taciturno revelatur.

R. N. conſeq. Diſparitas eſt, 1. Quòd in Confeſſione peccatum non tam homini, quàm Deo detegatur. 2. Quòd Confeſsarius debeat potiùs opinionem bonam, quàm malam de pœnitente concipere, cum ipſi patefaciat id, quod nollet alteri pro vita ſua manifeſtare. 3. Quòd crimen in Sacramento dicatur, ut aboleatur, & ſit quaſi non fuiſset; quod non militat in alio caſu.

Dices 2. Fama conſiſtit in opinione multorum: ergo hinc non aufertur.

R. Diſt. Conſeq. non aufertur adæquatè, C. inadæquatè, ſeu quoad illum, cui crimen detegitur, N. quia fama diviſibilis eſt, non ſolùm ratione materiæ, ſed etiam reſpectu eorum, apud quos viget.

Dices 3. Poteſt quandoque aperiri complex in Confeſſione: ergo & proximi peccatum viro ſecreto.

R. diſparitatem eſse, quòd complex mecum peccando, illi rei ſe voluntariè expoſuerit, adeòque indirectè juri ſuo ceſſerit, non ſic alter.

Dices 4. Poſsunt conjuges colloqui de peccatis prolium, aut domeſticorum: ergo.

R. Diſt. Ant. poſsunt quando id conducit ad bonum regimen familiæ, v. g. ut evitetur infamia, nocumentum, aut relapſus, C. Ex mera loquacitate, N. quia tunc æqualiter detrahunt ac extranei.

Dixi in Concl. *ſine Iuſta cauſa*, quia ſi id fiat conſilii, aut auxilii neceſsarii petendi cauſa, nec poſſit haberi, niſi crimen & criminoſum manifeſtando, non erit peccatum. Imò nec peccaret, ſaltem mortaliter, juxta Sylvium & alios, qui ad ſolamen, aut doloris mitigationem injuriam ſibi ab altero occultè illatam uni aut alteri manifeſtaret, modò abſit affectus vindictæ & detractionis, nec pluribus aperiatur, quàm poſtulet doloris injuſtè illati amaritudo.

Ratio eſt; quia videtur nimis durum, quòd quis teneatur in ſecreto illatam ſibi injuriam concoquere, ut parcat famæ injuriantis, qui noluit ipſemet injuriato parcere. Unde cenſetur injuriando huic inconvenienti ſe exponere voluiſse, cum ſciret hujuſmodi revelationem ex illata injuria ſolere ſubſequi. Eſset tamen magis Chriſtianum de injuria apud Crucifixum conſolationem quærere.

CONCLUSIO IV.

QUi crimen aliquod ita aperit, ut nec perſona nominetur, nec illius cognoſcendæ ſit periculum, non detrahit; quia nullius fama læditur. Sed quid ſi diceret: *in tali via, in tali pago, in tali Academia, ſunt multi nequam, multi latrones, multi impudici* &c. Non peccaret graviter, quia nullus in particulari infamatur, nec poteſt audiens judicare, aut ſuſpicari potiùs de uno, quàm de altero. Aliud eſset, ſi id affirmaretur de aliquo Seminario, Conventu, aut Religione; quia id graviter redundaret in dedecus Clericorum, aut talium Religioſorum; Imò eſset gravis detractio, propter eandem rationem, ſi tantùm diceretur: *Unus è tali Monaſterio commiſit Adulterium, Fornicationem &c.*

CONCLUSIO V.

REus eſt gravis detractionis, qui famam perſonæ defunctæ notabiliter lædit. Eſt communis. Ratio eſt; quia tantùm jus habet ad famam ſuam defunctus, quantum vivus; cum juxta communem hominum exiſtimationem, cenſeatur adhuc in ſua fama vivere: unde ſicut illius memoria capax eſt glorioſæ recordationis, ita & ignominioſæ detractionis: quod confirmat Script. Eccl. 7. *Mortuo non prohibeas gratiam*. Hinc

Reſol. Peccare graviter Hiſtoricos, qui ſub prætextu integritatis hiſtoricæ, aut terroris lectoribus incutiendi, ſcriptis evulgant occulta mortuorum ſcelera; cùm nulla ratio poſſit evulgationes illas cohoneſtare, unde vel debent abſtinere, vel nomina tacere.

ARTICULUS III.

An infamis uno loco, uno tempore, uno crimine, poſſit in alio loco, alio tempore, de alio crimine infamari?

SUppono 1. Crimen poſse eſse publicum in uno loco tribus modis, nempe Jure, Facto, & Fama. Publicum eſt Jure, quando notorium eſt per ſententiam Judicis, confeſſionem Rei, aut teſtium depoſitionem: Publicum Facto, dum coram pluribus perpetratum eſt, ita ut non videatur poſse celari: Publicum Fama, dum illius rumor pervenit ad tot perſonas talis conditionis, talis ſexus, in talibus circumſtantiis, ut, moraliter loquendo, ſit evulgandum.

Suppono 2. Eum, qui aliquando fuit infamatus, poſse, rebus mutatis, bonum nomen ſibi poſtea comparare.

Suppono 3. Famam eſse diviſibilem, ſeu infamatum in una materia non continuò eſse infamem in qualibet. His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

INfamatus per ſententiam publicam, poteſt ubivis infamari ſine læſione juſtitiæ, aut Charitatis: infamatus autem Facto, aut Fama, poteſt in locis viciinoribus, non ubique. Hæc Concluſio tres habet partes.

Prob. prima pars; quia ideo ſententia fertur & peragitur publicè, & quidem iis diebus, quibus ad forum confluit populorum undequaque venientium multitudo, ut ſtatim in omnes partes diffundatur dictis & ſcriptis in aliorum exemplum & terrorem. Præterea infamia illa eſt pars pœnæ crimini debitæ.

Dixi: *Per ſententiam publicam*, ob duas rationes, 1. Quia ſi quis ſit tantùm infamatus per confeſſionem propriam, aut teſtium depoſitionem, ſic de eo loquendum eſt, ſicut de infami Facto aut Fama. 2. Quia infamis tantùm in aliquo Monaſterio, aut Collegio per ſententiam ibidem latam, non poteſt extraneis detegi: tum quia talis eſt intentio judicis; tum etiam, quia illa manifeſtatio redundat in omnes alios, eò quòd Monaſterium, Collegium, ſicut & familia, ſint quaſi unica perſona ratione conjunctionis moralis, & ideò uno infamato, infamantur & alii.

Prob. ſecunda pars; quia eo ipſo quo quis peccavit publicè,

Digitized by Google

cè, cenſetur ceſſiſſe juri, quod habebat ad famam in illo loco, ſicut & in locis, ad quæ moraliter loquendo perventura eſt fama delicti; cùm publicitas criminis & ejuſdem taciturnitas opponantur moraliter: unde etiam timorati crimina publica divulgant dictis & ſcriptis in locis vicinioribus, ſicut & extraneis adventantibus abſque ullo ſcrupulo. Non eſt tamen negandum, ſæpe in illis divulgationibus intervenire peccatum veniale contra Charitatem: cùm tunc faciamus alteri, quod in ſimili caſu nollemus nobis fieri. Imò eſſet mortale, ſi divulgatio ex odio, aut vindicta procederet. Sed quid ſi prævideres quòd divulgando Tornaci crimen patratum Inſulis, cauſares grave damnum infamato diſtinctum ab ipſa infamia, v.g. quia eſſet bonis fortunæ ſpoliandus, incarcerandus &c.? Peccares mortaliter contra Charitatem divulgando; quia teneris ex lege Charitatis grave malum proximi impedire, ubi id potes ſine gravi tuo incommodo. Non peccares tamen contra Juſtitiam, neceſſes obnoxius reſtitutioni; quandoquidem ob criminis publicitatem non ſis injurius infamato.

Prob tertia pars (quam impugnant plurimi volentes criminis Facto aut Fama publici propalationem, etiam in locis remotiſſimis, non eſſe contra juſtitiam; imò nec contra Charitatem; licèt alii velint opponi Charitati, non juſtitiæ) Prob. inquam, illa pars; quia licèt peccans publicè, cedat implicitè juri famæ ſuæ in locis vicinioribus, non tamen in remotioribus; ideo enim cenſetur cedere juri ſuo quoad vicina, quia fama, moraliter loquendo, eſt crimen illuc perlatura, atqui non eſt illud perlatura ad loca remotiora: ergo quoad illa non ceſſit juri ſuo.

Confir. 1. Peccans occultè, retinet jus ad famam, atqui crimen hic patratum eſt verè occultum reſpectu locorum, ad quæ fama nunquam pertinget: ergo.

Confir. 2. Quando tantùm 3. aut 4. homines norunt aliquod crimen in urbe patratum, nulli licet citra injuſtitiam illud propalare, nequidem in ipſa urbe, quia moraliter non eſt evulgandum ibidem, atqui crimen publicè factum Inſulis, non eſt moraliter evulgandum Luxemburgi v. g. ergo &c.

Dices 1. Publicum per ſententiam poteſt ubivis propalari: ergo & publicum Facto.

Reſp. Neg. Conſeq. Diſparitas eſt, quòd infamia univerſalis in 1. caſu ſit pœna culpæ impoſita, non ſic in 2.

Dices 2. Publica Facto ponuntur in nuntiis novis, imò & in hiſtoriis: ergo.

Reſ. 1. Hoc nimium probare, cùm etiam probet non eſſe contra Charitatem: quod negat ſanior pars.

Reſ. 2. In nuntiis novis referri quidem Facta publica, ſed ſuppreſſo nomine; ſi autem quandoque exprimatur, hoc accidit quando factum ita eſt extraordinarium, ut ſit moraliter perventurum ad omnia loca, ad quæ mittuntur nuntia nova. Præterea non omnia quæ habentur in nuntiis novis ſunt irreprehenſibilia. Quoad Hiſtoricos, poſſunt excuſari, quando crimen & criminoſos referunt eo tempore, quo nullus eſt ſuperſtes, qui eos noverit, nec aliunde poteſt infamia parentibus graviter nocere; aliàs non poteſt ipſis indulgeri. Hinc

Reſol. 1. Referentem Facta publica in iis locis, ad quæ fama non perveniſſet, teneri reſtituere famam, & omnia damna inde ſequentia.

Reſol. 2. Hiſtoricos propalantes Facta in locis remotioribus teneri, quantùm poſſunt, etiam ſcriptis publicis, ibidem infamatos indemnizare, licèt cum detrimento propriæ famæ.

Reſol. 3. Probabiliùs committere injuſtitiam, qui ſciens crimen aliquod factum eſſe publicum per injuriam; pergit illud ulterius diffundere; quia ſicut prima infamatio injurioſè facta eſt, ita & injurioſè continuatur. In praxi tamen, ubi conſtat crimen eſſe publicum, & ignoratur an ſit per injuriam publicatum, divulgatur ſine ſcrupulo, quaſi ſupponendo, non eſſe injuſtè propalatum.

CONCLUSIO II.

INfamatus uno tempore, non poteſt ſine injuſtitia infamari altero tempore, in quo crimen eius obliteratum eſt. Eſt ſatis communis contra aliquos volentes tantùm eſſe contra Charitatem.

Prob. 1. Quia eodem modo loquendum eſt de crimine oblivioni dato, ac de crimine occulto; atqui injuſtitia eſt propalare crimen occultum: ergo & obliteratum.

Prob. 2. Quia ille ſaltem habet jus ad famam præſentem, quam bene vivendo ſibi comparavit, atqui, divulgato crimine obliterato, deſtruitur fama præſens, vel ſaltem redditur inutilis: ergo. Aliud eſſet, ſi propter pœnitentiam exemplarem, & vitam omninò Chriſtianam revelatio criminis obliterati nihil noceret.

Prob. 3. Si quis coram exercitu crimen commiſiſſet, & poſteà, deleto exercitu, unus tantùm aut alter ſuperſtes illius meminiſſet, non poſſet crimen evulgare, quia de publico factum eſſet occultum, atqui idem accidit in noſtro caſu: ergo.

CONCLUSIO III.

INfamatus de uno crimine, non poteſt citra injuſtitiam infamari de altero, niſi ſecundum crimen eſſet multùm affine & ordinariè conjunctum cum primo. Eſt communis & certa contra Paludanum aſſerentem, reum infamem de uno crimine poſſe à Judice interrogari de aliis occultis, quorum non laborat infamia.

Prob. 1. Quia fama eſt quid diviſibile; ſeu conſtans variis partibus diverſæ rationis, & à ſe invicem independentibus, & ideò ex eo quod una ſit ſublata, non ſequitur quod poſſit tolli altera.

Prob. 2. Quia nullus eſt ſanæ mentis, qui non credat facere gravem injuriam proximo, ſi ex eo quòd hic ſit fornicarius, dicat ipſum eſſe infidelem in mercatura, in contractibus &c.

Dixi: *Niſi ſecundùm crimen &c.* quia tunc non cenſetur irrogari nova infamia. Ex dictis

Reſol. 1. Non eſſe audiendum Sylveſtrum docentem univerſaliter, non eſſe peccatum, ſaltem mortale, infamare aliquem de crimine minori, ubi jam infamatus eſt de majori; cùm ſæpe peccatum minùs nullam prorſus habeat affinitatem, aut connexionem cum majori, ſicut de facto nullam habet fornicatio cum Hæreſi, Furtum cum homicidio &c.

Reſol. 2. Non eſſe culpam lethalem dicere de illo, qui communiter habetur ebrioſus, quod rem domeſticam negligat, rixetur quandoque in propria familia &c. quia ſimilia ſunt ordinariè conjuncta, vel certè non ſolent infamiam priorem graviter augere.

Reſol. 3. Infamare illum, qui videtur omnem Dei timorem & honeſtatem abjeciſſe, de crimine occulto, ſaltem inferiori, non eſſe quid grave; quia vix aut ne vix augetur inde illius infamia.

ARTICULUS IV.

An liceat interdum ſeipſum infamare?

CONCLUSIO I.

SEipſum infamare ſine cauſa rationabili, eſt peccatum; veniale tamen, ubi nullum aliud intervenit detrimentum.

Prob. prima pars tum ex Script. Eccle 41. *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri pretioſi & magni:* & alibi dicitur melius eſſe bonum nomen, quàm divitiæ multæ, quibus ſatis inculcatur ſtultè agere illum, qui famam ſuam prodigit; tum ex Auguſt ſerm. 49. *De diverſis,* ubi ait; *Qui fidens conſcientiæ ſuæ negligit famam ſuam: crudelis eſt*; tum etiam Ratione, quia fama debet eſſe homini magis chara, quàm divitiæ, ut diximus; ſed eas prodigere peccatum eſt: ergo & illam.

Prob. ſecunda pars; quia homo famam diſſipando nulli facit injuriam, cum ſit dominus ſuæ famæ, ſicut eſt ſuæ pecuniæ: unde tantùm eſt vitium cujuſdam prodigalitatis.

Dices 1. Homo tenetur ſeipſum diligere ad minus ſicut proximum; ſed mortale eſt infamare proximum: ergo & ſeipſum.

Reſp. Diſt. Maj. Homo tenetur &c. in iis quæ ſpectant ad ſalutem, C. in aliis, N. ſaltem univerſaliter, ut patet in bonis fortunæ, imò & quandoque in bonis vitæ.

Dices. Cum Cajetano: homo ſeipſum infamando facit injuriam Reipublicæ, cujus eſt pars: ergo licèt non peccaret graviter reſpectu ſui, peccat tamen graviter reſpectu Communitatis.

Reſp. Hominem magis nocere Reipublicæ diſſipando bona ſua, in quæ habet ipſa dominium altum in caſu neceſſitatis, quàm diſſipando famam ſuam, in quam nullo caſu habet dominium; ſed in diſſipatione bonorum nihil, aut non niſi leviter, nocet Reipublicæ, ut docet ſententia communis: ergo & à fortiori ſimiliter in diſſipatione famæ.

Dices 3. S. Auguſtinus lib. 1. de Civit. Dei cap. 20. *Non minùs reus eſt*, inquit, *qui de ſeipſo falſum fatetur, quàm ſi adverſus proximum hoc faceret*: ergo &c.

Reſ. Diſt. Ant. Non minùs reus eſt in ratione mendacii, ſeu falſi teſtimonii, ut ipſemet loquitur ibidem, C. ratione diſſipationis famæ, N. eſt enim famæ ſuæ dominus, non alienæ.

Dices 4. Bona fama eſt ſtimulus virtutis: ergo qui illam prodigit, exponit ſe gravibus peccatis.

Reſp. Diſt. Ant. Eſt ſtimulus virtutis in omnibus, N. aliqui enim magis excitantur ad virtutem ex ſui infamia, quàm ex bona fama: In aliquibus, C. ſed hi ſi prævideant quòd diſſipando

Digitized by Google

quòd diſſipando famam, exponant ſe periculo graviter peccandi, ex tunc graviter peccant: quod non eſt contra concluſionem, in qua diximus: *Ubi nullum aliud intervenit detrimentum.*

CONCLUSIO II.

Quando quis ſe infamat in iis circumſtantiis in quibus inde graviter nocet Communitati, familiæ, proximo, etiam vitæ ſuæ, peccat mortiſere. Eſt communis & certa. Ratio eſt; quia licèt ſit quis Dominus famæ ſuæ non tamen poteſt illam diſſipare cum detrimento boni publici famæ alienæ, aut vitæ propriæ, cùm in illa nullum habeat dominium. Hinc

Reſol. 1. Religioſum, aut patrem-familias ſeipſum ità infamantem, ut inde redundet gravis infamia in Communitatem, aut familiam, culpam incurrere lethalem.

Reſol. 2. Etiam graviter delinquere perſonam publicam, ſicut & Superiorem, ſi ex ipſorum infamia frangatur regendi authoritas, cum magno utilitatis publicæ aut Communitatis diſpendio.

Reſol. 3. Non minus eſſe culpabiles illos, qui propalando ſua crimina, ſibi & aliis ſunt ſcandalo: ſibi quidem ratione jactantiæ, & complacentiæ in illis, aliis verò ratione incitamenti ad ſimilia patranda.

Reſol. 4. Eſſe ſui ipſius homicidam, qui ſine rationabili cauſa, & extra tormenta aperiit ſuum delictum, ex quo manifeſtè prævidet mortem ſibi imminere.

CONCLUSIO III.

Sine alterius detrimento revelare ſuos defectus ex cauſa honeſta, non eſt peccatum, ſed quandoque actus virtutis. Ratio eſt, quia poteſt quis velle illam ſibi confuſionem ad ſui humiliationem, peccatorum vindictam, divinæ miſericordiæ exaltationem, ut fecit D. Aug. cum multis aliis, qui etiam ſcriptis publicis peccata ſua propalarunt & deplorarunt: quod eſt maximè meritorium. In hoc tamen multa prudentia opus eſt, & cavenda, ſub ſpecie humiliationis, ſuperbia & hypocriſis.

ARTICULUS V.

Qualiter peccet audiens detractionem, quandonam excuſetur?

Poteſt quis eſſe auditor detractoris tripliciter, nempè inducendo, approbando, & non impediendo: & de hoc triplici modo poteſt eſſe quæſtio.

CONCLUSIO I.

Qui conſilio, juſſu, adulatione, interrogatione, aut alio modo alterum inducit ad detrahendum, aut detractionem continuandum, peccat contra Juſtitiam, imò & contra Charitatem.

Prob. prima pars: eodem modo loquendum eſt de ablatione famæ, ac de ablatione rei alienæ, ſed qui eſt cauſa cur auferatur res aliena, peccat contra juſtitiam, non minus ac ipſe fur: ergo qui eſt cauſa, cur violetur alterius fama, lædit juſtitiam, ſicut ipſe detrahens: & hoc ſenſu dixit D. Bernard. lib. 2. de Conſid. ad Eugenium cap. 13. *Detrahere vel detrahentem audire, utrum horum deteſtabilius ſit, non facilè dixerim.*

Prob. ſecunda pars, quia taliter audiens eſt verè detrahenti ſcandalum, cùm eundem ad peccandum inducat & provocet, ſcandalum autem opponitur Charitati.

CONCLUSIO II.

Audiens detractorem non inducendo, ſed ex auditis ſibi complacendo, lædit graviter Charitatem, non tamen Juſtitiam.

Prob. prima pars, quia lætatur de gravi malo proximi, quod eſt quoddam peccatum odii. Unde Paulus ad Rom. 1. *Qui talia agunt* (id eſt, qui detrahunt) *&c. digni ſunt morte, & non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.*

Prob. ſecunda pars quia infamato nullam facit injuriam, cum ſupponatur ad actionem detrahens nullatenus cooperari, & ideo non tenetur ad reſtitutionem, ad quam tenetur inducens.

Dixi: *Ex auditis ſibi complacendo*: ſi quis enim delectaretur præcisè de lepiditate, gratia, dexteritate, aut exaggeratione detractoris, non eſſet indè culpandus peccati gravis, licèt poſſet lethaliter peccare, eò quod detractorem non impediret ut dicemus poſtea. Sed quid ſi audiens ſola dictorum curioſitate ducatur; famæ violationem nullatenus approbando? Aſſerit Leſſius tantùm eſſe veniale, ſed certò tenendum eſt, eſſe mortale, cum ipſa cognitio curioſa neceſſariò cauſet in audiente alterius infamationem.

CONCLUSIO III.

Qui detractioni nec cooperatur, nec conſentit, non tamen illam impedit, quando poteſt cum fructu & ſine gravi ſui diſpendio, lædit notabiliter Charitatem, & quidem ex duplici capite: ac 1. reſpectu infamantis, cujus peccatum & ruinam ſpiritualem non impedit, cùm poſſit fraternè corrigendo 2. reſpectu infamati, cujus famam permittit injuſtè crudeliter lacerari: & certè ſi permittens auferri bona proximi, lædat Charitatem, quidni permittens auferri famam?

Dixi *Dum poteſt cum fructu*: ſi enim prævideat nihil profuturum, vel quia detractor eſt talis indolis, ut correctus plura ſit dicturus, aut dicta confirmaturus, vel quia ipſe audiens eſt perſona ad correctionem inidonea, utpote quia famulus, vel longè inferioris conditionis, non tenebitur poſitivè reprehendere, ſed ſufficit illi, ſi ſe nolentem exhibeat, vel diſcedendo, vel alio ſermonem convertendo, vel triſtem vultum oſtendendo: imò hi modi correctionis tacitæ nonnunquam plus proſunt, quàm alii, ut convincit experientia: unde eſt illud Prov. 25. *Ventus Aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem*, & ideò cenſet P. Marchantius, nullum, niſi Superiorem aut perſonam reſpective gravem, ad plura teneri.

Dixi 2. *Et ſine gravi ſui diſpendio*, quia ſi timeat ideo verbera, contumelias, convitia, rixas, blaſphemias &c. non tenetur detractorem impedire, imò imprudenter id tentaret. Volunt aliqui, etiam non teneri, ſi propter magnam verecundiam, aut animi puſillanimitatem non audeat reſiſtere, ſed hoc non videtur admittendum, ſi audiens ſit Superior, aut perſona reſpectivè gravis, imò quamvis tantum foret æqualis.

CONCLUSIO IV.

Excuſatur audiens à correctione facienda. 1. quando detractio eſt levis, leviterque nocet infamato 2. quando neſcit, an crimen propalatum ſit publicum, an occultum, quia debet præſumi bonus, qui non probatur malus, niſi certè ſciret perſonam crimen referentem eſſe detractioni aſſuetam 3. ut volunt aliqui, quando advertit audientes non credituros ſed ſi non teneatur tunc, ut impediat damnum infamati, tenetur tamen ut impediat peccatum infamantis 4. Si ſit ſcrupuloſus, ita ut non poſſit in praxi diſcernere an detractio ſit gravis, vel levis: an crimen juſtè, vel injuſtè referatur, quando ſit obligatus corripere, & quando non: cùm enim propter conſcientiæ turbationem exponatur periculo reprehendendi ubi foret tacendum, etiam exponitur aliorum deſpectui & ludibrio, cum magno ſui rubore & moleſtia, nemo autem tenetur cum tanto incommodo alterius famam tueri. Item excuſatur audiens, quando nullus ſperatur fructus, quando gravia tenentur incommoda, ut diximus antea.

Advertendum hìc expedire nonnunquàm, ut correctio tantùm fiat abſoluta detractione: cùm enim aliqui ſint in ſuis diſcurſibus ita exaggerativi, ut prima fronte videantur horribilia de proximo dicturi, in fine autem nihil aut fere nihil dixerint: ſi diſcurſum abrumperes, relinqueres in animis audientium cognitionem confuſam magis proximo nocivam, quàm ipſummet crimen exaggeratum.

ARTICULUS VI.

Quid contumelia, quotuplex, quale peccatum, & an Contumeliæ differant ſpecie?

CONCLUSIO I.

Contumelia eſt honoris alieni per verba, aut æquivalentia, injuſta & aperta ablatio.

Dicitur 1. *Honoris*, ut diſtinguatur à Detractione, quæ directè tendit ad famæ, & non honoris deſtructionem, qui enim occultè crimen alterius revelat, adhuc perſonam veneratur, & ſic non directè operatur contra illius honorem: qui autem apertè & in faciem crimen objicit, ipſius perſonam vilipendit, ſicque directè honorem lædit.

Dicitur 2. *Per verba*; quia cùm contumelioſus intendat id exprimere, quod ad alterius inhonorationem conducit, verba

autem

Digitized by Google

utem ad exprimendum conceptum ſint ordinata; ideo per verba directè & per ſe efficitur Contumelia.

Dicitur 3. *Aut æquivalentia*; quia etiam fieri poteſt factis. ut ſi quis alterius imaginem conculcet, cornua ad ejus portam appendat, virum honoratum fuſte, aut alapa percutiat &c. ſed tunc non accipiuntur facta ut facta, ſed quatenus induunt rationem verborum, ſeu ſignorum honoris deſtructivorum.

Dicitur 4. *Injuſta*, ſi enim fiat ex intentione corripiendi inferiorem, v. g. cùm pater per verba Contumelioſa objurgat filium, maritus uxorem, Prælatus ſubditum, Dominus ſervum, non eſt propriè Contumelia, de qua hic loquimur, cum ſit peccatum, ſed actus laudabilis & meritorius; eo quòd poſſint Superiores, ubi prudentia exigit, ſuorum honore & fama uti ad eorundem correctionem: ſicut enim, inquit D. Thom. licitum eſt diſciplinæ cauſa alterum verberare, ita & diſciplinæ cauſa verbum contumelioſum dicere: undè Chriſtus Lucæ 24. vocavit Apoſtolos *ſtultos & tardos corde ad credendum*, & Paulus ad Galatas 3. eoſdem appellavit *inſenſatos*.

Circa hoc tamen tria obſervare debent Superiores. Primo Ut ſolam correctionem & emendationem delinquentis intendant. Secundo: ut non niſi ex neceſſitate, & quidem cum magna diſcretione & prudentia illam adhibeant. Tertio: Ut ſic loquantur, quod intelligat correctus ſimilia non ex ira, aut paſſione procedere, ſed correctionis cauſa. Quæ tria, cùm rarò adſint, etiam rarò objurgationes illæ ſunt uſurpandæ. Accedit, quòd inde potius exacerbentur Subditi, quàm emendentur, & levius interdum ſuſciperent verbera, quàm hujuſmodi verba. Non igitur impetuosè & clamoroſè, ſed blandè & paternè, reprehendantur Subditi, cùm melius ſit amari, quàm timeri: *Cogitemus*, inquit Aug. lib. 2. *de Serm. Domini in monte* cap. 19. *Cùm aliquem reprehendere, vel objurgare nos neceſſitas coegerit, primum cogitemus, utrum tale ſit vitium, quod nunquam habuimus, & ſi nunquam habuimus, cogitemus, nos homines eſſe, & habere potuiſſe: ſi verò habuimus, & jam non habemus, & tunc tangat memoriam communis fragilitas, ut illam reprehenſionem, aut objurgationem non odium, ſed miſericordia præcedat*.

Dicitur denique: *Et aperta*; quia, ut inquit Sylvius, licèt contingat interdum Contumeliam inferri abſentibus, per ſe tamen, & ex intentione ſemper fit præſenti, in quantùm intendit Contumelioſus, ut Contumelia nota fiat Contumeliato, & ideo ſi revelans proximi crimen nolit id ipſi manifeſtari; Detractor eſt, non Contumelioſus: & utrumque neceſſario debet in Confeſſione exprimere, cùm Detractio, & contumelia ſpecie differant, ſicut Furtum & Rapina. Ex dictis

Colligi poteſt, Contumeliam tripliciter accidere poſſe. 1. Si fiat præſenti. 2. Si abſenti, ſed cum intentione, ut reſciat. 3. Si ſcripto aut libello famoſo: & hic modus eſt maximè pernicioſus, cùm ſcripta magis evulgentur & memoriæ hæreant, quàm verba, & ideo author libri famoſi jubetur capite plecti per leges Civiles: per Eccleſiaſticas autem: verberibus excipi, ſi ſit contra ſæculares, & excommunicari, ſi ſit contra Eccleſiaſticos: quas pœnas à Jure jam pridem latas renovarunt Pius V. Bulla *Romani Pontificis*, & Greg. XIII. Bulla, *Ea eſt rerum*, qui & ſtatuerunt, ut invenientes ejuſmodi libros ſcientes eſſe infamatorios, tanquam cooperatores habeantur & eiſdem pœnis ſubjaceant, niſi ſtatim eos ante omnem manifeſtationem deſtruxerint. Imò Alexander IV. Bulla quæ incipit *Ex alto*, & altera quæ incipit *Non ſine multa*, quas referunt Sylveſter & Cajetanus verbo *Excommunicatio*, ferit excommunicatione S. Sedi reſervata omnes illos, qui libellis famoſis, cantilenis, aut Rhytmis Ordinem Prædicatorum, aut Minorum infamaverint. Aliud eſſet, ſi Religioſus particularis infamaretur.

CONCLUSIO II.

DUplex eſt Contumelia, formalis una, materialis altera, prima eſt ex intentione lædendi honorem proximi. Secunda ſine quidem tali intentione, ſed tamen illa dicuntur, aut fiunt, quæ ſunt honoris alieni læſiva: & hæc eſt etiam graviter mala, ſi fiat in materia gravi cum advertentia; quia licèt non intendat Contumelioſus proximum inhonorare, inhonoratur tamen ex ejus culpa.

Petes 1. Quomodo inter ſe differant, Contumelia, Convitium, & Improperium?

R. In hoc ſaltem materialiter differre, quòd *Contumelia* objiciat defectum culpæ, ut ſi dicatur: *Tu es hæreticus, proditor, fur, mœchus*, &c. *Convitium* objiciat defectum pœnæ v. g. dicendo: *Tu es homo parvi cerebri, exigui ingenii, ſtultus, cæcus*, &c. *Improperium* verò opponat defectum indigentiæ præteritæ, revocando injurioſè in memoriam auxilium, aut beneficium præſtitum.

Dixi: *ſaltem materialiter differre*; quia non videntur formaliter & ſpecie differre inter ſe, cùm omnia eò tendant, ut evulgent defectum in detrimentum honoris.

Petes 2. Quid Calumnia? R. eſſe impoſitionem falſi criminis, quæ ſi fiat occultè, erit detractio calumnioſa, ſi apertè, ſeu in præſenti, Contumelia calumnians. Eſt autem peccatum graviſſimum, & quidem duplo aut triplo majus Detractione, aut Contumelia ſimplici, cùm quis utatur mendacio pernicioſiſſimo ad lacerandam alterius famam aut honorem, quem apud Deum, & homines juſtiſſimè poſſidet.

CONCLUSIO III.

COntumelia eſt peccatum ex genere ſuo mortale, & quidem ordinariè longè gravius detractione.

Prob. prima pars ex Script. ad Rom. 1. ubi Apoſt. inter illos, quos Deus tradidit in reprobum ſenſum, ponit *contumelioſos*, & Matth. 5. dicitur: *qui dixerit* (fratri ſuo) *fatue, reus erit gehennæ ignis*. Pœna autem ignis æterna, ſoli peccato mortali debetur.

Ratio etiam ſuffragatur; quia vir honeſtus honorem antepont fortunæ bonis: ſi ergo ſit mortale hæc ſurripere, quidni & illum graviter lædere.

Petes, occaſione paſſus Matthæi ſupra, an ſit ſemper mortale vocare fratrem fatuum, aut ſtultum?

R. N. ſed tunc ſolùm, cùm, attentis circumſtantiis & qualitatibus facti, perſonæ, adſtantium &c. cenſetur indè honos aut fama alterius notabiliter lædi, & ſic venit intelligendus paſſus Matthæi.

Prob. ſecunda pars; quia ordinariè Contumelia continet totam malitiam detractionis, & inſuper malitiam ſibi propriam: tantùm enim detrahit ille, qui coram aliis alterum vocat furem, quam ſi de abſente illud ipſum diceret. Fatendum tamen, ubi Contumelia ſolam honoris læſionem continet, & non famæ, gravius eſſe peccatum detractionem, quàm Contumeliam; quandoquidem cæteris paribus fama prævaleat honori, cum vix ſit æſtimabilis honor, niſi propter bonam famam, honorantur quidem homines propter ſcientiam, ingenium, nobilitatem, officium, dignitatem &c. ſed præſertim & fundatè propter vitæ probitatem.

Dixi in concl. quòd Contumelia ſit mortalis *ex genere ſuo*; nam variis caſibus poteſt eſſe venialis. 1. ſi fiat ex ſubreptione. 2. ſi id quod objicitur, ſit leve, tum in ſe, tum ex intentione lædentis, tum reſpectu perſonæ læſæ. 3. Si dicatur aliquid grave in ſe, ſed propter vilitatem perſonæ, cui objicitur, reputetur leve: & ideò nonnunquam excuſantur à mortali mulierculæ, & homines infimæ ſortis, qui rixando ſeſe invicem convitiis & contumeliis appetunt, effutientes quidquid in buccam venerit, eò quòd adſtantes nullam aut exiguam fidem dictis illis adhibeant. Non excuſantur tamen, ubi adeſt animus graviter lædendi.

Porrò hic advertendum, multum conferre ad judicandum de Contumeliæ gravitate, aut levitate, ſpectare perſonam à qua profertur, & cui profertur: quo enim minori, & à majori infertur, eò levior eſt: è contra quò majori & à minori, eò gravior: ſic alapa, aut ly *mentiris* reſpectu ſubditi, pueri, mulierculæ, plebei, eſt Contumelia levis, quæ tamen poteſt eſſe notabilis reſpectu perſonæ gravis, aut diſtinctæ.

CONCLUSIO IV.

COntumeliæ ſimplices, ſeu quæ continent ſolam honoris, & non famæ, læſionem, non videntur inter ſe ſpecie differre.

Ratio eſt; quia licèt honor ſit diviſibilis; conſtat tamen partibus ejuſdem rationis, ita ut ſive Contumelia fiat verbis, ſive factis, ſive ſignis, ſive durioribus, ſive levioribus, ſemper idem honor lædatur, excepto quòd aliquando plus, aliquando minus; & ideo volumus Contumeliam longè ſolito majorem, eſſe determinatè in Confeſſione aperiendam, licèt ubi non excedit modum communem, ſufficiat dicere: *toties proximum contumelia affeci*, nihil determinando.

Dixi in concl. *Contumeliæ ſimplices*; quia ubi in illis admiſcetur detractio, ſpecie differunt, non ratione ſui, ſed ratione famæ. Cujus ratio eſt, quòd cùm fama conſtet partibus ſpecie diſtinctis (alia eſt enim fama, quam quis poſſidet de caſtitate, alia de fidelitate, alia de temperantia &c.) etiam famæ læſiones debeant ſpecie differre, prout hanc

vel

vel illam ſpecie diſtinctam partem violant; & ideò neceſſariò exprimere debet in Confeſſione detractor, an in materia furti, adulterii, aut homicidii detraxerit.

ARTICULUS VII.

Quid dicendum de Suſurratione, Irriſione, Adulatione, & Maledictione?

CONCLUSIO I.

SUſurratio eſt oblocutio prava & ſecreta ad tollendam veram amicitiam, & ſeminandam diſcordiam.

Dicitur: *Oblocutio prava & ſecreta*; quia tam Suſurro, quàm Detractor malum dicit occultè de proximo; vel certè ſi bonum, tamen eo modò, ea intentione, eo colore, ut appareat audienti malum, ſicque tollatur amicitia.

Dixi 2. *Ad tollendam amicitiam*, quod eſt finis Suſurrationis. Addidi *veram*, ideſt honeſtam, cùm tollere amicitiam turpem non ſit peccatum, ſed actus virtutis.

Dixi denique: *Et ſeminandam diſcordiam*; quia Suſurratio ſtrictè dicta eò tendit, ut amicitiam tollat, & ſimul inimicitiam introducat.

Eſt peccatum ex genere ſuo mortale; & ideò inter Deo odibiles enumerantur Rom 1. *Suſurrones*. Et Eccl. 28. dicitur: *Suſurro & bilinguis maledictus*. Imò Prov. 6. altrà ſex quæ odit Deus, ſeptimum deteſtatur anima illius, nempè ſeminare *inter fratres diſcordias*. Accedit quòd amicitia, quam tollit, ſit bonum præſtantius, juxta D. Th. quàm ſit honor aut fama; quia *Amico fideli nulla eſt comparatio*, Eccl. 6. Et ideò concludit Doct. Angelicus Suſurrationem eſſe peccatum gravius Detractione, & Contumelia: loquitur autem de Suſurratione ſtricta: nam ſi quis mediis licitis, v. g. detegendo certos defectus naturales, aut etiam culpabiles publicos conetur Petrum v.g. excludere ab amicitia Pauli, ut ipſemet in locum excluſi ſuccedat, abſque eo quòd inde timeatur inimicitia, aut diſcordia, non videtur culpandus peccati mortalis, ſaltem contra juſtitiam, cùm nemini faciat injuriam: amicitia ſiquidem eſt bonum gratuitum ex libera alterius voluntate dependens, & in alium pro libitu amantis transferibile: undè ſicut poſſum ſine injuſtitia rogare Paulum, ut quod vult relinquere Petro per teſtamentum, mihi relinquat, alio excluſo; ita & idem facere pro amicitia obtinenda, cùm in neutro caſu jus habeat Petrus, & aliunde in utroque caſu ſit liber Paulus.

CONCLUSIO II.

IRriſio, ſeu deriſio, aut illuſio, eſt verborum luſus ex alterius defectibus, ut erubeſcat.

Dicitur 1. *Verborum luſus*; quia fieri ſolet jocando, aut ſe recreando.

Dicitur 2. *Ex alterius defectibus*, qui ſi graves objiciantur, grave peccatum eſt contra juſtitiam: ſi leves, ordinariè erit leve. Dico: *Ordinariè*; quia etiam tunc erit grave contra Charitatem, ſi inde prævideatur gravis alterius perturbatio ob ingenii debilitatem: ad quod ſeriò advertere debent illi, qui ſolent in conſortiis cum quibuslibet ludere, non attendentes, an ſint talium capaces, necne. Imò accidere poſſet, quòd perſona illuſa eſſet ſatis capax, & aliundè defectus objecti eſſent leves, & tamen perſona illudens peccet graviter: ut ſi Religioſo valdè pudico luſoriè objiceret, quòd dederit leve oſculum puellæ, unde ille ingenti rubore ſuffunderetur. Sed nunquid poteſt irriſio vacare omni culpa? Affirmant Doctores, ubi prudenter adhibetur ad perſonæ illuſæ emendationem, etiamſi fiat cum aliquo ipſius rubore, modò abſit periculum jacturæ honoris, aut famæ. Imò aſſerunt eſſe actum virtutis Eutrapeliæ, ſi perſonæ capaci leve quid objiciatur, honeſtæ recreationis cauſa: unde illa utuntur quandoque viri prudentes, graves & pii, animi refocillandi cauſa.

Dicitur 3. *Ut erubeſcat*: quod finis eſt irriſionis: & ideò ſpecie differt à Detractione, Contumelia, & Suſurratione; detractor enim intendit famæ diminutionem, contumelioſus honoris læſionem, Suſurro amicitiæ diſſolutionem, & irriſor perſonæ illuſæ erubeſcentiam, quæ ſunt motiva ſpecie diſtincta.

CONCLUSIO III.

ADulatio eſt quoddam blandiendi genus, quo quis in aliquo conſortio ſtudet verbis, aut factis alteri complacere ultra præſcriptum rationis. Non excedit ordinariè peccatum veniale; licèt tribus caſibus poſſit eſſe mortale. 1. quando quis lingua mendaci dicit bonum malum, & malum bonum cum periculo judicium pervertendi in re gravi: de hoc ritè dicitur Ezech 13. *Væ, quæ conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus: & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas*. Quando fit ex intentione alteri graviter nocendi: quo ſenſu dixit Aug. in Pſ. 69. *Plus perſequitur lingua Adulatoris, quàm manus interfectoris*. 3. dum aliquis laudat alterum de peccato mortali juxta illud Pſal 9. *Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur*.

CONCLUSIO IV.

MAledictio eſt, qua quis optat creaturæ rationali malum ſub ratione mali.

Dixi 1. *Creaturæ rationali*: quia ſicut creaturæ irrationales ſecundùm ſe ſumptæ ſunt incapaces boni vel mali in ordine ad fœlicitatem, aut infœlicitatem; ita & Maledictionis: unde otioſum eſt, adeoque tantùm veniale, maledicere muribus, locuſtis, pluviæ, gelu, calori, nubibus &c. ſicut & diei, in qua quis fuit natus, aut Matrimonio junctus: niſi certè intenderet per hoc maledicere ſibi, parenti, aut conjugi: tunc enim eſſet mortale; cùm maledicere irrationalibus, quatenus dicunt ordinem ad hominem, ſit maledicere homini: ſicut eiſdem maledicere quatenus ſunt opera Dei, eſt Deo maledicere, adeòque blaſphemare.

Dices: Quando Job maledixit diei nativitatis ſuæ, & David montibus Gelboe, non peccarunt venialiter: ergo maledictio irrationalium ſecundùm ſe nequidem eſt otioſa, & venialis.

R. Job, & Davidem maledixiſſe tempori, & loco Tropologicè, ideſt, non tam ipſis, quàm malis, quæ in ipſis contigerunt: Job enim maledicendo diei nativitatis, maledicebat peccato originali, & aliis miſeriis inde ſequentibus: David autem maledicendo Montibus Gelboe, maledicebat homicidiis ibidem patratis: quod nihil aliud erat, quàm dolere de illis, in quod nullum eſt peccatum.

Dixi 2. *Malum ſub ratione mali*; quia optare alteri malum ſub ratione boni quandoque licitum eſt; ſic licitum eſt homini peccatori, & perverſo multipliciter malè imprecari. 1. Ratione juſtitiæ, quomodo optamus peccatores à judice, vel à Deo puniri. 2. Propter gloriam Dei, quomodo Prophetæ ſæpè mala precabantur peccatoribus, ut Eliſæus pueris, Noe filio ſuo, Jacob Ruben &c. Ob commune bonum, ſic licitè optamus ut hæretici, & alii peccatores vel convertantur, ſicque nocere deſinant, vel è medio tollantur. 4. Ratione boni honeſti, ſic puella à juvene impudicè ſollicitata poteſt illi optare infirmitatem, ut ſic correptus reſipiſcat &c. Hoc tamen ſic intelligi debet, ut ſit verè culpabilis ille, cui malum imprecamur; aliàs ſi ob utilitatem noſtram id fiat, vera Maledictio eſt; & ideò maledicus eſt filius, qui Patri mortem imprecatur ob hæreditatem: ſicut maledicus eſt omnis ille qui malum optat alteri, etiam perverſiſſimo, ob vindictam, ex paſſione, ex ira, ex odio &c. quia tunc non optat ſub ratione boni.

Maledictio eſt ex genere ſuo peccatum mortale, ſi malum optatum ſit grave, ſi optetur ex animo, & adſit deliberatio perfecta. Prob tum ex Script. 1. ad Corinth 6. *Neque maledici.... Regnum Dei poſſidebunt*; tum etiam quia maximè repugnat Charitati dictanti non eſſe alteri optandum, quod nollemus nobis fieri.

Dixi 1. *Si optetur ex animo*; quia ſi Maledictio non tranſeat guttur, ut ita loquar, non eſt ratione ſui mortalis; & ideò excuſantur quandoque à gravi peccato mulierculæ, & homines infimæ ſortis, qui prolibus, aut domeſticis maledicunt, eo quòd Maledictiones illæ ſæpè procedant ex prava conſuetudine, interius nihil optando, ſed impetum furoris & impatientiæ declarando: unde ſi eodem inſtanti examinarentur, an vellent; ut malum illud filus aut famulis eveniret? Reſponderent quòd non. Attamen propter ſcandalum, etiam tunc ſæpiſſimè graviter peccant parentes, domini, & alii Superiores, præſertim aliqualiter conſuetudinarii, dum reſpectu ſuorum, aut coram illis in Maledictiones irrumpunt; ita ut non exhorreſcant dicere: *diabolus te aſportet, te abſorbeat terra*; & alia horribilia, quibus tantùm abeſt, ut emendentur ſubditi, ut è contra pejores fiant; quia deinceps nihili faciunt eorum dicta; & perſonas, quas revereri tenentur, vilipendunt. In dubio autem; an ex animo proceſſerit Maledictio,

necne,

Digitized by Google

necne, attendenda eſt perſona, cui maledictum eſt: unde ſi ſit hoſtis vel ingrata, judicandum eſt, fuiſſe ex animo. Si autem amica, aut grata, ſine animo: ſi verò indifferens, judicandum eſt ex conſuetudine maledicentis, qui ſi non ſoleat malum optare ex animo, etiam rixando, in illius favorem reſolvendum eſt: è contra, ſi ſoleat.

Dixi 2. *Et adſit deliberatio perfecta;* quia non eſt graviter peccaminoſa, ſi fiat ex primo motu, ex ira ſubita, aut ex alia paſſione. Cæterùm non eſt ſufficiens ſignum defuiſſe conſenſum, aut non eſſe maledictum ex animo, ut putant aliqui, quòd ſtatim maledicentem pœniteat, ſic fuiſſe locutum, & nollet, ut quòd optavit, eveniret; quia etſi hoc indicet magis ex paſſione, quàm ex malitia aut habitu peccaſſe, non tamen indicat non peccaſſe, cùm vel unico inſtanti poſſit adeſſe conſenſus ad mortale ſufficiens.

Porrò, etſi Maledictiones continentes malum in communi, ut ſi dicatur: *malum tibi ſit, ſis maledictus &c.* inter ſe non differant ſpecie, differunt tamen ubi continent malum particulare; quia deſiderium mali alieni ex diverſo malo quod optatur, diverſam accipit ſpeciem: unde ſi quis optet alteri incendium villæ, domus &c. incendiarius eſt, ſi mortem, homicida; ſi bonorum ablationem, eſt fur, & ſic de aliis.

ARTICULUS VIII.

Quale ſit peccatum alterius ſecretum revelare, aut exquirere, & quæ cauſæ excuſent?

QUoniam revelatio ſecreti eſt quædam locutio contra proximum; ideò non incongruè in hoc præcepto locum obtinet. Præter autem ſecretum Confeſſionis, de quo ſuo loco, eſt adhuc triplex. Primum quod ſequitur ex natura rei, ſeu quando res uni aut alteri aperta poſtulat ex ſe manere occulta. Secundum, quando res aliqua expreſsè vel tacitè ſub ſecreto commiſſa eſt. Tertium, quando audiens ſecretum promittit, etſi non fuerit ipſi commiſſum.

CONCLUSIO I.

REvelare ſecretum in 1. aut 2. caſu, eſt peccatum mortale contra juſtitiam, ſi materia ſit gravis, in 3. autem, aliquando mortale, aliquando veniale.

Prob. prima pars; quia ex revelatione talis ſecreti natum eſt ſequi proximo grave detrimentum in bonis vitæ, famæ, aut fortunæ, ſed ad illa omnia verum jus habet proximus: ergo id revelare, ex quo illorum jactura imminet, injuſtitia eſt.

Prob. ſecunda pars; quia ſecretum ex conventione expreſſa aut tacita ſuſceptum induit rationem promiſſionis acceptatæ; & ideò dicitur ſecretum promiſſum & commiſſum; ſed promiſſio acceptata obligat graviter ex juſtitia in re gravi: ergo & illud ſecretum.

Prob. tertia pars; quia ſi promittens ſervare ſub ſecreto rem aliquam, quæ ſibi non erat taliter commiſſa, intenderit ſe obligare ex juſtitia, illud violans peccabit mortaliter; ſi autem ex fidelitate, tantùm venialiter: quod judicandum eſt ex circunſtantiis materiæ, loci, temporis, modi, perſonæ &c. Ex dictis.

Reſol. 1. Peccare graviter cum onere reſtitutionis damnorum, qui ſciens caſu fortuito, ubi alter habeat theſaurum occultum, illum revelat, & ex inde ſurripitur à latronibus. Item & illum, qui ex induſtria aut aliter cognoſcens Principis aut exercitus ſecretum, illud aperit hoſtibus.

Reſol. 2. Viſitatorem apud Religioſos enormiter peccare contra juſtitiam, ſi perſonas, à quibus aliorum defectus corrigendos ſuſceperit, manifeſtet, quia certum eſt ex conventione, ſaltem tacita, id ſibi ſub ſecreto ſtrictiſſimo eſſe commiſſum. Imò talis revelatio maniſeſtiſſimè ſubditos retrahit à declarandis defectibus neceſſariò corrigendis: quod cedit in perniciem & perditionem Religionis.

Reſol. 3. Non minus eſſe reos coram Deo, & hominibus Diffinitores illos, qui acta & dicta in Diffinitorio amicis aperiunt cum magno Religionis, aut Religioſorum diſpendio: ſicut & illos, qui perſonæ particulari declarant quos patronos, quoſve adverſarios habuerit in ordine ad officium, ad quod proponebatur. Et idem eſt, ſi id implicitè manifeſtent, dicendo v.g. ego, talis, & talis non fuimus tibi contrarii, ſatis indicando eos, qui ſe oppoſuerint: illa enim ſunt apertiſſima ſemina diſcordiarum, adde & diviſionum.

Reſol 4. Eidem peccato ſubjectos eſſe Conſiliarios, belli Officiales, ſicut & Advocatos, Medicos, Obſtetrices, Theologos, imò & Amicos ac propinquos, quibus conſilii, remedii, vel auxilii petendi cauſa certa ſecreta committuntur; quia illi omnes eo ipſo quo ſecreta illa ſuſcipiunt, tacitè cenſentur vi Officii, aut muneris ad ſilentium ſe obligare.

CONCLUSIO II.

TRiplici caſu poteſt quis ſecretum ſibi commiſſum abſque peccato revelare. 1. Si res nullatenus ſecretum mereatur, utpotè quia nulli prodeſſe, aut nocere poteſt; ſi autem res ſit levis momenti, tantùm leviter obligat ſecretum.

2. Si res tradita ſub ſecreto, facta ſit publica.

3. Si adſit juſta cauſa, aut ſi cuſtodia ſecreti cederet in damnum commune, aut alicujus Innocentis, v.g. quia urbs eſſet prodenda, vel homo injuſtè occidendus: lex enim Charitatis poſtulat, ut conſulamus Innocenti, etiam cum diſpendio alterius & malitia ſua nocere volentis: & hoc etiam verum eſt, licèt ſecretum eſſet cum juramento receptum; quia jurans non intendit, aut ſaltem intendere non potuit, ſe obligare ad ſilentium in illis circunſtantiis; cùm juramentum non poſſit eſſe vinculum iniquitatis. Item nec obligat ſecretum, etiam juratum, ſi illius obſervantia graviter noceat, aut illi qui ſecretum commiſit, aut illi, cui commiſſum eſt; & ideò ſi committens ſecretum velit Matrimonium inire cum Impedimento dirimente mihi revelato, teneor illud prodere, ut obviem illius peccato, & Sacramenti irreverentiæ, ſicut & teneor illius pravam conſuetudinem mihi ſub ſecreto commiſſam Superiori, aut alteri revelare, ſi non poſſim aliter ejus ſaluti conſulere; quia bonum animæ præponderat bono famæ. Similiter & poſſum ſecretum aperire, ſi non poſſim illud ſervare, niſi cum diſpendio vitæ, aut famæ, quia non cenſeor me obligaſſe in tali caſu.

CONCLUSIO III.

QUi malitioſè expiſcatur alterius ſecretum interrogando, explorando, incautum decipiendo, aut quaſi per rimulas inſidiando, peccat graviter contra juſtitiam: ſicut & ille qui litteras clauſas aperit, aut apertas legit, ſi ſint in loco ſecreto, v. g. in menſa cubiculi.

Prob prima pars; quia unicuique competit jus ad ſuum ſecretum: ergo injuriam committit, qui illud per fraudem extorquet ab invito. Excuſabitur tamen ſecretum explorans, ſi id faciat in caſibus, in quibus diximus antea licere ſecretum commiſſum revelare: ſicut & ſi id faciat ad cognoſcendam dignitatem, qualitatem, mores &c. perſonæ ad Officium, Beneficium, Prælaturam &c. promovendæ, aut ad Matrimonium aſſumendæ, modò ipſius interſit illa cognoſcere.

Prob. ſecunda pars, quia idem jus habet unuſquiſque ad ſuum ſecretum ſcriptis mandatum, *ac verbis prolatum*, aut factis executum, & conſequenter injuriam patitur, *ſi, ipſo invito*, ipſius litteræ clauſæ aperiantur, aut apertæ legantur, quamdiu ſunt in loco ſecreto. Imò quamvis forent in loco publico, ſi apparet fuiſſe perditas. Aliud eſſet, ſi conſtaret eſſe projectas, aut voluntariè poſitas in loco, ubi poſſent ab aliis legi, tunc enim cenſetur ceſſiſſe juri ſuo, ſicut & quando reperiuntur ſemi laceratæ. Sed quid de eo, qui minutas partes Epiſtolæ projectæ, & laceratæ inter ſe connectit & legit? Probabilius peccat graviter; quia, moraliter loquendo, epiſtola illa non habetur tanquam derelicta, ut volunt aliqui, ſed tanquam deſtructa, & uſibus humanis inepta; adeòque qui partes illas colligit, nectit & legit, cenſetur agere fraudulenter contra communem hominum expectationem.

Advertandum hic, aliquos eſſe caſus, in quibus *non erit ſaltem* mortale litteras aperire & legere. 1. Si aperiens ſit moraliter certus nihil in eis contineri quod ſit alicujus momenti, ſed tantùm ſalutationes, civilitates, nuntia publica &c. quod non debet facilè præſumere. 2. Ubi propter amicitiam, familiaritatem, conniventiam, aut propinquitatem adeſt conſenſus tacitus, & rationabiliter præſumptus, vel ex parte litteras mittentis vel ex parte recipientis. 3. Si aperiens ſit Superior mittentis aut recipientis, & id expediens judicaverit pro ſalute ſubditi: unde in omnibus fere Religionibus hæc facultas Superiori conceditur per ſtatutum ſpeciale, modò tamen non ſit epiſtola Prælati majoris ad ſubditum, aut ſubditi ad eundem: hanc enim aperire, in Ordine Seraphico, caſus eſt reſervatus. 4. Licebit litteras aperire ad præcavenda gravia damna, præſertim publica, ſi juſtè timeantur; quia poteſt quilibet ſe, & præſertim Communitatem indemnem ſervare: & ideò excuſantur Gubernatores, qui quandoque, exigente bono Reipublicæ, civium litteras aperiunt, ſicut excuſantur illi, qui in bello juſto hoſtium litteras intercipiunt: ubi tamen advertunt aliqua ad finem ſuum impertinentia, debent illa prætermittere, & ſi aliquid hujuſmodi viderint, ſilentio celare: quod & facere debent Prælati reſpectu contentorum in litteris ſubditorum.

DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIO NONA.

De nono Decalogi Præcepto.

SIcut ſextum Decalogi Præceptum dicendo: Non mœchaberis, non tantùm mœchiam, ſed etiam omnem actum luxuriæ prohibet, ut ſuo loco diximus: ita nonum dicendo: Non concupiſces uxorem proximi tui, non ſolùm uxoris alienæ, aut alterius mariti deſiderium inhibet, ſed etiam omnem affectum carnalem erga objectum licitum.

Eſt autem affectus carnalis duplex, unus Efficax, alter inefficax, & dicitur Delectatio moroſa. Primus dicit ordinem ad executionem; & ideo fertur in illud ſecundum omnes conditiones, & circumſtantias, quas habet à parte rei. De hoc actu nulla eſt ſpecialis difficultas, cùm eodem modo ſit loquendum de illo, ac de actu externo, à quo ſumit ſuam ſpecificationem: ita ut ſi deſideres concubitum ſolutæ, actus tuus habeat malitiam Fornicationis, ſi maritatæ, Adulterii: ſi Deo ſacratæ, Sacrilegii, ſi perſonæ ejuſdem ſexus, Sodomiæ, & ſic de aliis. Si autem affectus tuus efficax, ſeu deſiderium terminetur ad ſpecies luxuriæ imperfectas ut ad pollutionem, tactum, aut aſpectum impudicum, oſcula laſciva &c. etiam eorum malitiam imbibit. Secundus ſeu delectatio moroſa, de qua hic ſpecialiter agendum, omnimodè interna eſt, ſeu non tranſit ad volendum id exequi exterius, de quo quis delectatur interius.

QUÆSTIO I.

Quid Delectatio moroſa, quale peccatum, an ſit exprimenda conditio perſonæ circa quam verſatur, & an una ſpecie differat ab altera?

DElectatio dicitur moroſa, non à mora temporis, cùm poſſit quis habere Delectationem per tempus notabile, quæ tamen non ſit moroſa, ut ſi nullatenus ad ejus malitiam advertat; è contra poſſit eſſe moroſa, licèt uno tantùm aut altero inſtanti duret, ſi nempè advertens ad malitiam actus illi adhæreat: ſed dicitur moroſa à mora rationis, eò quòd homo advertens, aut advertere debens ad actus malitiam, Delectationem admittat, illique conſentiat.

Eſt autem Delectatio moroſa hic complacentia voluntaria de actu venereo repræſentato.

Dicitur 1. Voluntaria; id eſt, cum advertentia ex parte intellectus & conſenſu ex parte voluntatis cum advertentia quidem; & ideo ſi quis delectetur de actu malo non advertendo ad id, de quo delectatur, ita ut, ſi adverteret, nullatenus approbaret, non peccat; quia actus ſine advertentia, non eſt humanus, adeoque nec peccatum: ſi autem ſemi-plenè advertat, ut accidere poteſt in ſemi-ſopitis, tantùm venialiter peccat, cùm ad mortale requiratur plena advertentia, ut ſuo loco dicitur: cum conſenſu verò, ſcilicet vel expreſſo, vel interpretativo: & ideo non tantùm peccat ille, qui expreſſè, & formaliter conſentit Delectationi, ſed etiam qui advertens nec reprimit, nec poſitivè conſentit, ſed permittit ſe in hujuſmodi cogitationibus occupari: ſcio aliquos contradicere, ſed quia tunc ordinariè adeſt periculum conſenſus, eò quòd, ut docet S. Thom. talis ſit connexio voluntatis cum appetitu ſenſitivo, ut ex hujus Delectatione ſequatur facilè Delectatio illius, ideo tunc Delectationem non reprimens cenſetur interpretativè in illam conſentire. Vide dicta in 6. Præcepto de motibus carnalibus.

Dixi 2. De actu venereo; quia poteſt eſſe complacentia vel de actu malo, vel de cogitatione ut relata ad actum malum, vel de cogitatione ſimpliciter, ſeu ut eſt ſcientia circa talem actum. Prima ſemper eſt peccaminoſa, cùm nunquam liceat ſibi complacere in objecto malo. Idem dic de ſecunda, quia nemo poteſt ſibi complacere in cogitatione, ut repræſentativa actus mali, niſi etiam ſibi complaceat in actu malo. Tertia non eſt de ſe mala, ſed quandoque laudabilis, ut patet in Theologo conſcientiæ caſus ſpeculante, & ſe de illa ſcientia abſque ullo affectu venereo delectante. Idem dic de Medico. Imò poteſt eſſe in Angelis & Deo, qui etſi turpia cognoſcant, tamen de ſua ſcientia delectantur. Sed quid de cogitatione impurorum ob ſolam curioſitatem, vel temporis terendi cauſa, ſanè periculoſa eſt: etſi enim turpia cogitare, ſtudii, aut medendi cauſa, non ſit peccaminoſum, eò quòd finis bonus affectum à turpibus avellat: turpia tamen cogitare ob finem vanum, & otioſum, qui potiùs ad ipſamet turpia affectum allicit, quàm retrahit, vix abſque periculo fieri poteſt. Ut autem cognoſcas, an talia cogitando graviter peccaveris, nec ne, debes affectum tuum penſare; ſi enim in his cogitandis plus delectaris, quàm in cogitandis aliarum rerum cauſis, eventibus, artificiis &c. ſignum eſt pravi affectus: ſi æqualiter, excuſari potes à peccato mortali, modò in ſola curioſitate ſiſtas, nec ulterius periculum timeas: quod ſanè difficile eſt ob naturæ lubricitatem.

CONCLUSIO II.

DElectatio moroſa in materia gravi eſt peccatum mortale. Eſt communis.

Prob. Tum ex Script. Sap. 1. *Perverſæ cogitationes ſeparant à Deo*; tum ex SS. PP. præſertim Greg. lib. 21. moral. c. 2. *Per Moyſen luxuria perpetrata, per authorem verò munditiæ luxuria cogitata damnatur*; tum etiam Ratione; quia qui delectatur de re mala, rem malam approbat: quod evidenter repugnat rationi.

Dixi: In Materia gravi; quia ſi Delectatio ſit de objecto tantum venialiter malo, putà de tractu manuum jocoſo tantum venialiter mala erit; quia actus moralis ſpecificatur ab objecto; & ideo pro ratione objecti graviter, aut leviter mali, etiam gravis aut levis erit culpa Delectationis.

CONCLUSIO III.

ETſi conſultum ſit exprimere in Confeſſione conditionem perſonæ, circa quam verſatur Delectatio, non videtur tamen obligatorium, niſi certè etiam de conditione delectareris. Ratio eſt; quia in tantum mala eſt Delectatio, in quantum malitia apprehenditur; ſed qui delectatur de copula habita cum Moniali, aut Maritata, tantum apprehendit malitiam, ſeu turpitudinem ipſius copulæ, cum præcisè delectetur circà actum venereum, ſub quo non continetur conditio perſonæ: ergo.

Confirm. 1. Quia nullatenus ſibi complaceat in conditione perſonæ, imo potius ſibi diſplicet, cum vellet illam eſſe liberam.

Confirm. 2. Ideo concupiſcens maritatam, reus eſt adulterii interni, quia vult executionem operis, quod non poteſt eſſe niſi cum materia; ſed qui præcisè delectatur, non vult executionem operis: ergo.

Confirm. 3. Delectatio ſumit ſuam ſpeciem ab objecto Delectationis, atqui objectum Delectationis non eſt conditio perſonæ, ſed actus venereus: ergo.

Sed quid ſi uxoratus delectetur de copula cum uxore non ſua? reus eſt adulterii interni, non quidem ratione objecti Delectationis, ſed quia violat fidem in Matrimonio datam, qua promiſit corpus & mentem cuſtodire illibatam: ſicut Religioſus gaudens de copula cum Deo ſacrata, eſſet ſacrilegus, non ratione objecti, ſed ratione voti.

Dixi in concluſione: Niſi certè etiam de conditione delectareris, ut ſi complaceres tibi de concubitu cum conſanguinea ut conſanguinea (quod rarò accidit) tunc enim hæc circumſtantia foret aperienda, ſicut neceſſariò etiam declaranda eſt circumſtantia copulæ Sodomiticæ, cùm Delectatio, etiam ſimplex, ab illa non abſtrahat.

CONCLUSIO IV.

DElectationes moroſæ independenter à perſonarum conditione ſpecie differunt inter ſe: id eſt, alia eſt ſpecie Delectatio de copula illicita, alia de aſpectu impudico, alia de tactu venereo, alia de oſculo &c.

Ratio eſt; quia Delectationes illæ ſpecificantur à ſuis objectis, quæ cum ſpecie differant, etiam ipſas ſpecie diferre neceſſe eſt; & ideò ſunt ſpeciatim in Confeſſione exprimendæ; ita ut non ſatisſaceret dicens indeterminatè, habui tot cogitationes impuras; ſed tot circa tactus &c. Quod à fortiori verum eſt, ubi Delectationes habent pro objecto quædam enormia contra naturam. Fatendum tamen, praxim tam Confeſſariorum, quam pœnitentium quoad Delectationes ordinarias videri contrariam; quia fortè raro, aut nunquam delectatur quis in præambulis ad copulam, quin & in ipſa copula delectetur.

Digitized by Google

QUÆSTIO II.

An non liceant aliquibus certæ Delectationes in materia luxuriæ?

DE ſolutis, ſponſis, maritatis, & viduis poteſt eſſe quæſtio: & ideo de illis omnibus dabitur breviter reſolutio.

CONCLUSIO I.

NOn licet ſolutis delectari de copula poſt contrahendum Matrimonium habenda, ſi apprehendatur ſub ratione delectabilis: ſecùs ſi ex motivo honeſto.

Prob. Prima pars; quia licèt copula apprehendatur pro tempore quo erit licita; attamen ſub ratione parientis Delectationem libidinoſam, apprehenditur ut præſens, ſeu pro tempore, quo eſt illicita, & graviter peccaminoſa.

Prob. Secunda pars; quia, cùm Delectatio ſpecificetur à motivo, ubi honeſtum eſt motivum, honeſta eſt & Delectatio: undè poteſt quis gaudere de copula, quia ipſum liberabit à gravibus tentationibus, à multis impudicitiis &c. Ut autem vitetur peccati periculum, debet hęc Delectatio eſſe quodammodo ſpiritualis, ſeu avulſa à carne & materia ſenſibili, ita ut motivum, non copula, Delectationem pariat.

CONCLUSIO II.

IN hac materia non plus licet ſponſis, quam ſolutis.

Ratio eſt; quia non licet delectari de actione, quam non licet exercere, ſed nulla actio in hac materia eſt licita potiùs ſponſis, quam ſolutis, ut ſuo loco diximus: ergo nec Delectatio. Accedit, quòd ſponſi non habeant jus in re, ſed tantùm ad rem, & ideò, cùm non liceat ipſis copula, nec licèt ipſis aliqua actio, aut Delectatio ad illam præambula, licèt remota.

CONCLUSIO III.

POſſunt conjugati præſentes (non tamen ordinariè abſentes) delectari de copula matrimoniali præterita, aut futura ſine gravi peccato, modò abſit periculum pollutionis.

Prob. Pars prima de præſentibus; quia Delectatio illa de ſe & ex natura ſua in conjugatis præſentibus ordinatur ad actum conjugalem; ſed hic actus eſt ipſis licitus: ergo illius Delectatio non poteſt eſſe graviter peccaminoſa.

Confirm. 1. Talis eſt Delectatio, quale eſt objectum, de quo Delectatio capitur: ſed copula matrimonialis non eſt ipſis prohibita: ergo nec Delectatio de illa; & ideo nequidem eſſet venialiter mala, ſi in ſola Delectatione ſiſteretur.

Confirm. 2. Ideo tactus, amplexus, oſcula non ſunt in conjugatis mortifera, quia de ſe ordinantur ad copulam, atqui Delectatio de copula æquè, imo magis ex natura ſua ordinatur ad copulam, quàm illa: ergo. Hinc

Reſol. 1. Poſſe illos ſine gravi culpa delectari de actu conjugii, non ſolum in ipſo uſu Matrimonii, aut paulò ante; ſed etiam quando non intendentes actualiter exercitium copulæ, de illa tamen invicem colloquuntur; quia videtur eadem prorſus ratio, ac de tactibus.

Reſol. 2. Idem eſſe dicendum, etiamſi conjuges præſentes non poſſint invicem copulari ob periculum aborſus, aut infirmitatis; quia etiam tunc Delectatio ordinatur ex natura ſua ad copulam per ſe licitam, & tantum illicitam per accidens, à qua circumſtantia extrinſeca non vitiatur, cum ad copulam illicitam nec ex natura rei, nec ex intentione conjugum referatur: quandoquidem in tali caſu non intendant, ut ſuppono copulæ exercitium.

Reſol. 3. Impeditum copulari ob Eccleſiæ prohibitionem, putà, quia maritus cognovit ſororem uxoris ſuæ, non eſſe reum gravis peccati, ſi de copula delectetur præſente conjuge. Ratio eſt; quia lex ipſi prohibens uſum conjugii quoad petitionem debiti, non prohibet ipſi de illo delectari; quandoquidem lex pœnalis non ſit extendenda, ſed potius reſtringenda.

Secunda pars de conjugibus abſentibus impugnatur à pluribus volentibus etiam tunc non eſſe ipſis mortiferam copulæ Delectationem: Probatur tamen: quia carnis commotio, quæ ipſam Delectationem ordinariè comitatur, non ordinatur in conjuge abſente ad copulam, ſed ad pollutionem: nam ultrà quòd copula tunc ſit ipſis impoſſibilis, nihil cenſetur ad copulam ordinari, niſi inter conjuges fiat: & ideò diximus maritatum ſeipſum ſolum tangentem impudicè & moroſè graviter peccare, eò quòd tactus ille in homine ſolo dicat ordinem ad pollutionem, non ad copulam.

Dices 1. Commotio illa eſt indifferens ad pollutionem aut copulam: ergo poteſt à conjuge abſente ad copulam ordinari.

Reſp. Neg. Ant. Sicut enim tactus, & alia inter conjuges non ſunt de ſe indifferentia ad unum vel aliud, ſed ex natura rei ordinantur ad copulam; ità commotio illa (ſicut tactus; oſcula &c.) ſunt de ſe ordinata ad pollutionem in homine ſolitario. Et hoc verum eſt, licèt conjux abſens commotionem aut tactum ordinaret ad copulam poſteà habendam; quia non poteſt rerum ordinationem mutare. Aliud eſſet, ſi paulò ante uſum conjugii ſe tangeret, aut ſe per Delectationem commoveret ex intentione copulæ: tunc enim videntur illa, propter contiguitatem, ad copulam referri: quæ enim fiunt ex incontinenti, moraliter ſimul fieri cenſentur.

Dices 2. Delectatio de copula in homine maritato etiam abſente, eſt de actu licito: ergo.

Reſp. Diſt. Ant. Delectatio ſine ulla carnis commotione. C. cum tali commotione, N. undè ſi homo delectari poſſet de copula ſine carnis commotione, poſſet conjux abſens de illa delectari ſine peccato, ſaltem mortali, cùm delectaretur de objecto licito: quia tamen illi Delectationi annexa eſt ordinariè venerea commotio, quæ in homine ſolo ad pollutionem ordinatur: ideò non poteſt abſens Delectationem illam aſſumere.

Dices 3. Commotio illa eſt affectus copulæ licitæ habitæ aut habendæ: ergo.

Reſp. Hoc nimiùm probare, adeòque nihil, cùm indè ſequatur, poſſe viduam de copula præterita, & ſponſum de futura gaudere, etiam affectu venereo: quod falſum eſſe oſtendimus de ſponſis, & oſtendemus poſteà de viduis.

Dices 4. Indè ſequi conjuges abſentes exponi variis peccatis.

Reſp. Neg. Sequelam; cùm tam facilè poſſint ab illa Delectatione abſtinere, ſicut viduus aut vidua, mortua comparte.

Petes; An, ſecluſa Delectatione in concubitum, liceat mihi deſiderare conjugem alienam in uxorem meam?

Reſ. Non licere pro tempore, quo juncta eſt alteri, quandoquidem non poſſit eſſe ſimul uxor illi & mihi; licèt tamen pro tempore quo ſoluta erit, cùm tunc abſtergatur omnis malitia.

CONCLUSIO IV.

POſſunt vidui delectari de copula Matrimoniali præterita ob finem honeſtum, v. gr. *quia indè natæ ſunt proles egregiæ, non tamen ex affectu venereo ſeu ſub ratione delectabilis.*

Ratio eſt; quia eodem modo loquendum eſt de copula prę terita reſpectu viduorum, ac de copula futura reſpectu ſponſorum; ſed hi poſſunt, ut diximus concluſione prima, delectari de copula ob motivum honeſtum, non tamen ex affectu venereo: ergo & ſimiliter illi.

DISPUTATIO X.

De ultimo Decalogi Præcepto.

LIcèt hoc præceptum (quod refertur Exodi 20. his verbis: *Non concupiſces domum proximi tui, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt*) non videatur à priore diſtinctum, eò quòd utrumque per modum unius exprimatur loco citato, cùm inter verba allata intermiſceantur ſequentia: *Nec deſiderabis uxorem ejus*; attamen Auguſt. tom. 4. quæſt. 71. in Exodum, cui adhæſerunt communiter Doctores Catholici, oſtendit aliud eſſe nonum Præceptum, & aliud decimum: quod ſatis inſinuat Trid. ſeſſ. 14. c. 5. ubi vocat nonum, & decimum, *Duo ultima Decalogi Præcepta*; & conſequenter ſupponit eſſe diſtincta; unde quando intermiſcetur deſiderio bonorum fortunæ deſiderium illud, non ſumitur pro complacentia carnali, & in ordine ad concubitum, ſicut nono Præcepto, ſed pro appetitu perſonæ utilis ad familiam regendam, ſicut appeteretur famulus, aut ancilla.

QUÆ-

Google

QUÆSTIO UNICA.

Quid prohibeatur hoc præcepto?

CONCLUSIO I.

PRohibetur hoc Præcepto omnis injuſta voluntas alienum uſurpandi, aut alieno nocendi. Dico, Injuſta voluntas; ſi quis enim optaret alienum fieri ſuum per juſtum titulum, puta per donationem, emptionem &c. non peccaret, ſicut nec peccant illi qui videntes aliorum divitias, deſiderant fieri æque divites, cùm tunc objectum illius deſiderii non ſit alienum.

Prob. Autem concluſio; quia hoc Præceptum id omne prohibet deſiderare, quod ſeptimum prohibet facere; ſed ſeptimum prohibet alienum uſurpare, aut alieno nocere: ergo. Hinc

Reſol. 1. Volentem ab altero tantum ſurripere quantum de facto ablatum ſufficeret ad mortale, etiam mortaliter peccare.

Reſol. 2. Optantem efficaciter alterius domum comburere, ſegetes conculcare, villam demolire &c. ejuſdem peccati reum eſſe apud Deum, ac ſi de facto illa perpetraſſet. Imò ſi ex odio aut ex invidia illa procedant, neceſſariò debet hanc circumſtantiam ſpeciem mutantem in Confeſſione aperire.

Reſol. 3. Raptorem eſſe, aut ſacrilegum, qui rapina aut ſacrilegio deſiderat alterum damnificare, cum deſiderium illud ſpecificetur ab objecto externo.

CONCLUSIO II.

PRohibetur & hoc Præcepto voluntas calamitatum, aut miſeriarum proximi ſub ſpecie lucri propriâ.

Ratio eſt: quia per talem voluntatem deſideratur de facto damnificatio proximi; cùm æqualiter damnificetur per morbum, egeſtatem, bellum, litis jacturam &c. quàm per furtum. Hinc

Reſol. 1. Cum Catechiſmo Conc. Tridentini peccare graviter mercatores, qui, ut ſua carius diſtribuant, penuriam, annonæque caritatem expetunt. Item & illos, qui ut ſoli mercaturam exerceant, ſolique lucrentur, optant aliorum indigentiam.

Reſol. 2. Non minùs reos eſſe milites, qui bellum exoptant ut ipſis furari liceat.

Reſol. 3. Etiam peccare Medicos, qui morbos deſiderant, ſicut & Paſtores, qui optant mortuos turpis lucri gratia.

Reſol. 4. Prioribus annumerandos eſſe Juris conſultos, Judices, Advocatos, Procuratores, Actuarios, ſivè Scribas, qui cauſarum, litiumque vim & copiam concupiſcunt.

Reſol. 5. Similiter delinquere artifices, qui quæſtus avidi omnium, quæ ad victum, cultumque pertinent, penuriam exoptant, ut inde plurimùm lucri faciant. Hæc omnia corollaria fermè de verbo ad verbum deſumpta ſunt ex Catechiſmo Conc. Tridentini.

Reſol. 6. Etiam violare hoc præceptum, qui ſervos, ancillas, opifices, mercenarios, & alios, qui ſe ſponte Dominis addixerunt, ſollicitant verbis & promiſſis, ut relicto proprio Domini, ad ſui obſequium transferant. Ut autem concupiſcentiis illis inordinatis & pernicioſis viam occludamus, illud Apoſtoli 1. Ad Timoth. 6. attentè conſideremus: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus: nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem: radix enim omnium malorum eſt cupiditas.*

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX

Rerum, & Materiarum notabiliorum in hoc primo Tomo contentarum.

A

Abbates exempti Quid poſſint circa ſuos, 166.

Aborſus Quid ſit? pag. 432. Quale peccatum, 433. An ejus procuratio aliquando ſit licita, 432. Quid aget prægnans periculoſè ægrotans. ibid. Pœnæ procurantium Aborſum, 433. Quis poſſit illos abſolvere. ibid.

Abraham Utrum mentitus fuerit, dicendo Saram eſſe ſuam ſororem, cùm tamen foret ejus uxor, 179.

Acceptatio ad præmium An & qualis requiratur ex parte Dei ad meritum condignum, 227.

Acedia Quid ſit, 279. Quale peccatum. Ibid. Quæ ejus filiæ. ib. Quibus compatetur. ib. Ejus remedia, 280.

Actiones Noſtras omnes an teneamur ſub peccato in Deum dirigere, 342.

Actus Fidei & Actus ſcientiæ quomodo ſtent ſimul, 11. Actus quo creditur exiſtentia Dei aliunde evidens, qualis ſit. ib. Actus duo in intellectu divino & voluntate, 78.

Actus Qui ab homine procedunt, triplicis ſunt generis, 99

Actus eliciti voluntatis Quomodo diſtinguantur, & quot ſint circa finem. 109. Quot circa media. ib. Circa malum quot. ib.

Actus humanus Quid ſit, 99. Quotuplex. ibid Quomodo diſtinguatur ab actu hominis. ibid. Quænam libertas requiratur ad actum humanum. ib.

Actus humani moralitas In quo conſiſtat, 114. Quid moralitas ſuperaddat actui phyſicè conſiderato, 115 In quo differat actus humanus à morali. ibid. Quare actus voluntatis neceſſarii, eliciti cum advertentia ad bonitatem aut malitiam non ſint morales. ibid. Quomodo definiri poſſit actus moralis, 114. Actus humani bonitas aut malitia quid & quotuplex. ibid. In quo conſiſtat bonitas moralis objectiva. ibid. In quo formalis, 116. Quot ſint ſpecies moralitatis. ib. An bonitas, malitia & indifferentia ſint differentiæ eſſentiales actuum humanorum, 117. An idem actus poſſit eſſe ſimul bonus & malus moraliter, 117. An idem actus poſſit eſſe ſucceſſivè bonus & malus, 119. An detur actus indifferens in individuo, 219. An actus externus prius habeat bonitatem aut malitiam, quàm actus internus, 120. An actus exterior ſuperaddat bonitatem aut malitiam actui interiori, 121. An bonitas aut malitia actus externi aliquid conferat ad præmium aut ſupplicium eſſentiale, 124. An actus ſive externus ſive internus deſumat bonitatem aut malitiam ab objecto. ibid. An eſſentialis & ſpecifica bonitas aut malitia actus humani deſumatur ex objecto. ib. Qualiter actus humanus debeat ferri in bonitatem aut malitiam objecti, ut ſit bonus vel malus, 125. An & quomodo actus humani ſint boni aut mali ex circumſtantiis. ibid. An actus humanus deſumat bonitatem aut malitiam a fine extrinſeco, 128. Quotuplex actus humani finis. ibid. An per finem honeſtum tollatur aut minuatur malitia actus ex objecto mali, 129.

Adjuratio Quid ſit, 389. Quotuplex, 390. Quos liceat adjurare. ibid. Conditionis ad licitè adjurandum dæmonem. ibid.

Adventuale jejunium Unde initium habuerit, 277.

Advertentia Qualis requiratur ad peccandum, 237.

Advertentia Quotuplex ſit, 237. 238. Imperfecta unde oriatur. ib. Ex quibus cognoſcere poſſit Confeſſarius, an advertentia fuerit plena, ſemiplena, vel nulla, 110.

Adulatio Quid ſit, & quale peccatum, 463.

Adulterium. Adulteri. Quid ſit Adulterium, & quale peccatum, 435. An ſit licitum conſentiente conjuge. ib. De quibus interrogandi Adulteri. ib. Eorum obligatio erga prolem Adulterinam. ibid. An poſſit innocens negare debitum comparti adulteræ. ib. An cenſeatur reconciliatio facta, ubi pars innocens reddit debitum. ib. An facto divortio, teneatur Adulter redire, ſi pars innocens requirat. ib. Quid ſi altera pars etiam adulteretur. ib.

Ægyptii Quid de illis, qui ex lineamentis manuum prædicunt aliis totum vitæ decurſum, & quid de iis, qui illis fidem adhibent, 366.

Æquivocatio An ſit licita, 387. An juramentum æquivocum obliget. ibid. Cur Deus aliquando uſus ſit verbis ambiguis. ib.

Æternitas Dei quid, 21. Quomodo dicatur indiviſibilis, interminabilis. ibid. Quomodo poſſet dici major hodie, 22. Quomodo poſſit dici ſucceſſiva. ib. Æternitati quomodo omnia creata præſentia. ib, æternitas propriè dicta, ſoli Deo conveniunt. ib.

Amare, Amor. Amat Deus ſeipſum neceſſariò, & quomodo, 52. Quomodo amet liberè creaturas actuales. ib. Quomodo præteritas & futuras. ibidem. Quomodu creaturas poſſibiles. ibid. Amor verè & propriè eſt in Deo, 54.

Amor Dei Quotuplex, 216. An actus amoris Dei requiratur ad juſtificationem, 225. An debeat eſſe formalis. ib. De quo amore loquatur Trid. Seſſ. 6. cap. 6. ubi de juſtificandis ſic loquitur; *Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*, 226.

Ambitio Quid ſit & quale peccatum, 261.

Amicitia Quid ſit, & quæ conditiones ad eam requirantur, 338.

Angeli. An ſubdantur legi naturæ, 157.

Appetitus Qualis detur in Deo & 3. Perſonis, 49.

Ars notoria Quid ſit, & quale peccatum, 366.

Articuli fidei An ſint evidenter credibiles, 288. Motiva credibilitatis eorum. ib. An ſint neceſſariò obſcuri, 289. An neceſſariò veri, 290. An poſſint extendi, 291. An neceſſariò ab Eccleſia, & non ab alio aliquo proponi debeant. ib. Per quos de Eccleſia, 292.

Aſpectus, Quid dicendum de aſpectu, corporum, picturarum laſcivarum, 444.

Aſtrologia Quid ſit, quale peccatum, 365. In quibus ſit licita. ib. An quis per illam aliquid ſciens poſſit inde actiones ſuas moderari. ib.

Atheus Quis & quotuplex, 6. Quinam dentur, & pro Atheis habiti ſint. ib. Athei convincuntur Deum eſſe, 8.

Attributum divinum. Attributi divini unius ex alio illatio, an ſit demonſtratio, 6. Attributum Dei propriè, quid, & quotuplex, 14 Attributorum diſtinctio qualis, 15. An unum videri poſſit ſine alio, 36.

Avaritia Quid ſit & quale peccatum, 262. Quæ ejus filiæ, ibid. Quæ remedia contra illam, 263. Quibus comparetur avarus, 262. Quàm ſit miſer, 263. Quàm odibilis omnibus. ibid.

Augurium. Auſpicium Quid ſint, & qualia peccata, 365.

Bapti-

Digitized by Google

B

Baptiſmus. An qui metu gravis mali conſentit in illius ſuſceptionem, validè baptizetur, poſſitque ad legis Chriſtianæ obſervantiam cogi, 106.

Beati An ſubditi ſint legi naturæ, 157.

Beati. *Beatitudo*. Beati an videant Deum per ſpeciem impreſſam, 30. Beatorum intellectus, quomodo elevetur, 31. Beati omnes an æqualiter Deum videant, 34. Beati quæ contenta in Deo videant, 36. Beati an videant attributa cum omni reſpectu. ibid. Beati quas creaturas, & quomodo videant, 37. Beatus quilibet cur non videat omnes, 38. Beatus an omnes etiam poſſibiles videre poſſit. ibid. Beati an videant in verbo Decreta Dei libera. ib. Beatitudo confert viſionem aliquarum creaturarum in verbo, 37.

Beatificatio Sanctorum Quid ſit & in quo differat à Canonizatione, 315.

Beatitudo An liceat operari ſolius beatodinis, intuitu? 335.

Bellum Quid ſit, 429. An licitum. ib. Conditiones juſti Belli. ib. Peccata Bello inſervientium, 431. An ſit licitum in Bello juſto auxilium petere, aut recipere ab infidelibus vel hæreticis, 432.

Vide *Princeps*.

Beneficiati An omnes teneantur ad Horas Canonicas, 354. Eorum obligatio ad reſtitutionem fructuum ratione omiſſionis, vel defectu debitæ recitationis Horarum. ibid. Item defectu præſentiæ debitæ in Choro, 435. Item defectu Cantus communis. ibid Item defectu reſidentiæ. ibid. An illa reſtitutio obliget ante ſententiam judicis. ibid. Quandonam incipiat eorum obligatio ad Horas, 354. An habens beneficium in Commendam ad illas teneatur. ibid. Quid dicendum de Penſionariis. ib. An ultra recitationem privatam Horarum, ad aliud teneantur Beneficiarii, 355. An & qualiter teneantur eſſe præſentes in Choro. ib. Quid de abſentibus. ib. An teneantur ad Cantum communem. ib. An debeant reſidere in loco Beneficii. ibid. An poſſint obligationi ad Chorum ſatisfacere per alios. ibid.

Beneficium Quid ſit, 372. Qualiter fieri debeat Beneficiorum permutatio, reſignatio, renuntiatio & penſionis creatio, 374. An permutans poſſit propria authoritate redire ad ſuum Beneficium, ſi ante completam mutationem, alter moriatur, vel quando occurrens impedimentum ceſſat. ibid. An poſſit quis ſuum Beneficium reſignare cum ſpe, quòd Reſignatarius illud poſtea reſignabit in favorem reſignantis. ib. An cum onore ut ſolvantur ſibi expenſæ, quas debuit facere, ut illud poſſideret pacificè. ibid. Quæ diſtinctio inter reſignationem & renuntiationem. ib. An quando Beneficia ſunt inæqualia quoad fructus? poſſit inæqualitas compenſari pecunia vel penſione, 375.

Vide V. *Beneficiati penſio*.

Beſtialitas Quid ſit, & quale peccatum, 441.

Bibere. Vide V. *Potus*.

Blaſphemia Quid ſit, 377. Quotuplex. Ibidem Quale peccatum. ibid. Qualiter Confeſſario agendum cum Blaſphemia. Ibidem An Blaſphemia in Deum & in Sanctos differant, 377. An ſit Blaſphemus qui Chriſti mortem, corpus &c nominat. ibid. Quid ſit Blaſphemia in Spiritum Sanctum: ibid.

Bona temporalia An quis poſſit mereri de condigno, 232.

Bonitas Dei duplex, 330.

Bonitas Dei reſpectiva Quæ dicatur, 331.

Breviarium Unde dictum, 353. Illo carens ad quas Horas teneatur, 356. Quo Breviario poſſit, vel teneatur quis uti, 457.

C

Calvini Errores circa Chriſti gratiam, 195.

Canon Sacrorum librorum. Vide V. *Libri*. *Scriptura Sacra*. Canon 125. Concilii Chalcedonenſis an ſit legitimus, 309.

Canonizatio Quid ſit, 315. Quod diſcrimen inter hanc & Beatificationem. ibid. Quandonam incœperit in Eccleſia practicari. ibid.

Capellani An teneantur ad reſtitutionem, ſi omittant Horas Canonicas, 354. An Coadjutores Beneficiatorum ad illas obligentur. ib. Vide V. *Vicarii*. ibid.

Capitanei. Eorum peccata, 431. Quid de illis qui invitos Militiæ adſcribunt. ib.

Capitulum Cathedrale an ſede vacante habeat eandem poteſtatem legiſlativam, ac ipſi Epiſcopi, 166. An Capitula generalia & Provincialia habeant poteſtatem leges condendi. ibid.

Caro. Quid nomine *Carnis* prohibeatur in die jejunii, 269. An in ejus comeſtione detur parvitas materiæ, 270. Quæ materia cenſeatur parva. ibid. An liceat comedere carnes crudas aut humanas, 266.

Carthuſianus An, deficientibus aliis cibis, teneatur manducare carnes & quid poſſit in infirmitate mortali, 165.

Caupones An poſſint promere potum ſeſe inebriaturis, 267. Eorum peccata in hac materia. ib.

Charitas Quid ſit, 336. Quotuplex. ibid. Quodnam objectum ejus materiale & formale. ibid. An ſit vera amicitia inter Deum & homines, 338. An ſit eadem in via & in patria. ibid. An poſſit augeri, 339. Quomodo augeatur. ibid. Per quos actus, 340. Quando. ibid. An poſſit minui. ibid. An tolli. ibid. An actus Charitatis obliget. ib. Qualis. ibid. Quando, 341. An teneamur omnes actiones deliberatas in Deum referre, 342. An ſit præceptum diligendi ſeipſum, 344. An diligendi proximum. ibid. An etiam inimicum. ibid. An ſit ordo in Charitate ſervandus, & quis, 345. Quis ordo ſervandus in dilectione proximorum 346. Quotuplici actu externo teneamur proximum diligere. ibid.

Chiromantia Quid ſit, & quale peccatum, 366.

Chirurgi Quandonam peccent in ſua arte, 423.

Choreæ. Comœdiæ quid de illis dicendum, 445.

Cibus vetitus. Vide V. *Caro*. *Jejunium*. *Quadrageſima*.

Circumciſio An licita fuerit poſt legem novam adæquatè conſtitutam, 164. Cur D. Paulus Timotheum circumciderit, non Titum. ibid.

Circuminſeſſio Quid, & an detur in divinis, 88.

Circumſtantia Quid & quotuplex ſit, 125. Circumſtantiarum Explicatio. ib.

Clerici An poſſit militare, 431. Clerici utrum teneantur legibus tributa aut alia onera tum realia, tum perſonalia imponentibus, 173. An Clericorum exemptio ſit annullabilis. ib. An poſſint Clerici à ſæcularibus judicari. ib.

Cognatio ſpiritualis Quid ſit, 435.

Collatio veſpertina An ſit licita in die Jejunii, 273. Quæ quantitas & qualitas ciborum in ea ſumendorum. ib. An major ſit licita in vigilia Nativitatis Domini, ib. An major ſit permiſſa Nobilibus, quàm plebeiis. ib. Quid dicendum de multùm ſtudentibus. ib.

Comedere Aut bibere propter ſolam delectationem quale peccatum, 265. An liceat comedere carnes crudas aut humanas, 266. Vide V. *Jejunium*.

Communionis Præcepto cur non ſatisfiat per communionem indignam, cùm ſatisfiat præcepto Baptiſmi ſuſcipiendi per indignam illius ſuſceptionem, 167.

Compenſatio occulta An liceat, & ſub quibus conditionibus, 454.

Comprehenſio Propriè quid, 24. Comprehendi non poteſt Deus à Creatura. ib.

Concilium Quid ſit & quotuplex, 315. Quot ſint generalia & quæ, 316. An ſit fidei regula infallibilis. ib. Quid requiratur, ut ſit legitimè congregatum. ib. Quando cenſeatur legitimè confirmatum. ib.

Concilium generale An habeat poteſtatem condendi leges, 166. An Concilia Provinciale & Nationale eamdem habeant poteſtatem. ib.

Concluſio Theologica quomodo ſupernaturalis, 5. An ſit de fide, & eam negans hæreticus, 6.

Concubinatus. *Concubinarii* Quid ſit Concubinatus, 436. Non facilè abſolvendi Concubinarii. ib.

Concupiſcentia Quid ſit, 108. An cauſet involontarium. ib. An minuat liberum. 109.

Confeſſarius Quam notitiam peccatorum teneatur habere, 233. An ſtatim credere debeat dicenti ſe fuiſſe ebrium, 268. Quid illi agendum cùm non jejunantibus in Quadrageſima, 278. Quid cum ignorantibus fidei myſteria, 324.

Confeſſarius Quo peccato peccet, ſolicitando pœnitentem ad peccatum in Confeſſionali, 128.

Confeſſarii Ordinum mendicantium in quibus poſſint diſpenſare, 365. An poſſint abſolvere duellantes, 429. Quomodo debeat Confeſſarius interrogare Homicidas, 423. Concubinarios; Fornicarios, 435. Adulteros. ibid. Maſculos & puellas in materia Luxuriæ, 448. Quomodo agendum cum pœnitente ab alio Confeſſario ſollicitata ad venerem, 437.

Digitized by Google

Conjuges. Eorum obligatio mutua, 417. Eorum peccata in copula conjugali, 442.

Conſanguinei Quid ſibi debeant, 416.

Conſanguinitatis Gradus an ſint ejuſdem ſpeciei, 436.

Conſcientia Quid & quotuplex, 131. Quomodo diſtinguatur à Synderesi. ibid.

De Conſcientia erronea. An ſemper obligemur ſequi conſcientiam ſive veram, ſive erroneam, 132. Quale ſit peccatum & cujus ſpeciei, agere contra conſcientiam erroneam, & an ſit pejus agere contra, quàm ſecundùm illam, 133. Qualiter debeat pœnitens laborans conſcientia erronea agere cum Confeſſario, & qualiter Confeſſarius cum illo, 134. Variæ Quæſtiunculæ de conſcientia erronea, 135. Unde colliget quis, ſibi ineſſe conſcientiam vincibiliter erroneam. ibid.

De Conſcientia dubia. Ibid. Quid agere debeat Confeſſarius pœnitente interrogante de aliquo, an ſit peccatum, nec ne, ſi prævideat pœnitentem, non obſtante Inſtructione, peccaturum, 135. An operans cum conſcientia practicè dubia peccet & qualiter, 136. An liceat operari cum conſcientia ſpeculativè dubia. ibid. Ut quis deponat prudenter dubium ſpeculativum, quænam rei, de qua dubitatur, inquiſitio neceſſaria ſit. ibid. Utrum conſcientia practicè certa dubium ſpeculativum compati poſſit. ibid. Quinam ſint tituli ſufficientes ad deponendam conſcientiam ſpeculativè dubiam, 137. An poſſeſſio extra materiam juſtitiæ ſit titulus ſufficiens, ut deponatur conſcientia dubia, & formetur certa, & an detur alius titulus, 138. Dubitans de lege, cur æquè teneatur ad legem, ac ſi certus eſſet de illa, 137. Dubitans de morte de prioris conjugis cur teneatur reddere debitum ſecundo conjugi illud poſtulanti, 138. Dubitans an recitarit horas Canonicas, utrum teneatur recitare, ib. Dubitans an habeat annum 21. completum an debeat jejunare. ibid. Vide etiam illic, quid agendum ſit in pluribus aliis dubiis. Dubitans de aliquo facto, propter quod excommunicatio aut irregularitas contrahitur, an debeat ſe ut excommunicatum aut irregularem gerere tam in foro interiori, quàm exteriori. Ibid. In dubio facti, utrum quis debeat puniri pœna ordinaria talis delicti. ibid. Dubitans an voverit nec ne, quandonam teneatur, quandonam non teneatur ad votum, 139. Quid agendum dubitanti, an matrimonium ſit validum, bellum juſtum, & præceptum ſuperioris licitum. ibid. Dubitans Frater Minor, an voverit Roſarium ſeptem aut quindecim decadum, ad quid teneatur. ibid. Dubitans de valore matrimonii quare teneatur reddere debitum conjugi bona fide poſtulanti, non poſſit autem petere. ibid. Quænam modificationes requirantur, ut dubitans in hac materia teneatur reddere debitum. ibid. Dubitans de valore matrimonii nondum conſummati, an poſſit reddere debitum primo bimeſtri. ibid. Quare illicitum ſit movere bellum offenſivum Principi dubitandi an ſit licitum. ibid. Quid ſi milites inferioris ordinis, dubitent de juſtitia belli. ib. Cur hæc Regula juris: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*, ſit præcepti & non conſilii, 149.

De Conſcientia ſcrupuloſa. An liceat agere contra conſcientiam ſcrupuloſam? Quænam ejus cauſæ, quæ remedia & qualiter cum ſcrupuloſis agendum, 140. Conſcientia ſtrictè ſcrupuloſa quid ſit, ibid. Vide V. *Scrupuloſus*. *Scrupulus*.

De Conſcientia probabili & opinionum probabilitate, 141. Vide V. *Opinio*.

An liceat agere cum conſcientia probabili aut probabiliori, 142. Quare actio ſequens ex directione immediata judicii tantum probabilis aut probabilioris non ſit licita, 143. An licitum ſit ſequi ſententiam minus probabilem relicta probabiliori, ubi tantum controvertitur, an actio ſit licita necne. ibid. Stabilitur ſententia negativa S. Scripturæ teſtimoniis, 144. Confirmatur ex SS. Patribus. ibid. Solidatur authoritate Doctorum Angelici, Seraphici, Subtilis & Irrefragabilis, 145. Roboratur authoritate Cardinalium S. Romanæ Eccleſiæ. ibid. Perſuadetur rationibus convincentibus. ibid. Amplius ſtabilitur, deſtruendo ultimum refugium adverſariorum, 146. Solvuntur objectiones, 147. An ſit licitum amplecti quamlibet duarum opinionum circa eandem rem æque probabilium, 149. An Pontifex dubitanti de valore ſui matrimonii, propter impotentiam, permittens tentare copulam maritalem, ſecutus ſit ſententiam tutiorem. Ibid. Quam ſententiam probabilem liceat amplecti, & quænam Regula prudentis actionis, 150. Regula 1. pro viro illiterato. ibid. Regula 2. pro viro docto. ibid. Regula 3. pro Confeſſario non ita docto. ibid. Quid debeat vir doctus in opinionum concurſu reſpondere conſulenti, & quid Confeſſarius pœnitenti ejus opinioni reluctanti, 151. Qualiter debeat ſe gerere in opinionum concurſu Sacramenti Miniſter, ſcientiæ Profeſſor, Medicus, Judex, Advocatus, 152. Quare in adminiſtratione Sacramentorum non liceat, extra caſum neceſſitatis uti ſententia probabili, imo nec probabiliori relicta tutiore. ibid. Quot peccata committat Miniſter in hac materia eligens vias probabiliores aut probabiliores relictis tutioribus. ibid. Cur peccent illi, qui gloriantur tradere ſententias rigidiores, quas minus probabiles exiſtimant. ibid.

Conſenſus Quotuplex, 237. Qualis requiratur ad peccandum. ibid.

Contemptus aliorum Quale peccatum, 261. Quis dicatur peccare ex contemptu, 251.

Contentio Quid ſit & quale peccatum, 261.

Contumelia Quid ſit, 461. Quotuplex. ib. Quale peccatum. ibid.

Copula An quandoque poſſit abrumpi, 434. Quid de copula cum mortua. ibid. Quid de copula cum dæmone, 441.

Correptio fraterna Quid ſit, & quomodo differat à Correctione, 348 An ſit obligatoria. ibid. Quando, 349. In quibus circumſtantiis. ibid. Quis ordo in ea ſervandus. ibid. An ſemper ſervandus. ib. An quibuslibet facienda. ib. An ab omnibus. ib.

Crapula Quid ſit, 265. Quale peccatum. ib. Quot modis peccetur ex illa. ib.

Creatura. Creaturæ aliquæ videntur à Beatis in verbo, 37. Quænam videantur. ibid. Creaturas videri, formaliter & cauſaliter quid. ibid. Quomodo poſſint, & de facto videantur in verbo. ibid. Creaturarum eſſe duplex, 38. Quot & quales videantur ab habente intenſius lumen gloriæ. ibid. Cur omnes Creaturæ non videantur à quolibet, ibid. Creaturæ, quomodo amentur à Deo vide Amare.

Credere. An poſſit homo fide divina credere propoſitionem falſam, 291. Quid ſit credere in Deum, credere Deum, & credere Deo, 293. Quæ ſint credenda neceſſitate medii, 321. Quæ neceſſitate præcepti, 323. An hæc ignorans peccet peccato ſpeciali, 324.

Vide V. *Fides*. *Articuli Fidei*.

Credibilitatis Motiva, 288.

Cribri verſio. Quid de ea dicendum, 366.

D

Damnatio. Quid agendum foret homini, cui ſua revelata fuiſſet damnatio, 130.

Decalogus Quid ſit, 355.

Decretum Conditionatum duplex, 43. Decreta conditionata an dentur in Deo. ibid. Quænam admittantur, & quomodo libera, ib. Decreti concomitantia in ſenſu Maiſtri rejicitur, 64. Senſus Authoris circa hanc. ib. Decretum circa gloriam duplex in Deo, 69.

Defendere. *Defenſio*. An & quomodo liceat ſe defendere adverſus invaſorem vitæ propriæ, 424. Bonorum temporalium, 426. Pudicitiæ. ib. Honoris. ib. An idem liceat pro defenſione proximi, 428.

Delectatio moroſa & venerea Quid ſit, 465. Quale peccatum. ibid. An ſit exprimenda perſona circa quam verſatur, 466. An una delectatio moroſa ſpecie differat ab alia. ibid. An ſit licita ſponſis. ibid. An conjugibus, 443. An viduis. ibid. Quæ diſtinctio inter delectationem ſenſualem & veneream, 497.

Deſertores militiæ. Quid de ipſis dicendum, 431.

Deſiderare. Bona vel damna proximi deſiderare quo præcepto prohibeatur, 467.

Deſperatio Quid ſit & quale peccatum, 335. An ſit actus voluntatis. ibid. An judicium de impoſſibilitate Beatitudinis obtinendæ ſit Deſperatio. ibid. Unde oriatur. ibid. Remedia adverſus illam. ib.

Deſperatio. Quomodo deſtruat habitum ſpei, 335.

Detractio Quid ſit, 458. Quotuplex, & quot modis fiat, 459. Quale peccatum. ibid. Quid ſi jocando fiat, aut non aſſertivè, aut uni tantùm. ibid. Quid ſi de perſona innominata, aut mortua. ibid. An infamatus uno loco, tempore, aut crimine, poſſit diffamari in alio, 460. An liceat ſeipſum diffamare. ibid. Qualiter peccet audiens detractionem, 461. Qualiter non impediens. ibid. Regula generalis ad diſcernendam detractionem mortalem à veniali, 459.

Digitized by Google

Devotio Quid ſit, & quæ ipſam impediant, 352.

Deus. Dei nomen in propria & impropria acceptione, 6. Deum eſſe an, & quomodo poſſit demonſtrari, 7. Quænam demonſtrationes non convincant Epicureos. ibidem; Deum eſſe demonſtratur efficaciter. ibid. Item moralibus rationibus, 9. Deus eſt, an ſit per ſe notum, & quomodo. ibid. & ſeqq. Dei ignorantia vid. I. Ignorantia. Deus, quomodo definiri poſſit, 12. Definitio perfectiſſima à viatore factibilis quænam. ibid. Deum eſſe unicum, quomodo probari poſſit, 13. Dei eſſentia explicatur, ib. Dei vita, quomodo differat à noſtra. ibid. Deus eſt ex omni parte infinitus, 18. Deus eſt immenſus & ubique præſens, 26. Deus quomodo ſit in locis. ibid. Deus non eſt verè in ſpatiis imaginariis. ibid. Quomodo ſit extra mundum, 91. Eſt omninò incomprehenſibilis à creatura. ibid. Deus, quomodo ineffabilis. ibid. & ſeqq. Eſt inviſibilis oculo corporeo etiam abſolutè, 25.

Dilectio Dei, ſui-ipſius, & proximi, Vide V. *Charitas*.

Diſcipuli. Eorum obligatio erga Magiſtros, 416.

Diſcordia Quid ſit, & quale peccatum, 261.

Diſpenſatio Strictè ſumpta quid ſit, 157. Quid ſit diſpenſatio obreptitia, quid ſubreptitia, 184.

Diſtinctio Formalis inter quæ ponatur in divinis, 15. An coincidat cum diſtinctione Gilberti Porretani, 16. An obſit divinæ ſimplicitati. ibid An detur inter prædicta eſſentialia, modos intrinſecos & eſſentiam, 18. Diſtinctio realis quomodo debeat definiri, 86.

Diſtractio. Vide *Hora Canonica*.

Divinatio Quid ſit, quotuplex? 364

Divortium Vide V. *Adulterium*.

Doctores. Eorum conſenſus in moralibus ſæpè præponderat ipſi rationi, 250.

Dolus Quotuplex, 263.

Dominica. Præceptum ſacrificandi Sabbathum quale, 402. Translatio cultus Sabbathi in Dominicam, quando, & qua lege facta ſit. ibid. An illo die teneamur audire Miſſam in ſtatu gratiæ. ibid. An elicere actus Fidei, Spei, & Charitatis, 403. An adeſſe Concioni. ibid. An Veſperis. ibid. An Miſſæ ſolemni. ibid. An ſaltem privatæ. ibid. An impeditus ad auditione Miſſæ, teneatur diem illum aliter ſanctificare. ibid Quid dicendum de illis, qui audita Miſſa, reliquum diei otiosè terunt. ibid. Quid de peccato illo die commiſſo, 406. Quæ opera illo die prohibeantur aut permittantur, 407. Quæ cauſæ permittant illo die opus ſervile, 408.

Dubium. Quid ſit, & Quotuplex? 135.

Duellum Quid & quotuplex, 428 An aliquando licitum, 429. An ſaltem authoritate publica, & in quibus caſibus. ibid. Pœnæ Duellantium, & qui illas incurrant. ibid. A quo poſſint abſolvi. ibid

Dulia Quid ſit, & quomodo differat à Religione, 351.

Durare Cum & ſine ſucceſſione quid, 21.

E

EBrietas. *Ebrius*. *Inebriare*. Quid ſit Ebrietas, & quotuplex, 266. Quale peccatum, 267. An ad hanc requiratur, ut potetur cauſa voluptatis. ibid. An per exceſſum potus ſine ebrietate poſſit quis peccare mortaliter. ibid. An liceat ſe inebriare cauſa ſanitatis. ibid. An cauſa mortis vitandæ. ibid. An liceat Cauponibus promere potum ſeſe inebriaturis, 267. Refutantur excuſationes ebrioſorum. ib. Unde fiat, quòd Ebrietas ſit communior Belgis & Germanis, quàm Italis & Hiſpanis, 268. Signa Ebrietatis præteritæ. ibid. An ſtatim credendum pœnitenti dicendi ſe fuiſſe ebrium. ibid. An quis in ebrietate mortali committendo peccatum ex genere ſuo mortale, poſſit peccare tantùm venialiter & è contra. ibid. An uxor poſſit negare debitum marito ebrio. ibid.

Eccleſia Quid ſit, 304. An ſit viſibilis. ibid. Quinam ſint ejus membra. ib. Quot ſint ejus notæ, 305. Quæ ſint. ib. Quæ ſit vera Chriſti Eccleſia. ibid. An Lutheranorum & Calviniſtarum ſecta, 304. An vera Eccleſia poſſit deficere, 306. An poſſit errare in materia fidei. ibid. An in quæſtionibus facti, 312. Ejus primatum an Chriſtus ſoli Petro dederit, 307.

Editio. Scripturæ Sacræ quotuplex, 296. Quæ aliis præferenda, 296.

Effectus Prædeſtinationis quid dicatur, 66. Effectus prædeſtinationis quinam. ibid. Effectus reprobationis quinam, 75.

Electio An diſtinguatur ab intentione, & an ex duobus medi is poſſit eligi minus bonum, 100. An Electio ſit libera, quando occurrit unicum medium hic & nunc ponendum? 100.

Eleemoſyna Quid ſit & quotuplex, 346 An ſit obligatoria. ibid. In qua neceſſitate. ibid. An omnibus pauperibus danda, 347. Quinam teneantur inquirere pauperes, ibid. Quinam poſſint dare eleemoſynam. ibid. Quantam quiſque dare debeat. ibid. An pauper fictus teneatur reſtituere eleemoſynam acceptam.

Elias Enoch. An mereantur, 228.

Ens Neceſſarium & contingens quid, 39. Ens creatum dupliciter conſiderari poteſt, 40. Ens prædicatum eſſentiale Dei, 13.

Epikeia. Quid ſit, 157. 180. Quomodo diſtinguatur à legis interpretatione, 180.

Epiſcopus Romanus An ſit verus Petri ſucceſſor in Eccleſiæ univerſalis Paſtoratu, 308. Quo Jure, 309.

Epiſtolæ. Quale ſit peccatum Epiſtolas clauſas aperire, aut apertas legere, 464.

Error. Quid ſit, 532.

Error. Errores varii circa perſonam filii in divinis, 92. Circa Perſonam Patris, 91. Item circa Spiritum S. ib. Errores prædicti refelluntur, 91.

Eſſentia Divina, quomodo principium intellectionis & volitionis, 39.

Evagatio mentis Quid ſit & quale peccatum, 280.

Evidenter verum & evidenter credibile quomodo differant, 305.

Excommunicatus Quinam debeat vitari, 139.

Exiſtentia Eſt prædicatum eſſentiale Dei, 9. Exiſtentia Dei quomodo credenda, 11. Exiſtentiæ quot dentur in Deo, 94.

F

FAllacia & fraus Quid ſint, 263.

Fama Quid ſit, 458.

Famuli & Famulæ Quid debeant ſuis heris, 416. Quid de illis qui pecoribus plus alimenti dant, quàm herus taxaverit, 454. An liceat ipſis occulta compenſatio, quando judicant operas ſuas majores eſſe ſtipendio recepto, ib.

Fides Quotupliciter accipiatur, 281. Quid ſit Fides Theologica. ibid. Quotuplex, ibid. An fuerit in Angelis & primis Parentibus, ibid. An ſit in damnatis, 285. An in animabus purgatorii & Beatis. ibid. An remaneat in pertinaciter diſcredente uni tantùm articulo fidei. ibid An in peccatore, 283. An poſſit eſſe major in uno, quàm in altero, vel in eodem modo major, modò minor. ibid. An augeatur, aucta Spe & Charitate. ibid. Quomodo fiat iſtud augmentum. ibid. Fidei objectum quotuplex, 287. Quale ſit materiale. ibid. Quotuplex. ibid. Quid immediatum, 283. Quid mediatum, 284. Quale ſit. ibid Quid objectum formale. ibid. Quid agendum cum rudibus, & cum illis qui huc uſque crediderunt ob ſolum dictum Parochi ſui, 285. An revelatio ingrediatur rationem objecti formalis. ibid. An propoſitio deducta ex una revelata, & altera non revelata ſit de fide, 287. A quo debeant proponi credenda. ib. Per quos de Eccleſia, 292. An articuli fidei ſint evidenter credibiles, 287. Motiva Credibilitatis, 288. An ſint articuli neceſſariò obſcuri, 289. An neceſſariò veri, 290. An poſſint extendi, 291. Quotuplex Fidei Regula, 294. An ſit Scriptura ſacra. ibid An ſola. ib. An proprius uniuſcujuſque ſpiritus, 302. An traditiones, 303. An Eccleſia. ib. An ſummus Pontifex, 310. An Concilium, 316. An detur fides infuſa, 317. An ſit eadem ſpecie in omnibus, 318. Quotuplicia ejus objecta. ib. An ſolus Deus illam producat. ib. An ſit prima virtutum. ib. Per quid & quomodo augeatur ib. An informis ſit virtus perfecta ib. An ejus habitus ſit ſpeculativus, an verò practicus. ib Quod ſit ejus munus. ib. Fides actualis Quid ſit & quotuplex. ib. An ſit ſupernaturalis. ib. An ſit diſcurſiva, 318 An ſuper omnia certa. ib. An ad aſſenſum fidei requiratur voluntatis motio, 319. Qualis illa ſit, 320 An ad hanc requiratur habitus in voluntate. ib. An fides actualis interna ſit neceſſaria ad ſalutem, 321. Quæ ſint credenda neceſſitate medii, 322. Quæ neceſſitate præcepti, 323. An hæc ignorans peccet peccato ſpeciali, 325. Quandonam obliget actus fidei. ib. An ſemper obliget externa fidei profeſſio. ib. Quando, 326. Notæ, quibus qualificantur propoſitiones fidei aut bonis moribus non ſatis conformes, 328. An fidem neget qui init Matrimonium coram miniſtro Hæretico, 326. An aſſiſtens eorum funeralibus. ibid.

Fides an & qualis requiratur ad juſtificationem? 225. An requiratur formalis? 226. Quotuplicem diſtinguant hæretici fidem? & an fides, quam promiſſionis vocant, ſufficiat ad juſtificationem? 225. An ſola fides ſufficiat ad juſtificationem? ibid. An fides augeatur aucta gratia? 231. Per quos actus augeatur? 232.

Filius indivinis, quomodo procedat à patre. vid. Proceſſio. Filii proceſſio, quæ præſupponat in Patre? 82. Filio quænam propria in divinis? 96 Filio quomodo conveniat ſapientia? ibid.

Filius an, parentibus indigentibus, poſſit Religionem intrare aut egredi, & plura ſimilia. 411.

Filii ſpirituales quid debeant ſuis Paſtoribus, 415. Quid ſuis Patrinis, ibid.

Finis Quotuplex ſit? 128. an actus humanus deſumat bonitatem aut malitiam à fine extrinſeco, ibid.

Finis ultimus quandonam cenſeatur quis conſtituere finem ultimum in creatura, 242. 251.

Fornicatio quid ſit, 434. Quale peccatum ibid.

Furtum quid ſit, 449. Quotuplex, ibid. Quale peccatum, ibid. Quanta materia requiratur ad mortale, 450. Quid de furtis minutis, 451. An liceat aliena ſurripere in neceſſitate, & an illa ſint poſtea reſtituenda. 452. Quid de illis qui ſinguli minuta ſurripiunt, 453. Quid de Furtis Domeſticorum, 454 Parentum & Filiorum, 455. conjugum, ibid. Religioſorum, ibid.

Furtum ſacrilegum quotuplici modo committatur, 126.

Futurum quid & quotuplex? 41. Futura contingentia an cognoſcantur certo à Deo. ibid. An cognoſcantur in Ideis? ibid. An in diſpoſitione cauſæ proximæ? ibid. An, quia realiter coexiſtunt æternitati? 42. An in eſſentia divina ante Decretum, aut quia præſcientia efficax? ibid. Ratio ea cognoſcendi aſſignatur. ibid. Futurum conditionatum duplex. 42. Futura conditionata an cognoſcantur à Deo? ibid. Auguſtini Conciliatio circa hanc materiam. 42. & ſeqq. Futura conditionata quomodo ſint in ſtatu medio? 43. Quomodo ſpectent ad ſcientiam viſionis, etiam juxta Scotum? 49.

G

G*Eneralis* in Ordine Seraphico an habeat poteſtatem condendi leges extra Capitulum? 166.

Generatio verbi quæ præſupponat? 85. Circa generationem verbi notabilia varia. 92.

Gloria vana. Vide V. *Vana Gloria*.

Glorificatio Eſt effectus prædeſtinationis. 66. Ad glorificationem quænam reducantur? 67.

Gratia, ut effectus prædeſtinationis duplex. 66. Ad gratiam vocationis quæ reducantur? ibid. Ad gratiam juſtificationis quænam ſpectent. 67. Gratia firma, ſicut & ſanctificans gratis datur. 67.

De gratia Chriſti. 193. De gratiæ hoſtibus & defenſoribus ibid.

Quid gratia & quotuplex? 197. & ſeq Quid præveniens, concomitans & ſubſequens, & quomodo inter ſe diſtinguatur 198. In quo conſiſtat gratia adjuvans, & an ſit quid idem cum præveniente? 199.

De gratia ſufficiente. 199. An detur in natura lapſa gratia ſufficiens? ibid. Quotuplex ſit? 260. An ſit de fide dari in homine lapſo gratiam merè ſufficientem? ibid. An gratia ſufficiens detur omnibus ſic, ut nullus omninò excipiatur? 201. Quid dicendum hac in re de parvulis? ibid. Quid de Infidelibus? 202. Quid de peccatoribus obduratis? 203. Quid de juſtis? 204. An Beata Virgo ab omni peccato veniali immunis fuerit, & quomodo? 205. An etiam aliqui inter Sanctos, ibid.

De gratuitate gratiæ ſecundùm diverſos naturæ ſtatus. 207. Quotuplex naturæ ſtatus, & an naturæ puræ ſit poſſibilis? ibid An homo in ſtatu naturæ innocentis indiguerit gratia? 209. An potuerit homo innocens ſine Gratia elicere actum moraliter bonum, 210. An potuerit ex ſolis naturalibus omnia legis naturæ præcepta obſervare, ac tentationes vincere? ibid. Qualis fuerit gratia hominis innocentis? ibid. Quænam ſit differentia inter gratiam hominis ſani & gratiam hominis infirmi? 210.

De neceſſitate gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ, 211. An homini lapſo ſit neceſſaria gratia, ut cognoſcat veritates? ibid. An poſſit homo, ſecluſa revelationis gratia, cognoſcere myſteria fidei? 212. An poſſit myſteriis fidei aſſentiri ſine gratiæ auxilio? ibid. An homo poſſit ſine gratia exercere opus moraliter bonum? ibid. varii errores circa hanc materiam. ibid. An valeat homo lapſus ſine concurſu gratiæ adimplere totam legem naturæ? 213. Quæ gratia requiratur & ſufficiat ad diuturnam totius legis naturæ obſervantiam? 214. An requiratur gratia ad vincendas tentationes? 215. Quotupliciter poſſimus vincere tentationes? An poſſit homo diligere Deum ſuper omnia ut authorem naturæ ſine gratia, 216. An homo juſtificatus poſſit ſine gratia operari ſupernaturaliter, & perſeverare, 217.

De gratia ſanctificante? ibid. Quinam ſint effectus gratiæ ſanctificantis? ibid. gratia quo ſenſu dicatur participatio eſſentiæ Divinæ? 223.

Gula quid ſit & quotuplex, 265. Quæ ejus filiæ, 268. Quæ remedia? ibid. incommoda varia & peccata ex ea oriunda ibid. Vide V. *Crapula*. *Ebrietas*.

H

H*Abitus* quomodo tendat in Concluſiones Theologicas, 5 Habitus Theologiæ vid. Theologia.

Hæreſis. *Hæreticus*. Hæreſis quid ſit, 327. Quotuplex? ibid. Quid ad hanc requiratur? ibid. Quid requiratur ad hoc ut dicatur manifeſta ſeu externa, 328. An dubitans de uno articulo fidei ſit Hæreticus, 327. An liceat Hæreticorum concionibus adeſſe, 326. An cenſeatur fidem negare qui init Matrimonium coram Miniſtro Hæretico? ibid. An aſſiſtens eorum funeralibus? ibid. In quo differat Hæreticus ab Apoſtata, 328. An omnes Hæreſes ſint ejuſdem ſpeciei? ibid. Quis poſſit abſolvere ad Hæreſi externa? ibid. Pœnæ contra Hæreticos decretæ? ibid.

Hagiographi qui dicantur, 295. Quomodo ipſis Scripturam Sacram inſpiravit Spiritus Sanctus? ibid.

Heri. Eorum obligatio erga ſubditos, 416.

Hipocriſis quid ſit, & quale peccatum, 261.

Homicidium quid, quale peccatum, quot modis fiat, quomodo interrogandus Homicida in Confeſſione, 418. Vide V. *Occidere*. *Occiſio*.

Honor quid ſit, & quomodo differat à fama, 458.

Horæ Canonicæ quid & quot ſint, quare dicantur Canonicæ, & Officium Divinum, 353. Quinam ad illas teneantur, & quo jure? ibid. An Religioſi, & quinam, & quo jure? ibid. An Moniales, & quo jure? ibid. An ille, cui permiſſum eſt ut extra Monaſterium perpetuò vivat, ibid. An ille quo cùm diſpenſatum eſt ut poſſit nubere, vel ad ſtatum Converſorum tranſire, vel ad aliam Religionem ad Chorum non obligatam? ibid. Ad quas Horas teneatur cæcus, vel aliter impotens? ibid. & 356 Quando incipiat obligatio ad illas, 353. Obligatio ea in Choro recitandi quos afficiat? ibid. Quot perſonæ requirantur ad *Chorum* conſtituendum, 354. Quot peccatis peccet Religioſus ſacris initiatus *Horas* omittens? ibid. Quot Beneficiatus ſacris initiatus, ibid. Quid autem, ſi non intenderet facere fructus ſuos? ibid. An poſſit quis recitare cum ſocio, & an hic debeat eſſe Clericus, 356. Modus illas recitandi cum ſocio, ibid An ſurdus poſſit uti ſocio? ibid. An talis poſſit ſatisfacere in Choro, ibid. An involuntariè diſtractus, vel attendens quidem, ſed non benè percipiens propter aliquod impedimentum teneatur aliquid repetere? ibid. An non potens recitare ſine ſocio, teneatur illum aſſumere? ibid. Qua forma recitandæ ſint Horæ Canonicæ? ibid. Quo ordine, & quid de inverſione ordinis, 357. An poſſit inchoari Matutinum die ſequenti, nondum inchoato Officio hujus diei? ibid. An ſit obligatio recitandi Matutinum ante Miſſam? ibid. An licitum ſit mutare *Officium* pro Officio, & quid agere debeat qui jam mutavit? ib. Quo ſitu, loco, tempore, & voce Horæ recitandæ, 358. An poſſit legi Matutinum pridiè, & qua hora? ibid. An etiam parvæ Horæ? ibid. An prævidens impedimentum poſtridiè, teneatur Matutinum legere pridiè? ibid. An poſſit terminari Officium poſt duodecimam Nocturnam? ibid. An Privilegium Leonis X. recitandi aliqua mentaliter tantùm, ſit revocatum, 359. Quomodo peccetur contra integritatem Officii? ibid. Quid de interruptione? ibid. An omittens totum Officium, tot committat peccata, quot ſunt Horæ? ibid. Qua devotione ſit recitandum Officium Divinum, 360. Qua intentione & attentione? ibid. Quid ſit attentio & quotuplex? ibid. Quæ ſit neceſſaria, Quæ utilior? ibid. Quid de Diſtractionibus, 361. Horarum Canonicarum myſteria? ibid. Cauſæ excuſantes à recitatione Horarum, 362. Ab Officio Chori? ibid. An excuſatus ab horis recitandis teneatur ad alias preces? ibid. Quis poſſit diſpenſare in lectione Horarum? ibid.

Jacob.

I

Jacob. An mentitus fuerit, dicens Patri, ſe eſſe Eſau 129.

Jactantia quid ſit, & quale peccatum, 261.

Janſenius, *Janſeniſtæ*. Qui dicantur Janſeniſtæ, 312. De propoſitionibus Janſenii? ibid. An Eccleſia illas condemnando, condemnaverit de facto doctrinam & ſenſum Janſenii, 313. An hoc facere potuerit? ibid. De juramento abjuratorio harum propoſitionum? ibid.

Janſenii errores à S. Sede reprobati, 196.

Idea, quid & quotuplex, 48. Ideæ an, & quorum in Deo dentur? ibid. Idea divina objectiva quid? ibid. Ideæ divinæ, quomodo plures? ibid. Ideæ divinæ, an ſint ratio cognoſcendi futura, 41.

Idololatria quid ſit, & quale peccatum, 363.

Jejunium quid & quotuplex, 269. Requiſita ad Jejunium Eccleſiaſticum? ibid. Quid nomine Carnis in eo prohibeatur? ibid. An in ejus comeſtione detur parvitas materiæ? ibid. Quæ quantitas ſufficiat ad mortale? ibid. An qui in die Jejunii poſt ſecundam refectionem ſumit tertiam, peccet duplici peccato, 270. Qua hora tunc comedendum? ibid. & 272. Qui cibi tunc prohibeantur, 269. Variæ quæſtiunculæ de potu in diei jejunii, 270. An liceat tunc bibere extra refectionem, 271. Quid dicendum de ſumptione Caffæi, Thæi, Salviati, & Chocolati? ibid. An refectio poſſit dividi? ibid. Quamdiu poſſit durare? ibid. Quid de collatiuncula, 273. Begardorum, & Beguinarum hæreſis circa obligationem Jejunii? ibid. Obligatio illa quos afficiat? ibid. Quo ætatis anno incipiat, 274. Quo deſinat? ibid. Quæ infirmitas ab illa excuſet? ibid. Quid agendum in dubio, 275. Quis labor? ibid. An Opifices exempti ob laborem eximantur etiam in die feſto? ibid. Quale iter excuſet, 276. Quæ paupertas? ibid. Quid dicendum de militibus, 275. Quæ Pietas excuſet, 276. Quis poſſit ab illa diſpenſare? ibid. An Medici, Confeſſarii, &c? ibid. Variæ quæſtiunculæ utiles & curioſæ de Jejunio? ibid. Quid agendum cum illis qui ſæpius in Quadrageſima non jejunarunt, 277. Vide V. *Refectio Quadrageſima*.

Jephte. An ejus votum fuerit validum, 392.

Ignorantia Quid & quotuplex, 109. An cauſet involuntarium, 110. Quoddam ſit diſcrimen inter ignorantiam antecedentem, concomitantem & conſequentem? ibid. An detur ignorantia invincibilis juris Divini poſitivi? ibid. An excuſet à peccato, 111. An detur ignorantia invincibilis juris naturæ? ibid. Quomodo dividatur talis ignorantia? ibid. Quandonam in materia juris naturæ peccet aliquis defectu orationis pro repellenda ignorantia, 112. An ignorantia invincibilis juris naturæ excuſet à peccato, 113. Quomodo agendum ſit cum adoleſcente, qui laborat ignorantia fortè invincibili circa pollutionem, 135. Ignorantia legis humanæ an & quando excuſet à pœna ſubeunda, 186. Vide V. *Lex de lege pœnali*.

Ignorantia Dei, quotuplex, 10. An dari poſſit? ibid. Quod dari non poſſit, unde oriatur? ibid.

Immenſitas generatim, & propriè quid, 22. Immenſitas, quomodo differat ab iniquitate? ibid. Immenſitas Dei an probetur ex operatione ubique? 23. Soli Deo competit, 29.

Immunitas Eccleſiaſtica quinam ea careant, 367.

Impedimentum dirimens quomodo agere debeat Confeſſarius cum ignorante impedimentum dirimens matrimonium, 135. Quid agendum Confeſſario, dum aliqua credens invincibiliter ſe eſſe validè maritatam (cum tamen reverà non ſit) non vult accedere ad maritum ex ira aut ex alia paſſione, & tamen non expedit ei matrimonii nullitatem declarare? ibid.

Imperatores pro quibus ferre poſſint leges, an pro toto orbe, 162.

Imperium monaſticum quid ſit & cujus potentiæ, 102 Deſpoticum quomodo diſtinguatur à Politico? ib.

Inceſtus quid ſit, 436. Quale peccatum, ib. An unus differat ſpecie ab alio, 414. Quid de inceſtu ratione cognationis ſpiritualis, 436. Quid de Confeſſario pœnitentem carnaliter cognoſcente, 437. Quis poſſit cum inceſtuoſo diſpenſare ad petendum debitum? ib

Incomprehenſibilitas Quænam ſoli Deo competat, 24.

Indignatio quid ſit & quale peccatum, 278.

Infantes An poſſint comedere carnes in Quadrageſima, 173. An poſſint infantes Maſculi intromitti in clauſuram Religioſarum, & qua ætate? ib. An infantes incurrant irregularitatem propter homicidium? ib.

Infideles Cur non ſubdantur legibus Eccleſiaſticis? ib.

Infidelis. *Infidelitas* Quid ſit & quotuplex, 326. An infidelis in omni opere peccet, 327.

Infinitum Simpliciter quid, 18.

Infirmarius Quandonam peccet in officio ſuo, 153. 454.

Infirmus Cur peccet pro libitu ſibi remedia procurando, 153. An poſſit aliquando ſumere remedium aliquod periculoſum? ib. An poſſit infirmus ad mortem omne medicamentum reſpuere, ib.

Ingratitudo Quid ſit & quale peccatum, 262.

Innocens An poſſit occidi, 419. An ſi probetur nocens, poſſit condemnari? ib.

Inobedientia. Filia Superbiæ, comes Rebellionis, 261.

Intellectus Creatus, an concurrat affectivè ad viſionem beatificam, 33. An ut cauſa principalis? ibid. Intellectus, & lumen gloriæ, quomodo ſe habeant reſpectu, vitalitatis & ſupernaturalitatis in viſione beatifica? ibid. Intellectus perfectior, an cum æquali lumine perfectius Deum videat, 34. Intellectus, an & qualis ſit in Deo, 38. Intellectus divinus an diſtinguatur formaliter ab eſſentia & intellectione, 286. An in Deo ſit potentia productiva, & receptiva intellectionis, aut in potentia ad illam, ibid. An congruè ponatur potentia intellectiva inter eſſentiam, & intellectionem? ib. Intellectus divini objectum Vid. *Objectum*.

Invidia Quid ſit, 263. Quibus comparetur, ib. Ejus filiæ ib. Remedia contra illam, 264.

Involuntarium Quid & quotuplex, 105. Quomodo differant involuntarium, violentum, coactum, & neceſſarium? ib.

Ira Quid ſit, 278. Quale peccatum? ib. quæ ejus filiæ? ib. quæ remedia contra illam? ib.

Irregularitas An contrahatur ab amentibus, infantibus, dormientibus, 153.

Irriſio. Illuſio quid ſit, & quale peccatum, 463.

Judæi Cur peccaverint volendo Chriſti mortem, quandoquidem illam vellet etiam Deus, 131.

Judaiſmus Quid ſit, 327.

Judex In foro fori quare non poſſit ſequi opinionem Rei, poſſit autem quandoque in foro Sacramentali, 152.

Judicium temerarium Quid ſit, 456. Ejus differentiæ à ſuſpicione & opinione? ib. quando peccatum mortale, ibid. quomodo interpretanda dubia, 457.

Judith An mentita fuerit Holoferni, 129.

Juniores Quid debeant ſenioribus, 416.

Juramentum Quid ſit, 378. Quotuplex, 379. An licitum & in quibus circumſtantiis, 378. Conditiones requiſitæ ad licitè jurandum, 379. An Sacerdotibus liceat jurare in judicio, 380. An omnia juramenta ſint ejuſdem ſpeciei?, ibid. Qualiter peccet jurans ſe peccaturum venialiter, 379. qualiter ſe jactans de peccato, quod juramento confirmat? ib. Obligatio juramenti, 380. An ſub juramento promittens pecuniam puellæ pro uſura corporis, teneatur illam ſolvere, 381. An ſimiliter promitttens uſuras ſolvere? ib. Quid dicendum de juramento ſine animo jurandi, ſe obligandi, aut adimplendi, ibid. Quid ſit Juramentum dolo, aut metu extorqueatur? ibid. An juramentum firmet contractus jure poſitivo nullos, aut reſcindibiles, 382. An Filius teneatur implere juramenta Patris, ibid. Quid dicendum de juramento non amplius ludendi, 383. An ſit licitum jurare cum reſtrictione mentali, 384. Quæ conditiones ad hoc requirantur, 386. An juramentum æquivocum obliget, 387. An liceat juramentum exigere à juraturo per falſos Deos? ibid. An à pejeraturo? ibid. De ceſſatione obligationis juramenti homini facti? ibid. Deo & homini ſimul, 389. An jurans ingredi Religionem indeterminatam, una ipſum non admittente, ſit liber? ib.

Jus Canonicum Quid ſit, 154. Quænam concurrant ad Juris Canonici corpus, 164.

Jus civile Quid ſit, 154. Ex quibus conſtet? 165.

Jus gentium Quid ſit & quomodo à jure tum naturæ, tum civili diſtinguatur, ib.

Jus naturæ Quotupliciter dicatur aliquid eſſe de Jure naturæ, 238.

Juſtificatio Quid & per quid fiat, 218. Non eſt ſola peccatorum remiſſio? ibid. An deleantur verè peccata in juſtificatione impii? ibid. An forma ſanctificans ſit ex natura ſua expulſiva peccati, 219. An de potentia Dei abſoluta poſſint eſſe ſimul peccatum & gratia in eodem ſubjecto, 220. An poſſit remitti peccatum mortale abſque infuſione gratiæ ſanctificantis? ibid. An poſſit Deus remittere peccatum per gratiæ infuſionem abſque ulla peccatoris retractatione, 221. An

for-

forma ſanctificans ſit actus vel habitus, & an diſtinguatur à Charitate habituali, 222. Quæ ſint cauſæ juſtificationis, 223. Quodnam ſit opus Dei juſtificatio, 224. An poſſit quis eſſe certus de ſua juſtificatione? ibid. Quænam diſpoſitiones requirantur ad juſtificationem, 225. Juſtificandus quandonam teneatur elicere actum fidei? Quandonam actum ſpei formalem & explicitum, 226.

Juſtitia, Quænam detur in Deo, 55.

L

Lacticinia An licitè comedantur in Quadrageſima, 269. Sub quo peccato prohibeantur in certis locis, die Cinerum, & quibuſdam aliis, 270.

Lex Quid ſit, quotuplex, in quo conſiſtat, 138. Quare lex naturalis aut divina ſemper ſit in poſſeſſione contra dubitantem, 180. Quomodo lex differat à ſimplici præcepto, 154. Quare lex non moriatur moriente legiſlatore. ib. Quandonam lex divina dicatur naturalis? Quandonam poſitiva. ibid.

De lege naturæ. An detur, quid ſit & quotuplex. ibid. In quo conſiſtat, & in quo differat à jure gentium, 155. Diſcrimen inter legem naturalem ſeu æternam, Syndereſim & Conſcientiam, 156. Quæ ſit materia legis naturæ, & qualiter ad illam ponendam obligemur. ibid. Diſcrimen præcipuum inter legem poſitivam & legem naturalem. ib. An materia legis naturæ debeat poni ut præcepta, aut ex motivo Charitatis. ib. Quos obliget lex naturalis, 117. An poſſit cadere diſpenſatio in legem naturæ, 179. Legis Epikeia, interpretatio, abrogatio, derogatio, diſpenſatio, quid ſint & quomodo differant inter ſe, 157. An Papa aut ſaltem Deus diſpenſare poſſit in lege naturali. ibid. An ſaltem diſpenſare poſſit Deus in præceptis Decalogi 2. tabulæ, 158. Quare Deus diſpenſare non poſſit in hoc præcepto, *non dices falſum teſtimonium*, licèt poſſit in aliis 2. tabulæ præceptis, 160.

De lege veteri. Quiſnam legem veterem condidit, miniſtravit, promulgavit, 160. An lex Moſaica fuerit prima omnium legum poſitivarum à Deo inſtitutarum. ibid. Ubi lex vetus data fuerit. ibid. Quænam contigerint tempore, quo lex vetus ferabatur? ibid. An lex Moſaica fuerit imperfecta, 161. Quandonam lex Moſaica incæperit eſſe mortifera, 164.

De lege nova. An detur lex nova, & quænam contineat præcepta, 163. An in legem Evangelicam poſſit cadere diſpenſatio & Epikeia. ibid. An in lege Evangelica aliquando licita fuerint legalia. ibid. Quare D. Paulus ad Gal. 2. v. 11. reprehenderit D. Petrum judaizantem. ibid Utrum legalia poſſint nunc ab Eccleſia reaſſumi, 164. In quibus Divi Aug. & Hieron. diſcrepaverint quoad uſum legalium in lege nova. ibid

De lege humana, 164. Quid contineat jus Canonicum, quid jus Civile, & quomodo ſoleant citari. ib. An ſit conceſſum hominibus ferre leges, 165. Waldenſium, Wicleffi, Joannis Hus, Lutheri, Calvini in hac materia error. ibid. An ſit in Politia Spirituali Poteſtas legiſlativa, & apud quos reſideat. ibid. An & quomodo declarationes Cardinalium vim legis obtineant, 166. An ſit in Politia Civili poteſtas legiſlativa, & quibus competat. ib. Quæ ſit materia legis humanæ, 167 Qualiter ponenda, 168. An ex intentione obtinendi habitum virtutis, aut ex motivo Charitatis. ib. An ex fine legis extrinſeco. ib. An ex notitia legis. ib. An ut ſatisfiat præcepto. ib. An ſatisfaciat ſuæ obligationi ille, qui poſitivè intendit non ſatisfacere præcepto. ib.

De promulgatione legis. An, qualiter, & ubi debeat promulgari, & quando obliget, 169. Cur promulgatio requiratur. ib. Plurimorum caſuum reſolutio, 170. An ut obligent leges Papales in Belgio, requiratur placitum Regium, 171. An invincibiliter ignorantes legem excuſentur ab omnibus legis effectibus. ib. In quo differant legis promulgatio & divulgatio. ib.

De acceptatione legis. An Populus debeat legem acceptare ad hoc, ut obliget. ib. Quis debeat agere Communitatis Rector, ubi legem ſubditis nocivam agnoſcit, 172. Cur major pars Communitatis, quæ legem non acceptando aut non obſervando, initio peccavit, poſſit tamen poſtea quandoque ſine peccato legem negligere? ibid. Quodnam tempus requiratur ad præſcribendum contra legem. ibid.

De obligatione legis humanæ. Quinam obligentur legibus humanis, 172. An legiſlator. ibid. Sub quo peccato. ibid. Cur poſſit alium, non ſe à lege ſua eximere, 173. An Infideles, & uſu rationis privati ſubjiciantur legibus humanis & quandonam pueri. ib. An Clerici ſubjiciantur legibus Principum ſæcularium. ibid. An Incolæ alicujus loci teneantur legibus proprii territorii, dum alibi verſantur, 174. Ubi Plures caſus. An ille, qui diſcedit à proprio territorio ea intentione, ut eximatur à lege, cenſeatur exemptus, 175. Quænam cauſa requiratur, ut diſcedens in alium locum, eximatur à legibus domicilii. ibid. An extra territorium verſantes teneantur legibus loci, ubi exiſtunt. ibid. Ubi plures caſus. An legiſlator humanus obligare poſſit in conſcientia, An ſub peccato gravi, & quandonam cenſeatur taliter obligare, 176. An poſſit legiſlator rem levem ſub gravi obligatione, aut gravem ſub levi præcipere, 177. An omnis lex obliget in conſcientia. ibid. An leges humanæ obligent cum periculo vitæ, aut alterius damni notabilis, 178. Vide ibid. Plures caſus. An poſſit quis pluribus actibus eodem tempore exercitis, & unico actu diverſis obligationibus ſatisfacere, 179. Quandonam lex nova priori ſuperveniens præcipiat eundem actum, quandonam diverſum, ibid. An teneatur quis impedientia legis executionem tollere, & an qui non poteſt totam legem, debeat partem implere, vide ibid. Reſolutionem plurium caſuum.

De interpretatione legis. Quid & quotuplex legis interpretatio, & quis poſſit legem interpretari, 179. Regulæ ad debitam legis interpretationem, 180.

De Epikeia legis. Quid ſit, & an ſit aliquando licita, 180 An in legibus irritantibus contractus. ibid. Quibus caſibus cadat Epikeia in legem humanam. ibid. In dubio an voluerit aut noluerit legiſlator talem caſum comprehendere, quænam pars tenenda, 181.

De mutatione legis. An lex poſſit mutari. ibid. An lex deſinat, deſinente cauſa finali. ibid. In dubio an ſuperſit cauſa ſufficiens, ut lex obliget, quid agendum ibid. An & quando poſſit legiſlator legem abrogare, aut ei derogare, 181. Quis abrogatio, quid derogatio legis. ibid. Quæ cauſa ſufficiat ad abrogandam legem ibid. An Legiſlator poſſit abrogare legem à ſuo ſuperiore confirmatam. ibid. Quotupliciter lex recepta abrogari poſſit, ibid. Quomodo intelligenda ſit hæc Regula juris, *generi per ſpeciem derogatur*. ibid. An conſuetudo poſſit legem introducere, aut abrogare. ibid. Quid ad hoc requiratur, 182. Quid judicandum in dubio, an conſuetudo ex devotione vel ex animo obligationis fuerit introducta. ibid. Quandonam conſuetudo abrogari cenſeatur. ibid. An conſuetudo præſcribere poſſit contra legem, ubi ponitur, *non obſtante quacumque conſuetudine*. ibid. Quid diſpenſatio legum humanarum, 183. Quomodo differat ab Epikeia. ibid. Quinam diſpenſare poſſint. ibid. An Epiſcopi diſpenſare poſſint in legibus Pontificiis. ibid. An Parochi in jejunio & in abſtinentia à *labore ſervili* in diebus feſtis. ib. An ut legiſlator diſpenſet requiratur cauſa. ibid. An diſpenſatus ſine cauſa poſſit uti ſua diſpenſatione Variæ quæſtiunculæ valde utiles de Diſpenſatione, 184. Quas cauſas requirat Trident. ad diſpenſandum, 185.

De lege pœnali Quid & quotuplex & an obliget in conſcientia. ibid. Quandonam lex pœnalis ſit ferendæ, quandonam latæ ſententiæ. ibid. An leges pœnales obligent ad pœnam ante ſententiam, 186. An ignorans incurrat pœnam legi humanæ annexam, ibid. Quid & Quotuplex lex irritans, & an omnis lex prohibens actum, illum irritet: & è contra, 187.

Liberalitas Quid ſit, 263.

Liber vitæ Quotupliciter ſumi poſſit, 71. Liber vitæ ſeu Prædeſtinatorum quid, 72. Scriptus in libro vitæ, an *poſſit* deleri. ibid.

Libertas, *libera volitio*. Libertas datur in Deo, 53. Tam contrarietatis, quàm contradictionis. ibid. Libertas volitionis divinæ an ſit reſpectus rationis, 54. An perfectio intrinſeca, quæ potuit non eſſe in Deo. ibid. An denominatio extrinſeca. ibid. Libera volitio Dei in quo propriè conſiſtat. ibid Libertas divina, in quo differat ab humana. ibid.

Libertas Quotuplex, 235. Quæ requiratur ad peccandum, 236.

Libertas indifferentiæ, Quid ſit & Quotuplex, 99. 188 An requiratur ad meritum, 231. Quænam ad libertatem requiratur indifferentia, 189. An libertas eſſentialis ſit vera libertas, 190.

Quænam libertas in homine circa bonum & malum, 191. Unde petatur perfectio libertatis indifferentiæ. ibid. An Deus poſſit neceſſitare voluntatem ſtante indifferentia judicii, 192. An voluntas operando ſit libera, & quid ſuperaddat libertas voluntati. ibid.

Liberum arbitrium, Quid ſit, 189. In quo conſtituatur. ib.

An

Digitized by Google

An detur in homine, 188. An concupiſcentia neceſſitet liberum arbitrium, 193.

Libri Qui dicantur Canonici, & quot ſint, 295. Qui dicantur & ſint Apocryphi. ibid. Qui libri ſacri perierint. ib. An illos incorruptos acceperimus à Judæis. ib. Vid. V. *Editio Scripturæ Sacræ*, *Libri prohibiti*. Quid de eorum lectione impreſſione &c., 328.

Litaniæ Majores. An obligent & quando, 357

Lumen gloriæ Quid, 32. An per lumen gloriæ eleveţur intellectus beati, 31. Vindicatur Scotus circa hanc materiam, 32. An concurrat effectivè cum intellectu, 33. An requiratur ut diſpoſitio ad recipiendam viſionem. ib.

Lutherus Quo peccato peccaverit agendo ut extingueret conſcientiam, 134. Lutheri errores circa gratiam Chriſti, 195.

Luxuria. Quot ejus ſpecies, 434. An in ea detur parvitas materiæ, 447. Remedia contra illam, 449. Vide V. *Delectatio moroſa*. *Impudicitia*.

M

Magia Quid & quale peccatum, 366. Unde poſſit cognoſci, ibid. De quibus interrogandi ſunt magi. ibid.

Maledictio Quid ſit, 463. Quale peccatum. ibid. An Job propriè maledixerit diei Nativitatis, & David montibus Gelboe, 463.

Maleficium Quid ſit, quotuplex, & quomodo differat à Magia, 366. An liceat uti opera Malefici ad Maleficia diſſolvenda. ibid.

Malitia Filia Acediæ Quid ſit, 279.

Malum Et peccatum in quo differant, 234.

Materia. Ejus gravitas, aut levitas in peccatis, unde dijudicanda, 250. Unde colligendum, an illa graviter aut leviter conducat ad finem legis. ibid. In quibus peccatis detur vel non detur parvitas materiæ. ibid. Quandonam multæ materiæ leves afficiant unam gravem. ibid. Quandonam non. ib.

Matrimonium An valeat ſine Parocho & teſtibus ſi nequeant, ratione peſtis aut belli, adeſſe aut ſine illis, metu mortis, initum fuerit, 181.

Medicus Quibus remediis uti teneatur, 152. Medicorum peccata, ib. & 423.

Medium. An ex duobus mediis poſſit voluntas eligere minus bonum, relicto meliori Vide V. *Electio*.

Mendacium Quid ſit, 455. Quotuplex. ib. An aliquando licitum. ib. Quale peccatum. ib.

Mercator An poſſit merces ſuas aut pecuniam diſtribuere pretio currenti, quamvis ipſemet concurriſſet ad conſtituendam legem nondum promulgatam, quæ mercium aut pecuniæ valorem minuit, 169.

Meritum Quid ſit & quotuplex, & an homo poſſit mereri apud Deum, 227. Quomodo differat meritum condignum à congruo. ib. Utrum ſit de fide hominem poſſe mereri de condigno. ib. Quænam conditiones requirantur ad meritum condignum, 228. Quænam cadant ſub meritum de condigno, 231. Quænam ſub meritum de congruo. ibid. Variæ quæſtiunculæ hanc materiam concernentes, 232. Unde augeatur meritum. ib.

Metus Quid ſit & quotuplex, & an cauſet involuntarium, 227. Cur metus gehennæ efficax excludat affectum ad peccatum, An quis ex metu motus poſſit manducare carnes die veneris &c., 178.

Michaelis Baji Errores circa gratiam, 195.

Miles Utrum teneatur cum periculo vitæ hoſtes agredi, muros Civitatis conſcendere, in ſtatione manere &c. propter bonum exercitus, 430.

Milites. Eorum, & Bello deſervientium peccata, 431. Quid de Deſertoribus. ib. An Catholicus militare poſſit inter Infideles, vel Hæreticos. ib. Vide *Bellum*.

Fr. Minores An ex voto teneantur ad omnia contenta in Regula ſua, 246.

Miſſa. Quæ obligatio Miſſam audiendi in die Dominica, 403. An ſit obligatio ad Miſſam ſolemnem. ibid. Quæ præſentia requiratur ut quis ſatisfaciat præcepto, 405. An voluntariè diſtractus ſatisfaciat. ibid. An tunc liceat preces obligatorias recitare. ib. Quæ integritas requiratur, ibid. An ſatisfaciat audiens duas medietates. ibid. Cauſæ ab illa excuſantes, ib.

Miſſa. An diſcedens à loco domicilii, ubi eſt feſtum, teneatur audire Miſſam, ſi pergat ad alium locum, ubi non eſt feſtum, 176. An, ſi voviſti quotidiè audire ſacrum per aliquod tempus, tenearis diebus Dominicis, & Feſtis duas Miſſas audire, 179. An poſſit aliquis die veneris aut ſabbathi ſummo mane ex oppido diſcedere, licèt die Dominico non ſit habiturus occaſionem Miſſæ. ibid. An violet præceptum audiendi Miſſam ille, qui die veneris ſe inebriat prævidens ſe inde Miſſam non auditurum die Dominico. ib. An rectè aliqui eximant mercatores à Miſſa audienda, ne perdant lucrum 3. aut 4. florenorum, 181. Cur non ſit obligatio tres Miſſas audiendi in Natali Domini, 182.

Miſſio. *Mitti*. Miſſio divina perſonarum quid, 97. Mitti unam perſonam ab alia quid, 98. Mitti an poſſit Pater ab aliis Perſonis. ibid. Quænam Perſonæ miſſæ ſint. ibid.

Modus intrinſecus. Modi intrinſeci Dei quinam, 14. Quomodo diſtinguantur ab eſſentia, 18. Modus loquendi in materia de Trinitate, 98.

Moyſes An excuſari poſſit in occiſione Ægyptii, 131.

Motus carnales. Qualiter homo in iis ſe gerere debeat, 447.

Mulieres Vanè ſe ornantes, aut pectus nudantes, qualiter peccent, 446.

Mutatio Quid, & quotuplex, 20.

Mutilatio Quando licita, 421. Reducitur ad homicidium, 423. An quis teneatur pati amputationem membri putridi, ad ſalvandum totum corpus, 421.

N

Neceſſarium Neceſſitate medii, & præcepti quid dicatur, 321. Quæ ſint credenda neceſſitate præcepti, 323. An hæc ignorans peccet peccato ſpeciali, 324.

Necromantia Quid ſit & quotuplex, 364.

Nomen Dei multiplex ex Scriptura, 25. Nomen Dei apud omnes ferè gentes tetragrammaton. ibid. Nomen an poſſit perfectius ſignificare audienti, quàm loquenti aut inſtituenti. ib.

Notæ. De notis veræ Eccleſiæ, Vide V. *Eccleſia*. Quæ ſint notæ, quibus qualificantur propoſitiones Fidei, aut moribus non ſatis conformes, 328.

Notio Divina quid, 89. Notiones quot ſint in divinis? ibid.

O

Objectum Beatificum quale, 26. Objectum attingibile ab intellectu duplex. ibid. Objectum intellectus divini multiplex, 39. Objectum adæquatum intellectus divini quid, ibid. Objectum Primarium ejuſdem quid, 40. Objectum ſecundarium ejuſdem. ibid. Objectum ſcientiæ quotuplex, 3. Objectum Theologiæ vid. Theologia. Objectum motivum voluntatis divinæ, quale, 50. Objectum terminativum ejuſdem. ibid. Objectum ejus per ſe, an negationes & privationes, 51. An malum culpæ. ibid. Objectum ejus quomodo malum pœnæ. ib.

Obligatio Gravis aut levis alicujus legis unde colligatur, 249.

Obſervantia vana Quid ſit, quotuplex, & quale peccatum, 366. Regulæ ad cognoſcendum obſervantiam ſanitatum. Quid dicendum de Familiis, quæ ſolo tactu medentur certis infirmitatibus. ib.

Occaſio proxima, *& remota peccati* Quæ dicatur, 251.

Occidere. *Occiſio*. Qua authoritate liceat occidere malefactores, 418. Quos. ibid. Quid prius ſervandum? ibid Occidendis quæ adminiſtrari debeant Sacramenta. ib. An liceat occidere Tyrannum, 418. An Innocentem, 488. An ſe ipſum, 420. An quis poſſit permittere ſe occidi. ibid. Quid de Occiſione ſui indirecta, aut morte accelerata, 421. Quæ dicatur Occiſio indirecta. ibid. Quid dicendum de Bibacibus, Funambulis, ſeu Pendulis è chorda ex induſtria, quid de ſumentibus venenum ad experientiam ſuæ Theriacæ &c. ibid.

Odium, Quomodo reperiatur in Deo, 55.

Odium Quid ſit, quotuplex, & quale peccatum, 264.

Officium Divinum. An expediat fieri lingua vernacula, 298.

Officium Divinum. Officium B. Mariæ Virginis, an & quando obliget, 356. Quid de Officio defunctorum, Pſalmis Gradualibus, & Pœnitentialibus ibid. An Regulares teneantur aut poſſint recitare Officia Diœceſibus conceſſa. ibid. Quodnam Officium poſſit & debeat legere qui tranſit de

Digitized by Google

ſit de uno loco ad alium. ib. Monialium Director, an poſſit earum Officium recitare, 358. Quale ſit peccatum mutare Officium pro Officio, & quid agendum cùm jam mutatum eſt. ibid. Quid de genuflexionibus per Rubricas præſcriptis, 358

Omiſſio pura An poſſit habere rationem voluntàrii ſine actu voluntatis, 103. An, ut talis omiſſio ſit voluntaria, debeat adeſſe potentia & obligatio ponendi id quod omittitur, 103. Ut effectus, qui ex omiſſione ſequitur, ſit voluntarius, an requiratur obligatio illum impediendi, 104.

Omnipotentia Dei oſtenditur, 57 In quo conſiſtat, 58.

Opinio Quid ſit, 132. Quomodo diſtinguatur à ſcientia & ſide divina. ib. Quid ſit opinio probabilis, probabilior, tutior, communis & moraliter certa. ib. Opinio probabilis quotuplex ſit, 142 Vide V. *Conſcientia*.

Oracula. An vivæ vocis Oracula ſint revocata, 359. Oraculum ſuperſtitioſum quid dicatur. ib.

Oratio Quid ſit, 352. Quotuplex. ib. Ejus neceſſitas. ib. An ſemper ſit efficax. ibid Quando obliget. ib. Pro quibus orandum, 353. Eſt actus voluntatis, 352. An Chriſtus oret pro nobis in Cœlo, & quare non dicamus· *Ora pro nobis Chriſte*, 352 Quomodo dicitur Spiritus Sanctus poſtulare pro nobis. ib. An damnati poſſint orare. ib. Quænam per Orationem petenda. ib. Quid de illo qui aliquid venialiter malum peteret. ib. Oratio, quæ ad Sanctos dirigitur, eſt tranſitiva. ib. Qua devotione & attentione orandum, 360. Quid dicendum de diſtractionibus, 361.

Oſea Propheta An ex diſpenſatione propriè dicta ſeſe mulieri fornicariæ commiſcuerit, 159.

Ova Sub quo peccato prohibeantur in Quadrageſima, 270. An diſpenſante Epiſcopo eum ſuis poſſit Religioſus exemptus illa comedere. ib.

P

PAganiſmus Quid ſit, & unde dictus, 327.

Papa An poſſit condere leges, 166. Cur non poſſit incurrere cenſuras, 172. Contra quam virtutem peccaret, comedendo carnes die veneris, 183.

Papa An ſit de Fide Papam modernum eſſe Eccleſiæ univerſalis Paſtorem, 310. Quandonam loquatur ut Doctor privatus quandonam ut Papa, ſeu ex Cathedra. ibid Quid præmittere debeat locutioni ex Cathedra. ib An tunc poſſit errare. ib. An ſit fidei regula infallibilis. ibid. An etiam in quæſtionibus ſacti, 311. An in decretis morum, Sanctorum Canonizatione & Beatificatione, 314

Paraphraſis Quomodo diſtinguatur à translatione, 208.

Parentes Quomodo honorandi, 409. Qualis amor & reverentia ipſis debeatur, 416. In quibus ipſis obediendum. ib. In quibus ſubveniendum. ib Quid ipſis debeant filii in eligendo Statu. ib. Quid ipſi debeant prolibus ſuis, 412.

Parentes collaterales Quid ſint, & quid ſibi invicem debeant, 416.

Quaſi parentes. Eorum obligatio erga quaſi filios, 415.

Parochiani Quid debeant ſuis Parochis, 415.

Parochi, Paſtores Quid debeant ſuis ovibus, 414. An teneantur ad Horas Canonicas in Choro, 355. An teneantur ad reſtitutionem, eas privatim omittentes, 354. An teneantur reſidere in Parochia, 355. Quamdiu poſſint abeſſe. ib An poſſint per alios Paſtoralia exercere. ib. An poſſint diſpenſare in votis, opere ſervili in die feſto, vel Dominica, & in iejunio, 397. An ex juriſdictione ordinaria. ib.

Parochi In quibus diſpenſare poſſint, 183.

Paſſio. Paſſiones appetitus ſenſitivi quot, 54. Paſſiones quænam, & quomodo reperiantur in Deo. ib. & ſeq.

Pater In divinis, quin intelligat & amet, antequam generet & ſpiret, 84. Patri, quid conveniat & appropr etur in divinis, 95. Pater an ſit cauſa aut principium Filii. ib. Patris innaſcibilitas quid. ib.

Patres ſpirituales Quid debeant Filiis ſpiritualibus, 415.

Patronatus. Jus Patronatus quid ſit, & an ſit vendibile, 372

Peccatum, Aut ejus permiſſio, an ſit effectus prædeſtinationis, 67. Peccatum aut ejus permiſſio, an effectus reprobationis, 75. Peccatum finale quodlibet an cauſa reprobationis ib. Peccatum originale an ſit ſemper cauſa reprobationis poſitivæ. ib. Eſt ſolùm cauſa reprobationis negativæ. ib. Peccatum reſpectu prædefinitionis vid. Prædefinitio.

Peccatum, peccare. Quid ſit peccatum, 233. 234. Quomodo differat à Vitio, 236 Quomodo à malo. ibid. Quotupliciter ſumatur, 223. An peccatum conſiſtat in poſitivo, 234. An in privativo. ibid. Quæ requirantur ad peccatum, 235. Quæ Libertas. ib. Quis conſenſus, 237. An conditionatus ſufficiat. ib. An peccet qui vellet ut peccatum non eſſet illicitum. ib. Quæ advertentia requiratur. ib. Quæ ſit cauſa peccati, 239. Qui effectus. ib. Peccati macula, ſeu peccatum habituale in quo conſiſtat. ib. Quid pœna peccati, & qualis ipſi debeatur, 240. 258. An malitia peccati ſit infinita 239. Unde petatur, 245. An unum peccatum poſſit eſſe pœna alterius, 241. Quodnam ſit ſubjectum peccati. ib. Quotuplex ſit peccatum, 242. Quid Originale & perſonale. ib. Quid peccatum commiſſionis, quid omiſſionis, 243. De peccato omiſſionis, & ei annexis varia reſolvuntur. ib. Peccati gravitas quotuplex, 245. Unde colligatur, 249. An omnia peccata ſint æquè gravia, 245. Unde petatur eorum diſtinctio ſpecifica, 245. Unde numerica, 246. Quid dicendum de Sacerdote plures ſucceſſivè abſolvente, aut communicante, 247. Quid de celebrante. ib. Quandonam plures actus phyſicè diſtincti cenſeantur unicum numero peccatum in ordine ad Confeſſionem. ib.

Peccatum mortale & veniale. An dentur, 248. Quæ talia dicantur. ib. In quibus differant. ibid. Unde habeatur quòd unum ſit mortale, aliud veniale, 249. Diſtinctio originaria mortalium à venialibus. ib Quomodo intelligatur, quòd peccatum veniale ſit non contra, ſed præter legem, non contra præceptum, ſed contra conſilium, 234. Quotuplex veniale, 249. Quid dicatur mortale aut veniale ex genere ſuo. ib. In quibus detur parvitas materiæ, 250. An multæ leves efficiant gravem. ibid. In quibus circumſtantiis veniale poſſit fieri mortale, 151. An puer capax peccandi venialiter ſit capax peccandi mortaliter, 252. An veniale poſſit eſſe cum Originali. ibid. Pœna peccati venialis quæ ſit, 253. An in Damnatis ſit æterna. ib

Peccatum Originale Quid ſit, 254. An omnis homo illud contrahat. ib. Quare Adamo peccante omnes peccaverunt. ib. In quo conſiſtat peccatum illud, 255. Quomodo traducatur. ib. In quos, 256. Pactum Dei cum Adamo de Juſtitia Originali pro ſe & ſuis poſteris. ibid Puer formatus ex ſemine viri quare debuerit baptizari, 257 Pœnæ & vulnera peccati originalis in hac vita. ibid. Pœnæ in altera vita, 259. Qualis futurus ſit ſtatus decedentium cum ſolo originali. ib. Quæ occupatio, 259.

Peccata Capitalia Quæ & quot ſint, & cur ſic vocentur, 260.

Peccatum An verè deleatur in juſtificatione impii, 218. Quomodo expellatur per gratiam ſanctificantem, 219. An poſſit eſſe cum gratia in eodem ſubjecto, 220. An poſſit remitti peccatum mortale abſque infuſione gratiæ ſanctificantis. ib. An abſque ulla peccatoris retractatione, 221.

Pelagianiſmus In quo conſiſtat, 194

Pelagiani Quid ſenſerint de peccato originali, 254.

Penſio Quid ſit, & cujus authoritate creari poſſit in Beneficiis, 374. An poſſint partes paciſci de penſione red menda, 375. An obtinens penſionem poſſit petere fidejuſſorem. ibid. An poſſit illam cum aliquo Benaficio permutare. ib. An poſſit aſſignari penſio habenti patrimonium ſufficiens. ib. Vide V. *Beneficium*.

Peregrinantes An teneantur legibus locorum, 175.

Perfectum. *Perfectio*. Perfectum quid, perfectio quotuplex, 18. Perfectiones ſimpliciter quænam. ib. Perfectiones omnes quomodo in Deo. ib. Perfectio aliqua ab Deo deeſſet, ſi ſe non communicaret creaturis, 53.

Periculum. Quodnam proximum & remotum peccati dicatur, 251.

Perjurium Quale peccatum, & quæ ejus pœnæ, 389. Quid perjuris imponere debeat Confeſſarius. ib.

Perſeverantiæ donum An quis poſſit mereri de condigno, 231. An de congruo, 232.

Perſona. Perſonarum divinarum pluralitas oſtenditur, 76. Earum Trinitas. ib Earum realis diſtinctio, 77 Perſonæ divinæ ſunt ſimpliciſſimæ, 93. An diſtinguantur ſe totis ab invicem. ibid Per quid conſtituantur in eſſe perſonali. ibid. Perſonis divinis quinam terniones tribuantur, 96. Perſonarum miſſio. vid Miſſio.

Pertinacia Quid ſit & quale peccatum, 261.

S. Petrus. An illi ſoli dederit Chriſtus Eccleſiæ primatum, 307.

D. Petrus Cur à D. Paulo de Judaizatione reprehenſus fuerit, & utrum peccaverit, 164.

Parmacopolæ. Eorum peccata, 423.

Pœna. *Punire*. Quid ſit pœna, 233. 258. Quæ peccatis debeatur, 238. 258. Quid dicatur pœna damni, quid pœna ſenſus. ib. An fames ſitis mors &c ſint pœna peccati originalis. ib. 259. An unum peccatum poſſit eſſe pœna alterius, 241. An aliqui puniantur pro peccatis alienis. ib. Pœna peccati

cati venialis quæ ſit, 253. An in Damnatis ſit æterna. ib. Pœnæ peccati originalis, 258. 259.

Pollutio Quid ſit, 439. Quale peccatum. ib. Nullo caſu licita eſt. ib. Quid de pollutione prævisa, 440. An liceat involuntariam deſiderare, aut de habita gaudere propter ſanitatem. ib. Pollutio loci ſacri quot modis fiat, 367.

Poſſeſſio Quid ſit, 137. Cur poſſeſſio ſit ſufficiens in materia juſtitiæ ad deponendam conſcientiam dubiam, & non in alia materia. ib. & 138.

Potentia Operandi ad extra num in Deo, 57. Quid ſit illa. ib. & ſeq. Potentia Dei, ad quæ ſe non extendat, 58. Potentia Dei alia ordinaria, alia abſoluta. ibid. Quomodo poſſit facere plura, quam fecerit aut facturus eſt. ibid. Quomodo poſſit ea, quæ fecit, meliorare. ibid. Potentia Dei & Decretum quomodo idem. ib.

Potus. An quis poſſit peccare mortaliter per exceſſum potus, ſi non ſit ebrius, 266. An liceat provocare alium ad æquales hauſtus, 268. An potus extra refectionem ſit licitus in die jejunii, 271.

Præceptores Quid debeant ſuis diſcipulis, 416.

Præceptum Quomodo affirmativum, & negativum differant, 351.

Prædefinitio. *Prædefinire*. Prędefinitio actuum liberorum quotuplex, 61. Quomodo Deus prædefiniat actus bonos. ib. Prædefinitio ad actiones naturales cauſarum naturalium, ſicut & ad formale peccati rejicitur, 62. Non prædefinitur à Deo materiale peccati. ib. Prædefinitio divina non nocet libertati, 63.

Prædeſtinatio. Etymologia nominis, 65. Prædeſtinationem, quinam rejecerint. ib. Prædeſtinatio quid juxta Scotum. ib. Ita juxta D. Auguſtinum. ib. Prædeſtinatio an neceſſaria ad ſalutem. ib. Prædeſtinationis effectus, quid dicatur, 66. Prædeſtinationis effectus generales duo. ib. Prædeſtinationis effectus omnes quomodo ſupernaturales, 67. Prædeſtinatio efficax ad gloriam dupliciter ſpectatur. 68. Prædeſtinationem fieri ad gloriam ante prævisa merita ex Scriptura oſtenditur. ib & ſeq. Item ex Auguſtino. ib. Ex Scoto. ib. Objectionibus ex Scriptura ſatisfit. ibid. & ſeqq. Prædeſtinatio, an alicui in hac vita certò conſtet, 70. Prædeſtinationis an, & quænam ſigna. ib. An facta fuerit ante prævisum originale peccatum. ib. Prædeſtinationis ordo, 71. An fiat ad certum gloriæ gradum, 211. Prædeſtinatorum numerus quantus. ibid. Prædeſtinatio Angelorum, an ſunt hominum. ib.

Prædicatum. Prædicata eſſentialia Dei, quænam, 13. Quomodo diſtinguantur ab eſſentia, 18.

Prædictio. An ille, cui per Aſtrologos vel alios Divinatores aliquid prædictum eſſet, poſſet inde actiones ſuas moderari, 364.

Præſcientia Dei An noceat libertati, 47.

Præſentia Quotuplex detur, 55. Ad qualem teneantur Beneficiati in Choro, 355.

Præſumptio Quid ſit, & quale peccatum, 261. 335. An opinio docens dari omnibus gratiam remotè ſufficientem inducat præſumptionem. ib. Quale peccatum Præſumptio, 329. Quæ remedia adverſus illam. ib.

Praxis timoratorum An ſit cauſa ſufficiens ad deponendam conſcientiam ſpeculativè dubiam, 137.

Princeps ſæcularis An poſſit exemptionem Clericorum annullare, 174. An obliget in conſcientia, 176.

Princeps. Ejus obligatio erga ſubditos, 415.

Principium. Reſpectu perſonarum duplex, 79. Principium quod aſſignatur. ib. Principium quo, an ſint Paternitas & ſpiratio activa. ib. An & quomodo eſſentia divina, 80. Principium quo proximum generationis & ſpirationis. ib.

Principia juris naturæ Quænam ſint evidentiſſima & prima? Quænam ex illis proximè deducantur? Quænam remotè, 112. An detur ignorantia in illis principiis & qualis? Vide V. *Ignorantia*.

Privatio Quotuplex, 235.

Probabiliſmus Quare tot malorum ſit origo, 142.

Proceſſio In divinis, quid, 76. 78. An detur, 77. Quotuplex detur, 78. Proceſſiones divinæ, an ſint immanentes. ib. Proceſſio Verbi & Spiritus S in quo formaliter conſiſtant. ib. Proceſſionum principium, vide Principium, Proceſſio Filii, in quo differat à Proceſſione Spiritus S. 81. Proceſſio Spiritus S. cur non ſit generatio. ib. Proceſſionum terminus vide Terminus.

Prodigalitas Quid ſit, 263. Quale peccatum. ib.

Proditor, *prodere*. Quid de illis, qui inducunt alium ad prodendum Urbem, Caſtrum &c., 438.

Proditio Quid ſit, 263.

Profanatio Loci Sacri quot modis fiat, 367.

Profeſſor Quas ſententias tradere debeat, 155.

Propoſitio Per ſe nota, quid juxta Scotum, 8. An bene dividatur in per ſe notam quoad ſe & quoad nos. ib. Propoſitio hæc: Pater intelligit verbo, an admittenda, 79. Quid de hoc: Pater dicit verbo, & differentia inter illas. ib. Quid de aliis in hac materia. ib.

Propoſitiones Fidei aut moribus non convenientes quibus notis qualificentur, 328.

Providentia. Providentiam in Deo dari oſtenditur, 58. Etiam reſpectu rerum minutiſſimarum. ib. Pruvidentia Dei an immediata, 59. Provideotia divina quid. ib. Alia naturalis, alia ſupernaturalis. ib. Providentia Dei & actus intellectus, quomodo ſe habeant, 60. Providentiæ Dei quomodo ſubjaceant peccata & peccatores. ib. & ſeq.

Provincialis in ordine Seraphico An habeat poteſtatem condendi leges extra Capitulum, 166.

Proximus Noſter quis dicatur, 336. Quo motivo diligendus, 337. Quis ordo ſervandus in proximorum dilectione, 345. Vide V *Charitas*.

Pſalmi Graduales & pœnitentiales an obligent, 357.

Pueri Quandonam teneantur jejunare, communicare, 273. Quandonam incurrant cenſuras. ib.

Puer An capax peccandi venialiter, ſit etiam capax peccandi mortaliter, 252. Formatus in femore viri an debuerit baptizari, 257. Vide V. *Peccatum originale*.

Pupilli Quid debeant ſuis Tutoribus, 416.

Puſillanimitas Quid ſit & quale peccatum, 279.

Q

Quadrageſima. Qui cibi in ea prohibiti, 269. Quandonam olim inceperit, aut finierit, 277. Quare immediatè ante Paſcha inſtituta. ib.

R

Rancor Quid ſit & quale peccatum, 278.

Rapina Quid ſit & an diſtinguatur à Furto, 450.

Raptus Quid ſit, 438. Pœnæ raptorum. ib.

Reatus pœnæ Quid ſit, 840.

Refectio In die jejunii an poſſit dividi, 271. An diſpenſatus pro uſu carnium poſſit bis refici ib. Quid dicendum de anticipatione refectionis, aut jentaculo manè ſumpto, 269. Vide V. *Jejunium*.

Reges Titulares quid poſſint, 167.

Reginæ Quandonam habeant eamdem poteſtatem in ferendis legibus, ac ipſi Reges. ib.

Regula Fidei quotuplex, 294. An Scriptura Sacra ſit Regula Fidei, 301. An ſit unica. ib. An Traditiones, 303. An Eccleſia ib An Papa, 310. An Concilium, 316.

Relatio. Relationes reales an dentur in divinis, 87. Relatio creata & increata, quomodo differant. ib. Relatio ſpirationis activæ an diſtincta à Paternitate & Filiatione. ib. Relationes reales communes an dentur in divinis, 88. Relationes divinæ an importent perfectionem. ib. Quomodo inter ſe diſtinguantur. ib.

Religio Quotupliciter ſumatur, 351. Religio virtus quid ſit. ib. An ſit Theologica Quid ejus objectum. ibid. Quo ſenſu dicatur cultus Deo debitus ib.

Religioſi. An liceat ipſis militare, 432. Quid de Religioſo in Sacris, ſi luxurietur, 437. An obligentur ad Horas Canonicas, 353.

Reprobatio Quid, & quotuplex, 72. Reprobatio negativa, & poſitiva quid. ib. Reprobatio negativa ſuſtinetur. ib. & ſeq. Reprobatio negativæ, an & quomodo non detur cauſa. ibid. Reprobationis poſitivæ cauſa peccatum reprobi prævisum, 73. Reprobationis ſine deſtinatione ad pœnam quænam cauſa, 74 Quodnam peccatum ſit cauſa Reprobationis. vid Peccatum

Reſervatio Caſuum orrum afficiat impuberes, An committens caſum reſervatum in propria Diocœſi, poſſit abſolvi à communi confeſſario loci illius, in quo peccavit, ſi ibi Caſus ille non ſit reſervatus, 174

Reſidentia Quid ſit, 355. Ad qualem teneantur Beneficiati. ibid. Cauſæ ab illa excuſantes. ib.

Reſtrictio mentalis Quid ſit, quotuplex, 383. Et an licita, 384. An liceat Reo à judice interrogato. ib Quomodo differat ab æquivocatione. ib. Quid faciat ille à quo exigitur ut juret ſe non uſurum reſtrictione mentali, 387.

Revelatio Quid ſit & quotuplex, 285. An ingrediatur rationem objecti formalis fidei, ib. An debeat eſſe obſcura. ib.

An

Digitized by Google

An immediata. ib. An publica. ib. A quo proponi debeat, ut ſit obligatio illi credendi, 287. Per quos de Eccleſia, 292. An poſſit Deus revelare damnationem Reprobo, 333.

Reus. Quid agendum cum reo qui nollet pœnitere, 419. An poſſit cooperari ſuo ſupplicio, 422. An damnatus ut fame pereat, poſſit cibum reſpuere. ibid. An poſſit manere in carcere, ſi poſſit fugere. ib.

Rixa Quid ſit, 278.

S

SAbathum. Vide V. Dominica.

Sacramenta Quæ occidendis adminiſtranda, 419.

Sacerdos Latinus An ſuos ritus ſervare poſſit celebrando in Græca, & an Græcus ſuos, celebrando in Eccleſia Latina, 175. An mortem eligere debeat potius, quàm celebrare in loco profano. ib.

Sacrilegium Quid ſit, & quotuplex, & quale peccatum, 367. Quot modis violetur locus ſacer. ib. An violatio omnis voti ſit ſacrilegium, 368. Quid Sacrilegium in materia luxuriæ, Et quale peccatum, 437. Quid dicendum de Religioſo in Sacris. ib. An Sacris initiatus conſulens alteri rem impudicam committat Sacrilegium. ib. An Sacerdos alba indutus committens impudicitiam committat duplex Sacrilegium. ibid.

Sacrilegium In furto quotupliciter committatur, 126. Quæ peccata in loco ſacra ſint ſacrilega. ib.

Sagacitas Quomodo diſtinguatur à prudentia, 102.

Sampſon An excuſari poſſit in occiſione ſui, 129.

Samuel An fuerit quia jugeret Saul, 130.

Scandalum Quid ſit & quotuplex, 349. An ſit peccatum ſpeciale. ib. An ſint omittenda opera præcepti vel conſilii ut evitetur. ib. An poſſit permitti, probationis cauſa. ib.

Scientia. Scientiæ conditiones quænam ex Scoto, 2. Scientiæ objectum quotuplex, 3. Scientia ſimplicis intelligentiæ, & viſionis an diſtinguantur, 42. Scientia futurorum in Deo, quomodo libera. ib. Scientia in Deo quotuplex, 44. Scientia media quid, & cur admittatur à PP. Societatis. ib. Scientia media an nova, & Auguſtino &c. incognita. ib. Diſcrimen inter ſcientiam mediam Catholicorum & Hæreticorum, 44. Scientia media non datur in Deo. ib. & 47. Scientia Dei, an ſit cauſa rerum, 49. An ſit diſcurſiva. ib. Quænam ſcientia ſit cauſa directiva rerum. ibid.

Scriptura Sacra Quid ſit, 294. De ejus libris. Vide V. *Libri*. An illa vitiaverint Judæi, 295. Quo idiomate fuerit ſcripta, 296. Quæ editio ejus præferenda, 297. An authentica reperiatur apud Lutheranos & Calviniſtas. ib. Quæ requirantur ad Scripturam authenticam. ibid. Quid dicendum de lectione ejus lingua vernacula, 298. Quid de officio Divino eadem lingua. ib. Quintuplex Scripturæ ſenſus, 200. Quotuplex litteralis, 299. An omnes in uno paſſu poſſint reperiri, 300. An 4. ſenſus poſſint reperiri in uno paſſu. ib.

Diſtinctio inter Litteralem, Translatum, & Myſticum, 300. Quotuplex myſticus. ib. Cur omnes paſſus non habeant ſenſum myſticum, 301. An Litteralis prævaleat myſtico. ibid. An Scripturæ ſenſus ſit obſcurus, 301. Quare. ib. An ſcriptura fidei regula infallibilis, 294. 301. An ſola. ib.

Scrupulus Quid ſit, 132. Cur licitum ſit, imò quandoque obligatorium agere contra ſcrupulos, 140. Scrupulorum cauſæ radices remedia. ib.

Secretum. Alterius revelare quale peccatum, quale illud expiſcari, Quid de Epiſtolis, 464.

Senes Quid debeant junioribus, 417.

Senſualitas Quid ſit, & an differat à venere, 443.

Sepultura. An poſſit vendi, 372. An poſſit plus exigi ut quis nobiliori loco ſepeliatur, aut jus habeat in certo loco. ib.

Simonia Quid ſit, 368. Quotuplex pretium in hac materia. ibid Quale peccatum, 369. An patiatur parvitatem materiæ. ibid. De tacita Simonia Prælati, vel ei inſervientis, 368. De injuſtitia præferentis patentes extraneis dignioribus. ib An promittens pecuniam & non intendens ſolvere committat Simoniam. ib. An ſit Simonia dare pecuniam alteri ut me vel alium commendet pro Beneficio, 369. Unde venditio rei non ſacræ, nec ſpirituali annexæ, ſit aliquando Simoniaca. ib. An tradens temporale ex motivo obtinendi ſpirituale, aut è contra, ſine ullo pacto aut intentione obligandi ſit Simoniacus, 370 An dans eleemoſynam pauperi, ut pro ipſo oret, ib. An numquam liceat pro re ſpirituali aliquid accipere, aut exigere, 371. Num pro re ſpirituali rei annexa, 372. Quid ſi Sacerdos nolit baptizare niſi data pecunia, 371. An ubi Beneficium eſt litigioſum liceat aliquid dare competitori, ut à lite deſiſtat, vel litem non intentet, 372. vel ad redimendam vexam, ib. An poſſit dari pecunia ut non eligatur indignus, vel eligatur dignus, ib. Quare liceat aliquid exigere tamquam pretium pro docenda Theologia, non autem pro Catechiſmo, 373. An poſſit quis Beneficium cui annexa eſt cura animarum, ib. Quomodo intelligendus D. Thomas dicens quòd indignus petens Beneficium, ſit Simoniacus, & quòd pauper poſſit petere Beneficium ſimplex, & non dives, ibid. An Religioſus promittens alteri Prioratum v. g. ut ſuffragetur ſibi vel alteri, ſit Simoniacus, ibid. An vendi poſſint commendæ militares, ibid. An Papa poſſit committere Simoniam, 374. De Simonia in permutatione, renuntiatione &c Beneficiorum, ib. De reſtitutione ratione Simoniæ, 375. Pœnæ ſimoniacorum, ib. Quando incurrantur, 376. ſpecialis diſpoſitio juris de pœna ſimoniæ confidentialis, ib. An illam incurrat qui ſuam confidentiam exterius non manifeſtavit, ib.

Simplicitas Dei ſtat cum diſtinctione Scoti, ubi & de requiſitis ad compoſitionem, 16. ſimplicitatem Dei, quinam negarint? 19. ſimplicitas, unitas & identitas, quomodo differant? ibid. ſimplicitas Dei oſtenditur, ibid. Eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, 20. Creaturæ incommunicabilis, ibid

Singularitas, An ſit de eſſentia Dei, 13.

Sodomia, Quid ſit & quale peccatum, 441. Pœnæ ejus. ib. An aliquando ſit inceſtus, 436.

Somnium. Divinatio per ſomnia quid ſit, & quale peccatum, 365. Quid dicendum de eo, cui in ſomnis eſſet manifeſtatus Theſaurus. ib.

Sortilegium Quid ſit, & quale peccatum. ib.

Species impreſſa Quid, 30. Species impreſſa divinæ eſſentiæ an poſſibilis. ib.

Spes In genere quid ſit, 329. Theologica quæ ſortiatur nomina, & quotupliciter accipiatur. ib. Quid ſit. ib. An diſtinguantur à fide & Charitate, 329. Quæ ejus filiæ. ibid. Quod ejus objectum materiale, 330. Quod formale, ibid. Quod ſubjectum, 332. An omnes viatores. ibid. An animæ Purgatorii. ib. An Damnati, ib. An Beati. ib. An illi cui eſſet revelata Damnatio poſſet, & teneretur ſperare, 333.

Spes habitualis An augeatur aucta gratia, 232 Per quos actus augeatur. ib.

Spiritus Sanctus. Quorum cognitionem & amorem præſupponat, 83. Uſque, 85. An procedat à Patre & Filio, 84. Solvuntur Authoritates circa hoc. ib. An & quomodo neceſſario exigat procedere à Patre & Filio. ib. An ſi non procederet à Filio, adhuc diſtingueretur ab illo realiter, 85. & ſeq. Spiritui Sancto quænam ſint propria, 96. Spiritus Sanctus quomodo donum. ib. Spiritus S. varia nomina, 97.

Stuprum Quid ſit, An differat à Fornicatione, 438. An poſſit committi in maſculos. ib.

Subditus Quare inquirere non debeat, an res præcepta liceat, 140. Caſus in quibus non poteſt obedire ſuperiori. ib.

Subditi Quid debeant ſuis paſtoribus, 415. Quid ſuis Principibus, Dominis, & Magiſtratibus, 416.

Subſiſtentia. Subſiſtentiæ relativæ, quot dentur in divinis, 94. Subſiſtentia abſoluta an detur in Deo. ib. Subſiſtentia duplex. ib.

Superbia Quid ſit, & quotuplex, 260. Quale peccatum. ib. Quinam ejus actus, 261. Quæ filiæ. ib. Quæ remedia, 262. Quibus comparetur ſuperbus. ib.

Superſtitio Quid ſit, & quotuplex, 363 Quid dicendum de circumductione equorum circa Templa S. Eligii, de ceremoniis ad S. Hubertum, & ſimilibus. ib. Vide V. *Magia*, *vana obſervantia*.

Suppoſitio Reſpectu exercitii libertatis triplex, 26.

Suſurratio Quid ſit, & quale peccatum, 463.

Symbolum Quid ſit & quotuplex, 293. De Symbolo Apoſtolum. ib. An ſinguli Apoſtoli ſingulos articulos confecerint. ib Explicatio. ib. Et articuli. ib. Cur præter illud tradita ſint alia. ib. De Symbolo Nicæno, 293. De Conſtantinopolitano. ib. & S. Athanaſii, 294.

Synderesis Quid ſit & quomodo diſtinguatur à conſcientia, 131. Cur ſit infallibilis. ib.

T

TActus Quale ſit peccatum tangere ſeipſum, alterum, beſtias &c., 444.

Tentatio Dei Quid ſit, & quotuplex, 367. Quale peccatum. ib. Quid de Sanctis qui igni ſe tradiderunt. ib.

Tepor & Torpor Circa præcepta quid ſit, & quale peccatum 279.

Terminus Ad quem proceſſionum in divinis duplex, 82.

Digitized by Google

Terminus totalis proceſſionum quis. ib. Terminus formalis, quis. ibid.

Theologia Quid, & quotuplex, 1. & 2. An & quomodo ſit ſcientia, 2. Quomodo ſubſiſtnatur Theologię Dei & Beatorum. ib. An ſit practica, 3. An ſit Sapientia. ib. Theologiæ objectum materiale quodnam. ib. Ejus formale quod, 3. Ejus formale propter quod. ib. Theologiæ principia quænam & unde deſumuntur. ib. & ſeq. Theologia ut habitus, an diſtinguatur à fide, 4 An ſit entitativè naturalis. ib. An maneat in homine in hæreſem lapſo, 5. Theologia noſtra an fuerit in Chriſto. ib. An & quomodo maneat in Beatis. ibid. Theologia poſitiva an, quomodo, & cui neceſſaria. ibid. & ſeq. Theologia ſcholaſtica, quid de illa, 6.

Timor Quid ſit & quotuplex, 333. Quis laudabilis. ib. An timor filialis maneat in Patria, 334. Quo ſenſu dicatur: *Initium ſapientiæ eſt timor Domini*. ib. An per Charitatem tollatur, aut minuatur timor ſervilis, aut etiam filialis. ib.

Toparcha. Ejus obligatio erga ſubditos, 416.

Traditio Quid ſit & quotuplex, 302. Regulæ, ex quibus colligitur, Traditionem aliquam ex Apoſtolis deſcendere. ibid. An dentur Traditiones. ib. An ſint infallibiles Fidei regulæ, 302. An Eccleſiaſticæ habeant parem cum Divinis authoritatem. ib.

Translatio Quomodo differat à Paraphraſi, 296. Vide V. *Editio*.

Trinitas Perſonarum an ſola ratione probabilis, 90. An ſuppoſita revelatione ſaltem probari poſſit, 95. Trinitatis veſtigium an in creaturis reperiri poſſit. ib.

Tumor mentis Quid ſit, & quale peccatum, 278.

Turpia Loqui, legere, audire &c. quale peccatum, 445.

V

Vagi An teneantur legibus locorum, 175.

Vanagloria Quid ſit, & quale peccatum, 261.

Vaſalli Quid debeant ſuis Toparchis, 416.

Verſio. Vide V. *Editio*. An verſio Lutheranorum & Calviniſtrarum ſit authentica Scriptura, 298.

Vicarii Beneficiatorum An teneantur ad Horas Canonicas, 354. Vide V. Capellani.

Videre. *Viſio* Intellectualis quid, 26. Videri poſſe Deum ab intellectu creato negarunt Palamitæ. ibid. Videri nequit Deus ab intellectu creato ſolis naturæ viribus. ib. Neque ab ullo intellectu creabili. ib. Bene tamen ſupernaturaliter, 27. An videri poſſit intuitivè à viatore, 28. An aliquis viator ipſum viderit, ubi de variis SS. ib. Quando viſio intuitiva concedat decedentibus juſtis & purgatis; Error millenariorum circa hoc, 29. Item error Joannis XXII. à quo tamen à multis purgatur. ib. Reſolutio quæſiti. ib. & 30. Viſio beatifica an in omnibus hominibus ejuſdem ſpeciei, 34. Viſionia beatificæ inæqualitas, unde moraliter proveniat. ib. Unde phyſicè. ib. Viſio beatifica an poſſit eſſe præciſiva, 35.

Violentia An cauſet Involuntarium, 105. Ad quid teneatur puella per violentiam oppreſſa, 106.

Virgo An teneatur in caſu neceſſitatis permittere curationem, à viro faciendam in ſecretioribus, 553.

Virgula divinatoria. Ejus uſus illicitus, 365.

Virtus. De quibus virtutibus in Deo quæri poſſit, 55. Virtutes quænam reperiantur in Deo. ibid. & ſeq. Virtus Theologica quid ſit, 280. Quotuplex. ib. An ſit ad ſalutem neceſſaria. ib. Quomodo operetur in potentiis animæ. ib.

Virtus & Vitium Quid ſint & quomodo differant, 233.

Vitium Quid ſit, & quomodo differat à peccato, 103.

Volitum in cauſa Quænam conditiones requirantur, ut cenſeatur peccaminoſum, 103.

Voluntarium Quid ſit, 448. Quotuplex. ib.

Voluntarium interpretativum Ut ſit culpabile tria requiruntur, 448.

Voluntas An detur in Deo, 49. Voluntas beneplaciti & ſigni quid, 50 Efficax & inefficax, antecedens & conſequens quid. ib. Voluntas Dei quomodo dicatur antecedens & conſequens, 50. Voluntas ſalvandi Prædeſtinatos, & damnandi reprobos qualis ſit, 50. Voluntatis divinæ objectum motivum quid, 50. Terminativum quid. ib. Voluntas quibus potentiis imperet, & quomodo, 202. Quomodo voluntas humana debeat eſſe conformis voluntati divinæ, 530.

Votum, Voveo. Quandonam vovens cenſeatur materias diſtinctas inter ſe unire, 250.

Votum, Vovere Quid ſit, & quæ ejus conditiones, 391. Quotuplex, 392. Quid de Voto Jephte, 391. Et S. Thereſiæ, 392. Quomodo intelligatur quòd materia Voti non poſſit eſſe impeditiva majoris boni. ib. Quodnam ſit peccatum vovere rem venialiter malam. ib. In quo conſiſtat ſolemnitas Voti. ib An ſit de jure naturæ, an Eccleſiaſtico. ibid. An Papa poſſit in profeſſione Religioſa diſpenſare. ibid. Quinam poſſint vovere, 393. An expediat vovere. ib. An diſſuadendum puellis Votum Caſtitatis in ſæculo. ib An opus factum ex Voto prævaleat libero. ibid. Obligatio Voti qualis, 394. An qui crederet Votum non obligare ex eo obligaretur, 393. An violatio omnis Voti ſit ſacrilegium. ib. An omnes Votorum tranſgreſſiones ſint ejuſdem ſpeciei, 394. An vovens poſſit ſe obligare ad rem gravem ſub culpa levi, vel è contra, 394. Quo tempore Votum ſit implendum. ib. An qui non poteſt implere determinato tempore, teneatur prævenire, 395. Quæ cauſæ excuſent dilationem Voti. ib. An voti obligatio tranſeat ad alios, 395. An ſolutio Votorum realium præferri debeat ſolutioni aliorum debitorum, 396. Qualiter obliget Votum conditionale. ib. Qualiter pœnale. ib. Qualiter dubium. ib. Regulæ ad interpretandum Votum dubium. ibid. Quando ceſſet Voti obligatio, 397. Quid ſit irratio Voti, & ad quos pertineat, 398. Quæ cauſæ ad hanc requirantur 399. Voti diſpenſatio quid ſit. ib. Cui competat. ib. Cauſæ ad diſpenſandum requiſitæ, 400. An votum eundi Romam pro abſolutione à peccato, ſit unum ex reſervatis Papæ. ib. An Votum dubium, aut conditionale, aut pœnale ſit obſervatum ib. An vovens poſſit facere quod Votum ſuum ſit à ſolo Papa diſpenſabile. ibid. An facultas diſpenſandi in omnibus Votis, intelligatur etiam de reſervatis. ib An quis poſſit ſecum diſpenſare. ib. An Vota in favorem tertii ſint diſpenſabilia. ibid An potens diſpenſare in Votis poſſit diſpenſare in Juramentis promiſſoriis Deo factis. ib An ſit aliqua forma obſervanda in irritatione, diſpenſatione aut commutatione Voti. ib: Voti commutatio quid ſit. ib Quibus competat, 401. Qualiter facienda. ib. Quæ cauſæ requirantur, 402. An ſi Papa commutet Votum reſervatum in aliud, hoc ſit reſervatum ib. An facultas commutandi Vota in Jubilæo ſe extendat ad Vota emiſſa poſt conceſſionem Jubilæi. ib. An qui non petiit commutationem votorum tempore Jubilæi poſſit illam poſtea obtinere. ibid. Quid ſi poſt commutationem non impleat opera præſcripta ad Jubilæum lucrandum. ib. An Materia ſubrogata facta impoſſibili, teneatur quis ad prius Votum. ib. An qui poteſt commutare Votum, poſſit & pœnam ratione tranſgreſſionis Voti debitam ſ. ibid. An Votum Religionis poſſit commutari in Epiſcopatum. ibid. An recuſans commutationem petenti, peccet. ib. An filius, qui tempore neceſſitatis parentum, vovit Religionem, teneatur, illa tranſacta, hanc ingredi, 412.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google